4° GS
332 N. III.
63.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIS-
TORIA
FRAN
CICA

IOANNIS

DE BVSSIERES

BELLIIOCENSIS,

è Societate IESV;

HISTORIA FRANCICA:

A MONARCHIA CONDITA,

ad annum huius seculi, septuagesimum.

EDITIO ALTERA, PRIMA LONGE

Bibl.ae S. Crucis auctior & emendatior.) Augusta Vindel.

TOMVS PRIMVS.

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

LVGDVNI,

Sumpt. LAVR. ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXI.

CVM PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

PETRO SEGVERIO, CANCELLARIO FRANCIÆ:

TRIA *sunt*, VIR SVMME, *quæ me impulerunt, vti hoc opus Amplitudini Tuæ addicerem & deuouerem; ipsum Argumentum, Amor Litterarum, atque Religio. Etenim cùm Togatus principem dignitatem Franciæ impleas, ad Te pertinent, quæ ad Franciæ dignitatem & laudem pertinent; & peccaret ipsa, nisi Te ornaret, cuius præclarissimum ornamentum Tu es. In Historiam missa, dum intuetur se atque considerat, se in Te agnoscit; & & quidem prudentem, doctam, fortem, felicem, & Religiosam: non qualem olim priuata flagitia de-*

formauerant, miseram, sauciam, & detruncatam. Quippe in Te Consiliorum vim atque sanctitatem, in gerendis rebus efficacitatem & celeritatem, in euentibus prosperitatem contemplans, Senatores, Præsides & Cancellarios plures in Te deprehendens, monumenta prisca non relegit, nacta in Te, amplissimam priorum temporum epitomen; quatenus ea virtutes meritáque sua signauerant. Illa igitur simul in Te confluxisse, quæ ornabant singulos, demiratur atque gratulatur; inconcussam in Principem fidem, sinceræ Religionis cultum & tutelam, intaminatæ Iustitiæ amorem & zelum, maiestatis Regno asserendæ indefessum studium, & comitatem sibi constantem in apice Dignitatum. Iam si Literæ foueri amant atque promoueri, quem appellabunt, nisi litterarum scientem iuxtà atque amantem. Inter arma & furorem belli perijssent, nisi Tuo Authoritatis sinu defensas & tectas, liberalitatis dextrâ stabilitas; imò tuo ipso dignissimo Capite, ceu domesticis laribus admissas penitus, fouisses, recreasses, & quodammodo suscitasses. Nunc lugeret tot inter bona quibus circumfluit Francia; nec partas Fortitudine summa Victorias, nec erecta per diuersas gentes trophæa, nec vltra Prouincias prorogatos fines, nec ipsam beatissimam Pacem, felicitati adscriberet, si Litteræ oppressæ armis interijssent: quid enim monumenta Virtutis & gloriæ superant, si ea pereant, per quæ stant ipsa monumenta, & ad posteros veniunt.

Porrò

Porrò quid mirum, si Doctrinas & Litteras in familiares admiseris, quas (vt dixi) ingenio tuo excepisti. Negligi sanè & contemni haud poterant, quæ in Te Magistratu principe collucebant; quis peritiam Legum, quis Philosophiam, quis Eloquentiam aspernaretur, quas à puero coluisti, fouisti, & in fastigium perduxisti? Quis cæteras non amanter suspiceret, quarum omnium semina, tuâ capacissimâ Mente recepisti, itura in stirpes & fructus, quoties studio tuo libuerit. Eamobrem quod dignitas tua Priuilegium Libris, hoc ingenium tuum Litteris præstat; vt quemadmodum illi destituti sigillo, vulgares sint atque expositi; ita istæ tibi minùs probatæ, ærariæ sint atque plebeiæ. His Titulis, Vir Amplissime, tibi debetur Historia; at titulo Religionis debetur Historicus, quà publicæ cupidus, quà suæ. Etenim publicam (ea est Christiana atque Orthodoxa) in Ciuilium bellorum turbine, quanto studio quanta contentione animi asseruisti ac vindicasti? Patebant Nouatoribus Ædes, Palatia, ipsa Templa, atque Altaria; irrepebant in plures animos dogmata pernicioſa; Tu domum tuam veluti Sacrarium Fidei occlusisti, Tu à contagio mentem purissimam amouisti, Tu opinione sanctissima præluisti decretis Pontificum, nec sanciuit aliud Romana Ecclesia, quàm quod priuata Themis Te perdocuerat. Sed ea laus sic tua est, vt stirpis sit propria, & maioribus tuis Orthodoxa fides pro anima fuit; adeò cum spiritu Catholicos sensus hauriebant.

riebant. Nec Societatis ſum immemor, in qua vitam dego, quam tibi tantis deuinxiſti beneficiis; in cuius ego inſitus truncum, quamquam vilis & tenuiſſimus ramus; pro minima mea parte gratum animum teſtor; precaturus Numen, vt bona illa tua diuturna perdurent, & quam valetudinem animi corporiſque, Deus rebus publicis prouidens indulſit hactenus, eam in æuum longius ſeruet; ſiſque in ſeculum argumentum Hiſtoriæ. Id, VIR SVMME, *in votis habet & precibus,*

Amplitudinis Tuæ

Addictiſſimus & humillimus
in Chriſto
IOANNES DE BVSSIERES,
è Societate IESV.

AD

AD LECTOREM.

IN hac noua Hiſtoriæ Francicæ editione, haud pauca adiuncta reperies, multa immutata, ſecùs quàm legeris in priore editione. Ita enim res humanæ ſe habent, eáque eſt ingeniorum varia ſentientium diuerſitas, & propemodùm dimicatio, vt veritas ægrè è Democriti puteo eruatur, ac vix vnquam niſi repetito per conatus plures labore, ſub mortalium oculos veniat. Habes etiam in hac editione contractam Epitomen rerum geſtarum à Ludouico XIV. Epitomen inquam, nam ſcribenda de tot præclaris rebus Hiſtoria, maioris eſt operæ, quàm vt eam tam vulgaris Scriptor aggrediar.

Summa Priuilegij Regij.

CAutum eſt auctoritate Regis nouo Priuilegio, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis, libros quoſdam imprimat, ſcriptos à Patre IOANNE DE BVSSIERES è Societate IESV, in quibus recenſetur *Hiſtoria Francica, vel Latinè, vel Gallicè ſcripta*, in nouem proximos annos à die abſoluti operis: mulctâ trium millium librarum indictâ, qui ſecus fecerit, provt fuſius in diplomate Regio continetur. Datum Pariſiis, die 24. Februarij, Anno 1671.

De mandato Regis,

MARGERET.

4° GS
332 N. III.
63.

HIS=
TORIA
FRAN
CICA

IOANNIS

DE BVSSIERES

BELLIIOCENSIS,

è Societate IESV;

HISTORIA FRANCICA:

A MONARCHIA CONDITA,

ad annum huius seculi, septuagesimum.

EDITIO ALTERA, PRIMA LONGE

Bibl.ca S. Crucis auctior & emendatior. Augusta Vindel.

TOMVS PRIMVS.

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK
IN
AUGSBURG

LVGDVNI,

Sumpt. LAVR. ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXI.

CVM PRIVILEGIIS.

Google

PETRO SEGVERIO, CANCELLARIO FRANCIÆ:

TRIA *ſunt*, VIR SVMME, *quæ me impulerunt, vti hoc opus Amplitudini Tuæ addicerem & deuouerem; ipſum Argumentum, Amor Litterarum, atque Religio. Etenim cùm Togatus principem dignitatem Franciæ impleas, ad Te pertinent, quæ ad Franciæ dignitatem & laudem pertinent; & peccaret ipſa, niſi Te ornaret, cuius præclariſsimum ornamentum Tu es. In Hiſtoriam miſſa, dum intuetur ſe atque conſiderat, ſe in Te agnoſcit; & & quidem prudentem, doctam, fortem, felicem, & Religioſam: non qualem olim priuata flagitia de-*

formauerant, miseram, sauciam, & detruncatam. Quippe in Te Consiliorum vim atque sanctitatem, in gerendis rebus efficacitatem & celeritatem, in euentibus prosperitatem contemplans, Senatores, Præsides & Cancellarios plures in Te deprehendens, monumenta prisca non relegit, nacta in Te, amplissimam priorum temporum epitomen; quatenus ea virtutes meritáque sua signauerant. Illa igitur simul in Te confluxisse, quæ ornabant singulos, demiratur atque gratulatur; inconcussam in Principem fidem, sinceræ Religionis cultum & tutelam, intaminatæ Iustitiæ amorem & zelum, maiestatis Regno asserendæ indefessum studium, & comitatem sibi constantem in apice Dignitatum. Iam si Literæ foueri amant atque promoueri, quem appellabunt, nisi litterarum scientem iuxtà atque amantem. Inter arma & furorem belli periissent, nisi Tuo Authoritatis sinu defensas & tectas, liberalitatis dextrâ stabilitas; imò tuo ipso dignissimo Capite, ceu domesticis laribus admissas penitus, fouisses, recreasses, & quodammodo suscitasses. Nunc lugeret tot inter bona quibus circumfluit Francia; nec partas Fortitudine summa Victorias, nec erecta per diuersas gentes trophæa, nec vltra Prouincias prorogatos fines, nec ipsam beatissimam Pacem, felicitati adscriberet, si Litteræ oppressæ armis interiissent: quid enim monumenta Virtutis & gloriæ superant, si ea pereant, per quæ stant ipsa monumenta, & ad posteros veniunt.

Porrò

Porrò quid mirum, si Doctrinas & Litteras in familiares admiseris, quas (vt dixi) ingenio tuo excepisti. Negligi sanè & contemni haud poterant, quæ in Te Magistratu principe collucebant; quis peritiam Legum, quis Philosophiam, quis Eloquentiam aspernaretur, quas à puero coluisti, fouisti, & in fastigium perduxisti? Quis cæteras non amanter suspiceret, quarum omnium semina, tuâ capacissimâ Mente recepisti, itura in stirpes & fructus, quoties studio tuo libuerit. Eamobrem quod dignitas tua Priuilegium Libris, hoc ingenium tuum Litteris præstat; vt quemadmodum illi destituti sigillo, vulgares sint atque expositi; ita istæ tibi minùs probatæ, ærariæ sint atque plebeiæ. His Titulis, Vir Amplissime, tibi debetur Historia; at titulo Religionis debetur Historicus, quà publicæ cupidus, quà suæ. Etenim publicam (ea est Christiana atque Orthodoxa) in Ciuilium bellorum turbine, quanto studio quanta contentione animi asseruisti ac vindicasti? Patebant Nouatoribus Ædes, Palatia, ipsa Templa, atque Altaria; irrepebant in plures animos dogmata pernicioſa; Tu domum tuam veluti Sacrarium Fidei occlusisti, Tu à contagio mentem purissimam amouisti, Tu opinione sanctissima præluisti decretis Pontificum, nec sanciuit aliud Romana Ecclesia, quàm quod priuata Themis Te perdocuerat. Sed ea laus sic tua est, vt stirpis sit propria, & maioribus tuis Orthodoxa fides pro anima fuit; adeò cum spiritu Catholicos sensus hauriebant.

riebant. Nec Societatis ſum immemor, in qua vitam dego, quam tibi tantis deuinxiſti beneficiis; in cuius ego inſitus truncum, quamquam vilis & tenuiſſimus ramus; pro minima mea parte gratum animum teſtor; precaturus Numen, vt bona illa tua diuturna perdurent, & quam valetudinem animi corporiſque, Deus rebus publicis prouidens indulſit hactenus, eam in æuum longius ſeruet; ſiſque in ſeculum argumentum Hiſtoriæ. Id, VIR SVMME, *in votis habet & precibus,*

Amplitudinis Tuæ

Addictiſſimus & humillimus
in Chriſto
IOANNES DE BVSSIERES,
è Societate IESV.

AD

AD LECTOREM.

IN hac noua Hiſtoriæ Francicæ editione, haud pauca adiuncta reperies, multa immutata, ſecùs quàm legeris in priore editione. Ita enim res humanæ ſe habent, eáque eſt ingeniorum varia ſentientium diuerſitas, & propemodùm dimicatio, vt veritas ægrè è Democriti puteo eruatur, ac vix vnquam niſi repetito per conatus plures labore, ſub mortalium oculos veniat. Habes etiam in hac editione contractam Epitomen rerum geſtarum à Ludouico XIV. Epitomen inquam, nam ſcribenda de tot præclaris rebus Hiſtoria, maioris eſt operæ, quàm vt eam tam vulgaris Scriptor aggrediar.

Summa Priuilegij Regij.

CAutum eſt auctoritate Regis nouo Priuilegio, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis, libros quoſdam imprimat, ſcriptos à Patre IOANNE DE BVSSIERES è Societate IESV, in quibus recenſetur *Hiſtoria Francica, vel Latinè, vel Gallicè ſcripta*, in nouem proximos annos à die abſoluti operis: mulctâ trium millium librarum indictâ, qui ſecus fecerit, provt fuſius in diplomate Regio continetur. Datum Pariſiis, die 14. Februarij, Anno 1671.

De mandato Regis,

MARGERET.

Digitized by G

Summa Priuilegij Prouincialis.

LAurentius Grannon, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta facultates concessas à Regibus eidem Societati, permittit Bibliopolæ quem designabit P. IOANNES DE BVSSIERES, ex eadem Societate, typis mandare ac diuendere Librum, cui titulus est, *Historia Francica.* Datum Lugduni 20. Aprilis 1660.

Signatum,

LAVRENTIVS GRANNON.

IOANNES DE BVSSIERES è Societate IESV, concessit supradicta Priuilegia, LAVRENTIO ARNAVD & PETRO BORDE, Bibliopolis Lugdunensibus, iuxta pacta cum iis conuenta. Lugduni 1. Iunij 1671.

Series

Series Regum primæ Stirpis.

I. PHARAMVNDVS.
II. Clodio.
III. Merouæus.
IV. Childericus.
V. Clodouæus.
VI. Theodoricus.
VII. Childebertus.
VIII. Clotarius.
IX. Charibertus.
X. Chilpericus.
XI. Clotarius II.
XII. Dagobertus.
XIII. Clodouæus II.
XIV. Clotarius III.
XV. Childericus II.
XVI. Theodoricus II.
XVII. Clodouæus III.
XVIII. Childebertus II.
XIX. Dagobertus II.
XX. Chilpericus II.
XXI. Clotarius IV.
XXII. Theodoricus III.
XXIII. Childericus III.

Series Regum secundæ Stirpis.

XXIV. PIpinus.
XXV. Carolus Magnus.
XXVI. Ludouicus Pius.
XXVII. Carolus Caluus.
XXVIII. Ludouicus Balbus.
XXIX. Ludouicus & Carolomannus.
XXX. Odo.
XXXI. Carolus Crassus.
XXXII. Carolus simplex.
XXXIII. Rodolphus.
XXXIV. Ludouicus vltramarinus.
XXXV. Lotharius.
XXXVI. Ludouicus ignauus.

Reges tertiæ Stirpis.

XXXVII. HVgo Capetius.
XXXVIII. Robertus.
XXXIX. Henricus.
XL. Philippus.
XLI. Ludouicus Crassus.
XLII. Ludouicus Iunior, nomine VII.
XLIII. Philippus Augustus.
XLIV. Ludouicus VIII.
XLV. Ludouicus IX. sanctus.
XLVI. Philippus Audax III.
XLVII. PhilippusPulcher IV.
XLVIII. Ludouicus Hutinus X
XLIX. Philippus Longus V.
L. Carolus Pulcher IV.
LI. Philippus Valesius VI.
LII. Ioannes.
LIII. Carolus sapiens V.

LIV. Carolus Dilectus VI.
LV. Carolus Victor VII.
LVI. Ludouicus XI.
LVII. Carolus VIII.
LVIII. Ludouicus XII.
LIX Franciſcus I.
LX. Henricus II.
LXI. Franciſcus II.
LXII. Carolus IX.
LXIII. Henricus III.
LXIV. Henricus Magnus IV.
LXV. Ludouicus Iuſtus XIII.
LXVI. Ludouicus Adeodatus, XIV.

HISTO

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER PRIMVS.

SYNOPSIS.

Exordium. Gallia antiqua. Qui Franci? Franciæ nomen; Gesta Francorum. Res sub Honorio. Pharamundus. Clodio. Valentinianus Imperator. Clodio Galliam inuadit. Francorum arma. Ætius quis? Clodionem vincit. Merouæus Rex. Attila victus. Chilpericus Rex. Ægidius Rex Francorum: Idem pellitur: Childericus restituitur. Arbogastes Francus. Sancta Genouefa. Clodouæus Rex; Siagrium vincit. Burgundi in Gallia. Clotildis sponsa Clodouæi. Clodouæus Christianus. Sacra Ampulla. Lilia Francica. Gothi qui? Theodoricus agit cum Clodouæo. Burgundicum bellum. Alaricus cæsus. Inculisma capta. Anastasij legatio. Clodouæus Arelate pulsus: Morbus; iniquè gesta; Mors. Succedunt quatuor liberi. Bellum in Thuringia. Burgundicum bellum. Sigericus & Sigismundus occisi. Clodomiri cædes. Sancta Radegundis. Clodomiri liberi. Bellum in Thuringos. Charibertus Aruernos inuadit. Clotildis iunior malè

habita, euocat Childebertum. Theodebertus Theodorico succedit. Pugna contra Clotarium, miraculo disiecta. Fratres secundùm in Hispaniam. Theodebertus in Italiam. Theodeberti mors. Clotarius in Saxones. Chramnes captus, cæsus. Clotarij mors.

HISTORIAM scribo Gentis in vniuerso Orbe percelebris; quis enim populus Francos nescit? rebus plenam, varietate iucundam, mirificam subitis conuersionibus; in qua Diuinæ Prouidentiæ non tam lusus, quàm amor pateat; in qua demùm inexhausta nouitas tædium auferat, & euentuum dignitas legentem erudiat. Sanè in rebus Francicis admirabilis Terræ & Cœli mistura est; vt inde humana consilia & humanæ cupiditates, regnum exagitent, concutiant, & propè euertant; hinc Diuina Mens, mortalium artes, aut regat, aut flectat, aut omninò disijciat; vt si qua in scena dictum olim sit, *Deus è machina*; in rebus Francicis vsurpandum sit maximè. Accedit ad amplitudinem, quod Francorum Historia infunditur in Europam totam, vt illam scribenti accuratiùs, in omnium gentium Annales & consilia peruadendum sit. Et quemadmodum Francus omnium prope gentium ciuis est; nusquam tam amans patriæ, quin natio quæuis quam cœperit incolere, pro patria sit; ita qui de eo scribit, populos omnes pro suis habeat, huicque sit veritas, quod illi vtilitas, pro solo patrio, & suorum amore. Ea mente atque consilio, Opus suscipio difficile quidem & arduum scribenti, sed legenti, si Deus fauerit, tam iucundum quàm vtile.

I. *Gallia antiqua.* Gallia inter Europæ prouincias, amplitudine, frugum vbertate, incolarum frequentiâ, nulli inferior, limites habuit à natura, qui ferociſſimam gentem intra fines certos concluderent, & ab aliis sciunctam populis, non tam illi quàm ipsis consulerent. Sic limites, montes & maria, & fluuius pelagi instar, quæ cupiditates humanas coërceant; tam effusi, tam alti, sic in nubes erecti, vt viderentur nullâ vi, nullo conatu posse superari. Nam quis Alpes, quis Pyrenæos montes perfringeret? illæ ad Ortum eminent; isti ad Meridiem; quis præternauigaret gemina maria? at Mediterraneum, intercludit exitum, quà regio in Austrum porrigitur; Oceanus verò latissimo ambitu terras stringit, ad Occasum & versùs Boream; vbi Rhenum amnem sic excipit, vt admittat in aquarum consortium; & eundem quà ad solem orientem defluit, sic vndis tumidum, fluctibúsque præcipitem, vt diu nationes bellicosissimas, Germanos & Gallos, suis quamque terris constrinxerit. Eos tamen limites perruperunt Galli, & supra nubes vecti in Alpium iugis conscendendis, se in Italiam effuderunt frequenter, in Græciam haud rarò, atque vltra in Asiam irruentes, prouincias plures diripuerunt, & fixis sedibus ad gentis laudem & commodum, inter Græcos tunc rerum dominos, Galatiam constituerunt in Asia, atque inter Romanos, mox Orbis imperium assequutos, Cisalpinam Galliam condiderunt,

Italiæ

Italiæ partem ampliſſimam & feraciſſimam. Verùm quod fuerat commodo, vt res humanæ ſunt, incommodo fuit: Galli per eaſdem Alpes quas ſuperauerant, hoſtem admiſerunt; in eas Romanis ſcandentibus, atque in Galliam volatum Aquilæ porrigentibus. Id tentatum ſæpius Iulius Cæſar confecit, qui pro materia triumphorum, & ad regnum gradu, Gallos ſibi deligens, eos per nouem annos profligauit & domuit, & poſt eos tam difficilè victos, quaſi curſim reliquum Orbem ſubiecit. Ab eo trifariam Galli diuiſi, in Belgas, Celtas & Aquitanos: poſtea Auguſtus quadripartitam Galliam fecit: nam Belgica erat Sequanam inter & Rhenum; Celtica ſiue Lugdunenſis, à Sequana deducta ad Rhodanum, & per Ligerim diſtincta ab Aquitanica; hæc ad Oceanum & ad Pyrenæos porrigitur: tum denique Narbonenſis, quæ latè protenſa ad Mediterraneum, ad Gebennam montem, & ad Garumnam amnem excurrebat. Regio itaque tam populoſa quàm ferax, à Romanis Magiſtratibus regebatur; donec Borealibus gentibus, inſtar examinum in Europam totam effuſis, ſimul Gallia impeti cœpit atque inuadi. Iámque in eam irruperant, & ſtabiliuerant ſedes Gothi & Burgundi, de quibus plura dicam, Romanis expulſis, & Franci Rheno ſolùm diſiuncti ſe ad eandem cupiditatem adiecerant, atque conatum ad traijciendum amnem adhibuerant. Qui autem Franci hi fuerint, inquirendum eſt; vt noſtræ propagationis originem, quantùm ſinit rerum veterum caligo, aperiamus.

II. *Franci qui?*

Sed facilius inquiritur illa, quàm inueſtigatur, in confuſis illorum temporum tenebris; quibus cùm omnia perturbarentur, Barbaræ gentes Imperium Romanum ſcinderent, nihil in Europa fixum, nihil firmum ſtaret; an mirum, ſi minus accuratè explorati ſint auctores malorum, in quibus repellendis vna erat cura & cogitatio? Primùm non placet, quod Poëtæ noſtri arripuerunt, arceſſere Francos à Troianis, per Aſtyanactem filium Hectoris, cui Francionis nomen comminiſcuntur; quem auctum ſociis Troia deducunt ad Paludem Mæotidem, ibíque condentem vrbem Sicambriam: vnde cunabula gentis ferociſſimæ; & appellatio, quæ deinde in Germaniam, mox in Galliam penetrans, extinctam in parentibus gloriam ſuſcitarit in poſteris. Quaſi Romanorum æmuli & victores, in iiſdem cunis naſci voluerint, & parum ſit geſtis eſſe nobiles, niſi & ortu ſint. Non aberrant tam longè, qui eos à Sarmatis & Scythis euocant, vt in illa populorum eluuione, inundantium in terras vberes, Franci vndas in hoc pelagus inferant, ſuóſque habeant agros quos obtruant. Sed hoc incertum, nec coniecturis vllis ſtabilitur. Falsò etiam petuntur à Batauis; hoc vno argumento, quod Franci apud Sidonium natatu celebres, & expeditionibus maritimis clari, claſſe in Hiſpaniam delati, eámque vaſtantes, videantur admodùm cum Batauis noſtris conuenire, quibus naues Penates ſunt, patria Oceanus, & ipſe palmarum ferax. At eos quidem Batauiam forſan inuaſiſſe crediderim, & oram illam maritimam, vnde ſoluerint expeditæ claſſes: gentem verò numeroſiſſimam ex anguſto ſolo totam prodiiſſe, non eſt quod affirmem. Veroſimilius eos Gallia ſibi vindicaret, & agnatos longâ ſerie annorum auulſos à ſtirpe, illi reſtituens, poſtliminio redditos

Non Troiani.

Non à Scythis aut Batauis.

Neque à Gallis.

in familiam ſuam inſereret. Non enim ambigit, quin olim colonias in plures terras emittens, Boios ſuos in Germaniam fuderit : qui à Rheno ad Albim poſitis ſedibus, eos genuerint, à quibus patrio nomine dicta eſt Boioria, & nouo Franconia, ob ſtudium libertatis : quíque deinceps, arcano ductu naturæ, Galliam & expetiuerint votis, & armis tentarint, patriæ vel repugnanti reddituri ſobolem generoſam. Eámque opinionem fulciunt inſtituto Francorum, qui velut alienum ſolum incolerent, ab reliquis Germanis diſcrepantes armis & ſtudiis, ſuis dumtaxat auſpiciis militarent, neque vllam rem aduerſam aut proſperam, participatam vellent cum aliis. In eam ſententiam tametſi plures iuerint, & olim ego cum pluribus ; tamen in præſentia Cluuerio aſſentior, in quem etiam inclinat Vignerius, vt Francos non longius vocandos, quàm ab ipſis Germanis cenſeam ; & ſi aliunde non conſtat, penes poſſidentem ſit præiudicium. Exiſtimat autem eruditus Scriptor, Francos ſimul exortos eſſe, atque Alemannos ; non gentes in Germania nouas, ſed veteres, quæ ob noua conſilia, nouas appellationes ſortitæ ſint. Quippe Germaniam cùm populi numeroſiſſimi, à Cimbris, Scythis & Sarmatis progreſſi partim obtinuerent, partim appeterent ; præterea Romani Imperatores non ceſſarent bello vexare ; ea ſe in nouum & antiquum hoſtem communiens, plures regiones compegit in vnam Rempublicam, quæ coniunctis viribus animiſque, ex diuerſis membris efformaret corpus validius, ad retundendam vim & ad inferendam, magis quàm ſinguli artus idoneum. Néue autem corpus illud maius & amplius foret, quàm vt regi poſſet, cùm rarò diffuſas corporum moles par agat animus ; placuit totam Germaniam in duas partes diſpeſcere ; quarum altera Franciam conſtituit, Alemanniam altera ; vtraque nomen nouum ex ſocietate noua, adſciſcente. Sic Franci facti ſunt, Bructeri, Chamani, Anſinarij, Chati, & Salij, qui incolebant regiones Rhenum inter & Albim, ad Occaſum verſas. Ex quibus ſit facile Franciæ limites in Germania ponere ; qui fuerint Oceanus à Septentrionibus ; ad Occaſum idem cum Rheno amne Oceanus ; ab Ortu Albis & Sala ; à Meridie fluuius Nicer, per quem ab Alemannis dirimebatur. Quæ noua rerum & animorum ſocietas, vt nouo etiam nomine inſtaurata libertatis ſtudia deſignaret, ſe Francos dixere ſeu liberos ; nam linguâ Germanicâ, *thi Francon* liberum ſignificat ; vnde tota illa quam incolebant regio nuncupata eſt Francia ; quæ & Sicambria eſt appellata, & Franci Sicambri, ab vrbe Sicambria, in eo tractu iam olim poſita. Inde etiam eruitur appellatio geminæ Franciæ itidem gemina, Orientalis & Occidentalis, Tranſrhenanæ & Ciſrhenanæ ; poſtquam Franci tranſmiſſo Rheno in Galliam inuaſerunt ; Franconiæ ſimiliter nomen ab iis eductum, & in eam tranſmiſſum prouinciam, in qua hæſere Franci Germani, qui ſolo contenti patrio, non tranſierunt in Galliam. Porrò Francorum nomen cùm petendum ſit à Romanis ſcriptoribus, id primò ſub Valeriano Imperatore innotuit, circa annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum quintum, quo dicuntur in Galliam irrupiſſe. Nam fortiſſimi viri & audaciſſimi, numeroſiſſimâ iuuentute, gnari nuſquam validius repelli hoſtem, quàm ſi impetatur,

A Germanis petendi.

Francia fines & nomen.

Francorum geſta.

impetatur, simul Galliæ vberrimum solum appetentes., iam à primordiis condictæ societatis, in vicinam Galliam cupiditatis admouebant oculos, in qua, vno duntaxat amne transmisso, & hostem amouerent, & commodas sibi & posteris sedes stabilirent. Conatus igitur per plures annos in eam rem adhibitus, cùm Romani eos vel armis obiectis arcerent à transitu, vel transgressos pellerent, & in Franciam suam retruderent. Vario euentu per ducentos propemodùm annos, gens bellicosissima vicit & victa est; iuxta Romanorum Cæsarum vel socordiam vel fortitudinem; vt istis ignauis illa præpolleret; bello illustribus, & Imperij vires reuocantibus, recipere se in pristinas sedes cogeretur. Inde capto à Persis Valeriano, dum filius Gallienus, totum se ignauis voluptatibus tradit; Franci Galliam diripiunt, penetrant in Hispaniam, eámque post Tarraconem vrbem expugnatam, per annos duodecim deprædantur. Tenuítque hæc vastitas, donec repressa est à Probo Imperatore fortissimo, per Legatos suos Francum vincente. At victi resurgunt validiùs; paucis eorum in Asia impunè grassantibus, deinde in Græcia, & fulgetri instar Siciliam inuadentibus, captis Syracusis. In hac rerum alternantium varietate Franci peruenerunt ad Honorij tempora, partim ducibus, partim Regibus obtemperantes; iam ab initio Monarchiæ formâ constitutâ, quam mox per tot secula intemeratam seruarunt, semper vnius ductui se regendos tradentes. Accuratius autem Honorij tempora sunt perspicienda, ex quibus velut ex Trojano equo bellatores, ita plura repentè regna exorta sunt, Francicum maximè, statim ab infantia in robustam ætatem prouectum.

III. *Res sub Honorio.*

In ruinam vergebat Romanum Imperium, à magno Constantino, Christi fidem amplexo, mirificè quidem propagatum, instauratâ veterum Triumphantium gloriâ: sed illicò statim diuulsum à filiis, per hæresim Arianam penè depositum, & bellis intestinis externo hosti ad prædam obiectum. Illud per plura capita deuolutum in præceps, peruenit ad Theodosium, qui Cæsarum nemini inferior fortitudine, pietate & religione cunctis superior, Romanam laudem consenescentem & iam decrepitam, infuso vigore quodam adolescentiæ, ad iuuenile robur reuocauit. Hic moriens citiùs, quàm postularet stabilienda confectarum rerum felicitas, duobus filiis Arcadio atque Honorio, hæreditatem dedit Imperium, non virtutem; qui ratus vnum ferendæ moli tantæ imparem, duos illi subiecit æquâ potestate; partitus orbem terrarum in Imperium Orientale, quod Arcadio maiori natu assignatum; & in Occidentale, quæ pars Honorij: atque attribuit cuique liberorum, suum veluti Tutorem & rerum Administrum, Rufinum Arcadio, & Stiliconem Honorio. Verùm vt incerta est hominum prudentia, qui suffecti erant ad fulciendum Imperium, ij ad euertendum illud connixi sunt, abusi Cæsarum adolescentiâ, & ambientes fastigium, vnde propiùs aberant. Ideò ad res perturbandas, Barbaræ gentes partim excitæ, partim sponte concitæ ad certissimam prædam. Gothi iam à Constantini temporibus, per varias clades repressi identidem, nunc liberius vtriúsque Imperij limites perrumpunt; euocati à Rufino, & à Stilicone, hostem parantibus, à quo victo sibi gradum ad

Imperium sternerent. Simul Burgundiones, ex Germania progressi, in Galliam penetrantes, Hæduos inter & Sequanos, ad Ararim & Rhodanum amnes, domicilia fixerant. Gothi haud multò post, per Romam captam, & oppressam Italiam, in appendicem victoriarum, in Narbonensi Gallia considunt, Pyrenæos transeunt, & Tarraconensem Hispaniam sui iuris efficiunt. Iis in Hispania ad partiendam prædam adiunguntur Alani & Vandali, simúlque occupant feracissimas terras, quas appellant de suo nomine, ne periret vnquam memoria vincentium: nam Gothalania, regio dicta quæ in Tarraconensi Hispania, ad Mediterraneum mare, ad Iberi fauces porrigitur; & à Vandalis Andalusia, quæ prius Bætica, ad Bætis ostium, & ad Oceanum protensa; vtraque gemina vbera Hispaniarum, mercaturâ & feracitate. Nec Britannia cladium expers, quanquam penè ab Orbe diuisa, Scotis & Pictis latè grassantibus, regnóque sedem inter Oceani fluctus ponentibus. Inter eos Franci supererant, quos opportunitas & exemplum, & diu iam concepta cupiditas, euocabant vltrà Rheni ripas. Iam appliciti ad eum propius, & experti vbertatem Galliæ, ad eam obtinendam de traiiciendo amne deliberant: ne vno fluuio excluderentur, qui per maria traiecta & longinquas nauigationes, sæpe hostem quærentes quem vincerent, tam sæpe optato bello, speratísque palmis præluserant.

IV. PHARAMVNDVS.

Eam in rem plerique in Annalibus nostris, Pharamundum primum Francorum Regem constituunt: nullâ ratione cur primus sit, cùm vltrà Rhenum in Francia plures regnum ante Pharamundum tenuerint, nec ipse cis Rhenum Franciam in Gallia, quod in votis maximè erat, locauerit. Melius Reges nostri à Merouæo inciperent, à quo stabilia regni fundamenta, & filij longâ serie ad regendum nati. Ego ne discedam à pluribus, à Pharamundo incipiam. Ille Varamundus etiam dictus & Pharamodus, Marcomeris filius, & nepos Sunnonis, quanquam hunc aliqui patrem non auum faciant, in regnum à Francis assumitur; sanè non primus Regum inter Francos; qui enim præcesserant, eum vsurpauerant honoris titulum. Passim scribitur regnum iniuisse, anno post Christum vigesimo supra quadringentesimum: à quo anno Franci statuunt Monarchiæ suæ originem; instar clarorum amnium, ex tenui fonte, & propè incomperto colligentium vndas, & perpetuo cursu fluentium. Agebat tum Rauennæ Honorius Imperator, imò per summam ignauiam delitebat, de salute magis quàm de Imperio solicitus, in angulum Italiæ compulsus, post Galliam & Hispaniam propemodùm amissas; Imperium abiiciens, vt Imperatorem seruaret. Pharamundus verò quam primùm regno est inauguratus; haud inscius quid à se potissimùm Franci exigerent, de Rheno transmittendo cogitat, déque Francia sua transportanda tandem in Galliam. Eam propugnaculum firmum muniebat ciuitas Treuirorum, ad ripam amnis erecta; quam Romani Imperatores, ipsi plerique, per legatos alij, semper insederant, ad Francorum molitiones nouas compescendas. Postquàm Honorius Imperium, non tam moderabatur, quàm dilapidabat, Treuirorum vrbs præsidio tenebatur admodùm infirmo; vnde Francis facta sæpe audacia

Rhenum transit.

cia irrumpendi, & molem oppositam votis euertendi. Et verò Saluianus, ille sanctissimus circa hæc tempora, & Christianus in calamitatibus deflendis Ieremias, asseuerat Augustam Treuirorum, vrbem primariam opulentiâ & nobilitate, tertiùm captam à Francis, incensam, & euersam; ciuibus aliis peremptis, quà ferro quà igni, raptis aliis in miseram seruitutem. Assentior autem Adriano Valesio, Scriptori eruditissimo, & rerum Francicarum peritissimo indagatori, existimanti tertiam illam vrbis expugnationem in Pharamundum incidere; quem vero est simile regni primordia facinore quopiam decorasse, in se traducta perdifficili expeditione. Quod vt verum puto, ita censeam non hæsisse illum in Gallia, neque in vrbe capta fixisse locum certum: quod ex eodem Saluiano conficitur, querimonias instaurante, quod Treuirenses, cladis reliquiæ, in miseriarum solatium, flagitauerint ab Honorio & Constantio Imperatoribus, Ludos Circenses; tristem pompam & lugubrem, in parietinis incendio deformatis. Anni inter hæc transiguntur octo, quibus Pharamundus regnasse dicitur; dum amnem transmittit, vrbem amplam capit; rursum vltra amnem depellitur, & in nouum transitum neruos omnes intendit. In quem putem bellicosum Regem curas & studia impendisse potius, quàm in leges condendas; cùm is Martis ardor legum curam excludat; quæ pacis sunt fœtus, & regni iam stabiliti optata soboles. Salicam igitur cum laudato Valesio transmittamus in Galliam; vbi auspiciis felicioribus, à Clodouæo, rebus gestis magno, & religione maximo, originem illustrem repetet. Pharamundus igitur inter eas curas diem obit; de liberis relictis Cleuo, & Cludio siue Clodione, incertum est. Sanè is debuit supra maiores esse insignis militari laude, à quo Franci vno seriem suorum Regum inceperint; vt fortitudine præstet in paucis, qui fortissimorum inter Principes Regum agmen ducit.

PHARAMVNDVS.

Pharamundo Annales Clodionem sufficiunt. Nec satis constat, è quo natus Clodio, quem & alij Clodium, Chlogionem, & Cloionem nuncupant. Assentior pluribus, vt Pharamundi sit filius; id enim diu moris Francis erat, vt quanquam ipsi Regem sibi eligerent, à quo ducerentur in bella; tamen si Regi mortuo filius esset aptus ad regimen, hunc præ aliis optarent, sibique volentes præficerent. Huic Comati, siue Criniti agnomen datum est: non quod primus effusam comam aluerit, id enim passim vsitatum Francis; sed forsan, quod amplissimam & splendidissimam supra alios Reges nutriuerit, aut modum quendam in porrigenda cæsarie aliis dederit; vnis Regibus permissa amplitudine; cùm è coma promissa & pexa exurgat decor non modicus. Is continuò in regnum assumptus, patrum voluens consilia, de Gallia inuadenda, vt ea perage-rentur consultius, sagaces mittit exploratores, qui indagarent Romanorum vires & vigilantiam. Interea ne otio Franci torpescerent, vtque bello haud arduo ad difficilius incenderentur, castrum oppugnat in Thuringis, cui nomen Dispurgum; eóque capto, & post reditum exploratorum, pronis omnibus ad expeditionem Gallicam, eam indicit copiis. In Romanos maximè vertebatur vis belli. Ii Galliam Belgicam obtinebant, à

V.

CLODIO REX.

Anno Christi. 428.

Rheni

CLODIO.

Rheni citeriore ripa ad Ligerim ; trans Ligerim Visigothi Aquitaniam latè possidebant ; Burgundiones ad Rhodanum porrigebant imperium, Narbonensis Gallia partim Romanis, partim Visigothis obnoxia erat. Romanos suæ res in Italia distinebant. Postquam Honorius viuere desiit, & sine liberis quidem, Occidentis Imperium occupantem vocabat. Neque is defuit. Ioannes Quæstor magnus, quasi abdicatam hereditatem inuadit Purpuram, séque Barbarorum auxilio in Theodosium communit. Quippe Placidia, orto eam inter & Honorium fratrem iurgio, confugerat ad Theodosium, nepotem ex fratre, Orienti imperantem, abducto simul Valentiniano puero, quem ex Constantio, Imperatore dicto, susceperat. Beneuolè à Theodosio excepta, ab eodem post fratris obitum, filio Valentiniano, decurrenti octauum annum, Imperium Occidentis impetrat, & simul copias quibus Ioannes solio deiiceretur. Et deiectus est quidem per Ardaburium ; sed in belli ciuilis Hunni, Gothi & Vandali societatem exciti, patrimonium Cæsaris miserè disperdebant, dum id ipse inuasum ab alieno reciperet. In ea igitur perturbatione, Clodio selectum militem ad Rheni fluenta admouet, móxque amne transmisso, in opposita ripa, disiecto hoste componit. Statim Gallos metus implet, Francos audacia, qui felici euentu fortitudinem augente, nullo obice peruagati Belgium, multis vrbibus captis, locum regno & genti constituunt. Neque is in Tungris, vt affirmant aliqui, qui in Brabantia habitabant, Leodium inter atque Louanium ; sed pergentes vlterius, Carbonariam occupant syluam, quæ Arduennæ pars est, inter Mosam & Scaldim ; Tornacum & Cameracum capiunt, atque ad amnem Somonam, omnia vastant, occupant, & fixi insident. Dubium inter Auctores qua in vrbe Clodio domicilium, & maiestatem regni defixerit ; an Samorobrinæ, quod Ambianorum est oppidum ; an Cameraci siue Camaraci, quæ vrbs videbatur commodior, vnde in regionem subactam vigilantia Regis intenderet. Atque abs re non erit, paucis Francos exscribere, & eorum arma, vt eruditè à Sidonio Apollinare pinguntur. Quippe homines staturâ celsâ & procerâ, rutilante flauo colore cæsarie, quæ à fronte in summum verticem reduceretur, ne fortè obiecta oculis hostem occuleret ; cæruleus in iis color, pro fulgetro erat fulmen vibrantibus ; nihil pilorum in toto ore extabat, rasis accuratè genis & labiis ; è mento duntaxat ad decorem sexus, barba tenuis pendebat, in cristas digesta, & studiosè depexa ; ceruicem lacteam, nec pili inumbrabant, nec vestis tegebat : quæ & vestis ad modum ampli corporis strictior, membrorum molem porrigebat magis : artubus quanquam longis mira alacritas, expeditis ad cursum, ad pugnam validis, ad arma tam promptis, vt quocunque se verterent, ea non oneri, non incommodo essent, sed quasi à Natura mẽbris ipsis affixa. Quippe à cunis arma infantes tractabant pro ludicris, ad manum semper hastulæ atque ensiculi, quibus crescentibus ad incrementa corporum, non premebantur iam viri. In dimicando celer pernicitas, ad vincendum firmitas, ad moriendum immobilis. Arma porrò ad regendum corpus pauca & leuia, capitis & cruris nullum tegumentum, nulla lorica, arctum duntaxat scutum, quibus salutis

Valentiniani Imperator.

Clodio Gallias inuadit.

Ardennes.

Ambianis.

Francis veteres.

cura

cura admodùm tenuis, tota ad victoriam versa; ad quam parandam plura anna erant; ensis breui capulo, ango, & bipennis; nulli arcus, sagittæ nullæ, aut fundæ: angones pro iis erant; hastæ scilicet mediæ magnitudinis, ferreis obtectæ laminis, præter imam partem, vncis deorsum incuruis vtrinque prominentibus ex summo spiculo, quas in hostem propè intorquebant, viribus robustis, dirum vulnus ferentes, quod in membra penetrarent altiùs, & propter vncos reuelli non possent. Ita nusquam pugnabant eminùs, aspernantes victoriam, procul, & telis, leui periculo paratam; ipsi pro iaculis in hostem infusi: bipennes præterea & secures gestabant, ad perfringendos armorum obices, & corpora latioribus plagis diffindenda. Equis rarò nisi principes viri ad prælium ibant; quibus pernicitas equi vsum implebat, vt plerumque missa hastilia cursu occuparent, & hostem bipennis prius quàm ango ferirent. Tamen ad inuadendum celerrimi, ad fugam scopuli, æquo animo appetebant mortem, si iniqua fors foret; metus planè nescij, ambientes victoriam, mortem amplectentes, si illa abesset. Denique vnum genti otium, studium vnum, ars vna, pacem ad bellum componere, in bello regnare, & adipisci votorum cumulum. Eiusmodi homines considebant in Gallia, iámque vltra Somonam cupiditatem pellebant; cùm tandem Ætius, ad eos compescendos, solutus hostium impedimentis, aduolat ex Italia. Præstat autem quis ille foret dignoscere, à quo agger victrici genti & exundanti obuertus est.

CLODIO. *Francorum arma.*

VI. Dota. *Ætius quis?*

Ætius vir tam claræ fortitudinis, quàm diuersæ fortunæ, Durostori natus est, quod oppidum erat Mœsiæ inferioris, nunc pagus in Bulgaria; huic pater Gaudentius, militia inclytus, sub Honorio Equitum Magister, per seditionem militum in Gallia interemptus; mater Italica, ex opulenta Romæ familia Hunnis datus obses, conciliatâ eorum amicitiâ, sibi ad res nouas opem parabat, & perfugium, si fortuna deficeret. Statim post Honorij mortem, Ioanni se adiunxit Imperium vsurpanti, Hunnis in auxilium eius accitis. Deinde Ioanne aquis mersо, cum Placidia redit in gratiam, & persuasis Hunnis vt regrederentur, Comes dicitur, atque haud multò post, Magister militum, educatus in castris, dux tam peritus quàm fortis. Multa præclara pro Imperio gessit, sed cùm parem laude ferre non posset, grauissimum vulnus inflixit Imperio, quod multos per annos curationem omnem exclusit. Quippe inuidens Bonifacio, præclaro duci, Africam administranti, eum dum ex Africa per Placidiam reuocat, & ipsa Africa Imperio detrahitur, & infensissimis hostibus traditur. Nam Bonifacius, ne vberrimam prouinciam relinquat æmulo, Geisericum Vandalorum Regem arcessit ab extrema Hispania, & ducentem octoginta bellatorum millia, Vandalos atque Alanos, admittit in Africa; immanitate tantâ sæuientes, vt diris in Christianos tormentis, diu barbara crudelitate grassati sint. Nihilominus, proditione clam habitâ, à Placidia & Valentiniano Magister Equitum dicitur, Ætio abdicato, tunc pro Imperio Francos & Noricos pellente è Gallia Contumeliæ impos Ætius aduolat, & prælio commisso, Bonifacio graui plaga saucio, vincitur, & fugâ saluus, ad Hunnos suos confugit. Non diu apud Barba-

CLODIO. ros hæsit, quos audita Bonifacij morte, reducens in Italiam, pugnâ in Sebastianum illius generum, qui peremptus est, feliciter profligatâ; eámque per victoriam reconciliatus Valentiniano & Placidiæ, recepit Magisterium militum, & præterea Patriciam dignitatem; iam non tam Imperatori vtilis, quàm metuendus. Ille postea, & Hunnis suis fretus, quorum copias ad nutum habebat, & fortitudine suâ, quam per euentus tot varios adiunctâ prudentiâ corroborauerat, post multa præclarè gesta, venit cum exercitu ad repellendos Francos, qui Rege Clodione, iam in Gallia radices fixerant. Neque ausus victores iusto statim prælio aggredi, captat occasionem, qua incautos offendat, & præsidentes ex insidiis opprimat. Clodio Romanorum exercitu nusquam perterritus, in Atrebatenses militem duxerat, palmas propagans, & noui regni limites. Confederat non procul à vico Elena, quem Hesdinum vetus cum Sauarone plures putant, melius, vt arbitror, Valesius, Lensium ad Deulam castrum in Atrebatium finibus, quibus Cameracenses attingunt; eóque in loco, de hoste securus, nondum se vsquam commouente, ad hilaritatem traducitur, paulò liberius quàm præstaret. Nam vno ex Francis ducibus, virginem eiusdem gentis in sponsam ducente; (nam Franci Germanorum instar coniuges simul in bellum trahebant, cæterámque familiam) & toto exercitu in epulas effuso, & in nuptialem licentiam soluto; dum plures vagantur extra castra, sponsámque matronæ pluribus plaustris per agros vehunt, gestientes gaudio atque exultantes: Ætius irrumpens improuisus, vagantium agmen capit aut cædit, sponsam & matronarum plaustra sui iuris facit, atque hærens fugientium tergo, in castra conturbata inuadit, ex iisque captis Francum expellit. Sic non benè Marti cum Venere, neque in bello versanti, vsurpanda sunt pacis gaudia. Satis fuit Ætio Francum repressisse, & victoriarum cursum abrupisse; neque vltra institit, in prouocanda fortissimæ gentis ferocia, qui aliò vocabatur. Neque per eam cladem depulsus est Clodio nouo suo regno: imò conciliata cum Ætio pace, occupatam regionem obtinuit; verè conditor Francici Regni in Gallia; quod per annos viginti, incœptum in sua Francia, prorogatum vltra gessit feliciter; vna illa nuptiarum clade edoctus; bellicam felicitatem nullam tutam ab infortunio, quam non tueatur solicita vigilantia.

Clodio ab Ætio vincitur.

Lens.

Anno 438.

Clodio in Gallia haret.

VII.

MEROVÆVS REX.

Anno Christi 448.

E viuis rapto Clodione, in regnum euectus est Merouæus, Merouecus dictus, & Mereueus. Dubium an Clodionis filius fuerit, an tantùm affinis; variis Auctoribus vtriusque sententiæ. Sanè constat ab eo deinceps familiam regiam propagatam, & stirpem enatam, qua Reges dicti sunt Merouingi, aut Merouæi; illustri trunci gloria, ramos tam vberes producentis. Et ij dicuntur non cæsariem tantùm, sed prolixiorem barbam aluisse; in qua fortitudinis & maiestatis signum reponebant. Atque falsum est quod de iis Regibus scribit Auctor Græcus, pilos habuisse in dorsi spina, setis suillis consimiles; quod fictum est à Longobardo scriptore, in gratiam Caroli Magni, ex diuersa stirpe regnantis. Porrò Merouæus, sub incœpti regni primordia, in partem ardui & periculosi belli vocatus est, irrumpente

pente ad inuadendam Galliam Attila. Ille Rex Hunnorum. Hunni autem gens Scythica, olim inter Pontum & Caſpium maria, ad Caucaſi Borealem partem, non tam habitans, quàm latens. Ii Valente Imperium tenente, iam Gothis & Vandalis repagula ſua frangentibus, quaſi eodem exciti ſidere, numeroſiſſima iuuentute, ex latibulis ſuis prodeunt, atque accedunt ad Paludem Mæotidem: quam audacter tranſgreſſi, & ad Tanaïm Alanos aggreſſi, primùm victos, dein ſocios, ſibi in ſpem victoriarum adiungunt. Mox vlterius in Europa penetrant, & Danubio tranſito alternâ viciſſitudine victi & victores, tandem in ſuperiore Mœſia ſedem ſimúlque regnum conſtituunt, ea in regione, vbi nunc Boſnia & Seruia, ad Thraciam porriguntur. Poſt aliquot Reges, regnum peruenit ad fratres Attilam & Bledam, qui Roæ patruo ſuccedunt; maioribus non inferiores bellica fortitudine, & rapiendi ſæuitia. Iam Orientis Imperium, in Thraciam & in Illyricum effuſi diripuerant atque exhauſerant, cùm in Occidentem conuerſi, nouam rapinis cædibúſque materiam furori ſuo ſubſtituunt. Verùm Attila, maior audaciâ, vt eam magno flagitio roboraret, in Bledam fratrem conſpirat, & inſidiis interceptum perimit, ne conſortem haberet regni quod parabat, aut ſocium in inferendis calamitatibus, quas adſtruebat humano generi. Ille igitur, qui proſperis euentis tumidus, & conſcius improbitatis proiectæ ad omnia crimina, nuncupauit ſe Flagellum Dei, graſſari permiſſus ad Chriſtianorum plectenda flagitia, poſt Theodoſium vexatum, & Conſtantinopolim ad extrema actam, Romam, Italiam cæteráſque prouincias in prædam deſtinat; arceſſitus ab Honoria ſorore Valentiniani. Illa ab Eugenio Procuratore ſuo fœtu furtim concepto, ignominiosè vt par erat, Palatio expulſa, & concluſa in priuata domo, Eugenio interfecto, ardens vindictâ & cupiditate licentiæ, clam ad Attilam ſcripſerat, nuptias offerens, & implorans vindicem libertatis. Is autem poſtquam Honoriam à Valentiniano non impetrat, bello prætexens quod iuſtè negabatur, magno exercitu verſus Germaniam tendit. Deſtinauerat quidem in Italiam ſtatim irrumpere; ſed vt id ſecurius præſtaret, ſolicitauerat Theodoricum Viſigothorum Regem in Gallia, vt communi Marte hoſtem communem ſimul aggrederentur; ac dum ipſe in capite Italiam ſubigens, Romanos perderet, Imperiúmque conuelleret; Theodoricus Ætium in Gallia validè impeteret, tam auguſtæ prædæ venturus in partem. Id ſubodoratus Ætius, qui nuper de Noricis victoriam reportauerat, ſedula legatione Theodoricum in ſuas partes traducit, ſimiliſque opera Merouæum Francorum Regem conſociat, Alanos pariter in conſortium vocat; vt armis coniunctis, belluinum hominem ſingulorum hoſtem, & mortalium luem, pro vitibus à capitibus ſuis depellerent. Iam enim ad Galliam ſe verterat Attila, per Pannoniam atque Germaniam, ad Rhenum accedens. Quippe à Theodorico repulſus, audienſque Ætium conflare exercitum, vt eo profligato ſecurior Italiam tandem inuaderet, ſimul vt à Theodorico repulſæ pœnas exigeret; in eum præterea concitatus à Geiſerico Vandalorum Rege, pleno furore ruebat in Galliam. Ducto per Hercyniam ſyluam itinere, ad tranſitum Rheni grandes arbores aſportauerat, quibus ad

MEROVÆVS.

Hunni qui?

Attila Galliam vaſtat.

MEROVÆVS.

cymbulæ formam excauatis, totum vltra traduxit exercitum; quem accedentibus Germanis plurimis ad quingenta militum millia auctum esse scribunt: nimirum vt furori par esset potentia, & suppeterent ad perdendum Orbem instrumenta. Ætius quanquam nulli diligentiæ, nulli solicitudini parceret, nondum copias suas ex tam diuersis capitibus valens contrahere, liberam excurrenti fecerat Galliam, Theodoricum arcessens solicitè, & vnam vrbem Aureliam tenens, per quam defenderet Transligeranas prouincias. Neque parcè Attila vsurpat factam potestatem, Treuirorum vrbe vastatâ, per Mediomatricos in Celticam flexus, & Rhemos inuadens, vrbes obuias, quà vi captas, quà dolo, (nam hunc peritè illi subtexebat) Diuo-

Mets.

durum, Rhemos, Antissiodorum, aliásque barbarâ crudelitate diripuit, cæsis ad aras promiscuâ cæde tam fœminis, quàm imbellibus pueris.

Troyes.

Attamen Tricassiis Lupi Episcopi sanctitas mitigauit furentem, dum per vrbem transit innoxius, Deo qui permitteret malum in criminum pœnam, in virtutis præmium extorquente bonum. Sic Hunnus sæuissimus vastitatem inferens, Aureliam venit, transmissurus ponte in ea Ligerim, vnde totus in Theodoricum irrueret. Aureliam præsidio Ætius muniuerat, eámque omni milite fortior propugnabat sanctimoniâ clarus, Annianus Præsul, qui sedulus Pastor gregis curâ susciens, ad Deum versus precibus, & ad mortales solicitudine, nullam laboris vigilantissimi partem omittebat. Salutem publicam Aurelianorum peperit fortitudo; non sine diuina indulgentia transmittenda ad posteros, qui multis post annis succumbentem Franciam erecturi erant. Nam Ætius interim solicitè cogebat militem, ac Theodoricum per Auitum opulentum Aruernum, tandem demouerat à consilio expectandi in Aquitania Attilæ, atque impulerat ad ducendum exercitum. Dum hæc geruntur, non sine temporis mora, Aureliam ad extrema Hunnus adegerat, excussa arietè muri pars maxima, præsidiarius miles ciuiúmque fortissimi in stationibus cæsi, aduenientibus nulla subsidia; vna spes supererat vincentis misericordia; hanc vt eliceret Annianus Episcopus, Attilam in castris conuenit, & pro vrbe dedenda adhibet infimas preces. Repulsus contumeliosè à Babaro qui in vrbis excidio vellet exemplum seueritatis statuere, ad ciues regreditur, iubétque portas ad excipiendum hostem aperiri, in eo agnoscendum Deum; vltrò se tradant meritò noxas plectenti. Dicto obtemperatur; patentibus portis hostis admittitur, domos diripit, ciuésque raptos in vincula cum liberis & coniugibus, inter lamenta & ejulatus, prædæ partem, raptor diuidebat. Et ecce inopinatum calamitosis auxilium. Hunnis securius in prædam intentis, Romani cum Visigothis aduenium, in vrbem subeunt, excussáque præda, non sine prædantium nece, Barbaros magna cæde expellunt, ciuium ingenti gaudio, se ac sua recipientium, & Anniani lætissima gratulatione, diuinam misericordiam admirabiliter commendantis, quæ humana deficiente semper in promptu sit.

Aurelia obsessa.

VIII. Attila repentinâ clade coërcitus, sublatis castris, in Galliam rursum se effundit; neque Ætius ausus est consequi recedentem, donec exciperet plura subsidia, quæ ex variis gentibus præstolabatur. Postquam hæc aduenerunt

Pugna in Alauiam.

MEROVÆVS.

aduenerunt, in quibus Merouæus Rex ſuos Francos adduxit, Ætius ratus non cunctandum amplius, cum vniuerſis copiis contendit ad Attilam. Ille vagatus per Galliam Celticam atque Belgicam, & latè ſtragem excidiúmque circumferens, in campos Catalaunicos conuerterat ſe: atque in iis aſſequutus expectantem Ætius, caſtra figit. Ingenti ſpatio vltra amnem Matronam campi iacent, ad conſerendam pugnam idonei, & iam Tetrici imperantis clade percelebres. Pridie quàm pugnatum eſt, caliginosâ nocte, infenſiſſimâ dimicatione proluſum eſt; quaſi diei totius ſpatium arctius foret ad pugnam tam celebrem conſerendam, aut noctis tenebræ in partem famæ admitti contenderent, & de gloria cum luce certare. Etenim dum vtrinque gentes ad ſtatiua ſua ſe conferunt, nocte concubia, Francorum agmen à copiis diuulſum, fortè incurrit in Gepidas, numero non impares, redeuntes ad caſtra. Neque momento hæſerunt, quin depugnarent: cæco in obuios irruunt impetu, & tam certis inter tenebras ictibus, tam fortibus animis & imperterritis, vt eodem quo ſtabant veſtigio, victi ſimul cuncti & victores, nemine prorſus ſuperſtite, occubuerint omnes, ad quindecim millia; prima luce ſpectaculum atrox fortitudinis bellicæ; neutrâ partium perculsâ, neutrâ elatâ. Ideò per ea confirmatis vtrinque animis, ſub ortum ſolis, tubis perſonantibus, ad pugnam curritur. In campo mons erat magni momenti ad victoriam primùm occupanti: cùm in eum certatim miles mitteretur, Ætius diligentior cum Thoriſmundo Theodorici filio in eum euadit, atque Hunnos paulò tardius ſubeuntes, fortiter deiicit. Hoc præiudicio Hunnos deterritos, & Aruſpicum ſuorum præſagiis, Attila militari oratione confirmat, & ipſe intrepidus ſub horam nonam deducit in prælium. Valamerem cornui læuo præponit, Gepidarum Regem; dextro Ardaricum, Oſtrogothorum Principem ſibi vectigalem, in media acie dimicaturus. Ætius in ſiniſtro agens, dextrum tradit Theodorico, Alanis quorum fides ſuſpecta, coniectis in agmen medium. At ſub ipſa pugnæ primordia repentinus caſus Romanos turbabat, niſi malum ſtatim occultatum eſſet, quod vnum remedium ſubitis caſibus. Theodoricus Rex Viſigothorum, dum ſuos obequitans adhortatur ad præliandum, vel ſagitta percuſſus, vel equo ceſpitante, excutitur, protritúſque equorum vngulis, deſinit viuere; prima Martis non ignobilis hoſtia. Id quod in decurſu contigit, milites latuit. Neque tardius in pugnam itum eſt. Ea atrox, cruenta, & diuturna, nemine terga vertente, in noctem producitur; quâ tandem diremptâ horribilis dimicatio, & reducti vtrinque in caſtra milites: non tamen ſine Ducum periculo, tum in acie præliantium, tum ab exitu pugnæ. Quippe Viſigothi, inter Alanos medios irrumpentes, in Hunnos tanto animorum niſu inuaſerant, vt pugnantem Attilam in diſcrimen certum adducerent, ſibi conſulentem dum receptui canit, & caſtrorum vallo ſe contegit. Thoriſmundus nihilominus, inter liberos Theodorici maximus natu, Viſigothos pugnâ incenſos in caſtra hoſtium ducit, neque à præliando ceſſat, donec ſaucio capite, & equo deiectus, à ſuis excipitur, & defertur in caſtra. Ætius

MEROVÆVS.

Anno Christi. 451.

inter hostium tela, ad noctem, pugnam egregiè concitans, & ignarus quæ fuisset fors Visigothorum, multâ nocte se in castra recipit. Cæsa centum octoginta hominum millia: nec planè constitit, vnde victoria staret; vtraque partium abscedente ceu victa: visa tamen in Romanos magis inclinasse, qui reliquam Galliam è furentis belluæ faucibus rapuerunt, eamque adegerunt conceptam rabiem aliò vertere. Nam postridie, se Attila castris continuit, quæ plaustris obiectis tota nocte muniuerat; ac tametsi, perstrepentibus tubis, eruptionem crebrò simularet, tamen non se commouit, expectans quæ mens hostium foret. Qui nec ipsi consentiebant inter se. Thorismundus patris necem vlturus, ardebat cupiditate vindictæ, vrgebátque vt Hunnorum castra oppugnarentur. Ætius contra veritus, ne post Attilam profligatum, Visigothi omni metu liberi, in Romanum Imperium vires conuerterent, auctor est Thorismundo, vt post hostem tantâ missione sanguinis debilitatum, Tolosam regrediatur quamprimùm, consulturus imminenti periculo, ne fratres qui in ea vrbe agebant, inuolarent in gazam paternam, & regnum opum pleni præriperent. Thorismundus hoc metu vindictam compescuit, & curato Patri regio funere, Rex ab exercitu salutatus, Tolosam versus discessit. Eadem ratione dimissus in Galliam Belgicam Merouæus. Quo modo Attila, solutis hostium copiis, per Germaniam atque Pannoniam, se recepit in patriam, serpentis instar saucij, reparaturus vires & virus, quas anno proximo ingenti clade Italiæ, in perniciem mortalium insumpsit. Post hæc, de Merouæo nihil admodùm certum; nisi quod coniecturâ assequi possumus; nimirum quod regnum in Gallia tam firmum stabiliuerit, vt in posterum nullo hinc bello potuerit, nullis conatibus demoueri; præterea quod arctiores prorogans fines, Parisios vsque peruenerit, eámque vrbem iam celebrem, vel vi vel deditione tenuerit, in qua regni sedem & domicilium poneret. Quod ex eo constat, quòd Childericus filius & successor dicatur Parisiis regnum iniuisse atque amisisse; quam validam ciuitatem adolescens, & totus in voluptatibus conquirendis, vero est absimile expugnasse. Dicitur præterea regno constituto primus Franciæ nomen indidisse, vt Franci Germanicam Franciam obliti, impensiùs Gallicam colerent, & Galli cum nomine mutarent animos, in Francorum fortitudinem & libertatem transcripti. Obiit Merouæus anno regni decimo; spatio temporis pro amplitudine rerum angusto; sed viri eximij breuitatem annorum extendunt facinorum numero & magnitudine.

Merouæus Parisios occupat.

IX.

CHILDERICVS. REX.

Childericus Merouæi filius patri in regnum successit, sine controuersia. Iámque tunc Francici Imperij sanctissima illa lex & antiquissima cœpta est promulgari, non tam scripto quàm facto, & in omnium Francorum animis altè insculpi, firmiùs atque stabiliùs, quàm in marmoreis æreísve tabulis; vt qui Regi demortuo sanguine foret propinquior, regnum adiret, vt hereditatem; essétque Imperium, non populi eligentis donum, sed Dei largientis, ab ortu & natalibus regtis, in quibus sceptrum & diadema reposuit. Childericus portò, magnâ omnium spe, patris non modò solium, sed virtutes etiam initurus, bellicâ gloriâ florem adolescentiæ

Anno Christi. 458.

centiæ concitante, regnum iam feliciter porrectum ad Sequanam, videbatur ad Ligerim ſtatim promoturus. Sed illicò diffluunt ſpes conceptæ, & in deſperationem conuerſis omnibus, non tantùm Rex in periculum adducitur, ſed & regnum ipſum, cui ſtabiliendo tam præclarè modò erat conſultum, reuulſo omni ambitu, & exciſis penitus hominum ſuffragiis, ſæpius in priuatum commodum quàm in publicum bonum cenſentibus: adeo nihil eſt firmum & ſtabile, cùm ipſa principia, vnde perennitas, vacillent ac nutent. Etenim Childericus omnium votis regno exceptus, iámque amore patris & iuuentutis illecebrâ gratus, ſtatim exemplo fuit, inter regni ſpem & ipſum regnum quantum interſit: Siquidem illicò pacis otio & voluptatibus prolapſus in deteriora, & ſummâ licentiâ raptus in ea omnia quæ placerent, animi cupiditatibus totum ſe tradidit, id maxime regium ratus, vt quod libuiſſet animo, liceret corpori. Inter adoleſcentiæ vitia libido impura pollet quamplurimùm, calore ſanguinis inflammante cæcum naturæ impetum. Ea Regem corripuit, & ad omne flagitium nefáſque proiecit. Primò ille matronarum thalamos, dein virginum caſtimoniam, præſertim nobilium tentare blanditiis, auro, pollicitis, maieſtate Regis expugnare, ſi dolus non cederet, vim afferre, ac tandem ab amplexu coniugum, matrúmque gremio contumelioſæ libidini raptare victimas. Hæc aliquandiu primâ acerbitate mali, veniâ adoleſcentiæ, & emendandi ſpe tolerata: Sed vbi increuit lues peſtifera, iámque nihil tutum à Principis libidine erat, extremis remediis extremo morbo occurſum eſt, & profligatus ſubditorum timor cum amore. Pariſiis Rex agebat, vrbémque regiam ſcenam libidinis conſtituerat, cùm ſubita & improuiſa defectione opprimitur; concitatus furore populus arma proclamat, ea quique priuatim rapiunt, ad palatium conuolant, fremunt ad occluſas fores, Regem repoſcunt, flammas comminantur, vectéſque citi & ſecures apparant ad diffringendos forium obices. Prætoriani milites omnéſque Aulici dilabuntur metu, Rex ſolus cum vno Viomado, metum inter & deſperationem verſatur deliberans non de fuga, ſed quam mortem oppeteret. Erat Viomadus, aliis dictus Vidiomarus, & Vinomadus, è Francorum gente clarus in paucis, Regi propè coæuus, à pueritia ipſi percharus, amicus & fidelis, quod in Aulicorum fraudibus rarum; Childerico ſupra ſortem beato, qui in iactura omnium amicum haberet. Is Regi optime conſulens, auctor eſt fugiat, & ſe morti certæ eripiat. *Furori materiam, vt fomentum igni detrahendam; lapſu temporis mitigari iras, lethale ferrum vitari leni corporis declinatione; ſtultum eſſe, ſe furioſo obicere. Abiens ſeruet ſe regno rediturо; deſiturum furorem, tunc locum rationi & amori fore; hac pœna frangendam iram qua ſeuiat; quâ ſedatâ, reuocabunt Franci, quem cæſum volebant. Suam operam pollicetur & ſtudium, effecturum vt exilij mora perbreuis ſit, redimegrando amore pœnâ abſentia.* Diſceſſum Viomadus perſuadet, & Principem mutato cultu per poſticum emittit; prius nummum aureum bifariam ſecans, cuius ſibi pars altera eſſet, Regi altera; accipe, inquit, hoc amicitiæ ſymbolum, & futuræ concordiæ ſignum. Vbi ad te meam partem miſero, ſi cum tua illa conueniat, credas tuorum ſtudia

CHILDERICVS.

Regno pellitur.

Viomadus Regi fidus.

CHILDERICVS.

ſtudia in te conuerſa, & in vnum animos conueniſſe. Hæc interim pars apud me efflagitabit pollicita, amoríſque mei vadem ſe præſtabit. Ita Childericus dimiſſo & amiſſo regno, profugit in veterem Franciam, maiorum patriam, exceptus à Biſino Thuringiæ Regulo, nihil aſportans ex regni opulentia, quàm amici fidem; felici calamitate, quæ veras opes retegeret.

X. *Ægidius Rex Francorum.*

Poſt Childericum furori ereptum, Franci vt ſpem omnem regni reditúſque exſcinderent fugitiuo, adhuc perdurante furoris impetu, nouum ſibi Regem conſtituunt. Porrò ne quis diſcordiæ locus eſſet per ambitionem, præcluſo ſibi inuicem aditu, in peregrinum conſentiunt, præterea qui gratus Francis, qui cum deligebant foret, & Gallis ex quibus deligebatur. Is Ægidius erat, origine Gallus, dignitate Patricius, à Romano Imperatore, iis copiis & vrbibus præfectus, quæ Romanæ ditionis eſſent, Magiſter militum dictus à Maioriano. Nec erat quod à Romanis ſibi Franci metuerent, Occidentis Imperio patenti vndique Barbaris gentibus, & per plures Cæſares in ruinam præcipite. Poſt Attilam ex Italiæ viſceribus peregrè auulſum, Valentinianus Imperator Ætium Maximi dolo in ſuſpicionem adductum peremerat, præclarum ducem, de Imperio perbenè meritum, & viri fortiſſimi nece, non tantùm vt dictum eſt, ſibi læuâ dextram præciderat; ſed ceruices Imperij amputauerat. Nam ſtatim ipſe Valentinianus eiuſdem Maximi fraude perimitur, vlciſcente in Principe contumeliam vxori illatam: fitque Maximus ex percuſſore perfido Impetator. Quo nec diu potitus eſt; qui cædem Valentiniani faſſus Eudoxiæ perempti coniugi, quam per vim thalamo ſuo adiunxerat, ſic in ea vltionis incendit libidinem, vt per nouum nefas ab eadem excitus ex Africa Geiſericus Rex Vandalorum, vrbem Romam fœdè diripuerit, atque Eudoxiam cum filiabus adduxerit. Maximus tot malorum cauſa, lapidatus à populo, pœnas dedit ſuſcepti Imperij, tertio menſe poſtquàm ſuſceperat, gemino vindictæ incendio corripiente Imperium. Quod quaſi vacua & derelicta hæreditas, ad Auitum reluctantem defertur, non immerentem quidem, ſed longè petitum, iam Romanis auerſantibus certam perniciem. Erat Auitus in Aruernis nobilis, Præfectus prætorio Galliarum, & Magiſter militiæ, tunc legatus apud Theodoricum, Regem Viſigothorum, regnantem parricidio, poſt Thoriſmodum fratrem interemptum; adeò iis temporibus per cædes regna & imperia redimebantur. Neque imperium Auitus feliciùs tenuit; non multò poſt per Ricimerem deiectus, Magiſtrum militum, Placentiæ inauguratus in Epiſcopum, móxque vel dolore vel peſtilentiâ in Aruernis obiens. Ricimer interea Maiorianum clarum militiâ, Imperio præficit; tutius & commodius reputans, per alios Imperium regere, quàm per ipſum ſe, qui totius poteſtatis compos, odium atque inuidiam, imperanti ſemper adhærentes deriuaret in alium. Nam & ille Maioriani pertæſus, veneno ſuſtulit, fortiſſimum Principem, dignúmque regimine, ſi in meliora tempora incidiſſet. Erátque is rerum Romanarum ſtatus, cùm Ægidius eſt ad regnum vocatus; agebátque tunc Sueſſione, qui initurus nouam poteſtatem Pariſios venit. At Viomadus perculſus inopinato Francorum conſilio, quod ſpem omnem reditus Childerico

Status Romani Imperij.

derico abscinderet; tamen animum haudquaquam abiiciens, vir sagacissimus sibi aliud efficiendum proponit. Vt erat in sua gente plurimæ gratiæ, & ingenio pollens, non ægrè beneuolentiam noui Regis conciliat. Primùm obsequio, morum comitate, iucundis colloquiis esse gratus; dein veris laudibus adulationis hamum prætexere, & penitus in arcem animi penetrare: at posteaquàm in ea per assentationem dominatur, iam esse consiliorum non modò particeps, sed etiam auctor. Ergo vbi se Regis potentem aduertit, non oblitus sui, non Amici, dolo occulto detrudere solio incautum aggreditur. Regem inter & subditos clam iacit odia, hos curat vectigalibus & tributis premi, vno præcipuè, quod Francis intolerandum est visum, vt tres aureos capita singula penderent; quasi vænirent sub hasta, qui hactenus liberi, non tantùm agros, sed ipsa capita turpi seruitute Regi manciparent. Si cunctarentur quod impositum erat persoluere, per exigentes vexare, & vi extorquere quod sponte non darent. Eam ob rem cùm Franci nobiles acerbius quererentur, & indignum factum expostularent, eosdem Viomadus ad Principem deferebat, augebat crimina, & reos implicabat suppliciis. His paulisper artibus, malis quidem sed in speciem iustis, quibus rebelles in electum Regem plecterentur, infensissimum quemque Childerico è medio sustulit, in quibus centum Optimates illius odio insignes, prærepti morte ignominiosâ, viam strauerunt restitutioni; præterea Francorum omnium in nouum Regem iras accendit: quod præstabat adeò dissimulanter & rectè, vt alienus ab iis maximè crederetur, quorum fomes esset & flamma. Quo circa ad eum querelas Franci plurimùm deferunt, miseriam incusant, promptósque ad vindictam exerunt animos, si ducem habeant. Qui vt videt sua consilia processisse, & iam operi imponendum fastigium, Francorum duces arcano euocatos cœtu compellat audacius, aperitque quid in rebus tam perditis agendum & audendum foret. *Nihil esse patienti acerbius, quàm fuisse miseriæ suæ artificem; auget pœnam culpa, & molestiam causa, quod ipse tibi malum confeceris. Hunc esse infixum in animis Francorum aculeum, quod calamitatem suam pepererint, aluerint, & seruitute corroborauerint. Quid enim, inquiebat, extremum, Gallum, & Romanum, imposuimus ceruicibus nostris: Quasi parum sit externo seruire, nisi & Romano seruo mancipemur? Maiores nostri tam dura passi sunt, tanta ausi, primùm vt Romanum iugum excuterent; dein ne cui Principi nisi nostræ gentis obsequerentur; amantissimi quippe libertatis, tutelam eius suo potissimùm sanguini tradiderunt. Nos Regem expulimus, quem natura, lex, vota omnium throno euexerant, vt peregrinum tyrannum substitueremus. Quid ergo querimur, si compedes ipsi nobis procudimus; si vltrò dedimus manus in vincula? Sed malè querimoniis culpa sanantur, petenda est ab ipso crimine medicina, & facta factis emendanda, non verbis. Audio Childericum frugis iam melioris in tuis agere, mutatam indolem cum fortuna, & in miseriis bonam mentem repertam. Quin eum arcessimus? quin beneficio culpam expungimus? Pellendo exterum, hostem vleiscemur, reducendo Francum, extorquebimus crimini veniam.* His permoti Franci, seu pœnitentiâ, seu desiderio, seu timore, siue vltione, de reuocando Rege consentiunt, curis Viomadi rem committunt, Childericum

CHILDERICVS.

Viomadus Ægidium oppugnat.

CHILDERICVS.

moneat, reditionem pro arbitratu conficiat, se spondent nihil omissuros, quod sui muneris officiique sit. Viomadus Optimatum compos, rem inchoatam faustè, tam celeriter quàm occultè perficit. Nuntios mittit ad Childericum, condictum symbolum tradit nummi partem, certiorem facit maturuisse consilia, hortatur vt quantocyus redeat. Vbi Childerico fidem nummus dimidius fecit, & in eo vidit regnum restitutum, in quo viderat perditum; nihil cunctatus se in viam dat. Franci à Viomado de ratione itineris moniti, Barij aduenienti occurrunt, veniam postulant præteritorum, & gratulantibus animis Regem nouum dicunt, vel instaurant veterem, quem sors inuida intercepisset Francorum commodis. Ille obliuionem anteactis impendens, memoriam præsentibus sempiternam, Barienses in beneficij monimentum tributis omnibus liberat, & Viomadum complexus iucundius, quàm cùm ab eo discederet, confestim re palam factâ in Ægidium mouet. Et ille nouitate inexpectatâ attonitus, prodentibus Francis, Gallis stupentibus tumultuariâ pugnâ haud ægrè vincitur, & vnde primùm venerat, Suessionem se recipit, amicitiæ intemeratæ tam ipse quàm Childericus trophæum; vtroque experto, quid veram inter & simulatam discriminis sit; summâ etiam laude priuatæ virtutis, qua regnum partum est, publicum bonum & maximum. Ita octauo post exilium anno, suis restitutus, calamitate melior, Childericus throno reponitur, abdicatis vitiis, quibus perierat. Vnum tamen est, in quo vel sui veteris nimium memor, vel noui parum, virtutem læserit; quod Basinam coniugem Thuringiorum Regis, à quo tam benignè erat exceptus, & primùm hospes polluerit adulterio, deinde ad se Parisios venientem tecto acceptam, lecto admiserit; violato per contumeliam iure hospitij; tam infirma est virtus à vitio recens, & in occasione periclitans. Neque sit veniæ secundo flagitio, quo mulier maritum fugiens in adultero maritum nouum inuenit, quòd honestam amori causam ipsa prætexeret. Nam affirmabat, haudquaquam voluptatis gratia se tantum itineris confeciſſe, sed Childerici dignitate motam & merito; quæ sicubi nosset vllum digniorem, ad eum per quæuis discrimina se conferret. Hæc verè dicta seu fictè non inuitum Regem perpulerunt, vt thalami esset particeps femina, quæ peperit Clodouæum, pretiosâ criminis veniâ. narratur & somnium, quod de futuris nepotibus Childerico vigilanti ipsa nuptiarum nocte obiectum est; quod à viris inceptum, in feras belluásque desineret; id tamen confictum arbitror, & inuentum à vatibus præteritorum, quales sunt Poetæ.

Ægidius à Francis pellitur.

Barleduc.

Childericus regno restitutus.

Basina vxor.

XI. Childericus verò, regno instaurato, vt priorem scopulum vitaret, otium & voluptates, Francorum laudem propriam reuocat, fortitudinem bellicam, quæ vna gentis bellicosissimæ gloria, ars vna, & vnum studium. Nec bella defuerunt, fortitudinis huius materia. Quæ antequàm percurram, delibandi sunt Franci duo, ad Rheni citeriorem ripam, laudem ipsam egregiè consequentes. Primus Arbogastes, ætate & merito, Arigij filius clarissimi & opulentissimi viri, qui in Treuirorum vrbe consederat; postquam eam Clodio ceperat, incensam dimiserat, atque in Galliam penitiorem intentus, discesserat à Rheno longius. Erat autem Arbogastes summè

Arbogastes Francus.

mè virtutibus ſupra Barbarum præditus ; præter bellicam gloriam, qua erat inſignis, affabilitate, morum humanitate, moderatione, temperantia excellens ; litteris præterea excultus,& Latinæ linguæ peritia clarus ; quod ad eum ſcribens Sidonius in paucis miratur. Quarum erat virtutum cumulus, cultus Chriſtianæ Religionis, ab eo ſuſceptus,& præcipua fide obſeruatus. Quæ Franci principis laudes, in Francorum Hiſtoria prætermittendæ non erant. Alius è Francis Principibus Childerici affinis occupauerat Coloniam Agrippinam, pariter ad Rheni ripam, & in ea inſtituerat regnum. Is à filio vnicè noſcitur, qui Sigebertus ſenior, Claudus cognomine ; cui poſtea vrbem & regnum Clodouæus eripuit. Quæ dum ad Rhenum Franci perficiebant, Childericus ad Ligerim ferocem hoſtem frangebat. Is è Britannia Inſula in Oceano Boreali ampliſſima, effuſus in Galliam, nouo & moleſto hoſpite regionem vexabat, iam à Barbaris pluribus direptam & occupatam. Et cladem alienam ſua clades pepererat. Quippe Britanni à Scotis & Pictis, gente ad Septentriones Inſulæ poſita, ſæpius diuexati, Anglos euocauerant, qui ad Albim incolebant Saxoniam, ad Scotos reprimendos & repellendos. Quod ab Anglis quidem perfectum eſt ; ſed malum mutatum malo, non curatum. Angli Britanniæ commodis deliniti, vt in ea ſedes figerent, prætexentes ſtipendium non ſolutum, inuadunt in regionem Inſulæ meridionalem, eámque ſibi latè attribuunt. Miſeri Britanni ſuis tectis pulſi, noua vt ponerent, tranſmiſerant in Armoricam, arcto freto diremptam, & agris vberrimis patriæ priuationem ſolati, non moleſtè conſederant. Deinde aliis atque aliis tranſgreſſis, & Armoricâ iam Britannis plenâ, aduerſo Ligeri ſe committunt, nouos inuaſuri agros, vbi latius atque commodius habitarent. In eam rem Adoacrium ſibi Regem conſtituunt, & euocante Paulo Romanarum partium duce, qui agebat Andegaui, opémque pollicente, in Francos exercitum mouent ; rati eos infirmiores quàm Gothos ; qui nuper Gallici ſoli inuaſores, radices in eo nondum immiſerant, nutantes ſub diuerſis Regibus, ſub Childerico præſertim, nullo adhuc facinore primam infamiam eluente. Iunctis copiis Aureliam veniunt, quam occupant, vel traditam à Romanis, vel apertam à ciuibus. Sed in ea vrbe ſpes abſciſſæ. Childericus iam alienus à voluptatibus, Francorum auitâ gloriâ ſtimulante, rapitur in nouos hoſtes, commiſsáque pugnâ eos vincit, Rege occiſo, & in appendicem victoriæ capit Aureliam. Qua gloria alliciente vlterius, reliquias Britannorum Andegauum vſque perſequitur, Paulum ipſum belli tubam interimit, expugnatâ Andegauo ; & concito impetu in inſulas in amne Ligeri eminentes irrumpit. in eas Britanni vt in ſtationes commodas prædam importauerant,& in hiberna deſtinantes muniuerant ; ne longius ab hoſte mox redituri abſcederent. Ab iis captis magna ſtrage expulſi ſunt, & bello bis victi, pacem flagitarunt. Quam ſtatim nouum bellum ſuſcitandum confecit ; maluítque Childericus in illud habere ſocios, quàm vtrinque geminis hoſtibus diſtineri. Alamanni, natio illa Germaniæ, in Sueuia ad Danubium propior, inuitante felicitate Francorum, in Galliam ſimiliter cupidos oculos diu adiecerant. Sub hæc tandem tempora, Romano Imperio prorſus corruente,

CHILDERICVS.

Colonia obtenta à Sigeberto.

Britanni in Armorica.

Childericus Britannos vincit.

Angers.

Alamanni in Gallia.

CHILDERICVS.

Rheno ad fines suos transito, procul à Francica ditione, in agris diuersis, sedes collocauerunt; nempe vbi Heluetij; diuisi monte Iurâ à Sequanis, Lemano lacu & Rhodano à Sabaudia & prouincia Viennensi. Childericus in eos, adiunctis Britannis, siue ab incolis arcessitus, siue amoliturus hospites nouos, copias traducit à Ligeri, pugnáque victor euadit. Non tamen pulsi è sedibus nouis Alamanni; pax forsitan consiliata, quâ cautum ne progrederentur vlterius. Nam hæc valdè ambigua. Id certius est, Childericum ab expeditione reducem, Ambiani morbo correptum vitam posuisse, regni compotem annis supra vicenos quatuor: qui communem mortalium sortem emendauit, praue incepta bono exitu corrigens; quod rarum admodùm; & semel corruptus regni licentiâ, eandem mox in bonam frugem conuertit; nequando in humanis rebus desperemus. Neque in eius laude omittenda est cum Genouefa virgine familiaritas. Hæc in pago ad Parisios è rusticis parentibus orta, illustri sanctimonia vitæ percelebris, quam à prima infantia ad senectutem longæuam intemerato noxis filo texuerat, tunc agebat Parisiis; quam vrbem plusibus affectam beneficiis, & iam inde ab Attila tutam & securam, tot inter bella immunem miseriarum præstabat; postea à ciuibus in Patronam lecta, atque in posterum grauissimarum calamitatum in Lipsanis Sacris perfugium. Illa priuilegio sanctitatis à Childerico quanquam Ethnico excepta beneuolè, multa precibus in ciuium gratiam impetrabat. Narratur factum, quod potentem illam auctoritatem Sanctorum apertam demonstret. Childericus Reos, morte vt putabat dignos, capitali pœna damnauerat; quam omninò inferri cupiens, vidit nihil esse quod eam amoliretur, præter vnam virginem Genouefam, quæ si veniam rogaret peccantibus, repulsam à se ferre non posset. Eam igitur vt in hanc vicem excluderet, postquàm Rei ex vrbe ad supplicium ducti sunt, simul ipse egreditur, iubétque portas Vrbis occludi, nec vlli mortalium reserari. Verùm haud multò post, stuporem inter & iram medius, Reis sub cultro iam positis, videt Genouefam ad pedes aduolui, & supplicem efflagitare veniam miseris. Quam virginis amantior Rex non negauit, iram colligens in portæ custodes, quam iniussu Regis aperuissent. Sed & iram stupor nouus excussit, cùm audiit portam ad orationem Virginis reseratam; nec eum puduit, obsequutum feminæ precibus, cui robur & ferrum paruissent in valuis.

Childerici mors.

Anno Christi 481.

Genouefa.

XII.

CLODOVÆVS. REX.

Anno Christi. 482.

Childerici locum statim impleuit Clodouæus filius, quanquam annis iunior; nam decimum quintum implebat; tanta erat Francis prosapiæ regiæ veneratio. Clodouæum dicimus, qui à variis Auctoribus diuersis nominibus nuncupatur; Clodouecus, Lodoin, Lodoui, Lodoucus, Ludouius, Ludouicus, pluráque alia, eius sunt nomina; quasi tot res tam præclarè gestæ cadere in vnam appellationem non possent. Sanè ille verus est Imperij Francici conditor, quod immotis Christianæ fidei columnis imposuit. Adolescens egregiâ corporis formâ, & indole militari, spem amplam concitabat Francis, vnicam laudem quæ à bello esset propriam reputantibus. Quam beneuolentiam postquam aliquot annis collegit, prorumpit in bellum ferociissimus iuuenis, & vniuersam Galliam quà latè patebat complexus

complexus animo, in paternum proximúmque hostem expedit ferrum. Is erat Siagrius Ægidij filius, cui paternâ hereditate, non modò Suessiones, & præclaræ vrbes Galliæ Belgicæ, obuenerant; sed etiam in Francos regni titulus quanquam inanis permanserat, non sine expellentium odio. Ad id bellum, quasi gentis foret, non Regis, acciti Francici nominis Reguli, Regnacarius qui Cameraci principatum tenebat & Caraticus cuius ditio in Belgio erat. Et ille quidem non impigrè suo munere functus est; iste inter opem & proditionem medius, procul stetit cum copiis, victorem præstolans, ad quem se conferret: prauo consilio, cuius postea pœnas Clodouæus repetiit. Modò ad Suessiones commisso prælio, vbi paria multa in æmulis, ætas, ambitio, vltio, animus, dispar euentus Clodouæo addixit victoriam. Per quam fusus fugatúsque Siagrius, deploratâ spe regni, profugit Tolosam ad Alaricum Gothorum Regem, aram iam salute patris consecratam, intutam tamen Clodouæi ferociæ. Nam is Legatos ad Gothum mittit; qui hostem reposcerent, ni traderet bellum indicerent. Alarico sua incolumitas fuit potior alienâ; nec se cum armato iuuene, quamuis & ipse iuuenis, felici fortitudine incenso, materias belli serente, committere voluit, satius ratus fidem frangere misero, quàm esse miserum amore fidei. Traditur itaque Francis, Siagrius, quem Clodouæus habet in vinculis, dum eius ditionem inuadit; mox iugulari clam præcipit, metum suum tollens cum spe aliena, ne qua eius particula in æmulo regni aleretur. Hoc bello Suessionum & Rhemorum vrbes, præter alias multas, adiunctæ sunt regno Francorum; fuítque hoc tirocinium Clodouæi præliantis. Nec omittendum humanitatis & iustitiæ facinus, quod Rex edidit in flagrante victoria. Cùm plurima Christianorum templa Francus idolorum cultor diripuisset, & Rhemorum Ecclesias ingressi in vrbem aliquot milites, quanquã Rege vetante, expilassent audacius, inter alia vasa rapuerunt vrceum, pretio & vsu charum Remigio. Remigius Antistes Rhemensium, sanctitate morum & maiestate oris venerandus, adit Clodouæum in castris agentem, rogátque vt ex sacra supellectile, quam miles rapuisset è Rhemorum Basilicis, curet vrceum quemdam quem designaret restitui. Optato Rex annuit, & in proxima prædæ diuisione, qua prisco more spolia ex hoste capta sortiebatur miles cum Principe, agnitum vas atque sepositú, sibi extra sortem permitti Clodouæus poscit, rem sacram vsibus sacris restituendum, nec communi prædæ demptum vnum vasculum damno fore, Assentientibus cæteris contumacior vnus id pernegat, summáque audaciâ strictam bipennim impingit in vrceum. Rex, quod in iuuene & victore mirum, in facto tam temerario, iram habuit in potestate, & reconditam in annum sequentem reposuit; vas tamen concessum est, & redditum ministris Remigij. Subsequente anno Rex pro more lustrabat exercitú. Nam quot annis Calendis Martiis, qui ad bellum apti erant & lecti, cõueniebant in Campum, corã Rege instituente quendam armorum & militum censum: & vocabatur id concilium Campus Martius, seu Martis Campus; quasi cuncta Francorum Concilia ad vnum Martis opus verterentur. Quem postea morem inter ignauos Reges nusquam omissum, Pipinus maior non immutauit quidem, sed pro mense Martio Maium subiecit, vt militi

CLODOVÆVS.

Siagrius vincitur.

Vrceum restituit.

Et militem punit.

CLODOVÆVS.

liti esset acceptior, quem euocaret altero tardimense; & cum tempore nomen cœtui mutatum, qui Campus Maïus dictus est, vel Maij Campus. Clodonæus iuxta institutum, singulorum arma inspiciens, an tersa essent, acuta, & ad hostem feriendum apta, ad militem illum impudentem venit; quem considerans diligentius, securis aciem quasi hebetiorem incusat, verbisque increpans; Te, inquit, tanto in numero ignauiorem non reperi, ita malè armis instructus es; simul eius securim in terram abiicit. Eam recepturus miles dum se inclinat, Rex dimissum caput bipenni sua valido ictu feriens: sic, ait, Suessione me feriebas in vrceo. Mors læsum, stupor & metus omnes inuasit. Nec erat maioris fortitudinis sumpsisse pœnas, quàm moderationis tanto pòst tempore; dixeris latam patienter à Clodouæo iniuriam Regem vindicasse. Mox inter arma versanti, suauis irrepsit de coniuge & thori consorte cupiditas; quæ res incepta forsan ab ambitione, in iucundissimum amorem desiit; ac tandem mirificâ Dei prouidentiâ, in vniuersum Christianæ rei commodum cessit. Quoniam autem vxor, felicitatis Francorum prima administra à Burgundionibus accepta est; de ea gente paulò accuratius disceptandum.

XIII. *Burgundi in Gallia.*

Burgundiones siue Burgundi, si Cluuerio credimus, origine sunt Germani, memorati à Strabone & Plinio; gens non admodum magna, habitans in Germaniæ finibus, quibus Sarmatas contingebat; Lygios inter, Catinos, Rugios, atque Lemouios. Ii Probo Imperatore, à vicinis Gothonibus vexati, imò & bello victi, sedes mutarunt; tum vt se ab importuno hoste amouerent, tum vt agros feliciores si sors faueret inquirerent. Igitur publico consilio gens vniuersa, Albi & Visurgi transmissis, ad sinistram Franciæ deflectens, ad Alamannos accessit, & ad Rhenum positis pagis & vrbibus, in Chattorum terra conquieuit, duos inter amnes Necarum & Mœnum, Moguntiam spectans ad alteram ripam. Verùm hæc demigratio cùm Valesio minus arrideat; duas ille Burgundionum gentes constituit; alteram quam recensui in Germaniæ finibus, alteram ad Rhenum propè Alamannos, quæ trangressa in Galliam nouum sibi regnum posuerit. Sanè ij spe vberioris soli allecti, postquam sæpe in Galliam inuaserunt, euntes sæpe & redeuntes per Rhenum, direptisque impunè agris & oppidis, iam nec amne coërciti, quem toties transmiserant, nec metu hostium, quos tam sæpe vicerant, abducto tandem vniuerso populo in Galliam transmigrant, & in Celticam siue Lugdunensem conuersi, primùm occupant vtramque ripam Araris, Sequanos inter & Hæduos; dein porrecti ad Rhodanum, Sabaudiam ad Alpes subigunt. Et tametsi regnum fortunâ variâ stabiliuerint, modò à Visigothis, modò à Romanis appetiti bello, & aliquoties victi; tamen per Regum seriem hactenus perstiterant; etiam Burgundiæ nomine terris indito, quas tenebant ad Ararim; auspicato nomine, quod in tanta Principum mutatione, & rerum tam frequenti conuersione, adhuc integrum est. Neque ad laudem gentis prætermittendum, eos dum in Germania degerent, Christianam fidem suscepisse, edoctos à Seuero Treuirensi Episcopo; quam postea in Gallia ipsa plures corruperunt, ex Visigothorum vicinia, in Arrianam hæresim deficientes. Nunc omissis eorum Regibus,

CLODOVÆVS.

bus, vt propius ad Clotildim accedam, Gundicario Burgundionum Regi succesſerant filij duo Gundiucus & Chilpericus. Chilperico nulli fuerunt liberi, Gundiuco quatuor; plures omninò quàm vt pares regnarent; quæ illorum temporum conſuetudo, vt qui Regi nati eſſent, cuncti ad partem regni admitterentur, nullâ ætatis prærogatiuâ; cùm à Rege æquè ortus eſſet natu poſtremus ac primus. Nomina illis erant Gundebadus, ſiue Gundebaldus, Godegiſilus, Chilpericus, & Godomarus; omnes Arij lue contaminati, præter Chilpericum, Catholicæ religionis aſſertorem, & patrem Clotildis, probâ fide imbutæ à cunabulis; quæ felicitas Franciæ. Quatuor Principes, poſt obitum patris & patrui, in tetrarchias regnum diuiſerant, in partes ſecuerant, qui totum ambirent, nec memores ſe fratres eſſe, duntaxat ſinguli ſe filios Regis meminerant. Quia tamen vnus impar foret tribus amouendis, duo conſentiunt, & natu quidem minores, ad tollendos fratres; & ipſi forſitan diſſenſuri, ſi optatis fruantur. Itaque Chilpericus & Godomarus, adiunctis Alamannis copias inſtruunt, & prælio vincunt; Godegiſilo quid factum dicam inferius; Gundebadus fugâ elapſus, apud amicos latuit, dum Alamanni prædâ referti ſe domum recipiunt. Victores nondum partiti quod inuaſerant, agebant Viennæ ad Rhodanum, quæ tunc regni ſedes, per victoriam ſecuri hoſtium, eóque magis vt vincerentur obnoxij. Etenim Gundebadus celeritate oppreſſurus incautos, repente progreſſus ex latebris, amicorum copiis ſubleuatus, Viennam aduolat, atque vrbe captâ, in fratres inuadit. Diuerſis in locis eorum cædes diuerſas ſpargit. Chilpericus in palatio deprehenſus, ferro perimitur; coniux grandi lapide alligato ceruicibus in amnem mergitur, ex quatuor ſuſceptis liberis, duo virilis ſexus necis acerbitatem cum parente vtroque diuidunt, capita truncati, & conjecti in puteum; duabus puellis vita condonata; maiori, cui nomen Mucuruna abſciſſa ſpes nuptiarum, conſecratâ deo virginitate, in cœnobio propter Geneuam; minori, quæ Clotildis, permiſſum agere in aula patrui; quæ adhuc infans, tenerâ ætate, formæ pulchritudine, & indolis facilitate, furentem demulſit. At Godomarus in turrim confugerat; quo in perfugij loco viuus combuſtus eſt, iniiciente flammas Gundebado. Quibus criminibus totum regnum ſtetit, iam tuto ab hoſtibus qui ea patrarat. Clotildim verò ſeu Chrotildim, regio cultu educatam, Legati Franci ſæpius viderant, erántque mirati virginis formam, modeſtiam, prudentiam, & de ea in vxorem petenda ſuo Regi auctores fuerant. Ille nuper ex expeditione Thuringica victor aduenerat, in qua vindex Francicæ calamitatis, non ambitioni, ſed æquitati litauerat. Thuringi, Francis in Germania relictis contermini, in eos violenter incurrerant: at ij bellum deprecati, obſides dederant. Summâ immanitate in eos qui abduxerant graſſantur; nam pueros neruis femorum carne exutis, appendunt arboribus; puellas denudatas aliquot, alligant bigis,, & raptantibus in diuerſa equis diſcerpunt; alias in terra fixas acutis ſudibus, & protenſas in viarum orbitis, proterunt & confringunt crudeliter, plauſtris onuſtis per orbitas actis; tunc demùm irrumpunt in Francos, agros depopulantur, & prædâ opulenti, regrediuntur.

Clotildis pater.

Clodouæus Thuringos vincit.

Miſeri

CLODOVÆVS.

Miseri per tot iniurias afflictati, Francos è Gallia tribules suos in vindictam euocant: nec Clodouæus cupidissimus bellicæ gloriæ, cessauit causâ tam fauorabili. Copias lectas vltra Rhenum traducit, Thuringos aggreditur; æquitati Mars fauet; acie victos disjicit, agros vastat igne & ferro; & planè subactis tributum imponit; demptâ sæuiendi in posterum facultate, & laude Francicâ vltra Franciæ fines propagatâ. Exultantem hac laureâ Franci & Galli de vxore compellant. Neque ægrè impellunt æstu ætatis feruentem, & accensum ambitione, ad petendam regiam virginem, quæ pulcritudine eximiâ, spem etiam regni in dotem afferret. Eam illicò per Legatos à Gundabado patruo in vxorem poscit; quorum forsan princeps Aurelianus Gallus, Regi percharus, qui admissus ad virginem, collaudatis Regis sui meritis, & dato in coniugij concupiti spem annulo, habuit assentientes, tum puellam, pudico amore impulsam, tum Regem Burgundum, metu præpollente, ne vi extorqueretur, quod amicè & beneuolè flagitabatur. Sic deducta ad Clodouæum Clotildis, annum agens circiter decimum octauum; cuius nuptiæ celebratæ Suessione, ingenti Francorum gaudio, & maiore Gallorum, sperantium fide & religione vxoris, maritum ab idolis posse ad veri Dei cultum traduci; quod iis maximè in optatis erat. Clodouæus iam ex concubina susceperat filium Theodoricum, qui deinde cum legitimis regnum partitus. Atque id longè verosimilius arbitror, cum erudito Valesio, quàm quæ fabulosa scribebam olim cum pluribus: de Valeriano mendici habitu clam ad Clotildim admisso; & de eadem dum ad sponsum ducitur imperante, vt in Burgundia ditione patrui, incenderentur & vastarentur, quæ abeunti occurrerent: quorum primum fabulam inanem sapit, à credulis Monachis missam in scripta; alterum à pietate & religione Virginis omninò discrepans, ab inuido sanctissimæ feminæ fictum & scriptum est.

Clodouæus Clotildim ducit.

Anno Christi 493.

XIV.

Clotildis mater.

Quæ pietas & in religione fidelitas, & à Diuina beneficientia, & à Clotildis forti perseuerantia, palam illuxerunt. Nam illa à Rege filium peperit, quáque erat tum in Deum fide, tum in Regem autoritate amicâ, ab eo rogat impetrátque, vt qui natus esset, in patris optatissimum gaudium, & in regni hæredem, salutaribus baptismi aquis tingeretur, & Christo Deo vero consecraretur: neque id potuit Rex negare amantissimæ coniugi, quod flagitabat illa tantoperè: idque est obitum effuso matris & Gallorum omnium, lætitiæ sensu, atque Ingomerus infanti inditum nomen. At Deus, vt præsenti patientia futurum beneficium staret, puerum de more albo indutum, repentinâ morte eripuit, lugente matre quem primum natalibus secundò genitum gratulabatur, (Enimuerò mirum pietatem Reginæ in tam graui casu constitisse; cuius religionem vertebat probro Clodouæus, incusans, quod superstitiosâ ceremoniâ peremisset filium, quem Dij patrij ob contemptum irati, morte tam acerba eripuissent parentibus. Sed illa tam modestè quàm piè: *Imò Deo meo gratias ago immortales, quod veteri mei primitias, partum illum primum, Diademati natum, spémque nostram, dignatus sit ad regnum suum euehere, longè nostro anteponendum.* Digna mulier numerosissimâ sobole, quæ prius cœlo quàm sibi pareret;

cui

CLODOVÆVS.

cui & maritum postea peperit, & gentem Francicam vbertimo partu; ita rependit beneficia Deus, & munificentiam, vnde exigit, præstat. Atque haud multò post nouo fœtu donata, enixa est masculum, ad nouum Christianæ constantiæ & patientiæ experimentum; impetrauítque similiter à marito, vt is sacro abluueretur Lauacro, Clodomirum appellans, quem vt priorem Deo obtulit religione non dispare, cœpítque fraterno fato infans ægrotare, & ad mortem imminentem perduci, increpante grauiter Clodouæo, & accusante coniugem, quòd liberos Deorum indulgentiâ concessos impietate suâ extingueret. Infans tamen precibus matris conualuit, prælusítque paternæ valetudini, ex diuturno idololatriæ morbo eripiendæ. Siquidem Clotildis in eam rem solicitudinem omnem adhibebat, nihílque omittebat piè anxia mulier, quo Regem ad Christianam fidem adduceret. Ideò asperum obsequio demulcebat, ferociam indolis cicurabat morum mansuetudine, & potens blandimentis vxoriis, totiúsque corporis formâ pulcherrimâ, per amoris illecebras ingerebat Christum. Sed immutritus libertati animus, & cupiditatum licentiâ vagus, quasi equus indomitus, sessorem Deum nondum admittens, respuebat innoxium frænum, qui multò molestius à vitiis ferret. Frustra tamen impugnanti Deo obsístitur, obfit nato in amorem animo vis paratur; nempe Martia indoles Martis periculo domari debuit. Rem porrò totam sic confecit euentuum omnium moderator. Alamanni siue Alemanni, gens erat vt supra memoraui, in superiore Germania, Mœnum inter Rhenum & Danubium habitans, ex Gallis quondam orta; qui plebe supra modum excrescente, in proximam Germaniam, vt in alias terras sese effuderant. Vnde forsan & nomen; nam *All* omnem significat, & *Man* hominem; quasi ex omni genere hominum natio illa compacta sit. Illa iam per annos plures bellis clara, suísque tam cladibus quàm victoriis celebris, quas vices Martis alea parit, cum crebris excursionibus inuasisset in Galliam, tandem in ea sedes vt poneret, conflato magno exercitu, quem Gibuldus Rex eorum duceret, Rheni alueum transit: Se nusquam inferiorem, tum animorum tum corporum viribus reputare, quàm fuissent Visigothi, Burgundiones, & Franci, qui omnes per vim irrumpentes in Galliam, viam regnis patefecissent, communitis postea & stabilitis audaciæ felici successu. Cur ipsi tam diu ignauiæ suæ obsequuntur; plus iuris sibi in Galliam esse, quàm aliis gentibus, ex ea se ortos; quæ iniuria, si auitis laribus restituantur. Sic comparati, Clodouæum statim non ausi impetere, famâ inclitum, & bellicis illustrem laurcis, in Sigebertum impetum vertunt, Coloniæ Regulum, Francum quidem, sed famâ, & potentiâ inferiorem. Nihilominus Clodouæus, periculo Franci Principis & affinis commotus, quod videret sibi intentari, Alemannis semel victoribus in Colonienſi agro non quieturis, iunctis Francorum & Gallorum copiis, ad hostem contendit, & Sigebertum excipit aduenientem cum milite. Tolbiacum est pagus in agro Colonienſi, quem Franci dicunt *Tulpie*, Germani *Tulpik*, alij *Zulpik*, Coloniam inter & Treuiros; hoc euentu clarus & memorabilis, quo non tantùm parta est ingens victoria, sed ad summum vniuersitatis Christianæ bonum, Rex clarissimus

Clodouæus ab Alemannis impetitur.

Pugna ad Tolbiacum.

CLODOVÆVS.

mus & gens bellicosissima, ad Christi cultum ab idolis traducti sunt, in eo fideles quamdiu mundi stabit moles permansuri. Eo in pago occurrente hoste, cùm vtrinque pugnæ ardor esset & copia, infestis armis statim concursum est. Rex Francus agendos equites sibi seposuit, pedites attribuit Sigeberto: Stabant ex aduerso incensis animis Alemanni, certi mortis, ni vincerent. Pugna conseritur inter gentes fortissimas, suprà modum atrox; diúque anceps pendet victoria, donec à Francis declinari cœptum. Sigebertus peditum Ductor, grauiter saucius crure, (quo & posteà claudicauit) discrimen ingens subibat, nisi seruatus à filio, ereptus esset morti & pugnæ. Verùm ducis vulnus vniuerso militi propè inflictum est. Primùm trepidare, mox dum ille eripitur, simul agere retrò vestigia; ac tandem illo absente, disjicere ordines, & in fugam verti. Obtrito pedite, vis omnis hostium in equitatum incubuit. Certatum acriter, donec equites oppressi numero, destituti à pedite, circum vndique Alemannis vrgentibus, metum concipiunt, & recedentes propius à fuga absunt. Clodouæus interim ducis & militis obire munia, adhortari suos, voce, ferro minari, & premere, præire exemplo, & in hostium cuneos ruere: at conatu irrito, vergentibus ad fugam omnibus. Tunc humani impos auxilij, in desperationem procliuis, meminit Dei, cuius potentiam Clotildis tam sæpe deprædicauerat, & quando hactenus deorum suorum opem frustra implorabat, Aureliano etiam Gallo illo fideli memoriam excitante, ad Christum conuertitur: Et Christe, inquit, potentissime Deus, quem coniux mea colit & prædicat, voueo me tibi in trophæum, tuísque legibus obsequuturum, si hanc mihi victoriam hodie tribuis. His verbis melius, quàm Romuli voto, Deus Stator fugam inhibuit. Mutant Vices victor & victus; subitus pauor Alemannos inuadit; hærent, trepidant, cedunt, terga vertunt: Franci contra corroborati diuinitus, reuocant se instauratis ordinibus, in hostem nouo impetu proruunt, pedes pariter nouo ardore impulsus pugnam restituit, omnésque copiæ quasi cœlo missæ nouum prælium concitant. Clodouæus rei miraculo primùm obstupescit; dein & ipse nouo igne succensus, ense fulmineo in nutantem hostem ferox rapitur. Illicò pugna in fugam, fuga in stragem desinit, Alemannorum Rege inter primos cæso; & celeberrima reportata victoria, quam confecit vnus Laurearum auctor & cultor Deus, bellicosissimum Regem expugnans, tam periculo quàm salute. Victor autem Rex non omisit victoriam, sed fusis fugatísque fortiter hostibus, Rhenum transmisit, stragem in Alemanniam illaturus, quam inferebat illa in Galliam. Quippe fortissimis bellatoribus denudatam gentem, & Rege destitutam, armis perdomuit, à Mœno vsquead Alpes Rhæticas, tributúmque victæ imposuit; mox regressus in Galliam, voti reus, quod optatissima mente persolueret.

Anno Christi 496.

XV. *Clodouæus Christianus.*

Regredienti primus occurrit Vedastus, Abbas aut Presbyter, Tulli Leucorum agens, clarus integritate vitæ & sanctitate, quem posteà Remigius à Rege ipso commendatum euexit ad infulas Atrebatenses. Ille Regi acceptior, qui Francus ex eadem gente, nouum tironem rudimentis fidei imbuit, & verba fulciens factis, cæco illuminato confirmat discipulum, & cæcitati

cæcitati mentis dispellendæ præludit admirabiliter. Hæc in via apparantur. Clotildis interim, vbi Parisiis optatissimum nuntium accepit, victoriæ, non de victis modò, sed de Victore ipso reportatæ, Triumphatori Deo gratiis habitis, celeritate maximâ aduolat Rhemos, Remigium Antistitem virum illum cœli dotibus cumulatissimum, orat, vt quamprimùm se ad Regem conferant. Referre magni, si recentem à beneficio animum occupent; tundendum chalybem, dum ab igne candet; moram dæmoni omnem abrumpendam, nec spatium insidiosæ vulpi permittendum, quo vel teneram mentem ad priora retrahat, vel in prauam hæresim per satellites suos impellat. Currenti calcar admouebat mulier; Regi obuiam veniunt, & post mutuas gratulationes, tum Regis coniugis Deum mirificè prædicantis, tum Reginæ mariti fidem admirabiliter excitantis, tum Antistitis ampliora promittentis Regi quàm spe concepisset, Rhemos omnes gaudio magno proficiscuntur. Vedasti documentis adiungebat sua Remigius, iámque idoneus ad Balneum Sacrum Rex videbatur, cùm optantibus nouum obicem obiicit prauus timor, ne Franci noua religione offensi seditionem fortè concitarent. Hunc postremum dæmonis obicem egregiâ laude Remigius deiicit. Suadet Clodouæo, vt ipse in castris ad militem habeat orationem; fore Deo adiuuante, vt sermone & exemplo Regis Francus immutatus, adeò non damnet propositum, vt expulsâ superstitione vetere, amplexurus sit cultum nouum. Clodouæus rem suscipit, fitque non tantùm Apostolus ex Catechumeno, sed Orator ex Bellatore, Ecclesiastes ex Rege, & Propheta ex Idololatra; tanta est vis diuini Spiritus, suo igne mortalium corda inflammantis. Itaque Rex in concionem progreditur, ac tertiam de Francis lauream relaturus, bis victor, Alemannorum & sui, adstante & admirante Remigio, ingerebat commilitonibus. *Non ambigere se, quin subita illa animi sententiaque mutatio, noua prorsus visa sit & consideranda, cùm hactenus nihil leuitatis, nihil inconstantiæ in se perspectum sit. Summum itaque esse momentum, quo tam repente mutet omnia, sensum, mores, & religionem. Ita enimverò, & tantum quanta sit sua & Francorum omnium salus. Ipsi antequàm de Principe suo iudicent, recogitarent in prælio nuper qui fuissent; cùm agendi in fugam ignominiosam, imò cùm plures terga hosti verterent, nec spes vlla supereſſet salutis, ne desperatio quidem, tam altè in animos timor pernasserat. Qui tamen ydem statim immutati, breui temporis mora, conuerterint terga in ora, fugam in gladios, metum in audaciam, mortem in victoriam. Vnde illis improuisum auxilium? Non à Ioue aut Marte, quorum opem victi frustra implorabant; non à suis animis, aut à prisca fortitudine, quibus perterritis, excussa illa perierat: Sed à Christo Deo, qui appellatus, effecit illicò admirabilem mentium & virium conuersionem. Et verò quid vtilius, quid præstabilius Francis, quos palmarum plurium spes incendit, quàm si pugnent eius auspiciis, cuius potentia terminis nullis, nullâ difficultate verum definitur? qui post subactum Romanum imperium, iam de Europa triumphat, ac de reliquo Orbe propemodùm? Qui Constantinum, (vt dicebat se audiuisse) & Imperatores haud paucos, grauissimis ereptos periculis, per vexillum Crucis, ad mirificos triumphos euexit? Qui terrarum potens,* CLODOVÆVS.

CLODOVÆVS.

cœlique dominus, lauros & diademata largitur atque vno nutu fata mortalium condit ac sancit. Tunc hortabatur effusius, *vt cum milites Imperatorem optarent, ducem eligerent, haberent Principem, huic sacramento dicerent, victoriarum certi ac triumphorum, quos in hac mortali vita in æterna pignus repræsentat.* Dicentem admirabilis omnium assensus excepit, conclamatur omnium vocibus, fauste & fortunatè mutatum Principem suum, se in eius votum ituros, nullúmque Deum alium cupere, quàm Rex suus quem coleret, & cuius Sacerdos esset Remigius. Quibus constitutis, & celebri apparatu cæteris ad Baptismum Regis expeditis, peruigilio Paschatis, vel vt alij scribunt, & vero similius, Christi Natalibus, se Rex ipse in Ecclesia, Sancto Martino Rhemis dicata, numerosissimâ spectantium turbâ ad sacrosanctum Balneum admouet. Modus tamen & habitus nondum erant satis conformati ad Christianam demissionem. Incedebat vultu erecto, audaci vestigio, magno corporis habitu, pretiosâ veste ac splendidâ, coma præcipue in Francorum morem, ambitiosè defluente ad humeros, cyrris æquali fimbriâ circinatis, & redolenti vnguento madentibus. Pupugit Præsulem vanitatis vel pereuntis indicium; Regem his verbis admonet; *mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Iámque Clodouæus ad modestiam melius comparatus, Deum Vnum & Trinum confessus interroganti Remigio, ter sacris vndis immergitur, inungitur chrismate, & signatur. Neque tanti boni solus particeps fuit. Duæ eius sorores ad eundem Christi cultum initiatæ sunt, Albofledis, & Lanthildis; quanquam hanc alij scribant ex Ariana duntaxat hæresi ad sinceram & Catholicam pietatem, sese contulisse. Ex quibus Albofledis, à cunabulis fidei incrementum virium extemplò adepta, in ea, quod summum est, perfecit, perpetuam Deo consecrans virginitatem, sub Remigij ductu; quam pudicè custodiens, Rhemis diem obiit. Ac fortasse Lanthildis se in eundem vitæ statum deuouerit, cùm iuxta sororem nemini vnquam nupta reperiatur. Nam de ea quæ Theodorico Italiæ Regi data est in coniugem, vel nulla est, quod verius arbitror, vel est tertia Clodouæi soror, nomine Andefleda. Præter Regiam familiam, accesserunt ad diuinum Lauacrum, tria Francorum millia, Procerum, Præfectorum, & militum fortitudine antè illustrium: quæ fortunatissimæ primitiæ gentis, idolorum cultum tandem deserentis, à quo in posterum firmissima mentis constantia abhorreret. Voluitque Deus clarum Regis facinus miraculo comprobare. Nam qui oleum ampullâ inclusum ad inungendum in Baptismo Regem deferebat, cum præ turba conferta spectantium, ad Remigium nusquam posset accedere, vicariam Columbam nactus est, ad exequendum munus quod gerebat. Illa niue candidior repentè apparuit, in tam numeroso mortalium cœtu, ampullam rostro ferens cœlo missam haud dubiè; neque plausu admirantium deterretur, quin ad Remigium adstantem in Baptisterium deuolet, & in manus illius Ampullam deponat, continuò ex oculis omnium euanescens. Rem nouam admiratus Antistes, phialam explorat, & inuento in ea Chrismate vnctionem conficit; non dubius quin cœleste donum vberrimam & cœlestem gratiam testificaretur. Posteriora cœlesti prodigio

Clodouæi sorores.

Sacra Ampulla.

non

non abrogant fidem. Nam tametsi Pipinus primus omnium Francorum Regum, ad conciliandam maiorem venerationem, sacram ex eo Chrismate vnctionem adhibuerit, Iudæos Reges imitatus; tamen cùm in eius stirpe plures, & in Capetiis Reges fermè omnes, magnâ religione, eo Chrismate inaugurari voluerint; nouum est assiduúmque miraculum, quod sacer hic liquor, sæpius fusus, nusquam restitutus, nec defecerit, nec exaruerit, sed illibatus, quanquam delibatus & integer perstet, nouum Francici Regni Palladium, cuius durationem fouet aut sequitur. An Lilia Francica eo pariter tempore Clodouæo pro insignibus data sint, mihi non satis compertum est ex veteribus. Nec peribit maiestas aut dignitas augustissimis Floribus, depictis in scuto Francico, si à prima regni origine non arcessantur: quando illi postea feracissimis surculis, per Europam, Asiam, atque Africam insiti, imò & in Americam propagati, & Religionis odore fragrantissimo, & radianti victoriarum splendore, sin priùs missa sunt cœlitus, sint cœlesti cura seruata posterius. Id sanè constat, Clodouæum ex animo Christianam penitus Religionem susscepisse, eámque vel edictis, vel exemplo & moribus, sic in Francorum animos infudisse, vt non modò idololatriam ab iis prorsus depulerit, sed in Germaniam Sacerdotes sanctos plures immiserit, qui optato euentu Christi fidem in barbaris gentibus inseuerint & excoluerint: vt meritò Clodouæus à Remigio sanctissimo illo Antistite nuncupetur, *non solùm Prædicator fidei Catholicæ, sed defensor, meritis illustris.* Dei autem singularis prouidentia fuit, & amor in Francicum regnum præcipuus; quòd cùm eo tempore in toto Orbe terrarum, nulli essent Reges, qui Fidem Catholicam & sinceram amplecterentur, sibi Francorum Regem delegerit, quem abductum ab idolis, Christo filio suo traderet; quíque in se atque in posteris, religionem piam tueretur intemeratam ab omni labecula: vt meritò Christianissimi nuncupentur, quorum ne vnus quidem maculam vllam adhærescere fidei suæ permisit. Verè igitur Gregorius Magnus, Pontifex summus tam virtutibus quàm dignitate, scribens ad Childebertum Regem Francorum, affirmabat, quantò Reges cæteris hominibus antecellunt, tantò Francorum regnum, fidei sinceritate, & Christianæ religionis integritate, omnibus omnium gentium regnis anteponendum. Etenim Clodouæo ad fidem vocato, Anastasius Imperator Eutichiana hæresi deprauatus, Arianâ Gothi in Italia, in Gallia atque in Hispania fœdè corrupti, paritérque Geisericus in Africa, pestem quisque suam transfundebat in subditos; cæteris gentibus adhuc immersis in vetere Idolorum cultu, Franci interea, multa quæ locis sacris rapuerant, vltrò restituebant, & ipse Clodouæus Parisiis Templum posuit sanctis Apostolis Petro & Paulo, Religionis quam amanter colebat propagatoribus; effuso Gallorum gaudio, qui deinde cum Francis in vnius membra corporis, nullo discrimine, coaluerunt; & summâ Genouefæ gratulatione, huiusce virginis admirabilis, quæ etiamnum superstes, votorum cumulum tandem aspiceret, Francos Christianos, & Galliam suam Christo totam amantissimo sponso consecratam. In tanto publicæ & regiæ lætitiæ sensu, Clodouæus legationem

Lilia Francica.

Reges Christianissimi.

CLODOVÆVS.

accepit à Theodorico, quæ fortitudinem eius, si fuisset infirmior, labefactasset. Locus autem postulat, & Historiæ series, vt, quod hactenus distuli, de Gothorum gente pauca perstringam, cum qua in posterum Franci Reges tam sæpe conflixerunt, & de Romano Imperio in Theodoricum delapso, quidpiam simul delibem.

XVI. *Gothi qui?*

Gothi, si Cluuerio credimus, populi erant in Germania orti, ad Vistulam & ad Codanum sinum latè incolentes. Nempe irridet Iornandem, eos arcessentem, sicut & alios Barbaros, Alemannos, Francos, & Longobardos, ex Scanzia illa Insula Septentrionali, quam appellat vaginam nationum, & gentium officinam; iis nominibus multò melius Germaniæ conuenientibus. Iidem verò Gothi, nuncupati sunt à Romanis Scriptoribus, Germaniam iam perpadentibus cognitione, Strabone, Tacito, Plinio, & Ptolemæo, Gothones, & Gutones. Eos igitur, iuuentute supra modum excrescente, instar apum examina noua condentium, necessitas impulit, vt mutarent solum patrium, aliúdque inquirerent, vbi patriam nouam posteris conderent. Quamobrem pars gentis quæ vltra Vistulam habitabat, se prima commouit, & Danubio transito, ad paludem Mœotim sedes fixit. Aliquot post annis reliqui Gothi similiter ex Germania demigrarunt séque cæteris adiunxerunt, occupatâ Daciâ; modò latius, modò angustius habitantes, dum vincerentur, aut vincerent. Tamen, quia prædonum instar vexabant gentes, inter quas versabantur; pulsi vicissim ac pellentes, ea quæ inferebant damna sæpius passi; ad Mœotim lacum per annos plures vagati, inde regressi sunt ad Occidentem Brumalem ac tandem ad Boristhenem, & ad Pontum Euxinum, in Getarum finibus consederunt. Quasi feroces bestiæ, relegatæ in extremam Europam, amnibus, mari & locorum asperitate, ceu catenis vinctæ, & caueis ferreis circumseptæ. Ibi orta est prima illa diuisio & appellatio, vt Ostrogothi dicti sint, qui ad Orientem versus, ad Pontum incolerent; Visigothi autem Occidentales, qui propiùs ad Germaniam sedes posuissent. Neque porrò inane discrimen hoc nominum fuit: nam vnaquaque gente, sibi obuersos populos quasi prædam certam sortiente, Ostrogothi inuaserunt in Orientis Imperium, atque in ipsam Asiam penetrarunt: Visigothi autem per Thraciam atque Illyricum, in Italiam primùm Alarico duce inundantes, Romam ceperunt, caput illam Orbis & dominam; mox Rege Vallià regna duo potentissima constabiliuerunt; alterum in Aquitanica Gallia, alterum in Hispania, expulsis Vandalis & Alanis. Quæ Europæ calamitas fuisset tolerabilior, nisi iidem qui diris simam stragem circumuehebant latè per populos, Arianam simul intulissent hæresim, luem quauis miseriâ sæuiorem, animos nempe perdentem, vt crudelissimi Tyrannorum & corpora & animas in exitium traherent. Quam pestem à maioribus hauserant, iam à Valentis Imperatoris temporibus; à quo cùm idolis abiectis imbui Christiano cultu flagitassent, miserè decepti & corrupti erant, missis Episcopis Arianis, qui rudes & ignaros mysteriorum, pro vera fide docuerunt spuriam, & genti præferoci admouerunt stimulum ad sæuiendum, hæresim pessimam; quæ gens Christi iugo cicuranda erat & mitiganda.

Visigothi.

ganda. At Visigothi dumtaxat Occidentem premebant; cùm & Ostrogothi veniunt in partem prædæ; quasi miseris gentibus parum esset prædonum. Omnes autem ad direptionem Romani Imperij confluebant, quod ægrè consistens Constantinopoli, Romæ & in Italia penitus euersum erat atque extinctum. Nam in Italia Ricimer, vt dixi, Romanum Imperium pessumdabat, regebat, affligebat, & pilæ instar iactatum, donabat cui libuisset, ac deinde tollebat. Ille patre natus Sueuo, & prænobili quidem, ac matre Gotha, Valliæ Regis filia, præclaras dotes & plura vitia, ad militiam fortunámque suam attulerat. Nam fortis, attentus & vigilans, & in bello perpetuus, eam in rebus bellicis peritiam primùm, deinde famam collegerat, vt ea in laude haberetur vulgò, non tantùm egregius, sed singularis. Ille Patricius, & Magister militum, imò rerum in Italia Dominus, postquam Auitum deiecit Imperio, pauciſſimis mensibus degustato; Maiorianum suffecit, Gallum gente, & virtutibus dignum hoc rerum apice. In quo stetit per quadriennium, donec paritet à Ricimere excussus & necatus est, non ferente dotes egregias in Principe, quas inuidiâ prosequeretur aut metu. Is statim Seuerum Romanum in locum Maioriani intrudit, patitúrque imperare triennio, & cùm Alanos in Italiam ruentes, pugnâ victos fortiter repulisset, Seuerum veneno præbito sustulit; ludens Cæsarum fatis, eósque non modò fastis, sed vitâ expungens. Postea duos propè annos administrauit solus Imperium, donec Anthemius à Leone Imperatore Orientis, in Italiam & ipse Imperator est missus, qui sanè egregius, Ricimerem sibi conciliaturus, adsciuit in familiam, filiâ in vxorem donatâ. Tenuítque per annos quinque concordia, donec diuturnioris Imperij Ricimer pertæsus, palam à socero deficit, eum Romæ obsidet, & captum per summum nefas interimit. Verùm vsufructu tot criminum tandem spoliandus, paucis post diebus in morbum incidit, quo ereptus est viuis, dignus qui fuso sanguine quatuor Imperatorum neces elueret. Vacuam Imperij sedem Olybrius occupat, Senator nobilis, qui vxorem haberet Valentiniani alteram filiam; sed breui quarto nimirum mense morbo extinctus, miseræ ambientium cupiditati, reliquit vororum apicem dicam an scopulum. Nam huic cùm milites inuito senatu suffecissent Glycerium; post quatuor annorum regimen, à Leone Orientis Imperatore nouus Imperator in Italiam mittitur; id quippe iuris sibi vsurpabant Constantinopolitani Imperatores, vt Romæ atque Italiæ Principes darent. Iulius Nepos à Leone missus, & classe in Italiam vectus, cepit Glycerium, & mutato in Infulas Diademate, curauit institui Salonensem Episcopum in Dalmatia; felicem, qui tam facili exitu locum relinqueret tot infamem casibus. Sed anno post altero Orestes Patricius, auxiliantibus Gothis, in Nepotem mouit, & deiectum Imperio, in Dalmatiam relegat; neque tamen assumens Imperium, Momyllum filium creat Augustum, qui ob staturæ breuitatem Augustulus dictus est. Aptus omninò in quo periret clarum illud Imperium, olim ex vniuersi orbis stragibus coalescens. Etenim amici Nepotis, ad vlciscendam eius iniuriam, euocant Odoacrum Herulorum Regem; qui Barbarorum magno exercitu, in

CLODOVÆVS.

Romani Imperij finis.

Ricimer.

Odoacer.

CLODO-
VÆVS.

in apparatam prædam ruentium, Italiam inuadit. Illicò Ticinum occupat, Oreſtem Placentiæ capit atque interficit, Auguſtulum non dignatus perimere, quem in exilium miſit, ignauo adoleſcenti contemptum impertiens, non timorem; deinde poſt Romam captam, in Italia conſtitit, cuius Regem ſe dixit, ac ſedem regni Rauennæ conſtituit. Iſque poſt extinctum Imperium, & expuncta Imperij inſignia, quaſi ſimul calamitatum fontem obſtruxiſſet, per annos ſeptendecim regnum Italiæ tenuit; donec vocatus in infortunij ſortem, à Theodorico, regno & vita orbatus eſt. Erat Theodoricus Rex Oſtrogothorum, quos dixi, Valameris aut Amali Regis ex concubina filius, puer obſes datus Imperatori Orientis, apud quem egit ad annum ætatis decimum octauum. Deinde variam fortunam expertus, & moleſtam atque infenſam ſemper emendans prudentia & fortitudine, eò res promouerat ſuas, vt Zenoni metuendus & terribilis foret. Quem amoturus ab Orientis inuaſione, deſtinat in Occidentem, & oblato regno Italiæ, immittit in Odoacri perniciem; certus, in quam partem victoria incumberet, opprimendi hoſtis. Theodoricus, collecto Oſtrogothorum exercitu, matrem & ſororem ducens, iter habens per Mœſiam atque Pannoniam, profligat Traſtilam Gepidarum Regem; quâ auctus victoriâ in Italiam venit per Alpes Iulias. Neque ceſſabat ignauia Odoacer, qui ad rapinam tuendam, copias contrahens, in Italiæ faucibus tribus prælijs cum veniente conflixit; ad pontem Sontij, in Campis Veronenſibus, (vnde Veronenſis agnomen Theodorico acceſſit) & ad flumen Aduam; quibus licet acerrimis ſemper victus, ſe concluſit Rauennæ. Ea in vrbe obſeſſus triennio, capi niſi deditione non potuit, mox ipſa in vrbe manu Theodorici confoſſus, fidei quam violabat prætexentis inſidias. Sic potitus Italia, fortitudinis præmio, in eo ſtatuit regnum ſibi ac ſuæ genti ponere; ac gnarus noua regna fulciri & fundari iuſtitia & æquitate; quanquam Arianus religione, virtutes omnes (quod olim de Epicuri voluptate dicebat Tullius) adhibuit famulas ſuæ ambitioni, per quas regnum partum defenderet. Zenoni Imperatori Anaſtaſio ſuccedente, Regis ſtatim nomen atque inſignia vſurpauerat: neque intra Italiam ſuam ſe continens, occupauerat maximam Pannoniæ partem, & Dalmatiam totam; Reges plurimos affinitate ſibi deuinxerat, data Theodegota maiore natu filia, Alarico Viſigothorum Regi in vxorem, Oſtrogotham minorem ducente Sigiſmundo, filio Gundebadi Regis Burgundionum; ſororem Amalefridam, iam ex alio viro matrem Theodahadi & Amalabergæ, collocauerat cum Thraſamundo Vandalorum Rege in Africa, & neptem illam Amalabergam Hermenifrido Regi Thuringorum vxorem fecerat. Quibus præſidiis munitus intus & foris, neminem metuens, cunctis venerandum, & metuendum ſi poſceret res, ſe præſtabat, magna virtutis fama regnum adminiſtrans. Eumque mox cum Clodouæo commiſit fortuna.

Theodoricus.

XVII. *Theodoricus agit cum Clodouæo.*

Victi Tolbiacâ pugnâ Alemanni, & Clodouæo patrios lares in quos confugerent oppugnante, omnium inopes rerum, ſe ad Theodoricum petituri opem contulerant: potentiſſimũ in Europa Regem aut in bellum vti impellerent,

pellerent, ſpe tradendæ Alemanniæ, aut ſaltem tutelam & præſidium impetrarent, quo ſe in victorem Francum defenderent. At Theodoricus, tametſi omnium rerum in Europa iam Arbiter, quâ erat famâ & admiratione virtutis, veteranus Imperator, & fortunæ compos, non cenſuit ſtabilitam felicitatem, in diſcrimen rurſum immittendam; ac bello ſubmoto, cum Clodouæo egit per Legatos qui victis Alemannis pacem flagitarent, reditum tutum in patriam, & leuamentum tributi. Per eos dilaudatâ mirum in modum de Alemannis victoriâ; hortabatur, & rogabat præterea, vt cùm cecidiſſent auctores perfidiæ, reliquis parceret; Palmæ faſtigium clementiam eſſe, imò fructum ſuauiſſimum atque pulcherrimum, qui ab vno victore vt carpitur, ſic illi ad victoriæ iucunditatem & ſecuritatem aptiſſimus eſt. Satis eſſe quod victi vitam deprecantur; facere ad victoriæ amplitudinem, quod per eam bellum confectum ſit, nec expeditione nouâ inſtauretur. Regem orabat inſuper, vt fortitudinem moderans, caueret ſaluti ſuæ paulò conſultius, nec ſe in aperta præliorum pericula tam audacter immitteret. Quæ commendans munere apto conſiliis, Citharœdum mittebat, delectum à Boëtio, illuſtri Patricio, tam muſicæ peritiſſimo, quàm omnium diſciplinarum; qui inter epulas fidium vocíſque ſuauiſſimo concentu, Martiam indolem ad temperantiam pacis inflecteret, & animum elatum victoria demitteret ad miſericordiam. Verùm tam donum quam legatio irritæ fuerunt: Clodouæus nec admiſit profugos, nec tributum remiſit: & hæc altera de victis fuit victoria, & prima de Theodorico; quod potentiſſimi Regis commendationem (quæ plerumque iubet) infra metum habuerit, in propoſito conſtans, per ſe pacis & belli non per alium Arbiter. Repulſam Theodoricus patienter ferens, nihil in Clodouæum commouit, & Alemannis profugis agros dedit quos colerent, ad Alpes Rhætias; nec eos vltra Clodouæus vexauit; vtroque Regum coercente potentiam, neutro laceſſente. Aliquantò poſt noua occaſio nouam legationem exciuit à Theodorico. Quæ legatio & bellum eius cauſa elicitur ex vnis Caſſiodori epiſtolis; viri illius doctiſſimi & ſanctitate præcipui, qui Theodorico ab arcanis epiſtolis erat. Ex iis vna ad Gundebadum Burgundionum Regem conſcripta eſt, qua rogabat, pro mutua affinitate, vt diſtractam concordiam inter Reges Clodouæum & Alaricum ſedulò redintegraret; alia ad Alaricum, in cuius ditionem arma intulerat Francus; hortabatur nihilominus vt à bello abſcederet; partim quod Viſigothi diuturna pace iam elanguiſſent; partim ſpe facta prouinciæ quam Clodouæus inuaſerat recuperandæ, per amicam legationem. Scripſit ad Hermenifridum Thuringorum Regem paulò aſperius, qui ſe fœdere icto Clodouæo adiunxerat; vt omiſſo bello & præciſo, ſtatim ad Francum oratores mittat, qui de pace agant, & initum fœdus contra Alaricum, niſi amica lite Francus contendat, reſcindat illicò. Datæ poſtremò litteræ ad Clodouæum; quibus primò veluti affinem dehortatur à bello, quod ſuis populis graue, moleſtúmque omni Galliæ foret; tum admonet, & propemodùm minatur, ſi vltrà pergat, ſua Regúmque cæterorum arma, vna in eum conſenſione mouenda, communémque omnium hoſtium fore, qui vni amicus eſſe reſ-

CLODOVÆVS.

Theodoricus impedit Gothicum bellum.

CLODOVÆVS.

pueret. Tot Principum conſpirans animus à Clodouæo pacem extorſit, dilatúſque in commodius tempus Alaricus; in quem nuſquam occaſiones belli defuturæ erant; præſertim à religione. Nam Epiſcopi Catholici à Viſigothis durius habiti, optabant Francorum imperio ſubiici; & iam eorum aliqui ad Clodouæum confugerant. Qui ab Alarico abſtractus, mox ad Burgundicum bellum ſe conuertit.

XVIII. *Virodunum receptum.*

Burgundico bello præluſerat ſeditio Virodunenſium domita. Illi à Clodouæo defecerant; nec cauſa à Scriptoribus traditur; iidémque auſi in rebellione perſeuerare, ad repellendam obſidionem ſe comparant. Quippe Rex, inuictus hactenus, qui foris hoſtem quæreret, domi per iniuriam natum ferre non poterat: lecto itaque milite, magna vi vrbem oppugnare aggreditur; quam militiæ partem nondum obiuerat. Iam murus valido ariete quatiebatur, iam agger exſtructus pugnatores ſupra murum ipſum euehebat; cùm ciues amentiâ ſerò animaduersâ, ad Regis clementiam confugiunt; quæ erat vna ſalutis anchora. Ad eum legant Auſpicium, Archipresbyterum vrbis, virum ſanctiſſimum, qui pro peccantibus ſupplex, impetraret criminis veniam; vt per Chriſti nomen, qui Chriſtum colendum modò ſuſceperat, conſentaneè ad eius legem ignoſceret, & parceret inimicis, futuris in poſterum addictiſſimis. Admiſit religioſas preces Chriſtianus Princeps, & patentibus portis in vrbem ingreſſus, nouam triumphi ſpeciem præbuit, inuſitatam Francicæ genti. Clerici linteati longo ordine primi incedebant, ſequebatur Rex pedibus modeſtè & piè, agmen claudebant Proceres & Præfecti cohortium; religioſam dixeris ſupplicationem, non pompam victoris: Sic itum in Eccleſiam, in qua gratiæ actæ optimo Deo, pari animo à condonante culpam, & ab accipientibus veniam. Ab hoc clementiæ claro facinore Gallis longè charior Clodouæus, bellum Burgundicum ſuſcipit. Gundebadus gemina fratrum cæde fœdè inquinatus, regni Burgundici potiſſimam partem obtinebat, Lugduni plerumque habitans, quam in vrbem Viennâ regni ſedem tranſtulerat. Godegiſilus frater ex tribus ſuperſtes, poſt alios necatos ditionis partem receperat, & Geneuæ Allobrogum thronum poſuerat. Is Gundebado longè inferior, opibus & auctoritate; ſiue metu, ne ſua etiam vice opprimeretur à fratre; ſiue inuidia & ambitione, vt potentiam & ditionem augeret, de perdendo fratre deliberat. Clam per Legatos Clodouæum ſolicitat, Gundebadum aggrediatur, ſe ab eo ſub articulum pugnæ defecturum, qui haud dubiè præda vtriuſque foret; ipſum compotem regni, tributum penſurum pro Clodouæi arbitrio. Non diu protracta eſt deliberatio; præter odij veteres cauſas, ſoceri Chilperici mortem à Gundebado allatam, & regni partem retentam, vnde petenda dos Clotildis vxoris; proximè incendebat, quod Burgundus in Alaricum propenſior, nuper Franco non tam pacem confecerat, quàm Gotho ſecuritatem præſtiterat. Itaque arma illicò expedit, mouétque in Burgundum, imparatum vt occuper, ac Theodorico pacis conſilia iam illato bello præripiat. Gundebadus inopinato hoſte perculſus, contractis quàm celeriter copiis, miſsíſque Legatis, ad fratrem primùm, qui oblitus priuatas inimicitias, in communem

Burgundicum bellum.

patriæ

patriæ luem se adiungeret fratri ; tum ad Alaricum, vt perinfensum hostem, in alieno solo, nullo incommodo, profligatum veniret ; mox ad Theodoricum, vt affinem suum in prædonem publicum tueretur, nihil prætermisit, quo procellam imminentem auerteret. Vrgebat interim admotum periculum, & in Burgundiam Clodouæus inuaserat. Verùm postquam copias Godegisilus adiunxit, confirmatus Gundebadus rem aleæ pugnæ permittit. Apud Diuionem dimicatur, quod erat castrum in finibus Lingonum permunitum : & ecce sub primam dimicationem, Godegisilus qui alterum cornu promouebat ; Gundebadi partes deserens, ad Clodouæum cum suis copiis transit ; simúlque transitione conficit pugnam ; Burgundi attoniti, & altero cornu spoliati, haud ægrè à Francis pelluntur, vincuntur, & in effusam fugam adiguntur ; spem vnam timentium. Gundebadus in eam raptus similiter, nec se vrbibus suis Lugduno aut Viennæ committens, eas ratus infirmiores ad compescendum victorem, secundo Arari se tradit ; cuius lentiorem cursum emendaturus, defluente Rhodano Auenionem Cauarum vrbem defertur ; longius à potestate vincentium se abducens, atque existimans se incolumi delibatam duntaxat victoriam, & facilè perdita facilius recipi. Attamen in omnem euentum, vrbem situ validam, milite implet & commeatu ; Aredio comite, fidei in omnibus exploratæ, & ad salutem Regis totam industriam adhibente. Nec Clodouæus in insequendo segnior fuit, qui eodem consilio anguem peremptutus in capite, relicto in Burgundia Godegisilo, vt victoriæ inuidiam temperaret, iisdem amnibus ad Auenionis muros deportat exercitum. Ea vrbs ad læuam Rhodani ripam excurrens, situ est opportuna ad ferendam & frangendam obsidionem ; neque aberat longius à ditione Theodorici, à quo Gundebadus iuuaretur, vel deploratis omnibus reciperetur. Instituitur acerrima oppugnatio, in propugnando nihil omittitur ; iámque diutius res protrahebatur ; inclinabat tamen in exitium ciuitas, & nisi maturæ ferrentur suppetiæ, breui capienda. Quod Aredius animaduertens, & cladem anteuersuram auxilium, quod decrat vi, à dolo arcessit, & simulatâ defectione, relicto in obsessâ vrbe Gundebado, ad Clodouæum obsidentem transit ; mentitus dissidium ; nihil mirum si cum eo Rege sibi minùs conueniat, qui fratres omnes hostes expertus, cæsos patiatur fusi sanguinis vindices. Clodouæus perbenuolè transfugam excipit, non dubius, quin ille citò periret, quem fidi & amici desererent ; virúmque prudentiâ insignem, & aulicis præditum artibus, in intimam familiaritatem statim admittit. Cuius in possessione vir sagacissimus, iuxta id quod Gundebado promiserat, persuadet Clodouæo, pertæso moræ ad vnam vrbem diuturnæ, vt pacem cum Burgundo conciliet ; facilius duos Reges capessituros iussa quam vnum ; Gundebado victo partem regni pro arbitratu condonet, vectigalem efficiat, neque diutius à meditullio regni absit, neu in hunc terræ angulum abditus, Visigothorum insidiis obiiciat se. Si velit eam in rem suâ vti operâ, confestim iturum Auenionem, & à Gundebado deditionem impetraturum. Rege assentiente, statim in pacta consensum ; Gundebado libertas data, & regni pars, vectigalis Franco ;

CLODOVÆVS.

Anno Christi 500.

Auenio obsessa.

CLODOVÆVS.

qui militem prædæ plenum, ipse clarus victoria reduxit in Franciam. Hæc dum agerentur, Godegisilus Viennæ agebat, Regem se Burgundiæ gerens, & à fratre securior, quàm præstaret. Vix enim Clodouæus Parisios constitutâ pace redierat, tribus Francorum millibus Godegesilo in præsidium relictis, cùm vltione ardens Gundebadus, repente inuecto milite, Viennam oppugnat. Godegisilus media in pace minimè in bellum paratus, donec à Francis adessent auxilia, statuit muris hostem arcere. Cúmque ciues abundarent, annona deficeret, isti vt parcat, paganam & tenuem turbam vrbe emittit. Sed inde lues, vnde remedium; inter ejectos, quidam curator fontium deturbatus latibus, verténsque contumeliæ, quod artem suam & operam Rex flocci faceret, eadem arte vlturus iniuriam, aperit Gundebado rationem vrbis expugnandæ. Docet aquæductum esse subterraneum, qui ab vrbe, latente cuniculo, in patentes agros semitam ageret; hanc sibi perspectam; expurgari sentibus posse & retrimentis, quibus erat obstructa, admissúmque in ea militem euasurum in vrbem mediam. Gundebado consilium placet, purgatur cuniculus, intromittitur miles, & quà salubribus aquis olim via, mors latens in ciuium exitium erumpit. Vrbs capitur, & capientium furori permittitur; Godegisilus in obuium Templum se abdit, quod nuper Arianis concesserat, in quo Aram amplexus, & fraternum amorem ingeminans, cum Ariano Episcopo trucidatur. Franci milites qui in turrim confugerant, coacti se dedere, vel Tolosam missi sunt ad Alaricum, vel interfecti, vt pluribus placet. Senatores Viennenses, in Godegisilum propensi, diris cruciatibus laniati occisi sunt; nullà vindictæ parte à sceleratissimo Rege omissâ; qui tribus fratrum cædibus secundò regnum adeptum instaurat. Ea in re quid egerit Clodouæus, parum liquet ex Annalibus nostris. Crediderim aliquo tempore persolutum à Gundebado tributum, quo mitigatus sit Clodouæus, iam totus in Visigothorum bellum impensus.

Gundebadus Godegisilum occidit.

XIX.

Bellum in Alaricum.

Ad quod incitantibus multis, ab eodem pauca & momenti grauis absterrebant. Primùm Gothicum nomen per Europam latè propagatum; gens rarò victa, cui seruiret Italia, quondam Orbis Domina, subiiceretur Hispania, ac ipsa Gallia ab amne Ligeri ad Pyrenæos populos subderet fortissimos & pugnacissimos; id inquam nomen & gloria arduam suæ gentis victoriam præferebat. Deinde vna tot inter populos loco distantes consensio, vt tametsi Ostrogothi Italiam & Insulas ad Orientem iacentes occuparent, partes occiduas Visigothi; idem tamen omnium animus, conspiratio eadem, tam immensum corpus prouocanti metum incuterent. Nec dubium, quin Alaricum aggredienti Theodoricus occurreret; primùm belli minas vt antea discussurus officiis, dein si amica intercessio minus posset, adjuncturus armatam, & dextras Herulorum victrices effusurus in Franciam. Imò Alaricum, vel ab affine desertum, non eum esse, de quo facile trophæum erigas; virum hactenus felicem, qui in Hispania seditiones duas compressisset, quem erigerent Eurici patris amplæ victoriæ, dolis instructum, vbi res poscceret; opulentis & populosis prouinciis imperantem, quas amnes, montes, & munita castra protegerent, quáque

verè

vetè Gallorum ossa & neruos diceres; illum denique de imperio dimicantem, de salute & religione, atque in summâ desperatione, nutanti ancipitique victoriæ afferre vim posse. Ex aduerso, ardenti in bellum animo subiiciebant calcaria; præter studium Christianæ religionis,& desiderium extinguendæ luis hæreticæ, amplissimum excurrendi campum aperiebat ambitio.Quippe inflammabat iam accensam mentem cupiditas tot prouinciarum ac gentium, vt sua Francia protenderetur in Galliam totam, ac Pyrenæis quasi naturæ terminis concluderetur.Stimulabat æmulatio quædam honoris & gloriæ, ob quam anteà singulare certamen Alarico indixerat, & in vtroque multa cùm essent paria, ætas, regnum, felicitas, sperabat Francus Gothum fortitudine futurum imparem: qui nempe in otio & voluptatibus,ludo vitam & deliciis terens, vix vnquam steterisset in acie; quique tunc temporis, in legibus Theodosiani Codicis euoluendis dies absumeret. Nec perdifficilem fore expeditionem, penetrantibus in rerum momenta, per externam & inanem speciem veteris gloriæ. Visigothos voluptatum vsu dudum emollitos, bellicæ artis propè immemores, vnà Patrum gloriâ seu larvâ terribiles, tam facilè vinci quàm Burgundos posse: iis Francos opponi, bellorum vsu assiduo, induratos periculis, feroces & audaces victoriis, & vincendi materiam peroptantes.Ad Theodoricum quod pertinet; eum assuetum auctoritati Togatæ, ægrè ad vim & arma iturum; distare longius ab Alarici prouinciis; in alterum arma promenda quantocyus, in alterum verba.Ergo bellum constituitur.Sed ad pacis externam speciem, Legati ad Alaricum mittuntur, qui repetant fugitiuos, criminum causâ perfugientes ad Gothum, & de cæteris aliquot postulatis agant.Eorum dux Paternus,vir sagacis prudentiæ,tam doctus,retegendi alterius,quàm tegendi sui. Honorificè ab Alarico exceptus,comperit prona quidem in pacem omnia, sed fraudulentam & subdolam. Gothus expetebat Franci colloquium, affinitatis ineundæ præ se ferebat cupiditatem; quæ solemnis eo tempore, dum alteri barbam futurus affinis manu contrectaret; adesset Clodouæus, in arbitratu suo futura omnia. Sic indicta colloquio tempus & locus; placitúmque vt Reges comitantibus paucis, inermes, ad iungendas dextras conuenirent. Clodouæus pace modicâ bellum interiungens, simul vt Theodorico concinnandæ concordiæ modum excuteret; absque mora in Aquitaniam tendit. Dubium autem, an cum Alarico colloquutus sit. Affirmant aliqui in insulam Ligeris, Sancti Ioannis dictam, tunc proximam vico Ambaciæ, duos Reges conuenisse, collocutos, epulatos simul, ac amicitiam inter se iunxisse. Quod si verum sit; quomodo Clodouæus & quam ob rem, iuratam concordiam tam citò abruperit, explicandum est; quod illi minimè faciunt. Vnde mihi magis accedere ad rem gestam videtur, quod scribunt alij de colloquio illo per Legatos, non per Reges inito: ita vt Clodouæus Paternum eundem in Insulam miserit, qui exploraret, an Gothi inermes, & eo numero qui condictus erat, accederent. Nudos quidem armis à Paterno inuentos, sed fraude occultâ, virgas ferreas gestare pro vimineis, quibus vulnera & necem ipsam, si animus foret, infligerent. Ex-

CLODOVÆVS.

De pace agitur.

CLODOVÆVS.

clamare Paternus illicò, appellare ius gentium, violatam fidem & pacta dicere, intentari malum Clodouæo, paratásque virgas ad nefarium facinus. Cùm id pernegaret Gothus, casúmque fortuitum affirmaret, infectis rebus discessum est. Missi vtrinque Legati ad Theodoricum, qui accusarent factum, & qui defenderent. Clodouæus interim haud cunctatus; bellum enim non colloquia deliberauerat, bellicum insonat, diuinis confirmatus auspiciis, & ingenti Francorum animo, in Aquitaniam mouet. Prius tamen; ad conciliandam Aquitanorum gratiam, imò ad Dei Maximi opem impetrandam efficaciùs; vetat pœna mortis propositâ, Ecclesias spoliari, vim vllam inferri piis Virginibus, aut sacris Deo viduis, aut Clericis eorúmue familiis. Deinde post transmissum Ligerim, & Turonum agrum ingressus, in reuerentiam sancti Martini, tota in Gallia summæ veneration is, vetat pariter militem, quidquam a rusticis præter aquam & herbam accipere. Idque edictum seuero facto sanxit in gregarium militem, qui cùm paucos fœni manipulos cuidam agresti eripuisset; affirmans nihil contra iussa actum; cùm fœnum herba sit; statim Regis manu, vbi rescisuit rem, interfectus est; fœnúmque rustico redditum; eáque vnius pœnâ, multò certiùs quàm omnibus legibus, securitati agrorum cautum est. Adiecítque Rex pius & religiosus, victoriæ spem abiiciendam, si rapinis & sacrilegiis sanctum Martinum offenderent; & regionem cui tam inclytus præfuisset Episcopus, prædis actis vexarent. Dein misit Turones, qui ad sancti Lipsana dona regia precésque deferrent, suo nomine tutelam eius exposcerent, ad profligandam hæresim turpissimam, & Christo Domino ignominiosam; tum ad petendum felix quod inchoabat belli præsagium. Erat enim his temporibus moris apud Christianos, vt qui rem momenti maioris vllam susciperet, in spem futuri euentûs, vaticinatione innoxiâ, Templum subiret, dum cœlestes preces concinerentur, & tunc decantatum versiculum quasi Sybillæ folia obseruaret, suámque in rem accommodaret; Deo plerumque, quem nihil rerum mortalium latet, religioni vaticinium verum condonante; & curiosos homines auertente à prauis superstitionum Tartaréisque præsagiis. Ideò non putauerim Clodouæi legatis contigisse fortuitò, vt quo puncto temporis in Basilicam Sancti pedem inferebant, Cantor elata voce hunc è Psalmo versum cecinerit; *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, & inimicos meos dedisti mihi dorsum.* Nam id imminentis victoriæ præsagium fuit; gratulanti animo acceptum à Rege, traditúmque in omen militi; cui inter arma nullus lituus efficacius sonat, quàm religionis. Quo ardore & incensus ipse Clodouæus, militarem ad Francos habuit orationem, cuius id potissimum argumentum erat, à pietate & religione. *Non eos in concionem vocatos, vt verborum aculeis animi impellerentur in bellum; iis non egere, qui vltrò prorumpant in Martis discrimina, coercendi potius, quàm pellendi. Satis in præsentia, si norint, in quem hostem agantur. Nempe in eum qui in Christum Optimum Maximum, per summum nefas, suscepit bellum atque commouit. Ingemiscere vniuersos populos, non tam iugo durissimæ seruitutis, quàm sacrilega impietatis, in vrbibus suis propagata. Summis precibus petitos à Deo vindices, qui purgarent contumeliam suam, qui Tyrannos à capitibus*

Clodouæus ad bellum profectus.

Clodouæi religio.

Præsagium à S. Martino.

capitibus atque à mentibus amouerent, & toti Gallia sanctissimos cultus instituerent, quos accepissent à Maioribus. Ideò Francos omnium votis expeti; qui portas vrbium aperire nondum potuissent, animos patefacere; irent duntaxat ad pugnam fortiter; ea vna rem confectum iri; Gothis semel victis, accessuros omnes omnium ciuitatum Gallos. Se Dei vices gerere, qui pugnarent pro eius gloria; affuturum pugnantibus; iam præsagio Diuum Martinum spem fecisse victoriæ; eius certi, progrediantur ad prælium; antè pro gentis gloria, nunc pro honore Dei & Diuinitate Christi, dimicaturi feliciter. Summo militum plausu excepta oratio; elatis dextris Regi pollicentur omnes in omnia promptum obsequium; in hostem ducat, nec laboret de laurea: & plerique, qui genti mos antiquus; ad significandum ardorem, voto se obstringunt, barbam nisi hostibus victis non ponere. Quibus omnibus egregiè stabilitis, Rex pugnæ cupidissimus, exercitum ad Vigennam amnem admouit.

CLODOVÆVS.

XX.

Vigenna, *La Vienne*, in Pictonibus amnis est, per eosdem & Turones, à Lemouicibus defluens, qui post exceptos Clenum & Crosam, fluuios non ignobiles, in Ligerim funditur. Is transmittendus Francis, sic intumuerat, vorticosis vndis, & extra ripas stagnantibus, vt nulla pontis aut lintrium opportunitate, plures dies dum defluerent aquæ præstolandum foret. In iis angustiis Clodouæus proximam noctem traduxit solicitus, assiduis ad Deum precibus; quæ nusquam inanes. Nam sub ortum lucis, dum Franci motis castris taciti ad amnem accedunt; Cerua è virgultis exiliens, agitata repentino clamore militum, cursum ad amnem deflectit, séque in eum iniiciens, vado commodo secura euadit in alteram ripam. Franci ducem sequuti tam admirabilem, demonstratum vadum obseruantes, se in idem immittunt, & ingenti diuinæ opis admiratione, vniuersas copias sine damno transmittunt; Leones à Cerua ducti, quódque auget miraculum, ad pugnam non ad fugam. Traductis feliciter copiis, Clodouæus Pictauium contendit; seuerè prohibens, ne cui vlla irrogetur iniuria, in gratiam Hilarij, sanctissimi olim Pictauiorum Episcopi, & Christianæ fidei contra Arianos propugnatoris acerrimi, vt in eos haberet consortem expeditionis, quem tota Gallia habuisset olim defensorem. Recesserat Alaricus, relictâ vrbe vacuâ, quam occupat Clodouæus, castris extra positis, haud procul à Sancti Basilica prætorium figens. Et obseruatum est ab excubiis, sub noctem mediam, prorumpere speciosum ignem, in figuram columnæ, ex eadem Basilica, & ferri in tabernaculum Regis consopiti, in cuius apice diu hæsit spectandus; quasi Clodouæo Hilarius ad Arianos pellendos, quos tantopere oderat, lampadem traderet, ad quos excidendos profiteretur se ducem, & pro se Regem fidei columnam substitueret, immotam atque inconcussam. Postridie Franci tantis prodigiis confirmati, Alaricum ad Vauclodenses agros assequuntur. Erat Vaucloda ignobilis pagus, hac pugna mox celebris, decimo à Pictauio milliari, circa agris in patentem planitiem fusis, ad ferendos & committendos exercitus. Alaricus, quanquam amplis copiis cinctus, amnium obiectu se tutum ratus, dum illæ nouis accessibus militum augerentur; postquam Vigennam hostis superauerat, Tolosam versus regrediebatur, siue vt maioribus

Vigenna trãsitus.

Poitiers.

S. Hilarius fauet Clodouæo.

Vouillé.

CLODOVÆVS.

maioribus copiis firmaret exercitum ; siue vt hostem statim in alieno laboraturum commeatus inopia , nullâ pugnæ aleâ perderet. Quæ & eadem Clodouæus reputans , magnis itineribus assequi recedentem volebat , & ad pugnam adigere. Idque factum ad eum pagum quem dixi. Alaricus tandem , ne recessus in fugam verteret , pariter consistit , & ad pugnam se instruit. Luce proxima copiæ ad dimicationem eductæ , suósque paucis adhortatus milites Clodouæus , sicut erat armis fulgens , & hastæ innixus , vt Sanctissimæ Trinitatis propugnarent gloriam , & contumeliam turpem illatam Christo Domino vlciscerentur , eius opis securi , eos dimittit signo Crucis munitos , dato in militarem tesseram *nomine Domini*. Mox in prælium commissæ vtrinque acies. Huius singula non tradunt Historici , in iis ieiuni admodùm , contenti victoriâ , quæ Francorum fuit. Visigothi magna strage fusi , & Gallorum haud pauci , qui simul pugnabant ; in quibus plures Atuerni & Nobiles , quos ducebat Apollinaris, filius celeberrimi Apollinaris, tum doctrina, tum sanctitate vitæ Episcopi. Palmarium fuit , & victoriæ cumulus , quod Alaricus à Clodouæo ipso peremptus est , siue in fuga , siue in acie ; nam in eo diuersi auctores sunt. In quo facinore Clodouæus animi simul & corporis robur ingens ostendit: Nam in Alaricum dum ardens ruit , impetitur à duobus simul equitibus, hastis infensis in ipsum concurrentibus ; & eorum quidem ictus tam immotus quàm illæsus fregit , lorica cuspides propulsante versas ad latera, & firmitate corporis in bellatores geminos præpollente. Hac victoriâ clarus, & opimis spoliis opulentus , vt perficeret quod inceptum erat tam fauste, exercitum victorem diuidit , partem tradit filio Theodorico , qui à teneris artem patris ediscceret , profectus in prouincias superiores Aquitaniæ , ad Albienses , Rutenos , & Cadurcos, eósque non repugnantes Francorum ditioni adiungeret. Ipse cum cætero exercitu, per Santones ad Burdegalenses contendens , quà vi , quà sponte , captas & deditas vrbes , Francis apponit. Etenim latè effusâ victoriæ famâ , Rege cæso , & peremptis Gothorum fortissimis , reliquos tantus terror inuaserat , à bellorum periculis per diuturnam pacem abhorrentes , vt facile fuerit incertos & vagos vel ad fugam , vel ad deditionem impellere. Præterea Galli , amantissimi Religionis Catholicæ , & dudum oppressi Visigothorum tyrannide , summâ voluntate Francos excipiebant , qui vtrumque iugum excuterent , & maiorum fidem sanctè tuerentur. Sic Clodouæus per receptas vrbes incedebat victor , ad Burdegalam accedens , vrbem clarissimam antiquitate , ac frequentiâ ciuium,& portu ad Garumnam,Oceanum influentem,quæ caperet. In cuius agris primam victoriam laureâ nouâ constabilit: si tamen recentioribus credimus , cuius rei apud veteres nullum monimentum. Nam in iis Visigothorum reliquiæ confligunt audacius quàm felicius , & profligantur in campo , quem eam ob cædem campum Arianum appellatum volunt. Victorem illicò admittit Burdegala , in qua hyems traducta ; ad milites quiete modicâ instaurandos , & recipienda noua supplementa. A qua breui mora, Rex validiorem exercitum Tolosam ducit, quæ regni Gothici caput; eâ potitus & gasâ regiâ, non ægrè. Quippe ex ea post pugnam priore ceteri fugâ

Pugna Vouladensis.

Anno Christi 507.

Clodouæus Aquitaniam subigit.

Burdegala capta.

fugâ Gothi Senatores ſe proripuerant, Geſalicum ex Alarico & concubina maiorem natu filium ſecum abducentes, quem Narbone, vbi perfugerant, Regem ſalutarunt. Iámque in tota Aquitania, præter Inculiſmam, vrbem in Santonibus ad Carentonum poſitam, quam munitam Viſigothi tenebant; cætera oppida Francum admiſerant. Ad eam expugnandam Clodouæus exercitum ducit; ad cruentam haud dubiè oppugnationem; in qua extremam naufragij tabulam Viſigothi ſtatuerant; niſi cœleſte miraculum peperciſſet Francorum ſanguini. Iam accedebat ad murum Clodouæus admoturus machinas, vel vt colligitur ex manuſcripto Inculiſmenſi, ſanguinis & aquæ ſacroſanctas reliquias ferebat religiosè contra munimenta; cùm Numine arietante, & Imperatori ſuo militante, ingens muri tractus impellente nullo labem fecit, atque in foſſam ſubiectam proruens, obſidenti viam planam aperuit. Hinc Gothos terror, Francos ardor inſedit: hi ſubire murum, inſtare victis, & paratam necem circumferre: illi portento attoniti, turbati animis, fugam comparare, ac dum cædere nequeunt, paſſim cædi: ita expunctis Gothorum reliquiis, penes Francum vrbs fuit, & Imperator, quem cum Poliorcete, imò cum Ioſue ipſo componeret. Miraculo tamen inuidiosè vim detrahunt, qui murum affirmant vetuſtate collapſum. Nam præterquam quod, id etiam diuinæ beneficentiæ fuerit, hanc muri ruinam tam aptè ad expugnationem aptaſſe; quis credat Gothos delegiſſe vrbem in aſylum, cuius munimenta tam inualida forent? non ea inſpexerint, non vetera inſtaurarint, noua erexerint? cùm inter cladem pugnæ & obſidionem annus effluxerit; quaſi muros pro reti habuerint, quo incluſi caperentur, non defenderentur. Attamen ſcribit Auctor antiquus, ciues Inculiſmenſes, miraculo ruentis muri attonitos, ſe Francis, quibus pugnaret Deus, ſtatim addixiſſe, & Gothos, confugientes in arcem, profligatos & captos ab ipſis ciuibus, & Francis deditos: quod vim miraculi auget, non minuit; obſeſſis oppugnantium vicem implentibus. Rex poſt captam vrbem, iam vniuerſæ Aquitaniæ Dominus, collocatis per opportuna loca præſidiis, & Francis colonis quos eam in rem vocauerat, iuſſis in variis vrbibus habitare, triumphantem exercitum reducit in Franciam, repetito per Pictones Turonéſque itinere. Et beatorum memor, Martini atque Hilarij, eorum opem tam præſentem expertus, regiis donis Eccleſias cumulauit; & præcipuè ſancto Martino equum donauit, quo ad pugnam eſt vſus; munere æſtimando ex donantis genio, cui pugnace equo nihil acceptius. Quo tamen diu carere non potuit; miſſis centum nummis, quibus anathema nouum redimeretur: ad quod pretium immotus equus cùm abduci non poſſet, centum aliis nummis ad primos adiunctis, ductorem eſt ſequutus; quadrupede ob geminatum pretium chariore, qui tanti eſſet, & Deo & Regi. Præterea Aquitanicis Epiſcopis conceſſa quæ peterent, & captiui plures, tum Laici tum Clerici, ad eorum preces liberati; vt per religionem videretur viciſſe, qui illi tam benignus vicerat. Regredienti Turones noua gloria acceſſit, legatio ab Anaſtaſio Imperatore. Vtrique conducebat, vel ad pompam aliquod fœderis genus inſtitui. Nam Anaſtaſio præter domeſticas turbas, & bellum Perſicum, malè

CLODOVÆVS.

Angoulême.

Inculiſma capta.

Equus oblatus.

Anaſtaſij legatio.

CLODOVÆVS.

malè conueniebat cum Theodorico; in quem si Francum Regem semel immitteret, se ab hoc periculo securum præstaret. Eratque ad Clodouæi laudem non modicam, & ad famam plurimam, quod ipsius expeteret amicitiam Imperator Romanæ potentiæ administer, Constantini successor; & ab Emporio dudum orbis capite tanto interuallo legat: adessent ad salutandum Victorem. Palam itaque ac plaudente toto exercitu, Legati admissi, exhibita ab iis munera; corona aurea, trabea Consularis, scipio eburneus, qui sceptri loco; (ea olim muneraamicis & fœderatis Regibus mittebantur à Populo Romano) & solemni oratione Patriciatus dignitate auctus Clodouæus. Quibus donis ornatus, & equo vehens, pompam triumphi circumduxit per ingens atrium, expassum ad Basilicam sancti Martini; in plebem & militem sparsis missilibus; vt nouâ beneficentiâ memoria gloriæ perennaret. Rex deinde Parisios profectus, filium Theodoricum excipit, victorem similiter, post subactos Albienses, Cadurcos, Ruthenos, atque Aruernos, & iuxta pleroſque capta Carcassone: patris summo gaudio, quem filius neutiquam degener æmularetur. Neque hactenus vllum infortunium prosperitatis cursum abruperat; cùm limites sibi nullos statuenti noua clades constituit.

XXI. *Clodouæus Arelate pulsus.*

Visigothis ex Aquitania expulsis, vt ex tota Gallia pellerentur Clodouæus connitendum putauit. Ii adhuc Septimaniam seu Gothiam tenebant, partem scilicet Galliæ Narbonensis, obiectam ad mare Mediterraneum; vnde in tanta rerum perturbatione, videbantur deijci posse labore non multo. In eam rem Gundebadum Burgundionum Regem nouo fœdere colligat, vt Visigothos publicos omnium hostes penitus exigant, illorum spolia partituri. Neque dissentire ausus Gundebadus, ne in alios paratum exitium in se deriuaret. Clodouæus igitur, auctus Burgundionum copiis, Arelaten obsidet, vrbem positam ad lævam ripam Rhodani, non procul à Mediterraneo; quâ captâ, facilius Narbonem expugnet, quæ vna tunc temporis sedes & caput regni Gothici erat. Attamen eam ad vrbem gloria inuicti Regis ceu ad scopulum naufragium fecit. Theodoricus Italiæ Rex, tandem exporrectus, post irritas & inanes Legationes, susceptas ad coërcendum Francorum impetum; iam agi rem suam ratus, si ex tota Narbonensi pelleretur gens sibi affinis, & Franci per Mediterraneum ad Italiæ fauces accederent, amplas copias quantâ potest celeritate in Galliam mittit. Ibas Dux iis præfectus, qui per Alpes maritimas in Phocensem prouinciam penetrans, magnis itineribus Arelaten contendit. Perstabat in obsidenda vrbe Clodouæus, quæ siue longior illius exercitum detriuisset, siue pugnacibus ciuibus conscidisset Francorum fortissimos; pugnâ commissâ Clodouæus est victus, suorum clade non modicâ, & cum magna ignominia, soluta obsidio. Iornandes scribit, cæsa plus triginta Francorum millia: sanè ab ea clade Clodouæus à Gothis per aliquod tempus abstinuit, irámque conceptam in affines conuertit. Theodoricus fructum victoriæ consecutus est magnum: adiunctâ suo regno totâ Galliæ orâ, à Rhodano ad maritimas Alpes, quam antè Odoacer Eurico Alarici patri donauerat, cum Auenione, & castris ad Druentiam positis. Imò

Anno Christi 508.

&

& Septimaniam sui iuris fecit; siue eam pro pupillo Rege administraturus, siue armis defensurus validioribus. Nihil tamen innouatum in Aquitania. Clodouæus interim Parisios regressus, partim ex ærumnis bello toleratis, partim dolore & ægritudine animi, ob cladem acceptam, morbo correptus est, molesto admodùm & diuturno. Quo laborans iam per totum annum, & medicorum industriâ deficiente, Rex quod in bello fauste successerat, ad Diuinam opem versus, virum celebrem sanctimoniæ famâ arcessit ex Burgundia. Is Seuerinus Abbas Monasterij Agaunensis, siue Acaunensis; quod positum ad extremos Burgundionum fines, vbi Rhodanus in Lemanum lacum ad Valesios subit, sub regula sancti Augustini, quamuis nondum stabilitum certis reditibus, iam inclitum erat cœnobitarum virtutibus. Seuerinus aduenies, iuxta conceptam sanctitatis famam, rogatus à Rege vt preces ad Deum pro valetudine, quouis medicamento potentiores offerret; per eas febri continuò discussâ, valetudinem primam restituit. In beneficij gratiam, Clodouæus cœlesti Medico potestatem fecit, liberandi è vinculis quos libêret, & pecuniæ quantùm vellet in pauperes erogandæ, quam è Fisco sumeret; vt qui regiis donis in se viam occluderet, eam, quod sanctorum est, in miseros aperiret. Præterea impetrauit Rex, vt in Francia, reliquam vitam ageret; tamen vir sanctus discessit Parisiis, solitudinis amantior quàm frequentiæ aulicæ; latuitque apud Senones in castro Nantonensi; vbi & vitam posuit & deinceps in Ecclesia, à Childeberto Clodouæi filio magnificè extructa, cultu præcipuo obseruatus. Sed qui corpore conualuerat, statim recidit in morbum animi inueteratum, & abducente longius cupiditate, reuolutus est in primam ambitionem.

CLODOVÆVS.

Clodouæi morbus.

Saint Maurice en Valais.

S. Seuerinus.

Chateaulaudon.

Nam vt in corporibus humanis euenit, deficiente quod internus calor coquat alimento, is corpus ipsum præripit in alimentum, & vitæ instrumentum vitam mox perimit: ita Clodouæus, foris cessantibus bellis, quæ vel confecisset, vel instaurare à Theodorico coërcitus non auderet, effudit ambitionem in Francos Principes suósque affines, quorum minore periculo & non leui commodo, ditiones totas occuparet. Bellum verò confestim non mouit, dolo clam texens consilia; adeò vel iniusti iniquitatis speciem abdicant, & laruâ iustitiæ deformitatem vitiorum tegunt. Eo consilio primum aggreditur Sigebertum, Coloniæ Principem, iam à Tolbiaca pugna, fide & accepto vulnere Regi perspectum. Hunc Clodouæus dudum expostulantem, quod pro collato beneficio, nihil accepisset præmij, præter Claudi nomen ex vulnere; & molestum, quod exaggerans beneficium accusat ingratum, primum ad cædem seponit; quam non ausus palàm inferre, Cloderico filio eius, temerario & perdito iuueni, crudelem illam prouinciam tradit. Per Legatum fidum, filio persuadet, diu pertæso diuturnioris vitæ in parente, vnde regnum serus expectabat, ipsi vt necem afferat, & tandem regnum capiat, quod natura tribueret; Clodouæum opem præbiturum, nihil poscere, nisi in partem aliquam admitti plurimæ gasæ, quam pater collegisset. Aptior iuuenis ad parricidium quam pat foret, occasioni intentus, dum pater trans Rhenum, in silua Buchonia, Thuringiis vicina, paucis comitantibus venatui indulget, & sub meridiem in

XXII.

Clodouæus Coloniam occupat.

CLODOVÆVS. rustico tabernaculo, cursu fessus altum somnum capit, incautum perimit per immissos Sicarios. Dum ignoratur facinus, parricida regnum patris occupat; & confestim ab auctore criminis in pœnam rapitur. Siquidem missi à Clodouæo, qui paternas opes ex pacto cum eo diuiderent; neque hæsit præceps in diuidendo; ipse in arcam nummis oppletam, dum capite cernuus iniicit manum, à tergo securi in caput impacta occiditur, & in paternam gasam quam tantoperè concupiuerat, cruorem terrum effundit, regno vix delibato. Clodouæus interim Scaldi nauigabat, qui re perfecta, Coloniam aduolat, populum vocat in concionem, docet miserum patrem à barbaro filio interemptum, ab ignoto filium; neminem ad eorum regimen aptiorem quàm se, qui eiusdem gentis, amorem in regendo afferret, & magnæ potestatis, ad defendendum polleret. Ignari Colonienses, à quo fonte profluxissent flagitia, statim Clodouæum, pro more gentis scuto impositum, in Regem euehunt, famâ clarum & virtute bellicâ. Sic Franciæ regnum, propagatum ad Rhenum, & trans ipsum amnem ad fluuium Fuldam & Thuringiæ fines extensum. Clodouæus Coloniâ potitus, mox in alios aperto Marte grassatur. Et iustius quidem in Chararicum, in quem ditione lata apud Ambianos imperantem, vetus & sopitum odium suscitat. Ille bello in Siagrium moto, stans à Clodouæo medius inter pugnantes constiterat: demùm ad Clodouæum postquam vicit accedens. Tunc dilata vltio modò cum incremento recruduit, anno post iniuriam plus quàm vicesimo tertio; quam fortè sopitam excitauit cupiditas. Bellum motum cùm procederet lentius, idque Chararicus, sagacitate plurima callidus, per dolos fraudésque produceret; Clodouæus similiter vulpem Leoni adiungens, deceptum & incautum Chararicum capit cum filio, bellum in capite finiens, ferróque tunc parcens, ciuili vita vtrumque abdicat, tonsos barba & crinibus, Patrem annumerandum Presbyteris, Diaconis filium; adscribens inuitos sacris Ordinibus. More iam frequentato, vt ciuilis eiusmodi mors institueretur, quæ sanguini parceret, & comam resecandam pro capite substitueret. Sed parcentis indulgentiam corrupit haud multò post vox generosior, quàm abdicato præstaret. Pœnæ acerbitatem accusabat Pater, solabatur filius. *Quid Pater,* aiebat, *detonsam barbam & crines expostulas? Hi frondes sunt, decisa à trunco viridi, in quarum locum noua statim succrescent. Vtinam huius facinoris auctor tam citò pereat, quàm hæ pullulabunt.* Hæc verba Regi renunciata, palam faciunt, non animos cum capillis demissos; ideò iussi interfici secunda morte quos prima non subegerat. Supererat Regnacarius, Regi quidem affinis, & aduersus Siagrium bellanti commilito; sed plurimis adstrictus vitiis, quæ inuisum & odiosum subditis facerent. Cameraci sedem regni posuerat, & multos vltra Somonam pagos obtinebat, adhuc perseuerans in idolorum cultu patrio, tam præterea in turpem libidinem effusus, vt matronis passim contaminatis, ægrè abstineret à propinquarum corporibus. Huic vnus præ cæteris longè acceptior erat quidam Faro, morum similitudine coniunctissimus, & libidinum prauo consortio; quo vno auctore ad res quasuis vsus, magnum in se incendium odij concitauerat. Quam occasionem

Chararicus cum filio occisus.

Regnacarius occisus.

vrgens

vrgens Clodouæus, ſibi promiſſis Proceres multos conciliat, armillas ex auro baltheóſque pollicitus, ſi Regem ſibi traderent. Stabilitâ ſpe mutuâ, exercitum inducit in agrum Cameracenſem; continuò Regnacarius copias euocat, fratrem Richarium arceſſit, & Farone omnia conſtituente, mittit ſpeculatores, qui hoſtilem exercitum inſpiciant. Ii empti à Proceribus renuntiant Clodouæi copias, numero & viribus longè inferiores Cameracenſibus; Clodouæum, ſi pugnatum ſit, indubiè vincendum. Quibus fidem habens, in aciem progreditur Regnacarius; ſed ſtatim à proditoribus comprehenſus cum fratre & Farone, tenuinctis ignominiosè poſt terga manibus, Clodouæo traditur, in ſeram ſed veram flagitiorum pœnam. Clodouæus capto ignauiam exprobrans, quod ſe capi & duci paſſus, eam contumeliam non occupaſſet, ſibi inferens mortem: At ego, inquit, pro te hanc infamiam eluam; ſimul impactâ in caput ſecuri miſerum obtruncat. Dein conuerſus ad Richarium fratrem. Quid tu tam ignauè opem fratri tuliſti, vt ſit raptus in vincula? Sis fati ſocius, qui & ignauiæ; nec à fratre diuiſus eſt, capite eadem bipenni diffiſo. Faro auctor & conſors criminum, pœnæ conſors adiunctus eſt: victor occiſi regnum inuaſit. Vnum tamen Regis tor inter probra honeſtum facinus, quod proditoribus pollicitus armillas ex auro, æreas auro bracteatas dederit in præmium proditionis. Qui cùm de fraudulenta mercede apud eum expoſtularent; ſic ab eo increpiti ſunt: An neſcitis, quantùm debeatis mihi? grauiſſimis pœnis ob proditionem obnoxios, liberos facio: quid præſtolamini? ite, & pro ſalute rependite gratias. Regnacario præter Richarium, tertius erat frater Ragnimirus, qui apud Cenomanos regnum obtinebat. Hic iuſſa cæde adiunctus eſt fratribus, tum ne vindex aliquando inſurgeret, tum vt ſpoliis & ditione peremptorem locupletaret. Per eiuſmodi cædes Clodouæus Francos regij ſanguinis Principes, haud paucos perimit, Galliam Belgicam vniuerſam, & trans Rhenum multas prouincias in vnum imperium, quà vi quà dolo compingens, ne quis fortè liberis ſuis moleſtiæ quidquam faceſſeret. Iámque nulli affines ſuperſtites erant; quo deinde ſecurius in Aulicorum globo conqueſtus eſt; ſe eſſe miſerum, qui iam nunc propinquis orbatus omnibus, haberet neminem, qui oblato diſcrimine, ſalutis ſuæ curam ſuſciperet. Quæ tamen querela in calumniam eſt traducta, quaſi Rex indagaret poſtremam ſui ſanguinis ſtillam quam funderet, & inuideret Orbi proſapiam ſuam. Eas inter curas non ceſſabat de Theodorico ſolicitudo.

CLODOVÆVS.

Præmium proditionis.

Le Mans.

Ille poſt depulſum Arelate Clodouæum, & Prouinciam occupatam, quæ pars erat Narbonenſis Galliæ, & ipſam Aquitaniam ſtatim aggreditur. In eam Mammonem ducem cum exercitu mittit; qui excluſus vrbibus abhorrentibus à Gothorum Arianorum imperio; agros depopulatus, re nullâ patratâ reuertit in Italiam. Mox Gundebadus Burgundionum Rex, quem ſæpe memoraui, concitatus à Clodouæo, in Geſalicum Viſigothorum Regem, Narbone agentem, exercitum ducit; obſidet in vrbe primaria, eámque fortiter expugnatam capit & diripit. Geſalicus in Hiſpaniam fugit, inea regnum vt ſtabiliret. Sed diuerſa erat mens Theodorici. Geſalicum abdicare ſtatuerat; ſiue vt in Occidentem Oſtrogothorum regnum propa-

XXIII. *Theodericus Rex in Gallia & Hiſpania.*

CLODOVÆVS. garet; siue vt Amalarico regnum conficeret; adhuc puero, ex Alarico per iustum coniugium nato, & nepoti suo ex filia. Ibas Dux ille Francorum victor administrabat Hispaniam: & is Theodorico iubenti obsequens, ab ea Gesalicum fugientem excludit; indignum professus Hispaniæ præfici, qui Galliam amisisset, & Narbonem validissimam vrbem perdidisset. Interim Clodouæus Gundebadi successu lætior, venturus ipse in partem victoriæ, & primam deleturus infamiam, Arelaten rursum expugnare aggreditur. In eam expeditionem validum exercitum mittit, nec ipse proficiscitur, intentus componendis nouis regionibus, quas in Belgio comparauerat. Et Franci quidem latè depopulati Prouinciam, Arelaten validè oppugnant, & ad extrema ciues adduxerant, cùm aduenium à Theodorico noua subsidia. Ducebat copias Tholumus Ostrogothus, qui integer in Francos ærumnis obsidionis defessos irruens, eos primùm deiecit ponte, quo ex cymbis Rhodanum strauerant; deinde propius castris imminentes, adegerunt ad soluendam obsidionem: fato quodam vrbium, remoræ instar magna bella frangentium. Theodoricus consilia ad optatum euentum accommodans; primùm liberalitatem expromit in benemeritos; Arelatenses, ob fidem præstitam, tributo liberat in annum sequentem, & annonâ donat, in res sensus expertes magnificus, muros & turres instaurans, quibus oppugnatio labem intulerat; quin & toti Prouinciæ, illatam calamitatem consolans, similiter tributum remittit; omninò prudenter; cùm ad populos in fide & officio continendos, nihil sit efficacius fidei præmiis; & mala non premant, ex quibus commoda germinatura sperantur. Francis per vim pulsis; pax cum Gundebado contrahitur; huic constituti in Narbonensi Gallia limites. Per Ibam puer Amalaricus Rex Visigothorum in Gallia atque in Hispania creatur, Theodorico materno auo regnum administrante, dum puer adolescit. Gesalicus miser, in Africam profugus, mox in Galliam, tandem in Hispaniam, regnum quod perdiderat quærens, ab Iba interficitur, siue in Hispania, ad vrbem Tarraconem, siue in Gallia, ad Druentiam flumen; calamitosus tam inito regno quàm perdito. Is erat Galliarum status, cùm Clodouæus morte præreptus est, ætatis anno quadragesimo quinto; gestis rebus longè Francorum clarissimus; & vere regni Francici conditor. Multas egregiasque virtutes vnâ labe ambitionis fœdauit, quæ Heroum tabes, à qua impulsus in affinium cædes, purpuram Victoris vetito sanguine contaminauit. Cæterùm in eo religionis semel susceptæ cultus sanctissimus & intemeratus: multis & opulentis prædiis donatis Ecclesiæ, Basilica sanctorum Apostolorum exstructa Parisiis, in qua sepultus est; fortitudine bellicâ præ cunctis eminens, semper in primo agmine primus omnium dimicans, felicitate dignus quam assequutus est; neque fortitudo desiderauit prudentiam, in consiliis semper expeditam, illustrium facinorum ducem & comitem. Adhuc tamen in eo, vt in plerisque primæ stirpis Regibus, inhærebat quidpiam rude & barbarum, à primis Francorum moribus, à litterarum cultu alienis. Pietas quæ in eo fuit Clotildi debetur, dilectissimæ coniugi; quæ adeò ab aulica vita non contraxit maculam,

Arelate iterum liberata.

Anno Christi 510.

Clodouæi mors.

Anno Christi 511.

Clotildis

vt

vt in eam ſanctimoniã ſuam infunderet. Ab Aula poſt mariti obitum ſeceſſit, adhuc iunior, annum decurrens trigeſimum ſextum; viduarum futurum exemplar vt coniugum. Nam ſe totam impendens in pia opera; primò egit Pariſiis, in precando aſſidua, in Templis frequens, & in Cœnobiis, pias largitiones in ea atque in pauperes, nuſquam non erogans, nihil ſibi arrogans ex filiorum Regia dignitate niſi vt demiſſior, ſe ad humilia quæque deiiciens, videretur. Poſtea liberis regimen rerum ſuſcipientibus, vt diuinis rebus indulgeret effuſius, Turones ſe contulit, ſanctum Martinum, quem præcipuum colebat, in ſua Baſilica obſeruatura religioſius, eiúſque tumulum, pro aula, pro laribus, pro thalamo habitura; in qua pietate ad mortem perſtitit. Nunc nouum regni genus in Clodouæi liberis conſtituendum.

CLODOVÆVS.

XXIV.

CLODOVÆI FILII.

Ii quatuor melioris ſexus, filia vna deterioris; nati omnes ex Clotilde dilectiſſima coniuge, præter Theodoricum, qui ex concubina; aliis nomina Clodomirus, Childebertus, & Clotarius; virgini matris appellatio fuit, ſors longè diuerſa. Filij ſtatim à morte patris regnum inierunt hereditarium, in partes diuiſum; toto digni ſinguli, ſed quod captabat diuidebat ambitio. Partes iniquas Theodorici potentia fecit, potiſſimam regni partem ſuæ ſorti addicens. Nam præter Aquitaniæ populos, Albigenſes, Rutenos, Cadurcos, & Aruernos, quos ſubegerat poſt Vogladenſem pugnam, ſibi ſepoſuit Belgicæ partem à Moſa ad Rhenum; & trans Rhenum prouincias, quæ Francicæ erant ditionis, Franciam veterem, Sueuiam, & Alemanniam, & Mediomatricum vrbem, quæ nunc Metis, ſedem regni fecit. Nempe annos natus octo & viginti, iam auctus filio Childeberto, bellicâ gloriâ clarus, & in patris laudem anteà inſitus, in fratres penè adhuc pueros vſurpara auctoritate, partes conſtituit, quæ ſi ſorti commiſſæ ſunt, vel eluſit ſortem, vel ad mentem ſuam compoſuit. Fratribus quæ obtigerint partes, ambiguum; id noſcitur, Clodomirum regni domicilium poſuiſſe Aureliæ, Childeberrum Pariſiis, Sucſſione Clotarium; primùm pace fratrum concordiam colligante, dum pueri in viros creſcerent, & leunculi vngues ad prædam formarent. Iis bellorum præludium fuit, Danorum ex Septemtrione excurſio; qui populi in Germania orti iuxta Codanum ſinum habitantes, incipiebant pyraticam mari exercere, quam deinde Normanni appellati, tot ac tantis Europæ ſtragibus perſequentur. Claſſe oram Saxoniæ & Friſiæ præteruecti, exſcendunt in Belgicam Galliam, latè agros vaſtantes. Theodoricus, qui regionem illam obtinebat, prædones repellendos exiſtimauit dignum eſſe Childeberti filij tyrocinium, eámque dat prouinciam adoleſcenti decimum quintum annum implenti; nam Francis Regibus belli pericula inauguratio erant, & hoſtilis cruor pro Chriſmate. Neque ſpem patris adoleſcens fefellit, qui paratâ celeriter claſſe, Danos vagos aggreſſus, victos ad naues egit; mox claſſe inuectâ dimicans, ſuis in caſtris profligauit pugnantes; & ad ſuum repulit Oceanum, geminâ coronâ inſignis, gramineâ & roſtratâ. Poſtea ipſe Theodoricus ad maioris molis bellum excitus eſt. Thuringi erant in Germania populi, ad fines Tranſrhenanæ Franciæ poſiti, & ad cupiditatem excitandam apti. Eos ſimiliter ac Francos

Theodorici præripua pars.

Dani repulſi.

Bellum in Touringia.

CLODOVÆI FILII.

cos, fratres tergemini suo quisque regno administrabant, forsan consensuri in naturæ vinculum, nisi vnius fœminæ ambitio, quam nihil coërcet, iura regni & naturæ simul perrupisset. Ea Amalberga, Amalafridæ filia, sororis Theodorici Italiæ Regis, Herminfrido nupta; quæ tumidior stirpe illa Gothorum, totam Thuringiam imparem suo fastui reputans, subditam esse partem vnam tertiam ferebat impatientius. Ideò maritum ad tollendos fratres incendebat, querelis & minis; idque perfecerat, vt ille fratrem vnum Bettarium interficeret, propagatis regni limitibus; vrgebátque assidua, vt Badericum alterum fratrem pariter è viuis tolleret, ac tandem regnare consortibus demptis inciperet. Idque cùm minus persuaderet, ingeniosam contumeliam admouit, vt machinam efficacem. Regi ad prandium venienti apponit mensam, amplam quidem, sed nouo more instructam; nam eius pars dimidia, mappis instrata, & instructa erat dapibus regiis; nuda pars altera aridum lignum oculis subiiciebat. Respondítque flagitiosa vxor marito admiranti, & apparatus causam percontanti, dimidiato Regi dimidiatam mensam conuenire. Percepit Rex contumeliæ sensum, & nimis vxorius fraternam cædem deliberat; quam bello patrandam suscipit, iam exclusis insidiis. In id satis ambiguum, aduocat socium Theodoricum Franciæ Regem, pollicitus partem spoliorum, fraterno regno victoribus diuidendo. Nequaquam distulit opem ferre Rex ambitiosus, adductisque copiis, cum Herminfrido; in Baderici regnum inuadit. Pugna conseritur, qua Badericus victus & occisus, fraterni sceleris accessio fit. Præmium erat Theodorico præstandum: sed Herminfridus, qui regnum fratri non ademerat, alieno vt daret, instauratis promissis, Theodorico suadet redire in Franciam; postquam ipse compos Thuringiæ totius fuerit, & nutantem à cæde fratris composuerit, statuturum pollicitis, & concessurum partem victori. Fidem habuit perfido Theodoricus, regrediens in Franciam, alieni criminis nondum præmij particeps. Et Franci flagrabant Burgundici belli apparatu.

Anno Christi 516.

XXV.

Burgundicum bellum.

Sigismundus Burgundiæ Rex.

Gundebadus Rex Burgundionum vita exierat, ille fratrum cæde contaminatus, felice in speciem exitu sortem variam claudens, & liberis tradens amplissimum regnum: quanquam in eos paterni criminis ruit tandem pœna; hereditate flagitiosa vix vnquam ad tertium heredem peruenientè. Duo erant Gundebado filij, Sigismundus & Godemarus; noluit tamen pater regnum diuidere, sibi ipse conscius, fratrum æqualitatem esse seminarium criminum, totúmque regnum dedit maiori natu Sigismundo; qui statim spem felicitatis vberrimam fecit, eiurans cum fratre Arianam hæresim, ab Aunito Alcimo Viennensi Episcopo, ad Orthodoxam Fidem adductus. Gensque vniuersa Burgundionum, Regem sanctè æmulata, cuius patrem impiè imitabatur, similiter Diuinitatem Christi admisit. Nouâ auctus pietate administrabat regnum feliciter, cùm vnius fœminæ furor, Regis familiam & vniuersum regnum pessundedit. Duxerat vxorem Sigismundus, vt supra memorauí, filiam Theodorici Regis Italiæ, ex qua susceperat Sigericum vel Segisricum & puellam, qui cum patre amplexi erant Catholicam fidem. In spem regni Sigericus educabatur haudduhiè; dignúsque

gnúsque erat præclara indole, & adoleſcentiæ regiæ dotibus, quem populi olim in Regem ambirent. Sic natum atque inſtitutum affligit inopina calamitas, matris obitus, & nouercæ inductio. Ea cuius nomen non ſcribitur, nouercali odio in priuignum furens, quamdiu is viueret, ſe Reginam non ducens, necem mente concepit. Oleum incendio fuit vox adoleſcentis paulò audacior; qui nouercam videns pretioſam matris ſuæ cycladem induiſſe, indignatus ex vtriuſque comparatione, palam illi cultum exprobrauerat, affirmans nimis indecorum, ancillam Dominæ indui veſtibus. Quam contumeliam ſæua mulier, odio quaſi cote exacuens, inſidias incauto iuueni tam callidè ſtruxit, vt Sigiſmundo fidem fecerit, eum diro parricidio in parentis vitam coniuraſſe. Credulus pater, & admiſſo quodam contagione vxoris furore, filium iubet interimi. Ille à prandio ſomnum capiebat, cùm iuſſi in conclaue irrumpunt ſicarij, atque orario in fauces iniecto, quod erat ſtrophium ori tergendo deſtinatum, iacentem ſtrangulant. Cæde perfectà, vt plerumque fit, criminis grauitas mentem inuadit, acceſſit innocentia comperta, tantúſque dolor miſerum patrem corripuit, vt in cæſi cadauer continuò procumbens, querimonias inter, lachrymas atque eiulatus, ægrè ab eo auulſus ſit, ſpatium iuſtis exequiis relicturus. Nec dolorem tumulus abſtulit, mutatum in ſanctiorem mœſtitiam. Quippe Sigiſmundus mundum & regnum abdicans, partim vt dolori iuſto faceret ſatis, partim vt pœnitentiam crimini parem obiret, in Cœnobium Agaunenſe ſe condit, & indutus Monachi habitum, mentem ſimul induerat, vitæ auſterioris pœnas omnes amplexus. Erátque Agaunum, in Alpibus, ſub Valle Pennina, Monaſterium, illuſtre ſepulchro ſancti Mauricij & ſociorum Legionis Thebææ, qui eodem in loco pro Chriſti fide mactati erant à Maximiano Imperatore. Atque ibi pœnitentiam iam ſponte protrahens Sigiſmundus, agebat non ſine luctus ſolatio, cùm accipit bellum in ſe inſtrui à Francis Regibus. Quod propulſurus, Cœnobio egreditur, venítque Lugdunum; deinde Theodoricum à fratribus abſtrahens, cui in Burgundiæ regnum nihil iuris foret, vt in ſuas partes adduceret, filiam ex Oſtrogotha ſuſceptam petenti dat coniugem. Fratres autem iuncti matris Clotildis ius in Burgundiones, cauſam belli præ ſe ferebant. Imò dicitur & Clotildis mater ad expeditionem liberos impuliſſe, indignata pretium ſceleris apud heredes flagitij fore, & Gundebadum fraternæ cædis bis reum, adhuc regnare in filiis. Clodomirus natu maximus fratrum, primus non expectatis fratribus, matris imperia occupat, paríque animo ac fortitudine prælium conficit. Eo Sigiſmundus Burgundiæ Rex & Godemarus frater profligantur, actíque in fugam ſortiuntur varios exitus. Godemarus elapſus in meliorem fortunam confirmat animum; at Sigiſmundus, dum Agaunum verſus contendit, repetiturus pietatis aſylum & pœnitentiæ, intercipitur cum vxore & liberis, & Clodomiro traditus, Aureliæ in carcerem datur. Nec capto moleſtiæ calamitas fuit, quippe à Deo quam exorauerat, ſæpius precatus in veræ pœnitudinis ſenſu, vt parricidij pœnas quas nefariè contraxerat, lueret in hac vita temporarias potius, quàm in futura æternas. Idémque Regi mancipato in carcerem ſenſus fuit, cùm mox in mor-

CLODOVÆI FILII.

Sigericus occiditur.

Anno Chriſti 522.

Sigiſmundus captus.

CLODOVÆI FILII.

tem immeritam raperetur. Etenim frater Godemarus, fraternâ calamitate à Martis alea nusquam absterritus, imò in spem vniuersi regni euectus, ad nouum bellum Burgundiones concitat, sui Principis quàm extranei amantiores & cupidiores. Clodomirus in nouum periculum vocatus, primum animum instaurans, erat enim in Francica gente bellicosissimus; res duas tamen arcessit in subsidium, quæ ipsi, vt res humanæ sunt in vtramque partem ancipites, tandem exitio fuerunt. Primò fratrem Theodoricum vocat in gloriæ partem, & in prædæ consortium; idque tam prudenter, quàm minus ambitiosè. Deinde periniquo regnantium metu, ne à tergo hostem relinqueret, à fronte alterum inuasurus, statuit Sigismundum è medio tollere, cum vxore & liberis, nullius culpæ aduersum se reum, nisi quod metum vel inuitus faceret. Non defuit, qui nefarium Regis consilium studeret excutere: Auitus vir sanctitate conspicuus, Abbas Cœnobij Mitiacensis, conuenit Regem, ac deprecatur facinus, in homines & Deum, noxium; precibus minas adiungit, ac renunciat Diuinæ vltionis vates, si pergat tam immaniter sæuire, impendere idem in eius liberos familiámque supplicium. In minas & preces Regis pectus obduruit, miseri necantur, & proiiciuntur in puteum; Sigismundo suam & suorum quamquam innocentium necem, sic Christiano animo, id est fortissimo, perferente, vt eum in sanctorum numerum tam patiens virtus adscripserit, vulgi suffragia sanciente Deo per haud pauca miracula: sic Rex pœnitens Agaunum instaurauit in carcere, & inops omnium rerum euolauit in summum gloriæ humanæ apicem, vt sileam de Diuina.

De Micy.

Sigismundi mors.

Clodomiri cædes.

Tam læuo omine, Clodomirus fœdus regio sanguine in bellum rapitur. Theodoricus frater adiungit copias, sed vxorius magis quàm germanus, momenta captat vlciscendæ cædis Sigismundi, quem habebat in socerum eius filiâ in vxorem ductâ. In Godemarum pugna conferitur: at spectator, non actor, Theodoricus copias continet; nihilo seciùs, Clodomirus trepidandi inscius, siue in campo Augustodunensi, siue in Viennensi, in hostem procurrit. Funduntur nouâ clade Burgundi, Godemarus iterùm fugâ se proripit. Sed ecce repentinus casus victorem affligit, & in medio victoriæ cursu deturbat ad necem. Equi pernicitate, & ardore prælij abstractus à suis Clodomirus, in fugientium agmen abripitur; ij cùm cæderentur incautius ora vertunt & iacula, sed nec ausi propius congredi, telis equum suffodiunt, atque equitem adhuc ignotum, quà iaculis quà gladiis obtruncant. Tum ex prolixa cæsarie, & capillitio ad Regis morem depexo, Clodomirum Francorum Regem agnoscunt: nam id præcipuè signum dignitatis regiæ, cùm deterderent comam Franci omnes, solíque Regibus ius esset crinem alere, ornare splendidè, & in humeros alarum instar demittere. Ideò Burgundi palmam recepturi, Regis caput abscindunt, & sicuti erat insigni crine conspicuum, pilo præfixum pro vexillo præferunt, instaurántque pugnam. At longè aliud quàm sperabant euenit. Franci nece Regis fortissimi, in vltionem incensi, cæco irruunt impetu, hostem fundunt, ac sæua internecione suo Regi parentant: Clodomiro anni erant triginta, tres liberi, belli cupida mens, &

Anno 524.

par

par ambitio, quibus doribus haud ſatis moderans, in exitium raptus eſt. Porrò Godemaro poſt ſuorum cladem ſuperſtiti haud arduum fuit, recedente Franco, accitum regnum recipere; vt cuique genti ſuum placet iugum, & domeſtica ſeruitus leuius premit. Inde nouum bellum, & extrema regni pernicies. Quippe Childebertus & Clotarius, fraternæ calamitatis vltores, & ſpolia quibus exciderat partituri, ingentibus copiis Burgundum inuadunt, eadémque fortitudine victum Godemarum regno eiiciunt; ac profugum tanto terrore implent, vt è Gallia in Hiſpaniam, inde poſtmodùm in Africam fugiens, ibíque miſer dum vixit latitans; propaginis regiæ termes deficiens, ſpem prolis mortuam buſto intulerit; quanquam alij captum aſſerant, & coniectum in turrim, vbi diem obierit; pereunte ſimul Burgundico regno, centeſimo decimo anno poſtquàm inceperat, nec multùm ætatem hominis ſupergreſſo; ita Imperiis & ſua fata ſunt, & quidem breuia: victoribus Burgundia in præmium ceſſit, æquâ lance, Clodomiri liberis prætermiſſis.

CLODOVÆI FILII.

Finis regni Burgundici.

Hactenus fratrum ambitio ſuis conſcripta terminis, naturam nondum exuerat; modò refractis clauſtris vagata longius, in omnia ſcelera præceps ruet. Ac primùm Clotarius Gundiocam Clodomiri viduam vxorem ducit, eiúſque liberis Clotildi auiæ in educationem traditis, grande nefas Childeberto auctore ſuſcipit; non continuò quidem, ſed tempore interiecto ambitionem alente, & nefas incendente, quo plerunque extinguitur. Fratris regnum pro impuberibus filiis quaſi tutores adminiſtrabant, reſtituendum aliquando, ni acerba mors Dominos raperet. Eam vt promoueant, Pariſios vbi agebat Clotildis conueniunt, nepotéſque ex fratre veluti ſaluraturi & ornaturi donis arceſſunt; ij tres erant, Theodebaldus decennio maior, Guntarius, & natu minimus Clodoaldus; ab Auia ſummâ curâ & amore ſollicito educati. Deducti ad Patruos traduntur cuſtodiæ; ac ſtatim ad Clotildim legatur Arcadius, qui forfices & gladium ferat; optione permiſsâ, nepotes ſuos an tonderi malit an occidi. Illa in tam ancipiti optione, cùm vtrinque vrgeret amor in liberos, támque atrox mors iſta ciuilis, quâ ſpe regni ac prolis excidebant pueri, quàm altera videretur; præterquàm quod non arbitrabatur, eò furoris progreſſuros filios, vt nepotes innoxios trucidarent; elegit gladium, affirmans ſibi perinde eſſe, ſi tollerentur pueri, ac ſi tonderentur. Renuntiata vox Patruis, in quoduis facinus paratos animos expediuit. Iubent in conclaue adduci pueros; ac Clotarius illicò repræſentans carnificem; natu maximum Theobaldum, iam ſpei ſummæ, nihil eiuſmodi cogitantem, arreptum dextrâ, ſolo illidit, ac miſerandâ voce exclamantem, enſe gutturi impacto iugulat. Guntarius triſti ſpectaculo terrefactus, ad Childeberti genua procidens, eaque miſerabiliter amplectens, tremulâ voce, gemitus inter & lacrymas, orat vt ſe aduerſus Patruum tueatur; iámque Childebertus, ſuum opus peragente naturâ propè emollitus, horrore criminis nondum impleti, conuerſus ad fratrem, rogare pro puero cœpit; ſat fuſum ſanguinis, & innoxij quidem, ſat furori datum & crimini, recipiendam naturam, nec peccandum in eam toties; ſe beneficij loco habiturum veniam, & quidquid velit Clotarius

XXVI.

Clodomiri liberi.

Necati à patruis.

CLODOVÆI FILII.

repensurum. At ille post cruorem fusum immanior, ne periret dimidiato scelere præmium, atroci aspectu fratrem intuitus; quid tu, inquit, eam rem obturbas, cuius auctor fuisti? ni hunc depellis, pro eo morere; simul districtum ferrum intentat minaciter. Quo viso Childebertus, excussâ constantiâ, seu proximo metu, seu primâ cupiditate, puerum à se repulit, illicò à Clotario ferro eodem, fraterno adhuc cruore madido, trucidatum. Clodoaldus supererat, postrema ambitionis armatæ victima, quem amici paterni fides neci eripuit; is enim clam à carnificina subductum ignaris Patruis apud se habuit; donec puer iam natu grandior, ad res diuinas vltrò se applicans, sacerdotio initiatus, Nouigenti (qui pagus est duobus Lutetiâ milliaribus, postea dictus sancti Clodoaldi) vitam egit inclytam morum sanctitate, ac virtutum plenus euolauit ad superos; æquè posteris clarus ac venerandus, quàm exsecrandi Patrui ac monstrosi. Hoc patrato facinore Clotarius regno auctus Successionem se recepit; Clotilde auiâ luctum & lacrymas in nepotum hereditate cernente.

Prater Clodoaldum.

S. Cloud.

XXVII. Theodoricus interea tragœdiæ spectator, vt & actor esset; cui hactenus armata fratrum concordia timori fuerat, tandem bellum Thuringicum quod omiserat retexens (tametsi id gestum, ante patratam cædem haud pauci asserant) simul fratres ne absenti noceret seiungens, spe Clotario factâ diuidendæ Thuringiæ, eóque in consortium belli adscito, in Hermanfredū prioris belli præmium inficiantem, gemino exercitu mouet. Copias ingentes Thuringus contraxerat, & confirmatâ per fruitionem regni audaciâ, procul Francis obuius, suorum virtutem militari fraude armauit. Ingentem fossam in lato agro duci prætendique iussit, eamque leui cespite subiectis ramis frondibúsq; arborum operiri, vt vna campi series, firma ac solida, ac nullibi scissa videretur. Commentum iuuit Francorum temeritas. Subsidente post fossam hoste, cæco impetu in prælium ruunt; primíque equites ad fallacem cespitem vecti, eo fatiscente, simul in imam fossam præcipitantur; in pluréisque ordines fraus propagata est: donec eâ cognitâ, vtroque latere circumactus miles furore tanto Thuringum cecidit, fortitudine imprudentiam emendante, vt mox trepidantem in fugam egerit; ad amnem Onestrud (quis ille fuerit, certò non scitur) fugientem longè persequutus. At ecce prælium ad ripam amnis redintegratur, spem suis animúmque faciens Hermanfredus, palantes Francos, à victoria cæcos & incautos, profligari posse affirmat, standum in gradu; iam in conspectu patriæ, pro liberis & laribus dimicandum. Quod tametsi Thuringus audacter præstitit; tamen Francus instauratâ ferociâ, & torrentis instar prorumpens in aggeres, contrà obnitentem primùm gradu mouet, dein ad ripam agit, mox impellit in vortices amnis, ac tandem strage conficit tam luculenta, vt per erectum cadaueribus hostium pontem, ad obiectam ripam cædendo euaserit, in fossā & amne victor gemini elementi. Facilè Regibus fuit ab hac pugna Thuringiam totam subiicere, Hermanfredo munitionibus castri se tuente. Eo tamen in victores inualido, fidei Theodorici se tradidit; inanem illicò & falsam expertus. Nam ad sanciendum fœdus euocatur Tolbiacum, dum vnà cum Theodorico colloquens in lorica muri deambulat; ab eo, vel ab alio ministro

Bellum in Thuringes;

Dolus militari.

Victus Thuringus;

Hermanfredus occisus cum liberis.

nistro sceleris, in subiectam fossam præcipitatus, comminuto cerebro, veterum scelerum, sed nouo scelere pœnas dedit; regno toto deiectus, quia totum ambierat; quippe vota nostra timenda sunt, & cupiditatum apex ruina est. Liberos fatum Patris inuoluit, nec Francus superesse passus est, qui regnum sperarent. Diuidenda erat inter victores Thuringia, iam animis malè cohærentibus discordiæ pomum; mox aucta suspicio ob duos Bertarij liberos, adolescentem & virginem; huius nomen Radegundis, illius nescitur. Et eos quidem Clotarius in potestatem suam abduxerat; ac fratre inscio Radegunde statim in vxorem ductâ, adolescentem regium interfecit; quasi leuius crimen polygamia foret, nisi & fratricidium accederet. Sanè Radegundem commendabant eximia corporis forma, & animi virtus longè præstantior: quam ideò Clotarius amauit tantoperè, vt affirmaret, se præter eam nihil habere; quasi potestas & opes regiæ, præ dilectissima coniuge nihili forent. Illa tamen Diuini cultus, quàm dignitatis regiæ studiosior, & memor potius vnde ascendisset in id rerum fastigium, quàm se in eo positam, vitam in aula agebat sanctissimam; noctu pedibus nudis adibat Basilicam, orationem silentio & solitudine promouens; reliquam noctem humi cubabat, lecto regio abstinens; effusa in pauperes, quidquid erat peculij largiebatur, ac cum iis cibum summâ lætitiâ capiebat; Monachis, Deique famulis impendebat reuerentiam, & alimenta vberius; ita vt Rex diceret se Monacham habere in coniugem. At illa tandem Aulæ pertæsa, & sanctioris vitæ cupidior, sexto post nuptias anno, clàm à viro se proripiens, profugit in Aquitaniam; hæsitque Pictauis, pro cultu & honore, quo memoriam sancti Hilarij obseruabat. Mox Rege annuente, Monasterium puellarum extruxit; in quod sacram induta vestem se abdidit, séque Agneti Præfectæ subiecit, abdicatis omnibus, Christo pauper, nullo imperio, ne sui quidem seruato. Id cœnobium sanctæ Crucis appellatum est, quod sanctissimi Ligni fragmentum, ab Iustino iuniore impetratum, in eo repositum est: in quo vitam reliquam egit, & clausit piissimè Regina abdicans; cultu sanctitatis in posteris clara, & exemplo docens, Regum deliciis quidpiam esse longè iucundius & optabilius. Nunc vt ad rem nostram redeam; ea res suspicionem mouit Theodorico; affectatæ à fratre Thuringiæ; & iam parato ad nefas quodlibet animo, statuit eum è viuis tollere; iussisque post velum conclauis latere sicariis, Clotarium in colloquium aduocat, vt incautus ab occulto milite perimeretur. Clotarius siue præmonitus, siue fratris mentem à sua metiens, forti milite stipatus accedit, & in conclauis ingressu, vt timentis est cauere omnia, visis armatorum pedibus, quos minus obtegebat siparium, fraudémque dissimulans cui par iam erat, comitante suorum globo subit in conclaue. Theodoricus iam innocens vel inuitus, spe in metum versâ, gratiis actis propter auxilia in Thuringos præbita, pretiosissimo vase dato in præmium (erat catinus argenteus, tum enim argentum pro auro, & summi pretij) dimisit illicò fratrem; abstinuitque à scelere, vt aliquando iuuat infirmitas, per impotentiam.

CLODOVÆI FILII.

Radegundis sancta.

Posita Clotario insidia.

XXVIII. Agentibus in Thuringia fratribus, & per crimina contendentibus,

CLODOVÆI FILII.

Childebertus ne ſolus innoxius foret, ambitioni remittebat frenos. Percrebuerat rumor Theodoricum in expeditione Germanica fato functum: excitatus hoc rumore frater, pro lugubri veſte armis indutus, inuitante quodam Arcadio Aruerno Senatore, regionem Aruernorum, ſibi opportunam, aulſam longius ab Auſtraſia, occupaturus inuadit. Et feliciter eiuſdem Arcadij proditione primariam vrbem expugnauerat, reliquas facilè ſub iugum miſſurus; cum audit Theodoricum viuere, & incolumem è Thuringia rediiſſe. Hoc nuntio perculſus velut machinâ bellicâ, vt malè cœptum inconſtantiâ emendaret; relictis duntaxat in Aruernia vrbe præſidiis, citius quàm venerat, Pariſios repetit, iam alienis miſſis de ſuo cogitans. At Theodoricus furenti animo Aruernos aggreſſus, regionem latè diripiens, quibuſdam caſtris exceptis, recepit omnia. Inter ea Meroliacum ſitu & munitionibus validum, ineluctabilem molem opponere Principi videbatur, exciſus in rupe murus, & propugnatores haud pauci, excludebant vim bellicam; intus lati agri ad alimenta exculti, fontéſque vberrimi præter ampliſſimum ſtagnum emanantes, obſidionem lentam arcebant: ſed Dux iis deerat, cui tanta commoda vſui forent. Et verò quinquaginta ciues ad prædam faciendam imprudentius è caſtro egreſſi, dum ſe recipiunt à Theodorici milite intercepti, ac ſub ipſum murum deducti, vinctis poſt terga manibus, acto ad iugulum ferro, miſerabili ſpecie ſuos expugnarunt, vt ingenti pretio redimerentur; nec poſtea ad propugnandum animus fuit, admiſſo, vt veroſimile eſt, in molem Principe. Ab eo caſtro in Mundericum rebellem eductæ copiæ. Is nobilitate prætumidus, quippe ex antiquâ Regum proſapia, patrimonij opulentiâ ambitionem fulciente, pertæſus obſequij, collecto milite numeroſo, Aruernorum Regem ſe ferebat; ac tunc aduentante Theodorico, Victoriaco caſtro, quod omni ſtudio communiuerat, fracturus æmulum confidebat. Iam ſeptimam diem tenebat obſidio, munimenta validiſſima erant, miles fortiſſimus, dux admoderator, belli peritus, cui arcis defenſio loco regni eſſet & ſalutis. Ideò Theodoricus poſito impetu, ad fraudem conuerſus, mandat cuidam Aregiſilo, vt dolo ac ſi opus foret periurio Mundericum illectum, è munitione caſtri educat, & quouis modo interimat. Miniſter ad ingenium domini fictus, petito colloquio, ad Mundericum admittitur; *Summa dicit inſipientiæ, perfidiæ crimen augere contumaciâ; fruſtra caſtrum etſi munitum opponi Principi, cui latè omnia pareant; primùm nihil inexpugnabile eſſe Regi armato; dein arce incluſum, reliquo orbe excludi; hoc eſt abfutura ſtatim commoda vitæ, adfuturam famem, qua velit nolit deditionem extorqueat, ex neceſſitate longè graviorem: nunc occupet beneficium Principis, ac dum licet amicitiam emat voluntate, breuémque moram dierum aliquot incolumitati ſuæ poſthabeat.* Nutans hoc ſermone Mundericus, ad deditionem tandem impellitur; dante fidem Aregiſilo, ac ſuper altare iureiurando ſalutem capitis pollicente: Egreditur itaque munimentis, dexteram Aregiſili ſeu aram fidei manu tenens; cùm procul ex condicto inſpicienti militum globo; quid, proditor ait, in Mundericum tam intenti aſpicitis? an primò veſtris aſpectibus patet: Quibus verbis quaſi tubâ miles incitatus, ſtricto enſe ruit in Mundericum.

Childebertus Aruernos inuadit.

Theodoricus eo dem recipit.

Et Mundericum dolo occidit.

Vitry.

Mundericum. Qua proditione nequaquam territus, vir fortior quàm prudentior, paratam necem in Ategisilum reiecit, emissaque in fugientis humeros lanceâ; en cape, inquit, periurij præmium; hac te morte donat fides violata; mox ferro militem ruentem excipiens, latè strage editâ, turbâ oppressus, ac tandem occisus, iacente cadauere quasi trophæo supra cæsos hostes eminuit. Truncato capite, Theodoricus castrum obtinuit, omnémque Aruerniam: rursúmque fœdus cum fratribus panxit, inuicem datis obsidibus, ad periurij cautionem, vel pœnam, magno tamen obsidum damno, qui malè sarta inter Principes fide, mox vtrimque in molestissimam seruitutem rapti, pœnas dederunt alieni criminis; verè Achiui, qui ob Regum deliria plecterentur. His perfectis regressurus in Austrasiam Theodoricus, ne quis scrupulus in Aruernis superesset, Sigibaldum sibi affinem, quem Aruerniæ vrbi præfecerat, iam multorum criminum reum, indomitæ virum audaciæ, tam superorum hostem quàm hominum iubet interfici. Iustè quidem; sed iniquè, quod innoxium noxio iungeret. Scribit enim ad Theodebertum filium, vt Gibaldum Sigibaldo natum, quem tunc secum habebat, è medio tollat. Agebat Biterris Theodebertus, quædam castra expugnans occupata à Gothis; cùm acceptis à patre litteris, miseratus innocentem iuuenem quem & in sacro fonte susceperat; accitum monet vt fuga sibi citius consulat, ipsi fidem & amicitiam mandato patris longè potiorem; abeat, rediturus ad compotem regni, & in primam gratiam restituendus. Stetítque pollicitis generosus Princeps; nam à Patris obitu reuocatum exilio Gibaldum, præter hæreditatem paternam, donis auctum regiis, amauit impensè; tanta mortalium res varietas agit; cùm inde in Patribus mors & furor; hinc in liberis vita, & clementia opponantur.

CLODOVÆI FILII.

Theodeberti æquitas.

XXIX.

Dum Aruernis domandis Theodoricus desudat, impetrata pace Childebertus nouam parat expeditionem, fraterni tandem amoris & Christiani nominis monumentum. Amalarico iam pridem, Alarici filio, Regi Hispaniæ, Franci Reges Clotildim sororem, quanquam Ariano, in pacis vinculum vxorem tradiderant. Hæc pereximiè pia, in gremio matris educata, non modò illibatum ab hæresis labe animum habuit, sed etiam præ se tulit in veram religionem amorem tantum, vt hæreticæ plebi, Præsulibus, & marito ipsi odiosa, publicum anathema, & quasi bidental, sanctissima mulier haberetur. Ideò & domi spreta, vilis instar mancipij, & foris dum ad Ecclesiam accedebat, à tenui plebe lacessita contumeliis, coniecto stercore putidísque fœtoribus sordidata, deridiculo passim & horrori erat: Imò haud rarò à coniuge vapulans, accerbissimam calamitatem, pro voluptate atque solatio, afflictissima fœmina hauriebat. At quia ouibus sua etiam bilis est, aliquando grauius à domestico torrore percussa, cùm misso ab ictu sanguine subiectum strophium imbuisset; iam Deo vltrices pœnas in scelera coniugis intendente; dedit ad fratres litteras, miseriarum suarum indices; cruentúmque vt erat strophium addidit, characteribus inscriptum verè purpureis, supra facundiam Atticam efficacissimis, Childebertus immanitate rei permotus admonito nec, expectato

Clotildis Gotho nupta.

Childeberti in Hispaniam bellum.

CLODOVÆI FILII.

ctato fratre Clotario, ſtatim contracto exercitu, vindicaturus ſororis iniurias, Hiſpaniam petit. Nec ſegnior Amalaricus occurrit, certus rem decernere prælio, paratâ in effugium claſſe, ſi quid ſecus quàm ſperabat contingeret. Pugna conſeritur, miſcentur acies, inde palmas veteres iactantibus Gothis, inde Francis nouas; quibus & iſtam adiunxit diſceptator præliorum Deus; equitatu Francico præpollente, & obiectis contis quaſi baliſtis demouente hoſtem & deiiciente. Terga vertunt Gothi, ad paratas naues plerique fugiunt; inter quos Amalaricus iam naui proximus, ſeruatúſque propemodùm, duce cupiditate in diſcrimen nouum ſe coniecit. Memor gemmarum quas pretioſiſſimas in gaſophylacio alleruabat, eas vt in fugam auferret, verſus vrbem regreſſus, à victore exercitu intercluſus, cùm perſequente milite in Eccleſiam Orthodoxorum confugeret, anteaquàm pia contingeret limina, perfoſſus lancea miſer occubuit; auaritiâ exigente pœnas crudelitatis, & aſylo ſacro hæreſim excludente. Childebertus victoriæ aliis inuectus, fugam & trepidationem ſequutus hoſtium, Toletum vrbem regni primariam qua facilitate obſidet capit, Gothicos theſauros inuadit ac rapit, ac gazâ pretioſiſſimâ omnium receptâ, ſorore chariſſimâ, ſpoliis tardo exercitu in Franciam redit. Sed pia mulier morbo, vel tædio tantarum cladium, in ipſo Pyrenæorum tranſitu obiit; diceres immutritam aduerſis metuere proſpera; vel ipſa victoriæ proſpera hac calamitate Deum intingere.

Anno 531.

XXX.

Theodebertus Theoderico ſuccedit?

Hoc bello functus Childebertus, mox altero indecoro admodùm ſeſe implicuit. Theodebertus in Deuteriæ amatæ fœminæ complexibus apud Aruernos diem terebat & otium; cùm audit Theodoricum patrem graui morbo decumbere; ac niſi quàm celeriter aduolet, periclitari non Patrem modo, ſed ipſum imperium. Hoc gemino clauo amorem tundente, relictâ Deuteriâ, citiſſimè ad Patrem ſe confert: qui vitâ poſtmodùm functus, ambitione latiſſimâ arctis tumuli ſeptis circumcluſa, filium ſceptri & cupiditatis hæredem ſcripſit. Hæc tenera regni rudimenta viſa opportuna Patruis ad inuadendum. Communicant conſilia Childebertus & Clotarius; facilè ad inferendum malum conueniunt; & Princeps iuuenis, apertum regnum, nutantes adhuc ſubditorum animi, paratam prædam & expeditam oſtendunt. Ergo ad exuendum nepotem conuolant; & quà vi, in Auſtraſiam irrumpentes, quà arte, ſubditorum animos illicientes, nihil non mouent, ad patrandum facinus. Quanquam inanis conatus adhibitus. Dudum Theodebertus gratiſſimus acceptiſſimúſque in vulgus erat; flos ætatis amori & magnarum rerum ſpei opportunus; in rebus bellicis fortitudo & felicitatis curſus perpetuus; humana indoles, ad liberalitatem & indulgentiam prona; in Deum pietas, ac in templa & res ſacras cultus, præter innatam Francis Regum ſuorum venerationem; præſidia tutiſſima erant, cuſtodéſque firmiſſimi. Et verò à ſubditis maximè à Leodienſibus, tantâ conſtantiâ, tanto animi robore atque firmitate, defenſus eſt atque propugnatus, vt Patrui deiecti ſpe criminis, coacti ſint exercitum ſoluere, & incepto deſinere; fidem ſeruante plebe inconditâ, quam propinqui violarent; adeò ſæpe magna illa nomina affinitatis & nobilitatis

Anno 538.

Bello appetitur à Patruis.

Sed fruſtrà.

nobilitatis inania sunt, virtute ad plebeia capita transeunte. Clotarius vt erat ferocioris animi ad sua rediit. Childebertus astutior à vi ad blandimenta conuersus, vt nepotem quem deiicere non posset alliceret, Legatos ad eum mittit, ad amicitiam contrahendam; qui prioris facti excusatum odium in Clotarium transferant; palam exhibeant sui Regis in Theodebertum paternos affectus; adoptionis spem faciant; nullam Childeberto præter fœminas prolem esse, regno gerendo lege Salica impares; veniat ipse ad Patruum, beneuolentiam patris & charitatem intimam experturus. Theodebertus datâ acceptáque fide Childebertum inuisit; summâ gratulatione excipitur; tot tantísque muneribus cumulatur, vt dantis munificentia admirationi omnium foret; ac tandem iis donis promissisque pluribus expugnatus, eiusmodi fœdus cum patruo contrahit, vt quod ille maximè optaret, cuiúsque rei gratia conciliationem istam adornaret; in Clotarij vnam perniciem itum videretur; amborum studio parato exercitu, & è vestigio in securum & incautum Clotarium ducto. Is iam dimiserat copias, cùm audito fratris nepotisque consilio, grauitate periculi æstimatâ, fidissimos militum conuocat, nec se vlli ausus vrbi committere, in siluam confugit: ingentes cædi arbores iubet, quarum contextu castra communiat: ac seriò anteactorum pœnitens, diuinam opem, postremum & obuium miserorum perfugium, implorat. At Clotildis mater, quæ iamnatu grandis, inter officia pietatis Parisiis agebat, auditâ liberorum discordiâ, ac de salute illorum sollicita, cùm immineret fratricidium, patrandum vni, ferendum alteri; infirma vndique præter preces; mentis ambigua, filiorum vtrum appellaret, ad quem primùm accederet, vtrumque experta in liberis Clodomiri; abscisâ spe humani subsidij, ad diuinum prorsus se contulit; & quantocyus delata Turones, ad sancti Martini tumulum prostrata, inter preces & lacrymas noctem absumpsit; orans, ne liberi mutuis cædibus contaminarentur, néue ambitione memoriam Clodouæi, sua piè ac fortiter gesta, spémque posterorum pessundarent atque expungerent. Piissimæ matri condonauit liberos optimus Deus. Iam Reges in Clotarij castra promouerant copias, vna admodùm nox differebat obsessi perniciem; cùm ipso die sub lucis ortum paratis ad expugnandam molem militibus, noua quædam res apparatum omnem impressionis & consilium disiecit, sæuissima tempestas oritur, ventíque turbo tam atrox, vt momento temporis euersa tentoria, solo illisi homines, iumenta longius rapta, quædam ad viginti stadia, miserandam faciem statim induxerint. His accessit imber grandini mistus, postèà crepitantibus saxis inhorrescens, quibus iacentium corpora læderentur vel per ipsa ferri tegumenta. Feriebant autes & oculos coruscа fulgetra fragórque tonitruum repetitus, & in ipso apice metus increbescebat: quippe eruptura illicò nubibus fulmina extremum exitium minabantur; iámque miles abiecta belli cogitatione, humi affixus, parmæ pluteo vtcunque se tegens, arbitrabatur extremum diem contigisse. Imò quod mirabilius, penetrauit in animos procellæ sæuitia, quos mutaret in melius. Vno ore omnes, cùm Duces, tum milites, criminum veniã à cœlo poscere, pœnitere se belli, polliceri pacem, quam impetratam volunt à

CLODOVÆI FILII.

Cum Childeberto connectit.

Contra Clotarium.

Clotildis pia sollicitudo.

Pugna miraculo discussa.

CLODOVÆI FILII.

numine. Diceres ad tranquillitatem procellam immissam; ventus obmutuit, nubes euanuere, serenò cœlo dispulsus est imber, vbi pacis votum affulsit animis. Aucta est admiratio, cùm ad Clotarium missi de concordia legati, retulerunt super eius castra serenitatem miram illuxisse, nullum venti flatum, nec imbris vel stillam, formositati cœli offeciisse: Hebrææ gentis atque Ægyptiæ repetito miraculo. Inde vtrinque milites, consalutare, dextras dare & capere, amplecti mutuò, gratulari; ac se germanos dicentes, detestari bella ciuilia: ipsi fratres feritate depositâ redire in gratiam; & agnoscere, ipsa elementa, vbi maximè sæuiunt, magistros esse clementiæ atque honestatis. Ita nempe ex infirma Clotilde robur, ex tenebris lux, ex bello pax, concordia ex odio, cùm humanis rebus Deus interuenit.

XXXI. *Fratres secundò in Hispaniam.*

Nihil visum est ad sanciendam pacem validius, quàm si fratres & nepos in externas gentes arma deferrent, ac bellicosissimis animis pabulum in alieno sufficerent. Ideò Childebertus accito Clotario, illectus palmâ Hispanicâ de Amalarico relatâ, ad Pyrenæos exercitum mouet. Nec Regibus deerat belli materia vel prætextus; siue persequentibus iniuriam veterem; siue Gothos odio hæresis infectantibus: siue contendentibus quod semper obuium est de regni terminis. Hispaniam itaque ingressi, Cæsarauguſtam situ & munitionibus validam obsident. Ciues inclusi, seu iam propugnatione omni consumptâ, siue Francicæ fortitudinis gnari, se ad obsistendum impares rati, in cœlestem opem totam spem conferunt. Indictâ cibi potúsque inediâ, mutatísque cilicio vestibus, Vincentium Martyrem, cui præcipuo cultu addicta est ciuitas, ad victoriam hostium infringendam appellant supplices. Videbantur circa vrbis muros viri inermes, ciliciis horridi, tristi cantu, longóque agmine, lenti incedere; sequebantur miserabiliori specie fœminæ, nigrantibus pallis, turbatis ac dissectis crinibus, toto capite squallente cineribus, veluti offerrent viros sorditatæ, crebro planctu tundentes pectora, ac lamentabili eiulatu misericordiam Dei compellantes. His omnibus sacrorum ministri præerant, tunicam Martyris deferentes, & per eius prælia agoni suo finem deposcentes. Vbique Deus supplicibus parcit, idem Hispanis Vincentius fuit, qui Francis Martinus. Vbi Reges hanc supplicationem aduertunt, nouúmque morem propugnandæ vrbis; percontati à rustico capto quid id rei foret, accipiunt, eam religionis ceremoniam esse, qua Vincentium beneficiis notum victoremque eximium ad tutelam vrbis euocarent. Quare vehementius commoti, & iam Vincentio de victoribus triumphante, Antistitem vrbis adscitum rogant, vt de tanti Martyris Lipsanis sibi aliquid impertiatur, excusant arma, ac recessum si hæc spolia referant pollicentur. Nec secus quàm dixerant, donati acceptissimâ sancti Stolâ, cœlestibus spoliis opulenti, illibatâ vrbe regrediuntur: ac postea templum Vincentio Parisiis in primaria vrbe Childebertus posuit, monumentum religionis; cùm tanti duceret se martyri præbuisse vincendum, quanti vicisse. Non nescius sum has Hispanicas expeditiones apud ipsos Hispanos controuersas esse; aliorum silentio, aliorum scripto contrario; sed cùm è nostris eas perscribat iis temporibus coæuus propemodùm, sanctitate morum, fide dignus, Gregorius

S. Vincentius Cæsaraugustam liberat.

gorius

gorius Turonenſis ; eaſdem ſi prætermitterem , næ ego præuaricarer in gentis meæ gloriam , ac iuſtæ laudis ſementem opprimerem. CLODOVÆI FILII. XXXII.

Theodebertus ſpe & apparatu maiori , ac maiori pòſt clade in Italiam bellum inuexit. Sed antè Deuteriâ amatâ fœminâ repudiatâ , Viſigardem legitimam coniugem thalamo reddidit. Illa iam Regi grata à Biterrenſi expeditione , Caprarij caſtri præda & triumphus , dum Theodebertum expugnatorem caſtri ipſa captiua pulchritudine capit ; tantùm amorem promouerat , vt poſt mortem Theodorici , Viſigarde iectâ contra fas iuſque connubij , pro vera coniuge haberetur. Eadem filiam ex priore viro ſuſceptam (quem Theodeberti causâ reliquerat) in aulam induxerat , mox adultam , & flore ætatis , præter formam eximiam , omnium votum. Mater quæ ex ſe metiretur alios , cùm crederet libidini Regis inuium nihil , quia nihil ambitioni ſuæ arduum erat ; Zelo ardens in filiam , ne Regis mentem in ſe auerteret , ac oblita matrem ; ipſam plauſtro impoſitam , iunctis bobus indomitis , de ponte Viridunenſi præcipitauit in ſubiectum amnem ; tantus eſt vel amoris furor , vel honoris ; imò vtriuſque ab conſortio , vel ſui alteram partem repellentis. Theodebertus parricidij motus infamiâ , Deuteriam quidem , ſed indemnem expulit : fortaſſe in prolis gratiam : nam ex ea Theodualdum ſuſceperat : mactandam quouis ſupplicio , ſi grauius ſit , quàm à prauis affectibus dilaniari ; ac expetitam optatis omnium Viſigardem , in patientiæ præmium , thoro reſtituit. Mox ad Italicum bellum ſe accingit. Theodorico Italiæ Rege fato functo , Amalaſuenta eius filia regnum pro Athalarico filio adminiſtrabat ; laudatiſſima femina , & animi dotibus ornatiſſima ; nata ex Audefleda Clodouæi ſorore ; eo mortuo , Theodaato nupſit , à quo poſtmodùm in balneo ſuffocata : data eſt Iuſtiniano belli occaſio , vt in alieno plectendo crimine , quod iam in Africa fauſtè ſucceſſerat , rem ſuam ageret. Miſſus itaque idem qui Gilimerem vicerat Beliſarius : ac ſtatim Siciliâ , Neapoli , ipſáque Româ potitus , Gothicas palmas infregit : Theodaato à ſuis occiſo , & Vitige in eius locum ſuffecto. Is ſuſcepto regno , Francos quâ celebritate tunc erant , in ſocietatem adſciſcendos putauit : legatóſque miſit , qui reges ac gentem vniuerſam ad bellum excirent in communem hoſtem , dona ingentia , ſpémque plurimam afferrent ; ac præſertim Theodeberto , audaciâ & iuuentute ad militarem gloriam opportuno , ex victoria Danorum Belgij oras vaſtantium propè calenti : oblata in ſtipendium Phocenſi Prouincia : ad iungendas vires animos facerent , & ſtimulum conditione quauis admouerent. Admiſſa legatio , recepta munera , Theodeberto Prouincia data : & in ſpem maioris auxilij Burgundionum duodecim millia Gothorum ſignis adſcripta. Iis aliiſque militibus ad centum quinquaginta millia Vitiges auctus , Romam obſedit , Beliſario propugnante ; ac poſt multa prælia , ignominiosè repulſus in Mediolanum furoris ignauiam vertit. Interea Beliſarius victoria fruens , Rauennam quæ vna vrbs Gotho ſupererat , expugnandam ſuſcepit. In eo rerum articulo Theodebertum Vitiges acerrimè vrget ; ne patiatur amicos & ſocios perire funditus : tam victoriis quàm cladibus exercitus deteri ; Beliſarium propugnatione Romana imminutum

Cabriere.

Deuteria filiâ necatâ pellitur.

Theodeberti expeditio Italica.

Anno 547.

CLODOVÆI FILII.

imminutum esse, facilè vinci ac deleri posse, anteaquàm subsidiarius miles Constantinopoli per opposita maria veniat; nunc exsurgat Francus, & ad commune præmium oppressurus hostem communem aduolet. Et verò eiusmodi momentum Theodebertus opperiebatur, quo Gothi & Græci attritis viribus deleri possent commodiùs, & is esset hostis qui infirmus foret. Igitur centum hominum millibus sub signa conscriptis, Annibal nouus Alpes transcendit, ac in Italiam effusus, tam Gothorum vrbes quàm Græcorum vastat ac diruit. Vitiges perculsus pereuntium strage, veritúsque hostem appellare quem socium vellet, misit qui rogarent Theodebertum, haberet suos in potestate, atque ad iungendas copias acceleraret. Francus Punicam fidem dissimulans, magnis itineribus ad Gothum tendit; cúmque iam crederetur admoturus castra castris, militem militi: subita irruptione in eum inuadit, hostilíque ferro castra diripiens, cladem infert eò maiorem, quò facilius perimuntur incauti; nec inimicus grassatur acerbius quàm amici larua. Hac præda auctus, mox ad Græcos animum applicabat, cùm perfidiæ osor Deus victoriæ præmiis victores perdidit. Refertis enim omni opulentia castris, cùm vino & cibis liberalius indulgeret Francus, statim copia, mox inopia laborans, contractis inedia morbis, vulgatísque, florentissimus exercitus periit; Theodeberto cum paucis admodùm reuertente in Franciam. Et hæc princeps Italicarum expeditionum, cæterarum omen; statim manu vincere, post morbis vinci; veluti suorum vindex Italia, quos non posset armis, cœlo perimeret. Aliquot Franci in ea relicti, tam de Græcis quàm de Barbaris egere prædas; sed hæc potius latrocinia dicenda quàm bellum; in quibus scribendis iactura sit stili & otij.

XXXIII. *Theodeberti mors.*

Apparabat, vt volunt, Theodebertus nouum exercitum, cùm molesta ægritudine correptus, tam multas & longinquas curas in vnam contraxit, vt valeret melius. Morbum contractum volunt ex venatione; cùm in Bubalum irruens, ramo arboris percussus sit, & deiectus equo; eo casu inualidus. Laudatur in paucis ob præclaras virtutes, iustitiam, pietatem, clementiam, fortitudinem, & liberalitatem: quibus præter Deuteriam, & bellum Italicum pauca opponas. At magnæ laudis fuit, in seculo virtutis tam indigo, contraxisse sordes admodùm paucas. Adhibiti medici, nullis studiis, nullis remediis pepercerunt; irritis tamen; causà morbi ne cognitâ quidem; ideò producto per medicamenta incommodo, tandem dolor morte consumptus est. Theodualdus filius ex Deuteria natus tam in morbum patris quàm regnum successit. Verùm Regis mors Parthenio Aulicorum charissimo capitalis fuit. Iam ante imponendis tributis Francorum odia concitauerat, gratia Principis ad vexandam plebem abusus; is igitur gnarus, nihil licentiâ vulgi crudelius, vbi facultas armat sæuitiam, suique conscius quid mereretur, asylo aulico deiectus ad sacrum confugit; duos Antistites apprecatus, vt se tuto Treuiros ducerent, ac quà auctoritate, quà oratione, à furore plebis tuerentur. Præcucurrit tamen iustissimas pœnas conscientia scelerum; cùm enim somno sopitus decumberet, viso per somnium Ausanio cum Papianilla coniuge, quibus innoxiis calumniose mortem confecerat; exclamauit euigilans; adeste, & afferte opem pereunti,

Anno 551.

Parthenius occisus.

pereunti ; simulque narrauit, sibi eosdem oblatos esse necem exprobrantes, & ad summi Iudicis tribunal vocantes. Veræ calamitati præluſit somnium ; vix Treuiros venerat, cùm efferata plebs aduolat victimam publicam diſcerptura : Antiſtites tumultui impares, eum in templum labore multo abductum, arcæ includunt, ingeſtis ſuprà veſtibus ſacris, vt latentis ſenſum auerterent. In templum plebs irruit, perſcrutatur ſingula; ac tandem arcâ reſeratâ, explicatur è veſtibus miſer, temploque extractus, pugnis calcibúſque contuſus, ad columnam vinctus, ſaxis obruitur. Vtinam iuiſſet exemplum ad poſteros ; & eiuſmodi homines futurorum metu vſum præſentium coërcerent. Idem Parthenius tantæ gulæ perhibebatur, vt ad cibos ingerendos crebrius, calorem ſtomachi ſumpto frequenter aloë promoueret ; voluptatem intendens per amaritiem medicamenti ; adeò in humanis, nihil mellis eſt ſine felle. At Theodualdus ſeptimo poſtquàm imperaret anno, diuturno morbo conſumptus è viuis abiit; inferiora corporis obtinente paralyſi : iam deficiens ab auita generoſitate; nam Italiam gloriam Patris & ignominiam prorſus abiecerat ; & parſimoniæ intentus, ad priuatos vſus traducebat regnum. Is tamen poſſebat ingenio, quod ab eo dictus prodit Apologus. Vnum è miniſtris pecuniæ regiæ per fraudem auerſæ ſuſpicabatur ; huic vt metum faceret, ſimulque aliis documentum, aiebat : ſerpens amphoram vini cum reperiſſet, odore illectus, ſe in eam per apertum os abdidit, ibique ſecurus aduertente nullo, hauſto mero ſe ingurgitauit. At domino interueniente, cùm anguis prodire amphorâ vellet, nec iam tumidum ac oppletum vino anguſtiæ oris admitterent ; ſic deprehenſum monuit dominus ; Euome prius quod abſorbuiſti, & ab eo carcere quem tibi compegiſti liber euades. Ingenioſè dictum & regiè ; nempe vincula ſibi adſtringunt, qui aliena rapiunt ; & qui regias opes intercipiunt, ſæpe inſtar hirudinum, per exſuctum ſanguinem ſibi necem creant.

CLODOVÆI FILII.

Theodualdus moritur.

Eius Apologus.

Clotarius à Theodualdo hæres ſcriptus, & ab inceſto regnum auſpicatus Vultrada pronepotis vidua in vxorem ductâ, quam tamen poſtea dimiſit, increpitus à ſacerdotibus piis, mox in Saxones detrectantes imperium properauit. Erant Saxones, Alemannica gens, inter Albim & Rhenum poſiti, in iiſdem ſedibus, quibus olim Franci immorantes ; qui eodem afflati genio libertatis, ferebant iugum impatientius. Ii ſub Theodualdo indulgentius habiti, vbi tranſmiſſum eſt in Clotarium regnum, Childeberti impulſu, cui fraterna bona malo erant, adſcitis ſibi Thuringiis, opportunè vt putabant, dum infirma nutarent initia, rebellarunt. Quocirca Clotarius, ne infirmitate exordia peccarent, celeriter lecto exercitu, in eos venit; ad Viſeram amnem vt vidit, vicit ; & maximâ ſtrage propemodùm deletos vltrà perſequutus, totam Thuringiam vaſtando percurrit, pœnâ tam ſocios quàm reos criminis inuoluente. Nec ideò fracta eſt peruicacia gentis : iterum abſente Clotario iugum excutiunt, tributíſque negatis, extinctum crimen altero ſuſcitant. Iterata culpa iteratam pœnam exigebat; adeſt Clotarius exercitu valido ſanciturus vires imperij. Tum demùm rebellibus cæcitate diſcuſsâ lux effulſit ; vbi priorem victoriam meminerunt;

XXXIV.

Clotarij bellum in Saxones.

Le Veſer.

CLOTARIVS. eosdem esse qui modò victores ac victi fuissent; imò illos numero & præiudicio fortiores, se vtroque infirmiores; legatis missis implorant pacem ac veniam: *Se paratos ad tributa & qualibet onera profitentur; priorem culpam delictam pœnâ, huic indulgentiam deprecantur, expertos iustitiam Principis, appellare clementiam; futuros in obsequio, si parcatur, qui non fuissent cùm plecterentur; ex vindictâ rebellionem natam, ex venia oriturum amorem, & ex amore obtemperationem ineluctabilem.* Regi placebat addictis parci; nec tentandam aleam pugnæ, cùm pugnæ præmium repræsentatur. At contrà Proceres ducésque contendunt, *Iteratam rebellionem condonatione omni maiorem esse; perfida genti non habendam fidem quam violasset; nunc consternatos metu polliceri multa, quæ videbunt securitatem adepti; in eiusmodi animis insculpendum ferro obsequium; suo sanguine rebellionem mergendam; & qui nolint sapere, adigendos vt non possint desipere.* Impulsus itaque suorum consilio decernit bellum in Saxones Francus. Sed ij rursum legatione altera, mediam facultatum partem, vel in pœnam criminis, vel in pignus futuræ fidei offerunt; modò veniam & pacem referant. Et repudiatæ hæ conditiones à Ducibus, inituſque Clotarius legatos dimisit. Ecce tertiùm legati redeunt, humíque postrati, infimis precibus veniam flagitant; se suáque omnia Francis addicentes; suas omnes opes, supellectilem, vestes & pecora, & agrorum partem dimidiam permittunt victoribus; nihil sibi præter nuda corpora, vxores, ac liberos, ad inopiæ consortium, excipientes. Tunc enimuerò Clotarius, fœdus admittendum, exclamare; optari plura sine crudelitate non posse: iram Dei prouocari superbiâ: nec quos omnia præter arma destituant, insuper desperatione armandos; ruant Duces, si velint, quò impellit insania; se in dedititios & abiectos non progressurum vlterius. Nihilosecius reluctanti instãt proceres Franci; minas intentant, probra obiiciunt atq; conuicia; & furore reuerentiam excludente, impetu facto in eum irruunt; tabernaculum regium deiiciunt atq; dilacerant, obiectisque gladiis ni sequatur, vi ad bellum & pugnam adigunt. Saxones interclusâ per contumaciã hostium pace, cùm extrema omnia imminerent; satius rati inter arma perire, quàm hostiarum instar sub cultro cadere; irruentibus obuiam prodeunt; commissáque pugnâ obstinatissimâ, superbiam Francorũ elidunt, eósq; internecione dira cõficiunt; tam forte telum est desperatio; tantíq; momenti est ad victoriã ipsa humilitas. Clotarius fugâ cum paucis elapsus, pacẽ quã negauerat victis à victoribus impetrat modestiâ supra barbaros admirãdâ, vt quos frãgebat aduersitas non efferret prosperitas.

A quibus vincitur.

XXXV. *Chramnus in Clotarium.*

At Clotario dum hostes in suo parcũt, sui in Francia facessunt negotium. Erat illi Chramnus liberorum primus, multiplici vitio leuem boni speciem obruens: quippe qui formam eximiam corporis, stirpísque regiæ decus, vilitate morum ac deformitate mẽtis corrumperet. Nam in eo prompta audacia, animus inquies, ad dolos fictus, & ambitionis immodicæ; mores turpes & libidinosi, insaturata cupiditas, indoles ad malum prona, & assentatorum pesti obnoxia. Hunc Pater, correpturus an experturus, Aquitaniæ præfecerat. Sed lacessitus eorum querelis, qui tyrannicam administrationem incusabant, cùm se accingeret ad bellum Saxonicum, filium vt in fonte intercipe-

ret

ret malum reuocauit. Is cui vel flagitiorum finis pœna esset, ne sapere cogeretur, adeò non obsequutus est Patri, cuius præterea seueritatem pertimescebat, vt cum patruo Childeberto, in fratris perniciem nunquam non parato, communicatis consiliis, arcano fœdere, ad Clotarium depellendum regno coniurarit. Scribitúrque adstrinxisse fidem ad sacra Lipsana, se fore patri hostem perpetuũ; admotà per nefas religione ad parricidium. Fœdus ictum Pictauij. Quo firmato, Chramnus in Aquitaniam rediens, laruâ abiectâ, qui pro Rege administrabat prouinciã, cum titulo Regis summum ius capessit. Clotarius delato rebellionis nuntio, cùm ad Saxones secundùm pergeret, Charibertum & Guntranũ filios legere militem, & in rebellem promouere iussit. Nec segnior Chramnus, conscriptis copiis, apud Lemouices occurrit fratribus. Ac primo quidem compellatus est, vt si pacem vellet, obsequentem Patri se præstaret, restituendo prouinciã quam nullo iure inuaserat; sin pergeret in retinẽdo alieno, direptoris & prædonis loco habitum iri: cúmq; dolosè crimen excusaret, séque in potestate Patris futurum diceret, modò sibi occupata prouincia permitteretur, quam paterno nomine administraret; detecta fraude, ad pugnam ventũ est. Attamen publicæ infamiæ Deus parcitum voluit; vel Thebana crimina perhorrescens, vel exhibiturus dignum hostiæ victimarium Patrem. Nam in procinctu pugnæ, coorta tempestas, effusúsque tonante cœlo imber largissimus, vtrinque milites ad castra repulit ac statim rumor Chramni arte sparsus, fictóq; nuntio stabilitus, Clotariũ ab hostibus cæsum, illicò fratribus in Burgũdiam reuertẽtibus, omnem belli apparatum ac metum discussit. Qua discessione Chramnus audacior, recedentiũ vestigia terens, in eandem Burgundiam capto itinere, vrbem Cabilonem obsidione cinctam expugnat, ac Diuione quod castrum erat exclusus, ad Childebertum Parisios de re cõmuni acturus properat. Et eodem rumore cæsi Clotarij impulsus Patruus, iam Rhemensem Campaniam prædationibus incendiisque vastauerat, totam mox Franciam ambitiosus senex animo hauriens. At ecce Clotarius à Saxonico bello incolumis reditu suo prona consilia disturbauit. Childebertus excusato facinore expetiuit beneuolentiã fratris, & ad instaurandã familiæ regiæ charitatẽ, Chramno poscẽti rebellionis veniã impetrauit: facili ad condonationem Clotario, siue illa restincturo incendiũ: siue non ausо id negare suis, quod obtinuisset à barbaris. Verùm aliquãto post Childeberti mors in statum alium res conuertit. Cùm morbo ad senectutẽ accedente, diutius iacuisset, eo tandem raptus desiit viuere, anno quo regnabat quadragesimo nono; armis, ambitione, audacia, nulli fratrũ impar; sceleribus, vbi vinci præstat, inferior; sepultus in æde quam extruxerat sancto Vincẽtio; Germano Antistite viro sanctissimo in Regem suum charitatis & pietatis conferente officia. Extemplò Clotarius, occupatis Parisiis, ex Tetrarcha Monarcha Franciæ, primo Salicæ legis exemplo, distractum antè in partes Imperium, in se collegit. Childebertus nulla prole mascula, duas tantùm filias verè orbas reliquerat. Eas statim Patruus beneficio legis non modò regno exclusit, sed etiam in exilium cum matre expulit; Chramnóque iterum reconciliato, effecit ne Regnum vnum foris, domi multiplex esset.

CLOTARIVS.

Childeberti mors.

Anno 557.

XXXVI.

Chramni secũda rebellio.

Sed enim Chramni indoles in malum propensior, praua licentia vi duntaxat in obtemperationem versa, ipsa demùm conscientia scelerum, in nouum crimen

CLOTARIVS.

crimen adolescẽtem egerunt. Prioribus rebellandi consiliis cùm parricidium adiungeret, re patri prodita, ad Conobum Britanniæ minoris Principem; cum liberis & vxore, ambitiosa femina & alente incendium, subita fuga se proripit. Indignatus Pater vltionem ereptam, instructo exercitu in Britanniam mouet; datúmque tunc temporis in Lemouicibus prodigium, pugnæ imminentis horrorem exscripsit. Siquidem magnus locustarum numerus, secedens vltrò in duas acies, concisus est statim mutuo prælio; visáque sunt animalcula pastu omisso, quasi œstro & furore acta, mucronibus seu hastis concurrere, se inuicem cædere, ac strage corpusculorum latè agros sternere quos deprædabantur; maiore mox portento, cùm in patrẽ parricida filius insurrexit, captúmque filium parricida pater extinxit. Quippe Chramnus non dubitauit cum Britannorum copiis patri occurrere, & ad pugnam proximam instruere omnia: & ipse Clotarius prælij aleæ committendum ius suum statuit; sed ante implorato Dei auxilio. Visus est in tabernaculo plãctu & lacrymis appellare Deum potestatis patriæ vindicem, vim illatã naturæ conqueri, Absalonis pœnã salutémque Dauidis oggerere; interesse mortalium, vt Regum & patrum capita sacrosancta essent. Mox animosior in pugnam irruens, post acerrimam dimicationem; in qua ipse Conobus cæsus est, Britanni in fugam versi, partáq; Regi victoria est; Chramnus pugnæ caput appendíxque victoriæ, dũ vxoris & filiarũ saluti inuigilat, à Francis capitur, & cum iisdem quas seruabat vinctus ad patrem ducitur. Noluit reum in conspectu Pater admittere, raptúsque in pœnam, primi criminis memoriam nouo incendente, ac periculo in quo modò versabatur iram, cuius impotentior erat, inflammante; miserum iussit cum vxore simul & liberis, in tugurio rustico quod forte obuium, includi, immissóque in mapale igni absumi. Obtemperatum est illicò, Chramnus super scamno alligatus est, & quod miserabilius cum vxore filiæ, hoc vno nocentes quod natæ essent; mox igni accenso, consumptæ sunt paterni furoris victimæ, ne cineribus quidem ad tumulum datis; Deo sinente, vt qui conspirauerat in auctorẽ vitæ, vitâ & liberis, qui sunt vita altera, orbaretur. Deinceps Clotarius fratrum & filiorum, hoc est omnis discriminis securus, ad religionem & pietatẽ multùm se contulit; profectus ad sancti Martini, summâ veneratione donísque plurimis indigetem Franciæ coluit; prodigiosa felicitate, qui criminum pœnitens, obierit secus quàm vixerat. Idque contigit anno vertente quo Chramnus arserat; regni post quinquagesimum primo. Contracta febris ex venatione; cui dum senex supra corporis vires voluptate abreptus nimis indulget, vehemẽti febri correptus, & inde Compendium delatus, igni interno ardens, qui Chramno externum subiecerat, vitâ excessit; inter veræ pœnitentiæ signa, clementiam Dei appellans identidem. Auditúsque æger exclamare; *O potentem Deum! ô prostratam Regum superbiam! ô quantum inter cœli terræque dominos interest!* Dein spem accendens, & timori subiiciens, ex eadem Dei potentia bonitatem summam inferebat; *Si maximus*, aiebat, *Deus, ergo & Optimus, quia potentiæ pars est ignoscere; & infirmitas est ad supplicia sola præpollere: habet igitur in me, quod ignoscat & puniat; in me sit Maximus, dum regnum eripit, at optimus sit, dum in gratiam recipit.* Suessione ad sancti Medardi sepultus est, funus deducentibus filiis; in hoc fortasse vnum consentientibus, vt cadauer Patris inhumarent.

Clotarij obitus.

Compiegne

Anno 561.

HISTO

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER SECVNDVS.

SYNOPSIS.

Filij quatuor ſuccedunt Clotario, Cherebertus, Guntranus, Chilpericus, & Sigebertus. Chereberti mores, & vxores, & Guntrani. Guntrani vxor moriens medicos cædit. Chilperici mores. Fredegundis quæ. Galſuinta à Chilperico ducta & occiſa. Brunechildis Sigeberti vxor. Ea Gogonem perimit. Sigebertus Hunnos pellit. Chilperico victo parcit. Chereberti mors. Sigebertus iterum in Hunnos, qui vincunt ſtratagemate. Sigebertus ab Hunnis captus, eos ſuauitate morum capit. Taureduni caſtri ruina miſeranda. Monachorum quorundam auaritia. Longobardi qui? In Franciam irrumpunt, ac vincuntur à Mummolo. Idem Mummolus Saxones vincit. Longobardi iterum ſtrage triplici à Mummolo victi. Mummolus per inuidiam pulſus, Auenionem ſecedit. Sigebertus Arelatem capit, & ea pellitur. Chilpericus bellum in fratres ſuſcipit. Fratres Guntranus & Sigebertus in eum mouent. Trecis pacem con-

trahunt. Theodebertus Chilperici filius in Aquitania cæsus. Seditio in Sigebertum propter pacem contractam. Per eam iterum in Chilpericum impellitur. Sigebertus per Fredegundem interficitur. Brunechildis capitur, sed seruato filio Childeberto. Merouæo Brunechildis nubit. Chilpericus Merouæum abducit, & tondet in clericum. Merouæus fugiens, ad mortem adigitur. Prætextatum Præsulem Fredegundis aggreditur. Chilperici in Prætextatum oratio. Eiusdem defensio. Prætextatus damnatus per calumniam. Chilpericus Godinum vincit. Clodouæus Chilperici filius victus à Mummolo. Guntranus Childebertum adoptat. Guntrani adoptantis oratio. Chilperici auaritia & crudelitas. Chilperici liberi morbo vexati. Fredegundis pœnitentis oratio. Chilperici pœnitentia. Fredegundis ad indolem redit. Clodouæo priuigno machinatur mortem, & confi it. Chilpericus, hæreticus, & grammaticus; bello Guntranum impetit: Pacem cum eo contrahit: pax nutat. Ingundis datur Hermenegildo vxor; eius fors. Childebertus bellum Longobardis minatur. Theodoricus infans moritur; matris Fredegundis luctus crudelis. Riguntis in Hispaniam missa. Chilpericus occiditur. Motus post Chilpericum cæsum. Fredegundis ad Guntranum legatio. Guntranus Fredegundis & Clotarij pupilli tutelam suscipit. A Chereberto abscedit. Gundoaldus se Regem Franciæ dicit. Legatos ad Guntranum mittit. Guntranus cum Childeberto conciliatus. Ambo in Gundoaldum. Gundoaldus Conuenis se includit. Conuenarum obsidio: ad Mummolum oratio. Mummoli ad Gundoaldum oratio. Gundoaldus captus & cæsus. Mummolus occisus. Fredegundis à gubernaculo pulsa. Eius variæ in Brunechildem & alios insidiæ. Prætextatum necat, & Riguntem filiam malè habet. Clodouæi cæsi cadauer incorruptum. Guntrani bellum multiplex in Septimania. Septimania quæ, & vnde dicta. Guntrani ad duces victos oratio. Guntranus

bellum

bellum in Hiſpanos renouat. Recaredus abiurat hæreſim. Childebertus ſuſcipit bellum in Longobardos. Coniuratio in Childebertum. Rauchingus in pœnam vocatus; eius vxor. Noua in Childebertum coniuratio. Reorum pœna. Pariſiorum incendium. Virginis caſtæ facinus. Pſeudo-Chriſtus ex ruſtico. Guntrani expeditio in Britannos. Guntrani obitus & mores.

CLOTARII. FILII.

I.

Anno Chriſti 561.

VIX Clotario perſolutæ erant exequiæ, cùm Chilpericus è quatuor fratribus natu minimus, viginti admodum annorum; ſed marte & ambitione acerrimus, Pariſios aduolat, theſaurìſque quos ea in vrbe repoſuerat Pater, occupatis, gnarus pecuniam conſiliorum omnium machinam eſſe & animum, regnum primus, & ſi licuerit ſolus, vſurpat; Francorum pluribus adductis pretio, vt quod inualidum initiis foret, audaciâ & fortitudine ſtabiliretur. Fratres in communem hoſtem conſpirantes, contractis extemplo copiis, inuaſorem deturbant Pariſiis, coactúmque conferre quod ſepoſuerat, Franciâ iterùm in tetrarchias diuisâ, in quartam partem admittunt. Sorte res acta eſt; nec enim aliter conueniſſent; Chereberto ſiue Ariberto Pariſij, Guntrano Aurelia, Chilperico Sueſſio, Sigeberto Auſtraſia obtigerunt; hæc diſtincta fratribus; at communia, ambitio, libido, crudelitas; quibus Franciam diuexarunt tam miſerè, vt cùm Deo debeat quod ſeriem Regum habuerit, beneficium eiuſdem longè maximum ſit, quod habendo ſimul plures non periit. Et verò quaſi horreret Hiſtoria illorum temporum calamitates proferre in lucem, tam perturbatè támque obſcurè fratrum res geſtas inuoluit implicátque, vt ad extricandas ambages illas nouo quodam Ariadnæ filo opus foret. Ego pro mea facultate conabor explicare confuſa; lucraturus tamen ſi qua omiſerim, cùm prætermitti parum admodùm poſſit præter flagitia. A priuata ſingulorum vita petam initium; nec enim alij ſunt in publico Principes quàm ſub tecto; virtutéſque regiæ ortum & robur à probitate animi hauriunt. Cherebertus iuſto matrimonio Ingobergam duxit; ſed ſtatim corruptus laſciuiâ, adiectis in duas virgines oculis, quæ ſorores ex vili artifice natæ, famulabantur Reginæ, eas tam ardenter deperiit, vt electâ Ingobergâ, primam ſtatim Marcouefam nomine in thalamum eius admiſerit; ac paulò poſt alteram Merofledam dictam inceſtis nuptiis contaminauerit. Quamobrem à Germano S. Antiſtite redargutus, nec monitis miniſve melior, affectus eſt meritiſſimâ pœnâ, fato raptis impuris mulierculis, ſimúlque filio quem ex altera earum alebat. Nec ideò bonæ frugis euaſit, imò & quandam Theodogildem Opilionis filiam thoro induxit; ne in vitio quidem generoſus, in mancipiis abiectiſque feminis Regem fœdans. Guntranus frater in coniugibus nihilo caſtior, feliciórve in liberis; concubinis

Chereberti, Guntranus, Chilpericus, Sigebertus, Franciæ Reges.

Chereberti vxores.

Et Guntrani.

CLOTARII FILII.

cubinis pluribus, nullâ legitimâ vxore vsus. Primam enim Venerandam nomine & ancillam sorte in commercio habuit, filiúmque Gundebaldum ex ea susceptit: quâ pulsâ ad Marcatrudem adhæsit; eáque itidem mater priuignum suum veneno sustulit, ac postmodùm filium cui parabat regnum tumulo intulit. Iis Austrigildis addita, gemino partu Regi gratissima; & ex ea nati Clotarius & Clodomirus in spem regni educati, pòst immaturo fato abrepti sunt; vagos illicitósque concubitus orbitatis pœnâ Deo plectente. Hæc est Austrigildis, quæ morti proxima Guntranum inauditum facinus exorauit; causata se medicorum inscitiâ interire, iusiurandum exegit à coniuge, fore vt eos neci traderet, quorum imperitiâ vitam amitteret; pessima mulier quæ de sepulchro homines cæderet. Stetítque promissis princeps vxorius; duobus Medicis capite truncatis, eò noxiis quod mortalem feminam non donassent immortalitate. Verùm has viri culpas emendauit Guntranus senex; clementiâ & liberalitate in pauperes mutatus in alium, & sacro cultu propemodùm dignus; tanti momenti est vitæ nostræ meta & terminus.

Medici necati.

II. *Chilperici vxores.*

Chilperico vxores fuerunt; nec ideò minus in libidinem omnem proiecto. Prima vxor Audouera, ritè conciliata, è qua Principes nati Theodebertus, Merouæus, & Clodouæus, mariti animum conciliasse debuerant, ac amantissimis nodis adstrinxisse. Tamen vt erat corrupta indole fœdisque moribus Chilpericus, Fredegundem ancillam, in coniugis familia ac ministerio enutritam, tam solertem vafrámque ingenio, quàm forma corporis eleganti, visam adamauit, concepítque ignem quo mox arsit.

Fredegundis.

Concepta flamma Fredegundem non latuit, fouensque incendium, quà illecebrosis repulsis, quà simulati pudoris larua, inuigilabat opportunitati, qua gemino scelere, Regem admitteret, Reginámque excluderet. Ea tandem versutissimæ fœminæ oblata. Versabatur in expeditione Saxonica Chilpericus, dum Regina grauida fausto partu puellam enititur. Fredegundem puerpera consulit, quam matronam seligeret, quæ nouum partum in sacro fonte susciperet. Illa matre ipsa digniorem nullam affirmauit, impulítque tandem vafro consilio, vt quæ infantem genuisset ad vitam, Christiano ritu generaret ad gratiam; ea nimirum mente id suadebat, vt accedente iam nouo vinculo, cóque sacro ac religioso, affinitate cum Rege contracta, vsu coniugij interdiceretur. Statímque euentus iuuit consilium. Chilperico reduci prima omnium Fredegundis occurrit, narrat quæ contigerant, iam affinem Regi coniugem esse, excidisse veteri titulo, nec sine incestu admitti posse in thalamum, quæ iam nodo spiritus Principi coaluisset. Nihil faciliùs persuadeas, quàm ea quæ sunt in audientium votis. Obiecta affinitate repudiauit innocentissimam coniugem Chilpericus, & in auctoramentum flagitij Fredegundem sibi consortem adsciuit. Nec ideò per nouam coniugem euasit castior, meretriciis impuísque amoribus semper implicitus; Fredegunde amorem ambitioni donante, nec repellente socias thalami, quæ throni non essent. Ita per impuram patientiam versipelle ingenium regi & regno dominabatur: donec Chilpericum diuturni flagitij tædium cepit, fratrisque Sigeberti æmulatio, cui Brunechildis

childis legitima vxor & laudi erat & opulentiæ. Ideò Galsuintam eiusdem Brunechildis sororem, expetitâm à patre impetrat, festáque pompa & celebritate deductam applausu magno omnium excipit. Certum & firmum sperabatur coniugium; quæsita consors è regio stemmate rege digna; amorem conciliatura, tum specie corporis, tum animi dotibus, ac suauitate morum & indolis; maiestatem regiam thesauris & gasa diuite ornatura; postremò pietatem illatura in Aulam; quæ statim eiurata paterna hæresi in orthodoxam fidem transcripta est. Verùm breui Fredegundis spes tantas absumpsit. Primò omni arte sopitum incendium in Chilperici animo suscitare, fouere blanditiis, & suspiriis lacrymísque ceu iniecto oleo inflammare. Dein postquam cicatrix vulnus admisit, inter coniuges discordias serere, auertere Regem ab æmula, eam in contemptum ac pòst in odium sensim inducere; ac demùm pessundato amore abductam à Regis thalamo aulæ probris contumeliísque obiicere. Quod misera vt sensit, contendit à coniuge, vt vel omnium inops patri & patriæ restitueretur; quandoquidem calamitosa mulier in mariti & domini odium incurrisset. At cùm eam nec Chilpericus vellet remittere, ne thesauri simul repeterentur; nec Fredegundis retinere, ne forte miseria misericordiæ foret; media & atrocissima via inita est vt occideretur; eique fauces in lecto elisæ; vt asyli locus & honestæ voluptatis, impuritatis & crudelitatis libitinarium esset. Ab hoc facinore tuta Fredegundis Chilpericum obtinuit, iam dotata duplici crimine: par reuera dignum constantia, qui conuenissent flagitiis, móxque euaderent pessimi omnium. Sigebertus pudore intacto in delecta coniuge perseuerauit. Ea Brunechildis fuit, Athanagildis Hispaniæ Regis filia, summo studio ambita à Sigeberto, grandi pecunia donata à Patre, ingentique lætitia à Francis excepta. Et verò primum adolescentiæ florem illuminabant dotes eximiæ; pulchritudo in paucis excellens, subtile ingenium rerúmque amplissimarum mox capax, iudicium firmatum prudentia, morum suauitas & sermonis miræ blanditiæ, ac demùm perita artifexque manus. Quæ naturæ dona cùm Ariana hæresi ceu fœda lue contaminarentur; non dubitauit mulier, vel religiosa vel callida, labe hac abstersà Catholicam fidem suscipere. Cæterum has præclaras dotes statim Regum pestis corrupit ambitio; euasitque mox Brunechildis suorum pernicies, dum furori dominandi posthabet omnia, sternítque crimina scalarum instar, quibus ad fastigium regni conscendat. Porrò is erat Regum & Franciæ status: quæ tametsi distincta temporibus, placuit tamen in vnum congerere, vt coniectu vno oculorum Principum indolem, & orituras inde calamitates lector prospiceret.

CLOTARII FILII.

Galsuinta.

Sigeberti vxor Brunechildis.

III.

Primam Austrasia ab accersita Brunechilde sensit, in cæde Gogonis Magistri Palatij. Is ab Chrodino viro iustissimo, munus abdicante, quod affinibus suis & iustitiæ simul non satisfaceret, in eam prouinciam substitutus, authoritate & gratia apud Sigebertum Regem præpollebat; ideò ad petendam Brunechildem, eamque ab Hispania deducendam, vt acceptissimus ab Rege selectus. Sed beneficium malè collocatum in sentes & tribulos efflorescit. Vaferrima mulier, quæ firmum imperium in mariti mentem

Gogonis cædes à Brunechilde.

CLOTARII FILII.

ambiret, vbi animaduertit iam constabilitum in ea Gogonem, tantum obicem amolitura, multis suspicionibus Regis animum implicans, à ministro probatæ fidei alienauit; deinde, vt facilè quem oderunt Principes obruunt, suspicionibus in timorem versis, viri innocentis cædem impetrauit. Verùm antè contigerat expeditio Sigeberti in Hunnos, qui occupatis in Pannonia sedibus, Germaniæ infensi, latè populationibus vastantes omnia, iam vrbibus ad Rhenum positis imminebant. Ergo Sigebertus cuius ditioni obiecta prouincia adscripta fuerat, in barbaros militem ducit intrepidè; iisque victis & fugatis quam peroptabant pacem concessit. Quam indulsit eò libentius, quod Chilpericus frater, leuitate animi & ambitione impulsus, lucrum ex alieno damno quæsiturus, dum ipse cum exercitu abesset, occupatis Rhemis, in prouincias suas ferox inuasisset. Quocirca peregrinum hostem domestico mutans, redditurus par pari, Sueßionem Chilperici primariam vrbem obsessam expugnat, ac Theodebertum Chilperici natu maximum in ea capit: nec moram passus, in eundem belli auctorem ducto exercitu, victórque commisso prælio, Rhemis vrbibúsque aliis pòst receptis, fratri tam ignauo ad seruandum quàm feroci ad inuadendum, petenti & culpam deprecanti, liberali animo pacem dedit. Imò & filium Theodebertum, custodiâ liberum, ditatum muneribus, patri restituit; exacto tamen iureiurando, ne quid in Patrui damnum vnquam agitaret; à quo adolescens suo magno malo post defecit, Sacramenti immemor & beneficij. Interim Chercbertus, voluptatibus marcidus, in castro Blauia in Aquitania, desiit viuere; liberis nullis præter deteriorem sexum relictis; quibus lege Francica à regno exclusis, tres fratres demortui sortem partiti sunt. Diuisionis ratio iparum constat; nisi quod singulis Parisios iam Regum votum apperentibus, conuentum est vt vrbs omnium esset & nullius, suâ cuique parte assignatâ; sancitúmque ne vnus ipsorum absque aliorum consensu eam ingrederetur; qui secùs faceret, sua parte excideret; tam ampla vrbs erat, quæ tres Reges caperet. Tres Chereberti filiæ diuersam conditionem sortitæ sunt. Minores duæ Bertefleda & Crodieldis virginibus sacris sunt adscriptæ, sed morum lasciuiâ tam piam sortem fœdarunt. Berta ex Ingoberge iusta vxore nata, thalami pudorem hausit, & nupta Etelberto Cantuariæ in Anglia Regi, virtutem & pietatem in dotem attulit. Nam formâ & suauitate morum insignis, ita virum barbarum flexit & mitigauit, vt in Christi cultum induceret; corpus impendens & animum in instrumenta sanctitatis alienæ & suæ. Quod & postea Ingundis perfecit in Hispania; vt quod desiderabatur in maribus, implerent virgines; neve Sancti in stirpe regia deforent. Circa id tempus, Hunni, prædæ cupiditate illecti, abrupto fœdere, rursus effusi, in Sigeberti fines impetum faciunt. Is contracto exercitu validissimo, vt perituram gentem deleret funditus, spe & consilio per incognitam fraudem deiectus est. Siquidem sub ipsum prælium, horrenda quædam phantasmata, portentosis formis instructa, subitò Francis oblata, terrorem tantum equo & militi incusserunt, vt nullo consilio præter fugam relicto, effuse omnes fugere cœperint; ignominia maiore vincentium,

Sigebertus in Hunnos;

Et in fratrem Chilpericum;

Chereberti mortui.

Sigebertus iterum in Hunnos.

centium, qui conſcij infirmitatis, per artes magicas, laruas & ſemures orco exciuiſſent. Sigebertus ipſe dum fugit, deuenit in manus hoſtium; ſed noua magia capientes cepit; nam ſuauitate morum, ſermonis elegantia, & illecebra quadam ingenij, feritatem barbaram ita temperauit atque emolliuit, adiunctis opportunè muneribus, vt à Cagano Rege honorificè habitus, dimiſſúſque magnificè, icto fœdere in poſterum inuiolato, redierit ad ſuos, humanitatis & ſolertiæ triumphus nobilis. Enimuerò ad maiores motus ſeruabatur, & erat Francia ſuorum ciuilibus motibus agitanda, ac niſi Deus fauiſſet propitius euertenda. Nec deſtitutæ ſunt prænuntiis ſignis tantæ clades; in quibus vnum Taureduni caſtri præcipuum. Poſitum erat in monte, alueo fluuij Rhodani incumbente, pluribúſque latè parebat incolis; ex aduerſa parte mons ibidem præcipitantem amnem coërcebat, obiectis hinc inde repagulis, ne vorticoſæ aquæ ripis effluerent. Ac primùm vbi caſtrum exurgebat, per dies ſexagenos ſubterraneus mugitus inſonuit; poſt repente mons à colle proximo ſciſſus ac diuulſus, cum ædibus priuatis & publicis, ingentíque multitudine hominum, ruina præceps, in ſubiectum amnem euolutus, ſtragem horribilem tectorum, æris, argenti, promiſcuæ ſupellectilis, animantium, vitorum, mulierum, atque infantium vno ſimul caſu cumulauit. Et calamitas vltrà porrecta eſt, ſubita ruina obſtruente viam amni; tunc enim magno impetu & improuiſa celeritate retrorſum actus, ripis hinc inde occluſis, inundatis agris, ac demerſis pagis quàm plurimis, ad Ianobam vſque ciuitatem (quam Geneuam eſſe non malè colligunt) curſum remenſus eſt; tanta aquæ copia in eam illata, vt ſupra ipſos muros eucctus, nouam cladem vrbi minatus ſit: elementis conſpirantibus in pœnam hominum, & naturam vertentibus, vbi naturæ auctor indignatur. Nec omittenda quorumdam cupiditas, pudet dicere, Monachorum; qui tanto prodigio haud quaquam territi, cùm in ruinis montis terram effoderent, iámque quidpiam æris aut ferri eruiſſent, nouo terræ ſonitu erumpente, pars reliqua montis auulſa eſt, miſeróſque illos ad triginta, orco propiores quàm cœlo, conſepultos caſu, immiſcuit opibus quibus inhiabant. Sed iam tempus eſt, ad internos animorum motus aggrediar; ſi tamen prius externos, vbi minus diſcriminis, pudoríſque minus, narrauero.

CLOTARII FILII.

Taureduni caſtri ruina.

IV.

Longobardi qui?

Langobardi, qui poſtea Longobardi, gens erat iam olim in Germania incola, neutiquam è Dania aut è Noruegia euocanda. Eorum Strabo, Paterculus, & Suetonius meminerunt; quibus ſedem aſſignat Cluuerius, primò ad citeriorem ripam Albis, vbi nunc Marchia Brandeburgica, cognomenta Media, & pars Magdeburgenſis Epiſcopatus; ſed mox imperante Tiberio, in vlteriorem ripam depulſi ſunt. Iidem poſtea, vti & reliquæ Germaniæ gentes, verſus ſeptentrionem vagati, ſeu pulſi à Romanis, ſeu conſulentes multitudini gentis numeroſæ, verſus Tanaim profecti, ſæpè mutauerant ſedes. Tandem eas in Pannonia fixerant, Cunimundo Gepidarum Rege profligato, ac Gepidarum gente deleta propemodùm. A barbis longioribus quas intactas ferro prolixas alebant, id Langobardorum nomen habuerunt; quorum linguâ *Lang* longum, *Bard* barbam ſignificat. E Pannonia euocati

Hongrie.

CLOTARII FILII.

euocati Italicam expeditionem susceperant. Etenim Narses, dux bellicosissimus, à Iustiniano suffectus Belisario, gerebat in Italia bellum; ex qua vt Gothos iam profligatos omninò pelleret, Longobardos fortissimam gentem sibi adsciuerat; qui præclaram nauarant operam, repertâ post acceptam mercedem Pannoniâ. At posteà Narses à Sophia Iustini Imperatoris vxore contumeliosè habitus vindictâ ardens suprà Semiuirum; (nisi hæc macula tanto viro falsò aspersa sit; quod non pauci asserunt;) nam Eunuchus erat, cùm Gothos iam deletos in Imperatorem excitare non posset; Longobardos, quorum audaciam & fortitudinem antè perspexerat, iam non auxiliares, sed futuros Italiæ dominos, arcanis nuntiis euocauerat. Ii regionis deliciis rerúmque copiâ præterea illecti, morâ omni abruptâ, Pannoniam Hunnis reliquerant, (genti non minus barbaræ, ne Germaniæ calamitatum deforet seges) & triginta Saxonum millibus secum eductis, ducente Rege Alboino, in Italiam iam pridem Barbarorum coloniam irrumpentes, regnum condiderant in Cisalpina Gallia, quam de suo nomine dixerunt Longobardiam. Mediolanum primò regni caput, mox Ticinum; erátque ditio ab Alpibus Tusciam vsque porrecta; præter Rauennam cum Exarchatu, quem diutius Imperator Constantinopolitanus obtinuit, ad mare superum. Et progrediebantur vlterius, nisi post Alboinum à Cunemunda vxore cæsum, quam homo barbarus adegerat vt in cranio patris pro poculo biberet, infirmo adhuc & nutanti imperio raptum, inhibitæ essent gentis victoriæ. Clepho successori par infortunium contigit: is à suis cæsus est, qui Regum pertæsi, regnum in plures partes partiuntur, & triginta Duces sibi constituunt, (vnde forsan Feudorum origo,) sua cuique parte assignata quam tuerentur; quo instituto, vt pluribus in potentiam euectis consultum est, sic nocitum publicæ rei gentísque gloriæ. Tres ex iis Ducibus cupiditatem conuerterant in eam Galliæ partem, quæ ab Alpibus ad Rhodanum excurrit. Quanquam ea expeditio, prædatio potius & latrocinium fuit, quàm iustum & compositum bellum. Ac primum quod obiiciebatur in Guntrani regnum inuadentes, Burgundionibus sibi oppositis internecione deletis, occisóque Duce Pericio, præda opulenti, quam vnam expetebant, versus Alpes, alio itinere, in Italiam sese recipiunt. Verùm Guntrano ad suorum cædem expetrecto, instaurato exercitu, Ennio Mummolo summæ spei duci includendus hostis committitur. Dubium tamen vtrùm id contigerit, expeditione Longobardorum prima, an proxima. Erat Mummolus rei bellicæ apprimè gnarus, per militiæ gradus ad supremum Patriciatus apicem in Pericij locum à Guntrano euectus; Altissiodorensis origine: quanquam proditionis & ingrati animi in Patrem reus; qui municipij sui rector, cùm Mummolum filium instructum muneribus ad præstandam Guntrano fidem misisset, ab eodem administratione sua deiectus est, impetrante à Principe quod patris foret, & iam scelus in primum fortunæ gradum sternente. Is ergo nouum honorem noua & florenti laude signaturus, sub ipsis Alpibus, ad vrbem Ebredunum, quò hostes contendebant, reditum interceptrurus, cæsis arboribus, & quà iter patebat transuersà positis, impeditis & obstructis siluarum egressibus; vbi

Anno 570.

Lombardie.

Pauie.

A Mummolo victis.

Ambrun.

se

se in eas barbari immiserunt, impetum facit; turbatósque quà locorum difficultatibus, quà Francorum ferocia, in fugam egit, multis cæsis, captis quam plurimis, paucis in Italiam referentibus nuntium cladis. Ita sæpe in prædam præda est, & rapina raptores destituit. CLOTARII FILII.

V. *Et Saxones ab eodem.*

Hac victoria Mummolus celebris, mox irruptione Saxonum magis inclaruit. Ii a Longobardis in Italicam expeditionem adsciti, prædæ cupiditate, aut posituri colonias, irruebant in Franciam, ac Rhegium Prouinciæ terrásque proximas deuastantes, ad Stablonem villam castra posuerant. Hinc vetante nullo prædatoribus in diuersa missis, præter diuitem prædam, securitatem atque vt fit contemptum hostis reportarant. Ex contemptu negligentia & pernicies ortæ. Quippe Mummolus occultis itineribus ducto exercitu, primo mane semisopitos aggressus, ingentem stragem ad vesperam edit; quâ tenebris diremptâ, postridie cùm Saxones impetu cæco pugnam capesserent, vltro citróque contendentibus nuntiis, de pace conuenit; ac facultas data Saxonibus remigrandi in Italiam, si captiuos ac prædam redderent: sternente Mummodo hostibus pontem, ac parcente sanguini, cuius parsimonia vel in hoste pia est. Verùm iidem statim vel desiderio patriæ, vel Longobardorum odio; nam rarò inter prædones conuenit; abductis liberis atque vxoribus, collectóque omni instrumento, in duas turmas diuisi, repetituri Saxoniam in Franciam penetrant. Altera turma per maritimas Alpes Nycæam Salyorum, altera per Cottias Ebredunum tendit, instar amnis in diuortia effusi; iungendæ iterum ad Auennicum agrum, vbi nunc comitatus Venuxinus ad Rhodanum iacet. Sed cùm neutri abstinerent direptionibus, segetésque iam illatas areis absumpsissent; Mummolus in alteram Rhodani ripam traducto milite, hostibus conuenientibus negauit se facturum viam, nisi prius directa restituerent si qua extarent, ac pro consumptis aurum rependerent. Saxones imbelli suorum turbâ tam impediti quàm emolliti, pro damno inuecto datâ pecuniâ, ad Sigeberti fines transmissi sunt. Quanquam fraudi in appendenda pecunia fuerint, tegulis æreis miro artificio inauratis, sectísque in laminas, pro auro præbitis; quibus tum Guntrani subditis, tum Sigeberti dolus oblatus est: patuítque via in Saxoniam tuta; Deo non conniuente fraudi vlterius; nam à Sueuis detrectantibus hospites nouos armis excepti, atque tergemina pugna protriti, auitas sedes cadaueribus solis tenuerunt. Comte' de Venaissin.

VI. *Longobardi iterum victi.*

Digressis Saxonibus, nouæ Longobardorum coloniæ apparatu magno Franciam iterum tentant. Diuiserant copias in tres exercitus, suo cuique Duce assignato, siue vt in plures partes distractum hostem haud ægrè vincerent; siue vt Mummolum cuius vnius virtus terrori erat, dubium quò se conferret, perturbarent atque confunderent. Et quidem Amo suis cum copiis Ebreduno transiens, in Auenionense solum effusus, transmisso Rhodano, Arelatensi agro vastato, ac vrbe Aquensi obsidionem auro redimente, Massiliam vsque processerat, omnia direptionibus atque incendiis vastans. Zabanus dux alter, Diam profectus Valentinam vsque progressus est, eámque expugnandam suscepit. Tertius nomine Rhodanus, ad Gratianopolis muros hæsit occupaturus vrbem iam in Allobrogibus celebrem; eo omnes Die. Valence. Grenoble.

CLOTARII FILII.

omnes animo vt Salyos atque Allobroges, feracissimas sub ipsis Alpibus regiones, quasi Longobardiæ suæ suburbia, ipsi annecterent, nouísque coloniis frequentarent. Hæc tam repentina terribilísque inuasio non perculit Mummoli animum: imò vir prudens diuisionem hostium rem suam ratus, aggressurus singulos, primò in ducem Rhodanum qui occurrebat proximus, exercitum mouet, ac Isara rapidissimo amne, dum vadum monstrat bestia incedens, traiecto feliciter, quod opi diuinæ adscriptum est; consertæ statim cum hostibus manus, victíque numerosa clade Longobardi: Rhodano Duce lancea saucio, vix cum paucissimis in prærupta montium euadente. Vna hæc victoria alias peperit. Siquidem Rhodanus cum militibus quingentis, reliquiis tanti exercitus, ad Zabanum Valentiæ obsidioni insudantem accedens, narrata clade, tantum terroris incussit sociis, vt omissa vrbe collectísque vasis, illicò regressi sint Ebredunum, opperturi socios veteres, aut nouos ex Italia euocaturi. At vtrumque consilium celeritas Mummoli discussit. Magnis itineribus Ebredunum tendit, & coniunctos Duces noua internecione fundit ac fugat; Zabano Segusium in Alpibus vrbem confugiente: cuius vrbis Præfectus Sisinnius expulsurus hospitem haud admodùm gratum, fictis à Mummolo litteris, quibus iam se in proximo esse scriberet, iisque in conspectu Zabani datis ac lectis, eo terrore hominem percutit, vt momento relicta Segusio in Italiam alatis pedibus auolauerit, absente Mummolo & ignaro palmas reportante; tantùm est ponderis in vera laude & iusta gloria. Fama earum rerum ad Amum perlata tertiam expeditionem confecit: perterritus sociorum cæde, ne simili ac iam imminente occumberet, regressum comparat: sed cùm expeditam viam qua occurrebat Mummolus fugeret, per abrupta montium capto itinere; in niuium moles voraginésque incurrens, relicta quam habere non posset præda, paucos incolumes patriæ reddidit. Virtute vnius Ducis vniuersam seruante Franciam; ac profligatis Cimbris Marium suum Romanæ gloriæ componente. Nec ablusit Mummolus à fato Marij; nam rebus aliis, in Guntrani gloriam præclarè gestis, cùm inuidiæ par non esset, in arma tectior quàm in fraudes, fuga elapsus, Auenionem secessit, vrbémque vel suam, vel occupatam, situ iam validam opera & præsentia sua communiuit; frustra æmulis & Guntrano ipso insudantibus in viri fortis exitium; tantum roboris virtus sibi præstat. Donec ipse raptus ambitione in perniciem vltro præceps ruit. Nunc ad ciuilia mala transgredior.

L'Isere.

Suse.

VII.

Sigebertus Arelatem capit.

Prouence.

Arles.

Sigebertus ab Hunnica expeditione dimissus, in Phocensem Prouinciam, quæ olim Austrasiæ regno adscripta fuerat, & à Patruo Theodorico possessa, adiecit animum (ea tunc in Guntrani partem artigerat) quam vt inuadetet, à geminis propugnaculis siue Capitibus facturus initium, Arelate & Massilia, quorum sortem membra sequerentur, Arelatem quæ prima & promptior occurrebat, incautam opprimit. Firmino Aruernorum Comiti imperatum, vt cum Aruernorum flore Arelaten versus se cenferret; eum Adoarius Dux alter excepit; iunctísque copiis improuisam vrbem adorti, inuitos ciues ad iurandam Sigeberto fidem adegerunt. Guntranus vbi rem comperit, Celsum Patritium ad recipiendam vrbem cum exercitu mittit.

mittit. Réſque ſpectabat ad diuturnam grauemque obſidionem ; niſi eam Sabaudi Antiſtitus, id viri nomen, dolus an prudentia contraxiſſet. Aggreditur Sigeberti duces, eorum fortitudinem extollit mirificè, dicit palantes hoſtes & vagos facilè exſcindi poſſe, ſi paratus miles impetum faciat. Quocirca auctor eſt, vt expediti cum ſuis, egreſſi portas in eos irruant, ſequuturam proculdubio victoriam ; ſi quid ſecus, quod auertat Deus, contigerit, receptu intra vrbem facili, nullum ipſis damnum poſſe inferri. Præbita dicenti fides, imò fallenti ; ac temerè miles vrbe eductus, nullo relicto qui ad receptum portas obtineret. Celſus fortaſſe præmonitus irruentes excipit fortiter, repellit, vincítque ; ac præliantes ignauius ſpe aſyli proximi in fugam agit. Ii verſus vrbem quam amicam putant propiunt ſe ; at noua calamitate portis occluſis, ciues è murorum pinnis turribúſque ſaxa & iacula in accedentes contorquent, miſeros inde milite cominus, hinc ciue eminus feriente. Inter ſacrum ſaxúmque poſitis vna effugij patuit ratio, proximus Rhodanus ; quare effuſo curſu ad amnem properant, parmiſque ſubiectis præcipitantis fluuij aquis ſe committunt. Sed inde grauiſſimum omnium malum : nam prægrauati armorum pondere, ſubita metus feſtinatione, ac rapidiſſimo amne præpediti, maximam partem vndis ſubmerſi ſunt ; paucis admodùm ad ripam obiectam per hæc diſcrimina enatantibus. Ita timor oculatus à tergo, à fronte cæcus eſt, & præſentia cauens, futura non æſtimat. Captis Ducibus vita conceſſa eſt ; ac documentum præbitum, non habendam fidem omnibus paſſim ; & quos nuper viceris, ſubactis nondum animis, adhuc in hoſtibus eſſe numerandos.

CLOTARII FILII.

Eáque pelluntur.

Nec in ciuili tumultu Chilperici partes deſideratæ ſunt. Cùm enim ſtatim Chereberto mortuo Clodouæum filium, ad occupandos, qui ad Sigebertum attinebant, Turones & Pictones immiſiſſet ; íſque à Mummolo ſelecto ab Guntrano & Sigeberto Duce inde expulſus cum ignominia foret, ſe in Aquitaniam contulit, & occupatâ Burdegalâ, quæ Sigeberti eſſent inuaſit. At inde ſimiliter à Singulpho Sigeberti Duce eiectus, per Andegauos ægrè ad patrem rediit, cum fugæ infamia, prauíque conſilij pœnâ. Qua nec temperantior Chilpericus, cùm fratres Epiſcoporum opera concordi fœdere conuenirent, in quod is ſi vellet admitteretur, iterum Theodebertum filiorum maximum, Sacramento adſtrictum Sigeberto de pace non violanda, in eundem Sigebertum contra fas fidei armatum immittit. Aquitania vt prius in aream Martis deſignatur ; poſt occupato, Turones Pictonéſque, via eadem qua Clodouæus nuper inceſſerat. Et ſtatim Turones direptionibus fœdíſque incendiis ad deditionem impulſi, Pictones alióſque vltra Ligerim populos Gundobaldus pro Sigeberto cum lecto milite propugnabat. Pugna conſeritur, vincítque pars pejor, Gundobaldo cum ſuis terga vertente. Exhauſtâ hac clade propugnantium robore Aquitaniâ, Lemouices, Cadurcos, aliáſque iuxta prouincias Theodebertus victor inuadit ; ac periurium crudelitate & impietate cumulans, ſacra ſimul & profana vaſtans, nullo diſcrimine conditionis aut ſexus, templa incendit, monaſteria euertit, cœnobitas interficit, vim infert

VIII.

Chilpericus in fratres.

Theodebertum filium immittit.

CLOTARII FILII.

virginibus, Sacerdotes mactat; ac quasi bello in Christianum cultum susceptо, nulli parcit crimini, quo sacra vel tecta vel corpora fœdarentur. Sigebertus interea hac Martis tuba è somno excitus, ex Transithenanis ingenti exercitu scripto in Chilpericum mouet, qui iam Rhemensem Campaniam filij palmis audax percurrebat. At is apparatu tanto perculsus, Guntranum per legatos adit, & impetrato in fratrem fœdere, ductis ad Sequanam copiis, ciúsque ripâ accuratè munitâ, obiectis in prædam vltra amnem agris, præstolabatur interdicturus transitu hostem. Aderat Sigebertus cum numeroso illo exercitu, & ad geminata amnis repagula, anceps consilij, cùm ad redeundum voluntas, ad pergendum facultas deesset; ripámque defenderet vel armatus miles Chilperici, vel Guntrani togata auctoritas; in hanc partem versus, Guntrano interminatur, se vi in ditionem eius irrupturum, nisi viâ per amnem permissâ, meritas pœnas in belli auctorem inferri sineret. Guntranus quem deficeret miles & animus, cuíque indoles ad otium pacis quàm ad martis discrimina propensior foret, præterquam quod Chilperici mores auersabatur, instar lancis hinc illinc libratæ momento perleui, haud ægrè ad nouum fœdus inductus est, quo Sigebertus socius, Chilpericus hostis dicebatur. Ita amne transmisso, ac mutatâ rerum sorte, recedit alter, alter insequitur; & Chilperico ad Analocium Carnotensem vicum castra muniente Sigebertus Parisiensi agro vastato, factáque pugnæ copiâ, munimentis se tuenti fratri imminebat. Verùm ille noua fraude nouum periculum discussurus, Sigeberto suadet vt iunctis copiis vnóque fœdere, in Guntranum incautum & imparatum simul irruentes, ad prædam facilem aduolent, nullâ pugnæ aleâ, magnóque ex spoliis ditissimis fructu. Sigebertus, cui perinde esset in alterutrum fratrum contendere, modo fieret cupiditati satis, imò cui in Guntrano paratior præda, renouato veteri Prouinciæ voto, cum Chilperico pax ad periurium & nefas contracta, exercitu auctus, in Guntranum mouet. Enimuerò oppresso fratri in his angustiis nec animus nec consilium defuit; vndecunque copias euocat, ac pro subditorum beneuolentia confluente vndique milite, exercitum instruit haud spernendum, & necessitate mentem obfirmante, occurrit hostibus, quos modò singulos fratres exceperat. Mirum est in ea voluntatum discordia admissam pacem, bellúmque dimissum; viri auctoritate & prudentia principes, Thebanæ calamitatis horrore, tantùm opera & industria contenderunt, vt tres germani deposito hostili animo, firmam in posterum pacem sanciuerint; ac Trecis in sancti Lupi æde dextras iungentes Sacramento dixerint se futuros inuicem fratres ac socios, atque nulla re ab hoc tam iusto fœderis vinculo distrahendos. Iurata pace Guntranus in regnum, Sigebertus & Chilpericus in sua quique castra, dimissuri statim exercitus redierunt. Theodebertus interea sacrilegiorum pœnas in Aquitania luerat. Sigebertus in eum duces emiserat Godegisilum & Gunterannum, à quibus in acie cæsus, vel vt creditum est, à percussore quem Fredegundis immiserat, dum desertus à pluribus, comitantibus paucis ruit in prælium, qui tam multa templa spoliauerat, nudo & cruento cadauere terram pressit. Spoliatum corpus à milite,

Sigebertus in Chilpericum.

Guntranum sibi adiungit.

In eúdem momet.

Pres de Chartres.

Pax inter fratres.

Troyes.

Theodebertus occisus.

milite, ac ne leui quidem cespite humatum, Arnulphus quidam miseratus, stirpísque regiæ in casu luctuoso non immemor, elutum funebríque veste tectum, Enculismam detulit, iustísque exequiis prosequutus est, audacem ac generosum iuuenem, sed Pattis indole naturæ dona vertentem in scelera. CLOLARII FILII.

Videbatur Pax membra diuisa Franciæ collegisse ac restituisse, cùm subitus belli turbo ea rursum distracta abrupit penitus ac diuulsit. Sigebertus in castra reuersus, sancitam concordiam ac faustam reditionem in patriam pronuntiat suis, cùm miles indignatus sibi prædam toties eripi, fremere cœpit ac tumultuari. Origo mali à Transi henanis, in quibus plerique mercede empti, spe vna pretij vel recipiendi vel eripiendi impellebantur. Ii primùm inter commilitones miscere colloquia; *Se nullo emolumento abductos à patria per totam Franciam quasi captiuos vel exules duci; sibi factam spem ingentis stipendij, eam propter vxores relictas, rem domesticam, culturam agrorum, liberorúmque curam direlictam; eò videlicet vt frigora passi atque inediam, inanes omnium ignominiam præter, paupertatem vnam ad suos referant. At ne factam quidem pugnæ potestatem; modò hinc, modò illinc ceu militum vmbras circumagi, calonum instar & iumentorum, ire post Duces ac ferre sarcinas; nullo armorum vsu, nec ad pompam: si reuertendum sit, at non ingloriis, non militiæ, non pugnæ expertibus; sit mercedis loco reportata ad suos gloria.* Excepta ista cupidis animis, vniuersum statim exercitum seditione ac tumultu implent. Passim omnes clamare, sibi hostem futurum pro patria; non ad inanem & commentitiam pacem se profectos, tædere concordiæ toties irritæ; se fœderis laruâ ludi à Principe, nec placere pacem, nisi quæ palmis stabilita esset atque victoriis; se demùm in hostem habituros, qui in hostem non ducerent. Sigebertus tumultu audito, equum ascendit intrepidè, leuibúsque verbis demulcens militem, iuratam pacem, sancitam concordiam, gentium iura, fidei ac sacramenti leges exaggerat; pollicetur stipendium; affirmátque incruentam pacem peperisse, laudi esse haud paulò maiori, quàm multo sanguine litasse victoriæ. Illi nihilominus in incepto pergunt, pugnam efflagitant, ac certum hostem quem impetant; pacis quidem habendam rationem, sed certæ atque legitimæ, qualis cum Guntrano iurata sit, non spuriæ & fallacissimæ, qua Chilpericus euaserit: hunc verum esse Francorum omnium hostem; hunc ob multa periuria fide indignum; hunc primò susceptum hostem, hunc persequendum, & flagitiosæ vitæ eripiendum. Ista Sigebertum vel nolentem traxerunt, vel ruentem sponte impulerut, vt repente in Chilpericum incautum, & iam dimissa maiori parte exercitus imparatum, vindicta & odio inflammatos milites duceret. Chilpericus inopinato casu perculsus deducentibus paucis equitibus, cum vxore & liberis, ab hoste longius Tornacum, Parisiis & Suessione relictis, confugit. Ex eo, omnium amor & studium in Sigebertum, in Chilpericum odium & detestatio: hunc plebs nobilitásque omnis deserere, ex aulicis ducibúsque præter Ansoaldum vnum nullus comitari; habere cuncti pro perdito & natura rerum expuncto; illum contrà venerari omnes, & adorare propemodùm, euocare

IX. *Seditio in Sigebertum?*

Per quam in Chilpericum impellitur.

Tournay.

CLOTARII FILII.

vrbes, exoptare prouinciæ; & veluti solem depulsis tenebris illucentem passim excipere. Parisij qui Chereberti fuerant, eiurato Rege Chilperico, se ipsi præsenti regendos dederunt; imò ad Victoriacum villam & alij qui adscripti erant Chilperico, nouo Regi Francorum more super clypeo per castra deducto, Sacramentum dixerunt. Vnus Germanus Parisiensis Antistes, multa auctoritate per sanctitatem & senectutem collecta, ausus est eum cui assentabantur omnes & plaudebant, monere seriò, caueret, quóve animo quõve consilio fratrem impeteret; futurum enim vt quæ in eum pararet ipsi euenirent, ipsúmque aliena manu periturum, si de morte inferenda fratri cogitaret. At diuinus vates surdo occinuit, spreuítque Cassandram amore regni Paris insaniens. Nec Brunechildis cum liberis Parisios aduolans, quo ardebat in Fredegundem odio, prædam vt putabat certam pateretur eripi; nouum ambitionis alimentum, & mariti iam ardentis incendium. Igitur ingenti instructus exercitu Sigebertus, Tornacum, quo se Chilpericus incluserat, antè obsessum à copiis, primo impetu expugnaturus vrbem se confert. Et verò Chilpericus animi anxius, abiecta sui cura cui desperauerat, de salute vna liberorum vxorisque sollicitus, in omnem partem sese versabat: cùm Fredegundis, cui nec crimina, nec instrumenta criminum deerant, per summum nefas sese & coniugem indubitata morte expediuit. Duos ex emissariis suis sicarios, quos plures ad omne facinus nequissima mulier comparauerat, adhortatur, vt Sigebertum in castris adeant, eúmque venerationis & adorationis specie incautum perimant, si salui euadant, ingentia præmia; sin minus, honorem sepulchri, & opulentas in religiosa loca largitiones ad subleuandos eorum animos, pollicetur; quasi in eiusmodi parricidio interfectis spes salutis vlla affulgeat. Ii ad rem nefariam se accingunt, cultros in cædem designatos, veneno ceu morte gemina imbuunt; & ad Sigebertum admissi vt delaturi obsequium, hinc inde percutientes, incautum, stipatúmque Aulicorum globo interimunt; præterea Charegisilum cubicularium & Sigylum Regi charissimum grauiter sauciant; quorum ille extemplo demoritur; is seruatus, à Chilperico postea crudelissima carnificina extinctus est; sed tum facto à circunstantibus impetu, parricidæ impij confodiuntur, ac membratim discerpti à milite, subita morte dant pœnas, atrociori suplicio iustius debitas.

Vitry.

Per Fredegundem interficitur.

Inexpectatum & horribile facinus excepit ingens rerum conuersio. Chilpericus à Fredegunde fratris necem audiens, ad vitam ab inferis suscitatus, non modò saluti, sed regno & suo & alieno incumbere; Fredegundis exultare, sibi de solertia plaudere, ac se ducere si Brunechildem cepisset, in fastigio rerum collocatam. Contra in castris turbari omnia & miscerí; mox vbi indignatio, luctus, & dolor, futurorum metu consumpti sunt, pars in sua quisque discedere; pars longè maior ad Chilpericum fortunæ mancipia se conferre impetraturi priorum veniam, & in posterum Sacramento dicturi. Parisios delatum nuntium tumultu magno vrbem exciuit; Brunechildis momento prouoluta in imum ab apice, animi quantum ferebat calamitas præsens, seruando Childeberto filio adhuc quinquenni intenta

Brunechildis seruato filio Childeberto,

intenta potissimum, Gundoaldi Ducis ope & fide intentum perficit. Quippe puerum sportæ impositum, ac per fenestram Palatij fune demissum, traditúmque ministris fidissimis, Gundoaldus ipse morti eripuit, delatúmque Metas paterno throno imposuit; ludente Deo mortalium casus, cùm inde regnum pellat in tumulum, hinc sporta & funis, & miserorum sors, in regnum euehant. Defuncta periculo Brunechildis, cùm in se & filias mentem conuerteret, subitò à Chilperico oppressa est, mox exulatum missa Rothomagum, ac filiæ Meldis in custodiam traditæ. Chilpericus prosperitati suæ ne deesset, iam Franciam vniuersam cupiditate absorbens, Merouæum filium ad Pictones mittit, post in Aquitaniam transmittendum. Is in Turonibus aliquandiu moratus, mox Cenomanos petens, veluti inuisurus Audœram matrem, eò enim loci exulabat, repente ad Brunechildem Rothomagum aduolat. Incertum quo animo regius iuuenis, posthabito Patris imperio, ac neglecta segete laudis & gloriæ, ad captiuam feminam, familiæ suæ perinfensam, profectus sit, siue studio inspiciendi coram, de qua tam multa fama prædicabat, siue amore per aures grassante, & oculos illiciente ad celebratæ formæ spectaculum. Vt vt sit, illicò fomes admoto igne exarsit. Erat Brunechildis spectatissima corporis specie, tunc annos nata duodetriginta, præstanti ingenio, & ad captãdos animos solertissimo; iis accedebat summa in mulieribus illecebra, dolor & luctus, rerúmque omnium magna inopia; quibus ceu armis instructa femina, sic emolliuit adolescentis animum calamitate, ita subegit ingenio, atque forma accendit, vt concepta flamma sui impos iuuenis, assentiente Prætextato Rothomagensi Antistite, incestum connubium cum captiua sua contraxerit; voluptate modica comparaturus post luctum & lacrymas, mortem ipsam. Chilpericus his auditis celerrimè Rothomagum aduolat, distractutus nuptias, quibus filius in hostium partes transiret. Id compertum coniugibus; & in subita trepidatione cùm effugiendi modus nullus esset, sacer locus patuit; nempe sancti Martini ad muros ædes; cuius tanta reuerentia Chilpericum tenuit quanquam impium & ad flagitium quodvis expeditum, vt religionem loci temerare non ausus, vi repudiata, fraude & periurio inceptum perfecerit, inclusis sanctè pollicitus (si in peierando Sacramenti sit sanctitas) se nunquam eos seiungendos, si perstare iunctos Deus vellet. Hac illi pollicitatione delusi, se tradiderunt fidei perfidæ; conuiuiis quidem exceptri biduò; pœnam differente Rege, quam dilatione intenderet; nam statim filium abduxit à coniuge, & Suessionem reductum in custodia habuit, quomodo grauius amorem plecteret deliberaturus. Et postmodùm Fredegundis odium deliberationem omnem intercidit: nefaria mulier vbi patrem ad filij necem inefficacius incitat, molita nouum mortis genus, persuadet vt attonsâ comâ iuuenem ad sacerdotium adigat; spéque omni vxoris & rebellionis præcisa, simul libidinem continentia puniat, apto ad delictum tum præteritum tum futurum supplicio. Nullâ morâ, crine depositio ac mutata veste Merouæus adscribitur Clericis, atque Anisolam cœnobium in Cenomanicis detrusus, nolens volens ad suscipiendum Sacerdotij ordinem eruditur; inungendus in animorum Regem non corporum. Hæc nuntiata

CLOTARII FILII.

Mets.

Capitur.

Roüen.

Meaux.

Le Mans.

At Merouæũ capit;

At Chilpericus Merouæũ abducit;

Attondet in Clericum.

S. Calais.

CHILPERICVS.

nuntiata Bosoni, qui in asylo S. Martini Turonibus delitebat, (& is credebatur Theodeberto proditorie necem confeciſſe) idem pari fraude, clàm fidos mittit qui Principem ſollicitarent, vt inhoneſto egreſſus carcere, abiectáque veſte indecora, ad ſe in eandem ædem confugeret, inde poſtmodùm ad Brunechildem & regnum ipſum auolaturus. Iuuenis ad ambitionis & amoris hamum, cui malè ſaperet coacta pietas, Monaſterio ſpecie ambulationis relicto, ac Gaileno fido miniſtro in via excepto, ab eodem exutus clericali toga, in Martinianam ædem ſaluus euadit. Fuga eiuſmodi Chilperici aulam tumultu concitat; ipſe ac Fredegundis Gregorio Turonenſi Antiſtiti minas intentant, niſi iuuenem inceſtum, periurum atque apoſtatam æde eiiciat, ſe violaturos ſanctitatem loci, quam ille tot iam ſceleribus polluiſſet; nec religionem aſylo ad tutelam flagitiorum præſtandam. Cùm nihilominus conſtans Antiſtes in tuenda ſecuritate loci perſtaret; ad fraudes conuerſa mulier, quarum peritiſſima artifex erat, Boſonem aggreſſa, ſpe ac promiſſis implet, ſi Merouæo perſuadeat exitum. Fraus ſucceſſit; egreſſus cum Boſone ipſo Merouæus, & quingentis ſuorum fidiſſimis, cùm ad Brunechildem repoſcente Childeberto filio iam Auſtraſiis redditam, properaret, pluribus iactatus caſibus, & ab ipſis Auſtraſiis repulſus, inceſtas nuptias deteſtantibus, ad Terüanenſes dilabentibus ſuis confugiſſet; ab iiſdem patri renuntiatur apud ſe latere. Ideò miſer adoleſcens veritus, ne in eius ac Fredegundis manus incideret, impetrauit à Gaileno fidiſſimo tetertimum facinus, vt ab eo gladio transfoderetur; quod obſequentior miniſter præſtitit, ipſe poſtea immaniſſimis cruciatibus à Fredegunde interfectus, non vindicante peremptorem iuuenis, ſed amicum & fidum ſocium perimente. Sic calamitoſiſſimus Merouæus, hoſtem in patre, in nouerca furiam, ciuilem mortem in nuptiis, in cucullo licentiam, in amico carnificem reperit; feminarum dolis optima quæque in oppoſita mala vertentium.

Et ad mortem cogit.

XI.

Prætextatus à Fredegunde expulſus.

Furor Fredegundis in vno Merouæo non ſubſtitit; vbi is mancipatus eſt monaſterio, mulier parcendi neſcia, Prætextatum Rothomagenſem aggreſſa eſt. Vnum viri facinus, quod Merouæo quem ex ſacro fonte ſuſceperat charior, in ipſius cum Brunechilde coniugium conſenſiſſe, eiuſdémque commodis ſtudere admodùm inſimulabatur. Sed vt cauſam aliqua vmbra prætexeret, læſam maieſtatem Chilperico inſinuat, quod in Merouæum propenſior, muneribus populos ſollicitaret in Regem, ac conſiliis cum Brunechilde participatis, miſſis receptiſque nuntiis, arcana regni hoſti retegeret. Chilpericus qui vxori nunquam ad malum defuit; euocatum ad ſe Prætextatum, comperto Brunechildem abeuntem ſarcinas quaſdam dum repeterentur commiſiſſe Præſuli, quaſi conuictum criminis, exilio damnat, donec Epiſcoporum ſolemni conuentu res diſceptaretur. Igitur conuocata Pariſiis Synodo, in conſeſſu Antiſtitum, Chilpericus ingenio & eloquentia fretus (erat enim apprimè imbutus litteris) accuſatoris obiens partes, in hanc ſententiam dixit. *Niſi iuſtitiæ amor quàm libido vindicta maior in me foret, Patres Reuerendi, ſtudiúmque religionis maieſtati regiæ præpolleret, nec ego accuſatoris agerem partes, neque vos Iudicum; ſed iure*

Chilperici oratio in Prætextatum

CHILPERICVS.

iure ſummo ego idem cuius dignitas læſa eſt, eam ipſam iuſto ſupplicio vindicarem. Quia tamen Reges eſſe homines cenſeo, ne mearum rerum Iudex, fortaſſe & homo ſim; & quia religioni dignitatem meam poſthabeo; Satius duxi Prætextati crimina ſuffragiis veſtris ad normam Canonum diſceptari, quàm iure Regum ac gentium conuictum reum pœna afficere. Nec oratione longa vos morabor; tria ſunt Prætextati crimina, quibus diuina humanáque iura violauit. Primùm coniugij nepotis cum amita, hoc eſt cum vxore patrui, nefarius auctor, naturæ ius, placita gentium, ſancita canonum, legumque omnium ſanctitatem, ſuſdéque vertit; libidinoſi adoleſcentis impuræque mulierculæ turpis Proxeneta, ac Feſcennini carminis cantor. Ne vos Patres in Prætextato egregium cenſorem morum ac ſeuerum vindicem habetis; cui inceſta pro caſtimonia nuptiæ, turpes illecebræ pro Pontificia grauitate; ac pro fronte & ſupercilio Patris, riſus venerius & procax lingua. Id enimuerò abiecti pudoris ſit; quid, quod eundem filium ſtupro nefario inquinatum, datis muneribus, ad eripiendum Patri non ſceptrum modò, ſed animum ipſum parricida impius concitaſti? Annon ſatis erat quod filium patri hac contumaciâ ereptum ires, niſi & patrem filio per ipſius ſcelus eriperes? Annon ſuppetebant in tanta facinoroſorum turba quam plurimi, quos in meam necem impelleres? Quid opus parricidali flagitio? Quid filij manus immergenda paterno ſanguine? Quid vno crimine tam multa patranda? Iam minus eſt, quod mihi ſubditos donis corrupiſti, quod eos à me auerſos traduxiſti in alium; Quod coronam mihi detraxiſti voto & cupiditate; Quod cum Brunechilde, familiæ meæ pernicie, fouiſti occulta conſilia; hæc leuia ſunt, cùm de ipſo capite agitur. Quocirca, Patres, flagitioſum hunc hominem veſtro conſeſſu eiicite; deturbate tam ſacro ordine, cui nihil ſacrum aut religioſum; qui gentium iura in ſubditis, naturæ in filio, diuina in vinculo ſacroſancto, contra Regem, Patrem, & Deum Maximum, violauit atque peſſumdedit. Vbi Rex perorauit, ingenti fremitu qui adſtabant aulici ad conclaue fores pulſare, reum ad pœnam expetere, ac vociferari obruendum lapidibus, plebíſque manibus diſcerpendum, nebulonem nequiſſimum, & nefarium Regis proditorem. Verùm illos Rege moderatione fictâ continente, ac profitente rem totam ex præſcriptis Canonum agitandam; teſtes in reum producti ſunt, qui affirmabant ſe tentatos donis à Præſule, vt Merouæo fidem addicerent. Quos ſtatim Prætextatus leuitatis & falſitatis redarguit; ac efficaci oratione repellens calumniam, dixit; *Se Merouæi nuptiis iam contractis præbuiſſe conſenſum, quem & ipſe Pater præbuerat; antè, cupidi adoleſcentis & amore indomiti frenare impetum, in poteſtate ſua non fuiſſe; ſe nec filium in patrem, nec in Regem ſubditos vnquam concitaſſe; hæc ab inimicis tam per calumniam dici, quàm per inuidiam fingi; data quidem pleriſque munera, ſed rependendi gratia iis qui dediſſent, nullo conſilio quàm grati animi exhibendi; ſibi à Brunechilde commiſſa ſarcinas, ſed eaſdem licentiâ Regis acceptas & redditas, ipſiúſque iuſſu rem totam perfectam.* Hæc tametſi vera dicerentur, tamen Epiſcopi Fredegundis furori aut blandimentis obnoxij, cùm ſilerent, reum nec abſoluere auſi nec damnare; Gregorius Turonenſis Antiſtes nutantes animos confirmauit, docuítque Paſtorum eſſe & Præſulum à Lupi faucibus innoxiam ouem eripere, ipſamque calumniam in calumniantium probrum retundere. Ideò Grego-

CHILPERICVS.

rius iam vnus innocentiæ propugnaculum, à Chilperico & Fredegunde, quà blanditiis, quà minis, quà auro tentatus, cùm inuictus perstaret; & noua furti accusatio, quam in Prætextatum intenderat Rex, discussa esset; is postremam machinam & validissimam ad euertendum reum adhibuit. Submisit aulicos, qui Prætextatum adirent, ac iudicij metu quantùm posset exaggerato, dicerent; Chilpericum non eum esse, qui palam mendacij & calumniæ argueretur; perpessurum omnia potius quàm vt cum ignominia ab accusatione discederet; viam mediam ineundam, qua sit Regi honor incolumis, & Prætextato salus & dignitas; eam expeditam esse, si in Præsulum consessu reus obiecta crimina fateatur, veniam à Rege supplex efflagitet; malefacta condonaturum Regem exemplo, & instauratâ beneuolentiâ, Iudicum magno applausu, quos ex Labyrintho isto reuocaret, ipsum Merouæum in amicitiam Patris posse restitui. Prætextatus tædio præsentium ac futurorum metu in hanc sententiam persuasus, postridie in Episcoporum conuentu, solo prostratus, se reum fallùs homicidij & rebellionis, à Rege supplex veniam petiit, appellatâ misericordiâ, quam sperabat haud dubiè. At Chilpericus, vbi prædam inuoluit cassibus, & ipse ad Episcoporum pedes prouolutus, suffusus lacrymis, gemitibúsque verba interiungens, appellare Dei ac iudicum fidem; haberi reum vltro fatentem, nec absque crimine dimitti posse qui hæc agnosceret. Inde miser in carcerem rapitur, in quo nocte cùm tentaret effugere, grauiter cæsus in insulam Constantinæ vrbi adiacentem deportatus est; eò reus quod se reum diceret, luensque pœnâ mendacium quam redimebat mendacio: adeò cæca est prouidentia nostra, quæ innocentiam per culpam tuetur. Sed iam bella post Sigeberti necem retexenda.

XII. *Godinum Chilpericus vincit:*

Chilperico agente Rothomagi, ad distrahendas Brunechildis nuptias; Godinus vnus Procerum qui è Sigeberti partibus ad Chilpericum transierat, auctus plurimis ab eo præmiis, seu pœnitentiâ seu cupiditate, collecto è Campania milite, repentinus Suessioni minatur. Erat in vrbe Fredegundis cum Clodouæo priuigno, qui fugæ securitatem munitionum claustris anteponentes, inde dilapsi, ad Chilpericum instructo exercitu iam imminentem se conferunt. Nec martis aleæ committendam victoriam Rex censebat, prius missis qui de pace cum hoste agerent; donec Godinus, vel superbiâ elatus, quod haberet Regem tantùm non supplicem; vel metu deterritus, ne prætextu pacis perderetur, fœderi dubio bellum certum antetulit, commissóque prælio victus à Regiis, fuga tunc seruatus quidem, sed paulò post obiens; hac victoria seu Aquilone dissiciente rebellium nubes, serena & pacata omnia clade effecit. Verùm vt solet serenitatem breuem interturbauit tempestas. Chilpericum vrebat Aquitania, toties rapta, toties erepta; nec illius erat opportunitas maior inuadendæ, quàm si populis à Sigeberti fato perculsis, & nutante Childeberti imperio, potenti exercitu vim inferret. Eò igitur Clodouæum destinat, quo ante Merouæum, atque emendaturo fratris inertiam Desiderium adiungit, peritissimum Ducem rei militaris; vt penes vnum auspicia & honor, penes alterum potestas & administratio foret. Clodouæus per Andegauos atque

Clodouæum in Aquitaniam mittit.

Turones

Turones ad Santones penetrans, inuasurus, vt habebat in mandatis, Petrocorienses & Aginnenses, Mummolum clarum illum Ducem obuium habet. Quippe Guntranus incendium amoliturus à proximo, pro tutore Childeberti impuberis, re susceptâ, & sua interesse ratus fratrem compescere audacia succesuque tumidum; euocatum militem Mummolo tradit, cuius hactenus pugnæ numerabantur victoriis. Nec diu deliberatum, vtroque exercitu rem decernere ferro ambiente. Atrox prælium fuit; donec Desiderius desperata palmâ fugam capessiit, cæsis suorum viginti quatuor millibus; nec Mummolus sine clade; quinque millibus desideratis; (malè Aimoinus scribit quinquaginta millia periisse; quis enim victoriam emat hoc pretio?) victórque poterat in Chilperici terras irrumpere; sed quæ Guntrani moderatio fuit, repulso bello, per Aruernos in Burgundiam rediit; repressurus hac sanguinis missione Chilperici ferocem impetum. Noua exinde beneficentiæ lux Childeberto puero affulsit: cùm enim Guntrano duo ex Austrigilde suscepti liberi subito & inopinato fato rapti essent, posteaquàm Pater dolore multo acerba funera prosequutus est, ad orbitatis solatium, & quandam sortis emendationem, eligere liberos voluit, quando genuisset tam infeliciter. Quocirca in Childebertum conuersus, quem affinitas proxima ætatísque infirmitas præstabant beneficio tanto opportunum; ad Austrasiæ proceres scripsit, vt ad se Regem ad celebrandam adoptionem firmandúmque amicissimum fœdus adducerent. Summo animo deductus à Proceribus Childebertus, ad Petreum pontem Guntrano occurrit; ac post mutuas salutationes charissimósque amplexus, quibus amantissimus, non amplius Patruus, sed pater in nepotem incubuit; in sella regia puero considente, ista Guntranus in consessu Procerum dixit. *Quando in pœnam malefactorum, quibus diuinam bonitatem lasi, orbatus sum liberis à me genitis & in regni spem educatis; vna mihi supersit gignendi ratio, vt voluntate seligam qui naturâ nec alieni sunt, & in locum arescentis rami adoptitium inseram. Nec longè arcessendus quem sanguini meo immisceam, cùm ipsius mei sanguinis riuus in te derivetur, Childeberte charissime; nec à me reputandus alienus sit, qui ab vno mecum fonte ab Clotario patre originem petit: Quamobrem volo & iubeo, vt ad primum vinculum sanguinis accedat & maximum charitatis, quale inter patrem & filium, sisque in posterum mihi pro filio, patrem amantissimum in me habiturus, nos ambos vnus protegat clypeus, vna in hostes hasta tueatur; nihil nos seiungat, nihil semoueat; ne liberi quidem si Deus velit, à me post geniti; in eorum sortem si nati sint, adscriberis; sin minus, vniuersum regnum hereditario iure suscipies.* His dictis, Austrasiæ Proceres pro Rege suo spondentes obsequium & debitam Patri venerationem, post solemnes epulas, atque indictam Chilperico adoptionem, vt restitueret quæ in Regem puerum occupasset; reuersi sunt in sua singuli, magnâ vtrinque lætitiâ; hinc ob inuentum patrem inde ob filium.

CHILPERICVS.

Qui à Mummolo vincitur.

Guntranus Childebertũ adoptat:

Guntrani oratio.

XIII. *Chilperici auara crudelitas.*

Ea Regum noua concordia Chilperici cupiditatem infregit; sed Tigridum instar, quas venatorum nece interdictas, sæuitiam in se produnt exercita Rex corruptissimus, Fredegunde maximè instigante, in subditos auaritiam

CHILPERICVS.

ritiam & crudelitatem exprompſit. Eos ſiquidem tributis grauibus per nouas deſcriptiones impoſitis, ita vexauit atque diripuit, vt plerique relicta patria & facultatibus, tutum exilium ſecuramque inopiam præoptarint; deſertis agris, ex quibus iam nullos fructus niſi calamitatis & vexationis perciperent. In Lemouicibus duntaxat, exigente tributa Marco quodam referendario, quem & auctorem deſcriptionum eiuſmodi ferunt, orta ſeditio repulit auaritiam Principis; repente populus furoris aculeo inflammatus in exactores impetum facit, & Marcum præcipuè ad mortem depoſcit; quo ægrè ope Ferreoli Epiſcopi liberato, cùm & alij vectigalium miniſtri fuga euaſiſſent, populus ad libros deſcriptionum conuerſus, conceptam iram in papyrum effundens, eos in foro magna frequentia concremauit; iactura facili, niſi cum chartis auctoritas Regis & veneratio periiſſet. Quam reparaturus miſſa valida manu, quæ de ſeditioſis pœnas exigeret, damno ingenti, ſuppliciis variis, inflicta etiam morte, aliorum culpam ſuâ expungit Chilpericus; pleriſque etiam è ſacro ordine alligatis ad ſtipitem, & necatis inter cruciatus, quod dicerentur populum ad librorum incendium inſtigaſſe; præterea tributis in poſterum ſuprà modum auctis. His malorum acerbitatibus acceſſit peſtilens lues, per vniuerſam Franciam graſſata, multis cumulatis funeribus: ea ab infantibus facto initio, ætatis teneritudine malo obnoxiis; deinde in viros prouecta, nullo propemodùm remedio, ſtragem immodicam conditionum omnium edidit. Nec Chilpericus ipſe malo immunis ægritudine graui corripitur, ſi forte animus periculo corporis conualeſceret, at cùm animam pertinacem morbus non frangeret, nouâ machinâ Deus obſtinatam mentem aggreſſus, liberos ex Fredegunde ſuſceptos lecto affligit. Ii duo erant, Clodobertus, altérque iunior nondum ſacro baptiſmate expiatus; (nam multò ante Sanſon fato raptus, quem natum in Tornacenſi obſidione, ac præ deſperatione eiectum, mater è medio tollebat, niſi Chilpericus interceſſiſſet;) Infans igitur morbo tentatus, primùm matris animum teneritudine afficit; pòſt iam grandis natu Clodobertus, vbi peſtilentia tetra afflatus eſt, mortique propior quàm ſaluti, ſpem conceptam matris debilitauit: illa enimuerò ſeriò quantumuis ſerò ad Deum conuerſa anteactorum pœnitens, ac maximè populi tributis vexati; his verbis Regem, ſuaſura bonam mentem ſemel, aggreditur. *Diu eſt, Domine mi vir, quod laceſſimus Dei iuſtitiam, & impunè; pudet inſtituti cum Deo certaminis, vtrùm ille in nos plura conferat bona, quàm malefacta illi rependimus; conſcientia teſtis eſt, quanta deliquimus, vita curſus teſtis quanta recepimus; imò peccauimus indulgentiâ, an futuri boni, ſi miſeri? Sanè indulgentior Deus, poſtquam bona corrupimus, mala infligit, vt bonam mentem in bonis perditam, recipiamus in malis. Obſtinati ſimus, & rupis inſtar frangendi, niſi ad aſpera monita emolliamur. Ad miſerorum voces, ad gementium luctus, ad rapinas pauperum obſurduimus; nunc aures ferit inteſtinum malum, & lues in viſcera graſſata mollitudinem infert. Quid enim aliud ſunt liberi noſtri, quàm viſcerum pars, & tenerrima? Qui afflicti morbo iam lethali, Dei partes referunt vel ſauientis vel parcentis. Quin ergo pœnitentiâ delicta expungimus? Quin ſi non licet reuocare præterita, emendamus præſentia?*

Chilpericus & liberi morbo vexati.

Fredegundis pœnitentis oratio.

præsentia ? ac tributa illa tot malorum fontem remittimus ? futuri sat divites, si placamus Deum. Quid nobis tanta opes congesta proderunt ? Quid argenti aurique cumulus ; quid summa omnium opulentia ? Si hæredes quibus hæc paramus mors rapiat ? Annon ditiores quos spoliauimus, quibus superstant liberi, vel in spem hæredes ? Liberorum salutem emamus à Domino tam vili pretio ; deseramus aliena, teneamus vt nostra. Hæc fletu madens, gemitus inter atque singultus, tundensque vbera crebro planctu, vbi mulier suis accincta armis perorauit ; mutatus in melius Chilpericus tributa reuocat, edicta quibus hæc iubebantur, libroſque rationum, præeunte vxore, in ignem coniicit (nec vllus populis illuxit pulchrior) malefacta vt putat simul combusturus, seráque abstinentiâ redempturus liberis vitam. At secus visum moderatori omnium Deo ; siue pœnitentiam seram aspernanti, siue fictam & spuriam vindicanti ; nam filius iunior morbo extinguitur, senior in quo vno spes & timor matris, lectica Sueſſionem delatus, ad tumulum sancti Medardi, votisque ingentibus commendatus, ipsa nocte spiritum emisit ; inhumatus magno ciuitatis luctu, viris feminisque in veste lugubri deducentibus funus, superstitum leui solatio, pompam & plausum è dolore captantium.

CHILPERICVS.

Quâ Chilpericus mutatur.

XIV.

Fredegundis ad indolem redit ;

Fredegundis iam orba liberis, post hanc calamitatem exhaustam, tam metus quàm spei libera, se recepit statim ad primam indolem. Vrebat miseram Clodouæi priuigni felicitas, qui vnus in vulgari illa lue incolumis, ereptam mortuis fratribus regni spem sine controuersia capiens, nouercæ dolorem efferabat in rabiem. Ergo innoxij iuuenis constituta morte ; primùm à Chilperico facinorosa mulier impetrat, vt Clodouæus Brennacum mittatur, vbi pestilens lues sæuiebat atrociter ; è vulgato morbo corruptóque cœlo spe conceptâ sceleris, quod sine strepitu & ignominia perficeret. Sed cùm & ibi valeret optimè iuuenis, & inde post aliquot dies euocatus à Patre in Cala propè Parisios villâ cum eo ageret, cœco ardens dolore mulier, versabat animum in omnem partem, vt conceptum nefas enitteretur. Imprudentia iuuenis supra modum auxit incendium. Si quidem dicebatur iam admissus in beneuolentiam Patris, iactare se immoderantius, iam animo regnum præripere, insultare fratribus mortuis, inimicis minari, ac nouercæ ipsi non parcere. Quæ omnia ad eam delata, & fortasse cum incremento vt assolet, iam inflammante odium metu, ea ne periret, occupare priuignum statuit. Inuestiganti prætextum, quidam aucupaturus Reginæ gratiam, commodum obtulit. Defert liberos regios malis Clodouæi artibus periisse, eum ex Reginæ puellis vnam adamasse, cum puellæ matre clam egisse, conuenisse vt sortilegio perimeret fratres, paratura ipsi ad thronum aditum, mox euecturo filiam ad torum & sceptrum ; nec desiturum hoc facinore parricidium, consilio inito de morte fraude consimili Fredegundi ipsi inferenda. Tum Regina ouans gaudio mulierculas quibus factura erat fidem rapi in vincula iubet, filiam laceratam verberibus attonderi, comamque abscissam ante hospitium Principis apponi ad amoris aculeum ; ac matrem cruciari tormentis, donec obiectum crimen agnosceret. Postquam eam fatentem habuit, seu vi seu spe victam, instructam accusationem ad Regem defert, multísque lacry-

Clodouæo priuigno machinatur mortẽ.

CHILPERICVS. mis atque eiulatu culpam fratricidij ingerens, Clodouæum ad pœnam depoſcit. Chilpericus ſuprà modum vxori addictus, filium nihil eiuſmodi reputantem cùm ad conclaue ſecretius euocaſſet, ſtatim apprehenſum à Deſiderio & Bobone ducibus, ſpoliari iubet armis & veſtibus, & iniecto centone ſordido, vinctiſque ferro regiis manibus, inauditum & naturæ iura reclamantem adduci ad Fredegundem. Quæ luctuoſo triumphans ſpectaculo, ceu quæſitura criminis modum & conſcios, trahi in cuſtodiam iuuenem imperat; ac poſt triduum ſcelus inficiantem, ac duntaxat amicitias quibus ſe innoxiè illigauerat fatentem vltra amnem Matronam ad Nocetum villam amoueri. Nec vincula illi vſquam detracta, niſi poſt animum emiſſum corporis vinculis, ſicario à Fredegunde immiſſo, qui perfodit miſerum Principem, eò nocentem quod innoxia matre natus eſſet. *Et conficit.* Regi confeſtim nuntiatur ſibi manu propria necem confeciſſe, cultrúmque adhuc hærere vulneri, ita Pater nec ſeruauit viuum, nec mortuum luxit, nouerca cum vita innocentiam eripiente; quaſi parum eſſet priuignum necare, niſi & crimen ea quæ faceret in patientem conferret. Inde furor mulieris in amicos Principis exarſit; tandemque Audoëra Clodouæi mater, quæ hactenus in exilio egerat, vt tori æmula, crudeli morte interempta eſt; anus quæ magicas artes confeſſa fuerat, viua flammis comburitur, quanquam retractatis prioribus, ac innocentiam Principis conteſtata; *Chilpericus hæreticus;* Chilperico interea ſeu ſtipite aut ſaxo ad ſuorum ſtragem indurato. Poſt id facinus vxoris, & ſuum maritus tentauit atrociùs, quò propagaretur in plures, parcenſque corporibus animos perderet. Vt erat eruditus litteris, daturus illarum ſpecimen, non ad humana modò, ſed ad diuina ſtudia animum applicans, Sabellianam hæreſim hauſit, eiuſque ſpargendæ cupidus (malum enim, vt maiorem boni ſpeciem præferat, amat diffundi) ad Epiſcopos ſcripſit, vt repudiata diſtinctione perſonarum, Deum duntaxat vnum nominarent, itaque in poſterum & ſentirent & docerent. *Et Grammaticus.* Sed iis reclamantibus, & maxime Gregorio Turonenſi, & Saluio Albigenſi, à propoſito abſtinuit, ſtatim è Pontifice factus Grammaticus. Siquidem quatuor litteras è Græcis petitas in vulgare Francorum idioma tranſcribi voluit, nempe ω φ χ θ; primam quidem; quoniam ô magnum nullo diſcrimine ſeiungeretur à paruo; & alias, quod alioqui ſcriberentur duplici charactere: Scripſitque ad ciuitates, imperans vt eæ litteræ pueros docerentur, & in libris deſcriptis, prioribus elementis expunctis pumice, iſta quaſi recepta in gratiam & iure Francico donata ſubſtituerentur. Sed vanum id ſtudium & irritum fuit; nec enim facile vſus dediſcitur; & ſtatim maiora conturbarunt curas Grammaticas.

XV.

Chilpericus Guntranum bello appetit; Quippe Chilpericus cùm aduerteret inter fratrem Guntranum & Childebertum nepotem pro Maſſilia ciuitate diſcordiam ortam, & primum amorem defeciſſe in odium, vt è malo communi commodum peteret, ſtatuit in Guntranum iam expulſo Mummolo indefenſum bello prorumpere. Et proximas clades multa prodigia nuntiarunt. Nam menſe Ianuario, ceu æſtate mediâ, effuſi imbres, tonitruúmque mugitus; micantes floribus arborum rami; Cometa ingens tanquam è fumo magnum longè ſpargens incendium;

incendium; cœlum ardens; sanguis depluens, ac vestes fœdo colore maculans, & sudantes cruore parietes; horrore iniecto, portenderunt mala iam imminentia. Horum igitur à Chilperico initium, qui Childeberto sibi spe adoptionis adiuncto, quandoquidem liberis orbatus esset, Desiderium ducem in Aquitaniam mittit, à quo Regnoaldus pro Guntrano imperator in fugam actus, vrbesque Petrocorium & Aginnum captæ, cæteræque negotio facili sub iugum missæ. Deinde excepta legatio Childeberti, ab Ægidio Rhemensi Antistite cæterisque Austrasiis obita; quâ contractum fœdus in Guntranum; quem Sigeberti necis artificem Chilpericus affirmans, séque eius professus vindicem, nepoti summa pollicitus, in fratris ruinam se accinxit. Erat in proximo cum numeroso exercitu Childebertus, quem tamen continens, præstolabatur quæ fors fratrum foret. Interea Chilpericus ducto Parisiis milite in Guntrani terras peruadit, copiásque partitus vt diuisum hostem facilius premeret; partem Desiderio & Bladasti tradit, vt ad Bituricenses profecti, Auaricum primariam vrbem occuparent, dum ipse cum parte altera in Burgundiam irrueret. Guntranus tamen ad Melodunum occurrit, Deo maximè & innocentia fretus; nec spei falsus, sub ipsum aduentum, iam dubia luce & in noctem prona, deprehensas cohortes hostium, quos licentia ac libido prædæ seduxerat, ad vnam cecidit. Nec Biturices se obsidioni ignauos præbuerant, egressi vrbe, & Desiderium acri certamine excipientes, in quo æsa vtrinque septem millia; numero tamen oppressi se in munimenta receperant. Igitur dum res in ancipiti starent, ex vtrisque castris fæciales missi, instaurata fratrum concordia, vtroque fortasse Childebertum metuente, in has leges coaluit pax; vt rapta cuique restituerentur, plebe misera rapinis & vexationibus direpta, qui fructus vnus bellorum ciuilium: inde reuocatus à Bituricibus Desiderius, coactúsque Chilpericus ad inhibendas suorum rapinas, Rothomagensem Comitem ferire gladio; adeò Francis vetus est, nisi contineantur à ducibus non regi disciplina castrensi, & hostium loco habere hospites. Dum hæc agerentur, ne vnus Childebertus ciuilis turbinis immunis foret, repente in castris seditio oritur; nocte concubia miles fremit, Rhemensem Episcopum, cæteroſque ad Chilpericum legatos, proditores esse Regis & patriæ; qui à Guntrano piissimo Principe deficientes, ad Chilpericum infamem flagitiis atque periuriis se contulissent; rapiendos vi proditores, & in exemplum affectos, verberibus puniendos. Itaque prima luce conueniunt ad tabernaculum Regis, legatos reposcunt, præsertim Ægidium, vt dedantur sponte, vim minantur. Eamque intentabant, cùm Ægidius aliique ascensis equis citatissima fuga sese proripiunt; hos quidem cõuiciis saxorúmque imbre miles insequitur, sed equorum penuria, quorum tunc magna per morbum strages, cùm non posset assequi, parta est fugientibus salus. Ab eo Chilpericus hostis, fœderatus Guntranus, præsertim Massiliâ prioribus dominis restitutâ. Si quidem Mũmolus præclarissimus ille bello imperator, suâ Auenione in quam confugerat prodiens, Massiliam armis occupauit, eámque pacis scopulum Guntranum inter & Childebertum, vtrique restituit, eodem vinculo

CHILPERICVS.

Petriguenx. Agen.

Bourges.

Pace cum eo conuenit;

Sed inutilè.

CHILPERICVS.

vinculo colligans fœdus quo solutum erat; sanè eximius, qui paci vinceret, non sibi, & alienam concordiam suum commodum duceret. Quæ comperta Chilperico, terrore magno compleuerunt animum conscium sui; quocirca frangendum hostem munimentis vrbium ratus, iussit desertis agris optima quæque in castra ferri & oppida, & ipse delatis secum regiis opibus Cameracum secessit.

XVI. *Ingundis & Hermenegildus.*

Verùm Childebertum peregrina bella à domesticis auertebant; Adolescens gloriæ cupidus Hispanicum inter & Longobardicum ambigebat. Hispanici suscipiendi hæ causæ. Ingundis Sigeberti filia, eadémque Childeberti soror, Leuigildo Hispaniæ Rege cupidissimè ambiente, Hermenigildo eiusdem Leuigildi filio, ad mutuam affinitatem adstringendam arctius, nupserat; magno vtriusque gentis plausu & apparatu. Erat Leuigildo coniux Gosuinta, Hermenigildi nouerca, quæ seu zelo religionis, seu prætextu, vt molestiam priuigno facesseret, seu in nurum inuidia, Ingundem voluit ab Catholico cultu traducere in Arianam impietatem, qua tota fermè Hispania polluebatur. Primùm itaque blanditiis ac pollicitationibus aggressa Ingundem, nihil non mouit, eam vt a religione vera demoueret: aiebat, *vxorem in mariti leges transire penitus; non esse diuersa ambobus altaria nec diuersos toros; quæ admissa sit in communionem omnium, sibi malè religionem seponere: iam Brunechildem ipsius matrem praiuisse exemplo; tanti esse Monarcham Hispaniæ, quanti tunc fuerit Tetrarcha Francia, nec passurum vt in Aulæ conspectu nouo cultu & impio religio sua traduceretur.* Cùm ad hæc nurus immota persisteret, dicerétque fidem cum lacte simul à cunis bibitam, sic coaluisse in animum, vt ne morte quidem auelli posset; anus blanditiis in furorem versis, dignitatis aut sexus ratione nulla; Itáne, inquit, te ad meos nutus non flectes? simul disjectis crinibus apprehensam solo illidit, diúque pugnis & calcibus verberatam, suóque sanguine sordidam spoliari iussit, ac nudam mergi in balneum, donec baptismo nouo, Ariano more conficiendo, assensum præberet. Quibus Ingundis inuicta semper & imperterrita, tormentis maior Christiana patientia, & Orthodoxa fide illibata, tandem dimissa est, ac marito reddita, monito vt contumaciam vxoris ad meliorem mentem inflecteret. At illa, adspirante diuina gratia, adeò impietati coniugis non adhæsit, vt cum pio amore sanctísque blanditiis ad sinceram fidem traductum ab hæresi, non modò terris Sanctissimum Principem, sed etiam præclarissimum Martyrem cœlo genuerit. Quomodo Hermenigildus illustrem hanc lauream consequutus sit, mortemque in Patre vitæ fonte adeptus sit, tradunt quorum interest Hispani scriptores; dum Ingundis electa; & ad Mauricium Græcum Imperatorem confugiens, cuius Ducibus iam à viro erat contradita; vi tempestatis vnà cum lactante filio in Siciliam delata, Dei & hominum opem implorabat. Igitur ad vindictam huius facinoris, nepotémque ex sorore in Hispaniæ solio reponendum, ad occasum Childeberti arma reposcebantur. Contrà in ortum & hæ partim causæ, & nouæ aliæ auocabant. Siquidem Mauricius Imperator, vt Longobardos inhærentes Italiæ pelleret, nec id ab sua infirmitate impetrare posset, so-

Childebertus in Longobardos.

lemni

lemni legatione compellauerat Francorum Reges, Childebertum præcipuè, vt in prædones publicos communemque hostem insurgerent; eamque in rem Childeberto, cuius ætas & vires tantæ expeditioni percommodæ forent, quinquaginta aureorum millia annumerauerat magnum belli stimulum & instrumentum. Quid, quod dum facit Mauricio satis, sororis & nepotis rem promouet; quibus postea eiusdem Imperatoris auxilio recipi posset Hispania: & eos putabat iam delatos Constantinopolim, necdum resciuerat Ingundem fugæ tædio & miseria prestàm, in Africa in quam traiecerat mortuam, vitæ exilium cum æterna patria commutasse. Quocirca in Italiam expeditionem pronuntiat. Verùm susceptum tanto apparatu bellum, nullo fructu minimáque gloria euanuit. Quippe Longobardi, cùm iam ferrum hebescere, séque impares hac procella repellenda aduerterent, ad Mauricij artes conuersi, auro exarmarunt bellum quod aurum armauerat; fidémque Childeberto polliciti, præter appensas pecunias, procellæ turbinem excussérunt. Ita rediit Childebertus in Franciam, tam opum diues quàm inops gloriæ; accusante publicam fidem Mauricio, & aurum frustra, reposcente, tam ferax vt ab hostibus vsuras gigneret. Supererat expeditio in Hispaniam; quæ an sit obita, mihi incertum est; nam quæ statim contigerunt in Francia, satis tutam Hispaniam præstiterunt. CHILPERICVS.

Et verò ad auertendam à Childeberto vindictam Leuigildus dudum contendebat; iam enim pluribus legationibus addictísque precibus Riguntem Chilperici & Fredegundis filiam Recaredo alteri filio, in quem regni spes abdicato Hermenigildo vnum incumbebat, expetitam in coniugem obtinuerat; eratque dictus legatis dies ad obeunda sponsalia; cùm subita calamitas hilaritatem mœrore turbauit. Theodoricus infantulus vnus è tot Chilperici liberis superstes, correptus morbo ac mox raptus, genialem apparatum mutauit in lugubrem; omnis Aula cum Fredegunde attrata; legatis dilata spes; imò oblata in nuptias alia Chilperici filia, quam ex Audoëra susceperat, erátque iam ante Monasterio clausa, sub Radegundis Sanctissimæ illius disciplina; (quam tamen pia mulier negabat Deo cui dicata esset rapiendam) Remque longius distulit obitus luctus, & quæstiones de morte pueri à matre habitæ; quibus multæ Parisienses mulieres diris tormentis excruciatæ vitam posuerunt, accusatæ quod magicis artibus innoxio infanti mortem attulissent; imo & cohortium præfectus eadem suspicione implicitus, post multos cruciatus, frustra salute à Fredegunde donatus, dolorum acerbitate emisit animam. Sed & ipsa mater in res sensu destitutas sæuiens, quæcumque in pueri vsum designata essent, ex tela, lana aut serico, igni absumpsit, argentea vasa & auri quod esset conflauit in massam; ne quid sibi memoriam filij reuocaret; insano luctu, qui memoriam illibatam morti extinguat. Hic dolor postmodùm nouo gaudio euanuit, nato Regi infante, statimque de Rigundis nuptiis cogitatum. Ingenti Legatorum pompa Parisiis res celebrata est; Fredegundis immensam auri argentíque vim in dotem contulit, addidítque supellectilem tam multam ex omni opulentia; vt Rex iis in conspectum positis, XVII. *Riguntis Hispano sponsa.* *Theodorici infantis mors.*

CHILPERICVS.

obstupefactus crederet suas omnes opes mitti in Hispaniam, sibi relicta vna inopia. Sed & quamplurimis doloti fuit tanta lætitia, quos in familiam nuptæ destinatos, timor & vis à charitate patriæ parentúmque sinu auellebant. Multi vi rapti, & in plaustra nolentes compositi; haud pauci vt abirent missi in carcerem; qui iam grandes natu ad comitatum profecturi erant, testamenta condebant; iubentes ea vt rata essent, quo primùm die pedem in Hispania figerent; quasi eo die vitam amitterent: imò & aliquot sibi gulam fregerunt laqueo, certam mortem calamitosæ, qualem hanc reputabant, vitæ anteponentes. Itáque tanto dolore & propemodùm horrore omnium sponsa profecta est, vt sub ipsum currus ingressum, inter oscula & lacrymas cùm puella vltimum vale parentibus diceret, effracto axis currù, effusisque sessoribus, omnes dirum omen malúmque auspicium imprecati sint abeunti. Neciter à profectione diuersum; exhaustis vrbibus ad præbendas impensas, prædaque militum quos ad ducendam filiam designauerat Pater; quasi non pacis & hilaritatis prodroma, sed noua Helena & lues publica deduceretur. Sanè vulgi odium sanciuit Deus, nuptiis nullis, infelicissima morte, & repentina inopia. Siquidem Riguntis cùm Tolosam peruenissent, morámque necessariam necterent sui, vt ex via reficerentur, & paulò decentius in peregrinas terras subirent; audita subitò Chilperici morte, Desiderius dux qui virginem regiam comitabatur, in eius thesauros inuolat, miserámque dote & opibus spoliatam eò calamitatis repentè adigit, vt ab omnibus non deserta modò sed impetita, in basilicam Mariæ Deiparæ Tolosæ aufugerit, tenuem victum emendicans propemodùm, quæ nuper vrbes & prouincias exhauriebat.

Chilpericus occisus.

Porrò Chilperico mortem is casus attulit. Venatum profecturus, salutata Fredegunde, in equile descenderat; cùm equis nondum comparatis, reuertit in cubiculum, vidétque coniugem solutis capillis obuerso tergo prompsisse vnguenta quibus comam ablueret. Delectatus hac specie, virga quam manu gestabat, Fredegundis humeros licentia maritali molliter percutit; illa rata Chilpericum iam profectum, vnumque Landricum, quo cum stupri habebat consuetudinem, id familiaritatis posse vsurpare, sic vt erat comæ intenta, quid, inquit, Landrice, ista in me audes? simul dicto, manu dimotis crinibus se conuertit. Hæsere vterque attoniti mutua specie; ille quidem zelo & furore, illa pudore & metu; Chilpericus tamen in potestate furorem habuit, & in recessu nemorum sine testibus, vel deploraturus miseriam, vel paraturus vindictam, tacitus ad equos, hinc ad siluam se contulit. Fredegundis contrà, metu in desperationem verso, & pudore in rabiem, extemplo Landricum aduocat, narratóque casu, & expenso iamiam imminente periculo, perditura ne pereat, statuit Chilpericum è medio tollere; superesse infantem, cuius auctoritate & nomine mater tuta esset; Landricum ipsum Magistrum palatij domúsque regiæ, tum amplitudine dignitatis, tum rerum peritia, in procella regni sessurum in clauo. Eo consilio duos sicarios legit (vnum Gregorius scribit) qui regem vt solebat primis tenebris è venatione reducem, comitibus sua hinc illinc curantibus inopinatum confoderent. Itaque vt conuenerat factum.

Regem

Regem equo desilientem aggressi, hinc inde feriunt; statimque exclamant, quasi percussores patrato facinore in proximam siluam se abdidissent. Insequuntur aliquot, tumultu alij aulam miscent, passim discurritur, dum miser Chilpericus simul cum sanguine animum mittit; diúque in cœno cruore fœdum cadauer iacuit, donec Mallulphus Siluanectensis Episcopus, iam triduum aditu Regis exclusus, miseratus in Rege hominem, spretum relictúmque ab omnibus curauit ablui, solutísque precibus deferri Parisios & in basilica sancti Vincentij condi. Ita Nero & Herodes sui seculi, vt Gregorius vocat, vicesimo quarto regni anno tot scelerum adeptus apicem, ab femina periit, per quam in tanta flagitia ruerat; vt eadem esset pœna quæ noxa; & à libidine caderet, per quem libido stetisset. CLOTARIVS II.

Ab hac cæde, Francia omnis spe aut metu agi. Fredegundis cum regio puero quadrimestri, delata Parisios, gasa palatij raptim lecta, se in templum Deiparæ Virginis condit, securis asylo loci flagitiis: Childebertus Chilperico infensus, patrimonium pueri cupiditate iam vorat; Brunechildis viperino odio ardens in æmulam, reuocata Sigeberti morte quæ sibi olim impendisset calamitas, eam Fredegundi omni ope destitutæ intentat: Desiderius Dux magni nominis, clam initis cum Mummolo & Gundebaldo consiliis, ceu regno in prædam obiecto, sibi non mediocrem partem designat: Guntranus tametsi iam senior vsu & indole cupiditati moderabatur, tamen & cæde fratris suum fatum æstimans, & Childeberto occursurus ne alienum inuaderet, eripere se bello non poterat. Quis igitur in his iactationibus procellisque sæuissimis, censuisset tunc raptam in partes Franciam, mox vno in capite coalituram, & vagientem illum è cunis puerum, subductis bellicosis viris atque Principibus, collecturum Monarchiam; adeò Dei est naufragis portum, & nauigantibus scopulum, & gloriam abiectis humilibúsque præstare. Primam salutis anchoram Fredegundis iecit. Ea imperterrita calamitate, nihilo segnius in regni bonum quam ante in regis malum incumbens: ad Guntranum, cuius exploratam habebat indolem, in miserorum solatium pronam, legatos mittit; qui deplorata Chilperici morte; *Dicant percussores à Brunechilde & Childeberto instructos, conquerantur de fratricidio, doceant nihil securum esse in vita, si Regibus ea fata impendeant, ab iis maximè quos cauere nec possint nec debeant; non esse Guntranum propinquiorem Childeberto quàm Chilpericus fuisset; nihil tutum à Brunechildis insidiis; nec illam fraude contentam, iam vim adiungere; imminere cum exercitu Childebertum, qui pupillo regnum & vitam rapiat, nihil spei humanæ præter Guntranum superesse; per memoriam fratris, per solitudinem viduæ, per infantis infirmitatem & innocentiam, adsit ipse, Parisios aduolet, in potestate regnum & Regem habeat, futurus Pater & Dominus; nec patiatur innoxios in potentis femina victimas cadere.* His motus Guntranus celeriter Parisios exercitum ducit, & opportunè vrbem ingreditur, excluso Childeberto iam iam aduentante. Et hic vbi Parisios non admittitur, ad legationem conuersus, Guntrani pietatem & paternam beneuolentiam appellat; *Meminerit quanto affectu ipsum liberorum loco susceperit, quid tunc pollicitus, quid iureiurando sanxerit:*

XVIII.

Motus post Chilpericum cæsum.

Guntranus infantis tutor.

CLOTARIVS II.

se inde veneratione omni colendissimum Patrem summis officiis prosequutum; nunc componat Chilperici fraudes, corruptam mentem, bella perpetua, flagitiosa facinora, quibus in fratres singulos, præcipuè in Guntranum ipsum grassatus est; nec nepoti quem pro liberis habeat, infensissimum hostem anteponat. Ad summum orat, vt Chereberti regnum indiuisum, cuius partem maximam contra ius inuasisset Chilpericus, æquali sorte secum diuideret, nec rem communem sineret priuato vsu intercipi. Ad hæc Guntranus ira commotior, legatis perfidiam & inconstantiam exprobrat; se quidem paterno animo in Childebertum incubuisse, impuberem & destitutum ope humana, non tueri contentum, adoptione in filij nomen & charitatem inseruisse, nihilque omisisse in posterum quo Nepotis demereretur obsequium. At is nuperrimè cum Chilperico infidum fœdus & periurum iniit, quo me regno meo depellerent, meásque vrbes spoliorum instar diuiderent. Tunc prioris fœderis, adoptionis initæ, paterni nominis, & præbendi obsequij debuerat meminisse, & quod piorum est liberorum, hereditatem paternam à fato & obitu Patris opperiri; non ipsi viuo & videnti præripere. Addebat ad Chereberti regnum quod spectaret, tum Sigebertum Childeberti patrem, tum Chilpericum excidisse partibus suis; quod vterque contra iusiurandum Parisios absque consensu & arbitratu alterius, ingressus esset; proinde abscederent, nec in alienam messem falcem immitterent; satis ipsi animi & virium esse ad regnum suum Nepotísque impuberis defendendum. Legati his verbis dimissi iterum redeunt, ac suo Regi Fredegundem dedi efflagitant; eam domus regiæ luem & pestem; diu per grauissima quæque malefacta grassari impunè; sileri libidines, rapinas, & atrociſſimam immanitatem, quibus omne hominum genus diuexasset; at Childeberti esse vlciſci necem Gosuintæ matertеræ, Sigeberti patris, ac Chilperici patrui; quorum sanguinem impuriſſima mulier effudisset; nec Guntranum posse sine suspicionis labe tot flagitiorum compertam protegere. Et querelæ eiusmodi frustra iactatæ; respondet Guntranus, ideò se venisse vt rem disceptaret; sibi non esse opus Childeberti consilio, expertem sè cupiditatis & odij, deprehensurum flagitium, & vocaturum in pœnam: recedat interim Nepos, nec vltionis specie pupillum innoxium perditum velit. Ita securus à Childeberto Guntranus, ingenti specimine moderationis, tutelam nepotis suscepit; & admisit in gratiam Fredegundem; siue blandimentis & obsequio feminæ in formam omnem se vertentis; siue quod eam innocentem crederet, vt probi minimè omnium suspicaces; siue quod referret infantuli, matrem opibus clientibusque constabilitam ipsi adiungere; Ansoaldo præterea cæterisque Proceribus nouo Regi fidem addicentibus, quem de Aui nomine appellarunt Clotarium. Temperantiâ Patrui Francorum Monarchiam fulciente, & togata virtute præpollente armatis & laureatis.

A Childeberto abscessit.

XIX.

His domi concordia magna stabilitis, ad opprimendum domesticum hostem curæ conuersæ sunt. Erat is Gundoaldus, eò periculosior, quod ab ipsa Regis prosapia ad Regem profligandum compararet arma & machinas, se filium Clotarij primi profitendo. Nec repente ex occasionis commodo fraus conficta; sed iam inde ab ipso Clotario, vulgata fabula, vel historia,

Gundoaldus se Regem facit.

&

& hactenus nullo cursu temporis interrupta. Etenim mater Gundoaldum natum educauit illicò regio cultu,& quod præcipuum erat Regum insigne, comam intonsam studiosè aluit, deinde ephebis egressum ad Clotarium deduxit. Ac tametsi Clotarius tunc eiurauerit filium, ac postea sibi à Childeberto transmissum, attonsis crinibus cum ignominia remiserit; tamen tum is tum mater in incepto perstantes, nunquam deiecti sunt possessione publicæ fraudis vel fidei. Clotario mortuo, Cherebertus impostorem pro fratre habuit aluitque; donec idem à Sigeberto euocatus, iterumque coma multatus, missus est Coloniam, trususque in carcerem, vt spem regni decoqueret. Sed ab eo elapsus, ad Narsetem in Italiam confugit, mox Constantinopolim ad Iustinum, à quo & successore Mauricio honorificè exceptus, & studiosè seruatus, veluti obses fidei Francicæ, & instrumentum belli aut pacis. Is deinde ab Guntrano Bosone Hierosolymis reduce deductus in Franciam, Childeberti ducibus, & fortasse ipso euocantibus, ad res nouas vbi se occasio daret moliendas, Massilia Auenionem profectus, à Mummolo Duce securitate obtenta, ibidem egit ad Chilperici mortem: post quam illicò vsurpatis Regis insignibus, deducentibus Mummolo & Desiderio, ad Aruernos aduolans, paratóque milite, clypeo impositus, ac castra circumductus, Rex appellatus est; malo tamen omine, quod ipse cum clypeo gestantium incuria, in humum proruens, casu afflictus, ægrè consurrexit. Inde percursa Aruernia, & ad suas partes traducta; ea ratione, vt quæ vrbes Sigeberti fuissent, ab iis Childeberti nomine fidem exigeret; quæ autem Guntrani aut Chilperici, eas suo nomine ad sacramentum adigeret; Enculismensibus & Petrocoriis occupatis, Tolosam contendit; quam valido iam exercitu statim obtinuit; Magnulfo Episcopo frustra obnitente; Bladaste & Vvaddone Ducibus ad eum transeuntibus, aliisque quamplurimis. Eodem incendio flamma Burdegalam vsque propagata, ad Duranium amnem Aquitaniam tenuit; & iam protendebatur ad Pictones, cùm Guntrani exercitus currenti claustra & metas obiecit. Stabilitus tam prospero euentu Gundoaldus, legatos ad Guntranum misit, qui legitimam regni partem reposcerent; si negaret, affuturum ipsum, & armis quod dedisset natura vindicaturum. Porrò cautè monuit, virgas Francorum more consecratas ferrent, nec vllos consilij sui participes facerent, donec ad conspectum Regis admitterentur, habitóque responso reuerterent; quippe norat inuiolatos huiusmodi fociales; alioqui malè habendos, & pro speculatoribus puniendos. Nempe quod contigit. Siquidem effutientes incautè, quam ob rem venissent, & quid deferrent Guntranus præmonitus, apprehendi & vinciri iussit, nondum virgis propalam ostensis; vt saluo gentium iure, quasi priuatos & ab hoste submissos plecterer. Statímque minacibus verbis, ac tormentis continuò admotis, didicit, præter legationem superuacaneam; Riguntem Chilperici filiam, & Magnulfum Tolosanum Episcopum relegatos; Gundoaldum arcana cum Childeberti Proceribus agitare consilia, à quibus iam inde Constantinopoli euocatus foret, & in præsentia ratione omni foueretur. Stupefactus hac delatione Guntranus, ob conspirantium molem & numerum, existimauit

CLOTARIVS II.

Multis consiliis sociis.

Dordonę.

Legatos mittit ad Guntrannm.

Gũtranus cũ Childeberto conciliatus.

arceſſendum eſſe Childebertum, vt de communi re, communi conſilio
CLOTARIVS II. diſceptarent. Aduocatum itaque palam in concionem producit, ac inſtaurata priore quam inſtituerat adoptione, ipſi haſtam tradit, quâ iret in poſſeſſionem regni tradendi; & eadem concione emancipatum, iamque ſui per ætatem iuris donauit ciuitatibus quæ ante fuerant Sigeberti patris; conteſtatus vniuerſum exercitum, vt Regi ſuo iam adminiſtrationis capaci & ad clauum ſedenti obſequerentur, rixarumque ſemina & contentionum vnâ parendi ambitione obruerent. Poſteà epulæ ſolemnes triduò præbitæ, dimiſſuſque ingenti gaudio Childebertus; à Guntrano tamen admonitus, quibus ſuorum habenda fides aut neganda eſſet; tacitè appellatis qui à Gundoaldo ſtetiſſent; quorum plures conſcientia ſceleris domi quamquam euocati hæſerant; obteſtatuſque maximè Patruus, vt nepos caueret à matris artibus, & cum ea pacem, ſi cum aliis vellet, nullam haberet. Iſque fuit legationis euentus, legatorum leuitate atque ſtultitia; tanti refert habere delectum hominum, præſertim vbi iudicio potiori hominis parte res agitur.

XX. *Bellum in Gundoaldum.*

Guntranus hac plaga perſanata, totus in Gundoaldum conuerſus, Leudegiſilo Coneſtabili potentem exercitum tradit, quo graſſantem luem tandem exſcinderet. Nec tebat moras eis Garumnam miles, cùm vulgato rumore hoſtem vltra Garumnam propius agere, & opulentam Riguntis gazam deferre; cæco impetu, cupiditate ſeu prædæ ſeu pugnæ, omnes in obuium amnem præcipitantius ruunt, ac vorticoſo fluuio nonullis merſis, vlteriorem ripam aſſequuti, iumenta aliquot onuſta auro inuadunt, Gundoaldo Conuenas vrbem ſe recipiente. Conuenæ vrbs erat non longè à Pyrenæorum radicibus in ardui collis cacumine poſita, proximo agro in planitiem latam excurrente; in decliui montis fons ſcatebat ſalubribus aquis atque vberrimis, turri ampla & valida tectus, ad quem incolæ tuto & occulto cuniculo venicbant aquatum. Hanc arcem ad infringendas hoſtium copias Gundoaldus legerat, ciuibuſque perſuaſis, vt quidquid in agris alimentorum eſſet in vrbem conucherent, eadem opera commodum ſibi, hoſti incommodum curans, flore militum ducto, cum Ducibus Mummolo, Bladaſte, & Vvadone (nam Deſiderius ad Guntranum ſeceſſerat) & Sagittario Vapingenſi illo Epiſcopo flagitiis celebri, in ſpem venerat longa propugnatione fatigandi hoſtis & vincendi. Ac confeſtim ne penuria victus laboraret, in addictos incolas fraudem inſtituit. Nam comparente hoſtili exercitu, ficta emptione cùm armatos ciues emiſiſſet, eos extemplo recedente milite, & occupatas portas occludente, ſua vrbe eiecit; ea copia vini & annonæ, quæ in multos annos ſufficeret, ſi tantum animi commeatum quantum alimentorum feciſſet. Nec Lendegiſilimiles temperantior, qui ad Aginnum baſilica ſancti Vincentij ſpoliata, in quam Aginnenſes loci aſylo freti ſua contulerant, mox diuinam vltionem ſenſit; plures enim correpti à dæmone; manus aliis ſacro incendio combuſtæ; aliquot ſibi propriis haſtis necem confecerunt; reuocata auri Toloſani pœna, coactiſque ſupplicio ſapere, quos non continuiſſet religio. Mox omnibus ad obſidionem paratis ſcriptas

Qui ſe Conuenis includit.

S. Bertrand.

Agen.

Brunechildis

Brunechildis nomine litteras ad Gundoaldum mittit Guntranus, quibus admonebatur vt relicta vrbe parum tuta, Burdegalam peteret, munimentis & loci distantia tutiorem. Sed siue dolum cautus persenserit, seu certum asylum mutare incerto respuerit, se in arce continuit. Ergo Lendegisilus ab obsidione lenta initium facit; iamque nullo fructu dies decimus quartus effluxerat, cùm vim & oppugnationem parat. Expediri arietes iubet ad murum perfodiendum; plaustra ingentia obducta vimine, tecta asseribus pellibusque, rotis acta & trocleis, tegebant milites, qui arietum pulsu muros subruerent; plures hæ machinæ admouentur; iam miles arietem vibrat, murumque percutit; cùm propugnator è superioribus pinnis ingentes saxorum moles deuoluens, plaustra effringit, arietem euertit, milites obruit, promiscuâ strage trabium atque mortalium; moxque telo alio ad mortem sæuiens, picem, adipem, oleum, cæco incendio fumantia in apertum effundit militem; grassante igne ferri vicario, & quos attriuissent saxa absumente. Institutam cædem potius quàm pugnam tandem nox diremit; at statim incendit propinqua lux. Lendegisilus nouam aggressurus viam, immodicæ magnitudinis fascem ex virgultis ramisque arborum colligari iubet, quo in fossam ad orientem proiecto, vbi haud dubiè altitudo minor, vt æquata fossa miles facilius in murum scalis aut testudine euaderet; prouolutus fascis ingenti militum nisu & clamore, nec fossam impleuit, nec gradum impugnantibus strauit; nam iterum è superiore loco grandinantibus saxis & depluente incendio, post grauem iacturam receperunt sese regij milites; Sagittario maximè complurium cæde conspicuo, & supra muros ad perniciem hostium volitante.

CLOTARIVS II.

Vrbis obsidio.

XXI.

Gundoaldus capitur proditione.

Exclusâ igitur tum vi tum mora, Dux mentis incertus, vbi arx & corpora inexpugnabilia forent, animos quæ vna superesset via aggreditur. Poscit arcanum à Mummolo colloquium, quem totius belli caput & manum agnoscerer; aperitque quantis calamitatibus se vltrò inuolueret; *Nihil iam Gundoaldo in vniuersa Francia prater arcem hanc, hoc est nidulum vnum superare; qua tametsi munitissima sit, tamen aliquando tandem in potestatem Regis peruentura, alimentis, vel amplissimis defecturis. Scire ipsum, Guntranum inter Regem & spurium nebulonem quantùm interst: hominem terra filium, è vili gurgustio prodeuntem, non posse in regnum euehi, absque vehentium & assectarum magna infamia: quantùm honoris & gloriæ consequetur Mummolus, ille tot gentium triumphator, si abiecto mancipio se ipse mancipet; quique amplissimis Regibus detrectauerit obsequi, vilem artificem in Regem habeat? Addebat ad augendum metum, iam vxorem eius & liberos in Guntrani manus peruenisse, iam iis in Patris pœnam necem destinari; nec relictam ipsis spem salutis, prater pœnitentiam patris. Inde hortabatur, vt appellaret iam perspectam Regis clementiam, humanitati notæ confideret, & in amplexus paratos sese immitteret; promittitque præteritorum veniam, & securitatem in posterum.* Hac oratione validiùs quàm vlla machina pulsatus Mũmolus, se dicit nihil posse sociis inconsultis certi statuere, communicaturum rem, ac statim quid placuerit

CLOTARIVS II.

cuerit relaturum. Nec mora, Vvaddonem, Sagittarium, & Cariulfum, ciuem indidem opulentum, in arcanum colloquium vocat, (pridie Bladastes iniecto in Basilicam igni, in omnium trepidatione aufugerat) docerque quanto in periculo versantur; ni se sponte dedant, de salute omnium actum; iam se satis pro Rege dubio contendisse, semel oblatam spem rapiendam; dumque adhuc licet, agenda retrò vestigia, ne in præceps ruant ac pereant. Socij si cautum sit de securitate consentiunt. Eam spondet Lendegisilus, sacramento adiuncto; additque si Guntranus renuat, paraturum asylum Ecclesiæ, in quam confugiant. His confirmatus Mummolus, cum Sagittario & Vvadone Gundoaldum adit; *Quanta fide quantóque studio, rem eius promouerint mirè amplificat; se non pœnitere tot erumnarum, paratos esse quod in rem eius sit nihil omittere: sed pro amore & iurato obsequio se impelli vt discrimen præsens aperiant, affirmentque spem vnam salutis in Guntrani fratris clementia positam, iam commeatum deficere, infringi militum animos, tedere obsidionis & carceris; quod non impetrent statim confecturos. Colloquutum se cum Lendegisilo, habere perspectam charitatem Guntrani; nihil in votis esse quàm vt fratrem amplecti possit & colere: in tanta penuria Principum, seruandum esse quem per tanta pericula fors seruasset; vltrò accederet, & in charissimos amplexus rueret.* Non fefellit miserum proditoris dolus; ac sui iam securus exitij, perfusus lacrymis; *Ita* inquit, *quandoquidem sic visum Mummolo, in paratam necem vltrò ruamus. At Deum testor, qui vnus in mortalium cogitationes peruadit, me vestris consiliis vestrisque commodis eò progressum, vnde regredi iam non licet; vos me in Franciam per proditorem ac mearum opum prædonem euocastis inuitum; vos Auenione quod reliquum facultatum fuit retinetis; vos me in hanc regni spem vel ruinam potius extulistis; modò inde per dolum & proditionem deiicitis; vestra vtrobique culpa sit, seu Regem indignum euehitis, seu dignum perditis.* Ad hæc Mummolus, iureiurando fidem obtestatus, aureum balteum quem Gundoaldo dederat, repetit, ne fortè inuidiam calamitati faceret auri splendor; deductumque non renitentem ad vrbis portam, tradit Bolloni Biturigum Comiti ac Bosoni, stipatis caterua militum, & in vrbem regressus, portam occludit. Tum Gundoaldus aduertens se ad necem hostibus proditum, oculis manibusque in cœlum sublatis; *Deus*, inquit, *æterne, omnium iudex, auctor iustitiæ, & malefactorum vltor, a quo dolus omnis & mendacium abest; causæ meæ index esto & vindex, & in eos qui me per dolum & mendacium prodiderunt, fraudis pœnas retorque supplicium.* Simul se crucis signo muniens, ductores sequitur. Nec multùm processerat, cùm à Bollone in subiectam vallem præceps impellitur, exclamante, en vestrum Balomerem (sic enim vero nomine appellabatur) qui se Regum dicit fratrem & filium; simulque lanceam transfixurus iacentem immittit. Sed cùm lorica ictum retunderet, iamque exurgens ad fossæ aditum eniteretur, Boso lapide in caput vibrato, erepentem obtruncat. Mox omnis exercitus in cadauer sæuiit; id perfossum lanceis, siccisque deformatum vulneribus, pedibus fune adstrictis, per castra ignominiosè protractum; auulsisque crinibus, infausto regni symbolo, insepultum in eandem vallem proiectum est. Nocte vrbis opes à Mummolo & sociis clam subductæ; nec templorum

rum ſupellectili parcitũ : lux vrbem funditus perdidit; recluſis portis admiſſus miles, direptione, cædibus, poſtremò flammis, deletis tum incolis, tum ædibus profanis ac ſacris; nullum monumentum vel victoriæ vel furoris; præter fumantem humum incendiis, & vacuum vrbis nomen reliquit. De proditoribus quid cenſeret Guntranus conſultus, hos morte damnauit. Iamque Vvaddo & Cariulfas, liberis datis obſidibus, opportunè effugerant; ita qui ſupererant Mummolus & Sagittarius perimendi. Quorum ille, pro militari gloria rebuſque geſtis fortiter cecidit; multis eorum qui necem inferebant ſua manu interfectis; pugnáque in prætorij foribus diu prolata, donec numero victa virtus occubuit : Sagittarius cucullo tectus dum fugit, retrò apprehenſus truncatur capite. Huncque exitum tam adminiſtri fraudis, quàm auctor ſortiti; laruis eiuſmodi plerumque tragicis; nec impune mortalibus Dei effigiem occupantibus.

CLOTARIVS II.

Mummolus cæſus.

XXII.

Dum hæc aguntur, Fredegundis à gubernaculo rerum amota eſt. Quippe Guntranus dum Pariſiis agit, querelis omnium laceſſitus, Chilperici & Fredegundis iniurias poſtulantium : leges irritando, rapta quæ extarent reſtituendo, exules reuocando, publicæ rei vulnera pro auctoritate & prudentia perſanauit. Ac quandoquidem in Fredegundem, vt in malorum caput, recidebant pleraque omnia, eam honeſta relegatione ad villam Rotoialenſem, Rothomago haud procul, iuſſam abſcedere, ſeductamque à filio, voluit interdictam publicis rebus priuatis incumbere; expulſo cum illa Melanio antè Rothomagenſi Epiſcopo, iam Prætextato in priorem ſedem reſtituto. Verùm ſolitudine malè mulieres emendantur, quæ ſi nocendi facultatem eripiat, voluntatem intendit : nec deeſſe facultas poteſt, vbi abundat voluntas. Ita Fredegundis mœſtiſſima, quod gubernaculo regni deiecta, deiiceretur & vſu criminum, ne amota penitus videretur, ad crimina ſe accinxit; primumque ab inuidia muliebri ortum. Vrebat feminam Brunechildis potentia; & ipſa contentio ſuæ ſortis priuatæ propemodum, cum æmulæ & infenſiſſimæ auctoritate, inflammabat animum facibus. Ergo Clericum ſibi familiarem ſubornat, (nam ex omni conditione conflabat ſicarios) qui confictis ſecum inimicitiis, ad Brunechildem confugiat; imploratóque in perſequentem aſylo, ſe in eius benenolentiam inſinuet, ac tandem occaſione data interimat. Bellè fraus proceſſit; admiſſus percuſſor in familiam Brunechildis, morum obſequio, & Fredegundis accuſatione; ſed haud multò poſt vocatus in ſuſpicionem, abductuſque in vincula & tormenta, rem vt erat faſſus, liber ad patronam remiſſus eſt, vt clementia vnius furorem alterius adaugeret; ſtatimque à Fredegunde, indignante apertum ſcelus & irritum, manibus pedibuſque truncatus eſt; quaſi peccaſſent manus dum parcunt crimini, pedes dum redeunt. Ab hoc flagitio mulier in aliud & geminatum prouoluitur. Guntranus de fratris nece inquirebat gnauiter; ea vt ſuſpicionem à ſe amoueret, & honeſtum facinus, quod ſibi flagitium foret, vocaret in pœnam; Eberulfum Chilperici cubicularium, quem à mariti morte de ſtupro appellatum ab officio nequibat abducere, amore in odium verſo, cædis Regiæ accuſat; tamque veriſimilibus argumentis premit, vt miſero & innoxio nulla defen-

Fredegundis expulſa.

Brunechildi necem intentat;

Et Eberulfo

CLOTARIVS. II.

dendi se, præter Basilicam sancti Martini, ratio fuerit. Sed neque sanctitate loci protectus est; quippe inflammante Guntrani animum femina, vis asylo illata, cæsusque per proditionem Eberulfus, ideò flagitiosus, quod pudicus esset. Postea inuidia in Brunechildem auctâ in immensum; quia filij potentia stabat matris auctoritas, in Childebertum conspirat, duósque Clericos venenatis culteis armatos in eum immittit: Cúmque nutantes in suscepto crimine animaduerteret, potionem dedit, vel medicatam, vel magicam, qua obfirmata mens in scelus prorumperet, simulémque addidit, quam sub ipsum scelus ebiberent. Sed deprehensi, apertóque in tormentis consilio, tum ij, tum speculator, quem Suessionem vt obseruatum facinus renuntiaret miserat Fredegundis; diris cruciatibus perempti sunt; ipsa quod mirum impunè agente, & ad grauiora, si tamen vlla sint, comparata. Nam & in Guntranum, cuius patrocinio erat incolumis, sicarios emisit; & Prætextatum Rothomagensem illum Episcopum, orto dissidio, curauit interfici; ac cædes patrata ipso die Resurrectionis Dominicæ, dum palàm in templo melior sacerdos quàm cautior, orationes sacras præcineret, quasi parum esset nefariæ feminæ perimere Præsulem, nisi pius sanguis sub ipsis altaribus funderetur. Nec modò alieno cruore, sed & suo propemodùm se intinxit; Rigunti filiæ, quam Tolosâ euocauerat, oppressis faucibus, ac nisi latæ suppetiæ forent, operimento ciste strangulatis. Et quidem soboles matre digna, tum libidinis & impuritatis infamia, tum in matrem contumacia & contemptu; vt sæpe inter se non linguâ modò sed manibus contenderint, pugnis & alapis inuicem cæsæ; adeò etiam similitudo morum odium gignit. Hæc aliquantò post; anteà pietatis magnum specimen Guntranus ediderat. Lugebat sæpius nepotum Merouæi & Clodouæi calamitatem acerbam, & quod vnum superarat, optabat maximè vt eorum corpora regio cultu & tumulo conderentur. Deo aspirante votis, piscator narrat, Clodouæi cadauer, statim post necem sub stillicidio cuiusdam sacelli sepultum, mox Fredegundis iussu in Matronam amnem proiectum, & ab ipso se explicante retia aquis eductum, agnitúmque ex capillitio regio, in littore leui cespite tumulatum. Lætus hoc nuntio Guntranus, specie venationis ad eum locum profectus, egestâ humo, corpus reperit illæsum adhuc & integrum, crinibus etiam è sincipite; in pectus & brachia latè fluentibus: Deo iuuenis innocentiæ integritate corporis consulente, ne crederetur intulisse corpori manus, quod post tot funera incorruptum esset & vegetum. Sepultum est in sancti Vincentij; adiunctúsque postea Merouæus, vtroque nouercalis odij monumento.

Et Childeberto;

Et Prætextato infert;

Rigunten malè habet.

Clodouæi iuuenis cadauer repertum.

XXIII. *Guntranni in Septimania bellum.*

Exinde Guntranus vindicaturus iniurias neptis, Leuigildo Hispaniæ Regi bellum indicit. Iam Ingundis socrus & soceri crudelitate ab Hispania depulsa, toto mari calamitatem circumferens, mœrorem in Africa cum vita posuerat; iam Hermenigildum patris Ariani furor, data fide, (si qua est Hæretico) veniæ & beneuolentiæ Martyrem fecerat; vrebátque Francos inultæ adhuc contumeliæ vibex. Præterea Guntrannum vtilitatis ratio impellebat. Proxima, & circumcluſa prouinciis suis Septimania, vna cis Pyrenæos quæ Hispanica foret; veluti næuus in ore Franciæ, oculique albugo

albugo, ſolicitabat potentiam Regis & cupiditatem. Namque ab ortu Rhodano & Arelate, ab occaſu Garumnâ, Aruernis & Rutenis ad Boream, qui fines iam Guntrani erant, dirimebatur feraciſſima regio. Erat autem Septimania Volcarum Arecomicorum ager ampliſſimus, (nam Volcæ Tectoſages ad occaſum poſiti, Arecomici ad ortum) pars olim Galliæ Narbonenſis notiſſima; præter fines quos dixi, Pyrenæis ipſique Hiſpaniæ ab Auſtro coniuncta. Septimania dicta eſt incerta origine, ſiue ex ſeptem prouinciis quarum conuentus annuos Honorius & Theodoſius Imperatores Arelate indixere; eæ porrò erant, vtraque Narbonenſis, vtraque Aquitania, Nouempopulania, Maritimæ Alpes, & Viennenſis: quarum potiſſima pars vtraque Narbonenſis Septimaniæ nomen ſibi adſciuit: ſiue quod eam prouinciam ſeptima Romanorum legio tueretur: Sanè Bliterræ, Septimanorum nobilis Colonia. Poſt eadem Gothia, ab vſurpatoribus Gothis appellata eſt, atque Lantgothia, quod idem ſonat ac terra Gothica; vnde mox Francis Languedoccia noua vox fluxit, quæ in ætatem noſtram perſeuerat, & ab recentioribus Occitania dicitur, quanquam nulla veterum auctoritate. Hanc igitur ſoli vbertate & incolarum frequentia nobilem, Hiſpani Reges, tametſi à Clodouæo expulſi, tamen dum eius liberi deprælìarentur bellis ciuilibus, Pyrenæorum confinio valde obnoxiam, quaſi receptam poſtliminio poſſidebant; & eandem Guntranus ſeu appendicem Gallicæ terræ atque auitæ victoriæ monumentum armis repoſcebat. Eam in rem magnum exercitum conſcribit, ac bifariam conſcriptum diuidit: vt ex pluribus partibus auocatum hoſtem & diuiſum facilius premeret. Pars Arelatem, pars Toloſam conuenire iuſſa; nam Toloſa vrbs Francici erat dominij. Illam conflabant gentes ad Rhodanum, Ararim & Sequanam poſitæ; hanc Bituriges, Santones, Enculiſmenſes, Aruerni, & Petrocorij; vt æmulationis aculeus incitaret ſingulos, & locorum varietate diuiſi, facinorum laude coniungerentur. Ergo pars cui inferior Septimania obtigerat, Nemauſum obſeſſuri, Arelatem contendunt, tanta licentia ac furore propemodùm, in ſuo veluti in hoſtico graſſantes, vt præter rapinas, direptiones, ac cædes, ſacrilegia fœda adiunxerint, ſpoliatis templis, ac ſacerdotibus inter ipſa altaria trucidatis. Ita comparati Nemauſum validam & munitam vrbem ſe conferunt, quam milite & neceſſario commeatu Hiſpanus ſeu Septimaniæ arcem inſtruxerat, agris furori hoſtium traditis. Sed aſſueti prædationibus, ſtatim relicta obſidione, eàdem ignauiâ aliquot vrbes aggreſſi, bello in agros conuerſo, incenſis pagis, oleis vitibuſque ſucciſis, domum inglorij reuerterunt, imminuti tamen magna parte, fame, morbo, Gothorúmque inſidiis, faciliori hoſtium aditu quam regreſſu. Alios qui Toloſâ prodierant caſus idem oppreſſit: Quippe Carcaſſonem vſque progreſſi, nullo alio quàm prædarum cædiumque facinore, ſe illicò receperunt, hoſtium & amicorum ferro deſideratis quamplurimis. Euaneſcente tanto apparatu, Guntranus magno animi ſenſu & dolore, præcipuos exercitus Duces, qui Auguſtoduni in ſancti Symphoriani templum cõfugerant, ad ſe euocauit, & adiunctis ſecum Epiſcopis regnique Proceribus, his penè verbis affatus eſt. *Commiſeram vobis (an meos dicam, an hoſtes haec)*

CLOTARIVS II.

Septimania quæ, & vnde.

Languedoc.

Infauſto euentu;

Niſmes.

Autum.

CLOTARIVS II.

Guntrani ad Duces victos oratio.

hæreo) selectum militem atque numerosum, quem in gloriam gentis vestrique Regis incrementum, in timidum hostem duceretis. Porrò vestræ gloria ac vtilitatum mearum transfuga, comparata in Hispanum arma in patriam vestram conuertistis: & foris cerui, domi vrsi ac tygres, quæ in hostico barbariem saperent ac furorem, ea in vestro & natali solo immanissimi hominum perpetrastis. Vniuersa Burgundia quàm latè patet, Aquitania tota, tempestatem vestri itineris lugent; nec à victis Franci victores discrepant, quàm calamitatum mole & munere. Sed rapi mea vtcunque paterer, nisi sacra & diuina vestrâ impietate violata essent & direpta. Vos templa & Basilicas inuasistis, vos supellectilem sacram diripuistis, vos sacrosanctos parietes incendistis, euertistis altaria, piosque sacerdotes vt victimas infulatas sub ruina ipsa altarium trucidastis. Nescitis Patrum victorias vnâ Dei maximi ope reportatas? Francorum dextras cœli auxilio laureatas; palmasque nostras manu cœlitum meti? Ignoratis quis ego sim, quis animus meus? vt religionem antetulerim omnibus? Vt veneratione sacrorum solium meum constabiliuerim? Quid mirum igitur, si Patrum gloria defloreſcit? si infirma manus, mucro hebes, retusa hasta, perfossus clypeus, frigidusque sanguis, iam nos produnt? Peccatur in fonte, & vbi Deus robur martium negat, iam Franca ex viris femineque euadimus. Hæc si mea culpa sit, Deum vltorem precor, vt in meum caput pœna refundatur; sin vestra ignauia tanta mala nos obruunt, æquum est vt paucorum pœnâ multorum flagitia deleantur. Ad hæc Duces, collaudatâ Guntrani pietate atque clementia, dignumque professi qui affluëret bonorum copiâ; amotâ in licentiam militum culpâ, quibus nec boni amor nec mali pudor frænum esset; imò quos disciplinæ vmbra ac pœnæ nuda vox ad tumultum & seditionem ageret, optimum Regem ac proinde ad indulgentiam ab instituta pœna demouerunt. At confestim noua fax Guntranum incendit. Quippe Recaredus Leuigildi filius, assequutus quod intenderat, vt Francus licentia & prædæ studio solueretur; eo digresso, ditionem Guntrani integro milite inuadens, caput arietis (ita castro nomen) expugnauerat; Tolosa metu constricta seu vinculis, diripuerat agros latè fusos, & terrore Arelatem vsque porrecto, Vgetnum castrum sub vrbis portas munitum vi irruperat; prædáque tardus & captiuis se Nemausum receperat. Id porrò nuntiatum Guntrano, vindictæ ardorem non facultatem intendit. Satis in præsentia ad tuendos fines Duces deligere, quorum disciplina miles & temperantior & fortior foret; ita Lendegisilo Gundoaldi victoria inclyto, commissâ Septimania inferior, superior Nicetio Aruernorum Duci. Hæc vt certa sunt ex Gregorio; ita cætera inuoluta admodùm & obscura; quasi veritas, iam inde æmulis populis, alterutrius pudori vel iactantiæ parcat, relinquátque ambos in opinione victoriæ. Ego delibabo per capita, quæ idem Gregorius distinctè affirmat.

XXIV.

Reliqua à Guntrano in Hispanos gesta.

Ac primùm constat, pluribus legationibus expetitam pacem à Leuigildo, negatam à Guntrano; obdurato semper in bellum animo; à quo interea neutiquam desitum; varia quidem sorte, sed præcipuè Desiderij morte memorabili. Is cùm Tolosa mouens exercitum in Gothos duceret, Carcassonem ab iis obtentam expugnaturus, eò versus iter pronuntiat, Au-

stroaldo

ſtroaldo comite ſibi adiuncto. Porrò ciuis miléſque præſidiarius, aduenientem vt generosè exciperent, vrbe procul inſtructo agmine occurrentes, ruerunt in prælium; quo tamen à Deſiderio victi, ſeu verâ fugâ ſeu ficta, terga dant Francis; ij incenſo animo inſequuntur, Deſiderius maximè equi pernicitate ſocios occupans, cum paucis admodùm fugientes cædens, ad muros vrbis accedit; ſtatimque erumpente porta ciuium globo, circumcluſus, obrutuſque numero periit. Ita cæſo Duce fruſtra fuit victoria, diſiecto mox milite, & Auſtroaldo ad Guntranum recedente, à quo in Deſiderij locum ſuffectus eſt. Haud multò poſt Leuigildus, deteſtatus hæreſim prioráque malefacta, vt quidam affirmant, emiſit animam, Recaredo filio in thronum euecto. Et hic iuxta paterna veſtigia ſolemni legatione pacem à Francis Regibus petiit; admiſſique à Childeberto legati, ſumma humanitate ac benignitate, datis acceptiſque muneribus, à Guntrano contrà iuſſi Matiſcone ſubſiſtere, nec in conſpectum vocati, pòſt infecta re increſcentibus odiis redierunt, interdictâ Guntrani ſubditis Septimaniâ. Inde vtrinque bellum geſtum, ſed prædationibus duntaxat, nullo momenti emolumento: niſi quod grauior clades Guntranum preſſit, à Vaſconibus, per ipſa Pyrenæorum iuga torrentium inſtar in planos agros præcipitantibus, ferro & flamma latè graſſantibus; Auſtroaldo fruſtra obnitente, & infirma repagula obiiciente. Mox Recaredus illuminante diuinâ gratiâ, depulſis Arianiſmi tenebris, orthodoxam fidem amplexus eſt; ac veluti pacis amoto obice, legatos iterum in Franciam mittit, colligaturos fœderis vinculo, qui iam fide eſſent vnanimes. Nec à Guntrano præter repulſam quid obtinent, negante ſe habiturum pacem cum peremptoribus neptis; reuerà cum Septimaniæ poſſeſſoribus. Cum Childeberto actum commodius; Regem ſuum ab Ingundis facinore immunem affirmant; paratum ipſum ſacramento, vel quauis ratione conteſtari innocentiam ſuam, nihil ſibi optabilius, quàm vt amico fœdere coaleſcentibus animis, iidem vtrique Regum ſocij & hoſtes ſint; in eam gratiam decem millia ſolidorum offerri; imò in arctius amicitiæ vinculum, Recaredum in coniugem expetere Cloſindam Childeberti ſororem alteram, vt nexu ſanguinis colligentur animi, emendetque iam orthodoxa Hiſpania, quod Ariana peccauerat. Hæc partim accepta, partim dilata ſunt. Childebertus gratiſſimam ſibi amicitiam, & exoptatum fœdus profitetur, & placere affinitatis nodum, ſanguiniſque conſortium; ſed ſororem abſque conſenſu Patrui tradi non poſſe, cuius conſilio grauiora negotia ſua gererentur; conaturum autem vt aſſentiret. Ita legationis pro diuerſis vtilitatibus Regum diuerſus exitus. Quippe Guntranus in vnam Septimaniam intentus, anteponebat bellum, quo hanc aſſereret; Childebertus nihil admodùm Hiſpanico bello conſequuturus, prærer inanem laudem vltionis, ac ſpe concepta profligandæ Italiæ, vltrò largiebatur pacem Hiſpanis, Longobardis arma illaturus; ac tametſi Cloſinda Autari Longobardo Regi deſponſa eſſet, tamen abrumpendo vel inde fœdere, Recaredo libens eam nuptum dabat. Porrò Gothi intererat fœderatum eſſe ambobus; tum vt Septimaniam ab Hiſpania Pyrenæorum iugis diuulſam pace facilius quam armis tegeret; tum vt à

CLOTARIVS II.

Recaredus Rex Hiſpaniæ.

Maſcon.

Bellat cùm Guntrano.

Abiurat hæreſim.

Pacem habet cum Childeberto.

CLOTARIVS II.

Græcis Imperatoribus in ipsam Hispaniam aspirantibus nullo circùm hoste se tueretur: ambibatque Closindam, prætermissa Rigunte, cùm hæc impuris innexa amoribus, orba patre, infirma, thesauris raptis inops, cum matre propudiosi nominis ageret; illa probè educata & castè, potentissimi Principis soror, dotem marito allatura esset opulentam. Ita nihil mirum, si pacem Gothus, bellúmque Guntranus adurgebant omnibus studiis. Verùm vterque suo voto excidit; nec alteri pax cessit nec bellum alteri. Nam Guntranus magno conflato exercitu, semel rem conficere, ac Septimaniam occupare constituit. Austroaldo Duci imperatum, vt primus in hostem irrueret, dum Boso cui suprema in omnes potestas, cum militum flore accederet. Et ille non impigrè mandatam prouinciam exequutus, Carcassonem ad deditionem adegerat, præbito fidei à ciuibus iureiurando, cùm arrogantia Bosonis omnia perdidit. Siquidem cinctus valido exercitu, spe victoriæ tumidus, ac dolens eam iam decerptam, grauiter in Austroaldum succensuit, quod se inconsulto, penes quem imperium foret, in hostes mouisset, & leuis emolumenti specie regni gloriam in discrimen summum adduxisset, ac eum simul despectui habitum, damnatúmque, militia amouet, prauis ducibus in bellum ingrediens inuidia atque superbia. Itaque, vt erat fastidio & vanitate elatus, ad riui præterfluentis aquas, Carcassone haud procul, solutus omni solicitudine, castra ponit; hostémque proximum flocci non faciens, ferri parcus, linguam expromit, gentem Hispanam conuiciis & maledictis proscindens. Miles Imperatori similis, insolentius se iactans, positis ad fluenta riui mensis opiparis, seu parta victoria, vino & gulæ indulgebat liberaliter. Gothus interea gnarus supinæ hostium securitatis, se ad certam victoriam parat. Tacitè haud procul castris selectum militem in insidiis collocat; tum cætero agmine in Francos inopinatos versanteque strenuè pocula impetum facit; illi pro gentis ferocia, & accedente ad inanem arrogantiam vino, semiermes in Gothum irruunt; qui simulato metu recedens, insequentes insolentius Francos, nec ambiguos palmæ, ad locum insidiarum abducit; eum mox prætergressus, ora subitò vertens, simulque exsurgens qui latebat miles, à fronte & tergo deprehensos Francos in medio, & insperata pugna perculsos, fortiter vtrinque cædens, omnes internecione deleuit; ac recente victoria ad castra progressus, ea labore nullo inuadit, dat in vincula militem, obiectámque rerum omnium copiam diripit. Captiui bis mille; cæsi quinque millia; temeritatis bellicæ monumentum. Ita securitatem metus, perniciem haud rarò securitas præstat. Nec aliud in Hispanos Guntranus tentauit; siue hac clade abterritus, siue morte à Septimania tandem auulsus.

Guntranus iterùm Septimaniam tentat.

Et iterùm vincitur.

XXV. *Childebertus in Longobardos.*

Antea Childebertus eodem propè euentu in Italia cupiditatem promouerat. Nam admissa Recaredi legatione, & Closinda sorore eidem desponsa, quam prius Autari Longobardorum Regi spoponderat, primam iniuriam sponsæ præreptæ grauiore altera cumulauit. Scribit ad Imperatorem Mauricium; appellat de vetere ad Longobardos Italia pellendos fœdere; excusat grauia negotia quibus hactenus ab ea expeditione demotus sit;

nunc

nunc promptam & paratam operam pollicetur. Nec responsi moram passus, potentem exercitum in Longobardiam mittit; qui mox conserto prælio, à Longobardis fusus fugatúsque, ingenti Francorum strage, pœnam tulit ambitionis & cupiditatis. Clades non dispar Legatos ad Imperatorem missos inuoluit. Carthaginem Africæ vi maris delati, vnius è famulis scelere, qui mercatorem in foro palam occiderat, commota plebe per seditionem interfecti, Guippone vno ægrè incolumi, in ipsum Imperatorem ius gentium appellabant. Verùm Mauricius cùm se hac cæde profiteretur innoxium, paratúmque noxios tradere; Childebertus accepta satisfactione iterum in Longobardos transmisit exercitum. Viginti Duces ad ducendum militem designauit; quorum præcipui Audoaldus & Chedinus; iterque per Alpes Rhætias pronuntiatum. Superatis Alpibus, Mediolano iam proximi, copias diuidunt, Audoaldo ad dextram, Chedino ad læuam conuersis; vtriusque operæpretio admodùm leui. Longobardi enim in munitas vrbes, & loca paludibus stagnisque inuia receperant se, bellum negatione belli confecturi, verósque Francorum hostes otium & inediam armaturi. Ita Audoaldus circa Mediolanum vagus, intra paludum recessus ac lacuum, diu quæsiuit hostem quem vinceret, expectato Imperatoris exercitu; cúmque non compareret hostis nec socius, tandem regressus est, Chedinus similiter, castris aliquot expugnatis, iam perimente dysenteria militem, vulgatisque morbis ex cœli intemperie, receptui cecinit; paucis admodùm per tot incommoda patriam reuisentibus. Attamen gloriæ vtcumque hac expeditione consultum est; siquidem Autaris procellæ imminentis metu, legatos ad Guntranum misit, instauraturos amicitiam, ac sacramentum fidei præstituros: quos benignè exceptos remisit ad Childebertum Guntranus; fuitque pompa inanis tot impensarum, & spei præmium. Hæc aliquanto post, cùm ante domi periculum longè grauius, quàm tot inter bella subiisset Childebertus.

CLOTARIVS II.

XXVI.

Erat Rauchingus inter Clotarij proceres, prosapia, potestate, opibus, & clientelis facilè princeps; mores, vt ea erant tempora, corruptissimi vitiis; incensa & inflammata cupiditas alieni, superbia ex diuitiis insolens, in consiliis temeraria leuitas; per quæ priuatæ sortis iam impotens aspirauit ad regiam. Huic Vrsio, totius conspirationis mens & animus, Bertefredus, aliique ex Childeberti aula proceres, adiuncti; vt excussa, vt aiebant, Brunechildis tyrannide, gubernarentur iustius Franci atque commodius. Erat autem consilium vt Reges Guntranus & Childebertus interficerentur, amoueretur à clauo rerum Brunechildis; tum vt Rauchingus assumpto Theodeberto Childeberti maiore filio, eius nomine Campaniæ regnum obtineret; Vrsio verò & Bertefredus, Theodorici pariter nomine, qui nuper erat Childeberto genitus, cæso Guntrano, Burgundiam reliquasque gentes possiderent. His constitutis, Rauchingus, qui se filium senioris Clotarij iam profitebatur, inceptutus nefas à Childeberti cæde, magna Turonum Pictonúmque caterua, quasi acturus de finibus vtriusque regni Clotarium inter & Childebertum ad eum properat, tumidus fastu, iamque sceptrum arripiens, proximisque vestigiis ascensurus in solium

Coniuratio in Childebertum.

CLOTARIVS II.

lium. Sed Dei prouidentia, cui Principum salus curæ est maximè, conspiratio detecta Guntrano primùm, tum ab eo Childeberto enuntiata, mox recidit in ipsum conspirantium caput. Etenim Childebertus Rauchingum aula cum pompa exceptum, arcessit in conclaue interius, & collocutus cum eo plurimbus, mox dimittit. At egredientem cubiculo, solum & imparatum occupantes ostiarij duo, prehensum pedibus, pauimento allidunt; statimque alij in eam rem destinati iniacentem ruentes, ensibus feriunt, trucidantque, cerebro per apertum caput diffluente. Cadauer illicò denudatum, & per fenestram iectum, docuit quantùm spatij priuatum inter & Regem interfit. Plures missi equis publicis, qui Regis nomine facultates cæsi obsignarent, ingentesque repertæ sunt opes. Sub eam cædem, vnus è Rauchingi famulis ad eius vxorem pernicissimo equo Suessionem euolauit: ea consilij particeps, & muliebri insolens fastu, studiosè compta, gemmis & vniombus radians, in veste aurea, equo vecta, hinc inde stipantibus famulis, festo & solemni sancti Crispini die, quasi pompam ferens, ad sacrum ibat; cùm eadem via occurrens famulus, remque gestam narrans, mutauit apparatum, & è Comico Tragicum induxit. Repente mulier, proiectis raptim ornamentis, conuerso equo, in sancti Medardi basilicam fugit, loci asylo intercessura fato imminenti; tam depressa calamitate & metu, quàm antea spe & arrogantiâ intumescebat. Interea Vrsio & Bertefredus eodem nuntio perculsi, selecto milite, (iam enim contraxerant exercitum, vt Rauchingo adessent) cuius fides explorata esset & pespecta, in castrum Vabrense recipiunt se, id munimentis & commeatibus instruunt, vt Childebertum affuturum haud dubiè tuti & armati repellerent. Nec fefellit timor; Lendegisilus Lupi Ducis gener, cum Tradulfo palatij regij comite expugnaturi castrum adueniunt. Erat in apice ardui montis basilica sancto Martino erecta, situ admodùm tuta, in quam inclusi relicto inferiore castro confugerant. In eam Childeberti miles dum conatu irrito tentat irrumpere, nihilque promouet fortitudine propugnantium, ignem portis admouere parat, vt è latibulo feræ extrahantur. Quod Vrsio animaduertens certúsque exitij, vt pro veteri fortitudine occumberet, portâ egressus, in obuium hostium globum se immittit; ac Duce Tradulpho occiso, tantam stragem militum edidit, vt latè solo cadaueribus oppleto, tandem femore ictus, & vulnere debilitatus, vix oppressus numero, inter cædendum cæsus sit; potuitque adipisci victoriam, si commilitones exemplo armassent. At Bertefredus ascenso equo Verodunum fugit, séque pro illorum temporum more, in locum religiosum condit; in quo tamen Childeberti iussu, cùm occluderentur fores, aperto tecto, ipsisque tegulis in latentis caput illisis, nouo supplicio periit.

Detecta & vindicata.

Verdun.

XXVII. Is prauæ conspirationis exitus non deterruit alios ab eiusmodi scelere. Agebat Argentorati quam Strasburgum vocant, Childebertus, filiumque Theodebertum petentibus Francis coronandum Suessione Regem concesserat, apparata ad splendorem Regium domo & familiâ. Simul Failemba Childeberti coniux recreabatur ex graui morbo, cum illi noua coniuratio aperitur. Caput flagitij Septimina dicebatur, nutrix infantium Regis, ideóque

Noua in eundem coniuratio.

ideóque multæ in Aula potentiæ; eratque conſpiratio vt Regi ſuaderet, matrem vxorémque eiicere; ducere coniugem nouam quam ipſa ſuggereret; ſicque confirmatâ potentiâ, amotiſque impedimentis, iam Regis compos, quidquid libuiſſet ad nutum faceret. Sin Rex aſſentiri nollet, matrémque & coniugem contumaciter retineret, is veneficiis perimeretur, liberíſque in thronum euectis, depulſa tamen matre & auia, Septimina ipſa cum ſceleris conſciis, per ætatem infirmam Principum, regnum adminiſtraret. Dicebantur autem ſocij criminis, Droctulfus morum magiſter & gubernator regiis liberis à Childeberto ſelectus, Sunegiſillus ſtabuli Comes, & Gallomagnus Referendarius. Hæc ſtatim Failemba Regi enuntiauit. Ac continuò Septimina & Droctulfus in carcerem rapti & in tormenta; quorum vi fatetur illa, ſe Droctulfi amore Iouium coniugē incantamentis peremiſſe, vt liberius amaſio frueretur; & inde cum eo habuiſſe conſuetudinem; cætera vt à Regina explicata erant, non inficiatur; virósque nominatos huius conſilij fuiſſe participes. Iam Sunegiſillus & Gallomagnus ad Eccleſiam confugerant, & quodammodo prodebant conſcientiam metu; vnde promiſſâ impunitate euocati à Rege, non negant ſibi communicatum eſſe conſilium; ſed planè affirmant ſe tam atrox crimen deteſtatos, à conſenſu abhorruiſſe. Cùm nihilominus Rex vrgeret, reósque aſſereret; propterea quod nemo tantum ſcelus niſi particeps occulit, adſcriberetque ſilentium culpæ, quæ ſilentio maximè vim haberet; amotos à conſpectu, rurſúmque in Eccleſiam ſecedentes, vita donatos damnat exilio; Septiminam verò verberibus laniatam, totáque facie inuſtam ſtigmatibus, gynæcæo addicit, vt molam pro viliſſimo iumento verſaret; pœna verè muliebri, quæ corpus afficeret, pudorémque vel impudicæ incuteret. Droctulfus ſimiliter, abraſis capillis, auribúſque truncatis, ad culturam vineæ, opúſque in ea quotidie faciendum amandatus eſt; vt ignominia loco mortis foret. Attamen non eo ſtitit quæſtionis acerbitas. Nam aliquātò poſt, detectâ nouâ coniuratione in Childebertum, quam adornaſſe credita Fredegundis; cùm multi eam ob rem raperentur in tormenta; Sunegiſilus ab exilio Guntrani precibus reuocatus, ceu malorum omnium conſcius foret, ſimiliter tormentis addicitur; quibus acerbis atque adeò per plurimos dies repetitis, conſcientia vrgente, multa & grauia fatetur ſcelera; & in detegendis haud paucis conſciis, Rhemenſem Antiſtitem Ægidium nominat, iampridem ſuſpectum Regi ac odioſum; dicítque primæ conſpirationis à Rauchingo initæ fuiſſe conſortem. Extemplo Rhemis deducitur Metas Ægidius, moxque liberatur, Synodo Epiſcoporum ad diſceptandum majeſtatis crimen indicta. Metis conueniunt, quamuis incommodo admodùm hyemis tempore; ac de præſente Ægidio cognituri; comperiunt primò falſi crimine innexum, confictis chartis publicis, quas ab Othone Referendario ſubſignatas diceret: tum deinde prolatæ ſunt ipſius & Chilperici mutuæ epiſtolæ, non modò teſtes arctiſſimæ amicitiæ, ſed quibus multa in Childebertum & Brunechildem matrem iactabantur, præcipuè de inferenda nece Childeberto; poſteà exhibitæ pactiones, quibus affirmabat conueniſſe Chilpericum inter & Childebertū, vt expulſo Guntrano regnum eius diuiderent; quod pernegabat Childebertus ſibi vnquam fuiſſe in animo; poſtremò arguebatur, à Chilperico aureos bis mille, pluráque alia accepiſſe, vt ipſius commodis ſtuderet impen-

CLOTARIVS II.

Quàm multi impliciti & puniti.

CLOTARIVS II.

sius:quorum conuictum,séque reum ipse non inficiatum, Episcopi,vitâ condonatâ à Principe,dignitate & sacerdotio deminutum,sacris expunxerunt,& illicò Argentoratum relegatus est; Rodulpho Lupi Ducis filio in cathedram Rhemensem euecto:Brunechilde admodùm læta,quod sibi infensissimum caput aliquando deprimeret.

XXVIII.

Parisiorum incendium.

Inter domesticas Principum turbas,priuata quædam non indigna memoriâ contigerunt.In iis celebre Parisiorũ incẽdium;quo per incuriam vnius mercatoris,ab eius ædibus in reliquam vrbem ignis propagatus,tam repente inuasit omnia ac vastauit, vt hinc Sequana duntaxat amne,inde beati Martini sacello, repagulis tam humanis quàm sacris, coërcitus & repressus,media omnia fœdè absorpserit.Porrò in ea diuinæ Iustitiæ scena,Episodia vt ita dicam misericordiæ visa sunt.Sanè mulier prænuntiauit funestum incendium; sæpissimè exclamans, vt ciues fugerent ab vrbe peritura mox flammis;dicebatque sibi in somnis oblatam esse speciem viri,qui à basilica sancti Vincentij prodiens,ardente cereo mercatorum domos obiret, easque deinceps succenderet;tertiáque post die vrbs conflagrauit.Tum sæuiẽtibus maximè flammis,delatus ignis in carcerem,quo publicè vincti tenebãtur,nullâ salutis aut effugij spe, iam miseros hauriebat;cum sanctus Germanus luce candida circumfusus, videndum se præbuit, trabémque atque catenas comminuens, in libertatem vinctos asseruit, reclusisque vltro carceris foribus emisit incolumes;qui statim ad sancti sepulchrum geminæ libertatis acturi gratias cõuolarunt.Nec in tanta calamitate sancti Martini beneficium defuit,cuius sacellum ad portam vrbis positum flammam oppressit. In id ciuium vnus cum vxore rebus suis importatis confugerat, certus auxilij à Præsule sancto obtinendi;iamque latè fusum incendium corripiebat proximas ædes,nec à vicinis admoniti vt fugerent, se mouebant loco;cùm repente vndantes flammarum globi sacellum inuadunt, iamque per fenestras horrorem inferunt.At illicò reiectæ diuinitus,integro & illibato sacello,non modò consistunt,sed retrorsum actæ,moxque seu iniectis aquis extinctæ,collabuntur & desinũt;ignium fomite,quæ sancti potentia,ignes absumente.A quibusdam superstitioni prauæ adscriptum est incendium; quod nuper in expurgando pontis cuniculo, reperti essent in cœno glis & serpens æneï, quibus arcerentur ab ædibus flammæ, nec vlla eiusmodi animantia in vrbe viderentur; iis verò amotis,& animalia visa,& grassatum ignem;sed ista vel falsa,vel dæmonũ ope patrata, quorum beneficia maleficia sunt. Occurrit aliud restinctum incendium,non aqua quidẽ sed sanguine. Amalo Dux,absente coniuge in amorem cuiusdam puellæ ingenuæ libidinosè exarserat. Nocte vini iam madidus mittit prauæ cupiditatis ministros,qui vi raptam ad torum abducant:& illa amore pudicitiæ, omni conatu frustra adhibito, deformata sanguine quem ministrorum verbera elicuerant,admouetur toro,futuro mox castimoniæ busto;sed cùm & ibidem obsisteret fortiter, Dux blanditiis in iracundiam versis, miseram pugnis cæsam & colaphis,conatus amplecti,mero vel lassitudine obrutus consopitur.Puella tum fœdis amplexibus vtcumque libera, cùm aduerteret nullum pudori superesse spatium,præter breuem somnum;productura moras tam commodas,ensem arripiens qui ex iacentis lecto pendebat, in viri caput animosè impingit.Dux vulnere expergefactus, exclamat;aduolãt famuli,& efferati spectaculo,inferebãt puellæ manus;cùm Dux melior & temperãtior,ca-

Virginis casta facinus.

nere, inquit, ne quid incõmodi innoxiæ Virgini faciatis; ego enim peccaui, qui vim afferre pudicitię volui; illa innocẽs, quæ meo ſanguine illibatã ſe præſtitit, quo dicto animã emiſit. Interea dum familia tumultuans diſcurrit; puella, Deo ducẽte haud dubiè, illæſa domo egreditur, eadémque nocte Cabilonem peruenit, diſtabat autem triginta quinque millibus; & in ſancti Marcelli Regis Guntrani aduoluta pedibus, rem vt erat faſſa; impunitate cædis quæ laudi eſſet, & ſecuritate in demortui affines obtenta, pudorem qui tanti conſtaret, amauit impenſius. Nomen neſcitur; vt Hiſtoriam pudeat memoriæ in Fredegũde, ſocordiæ in iſta. Aliquãtò poſt noua calamitas inuaſit animos. Quidam ruſticus Bituricenſis, dum ligna in ſylua cæderet, repente muſcarum examine diuexatus, in amentiam adigitur; quã poſt triennium deſinente in ſpeciẽ; in aliam impellitur, ſe Chriſtũ profeſſus & Meſſiam. Sed vt primò venerationem colligeret, mutato ſolo, in Arelatenſem agrum ſe cõfert; ibiq; ſolitariæ vitæ auſteritate, ſanctitatis famâ auctus, præter diuinandi munus acceptum à Dæmone; iam cõfirmatâ audacia, ad Gabalitanos profectus, aſſumpta ſecum muliere quam Mariã dicebat, palàm ac ſine ambagibus, ſe Dei filium oggerebat. Fraudem hominis adiuuabãt præſtigiæ Dæmonis, quibus futura præſagiebat; ſed mala & calamitates dũtaxat, paucis admodùm bona & proſpera; poſtmodùm ea per Dæmonem præſtans, quæ per eundem prædixerat. Ægrotos etiam aliquoties reuocabat ad valetudinẽ, ne ſolis malis fraus innoteſceret: quin & benignitate beneuolentiã plebis conſequuturus, quæ conferebantur, argentũ, aurũ, veſtiſq; plurima, ea turbę inopi largiebatur continuò. Quibus artibus ingentẽ ex omni conditione multitudinem collegit, ad trium hominũ millia, ſequentium Chriſtumque profitentium, qui bipedum peſſimus & inſaniſſimus foret. Iamque larua poſita, graſſabatur in eos qui detrectarent obſequiũ; Epiſcopis maximè necem intentans; cùm Aniciũ properans; ſuoſq; cõparans ad expugnandam vrbem & diripiendam, merito tãdem malo percellitur. Aurelius Anicienſis Epiſcopus præmiſerat viros prudentes & ſtrenuos, qui ſpecularẽtur quid rei foret, quique agnoſcerent ex ipſo homine quid admodùm vellet. Admiſſi in conſpectum, iuſſi erant à teterrimo nebulone, proſtrati ſolo adorare ſe; & procumbebant, cùm illorum vnus veluti oſculaturus genua, accedens propius, educto gladio, incautum obtruncat; ſagaciorem enuntiãdis calamitatibus alienis quàm ſuis. Facilè ab ſociis plebs cætera in timorem acta diſiicitur; ſola illa muliercula capitur, quæ data in tormẽta, viri præſtigias & fraudes retexit. Nec ideò mutati comites, qui vel diſperſi in amentia peruicaces, nunquã in bonam mentẽ redierunt; adeò difficilius animi ſanãtur quàm corpora. Sed repetenda nunc bella, quorum illo tempore ſeges non modica.

CLOTARIVS II.

Chalon.

Pſeudo-Chriſtus ex ruſtico.

Le Puy.

Britanni Aremorici, iamdiu Varoco Duce, Redones & Nãnetes, illius gẽtis populos, prædis & excurſionibus infeſtabant. Ii Franciæ vectigales apud Gũtranum conqueſti, militem ad repellẽdum Varocum impetrant. Præficiuntur Duces Beppolenus & Ebracarius; fortes quidẽ, & digni ſinguli qui legerẽtur, ſed quos iunctos corrupit inuidia, peſſimaq; æmulatio creſcẽdi malo alieno, non virtute ſua. Igitur confeſtim iunctis copiis animiſque diſiunctis, ſe mutuis conuiciis & maledictis proſcindere; ſuo quiſque militi omnia dare, ſibi amorem, alteri odium facere; Ebracarius præſertim, ſi Beppolenus perderetur, ducatũ mortui adepturus & ſpolia, eius pernicię machinari. Britanniã ſimul

XXIX.

Guntrani expeditio in Britannos.

CLOTARIVS II.

ingressi, Vindiana ac Vlda amnibus trāsmissis, vel in hostili solo nondū conuenerāt; cùm malè hærentes noua occasio procul abiunxit. Quidam sacerdos ab hoste, vt euentu patuit, missus, Beppolenū adit, pollicitus se Varocū in potestatē eius traditurū, si cum exercitu quò ipse duceret sequi vellet. Beppolenus acer & strenuus, secedente Ebracario suo cū milite, ducē secutus, eò ardentius, quo maior victoriæ spes affulgebat & soli, ad locū ducitur vbi dicebatur Varocus agere. Et is quidē iam auctus Baiocassinis, quos submiserat Fredegundis infensissima Beppoleno, in morem Britannorum tonsos ne dignoscerētur; artem & dolū fortitudini adiungens, primo alteróq; die marte vario cū hoste conflixit; ita tamen vt recedens, inani fugæ simulacro Beppolenum falleret, & in loca paludosa tandē abduceret. Quod vbi tertio die cōtigit, ac luto Francus quasi visco auis innexus est, nullo negotio à Britānis irruentibus viarū peritis ac saltuum, statim deletus est; & ipse Beppolenus fortiter dimicans, perfossus lancea, suos inter corruit; proditori fidem habēs, quam negasset socio; & repudiato victoriæ comite, vt periret facilius. Inter hæc Ebracarius, Dariorigū quę Venetorum vrbs est, conuerso milite, ab Episcopo ciuibúsque vltrò admissus, de consortis cæde gaudebat in sinu: aderátq; Varocus ficto metu qui pacē posceret, quauis lege ac cōditione. Ita statim cōuentū, iurata pacta, datiq; obsides à Varoco. Redibat euentū gratulans Ebracarius, mox & ipse luiturus pœnas discordiæ. Siquidē in Vindiana transmittendo, militibus amne hinc inde diuisis, fide in perfidiam versa, à Canaone Varoci filio incautus oppressus est, copiarum parte quam maximâ cæsâ; socius vltra amnē spectantibus, & incassum fremētibus. Ipse postea iure à Guntrano increpitus, & sola, quæ Principis clementia erat, obiurgatione dānatus; in ius vocatus à Beppoleni affinibus multā pecuniariam soluit; quâ ad inopiam redactus est, mercedē discordiæ & cupiditatis. Et hęc postrema Gūtrani expeditio; obiitq; Rex optimus Cabilone, anno regni triceſimo tertio, in sancti Marcelli sepultus; quā basilicā extruxerat, multisque donis locupletauerat. Fuit pacis artibus quàm belli clarior, pugnare solitus per Legatos, excepto Mūmolo, infelici plerumq; exitu. Humanitatis in subditos mirificæ erat, priuatis mensis familiariter accūbens, & maiestatem cōuictu tēperans. In tanta morū corruptela, & inter fratrum cupiditates ambitionem coërcuit, vixitq; diutissimè omnium, regnauitq; latissimè; adeò moderata durant, pereūt immodica. Singularis in eo religio, & aduersus sacra veneratio; loca & personas reuerebatur impēsè; inopi turbæ largiebatur quamplurima, ieiunio crebrisq; orationibus corpus atterebat, vnde & sancti nomen in posteris meruit, & miraculis etiā insignitus est. Narrat Gregorius viuus testis; ipsum vt auerteret luem inguinariā quā premebatur Massilia, per triduū indicto ieiunio in tēplo hæsisse; nullóq; cibo præter hordeaceū panem & frigidam sumpto, cum populo orantē perstitisse; ibiq; detractas à Regis veste fimbrias, aquâ maceratas, depulisse febrim ab ægroto: sæpiusq; energumenos sanctitatem viri contestatos, vel delictorum confessione vel petitione auxilij. Irā tamē in potestate nō habuit, aliquoties hoc impetu raptus. Sanè pœnituit, quod Chundonem cubicularium, suspectū venationis in regia silua exercitæ, statim confecerit; antè permisso singulari certamine, inter siluæ custodē & nepotē cubicularij, quo mutuis vulneribus vterq; cecidit; tribus pereuntibus ex delicto leui, ob iram vnius, semper impotentē cùm armatur potentiâ.

Infausta.

Vannes.

La Vilaine.

Gūtrani obitus, & mores.

Anno 593. Childebertus in Burgundiæ regnum successit Patruo.

HISTO

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER TERTIVS.

SYNOPSIS.

Childebertus in Fredegundem. Fredegundis de Childeberto victoria. Brunechildis in Austrasia imperat. Clotarius victus. Brunechildis tyrannis. Protadium amat. Clotarius iterum victus. Protadij cædes. Theodorici vxor. Theodoricus in fratrem. Theodebertus victus, & occisus. Theodorici mors. Brunechildis iterum imperat. Varuerio necem intentat. Vnde ipsi pernicies. Brunechildis Clotario traditur. Et pœna afficitur. Clotarius Monarcha Franciæ. Aletheus regnum turbat. Tributum Longobardis remissum. Dagobertus Sandragesilum male afficit. S. Dionysij Reliquiæ inuentæ. Dagobertus Rex Austrasiæ. Pugnat in Saxones. Clotary generositas & mors. Dagobertus Rex. Aribertus Rex Aquitaniæ. Dagoberti mores vary. Aribertus egregius. Bellum in Sclauos. Bulgari per nefas cæsi. Nouum bellum in Sclauos. Expeditio in Vascones. Eligius apud Britannos. Sanctus Audoënus. Dagoberti pij mores. Eiusdem testamentum, & mors. Clotarius II. Rex.

Nantildis Clotarij mater. Turbæ in Austrasia. Bellum in Thuringos. Grimoaldus in Austrasia. Sigeberti pietas. Dagobertus Sigeberti filius. Clotarij sacrilegia. Batildis sancta. Clotarius III. Rex. Childericus Rex occisus. Theodoricus Rex. Ebroïnus reuocatus. S. Leodegarius. Ebroïnus occiditur. Magistri palatij. Pipinus maior Franciam regit. Clodouæus & Childebertus Reges. Pipini victoria, & mors. Dagobertus II. Rex. Plectrudis regimen capit. Caroli Martelli primordia. Childebertus Daniel Rex. Carolus victus vincit. Eudo Aquitanus quis fuerit. Vincitur à Martello. Theodoricus Cala Rex. Martelli plures palmæ. Saraceni in Francia. Abderamanus in Franciam venit. Martelli apparatus. Saraceni à Martello victi. Gregorij ad Martellum legatio. Aquitania domita. Aquitani Francos inuadunt. A Martello pelluntur. Saraceni rursus Franciam inuadunt. Auenionem occupant; quam Martellus recipit. Martellus Narbonem obsidet, & capit. Saracenorum tertia irruptio.

CLOTARIVS III. I.

Childebertus in Fredegundem.

AVCTVS amplissimo Burgundiæ regno Childebertus, iamque amoto cupiditatis repagulo, ad implendam spem prorupit illicò, Monarcha Franciæ si Clotarium perderet mox futurus. Erántque omnia secunda admodùm: iustus belli titulus; Patris necem vlcisci & Patrui, pœnas repetere ab nequissima muliere, quæ se omnibus vitiis atque sceleribus contaminasset; præterea eiusdem belli facilitas, cùm illinc puer vix erepens cunis, femina passim odiosa flagitiis, Duces nulli, infrequens miles & pauidus; hinc plurimæ gentes spe flagrantes victoriæ, Ducum copia, subditorum amor, & ipse Rex peritissimus rerum præclarâ sobole propè tergeminus. Quocirca ingenti ex Austrasiis contracto exercitu adiunctis ex Burgundia auxiliaribus, Vintrioni ac Gundoaldo selectis Ducibus imperat, vt in Clotarij regnum irrumpentes, ad terrorem latè spargendum, ferro & igne agros populentur. Contrà Fredegundis, magnitudine periculi spem intendens, tam virili ad bonum animo quàm muliebri ad flagitia, Suessionem aduolat, nutantes animos confirmat, regni Proceres euocat, militem legit, Landricum sibi adiungit, tutorem Regi à Guntrano datum; atque omni sollicitudine infirmitatem armat & roborat. Posteaquàm fructus operæ constitit, animisque firmatis, frequens miles ad signa conuenit; gnara mulier nihil acceptius Francis Regum præsentia, vocata Ducum

Ducum & militum concione, Clotarium manu ducens, qui tenera ætate, (nondum annos decem impleuerat) miserationem faceret; in hunc sensum loquuta est. *Habeo gratias immortali Deo Franci fortissimi, quod in ætatem vestram potissimùm, Regis calamitas & solitudo mea inciderint. Quæ Chilpericum prænalidum cades, eadem filium oppressisset in cunis, nisi vestra fides atque constantia, supra vim donorũ atque armorum, in salute Regis vagientis salutem omnium constituissent. Quod ergo in viris est, quod sceptro se comparat, quod hausit animos dignos Rege, quod annorum metas virtutibus transilit; vestri muneris est; iamque magnus in prætexta Clotarius beneficio vestro succrescit. Vnde in spem venit, quam expertus est fidem in vitæ limine, perstituram eandem ad salutis datæ stabilimentum; eò magis, quòd qui nuper hostis, idem & hodie; nec repellendus nunc alius quàm Childebertus iam antè depulsus. Is nempe, qui post patruum interemptum, Patruelis cædem vix benè nati, magno omnium malo conficiebat; is idem hodie propè regno parem perimere, ferro & ignibus miscere omnia, cædibus vestris exsaturare se, crudelitate amens intendit. Quocirca vestrum est, priores animos in eundem expromere, & modò vincere sub aspectum Regis, qui sub ipsius spem victi non fuistis. Respicite Duces, respicite milites, cui pugnatis; respiciendi inuicem, & à spectante Rege munerandi. Erit enim spectator iste virtutis omnium; qui per ætatem nondum manu potest, pugnabit oculis; aderit singulis testis; præsentem nullius ignauia, nullius animus fugiet, sibi in præmiis fidem habiturus, & muneraturus largè quæ viderit.* Hac oratione incensos milites, donisque pluribus cumulatos, ipsa cum Landrico Duce in hostem ducit. E campania prædabundus Austrasius Suessionensem agrum vastabat, agebátque securus in Trueco pago, à suspicione pugnæ longè alienus. Eum vt incautum Fredegundis opprimeret, eiusmodi commentum excogitat. Nocte intempesta siluam ingressa, iubet singulos equites decisum arboris ramum dextra præferre; mox tintinnabula equorum collis appendere, & ita instructos prima luce ad hostium castra incedere. Vbi ventum est in conspectum hostis; Austrasij vigiles, alij mirari, vnde vna nocte hæc silua enata; alij ridere socios, atque affirmare hæc pascua inuenta pridem, in quæ suos equos iam ante misissent. Fidem fecerunt crepitantia tintinnabula, quod solis Austrasiis moris esset, iumentis pascentibus ea appendere, vt si forte aberrassent sonitu æris dignoscerentur. Interim tralatitiâ siluâ propinquante, expedito iam teli iactu, Fredegundis quæ Regem ferebat in primis ordinibus, suos adhortata victoriam docens in manu positam, excussis ramis iubet impetum facere; & momento scenâ illâ theatrali in splendorem horrificum versâ, fulgore armorum, equorum procursu, inclamantium vocibus, hastarúmque iactu perculsus Austrasius; cùm exceptis vigilibus semisopitus miles iaceret in stratis, negotio facili fusus fugatusque, ingentem victoriam Fredegundi peperit: magno Childeberti dolore, ab infante & muliercula copias cæsas, quibus vniuersam Franciam credebat imparem. Sed Dei est, pupillorum Regum tutorem agere, & à minimo præstare maxima; cui superbia odio, amori demissio. Ab hac pugna Clotario quies à Patruo, nouis bellis in Britones & in Varnos implicito; quibus sorte varia confectis, acerba morte raptus

CLOTARIVS II.

Fredegundis oratio militaris.

Et victoria de Childeberto.

Anno 596.

CLOTARIVS II. raptus est, anno ætatis vicesimo quinto; hoc est in vitæ flore speíque maximæ. Suspicionem veneni fecit, quod simul Faileuba amantissima vxor obierit; vt amota consorte Brunechildis sola nepotum regna administraret; fidem faciunt tot sequentia crimina, quibus Fredegundem æmulam si non vicit, æquauit. Et ipsa Fredegundis anno abhinc altero, tranquilla morte vita excessit, cùm filium Clotarium noua in Patrueles victoria clarum, triumphi in speciem Parisios, perque vrbes alias circumduxisset; admirabili Dei iudicio, vel condonantis priora scelera; vel per hæc prospera vocantis ad pœnas.

Et Fredegundis.

II. Childeberto mortuo, hæredes filij impuberes adhuc regnum partiti sunt; Theodeberto Austrasia obuenit, Theodorico natu minori Burgundia; vtriusque tutelam Brunechilde Auia capessente. Ea tamen Theodeberto adhæsit, vt regnum Austrasiæ, in quo a prima adolescentia versabatur, administraret ad nutum, assecłis & familiaribus promouendis; auctoritate interfutura Burgundiæ rebus. Eam in rem, ne consortem vllam pateretur, Theodeberto nepoti in matrimonium dedit puellam quandam ignobilem, à mercatore peregrino emptam, formâ quidē eximiam, sed imparem nimis regio thalamo, vt magnitudine beneficij, & abiectione natalium, & deuinctam sibi & obsequentem haberet. Ita tres annos ad gubernaculum sedit, imperiū pro arbitrio exercens, nec sine sanguine, Vitrione Duce interfecto: donec Austrasij proceres, perosi muliebrem fastum, & fortasse venturi in dominationis partem, eam expellunt. Quippe Theodeberto insinuant cupiditatem & ambitionem mulieris, versipelle pingunt ingenium, promptum ad omne facinus regni causa; audacem indolem nullo legis aut naturæ nexu adstringi; nuptias contra fas ab Sigeberti interitu cum nepote initas exprobrant, crudelitatem exaggerant; postremò secessionem minantur, nisi publica lues & odium eiiciatur. Rege annuente, Brunechildis expellitur; tantáque vel ignominia, vel inopiâ, vt è tot opibus támque insigni potentia, sola & præter stolam nuda instar viliſſimi mancipij, ex nepotis aula ejecta sit: magno in contemptum rerum argumento, prosperrimæ sortis in calamitosam conuersione tam subitâ. Obseruantque Historici, ab Austrasia in Burgundiam proficiscentem, vt Theodoricum adiret, solam, vagam, viæque insciam, ab ignoto homine & mendico forte occurrente deductam esse ad Theodoricum, eumque postea factum Episcopum Antissiodorensem, in beneficij, quod humanitatis officium erat, opulentum præmium. Brunechildis à Theodorico excepta perhonorificè, admota mox regimini, ad auctoritatem summam euecta est. Quâ nixa, vetus, in Clotarium odium suscitans, iam destitutum ope Fredegundis, Theodoricum ac Theodebertum in patruelem incendit; iique armant potentem exercitum, quem in Clotarium promouent. Iam laureatus duplici palma Clotarius, fratribus ad Ocsiam amnem occurrit; irruunt acies, prælium que conseritur, tam atrox tantáque strage vtriusque exercitus, vt amnis alueus cadaueribus obstructus propè aruerit; viso etiam minaci Angelo, qui strictum ensem in subiectas acies vibraret. Clades demùm in Clotarium incubuit; & ipse postmodùm desperata victoria quod vnum supererat, capessiuit

Brunechildis in Austrasia imperat.

Inde ab ejecta.

Auferte.

Clotarius victor.

Oise.

peſſiuit fugam, Melodunum, & inde Pariſios cellerrimè aduolans: fratres victum perſequuti, multis captis oppidis pro arbitratu pacem confecerunt, magna regni parte multatus Clotarius; conuentúmque vt ab Sequana populi Aremoricam vſque Theodorici eſſent; & Theodeberti tum ducatus Dentelini, tum quæ ab Oeſia ad Oceanum protenderentur; Clotario quamuis inuito iactura tanta redimente naufragium. Victores eodem belli impetu Vaſcones effuſos in Aquitaniam aggrediuntur; eadémque fortunâ victos ac ſub iugum miſſos, vectigales efficiunt, Geniali Duce cui obſequerentur impoſito, ac mitigata prædatricis gentis ferociâ. Poſtea pax cum Longobardis ſancita, ac eorum Regi Adoaldo Theodeberti filia deſponſa; vt modò reuecta in Franciam proximáſque prouincias felicitas videretur.

CLOTARIVS II.

Bretagne.

Le pais entre la Somme & l'Oiſe.

Attamen illam mulieris vnius flagitia breui conturbarunt. Brunechildis rerum potens in aula Theodorici, quando vitiis maliſque artibus ſe tuebatur, virtutem odiſſe, viróſque honeſtos ab adminiſtratione procul amandare, corruptos ac flagitioſos promouere cœpit. Ideò Egilam Patricium, à culpâ integrum, præclariſque inſtructum dotibus, eo vno peccantem quod diues foret, implicitum delationibus falſis, ad mortem impulit; facultatibus eius fiſco addictis. Nec impuræ feminæ fuit ſatis, principem virum è medio ſuſtuliſſe, niſi in ſacroſancta capita furorem verteret. Tres erant homines, ſanctitate viri conſpicui, qui Theodoricum adoleſcentem, meretriciis amoribus & libidinibus irretitum, admonerent piè & ſeriò, vt iuſto matrimonio licentiam adſtringeret, quæſiturus liberos, qui regnanti ſuccederent; nam quos ſuſceperat per flagitium, (idque verum vaticinium fuit) nuſquam propagaturos regiam ſtirpem. Ii viri erant, Deſiderius Viennenſis Epiſcopus, Columbanus Abbas Luxouienſis, & Gallus, à quo cœnobium nobile, móxque oppidum, habuerunt nomen. At Brunechildis, ne piæ admonitiones nepotem flecterent, Columbanum Regi acceptiſſimum, tamracerbè vexauit, vt adegerit virum ſanctiſſimum è Monaſterio fugere, & in Italiam profectum, abſtinere à monitis. Gallum Aulâ expellit. Deſiderium ſuæ ſedi affixum, cum in fugam haud ageret, primò curat per Epiſcopos ſuæ miniſtros perfidiæ, è ſede eijci; dein reſtitutum, ac curam ouium repetentem, in Dombenſi agro, per ſatellites mactat, obrutum ſaxis; nulli ſanguini parcens, vt amoliretur obices omnes potentiæ. Mox Bertoaldum omni ope conatur euertere; virum bello ac pace clariſſimum; acceptiſſimum Regi & populo, quique vnus virtutibus ſummis auctoritati ſuæ æmulus foret. Pòſt nouus ad eum perdendum acceſſit ſtimulus, impurus amor atque illicitus; qui ſe vbi ambitioni adiungit, quas non edit ſtrages; Protadius quidam origine Romanus, id eſt Gallus; nam ſic plerunque Galli diſtinguuntur à Francis, planè factus ad Brunechildis ingenium, ipſi iam vetulæ ad libidinem placuit; & ad ſtuprum vocatus, pro marito dilectus eſt, paſſimque beneficiis cumulatus, à femina ardentiſſimo amore pullum complectente. Vna Bertoaldi dignitas, Magiſter erat Palatij, Protadio deerat; eam vt eriperet, ſimul & periret vir dudum ob virtutes inuiſus; machinari fraudem Bertoaldo inſtituit, ciuſmodi artium peritiſſima mulier,

III.

Brunechildis tyrannis.

Sancti viri pulſi.

Brunechildis amor in Protadium.

CLOTARIVS II.

Sensim Principis gratiam in eum minuit; iamque nutantem ac labantem propemodùm prætextu officij amandat in Neustriam, vt tributa exigeret, finésque in Clotarium defenderet; trecentis militibus ipsi assignatis, quibus Clotarium non adeò coërceret, quàm facilitate victoriæ concitaret. Resque iuxta votum euenit. Clotarius comperto Bertoaldum agere in proximo, paucísque comitatum venationi operam dare, Theodorici partes strenuo viro vt imminueret, Merouæum filium ac Landricum mittit, cum valido militum globo, qui incautum & imparatum opprimerent. At is ab occulto nuntio monitus, fuga periculum anteuertens, maturè Aureliam secessit, & adiuuante Austreno vrbis Episcopo munimentis se concluſit. Aduolauit ad portas Landricus, & præpostera fortitudine Bertoaldum insimulans, quasi metu se tegeret, euocabat ad prælium. Nec alter singularem pugnam detrectabat, si abscederet miles, & copiam martis vtrique permitteret; ac postremò cùm Landricus abnueret, prælio proximo quo Theodoricus vindicaret iniuriam, singularem illam pugnam Bertoaldus indixit; & admittente Landrico, conuentum est, vt conchyliatis sagis prodirent in aciem, quò facilius inter se dignoscerent; ibique nullo proditionis metu aut insidiarum, iusto duello congrederentur, mutuò si quis refugeret, imprecati mala quàm plurima. Pugnæ occasio non longè dilata. Theodoricus acerrimus iuuenis, audita patruelis vsurpatione, perincommoda anni tempestate, sub ipsam brumam exercitum ducit, fitque obuius ad Icaunam amnem Clotarius. Bertoaldus prima acie intrepidè vltra amnem acta, in hostium confertissimum globum penetrans, Landricum appellabat, vt ad condictam pugnam se sisteret. At is retrò cedens, tegebatur suorum numero; cùm Bertoaldus indignatione fugæ turpissimæ, simul & incenso mortis voto; (videbat à Brunechilde perniciem) desperata vita, in hostium cuneum sese abdens, peremptis plurimis tandem occubuit. Interea reliquæ Theodorici copiæ, transito amne, tanto impetu ruerunt in prælium, vt mox disiectus Clotarij miles Regem in fugam cum Landrico rapuerit, capto dum fortiter pugnat Merouæo; violata pace per ipsum bellum se vindicante. Theodoricus ostentaturus victoriam, Parisios venit, perrecturus vlterius, nisi deprecante Theodeberto, & iam exercitum admouente, placuisset primis conditionibus pacem instaurare. Is belli motus vni Brunechildi optatus contigit; quo Protadius summam dignitatem in Bertoaldi locum adeptus est.

Odium in Bertoaldum.

Yonne.

Clotarius victus iterum.

IV.

Nec ideò conquieuit à scelere facinorosissima mulier; libidine & ambitione expletis, vindicta superarat, quâ infirmior sexus eò vehementius flagrat, quò impotentius. Angebat superbissimam feminam iectionis infamia, eiusque auctor Theodebertus in vltionis & furoris scopum obtenditur. Protadium iam Regis potentem in consilium adsciscit, moxque Theodoricum ipsum aggreditur. Dicit immensos Childeberti patris thesauros à Theodeberto præreptos, repetendos illos à raptore, nec ferendum vt communia bona in alterius rem seponantur. Docet postea quàm infenso sit animo Theodebertus in fratrem, studere Clotarij rebus impensiùs, inuidere fortitudini præclarisque dotibus fratris; sibi notam esse

Brunechildis nepotes bello committit.

pessimam

peſſimam indolem ; nihil omiſſurum vt fratrem perderet. Quanquam, adiungebat, id minime miror, ſi viliſſimi hortulani filius, nec vſquam à Childeberto progenitus, te in fratrem nequaquam diligit ; cui vni non theſauros modò, ſed duo regna, ſi liceat, cupit eripere. Erecta his verbis Theodorici cupiditas ; fidemque mendacio confecta fabula Brunechildis fecit ; inde Protadio admouente ignem incendio, in Theodebertum bellum decernitur. Iamque erant fratrum caſtra oppoſita apud Cariſiacum, poſtridie ventura in aciem ; cùm Burgundi proceres fraterna odia deteſtantes, Theodoricum adeunt, & pro fratrum concordia diſſerentes multa, ſollicitè hortantur, vt re adhuc integra pacem certam bello incerto præoptet, néve cupiditatis impulſu, naturæ vinculum, ac diuerſa regna Principum ſanguine coaleſcentia, diuellat inuicem & confundat. Contra vnus Protadius bellum occinere, oggerere illatas à Theodeberto iniurias, à Theodorico vim duntaxat repelli ; ſemel in ordinem & in officium fratrem reuocandum ; vbi ſapere didicerit, facilius inſtauratum iri naturæ vinculum. Ita ex eius ſententia pax diſcuſſa. Inter hæc Proceres hominis auctoritatem pertæſi, cui dudum ob auaritiam morúmque ſuperbiam perinfenſi erant, eum è medio tollere ſtatuunt ; miſerati, vt aiebant, tot mortalium & innocentium cædem, quos vnius furor perditum ibat. Non potuit tam arcanum inter plures eſſe conſilium, quin ad Regis aures pertingeret ; ideò progreſſurus è tabernaculo, vt coniurationem diſcuteret ; vi à ſuis prohibitus, mittit Vncelenum vnum ex Aulicis, qui ſuo nomine coniuratis interdiceret nefas. Sed iſte præuaricator imperij, accedens ad proceres, qui iam frementes tentorium Regis obſederant, in quo Protadius ſecurus periculi cum Medico ludebat tabulis ; iubet eos ex mandato Theodorici victimam publicam & obicem pacis perimere. Dictum, factum ; vno omnes impetu in tabernaculum irruunt, diſcindunt illud viam vt faciant, ac Protadium incogitantem ſuâ ſinguli morte obtruncant ; ludo fortunæ pingentis tabulas humano ſanguine, & lucrum tam inſigni vitâ facientis. Amoto obice, Theodoricus volens nolens ad pacem actus eſt, & vnius cæde quamvis auſu nefario, prauóque exemplo, tot mortalium ſaluti litatum eſt. Diſſimulauit iniuriam Brunechildis, dum vlciſceretur ; & maximè in Vvolfum patricium & Vncelenum prompta eſt vltio ; iſto poſt truncatum pedem in egeſtatem vltimam adacto ; illo ſtructis inſidiis Theodorici iuſſu interfecto ; Theodeberto in opportunius tempus dilato. Quod dum operitur, conſultura famæ aſtutiſſima mulier, & populorum votis obſequutura in ſpeciem, ſtatuit iuſtam vxorem nepoti quærere. Impuris concubinæ amoribus Theodoricus implicitus, quatuor liberis ab ea ſuſceptis, vitam agebat Chriſtianis moribus alienam ; ſacris Præſulibus & pio quoque grauiter conquerentibus. Hanc vt labem Brunechildis abſtergeret, ſuadet filio ad legitimam ſponſam accedere, ſimulque Hemmebergam Bertrici Regis Hiſpaniæ filiam, dignam tanto faſtigio, commendat eximiè ; Rege quem pigeret iam ſatiatæ libidinis annuente. Legati mittuntur in Hiſpaniam qui puellam petant, iurent Regis nomine perpetuum tori thronique conſortium, atque traditam abducant.

CLOTARIVS II.

Protadij cædes.

Theodoricus vxorem ducit ;

CLOTARIVS. II. Euenere singula ex voto ; excepti peramicè legati, iuratæ nuptiæ, & deducta Virgo in Franciam, tum dantium tum excipientium plausu. Rex ipse, pro summis castitatis illecebris, sponsæ illibatæ captus pulchritudine, primæ consuetudinis oblitus, ad amorem nouum applicabat se penitus, & spes erat adhæsurum, nisi Auiæ cæca ambitio pulchrè institutum cursum inuertisset. Ad speciem duntaxat & fucum ea optauerat nuptias Regi, nec putabat è re sua fore, si virgo regia, formâ corporis animique laudibus prædita, coniugalis affectus illiciis, in eam cresceret auctoritatem, quâ mariti potens Auiam excluderet, iamque non regeretur sed regeret. Ideò primùm veneficiis impedit ne contingere vir vxorem posset ; dein amore iam tepescente perficit vt ableget, ceu inutilem, & obnoxiam malis præstigiis ; itaque summo dedecore, spoliata dote, immerens virgo patri reddita est. Bertricus Dei hominumque fidem obtestatus, legatos misit ad Europæ Principes, qui contumeliam quererentur, & ad consortium vltionis eosdem impellerent, aditi Clotarius, Theodebertus, Ago Longobardus, & facta à singulis spes societatis : nullo successu : raris alienam iniuriam, vbi sua non interest, vindicantibus.

Et pellit.

V. *Theodoricus in fratrem.*

Brunechildis hoc metu libera, rursum incumbebat in Theodeberti perniciem, quam is ipse vltrò sibi arcessiit. Etenim siue prioris sensu iniuriæ, siue nouæ cupiditatis instinctu, arma parauit in Theodoricum, iniquam postulans, quam primam regni diuisionem fecissent. Cùm eandem æquam Theodoricus contenderet, ne rursus fratres in bellum ruerent, vtrinque Proceres re ad amicam & tranquillam litem reuocatâ, indictis loco & tempore, impetrarunt à Regibus, vt abdicata vi simul conuenirent. Affuit Theodoricus cum decem virorum millibus, simplici animo, & ab omni fraude alieno, at Theodebertus toto exercitu circunducto, quasi fratrem implicasset reti, metu perterritum ad ea compulit quæ optabat. Ita specie conciliationis prouinciis pluribus Theodoricus mulctatus, quæ bello seruasset, pace deperdidit. Igitur vbi primùm emersit è periculo, statim fœdus eiurans, quod vi & metu extortum esset, comparauit se ad vim repellendam & vindicandam iniuriam ; Brunechilde imprimis admouente fomitem prompto incendio. Et Theodebertus patrauit facinus, quod Dei hominúmque odia concitaret ; Bilechilde vxore illâ quam à Brunechilde acceperat interemptâ per nefas, quanquam plurium liberorum matre, vt aliam in torum induceret. Inter fratres obstrepentibus lituis, medius Clotarius videbatur magna futurus accessio, vtrò propenderet, ideò per internuntios conquestus iniuriam Theodoricus ab eo impetrat, vt conquiesceret dum patratur bellum, pollicitus Ducatum Denteleni, quem Theodebertus eripuerat, eumque in quietis petitæ præmium. Mox vniuerso propemodum regno excito, imperator ipse exercitus, Lingonibus Austrasiam petens, ad Tullum oppidum Theodebertum obuium habuit. Ibi flagrantibus irâ & ambitione animis, extemplò obiectæ acies ruunt in prælium, quo post acerrimam dimicationem victus Theodebertus, fuga sibi consulens, per Metensem agrum, Coloniam ad Rhenum instauraturus militem euolat. Theodoricus palmâ elatus, præter ardorem indolis & vindictæ

Theodebertus primò victus.

ignem

ignem, vtendum victoriâ ratus dum faueret, summâ celeritate victum persequitur, & Arduenna siluâ pertransitâ, ad Tolbiacum simili exitu pugnat & vincit. Siquidem Theodebertus fœdi animo in calamitatem, integris adhuc Vltrarhenanis prouinciis, inde Saxones alioſque Germaniæ populos in aleam Martis nouam contraxerat, fratrique occurrebat, ni vinceret, certus occumbere. Paribus igitur animis, paríque fortitudine pugna conſeritur; inde Francis primæ laureæ gloriam, hinc Germanis prioris fugæ infamiam, cumulare vel emendare nitentibus. Incredibili ardore vtrinque pugnatum, traduntque Annales, quos equites prima congreſſione ferrum mactauerat, eos diutius etiam orbos animâ hæſiſſe in equis, & viuentium ſpeciem prætuliſſe, turbâ ſequentium adeò denſa & ſtipatâ, vt prioribus non modò flectendi habenas dum viuerent, ſed ne mortuis quidem prolabendi ab equis, facultas eſſet; furore pugnæ obcæcante milites, & pro Andabatis induente in ferrum. Hæc pertinacia vel deſperatio diu victoriam incertam habuit, donec vis cladis in Theodebertum incubuit. Ciebat ille prælium fortiter, ſuíſque animos vel in perniciem faciens, longè pluribus mortis cauſa erat, quos iam hoſtile ferrum pecorum inſtar mactabat; quibúſque eſſet acceptius ſub aſpectum Principis cadere, mereríque victoriam, vel non obtinendam, quàm ignominiâ fugæ ſibi conſulere. Perſtabátque obſtinatio; donec Theodebertus animaduertens iam fruſtra obſiſti, ſuoſque pugnare duntaxat vt perimerentur; ſe ſtragíſque reliquias nouæ ſpei redditurus, fugam capeſſiuit; ſimulque alij quos eius præſentia continebat, terga verterunt cædenda victoribus: Tuncque maximè diſiecta illa cadauerum phalanx, ſolutis equis atque palantibus; viis latè ſtratis quà demortuorum inutili pondere, quà cruentis corporibus morientium. Theodoricus in plauſu victoriæ, fratris nimium memor, poſtquàm accepit celeri fuga euaſiſſe, quaſi tot cædibus nihil actum foret, moram nullam paſſus, ad Rhenum aduolat, obſeſſurus Coloniam, quà ſe Theodebertus concluſerat. Statimque Ripuarios ad Rhenum accolas fœdis vaſtationibus diripit, palámque affirmat, nullum his finem fore, niſi Theodebertus viuus an mortuus in poteſtatem ſuam deueniat. Iis mota perfida natio, deliberato Regis exitio, Coloniam mittit quibus perficiendum ſcelus incumberet; iámque admiſſi in Theodeberti conſpectum; conqueruntur ſe ſuáque omnia diripi; nullam ſalutis ſpem præter ipſum Regem ſupereſſe; fratrem affirmare, ſi gazæ pars quæ Patris fuiſſet ipſi traderetur, receſſurum ſe, & parciturum belli miſeriis; orant igitur, & ſub rogantium ſpecie, imperant, vt theſauri parte cladem ſuorum tórque innocentium animas redimat. Theodebertus fide dictis præbitâ, comitante proditorum turbâ in gazophylacium ſubit, dúmque ex multa opulentia quæ fratri mitteret indagat accuratius ſeponitque, ab vno comitum gladio in caput acto perimitur; effuſo inter opes quas excoluerat ſanguine, vitáque in aſylo vt putabat ſalutis abiectâ. Illicò abſciſſum caput à proditoribus, & per muros vrbis delatum, deterritis ciuibus, victoriæ ſymbolum hoſtibus fuit, nullo vetante admiſſus in vrbem Theodoricus, theſauros fratris cepit, liberoſque: Ii præter virginem duo mares erant, & adacta in fidem vrbe, regno

CLOTARIVS II.

Et ſecundò: Poſt occiſus.

Poſteribus.

CLOTARIVS II.

altero auctior, sublatóque æmulo tumidus, Metas ad Auiam rediit, trophæum circumferens, felicitatis in speciem, reuera crudelitatis & humanitatis depositæ. Quanquam & in ipsa laureæ pompâ mortalitatis monumentum est præbitum. Quippe dum in basilica sancti Gerionis iusiurandum à Colonienſibus exigit, sibi visum est latus graui ictu percuti, exclamauítque continuò, iubens occlusis foribus percussorem capi; at nemo inuentus est, nec veste à cubiculariis amotâ, vllum apparuit vulnus in latere, præter notam purpuream summæ cuti impressam; habitúmque est imminentis mortis indicium. Metas aduentanti Brunechildis occurrit, amplexáque victorem summa lætitiâ, ne quid ex Theodeberto superesset, geminos eius filios neci tradidit, alterum minorem natu, Merouæum nomine, lactentem adhuc, manu propriâ solo illisum, crudeli & nefaria morte conficiens, idem haud dubiè tentatura in nepte, nisi amor & forma corporis prohiberent. Nam Theodoricus pulchritudine virginis captus, eo amore flagrabat támque honesto, vt puellam sibi destinaret in coniugem. Intercedebat vehementer Brunechildis, cúmque dehortando parum proficeret, tandem extremam admouens machinam, futuras dixit incestas & abominandas nuptias, si Patruus neptem ex fratre duceret. Quo Theodoricus excandescens vehementius; Quid tu, inquit, pessima, tuique generis lues? Annon mihi dixeras, Theodebertum hortulani esse filium? Tu me impiissima fratricidio illigasti. Simul nudato ferro in eam irruit; & proculdubio feriebat, nisi ab Aulicis erepta periculo, ac aliquandiu abdita, in flagitium nouum effugisset. Sanè haud multò post Theodoricus extinctus est alui profluuio; seu veneno per Brunechildem propinato dum exit è balneo, seu morbo contracto: imò alij volunt cœli flamma ictum, animum amore, cupiditate & crudelitate flagrantem inter ignes misisse. Comparabat in Clotarium bellum, propterea quod ducatum Denteleni occupasset ex pactis, iamque vniuersam Franciam ambibat animo reuera fortitudine clarus, sed truculentâ, quam vix vlla virtus cicuraret.

Theodorici mors.

Theodeberti liberi.

Anno 614.

VI.

At Clotarius periculo defunctus tam graui, repente à summis angustiis ad felicitatem summam euadit. Theodorico quatuor liberi superstites erant, Sigebertus, Corbus, Childebertus, & Merouæus, verùm ex illegitimo nati concubitu, ideò gerendo sceptro plurimum impares. Nihilominus Brunechildis, iam tertium summo regimine vsurpato, Sigebertum maximum natu inaugurare regno intendit; cuius ætate, vt in patre & auo, abuteretur, ac tutelæ nomine prouincias tot tamque amplas pessundaret. Verùm Austrasiæ Proceres, quorum Arnulphus & Pipinus principes, perræsi dominatum muliebrem, eò grauiorem futurum quod olim excussus, arcana conspiratione Clotarium appellant; ad regnum veniret, quod hæreditate; populorum ac procerum votis suum foret. Clotarius sine mora Captonacum vsque accessit Brunechildis quæ tum Vormatiæ agebat, ad superiores prouincias moderandas, audito Clotarij aduentu, vt hospitem inopportunum excluderet, legatos mittit, qui expostulent violatam consanguinitatem Regúmque concordiam; mirati se quid Clotario rerum esset in Sigeberti Regis ditione; proinde orare, vt secederet, nec ambitione

Brunechildis pronepotes ad regnũ euehit.

Andernac.

Vormes.

præpostera

præpoſtera ſancitam cum Theodorico pacem bello mutaret. Reſpondet Clotarius, ſe à belli animo longè abeſſe, non eo veniſſe vt abrumperet pacem; imò veram & ſolidam, vt conſtitueret; eam in rem petere conuentum Francorum, vt conuocatis vtriuſque regni Proceribus, quid in rem communem vſui foret, omnium calculis ſtabiliretur; ſpondebat ſe ſtaturum illorum placitis, nec latum vnguem ab eorum nutu abſceſſurum. Brunechildē Clotarij mens non latuit; ideò nihilo ſegnior obtinēdo regno quàm occupando, quoniam in Germaniæ gentibus ſpei plurimùm erat, ad eas mittit Sigebertum ipſum cum Varnerio Magiſtro palatij, & Alboino inter Auſtraſios præpollente; vt quà auctoritate, quà Regis iuuenis majeſtate & reuerentia; Martias gentes in ſocietatem belli allicerent. Attamen vnius ſuſpicionis temeritas benè prouiſa conſilia peſſumdedit. Venit in mentem feminæ (per infirmitatem ſuſpicaci admodùm eo ſexu) Varnerium fide ancipiti, in Clotarium propendere; ſtatímque pro innata crudelitate, ad Alboinum cuius fides ſpectatior ſcribit, vt quovis modo Varnerium tollat. Litteræ in via redditæ, quas lectas Alboinus in minutas partes abrumpens, humi vt iam inutiles abiecit incautius. Id fortè inſpiciens vnus è Varnerij familiaribus, ſeu curioſitate, ſiue exiſtimato rei momento, clam diſiecta chartæ fruſta colligit, iiſque membris ſuo corpori redditis, ſenſu percepto, & in cereis tabulis ſcripto, rem totam enuntiauit Varnerio. Vir magnæ prudentiæ, animaduerſo periculo, nihilque dimidium, minimè crimina, Brunechildi eſſe, cœpit quod ſuſpicioni erat agitare ſerio, ac verſare ſecum quomodo regnum ab crudeliſſima femina pueríſque ſpuriis, in hæredem legitimum probúmque Regem tranſmitteret. Eam in rem primò cuſtodire ſe arctius, & ab inſidiis præcauere; tum vrbes & populos quos adiungere Sigeberto debuerat, diſſimulanter & tectè ab eodem abiungere; Brunechildis exaggerare flagitia, Principum pudendam originem deteſtari; euehere cœlo Clotarium, affirmare dignum qui regeret, vnámque exoptatæ pacis rationem eſſe, ſi vnus adminiſtraret tot populos. Ita Tranſrhenanis gentibus obitis; ad Brunechildem reuertitur; & cum eadem, palàm nondum auſa tanti viri cædem conficere, profectus in Burgundiam, deducto ad auſpicandum regnum Sigeberto; iiſdem artibus Burgundiæ Proceres gentiſque Antiſtites in ſententiam ſuam pertraxit; vt abiecta flagitioſiſſima femina, ac ſpuria ſobole repudiata, enimuero natalibus & inſtitutione digniſſimus regno legeretur. Quibus conſtitutis, ad Clotarium miſit, qui ſuo Procerúmque nomine regnum offerrent; adeſſet ipſe cum exercitu, nullo negotio nullóque periculo, ampliſſimas Auſtraſiæ ac Burgundiæ gentes accepturus in poteſtatem: mirúmque eſt, tam multos inter, tantæ rei conſcios, nihil Brunechildem ſagaciſſimam feminam, aulicarúmq; magiſtrā artium ſubodoratam; fruſtra videlicet obnitente in Deum prudentiā noſtrā, nec vnquam metas criminum tranſiliente. Clotarius data acceptáque fide, exercitum mouet in Sigebertum; is cum fratribus ingentes copias ducebat, imperatore Varnerio. In campis Catalaunicis ad Axonam amnem dimicaturi occurrunt exercitus: iamque ſtabant in procinctu pugnæ, cùm Varnerius comitantibus cōnſciis, traducta militum parte quàm maximā,

CLOTARIVS II.

Varnerio necem intētat.

Vnde ipſi pernicies.

Nam Clotario traditur.

CLOTARIVS II.

maximâ, fecessionem ad Clotarium facit. Inde in exercitu fratrum pauor & consternatio ; mox recessus ad fugam accedens ; & nisi Clotarius suos inhibuisset, certus incruentæ victoriæ, strages facilis & internecio. Hærebat itaque recedentium tergo innoxius, donec ventum ad Ararim ; vbi amne fugam intercipiente, reliqui Proceres apprehensos regios iuuenes Clotario tradunt, vnóque omnes ore Regem dicunt vniuersæ Franciæ. Deerat vna Brunechildis, tot malorum causa capútque criminum, quæ postmodùm Varnerij diligentia, cum Theudelina Theodorici sorore, ex pago Vltraiurano in quem confugerat retracta, Clotario denique sistitur, in quem toties perniciale consilium extremámque horam instruxerat. Tum Rex pœnas solemnes à teterrima femina repetiturus, primùm iubet Theodorici liberos in conspectum adduci, quorum duos Sigebertum & Corbum sub oculos ipsius Auiæ trucidari imperat ; Merouæo quem de sacro fonte susceperat, donata venia ; (Childebertum fuga eripuerat, latuítque pòst tam feliciter, vt viuens & moriens vel famam ipsam fefellerit.) Deinde instituta accusatio, Proceribus tam Austrasiis quàm Burgundis longam retexentibus seriem criminum, palámque nullo amplius metu obiectantibus ; postmodùm misera variis per triduum cruciatur suppliciis, vt quæ tam multis necem intulerat, eadem pluries, quantùm fert humanitas, pateretur. Exacto triduo, adiicitur tormentis infamia ; vetuláque imposita camelo strigoso, quæ veneficarum pœna, per tota castra deducitur ; passimque contumeliis onerata & probris, iterum ad Clotarium sistitur. Ibi Ducibus Tribunisque spectantibus, ipse Rex accusatoris obito munere, palmariis delictis fœminæ recensitis, maximè decem Regum parricidiis, quos illa (vt vrgebat Clotarius, nec memor eorum quatuor peremptos à Fredegunde) interemisset ferro vel veneno ; rogauit Duces quas in pœnas vocarent tam atrocia scelera ; iis acclamantibus, nullum fore supplicium, quin magnitudine criminum vinceretur ; equum indomitum educi iubet, solutósque Brunechildis crines ac nuda brachia animantis caudæ alligari ; tum ipsum admotis stimulis in cursum propelli. Vita dolore momento desiit ; pœna diutius propagata & in plura loca. Primo impetu dispersum equi calcibus miseræ cerebrum ; membra reliqua rupibus sentibúsque lacera & diuulsa, vel cadaueris formam abstulerunt. Recepta tamen eadem postea, truncóque reddita, sepulchrum nacta sunt, quod Augustoduni etiamnum visitur. Ea magnis vitiis virtutes magnas opposuit : in Deum sacrasque res religiosa ac pia, plures basilicas exædificauit ; & quod obseruat Historia, innumera propemodùm monumenta religionis & cultus in sanctos, Martinum præcipuè, munifica manu erexit. Nec vitæ exitus tam calamitosus in aduersis fortasse fuerit ; Deo ignoscente cùm ad pœnas vocat ; nec implacabiliùs sæuiente, quàm cùm sceleratis sub morte conniuet.

Et pœna afficitur.

VII. *Clotarius Francia monarcha.*

Mox Clotarius omnium votis Monarchiam adeptus, dignum se tanto fastigio præbiturus ; quæ priori tempore belli miseriis labefactata erant & conuulsa, summo studio persanauit atque restituit. Eam in rem nouos Præfectos tam meritis quàm fide inclytos prouinciis nouis imposuit ; Burgundiæ quidem Varnerium, cuius ductu atque prudentia tantum bellum

tam

tam exiguo sumptu confecerat, dato iureiurando, toto vitæ tempore perstiturum eo in munere; Austrasiæ Radonem, virum expertæ probatæque virtutis; Vltraiuranis Erponem; qui postmodùm iustitiæ vindex acerrimus, Aletheo Patricio & Lendemundo Sedunensi Episcopo instigantibus, ab iisdem quorum elaborabat commodis interemptus est. Nec ea cæde virorum improbitas sese continuit, ausa familiam regiam conturbare. Aderat Clotarius Erponis necem vlturus, iámque multos pœna affecerat, cùm Aletheus veritus ne ad fontem sceleris inquisitione perueniretur, nouo scelere, quod malorum est, primum conatur eluere; impellitque Leudemundum conscium, vt Bertrudem Reginam adeat, & in fraudem quam orditur ipse inducat. Vnà cum Rege Bertrudis venerat, mariti suprà modum amans, morúmque pudicitia celebris. Eam ex condicto Leudemundus (vt cui dignitas sacra maiorem fidem conciliaret) in secretum vocatam colloquium, monet, intra vertentem annum obiturum Clotarium; id sibi certa perspectum notitia; prouideret ipsa rebus suis interim, nec se improuiso casu opprimi sineret; nihil eam in rem esse consultius, quàm si virum locúmque quæreret, quorum ope & asylo ab incursu omnium tuta esset; iam vtrumque comparatum; locum quidem, Sedunum vrbem suam, in quam regias opes hortabatur deferri; virum, Patricium Aletheum, è regia Burgundionum prosapia, qui sanctè sponderet, repudiata vxore reginam se admissurum in thalamum, & in regni quod occuparet consortium. Bertrudis ad has voces, metu simul & indignatione, se illicò in conclaue proripuit, tam atrox facinus enuntiatura Clotario. Igitur rei sceleris, elusa machina, citatissimâ fugâ consulunt sibi; ignarúsque pòst consiliorum Clotarius, Episcopo quidem indulsit, deprecante Luxouiensi Abbate, Aletheum verò captum, in conuentu Procerum causam iussum dicere, reumque compertum, morte damnauit. Hæc iustè; istud paulò imprudentius, quod Longobardo Regi tributum dimiserit. Solemni legatione Longobardi Guntranum & Childebertum conuenerant, erátque percussum fœdus iis conditionibus, vt Longobardum in amicitiam & patrocinium Franci susciperent; vice versa Francis Longobardi penderent in tributum quotannis duodecim millia solidorum; idque tributum ad Agilulphum vsque solutum est. Is ab tanto onere se immunem vt faceret, quod armis nequibat, pace exequitur: Legatos peritissimos aulicarum rerum ad Clotarium mittit; qui tributi onus, deprecentur; amicitiæ vinculum fide nectendum & beneuolentia, non vi aut seruitute; multò vtiliores Francis Longobardos futuros, si immunes sint, quàm si vectigales; soluto stipendio, se putare functos omni officio; si benignè remittitur, perstituram in æuum gratiam, officiis omnibus cumulandam. Iis addita triginta sex aureorum millia, vt pecunia in tres annos repræsentata, præsenti lucro iacturam sarciret: validissimúmque omnium telum statim adiunctum est; argentum videlicet iis appensum, qui consilio apud Regem pollebant; quorum impulsu Clotarius tributum remisit; leuique pecunia abiecit, quod suo suorúmque sanguine, si negaretur, vindicandum erat; tantùm detrimenti à priuatis vtilitatibus publicæ capiunt.

CLOTARIVS II.

Ab Aletheo turbatur.

Sion.

Tributum Longobardis remittit.

CLOTARIVS II. VIII.

Inter hæc Clotarius Dagobertum filium spem regni vnicam, quàm maximâ curâ & studio, ad pietatem & regias artes instituebat; commisso puero Arnulpho Metensi Episcopo, sanctitate morum illustri, & Pipino Austrasio Magistro Palatij; vt pietatem & litteras hauriret ab altero, ciuilem ab altero aulicámque consuetudinem. Nec malè opera collocabatur, cùm iuuenilis ardor prorupit in audaciam, audacia in pium magnæque laudis facinus vertit. Erat inter regni proceres Sadragesilus, ab Rege Aquitaniæ præfectus, multisque negotiis industriè gestis ipsi charus; sed asperitate morum quæ superbiam saperet, Dagoberto infensior. Affirmabat adolescentiam Principis, frangendam imperio, non indurandam obsequio; adulationem ætati ciusmodi luem esse; agendum seuerius, & licentiam quam indoles, ætas, splendórque regius confirmarent, veluti arborum luxuriam, comprimendam atque resecandam. Itaque prorsus se gerebat cum Principe, temere facta acerbius carpens, laudisque parcissimus vix quidquam approbans. Ea denique ad vindictam impotentem iuuenem impulerunt. Clotario ad venationem profecto, longiusque digresso, Sadragesilum ad prandium vocat, daráque de industria ab domesticis occasione, cùm arrogantia solita admoneret Dux Principem; tunc enimuerò absumpta patientia Dagobertus, Ducis audaciam iniuriásque increpitans; iussit eum denudari confestim, flagrisque cædi à ministris; pœnámque probro & ignominia cumulans, barbam quam luculentam alebat, ad cutem radi; vt imperiosus vir iuuenescceret, & abdicato auctoritatis & experientiæ symbolo, quodammodo redigeretur in ordinem. Patrato facinore; pœnitentia primùm, dein à Patre timor successit. Igitur latebras indaganti vt Patri se eriperet; venit in mentem ædicula illa, quæ nuper ceruum à furore canum defenderat, illæsumque seruauerat; qui mira alacritate venantium, cursuque canum indefesso ad extrema actus, interciså omni effugij via, in ædiculam arctam immiserat se, canibus adlatrantibus foris, nec vllo intus auso penetrare. In eam aduolat Diuina spe fretus, fusisque loci Geniis precibus, arctè somno pressus, venerandum ore multáque canitie senem videt, duobus cinctum comitibus; qui serena fronte blandisq; oculis excitata fiducia, se Dionysium esse dixit, celebrem illum ab Areopago iudicem, solaris defectionis oculatum testem, à Paulo traductum in veri Dei notitiam; eundemque se in Gallias missum, vt Christi Dei legem promulgaret; quo in opere truncato capite diem obiisset, cum Rustico & Eleutherio suis illis comitibus; triumque corpora in hac ædicula consepulta: quæ si is vellet iusto honore & reuerentia prosequi, spondere se salutem in præsentia Patrisque amorem, & in posterum Franciæ sceptrum; quodque maius foret, cœlestis regni adeptionem. Promissa mox euentus sanxit. Clotarius Sadragesili questu ipsoque spectaculo mirè commotus, iurarâ tam audacis facinoris pœnâ, mittit qui Dagobertum ab ædicula vi retractum ad se adducerent. Verùm iis ne ad locum quidem accedendi facultas permissa; milliario distantes hic horror stuporque inuasit, vt Diuina quadam vi arcente vltra progredi vetiti, ad Regem excusatum se venerint. Is redarguta eorum inertia, iubet alios aduolare ad locum, & strenuè

Dagobertus.

Sadragesilum male afficit.

S. Dionysij inuenta Reliquiæ.

nuè mandata exequi, interminatus pœnam, ni faciant. Et illi eodem quo socij loco, metu sancto absterriti, re infecta redeunt. Tum demùm Clotarius suorum fidem incusans seriò, qui Regem & patrem adolescenti filio posthaberent, ira vehementi succensus, iusso sequi milite, eò approperat, iam iam miraculi appendix futurus. Nam delatus ad fatalem illum limitem, stupore insolito repente correptus, adhibito frustra conatu, subsistere cogitur; moxque radius illuxit animo, quo sanctitatem loci perspexit, & planè mutatus in alium, furore in clementiam verso, vltra progressus in ædiculam subit, amplectitur filium, & ab loci Indigetibus petita venia, magno omnium plausu redintegrat pacem. Inde Francis orta in Dionysium pietas; cui posteà Dagobertus beneficij memor luculentam basilicam exstruxit, ornauitque regiis opibus: starque hodie magnificum religionis monumentum; in quo posteris Regibus sepulchra posita, tuto videlicet asylo se committentibus, suosque cineres patrocinio sancti tegentibus. CLOTARIVS II.

IX. Postmodùm Rege & regno tranquilla pace gaudentibus; Bertrudis Reginæ mors mœrore Regem regnumque impleuit. Siquidem femina coniugi charissima, religione & probitate morum sancta, vt omnibus amori erat, sic dolori fuit. Aliquantò post discussùs dolor nouo coniugio, quo Sichildis Clotario iuncta; moxque actum prudenter vt à nouerca priuignus abscederet. Ita Dagoberto iam maturo regimini concessum à Patre regnum Austrasiæ; iis exceptis quæ ad siluam Arduennam, & Vosagum montem adiacebant, quæ sibi Pater ab Austrasiæ regno sepossuit. Prouisumque ad arctiorem concordiam, vt Gomatrudis Sichildis Reginæ soror, Dagoberto nuberet: ac celebratæ Clipiaci propè Parisios pompa regia nuptiæ; in quibus tamen Discordiæ malum proiectum est. Tertio ab iis die, Dagobertus queritur se regno præpositum imminuto & dimidiato, multa & potissima teneri à Patre, quæ ad Austrasiæ regnum attinerent; se hactenus Regem titulo tenus, modò capacem esse qui verè suisque auspiciis regeret, proinde Pater vel reciperet totum, vel totum redderet. Contrà Clotarius; nihil viuo patre deberi filio; si Austrasiam Dagoberto cesserit, liberalitatis esse non debiti; neminem ex benignitate sua damnum colligere, dantis esse quos velit limites præsignare muneribus; recipientis metiri quod datur, non ex sua cupiditate sed donantis arbitrio; expectet Dagobertus, & à Patre plura mereatur obsequio, non extorqueat præpostero desiderio. Iam contentio ad dissidium vergebat, imminebátque exitiale & funestum bellum; cùm Franci Proceres conciliatores pacis, ab vtroque impetrant, vt res à duodecim viris quos ipsi Reges seligerent discerneretur: qui selecti tantùm studio, cura & diligentia perfecerunt, vt Pater recepto in gratiam filio, quæ regni Austrasij forent restituerit, excepta Phocensi Prouincia, iisque oppidis quæ iacebant ad Ligerim. Qua in pace Arnulphi sanctissimi illius Metensium Præsulis præpolluit religiosa auctoritas; magna Regum laude, vtilitates suas summúmque fastigium viri boni arbitrio subiicientium. Exinde culta pax, nullúmque bellum nisi in exteros. In Saxones detrectantes obsequium arma commouerat Dagobertus, Rhenúmque transgressus, cum Bertoaldo hostium duce conserto prælio, dum primo in

Dagobertus Rex Austrasiæ. Anno 622.

Clichy.

Contendit cũ Patre.

In Saxones bellat.

CLOTARIVS II.

ordine ingenti animo pugnam ciet, saucio capite, cum parte galeæ cutis prima multúsque crinis ferro exscinditur, suisque ægrè impetum repellentibus recedit in castra. Inde periculi conscius, Patris opem imploraturus, pro epistola decisam à capite cutem ad eum mittit; quâ visâ Clotarius (tum fortè belli vmbram insectandis feris obibat) natique sanguine efferuescens, vt erat, citato cursu, longo quamvis itinere, dies noctésque accelerans, ad filium aduolat. Excipitur summâ Francorum lætitiâ ingentíque plausu; cuius causam percontante Saxone (Viserâ amne castra dirimebantur) aduenisse Clotarium Franci vigiles docent, sperantque victoriam simul accessisse. Id Bertoaldus audiens, falsum asseruit, fictumque ab hostibus ad inanem metum; compertam sibi mortem Clotarij; palámque mendacij mendacissimus ipse Francos redarguit. Renuntiata Clotario res, summo periculo summæque gloriæ causam dedit. Siquidem ascenso equo ripæ obambulans, detractâ galeâ, venerandum canescenti cæsarie caput exhibuit, ne verbum quidem proferre dignatus, vt vno sui spectaculo mendacem refelleret. Bertoaldus vt deprehensam fraudem elueret, impudentiam addens; Tunè, inquit, aderas hic, muta bellua? Enimuerò tanto conuitio Rex incensus, capite properanter armato, in torrentes vndas equum egit, præponensque periculum contumeliæ, in obiectam ripam inter hostium tela euasit. Franci certatim in obuias aquas irruentes, quà Rex præiuerat insequuntur. At Saxones pauore subito perterrefacti, siue Regis præsentiâ & imperterrito animo, siue Francorum audaciâ & fortitudine, terga vertunt, Bertoaldo Duce fugam maximè præcipitante. Nec ideò instanti Clotario sese eripuit; qui tametsi lentior humore in sagum & ocreas penetrante, tamen equum calcaribus séque animi flamma adurgens, trepidum assequutus, ferro vlturus conuitium, precantem multa tacitus conficit; alter Francorum qui opima spolia retulisset. Facilis inde victoria, cæsique passim quos terror vicerat. Vltra in Saxoniam ductus exercitus, multáque præda ex hostico capta; imò tanto furore vindicta exercita, vt omnibus sortioris sexus mors allata, qui Clotarij ensem longitudine excederent; nempe vt parceretur infantibus; ætate capace criminis corporis modo exploratâ. Nec ab hoc facinore prolata diu Clotarij vita; è qua excessit, eiusdem & regni simul anno quadragesimo quarto; mali corui, quod rarissimum est, bonum ouum; educationis probæ operæ pretium, qua Guntrani opera eiurauit parentes; nec à Fredegunde præter felicitatem quidpiam hausit; virtutes regias, pietate, eruditione, & in egenos benignitate ornabat; imò patientia, cuius tara cum summa potestate concordia: arguitur tamen studij in venationem, & obsequij in mulieres nimij; emolliente Martiam indolem Venere. Duos ex totidem vxoribus liberos reliquit, Dagobertum & Aribertum.

Clotarij facinus.

Et mors.

X.

DAGOBERTVS REX FRANCIÆ;

Dagobertus confestim audito Patris obitu, ad Neustrios Burgundósque mittit, qui Pontifices Ducesque obirent, regnúmque ipsi prætermisso fratre conficerent. Nam Brunulfus Ariberti auunculus eosdem ambiens, omni ope enitebatur Nepotem euehere, relicto Austrasiæ suæ Dagoberto. Attamen frustra ambitio fuit. Vno omnes animo Dagoberto deferre imperium

perium, quem & prima naſcendi ſors eò deſtinabat, & iam vſus delibato regno dignum effecerat; Aribertum contrà abdicare, quem ætas tenera, indoléſque vti rebantur ignauior, alienæ dominationi obnoxium, clauo amouerent, dum Brunulfus interea, ſororis & nepotis potens, res ad nutum gereret, & in pares regnum vſurparet. Vocatus itaque & exceptus ſummis omnium votis Dagobertus, Rhemis primùm, tum deinde Pariſiis, ad eumque delata Monarchia Franciæ; cuius pars & ipſum fratris obſequium foret. Extemplo ad regimen ſe accinxit, regni primordia temperantia & moderatione animi auſpicans. Ariberto fratri, cuius amplecteretur modeſtiam, & miſeraretur inopiam, terras conceſſit, quæ à ripis Ligeris ad Pyrenæos protenſæ, regni ſpeciem implerent amplitudine & opulentia; quod deinde regnum Aquitaniæ dictum eſt; pactus vt ſummum ius præter titulum Regis Ariberto foret; nec ipſe in poſterum heredeſve reliqua in Francia quidquam repoſcerent; maiore parta laurea, ſegregando abs ſe prouincias, quàm ſi vicillet. Tum deinde profectus in Burgundiam, magna iuſtitiæ exempla edidit; potentium nobiliúmque delicta in diſquiſitionem vocans & in pœnam, nullo perſonarum opúmve delectu, vt magna bonorum ſpe, ſic improborum terrore: Ergo vt in ciuitatem quamque peruenerat, erecto palam tribunali, ſui poteſtate viduis & egenis facta, malè patrata per ſe diſceptabat, gladióque & lance Iuſtitiæ, quantùm humana ſinebat infirmitas, rapinas, iniurias cædéſque plectebat. Ita ab Lingonibus orſus, Diuionem, Cabilonem, Auguſtodunum, Altiſſiodorum, Senonéſque inuiſit; vindicatis vbique legibus, armatóque iure regiis manibus; quamvis Cabilone facto ambiguo eandem iuſtitiam ſanxit aut læſit; dum manè in balneum ſubit, Brunulfi cæde imperata, ſuſpecti perfidiæ ac nouorum conſiliorum. Et hactenus Rex dignum ſe geſſerat tanto faſtigio, virtutum famâ latius ſparſâ, raptíſque in admirationem proximis gentibus; cùm ſancta primordia proſperitas tuta in malum conuertit; placuítque potentia à virtutum ductu in licentiam criminum mancipata. Ab libidine impura factum initium; Gomatrudis coniux ſterilitatis ſpecie repudiata, ac aulicorum adulantium conſenſu, contra omne fas ac religionem Nantildis rapta è ſacrarum Virginum Parthenone, Regis toro ſolemni ritu adiuncta eſt; Arnulpho incaſſum intercedente, ſtatímque Metas regreſſo, poſtquam pia monita iam audax impietas excludebat. Vbi ſemel carceres refregit impuritas; vagatur effrenis, nulliſque terminis circumſcribitur; Dagobertus tertiam vxorem prætextu ſobolis admouit thalamo, puellam ignobilem Ragnetrudem dictam; ac tametſi anno vertente ſuſcepit ex ea filium, quem magnâ pompâ ſacris vndis ablutum, Sigebertum dixit; tamen nihilo caſtior, impuros ſcortorum greges in aulam induxit; incenſa, vt fit, prauo vſu libidine, non reſtincta. Fœditati mox auaritiam adiunxit & prædationes, diuitum facultates in vitiorum alimenta rapiens, nec ſacris Eccleſiarum anathematis parcens; corruptus omninò, ac proiecta per omne flagitium cupiditate. Inflammabat Regem aulicorum nequitia, quorum animus in malum & licentiam pronior, quando eiuſmodi Principem nactus eſt, gnauiter in ſcelera & malefacta incumbit. Nec Pipino Duci Auſtraſiorum

DAGOBERTVS.

Aribertus Aquitaniæ.

Dagoberti probæ initia.

In malum conuerſa.

DAGOBERTVS.

siorum tutum admodùm fuit, vitia Regis vel carpsisse opportunis monitis, vel improbasse virtute tacita; vix secura in globo scelerum integritate: Diuina tamen prouidentia, tum Pipinus, tum Ega Neustrius, probitate morum consimilis, euasere tot inter scopulos; relicto semine frugis melioris, quo resipisceret Dagobertus. Aribertus interea, socors ille & ignauus, reiectus à Francis, sede imperij Tolosæ posita, contra omnium spem præclarè & fortiter se gerebat. Mira temperantia dotibusque regiis præditus, virtute bellica triumphique gloria suis illuxit. Vasconibus ferocissimæ genti conterminus, qui Pyrenæorum iugis effusi in Aquitaniam, aliquoties victi, vicerant sæpiùs, eosdem triennali bello sic attriuit, vt missi sub iugum, in Francicum corpus adscripti sint, propagato latè regni pomœrio. Qua in gloria generosus Princeps acerba morte corripitur, Chilperico filio infante admodùm relicto, qui nec diu superfuit, seu fato suo, siue vt creditum, Dagoberti scelere, qui confestim Duce Barento in Aquitaniam misso, fratris imperium & thesauros cepit; primæ liberalitatis, vel postremi flagitij præmium.

Aribertus egregius,

XI. Postea domi pax, bellum in exteros fuit; & in Sclauos primùm. Sclauonia prouincia est ad Hungariam pertinens, inter Drauum & Sauum amnes, vbi olim Pannonia Valeria siue Interamnia: in eam pessundato Romano imperio, Gothi primùm, dein Sclaui gens à Mæoti palude profecta, ferox & barbara, inuaserunt; Sclauus autem Glorioſum significat, cùm Sclaua idiomate populi Gloriam denotet. Iidem Vindi & Vinduli appellati, vnde forte vox hodierna defluxerit, Vindischland, quasi Vindorum ac Sclauorum regio. At ij dudum à proximis Hunnis attriti, seruiebant duram & miseram seruitutem, primùm quidem auxiliares, dein vectigales & stipendiarij, postremò serui viliáque mancipia, vt ætate Dominos sequuti in bella, eosdem hyeme non modò in sua tecta admitterent, rapturos quæ laboribus multis parta essent, sed summo dedecore summáque iniuria, suos in thalamos, vxorum stupris & adulteriis inquinandos. Porrò, vt fit, ex flagitio natum supplicium. Siquidem ex nefario concubitu genita soboles, prouecta in firmiorem ætatem, contumeliæ impatiens, iugum excussit, & diuturnum bellum excitauit. Id dum ardore magno geretur, fortè contigit vt Samo quidam Senonensis, è Francia mercaturæ causâ cum sociis pluribus in eas terras accederet. Rogatus à Sclauis, vt mercium curâ paulisper relictâ, & incommodo maximè tempore, ad bellum secum vnà proficisceretur, petitis annuit; móxque pugna conserta, ea prudentia & fortitudine præliatus est, vt Sclaui victores, ex admiratione virtutis, sibi eum Regem delegerint; rati imperium deberi fortissimo, quod tenere iuxta ac parare posset. Ita repente mutatis regno mercibus Samo, domi gratus, foríque terribilis, potestatem administrauit pluribus annis, felicitatem fortitudine promouens, multísque victoriis in Hunnos illustris. At aliquantò pòst cùm in Sclauorum mores transisset, & oblitus religionis, vxores ad duodecim sibi adiunxerat; & immemor patriæ, mercatores Francos spoliari mercibus, atque interfici qui vim repellerent, passus, appellantes ius gentium abs se abiecerat. Qua iniuria Dagobertus offensus,

Bellum in Sclauos.

Sclaui qui?

Samo Rex Sclauorum,

Anno 624.

offensus, ad eum misit legatum Sicharium, qui raptas merces repoſceret, atque pœnas ob mortem illatam. Samo, quia pigeret ablata reſtituere, puderétque coram inficiari iuſtitiam, ſtatuit legatum conſpectu excludere, varióque prætextu inauditum dimittere. Sicharius poſt fruſtrationes haud paucas id vbi ſenſit, conſilium init percallidum efficáxque, niſi linguæ intemperantia corrupiſſet vafritiem. In morem Sclaui indutus, admiſſúſque palatio nullo vetante, ſe Regi ſiſtit; ſtatímque ſe Francum & legatum à Dagoberto profeſſus, iniuriam expoſtulat, réſque vi raptas cædéſque illatas; Francicam originem, debitúmque patriæ arguit, ac vltra quàm in mandatis foret progreſſus, Regem ipſum obiurgans, tum eum tum ſubditos Dagoberto obnoxios, nec ſtipendiarios modò, ſed ſeruos affirmat. Bilem Samoni is contemptus mouit; tamen egregiè in poteſtate ſe habuit; dixit, ſe libenter obſequuturum Franco in omnibus, non quidem ſtipendij iure aut ſeruitutis, ſed æqui fœderis & amicitiæ. Enimuerò legatus contumelioſo reſponſo ſpem pacis afflixit; nullam affirmans Chriſtianis cum canibus intercedere amicitiam poſſe, nexúmue fœderis. Ita eſt, retulit Samo, vos Chriſti famuli, nos canes ſimus, ſed memineris canem eſſe vlciſci morſibus, ea quæ famuli prauè & nequiter in herum egerint: iuſſitque confeſtim è conſpectu totóque regno legatum ciici. Nuper Dagobertus ab Heraclio Conſtantinopolitano imperatore perhonorificam legationem exceperat; quocirca indignans, quem ab vltimis terris vir tantus de fœdere compellauerat, eundem ſe à viliſſimo mercatore, ſuóque olim ſubdito, parui haberi, ingentem exercitum parat, ſimúlque Longobardos & Alemannos legatis miſſis in Sclauorum perniciem excitat. Ergo triplici exercitu Samo appetitur, reſque tum à Longobardis, tum ab Alemannis, Clodoberto ſeu Roberto duce, ſtrenuè geritur, vtrobique Sclauis prælio cæſis, abductiſque captiuis pluribus. Verùm hæc iactura calamitate Francorum repenſa eſt: Ii maximam partem Auſtraſij Vogaſtrum caſtrum, quò ſe receperant fortiſſimi hoſtium, oppugnabant, ſed magnà incuriâ & negligentiâ, rati videlicet reti iam incluſos, à captiuitate abeſſe propius. Id compertum Sclauis, victoriam ipſis, perniciem Francis & ignominiam attulit; nam è caſtro erumpentes tribus continuò diebus, tantam ediderunt ſtragem tam impunè, vt Francorum audaciſſimis cæſis, reliqui tentoriis cæteróque impedimento relictis, turpem fugam morti præoptarint. Victores minimùm hac laude contenti, in Thuringiam Francicámque Germaniam penetrantes, circumtulerunt victoriam, aliquot ſuæ gentis vrbibus, in quas anteà Franco imperium erat, in poteſtatem ſuam tranſcriptis. Nec Dagoberto emollito deliciis abſtergendæ infamiæ animus fuit.

DAGOBERTVS.

Legati Franci error.

Imò & ſocordiam cumulauit immanitas. Bulgari gens à Volgæ ripis in Mœſiam inferiorem traducta, Hunnis contermina & fœderata, lite motâ, ex vtra gente Rex eligeretur, prorupit in bellum; quo victi Bulgari, & ex ſociis in ſeruitutem rapti; mox eorum plures relicta patria exulatum vltrò abierunt. Ex iis ad nouem millia vxoribus liberiſque impliciti à Dagoberto ſedes petunt nouámque patriam. Iuſſi per hyemem hærere in Baioaria

XII.

Bulgari per nefas caſi.

DAGOBERTVS.

Baioaria siue Bauaria, dum amplius Rex deliberaret, in plures vrbes domósque sparsi sunt; tum nouo barbaróque facinore vna nocte cæsi omnes simul. Quippe Dagobertus immani consilio Baioarios iubet, singulos suis hospitibus necem inferre, ratione nulla ætatis aut sexus, & qua truculentia imperatum, obtemperatum eadem. Condicta nocte, miseri homines in asylo somni obtruncantur, imbelles fœminæ, insontésque pueri, tótque funera hilaritati fuerunt non luctui; septingentis duntaxat cladi ereptis, quos Alticeus ad Sclauos perduxit. Mox Dagobertus Hispanicis rebus inuoluitur. Sisebudo præclarissimo Regi Hispaniæ Sentila successerat, crudelitate pluribúsque vitiis statim infamis. Quocirca priuatam rem ex publico odio promoturus, Sisenandus quidam Hispanus nobilis Dagobertum conuenit, patriæ sortem calamitosam deplorat, votáque ostendit omnium, cumulanda haud ægrè, si ipsi ad expulsionem tyrannidis miles præbeatur. Petitionem fulcit pollicitis; vas spondens aureum, pondo quingentorum, lapillis & margaritis ornatum, quod Torisinundus Rex ab Ætio dono accepisset, immensi supra gazam cæteram pretij. Ita datæ auxilio Burgundicæ copiæ, Abundantio & Venerabundo Ducibus; terrore vel amore tanto Francici nominis, vt confestim Hispanus deiecto Sentila Sisenando regnum detulerit; deducente Franco exercitu nouum Regem Tolosa Cæsaraugustam, securo & incruento itinere. Postea ex pactis reposcenti vas Dagoberto, missum id quidem ab Rege, sed ab Hispanis in via raptum, frementibus hoc gloriæ monumento gentem orbari: in occulto fuit, dum Sisenandus ducenta argenti millia pro eo persoluit, quæ Dagobertus in Basilicam Dionysianam attribuit.

Hispano data auxilia.

XIII. *Nouum bellum in Sclauos.*

Inde in Sclauos instauratum bellum, qui ex priori successu feroces Thuringiam deprædabantur impunè, voluítque ipse Rex copias ducere, quas ex Austrasia atque Burgundia multas contraxerat, gnarus eò quantùm animi Francis accederet. Metis itaque per Arduennam siluam Moguntiam venit; iámque ad Rheni transitum apparabantur omnia sedulò; cum Saxones, quamvis fœderati, tanti exercitus metu, Dagobertum adeunt; spondent obiecturos se obicem Sclauis, repulsuros impetus, tuituróque limites regni; nihil opus vt magnis sumptibus maiorique periculo tam ingens exercitus amnem transmittat; rem totam à se facili operâ conficiendam: vnum se poscere, vt in huiusce belli stipendium remittatur tributum quod ipsi pendebant, quingentæ vaccæ videlicet; se pro imbellibus animantibus, fortissimos milites longè maiori emolumento & numero reddituros. Qua re in consilium adducta, Ducibus placuit, certum hostem socio dubio & incerto contundere, magno Franciæ commodo, si committerentur quorum fides vel suspecta foret, vel nulla: Ita admissa conditio Saxonum, remissúmque vectigal; dato gentis more super arma iureiurando. Malè tamen perfidis creditur, cum metu Saxonum fides euanuit, regressóque exercitu, nec solutum vectigal est, nec repressus Sclauus. Vnde excidendo malo efficacius ferrum admotum est. Flagitantibus impensè Austrasiis Sigebertus Dagoberti filius in Regem datus, designatis qui adolescentem pro tutoribus regerent, Cuniberto Rhemorum Antistite, & Adalgiso Magi-

Sigebertus Austrasiæ Rex.

stio

stro palatij ; repulsis inde Sclauis fortissimè, quasi Francos armet maiestas Principis. Sed & Dagoberto natus heres nouus ex Nantilde amantissima coniuge ; cui Clodouæi seu Ludouici inditum nomen : statimque regnum assertum Neustria & Burgundia ; Patre memore, quid ipse olim in Aribertum fratrem tentasset. Mox in Vascones exercitus missus. Ii profligati ab Ariberto, postea Sadragesilo Aquitaniam administrante quieti egerant; donec is idem ab æmulis interfectus, claustrum amouit, quo arcebatur hostilis furor. Et nouus ab liberorum ignauia stimulus, qui Patris necem nusquam adeò vlti sunt, vt sicariis ne in ius quidem vocatis, paterni oblíti sanguinis, hæreditatem ceu præmium mortis adierint, conflato inde immenso odio, quo in publico Francorum conuentu, ingrati animi in memoriam Patris postulati, facultatibus suis electi sunt ; quippe indignum, quos paterna mors non affecerit, opulentet hæreditas. Igitur Vascones pro innata ferocia datâ opportunitate deficiunt ; Dagoberto confestim ad mali ortum, ne morâ increscceret, exsurgente. Copias ex Burgundia contractas, magno Ducum numero (duodecim erant) in rebelles mittit ; conserúmque mox prælium, quo profligati cæsique Vascones, agris & oppidis vincentium furori permissis, in abruptos montes siluarumque latibula cladi superstites sese abdiderunt. Eo in bello duorum maximè Ducum sors prospera & aduersa eminuit. Altera Audoëni, qui duodecim inter potestate pares virtute princeps, iam multarum sub Theodorico palmarum, suo vnius ductu & fortitudine rem confecit. Altera Aremberti temerè imperio suam in perniciem abutentis, siquidem hostes incautius persequens, inter arctas Pyrenæorum angustias interceptus ab hostibus, cum agmine suo deletus est, asserto temeritatis & fortitudinis magno discrimine. Nihilominus Vascones clade attriti, appellatâ Regis clementia, petitáque venia per Audoënum recepti in gratiam atque fidem, leui multa affecti, paci redditi sunt. Hæc armis expedita prouincia, altera lingua ciuilique industria. Memor Dagobertus iniuriæ, quam crebris irruptionibus Iudicahil Aremoricorum Britonum Princeps sibi intulerat, eò exercitum è Vasconia destinat. Verùm antea vt belli aleam lucracretur, amica legatione contumeliam questus est. Eligium sanctitate morum ciuilique prudentia clarum ad Iudicahilem mittit, qui iniuriæ emendationem reposceret, & imminentem exercitum, nisi satisfaceret, minaretur, fuítque admonitio viri perefficax; quà Martis pericula, quà pacis commoda exaggerando ; Britonem non modò ad correctionem optatam impulit, sed ipsum ad Dagobertum adduxit; qui erratorum veniam peteret, stipendiarium se iuraret, stabilémque in posterum pacem. In Clipiaca villa hæc gesta sunt ; summâ Eligij laude, qui vnus togatus impleuisset exercitum. Nec Dadonis Referendarij prætermittenda virtus eximia, cuius fama Iudicahil, priuatum epulum antepositi regio, & diuertit ad hominem pietatis & religionis titulo celebrem. Is Dado, qui & Audoënus, Antistes postea Rothomagensis, longâ virtutum & miraculorum serie nobilis ; vt & Eligius Nouiodunensis Episcopus ; non modico Dagoberti encomio, cuius Aulicos iam ambirent infulæ.

DAGOBERTVS.

Expeditio in Vascones.

Eligius apud Britones.

Et verò serio pœnitebat criminum Regem : prosperitate quæ indurat XIV.

DAGOBERTVS.

alios emollitus, ad beneficiorum fontem se conuertit, multáque dona elargitus Templis, emendabat scelera liberalitate. Imò vt eadem pœnitentiæ ratio constaret quæ scelerum, celebrem conuentum Bigargij indixit; vbi adstantibus Proceribus Franciæ, & familiarium charissimis, sedentibus, hinc inde liberis iisdémque Regibus, ipse aureo sublimis solio, in hæc verba mentem aperuit. *Nisi me pigeret anteacta vita, charissimi, non vos euocassem, futuros vniuersos nequitiæ testes, qui fuistis singuli. At quandoquidem aspirante diuina gratia, pudet pœnitetque tot scelerum, quibus contaminaui purpuram regiam, mea interesse credidi, vt qui palam spectantibus vobis deliquerim, idem palam & mutem factum, & comprobantibus vobis luitionem criminum sanciam. In quam decreui facultates meas religiosis locis erogare; vt quoniam quod factum est iam infectum esse non potest: saltem malefacta benè factis obruere. & admittente Dei clementiâ, gazis & opibus mercari liceat, quod auaritiâ rapinisque perdideram. Nec eam in rem præstolatus sum exitum vitæ, quarus quam incertus sit infirmique iudicij, dum vel improuisus ac repentinus vitam extinguit; vel terrore iudicij lumen obtundit & cæcat. Ideo Testamentum vinus videnisque condidi; firma & integra valetudine occupani horam extremam; iámque ex tot commodis præter vitam si liceret vnam nihil exciperem, vt quæ vitio adiumento fuerunt, & virtuti forent. Ecce instrumentum quo præterita sanciuntur dona, & futura signantur; ea cupio vestris suffragiis calculisque firmari? tum vt validiùs sortiantur effectum, tum vt qui mea flagitia patientia vestra aluistis, iidem & pœnitentiam assensione vestra roboretis.* Dagoberti mutati in melius, pia Oratio; Post hæc pius Rex precatus locorum Antistites, in quæ large dona effundebat, vt tribus continuis post obitum annis, sui memoriam, tribus itidem per hebdomadas singulas diebus, sacrosancto Missæ sacrificio facerent, victimámque purissimam in animæ suæ solatium immolarent, Testamentum exhibuit, veræ pietatis ac religionis sinceræ ideam. Cuius exordio præfatus, in hac vita caduca nullum lucrum iniri certius, quàm quod in pauperes & in basilicas sacras erogatur, nec expectandam vltimam lineam qua vita clauditur; imò ea dum viget ac in cursu est, instituendam æterni boni mercaturam caduci iacturâ; postea ad maiorem voluntatis suæ stabilitatem, id ipsum instrumentum quatuor exemplaribus conscribi iubet; quorum vnum Lugduni, Parisiis alterum, tertium Metis, postremum in thesauro Regio, asseruarentur. Deinde firmatis nouo consensu quæ olim dedisset; appellat præter cæteras plurimas, Basilicas sancti Vincentij & sancti Petri quæ Parisiis sunt, tum Diui Dionysij sibi charissimam, postea sanctæ Columbæ & sancti Lupi Senonibus, in quas confert villas opulentas; postremo ad Filios oratione conuersa, commendat fraterni amoris vinculum, quod natura ipsa adstrinxerat; in Patrem cultum & reuerentiam, præsertim in iis quæ optabat tantoperè exequendis: futurum admonens, vt quod Patri præstitissent obsequium, præstarent liberi, auitæ venerationis pœna vel præmium. His magno consensu omnium absolutis, dimisso cœtu, Regi felicitatem apprecantibus singulis, propagata est in totam Franciam facti memoria. Anno pòst altero, alui profluuio obiit, Clodouæo filio ac Nantilde vxore, Egæ palatij Magistro commissis; sepultus in basilica Dionysiana, quam immenso sump-

Testamentum eiusdem,

Et Mors.

tu

tu excitauerat, atque instruxerat; imò indiderat animam dignam hoc corpore, sanctissimos Monachos, quorum sacro cantu personarent ædes ornatissimæ. Sed de hac æde sanctique cultu, religiosissimo in posteris, volumina sunt, quæ lector consulat. Multo luctu celebratæ sunt Regis exequiæ, prima expungentibus vltimis, acerbiore dolore, qui in fruitionis apice nasceretur. Nec Dagoberto liberalitas pia frustra fuit; siquidem sancti quos in viuis multùm coluerat, Dionysius, Mauricius, ac Martinus, oblati sunt Ioanni Monacho vigilanti, Regis animam eripientes è potestate dæmonum sæuisque tormentis, eámque secum in cæli regiam deducentes. Rem fusè Audoënus scripsit, dignus cui fides & vitæ merito & lima iudicij habeatur.

DAGOBERTVS. Anno 644.

XV. Hactenus Reges moderati sunt Franciam; nam deinceps ad nouam stirpem cæteri vmbræ Regum & simulachra, turpi otio mollique ignauia desides, quasi sub ferula, Magistros palatij rectores passi sunt; verè indigni qui fortissimam gentem regerent, cum se ipsi non regerent. Ex Dagoberti destinatione filiis regna cesserunt, Sigeberto Austrasiæ, Clodouæo secundo hoc nomine Neustriæ atque Burgundiæ: statimque Pipinus Dagoberto charissimus cum Cuniberto Pontifice ad Sigebertum se contulit; Egâ prudenti ac forti viro ex mandato patris vnâ cum Nantilde Clodouæi res admoderante. Ac primum dignum admiratione, quod nec inter fratres, nec fratrum ministros quantumvis æmulos orta discordia; eò maximè quod maiori natu Sigeberto minor regni pars, Pipinusque iam ante totius administer regni obtigerat, Gazæ tantùm quæ Dagoberti fuisset petita pars; eáque bona fide diuisa trifariam, duobus regibus & Nantilde admissis in partes. Felicem hunc rerum cursum mors Egæ, ac deinde Pipini, abrupit. Egæ febri rapto in regno Neustriæ Echinoaldus sufficitur, vir humanitate & beneficiis, omnibus charus; prætermisso Ermẽfredo Egę genero, qui cæso per vim Arnulpho Comite, vitæ tuendæ, non promouendo honori intenderat. Nec hactenus turbata pax, donec noua dignitas tumultui nouum fomitem præbuit. Nantildis suspectâ fortasse Equinoaldi potentiâ, eam vt imminueret, nouumque æmulum beneficio sibi adiungeret; Rege Aureliam deducto consilio procerum dignitatem Magistri palatij in regno Burgundiæ penè intermortuam suscitat; eámque confert Flaucato, oriundo è Francia, sibi admodum charo, simúlque ad arctius vinculum ei neptem suam Regnobertam in matrimonium collocat; ac sedulò curat, vt duo Magistri Palatij, contracta beneuolentia mutua tuendæ communi concordiæ inuigilent; nihilominus sua cuique parte attributa. Ergo Burgundiæ Flaucatus incumbens, pace in media, dignitatis fulgore inuidum vt fit hostemque excitat. Is Villebaldus Vltraiuranus Patricius, nobilitate prosapiæ, splendore opum, ac clientum numero, suæ gentis princeps; qui præfecturam Palatij quam adeptus non esset, deferri ad alium passus ægerrimè, maximè ad Flaucatum, peregrinum hominem, sibíque natalibus ac diuitiis admodùm imparem; habere virum contemptui cœpit; ac palam, quæ is edixerat, dictis & factis nauci non pendere. Flaucatum tametsi acerbitas contemptus vrebat, tamen in tempus opportunius

CLODOVÆVS II. REX.

Flaucatus & Nantildis mortuum causa.

CLODOVÆVS II.

re dissimulata, non vltio statim im præceps rapuit. Quam vt potentius tutiúsque exereret, Clodouæum Cabilonem ducit, euocatis ad conuentum publicum regni Proceribus. Inimici dolus Villebaldum non latuit, cùm tam absenti peruicacia, quàm præsenti insidiæ, magno vtrinque periculo forent. Idcircò mediam viam initurus, adest stipatus nobilium agmine, & propemodùm ad bellum instructo; palámque professus vereri se inimicitias Flaucati, ne in Regis quidem palatium venit, in inuidiam æmuli potentiam vocans. Nec Flaucatus differebat cædem vlterius, paratus in æmulum vt in hostem publicum ruere; nisi ab fratre Amalberto, mitioris indolis, & in priuatam vindictam ciuile prælium detestante, inhibitus; sartâ vtcunque discordiâ, pacem verbis, vltionem animo, promisisset. Impleuítque confestim. Quippe curato Nantildis funere, quæ Parisiis à Burgundica via obierat, séque in tumulo dilectissimi coniugis condi optauerat; Regem iterum in Burgundiam agit, & Augustodunum profectus mandato Regis Villebaldum euocat; simulque vt metum & suspicionem doli amoueret, Ermenricum mittit cum selecta nobilium manu, qui promissa incolumitate aduenientem ad palatium rectà deducerent. Villebaldus promissorum anceps, Ermenrico honorificè excepto, suorum in globo nihilo secius ad repellendam vim comparans sese, Agilulfum ac Visconem præ se mittit, qui aduersarij mentem explorarent & renuntiarent. At Flaucatus maturo consilio, iis in custodiam datis, instructas militum copias, in quibus Echinoaldus ipse cum aulicorum flore & robore, in æmulum ducit. Nec in occursu dubitatum, quin infestis armis irruerent. Forti animo Villebaldus irrumpit in regios, sed fortuna spem destituente, primo statim congressu cæditur, mox alij fugam corripiunt; passimque strages atque direptio. Flaucatus postmodùm febri vexatus, breuissimo voluptatis ex vindicta sensu, diem obiit mortis victima tam prompta quàm hostis.

XVI.

In Austrasia turba.

Pipini fatum Austrasiam iuxtà conturbauit; non extemplò quidem, sed quò lentius, cò acerbiùs. De præfectura Palatii prima contentio, Ottonem inter & Grimoaldum Pipini filium. Ille aulicis artibus potens, quippe Sigeberto Regi familiaris ac propè conuictor, gratia florens Vronis patris, Regis in pueritia bajuli, magna iis temporibus auctoritate, iam Aulæ prærogatiua obtinebat Palatium, magna superbia æmulique contemptu. Hic contra paternis meritis & populi voluntate fretus, præter Cuniberti Pontificis beneuolentiam, robúrque animi summa appetentis, inanem aduersarij pompam spe virtutum multâ dissiciebat. Vicítque tandem Pipini gloria; Otto ignominiosè ex Aula eiectus, admissus in præfecturam Patris Grimoaldus; ac anno pòst altero Otto miser & vagus, persequente Grimoaldo, in Alemania cæsus: tantum est æmulationis incendium, quæ ab honoris scintilla in perniciem vitæ inflammatur. Mox in Thuringos bellum commotum est. Rodulphus Thuringiæ Princeps, iam olim Austrasiæ Regum stipendiarius, sprero Sigeberto, & contracto cum Sclauis fœdere, detrectabat obsequium. Asserturus illud Sigebertus, collecto numeroso

Bellum in Thuringos.

roſo validoque exercitu Rhenum tranſit, ac felici auſpicio primas Thuringi copias à Faro Duce actas in prælium, fundit ac cædit. Qua victoria elati Auſtraſij collatis dextris in Rodulphi perniciem iurant. Is ſuorum clade miniſque hoſtium terrefactus, ſpe pugnæ abſciſſa, in munitum caſtrum vertici montis impoſitum (quæ illorum temporum munimenta erant) cum delecto milite, vxore liberiſque ſe recipit, à belli caſibus quid fortuna ferret opperiens. Adeſt Sigebertus obſeſſurus caſtrum toto exercitu; ipſoque die corrupta fuit victoria, quia tentata eſt immatura. Vix accedebat miles, cùm Duces plerique eum in hoſtem agendum exclamant; opprimendum illum dum metuit; hinc audaciam & fortitudinem, conſternationem illinc & terrorem, victoriam confectura haud dubiè. Alij contra, in quibus Grimoaldus & Adelgiſilus, feſſum de via militem in hoc diſcrimen ducendum pernegant; nihil periculoſius cæco & temerario prælio; naturam loci inquirendam prius, retegendas inſidias, non cæco impetu proruendum in muros; nec lentam adeò fore victoriam, quæ in vnam noctem differretur. Rege inter hæc dubio, parumque gnaro vtris adhæreret, dum aſſertores quique ſententiæ, hi in caſtra pergunt, illi in prælium. Bodo Aruernorum Dux & Enobalus cum flore militum in Arcem properant; Grimoaldus & Adelgiſilus Sigebertum in ſententiam ſuam pertractum cuſtodiunt, atque caſtra in vim hoſtilem communiunt. Rodulphus comperta re per proditores Auſtraſios, porta prorumpit, magnóque impetu in hoſtem irruens, atroci pugna conſerta, vincit tandem, pulſoſque decliui montis Auſtraſios ferro delet. Bodo & Enobalus dimicantes fortiter in primis cæſi, nobilium audaciſſimus quiſque obtruncatus; Rege haud procul equo inſidente, ſuorumque exitium proſequente lacrymis & inani queſtu. Poſtridie vtrinque actum de fœdere; idque à Franco admiſſum pudendis conditionibus; vt ſe in Auſtraſiam ſaluus reciperet, Rodulphus eodem iure eſſet quo anteà; hoc eſt vmbraticè & nomine tenus vectigalis, reuera dominus, & obſequio ſolutus ageret: hoc diſcordiæ fructu, vt pars illinc cum temeritate perierit, hinc ſalua redierit cum pudore & ignominia. Hæc foris Grimoaldus, at peſſima quæ domi auſus eſt. Cùm Sigeberto nulla proles ad regni ſpem foret, pio iuueni condendiſque templis duntaxat intento perſuadet, vt quæſito per adoptionem herede, offenſionem naturæ corrigat, ſuumque filium Ildebertum tradit in eam rem; Rege quà metu, quà ſuarum rerum incuria, Grimoaldi nutibus mirè obnoxio. Facta adoptione qua Ildebertus tranſibat in familiam regiam, naſcitur filius Sigeberto, quem Dagobertum de Patris nomine appellauit; moriturque poſtmodùm Pater, breui abſque herede, quia relinqueret plures, futurus. Nam Grimoaldus ſoluto poſt Regis fatum pudore, regnum Auſtraſiæ Ildeberto aſſeruit, Dagobertum vixdum puerum totondit in monachum; vt ſi minus paterno regno, pietati ſaltem ſuccederet; eúmque mox, amoliturus opprobrium procul, Didoni Pictauienſi Epiſcopo peregrinanti in Scotiam tradit; nequid ſui Regis quod oculis tentaret animos ſupereſſet. Atrocitas ſceleris Clodouæum exciuit; ex vindicta bellum, ex bello prælium, iuſtuſque vindex Francus è prælio; in quo cæſus prædo regni Ildebertus, Grimoaldus captus, & in carcere tormentis necatus, regnumque Auſtraſiæ Childerico traditum

Clodovæus II.

Grimoaldus ſibi Auſtraſiã vindicat.

CLODOVÆVS II.

Clodouæi secundo genito. Memoranda in paucis Sigeberti religio, in Monasteriis pluribus quæ pie condidit adhuc exstans; meruitque in Sanctorum fastis adscribi; summa laus quidem, sed eò minor, quod inter Regem pium & priuatum aliquid interest. Cæterùm hic non pollum omittere, Dagoberti istius exulis nouam & felicem sortem, quam exciuit ex obliuionis, secundæ mortis, tenebris, & in lucem edidit nuper, Godefridus Henschenius, è nostra Societate; vir admodùm eruditus, atque Historiæ veteris accuratissimus iuxta & felicissimus inuestigator. Is igitur in Diatriba in eam rem scripta, ex probatissimis antiquitatis monumentis eruit & conficit, quod hactenus scriptores multos latuerat; Dagobertum illum secundum, Sigeberti filium & Imnechildis, neutiquam diem in Hibernia obiisse extremum, vt vulgò creditur; sed illinc reuocatum, regni paterni dimidiata parte potitum. Docet nimirum per matris industriam impetratum à Childerico Rege Austrasiæ, vt patruelis eius Dagobertus, reduceretur in patriam, ac Francis tam ad Rhenum positis, quàm vltrà incolentibus Rex daretur. Siue id factum sit, vt coniicit Mezeræus, post obitum Childerici, in interregno aliquot mensium. Tenuitque Dagobertus regnum per annos haud paucos, multis cœnobiis partim conditis, partim locupletatis, præsertim in Alsatia, in qua sedem regni posuerat. Magnam quippe pietatem hauserat, tum ab aduersis rebus, tum ab institutione Vilfridi, Episcopi Eboracensis, apud quem diuerterat, & à regno detrusus in exilium, & ab exilio reuocatus in solium. Præterea Bonifacium Colonienſem Episcopum ad Frisiorum conuersionem, & monitis inflammauerat, & omni ope adiuuerat: & in Irmina filia, sancta admodùm virgine, immensa liberalitate promouente paternam beneficentiam, reuixisse visus, etiam post obitum, cumulabat Ecclesiam donis. Hæc Irmina Vilibrordo sancto charissima; & Adelæ sorori, piè contendentis, vtra Patrem exscriberet luculentius, amore liberali, in pauperes, Templa, atque Cœnobia. Obiit Dagobertus circa annum Christi 678. Quo mortis genere non constat; violentum fuisse Henschenius putat, quod apud hostes sepultus sit, scilicet Rothomagi: quódque ad ipsius necem vindicandam, Pipinus maior in Ebroinum sub Theodorico Palatij Magistrum, bellum concitarit. Et ea pluribus de Dagoberto scriptor laudatus. Vnus filius Patri non diu superfuit: filiæ Irmina & Adela religionis studiis se addixerunt impensius. Nunc me in primum stadium reuoco.

Sigeberti pietas.

Dagobertus redux & Rex.

XVII.

Clodouæus sacra vasa auferri iubet.

Clodouæus interea sorte varia regno vtebatur. Vnum ipsius alterúmve facinus memoriæ traditum. Primum in speciem pium, reuera sacrilegum à scriptoribus sacris habitum est. Fame grauissimâ vniuersa Francia vexabatur, egenique plures absumebantur inedia; iis Rex opitulaturus, apsidem argenteam qua sancti Dionysij ac Sociorum lipsana condebantur, à Dagoberto patre multo sumptu elaboratam, auferri iussit, & in alimenta pauperum vendi: ratus vitam mortalium immortalium reliquiis potiorem: ipsosque sanctos, si consulerentur, suas illas opes in beneficium pauperum largituros, qui vitam ipsam in viuis dum agerent profudissent. Malè tamen

men quod rem Deo ſacram profanus inuaſit, & erogare ſua non aliena debuit, multò minus religioſa & pio cultu veneranda. Id porrò facinus emendare altero ſtuduit; aduocato Præſulum cœtu, ac de conſenſu Landerici Pariſienſis Epiſcopi, cœnobio ſancti Dionyſij è poteſtate omnium Præſulum vindicato, ſuique iuris ac dominationis effecto, hac libertate in apſidem data, & rapinam ſarciēte imperio. Poſteà vt cultum in eundem ſanctum oſtentaret, in eum rurſus deliquit grauiter. Capſam qua ſacræ reliquiæ condebantur aperiri iuſſit, corpúſque ſanctiſſimum veneratus, ſpectante populo, partem inde brachij abſciſſam, ad priuatam pietatem abſtulit. Sed confeſtim Deus temeritatem Regis auerſatus, portentis oſtendit grauitatem noxæ. Siquidem ipſe Rex, quaſi ſui impos, humi afflictus eſt, obſcura caligo templum inuaſit, tantúſque timor ſpectantium animos, vt inde certatim cuncti aufugerent. Clodouæus mente vtcumque recepta, culpæque conſcius, illicò brachium trunco reſtituit, auro & gemmis adiunctis ad veniam; multáque in eam baſilicam dona largitus eſt. At triennio tantùm ſuperfuit, nec inde firmi iudicij; imò ſenſim delitare mens, & ad inſaniam vergere, in qua mox obiit; gulæ, auaritiæ, & libidinis inſimulatus: niſi hæc vitia excuſet amentia, in quæ iam animi læſus proruperit. Sanè felicitati fuit, quod Batildem virginem regiam è Saxonum gente coniugem nactus ſit; forma eximiam, ac virtutum laude illuſtrem; è qua tres liberos ſuſcepit, deinceps Reges, Clotarium, Childericum, & Theodoricum; & ipſa Corbienſe cœnobium extruxit; & Cellenſe Monaſterium ædificauit latius, dotauítque impenſius; quanquam pretio omni maius ſit, quod ſe ipſi tradiderit.

CLODOVÆVS II.

Et S. Dionyſij brachium.

Anno 660.

Batildis fœmina.

Chelles.

Ab Clodouæi obitu, ad Clotarium nomine tertium, maximum natu deuoluitur Francia, propemodùm infantem; Bathilde matre cum Magiſtro Palatij Erchenualdo regnum adminiſtrante; Childericus traditur ſceptro Auſtraſiæ, Theodorico in nullam partem admiſſo, ſeu ob infantiam; ſeu Erchenualdi conſilio, ne diuiſo regno potentiæ ſuæ derraheretur. Sed breui tempore obit Erchenualdus magno regni damno, auctoritate quidem iam regia, ſed intra modum vſus, nec ad tyrannidem. Tantæ dignitatis, cui Rex ipſe ſeruiret, cùm plurimi candidati eſſent, malo Franciæ fato, Ebroinus eligitur; ſiue vt fit, peſſimo quoque ambiente quàm ſtrenuè, ſeu viro ſimulatione virtutum obtegente vitia, ſeu Deo pœnas delictis hominum comparante. Is conflatus ex omni ſcelere, non illicò ſe qualis foret aperuit; vel nondum confirmata audacia, vel Reginæ auctoritate deterritus; ac Leodegarij viri piiſſimi, ad inſulas Auguſtodunenſes promoti, prudentiâ & vigilantiâ, velut firmis clauſtris circumcluſus. At mox Clotarius quarto regni anno è viuis exiens, ſecum pacem abſtulit & tranquillitatem. Siquidem Ebroinus diù conſortis impatiens, cùm Franci magna pars Childericum ad ſceptrum, vt Clotario proximum, accerſerent ab Auſtraſia, ille Theodoricum minorem natu ad regnum euehit, certus imperij in Regem ipſum quem promouiſſet; & Vbfoalbum amouet Auſtraſiani Palatij Ducem, qui ſi Childericus regnaret in Francia, haud dubiè moderaturus eſſet regnum vtrumque. Verùm Francis proceribus pro legitimo

XVIII.
CLOTARIVS III. REX.

Ebroinus Maj. Palatij.

S. Leger.

Anno 664.

Childericus Rex.

CHILDERICVS.

legitimo Rege certantibus, Leodegarij maximè opera, tam Theodoricus quàm Ebroinus capitur; & ad restinguendum fomitem belli, ille vi attonsus Monachumque indutus, throno eliminatur; hic ficta pœnitentia vitæ casus lugens, traditur Luxouiensi Monasterio; dato in cucullum pessimo capite, vt rectius tutiusque machinaretur futura scelera. Hinc legatio ad Childericum missa, excitusque magno plausu, vniuersæ Franciæ, Vlfoaldo Magistro palatij, habenas suscipit. Attamen plausus in querelas, indignationem & odium illicò versus est. Adolescens rerum imprudens, & assentatorum fraude corruptus, licentiâ regnum metiri cepit non temperantiâ, oscitanter omnia agere, plura negligere, spernere nobiles, nullámque boni aut virtutis curam præ se ferre. Leodegarius vnus auctoritate sanctitatis Regem inter & Francos medius, tum illum à vitiis, tum eos ab iniuriarum sensu abstinebat vtcumque: verùm posteaquam ille vel aulæ tædio, vel inuidorum fraude, commeatu petito à Rege discessit, sibique & Deo daturus operam, recepit se Augustodunum; tunc enimuerò ruere in omne flagitium Childericus, ac præsertim in crudelitatem Persicamque superbiam; donec vno facinore cumulauit priora, & posteriora abrupit.

Occisus à Bodilone.

Erat Bodilo nobilitate generis clarus, proceribus Francis pridem notus; hunc leui de causa, nec enim scribitur, Childericus iubet alligari ad stipitem, ac denudatum vilis instar mancipij cædi verberibus, pòst donatum vitâ stipite detrahi. Commouit Francos ignominia pœnæ; fremere nobiles, nihil apud se claritate sanguinis pretiosius; effundendum hunc pro Rege & patria, inter hastas & tela hostium, non sub tortoris flagris & scuticis, sibi Regem pro plebeio esse, cui ipsi pro plebeio forent; si Childericus sæuiret in nobiles, non pro Rege, ne pro Franco quidem habendum, cui sanguinis splendor intemeratus hactenus fuerat. Ita præcipui in Regem conspirant, incertúmque, odij victimam destinauerint ferro an cucullo. Sanè Bodilo ad quem maximè attinebat iniuria, furore actus, in extrema ruit; positisque insidiis Childericum paruo comitatu voluptatis causa in Lanconia silua versantem, scelere horrendo perimit; & calenti adhuc ferro Bilihildem Reginam aggressus, prægnantem licet atque innoxiam, vtero ferit interficitque: quasi Regem cædi leuius esset, nisi cum spe prolis è natura rerum expungeretur. Idque anno regni tertio contigit.

Anno 667.

XIX.

THEODORICVS REX.

Ab atroci facinore, & quod miserabilius, impunito, Franci Theodoricum detracto cucullo, qui vnus è Regia stirpe superarat, solio euehunt; simulque, quando Vlfoaldus Childerico cæso equis citatis in Austrasiam fugerat, Leudesium Erchenualdi filium, memoriâ patris gratissimum, Magistrum Palatij dici curant; Leodegarij maximè ac Gerini fratris consilio, sancto Præsule euocato ad Aulam. Idque actum confestim, ne fortè Rex nouus Ebroinum beneficij memor fortunæ prosperæ comitem faceret, admouerétque gubernaculo sceleratissimum hominem, cuique probo abominandum. Verùm nec Ebroino adfuit Theodorici stupiditas, nec defuit Ebroini ambitio; communicato cum affinibus consortibusque consilio, abiecto per contemptum cucullo, & eiurato Monacho, præfecturam Palatij,

Ebroinus Mag. palatij.

vi

vi ablatam olim, vi reposcit. Et postulata ipse confecturus, magna celeritate imparatos animos occupans, improuisus ad Regem aduolat, cæsisque in via si qui obstiterant, derelictam à fugiente Rege gazam inuadit; ipsumque ad Cressiatum allequutus, suos inter opis inopem atque consilij, honorificè recipit, receptaque ipse Præfecturâ, permissâ Regi potentiæ vmbrâ, rem in se deriuat, ambitionis & immanitatis nullo iam obice. Prima viri victima Leudesius fuit, quem data salutis fide ad se excitum, periurio necauit, deinceps in aduersarios vetante nullo, quorum pars exisi, pars in Vascones ac remotas terras longè exularunt. Tyranni furor in Leodegarium mox exarsit. Viri sanctitas honorisque contentio, olim pessimum hominem in sanctissimum exacerbauerant; vrebat Francorum amor in pium Præsulem, timebatque ne prudentia viri atque auctoritas, sibi aliquando detrimento foret atque exitio. Itaque vi Augustoduno detractum, statimque orbatum oculis, cum Gerino fratre in aulam adduci, spectaculum vltionis gratissimum iubet; & Gerinum quidem tam pietatis fraternæ quàm consiliorum participem palo alligatum lapidibus obruit; Leodegarium lento supplicio parempturus, quo parentaret vltioni diutius, per acuta saxa clauorum instar coactum ingredi, abscissis pòst labris, euulsáque linguâ, sic deformatum in cœnobium quoddam ablegat; vnde mox extractum fulgentem luce miraculorum, per sicarios è vita & tormentis eripuit. Austrasia inter hæc primùm ab Vlfoaldo post Childerici necem obtinebatur; dein ipso mortuo, à Martino & Pipino, patruelibus, sancti Arnulphi nepotibus; quorum Pipinus iunior Ansigili siue Anchisis nobilis filius, ad res magnas nouumque Monarchiæ termitem adolescebat. Ii vel à Francis exciti Ebroini sæuitiam detestantibus; vel sua ipsi sponte quà metu, quà ambitione, propulsi, contra Ebroinum qui regis nomine in omne nefas abuteretur exercitum armant. Ille ex aduerso nullatenus segnis, Theodorici specie, quem in castris instar imaginis fictæ deducebat, vocatos ad signa Francos forti animo hosti opponit. Pugna conseritur, multáque strage patrata hinc inde, vincuntur tandem Austrasij, Ducibus fugâ in diuersa raptis; Martino Laudunum, Pipino maiore periculo, sed tutiore receptu in ipsam Austrasiam. Ebroinus persequutus victos, audit in recessu, Martinum agere Lauduni, omnique ope muniendæ vrbi intendere; hunc vt caperet, obsidione dimissa, in qua mora & periculum maius, virum ipsum aggressus, machinam solitam hoc est periurium admouet; legatis missis, in quibus Regulus Episcopus Rhemensis, qui salutem & in Austrasiam reditum pollicerentur, fidemque facerent iureiurando supra capsas Sanctorum præstito, atque periurio fraudem adiunxit, datis capsis inanibus religione ridicula, quam adhiberet tot inter scelera. Martinus actus in retia, cum sociis statim peremptus est, fidem & superos frustra implorans. Ab hac cæde, grassante in plures Ebroini sæuitia, & Rege quasi stipite suorum questibus obsurdescente, demùm exsurrexit calamitatis publicæ & priuatæ vindex. Is Ermenfredus nobilis Francus, qui minacibus verbis ab Ebroino increpitus, gnarus improbo homini velle & perficere vnum fore, habito cum amicis consilio, intercipiendum consiliũ ratus, nocte

THEODORICVS.

Eius crudelitas.

In Sanctum Leodegariũ.

Austrasios vincit.

Occiditur.

THEODORICVS. intempesta in eius ædes prorumpens, incautum interfecit, moxque ad Pipinum sese proripuit; eo sceleratorum fato, vt siccâ morte vix pereant. Franci hac peste liberi, Varadonem ætate & rebus gestis illustrem præfectura Palatij donant, hoc est regno propemodùm. Nam ad Magistratum ciusmodi, præsertim ab Ebroini tempore, regni administratio, belli indicendi & gerendi, sanciendæ pacis, promulgandarum legum, condonationis criminum, ærarij publici, potestas, ac denique omnia quæ Regij munetis forent, pertinebant; vt inanis titulus penes Regem, neruus & robur totius auctoritatis Magistrorum esset. Varado confestim cum Pipino iam potente Austrasiæ iniit pacem, quâ auctoritatem nutantem initiis confirmaret. Sed foris tutus, domestica lue laborauit. Erat ei filius, dictus Gislemarus, ingentis animi, otij quietisque impatiens, ambitionis immodicæ, quam incendebat paterna dignitas. Ille itaque in Patre æmulum contuens, fraude & sagacitate, ereptum Patri clauum, veluti per ætatem infirmo, audax corripuit, tenuitque ferociâ quâ occupauerat; bello statim in Pipinum illato daturus fortitudinis specimen, & Austrasiam, vt aiebat, Principi suo vt restitueret. Fuerúntque hinc inde strages haud paucæ; ad Namurcum castrum præcipua, quâ Austrasios nobiles illectos periurio, fide nulla, è viuis sustulit. Sed mox à Deo occulto morbo percussus, impietatis aliorúmque criminum pœnas dedit; teterrimo spiritu in cruciatibus morbi exhalato. Varado pater iterum vocatus in regimen; quod nec diu tenuit, fato mox raptus: peruenitque ad generum Bertarium nomine, tutela regni, quem Aufledis socrus, matrona nobilis, & virili animo strenua, indignum licet, quippe staturâ pusillum vitiisque multis obnoxium, eò promouerat; tum ne à familia splendor abscederet; tum vt ipsa ex ineptia alterius, sui specimen faceret. Verùm is prauitate indolis & dominandi libidine, suo plerumque vsus consilio, illicò perditâ nobilium gratiâ, eorundem odia concitauit; quorum plerique contracto fœdere cum Pipino, conueniunt, vt à clauo vanum ineptumque hominem amolitus, regimen vtriusque regni capesseret; iam Deo scalas admouente, quibus noui Principes ad fastigium summum conscenderent. Itaque Pipinus lecto exercitu, irrumpit in Franciam, & apud Veromanduos acri prælio confligens, Theodoricum atque Bertarium in fugam agit. Tum Bertarius adiecto contemptu ad odium, profugus & quærens latebras, ab comitibus suis, iussu Aufledis socordiam hominis indignantis, peremptus est. Hoc perempto, Rex nullo negotio cum gaza regia venit in potestatem Pipini, iactura felicior, quod aliquando in seruitutem iusto & forti domino traderetur.

Magistri Palatij qui.

Magistri pal. post Ebroinum.

Namur.

XX. *Pipinus maior Franciam reg.* Ergo Pipinus iam votorum compos, ac Magister Palatij dictus, tam Franciæ quàm Austrasiæ rector, futuri Imperij fundamenta ponit. Erant ei ex Plectrude, nobili ac prudentissima femina, liberi duo, Drochus & Grimoaldus, quos educabat in spem potentiæ, Francis alterum, Austrasiis alterum designatum. Sed quia per ætatem nondum firmi oneri erant, Nordebertum ex suis fidum quasi vicarium potestatis relinquit in Francia; ipse in Austrasiam quam regebat vnus remigrat, Drocho maiori filio in Ducatum

catum Campaniæ euecto. Ita tranquille administrata Francia ad Theodorici obitum, nimirum vicesimo tertio regni anno; quamvis alij ad spatia longè minora id contrahant. Porrò obiit inter Regem & Monachum parvo discrimine; præterquàm quod duos ex Clodoilde coniuge susceperit liberos, nempe Clodouæum & Childebertum. Clodouæus itaque hoc nomine tertius curante Pipino inauguratur etiamnum puer; quo post quadriennium defuncto, Childebertus frater suffectus est, magnæ quidem spei, pronæque ad bonum & iustum indolis, occlusæ tamen atque absconditæ, gladij instar esi rubigine; Pipini artibus, animi robur emolientis ignauia, & virtutibus Regiis detrahentis materiam; præter pietatem, largitiones pias, & mansuetudinem. Postea Nordeberto mortuo, Grimoaldus alter Pipini filius, moribus commodis & parente dignis, adeptus est summum magistratum; dum Pipinus ipse iam securus imperij, pacis bellique dominus, latè in barbaros terrorem armorum circumferebat. Ac primùm Frisios antiquam Germanorum gentem, vltrà Rhenum ad Oceanum positam, idolorum cultu adhuc fœdatam, bello inuadit. Erat Ratbodus Frisiorum Princeps, præter ferociam animi, ardore gloriæ in Francos incensus. Vtrinque animis paribus armisque concurritur; at successu impari; Ratbodo magna suorum clade in fugam acto, Pipino spolia & famam referente in Franciam. Inde Sueui, aliæque gentes sub iugum missæ; quarum ne nomen quidem Scriptorum incuria ad nos peruenit; tam muta hoc tempore Francorum Historia, vt veteres Gallos credas, qui satagerent præclara facere magis quam scribere. At publicam felicitatem priuato luctu Pipinus imminuit: nam Drochus natu maior febri correptus, desiit viuere, & quidem absque liberis, ne spes vlla dolorem leniret. Et quanquam Drocho duos filios alij assignant, Hugonem & Arnoldum; quia tamen Carolus illorum gloriam & nomen fulgore suo intercepit, pro nullis habiti sunt. Eum ex Alpaide concubina Pipinus susceperat, atque consenserat in necem sancti Lamberti Leodiensis Episcopi, libidinem illicitam arguentis. Impiam cædem Dodo confecerat Alpaidis frater, neque impunè; post dies haud paucos, corrosus à vermibus, & tam diris cruciatus doloribus; vt suus ipse carnifex, se præcipitem in Mosam dederit: Deo prouidente humano generi, dum publica flagitia pœnâ publicâ plectit. Postea Grimoaldus vna cupiditatis paternæ anchora, ducta in vxorem Ratbodi filia, post pacem conciliatam cum Frisio; cùm Patrem Leodij ægrotantem inuiseret, ac funderet preces in sancti Lamberti, à Rantgario sceleratissimo percussore interfectus est; relicto ex concubina filio propè impubere Theodualdo, dolore omnium & desiderio ingenti. Et hæc Dagoberto Childeberti filio iam Rege; quippe Childebertus anno regni decimo tertio decesserat, (quanquam & id incertum, vt alia pleraque illorum temporum.) Nec ideò Pipinus despondit animo, præfectura Palatij Theodualdo nepoti attributa, & spe conuersa in Carolum filium, quem indolis ad eximia quæque mirificæ diligebat impensius, promouebátque ad summa, nisi mors intercepisset consilia. Obiit vicesimo octauo Principatus anno, pluribúsque Regibus imperauit; transcriptis in se Regum virtutibus, ipsóque regno

THEODORICVS. Anno 690.

CLODOVÆVS III. CHILDEBERTVS III. REGES.

Pipinus in Frisios, & alios.

Liberis orbatur.

DAGOBERTVS II. REX.

Pipini mors.

DAGOBERTVS II.

quod confecit posteris; adeò Imperantium est pietate & fortitudine, non inani titulo eminere. Nec sine præuaricatione hic sileam, præter Carolum, Pipino fuisse & filium Childebrandum, ex qua matre nescitur: qui se fratre postmodùm non indignum gessit; fuitque termes, vnde stirps tertia Francorum Regum propagata est, Roberto Forti, ab ea recta serie progenito, quem Hugonis Capetij abauum omnes agnoscunt: vt diuersi rami ab vno trunco prodierint; Regúmque familiæ, tam diuersæ in speciem, eædem in radice, simul coalescant.

XXI.

Plectrudis regimen capit.

Confestim Plectrudis suscitauit animum mortui coniugis, vtque auctoritate pollebat & opibus, Theodualdi nepotis nomine, admouet sese gubernaculo regni intrepidè. Tuta vt rebatur foris, domesticum obicem oppressura, Carolum adulterio natum, quà odio nouercali, quà muliebri ambitione, ne acer iuuenis disturbaret consilia sua, statim à morte Pipini in arctam custodiam condit; & nullo prohibente, quod mirum est, Regem regnúmque mulier iam grandis natu administrat. Verùm haud multò post Francos pertæsum est dominationis muliebris: quos Pipini potentia grauius vsserat, quosque vrgebat ambitio sua, ij iam exsurgunt; frementes, indignum nobilissimam gentem seruire fœminæ; quanto spatio grauissimum iugum à Pipino passos? Quid mancipentur infanti & vetulæ? Iam ignominiæ nihil superesse, si qui vicinas gentes terrore impleant, ij terreantur tam ridiculà inaníque potentiâ. Quocirca ingenti tumultu Francia omnis in partes scinditur; hinc plerique quibus administratio noua spei esset; illinc Pipini amici veteres & clientes, quorum intererat stare in gradu, & dignitatum vsu ac commodis. Pugna mox commissa in Cocia silua, in qua magna strage Pipiniani victi, Theodualdo ægrè fuga lapso. Euentu prospero illecti victores, vt spem omnem Theodualdo abscinderent, simúlque ex Austrasia sua si liceret depellerent; Raganfredum virum nobilem in Magistrum palatij eligunt, atque icto cum Ratbodo Frisio fœdere, vt in Austrasiam eodem tempore copias duceret, magno exercitu & vastatione horribili ad Mosam properant, Plectrude Coloniæ se communiente. Interea Carolus è Plectrudis custodia elapsus paterna imagine quam ore admodùm referebat, ac multò magis similitudine animi, amicos veteres clientésque fidos excitauit. Hic est Carolus cui post aduenit Martelli cognomen, siue malleum tuditémue hostium dixeris, quos cæcidit prostrauitque pugnis assiduis, siue à Marte appellaueris Francicum Martem, qui bellica re palmisque plurìbus veram falsi numinis gloriam meruit. Et postea contigit Dagoberti mors vno filio admodùm puero relicto, qui in Cellensi cœnobio alebatur. Eo præterito, credo ob ætatem, Franci Danielem quendam attonsum Clericum (quis hic fuerit, vetus Historia prorsus silet) in thronum euehunt, & nouo nomine Chilpericum dicunt, quasi ad regni vmbram tam futilem, vir aut puer, Clericus Monachusue magni referret. Raganfredus illicò ad delendas Pipinianas reliquias se accingit, in quibus Carolus mira celeritate conscripto milite, iam aliquid supra fœminam minabatur. In hunc igitur arma expedita, & instauratum cum Ratbodo fœdus, vt obtritus vtrinque tiro adolescens, certa clade

Hinc bellum oritur.

Anno 714.

Caroli Martelli primordia.

CHILPERICVS DANIEL REX.

clade rudimenta militiæ poneret. Gnarus periculi Carolus, ne obrueretur hinc inde, dum longius distat Raganfredus, militem promptum in Ratbodum conuertit, commissáque pugnâ acerrimâ, graui damno vincitur fugatúrque; magnorum Imperatorum tyrocinio, quibus prima quæque difficillima sunt; nempe in posterum vt ab aduersis metum & securitatem edoceantur, animísque crescant in infortuniis. Fugato Carolo, ceu iam penitus debellatum foret, Franci & Frisij coniuncto exercitu, fœdis direptionibus Coloniam obsessuri veniunt; quam vrbem Plectrudis cum Pipini gaza obtinebat. Verùm ipsa Caroli inimicitias prætendens, cuius exitium acceptissimum sibi omnium foret, multa pecunia suæ vrbi libertatem emit. Inde victores ad sua regressi. Cùm repente Carolus, quem clade atque ignominia fractum arbitrabantur, vt Antæus nouus è casu fortior, positis clàm insidiis, in loco quem Amblana dicunt, redeuntes Francos, & quidem soluto pro victoribus agmine aggressus intrepidè, magnam stragem edidit, docuítque viro forti & sedulo, seri prospera ex aduersis, vt contrà ignauo & præsidenti. Postea iusto exercitu vtrinque pugnatum. Scilicet Raganfredus obruturus penitus æmulum, quantas potest copias contrahit, & Chilperico abducto in appendicem militiæ, in agro Cameracensi Carolum selecto instructum milite obuium habet: Ibi posteaquàm pacem petens Carolus auditus non est, acerrimo & decretorio prælio, quos regni certa spes hinc inde accenderet, inter se confligunt, donec virtus Caroli prostratos hostes, in fugam egit. Victor fugientes ad Parisios insequutus; nequis à tergo obex supereslet, Coloniam reuolat victore exercitu, quam tenebat nouerca Plectrudis. Vrbem æquè opulentam ac firmaram munitionibus, cùm & expugnare arduum admodùm, & vi capere delendam ferro, in iacturam victoris cederet; iuuenis in ipso armorum vsu fructuque victoriæ, sibi adeò temperauit, vt omisso Marte, pacis artes ad deditionem vrbis insumpserit; perfecítque industria ac vi sermonis, elusa Plectrudis contentione & operâ, vt ciuibus portas vltrò pandentibus, in vrbem ineruenta victoria admitteretur; quam & coronauit mira clementia, nullo hostium cæso; Plectrude duntaxat nouercalis odij increpitâ; receptísque Pipini opibus, quas mulier ambitiosa & potens magnum in modum amplificauerat. Ea postmodùm cum Sonichilde nepte vel filia in intimam Germaniam noui tumultus fomes se recepit. Interim Carolus, qui se prætextu belli & specie Raganfredo imparem cerneret, penes quem Rex Chilpericus esset; laruam laruæ oppositurus, Clotarium quendam Regio sanè ex sanguine, sed qua affinitate cuíue Regum proximum, planè ignotum, Regno inaugurat, magnásque iterum copias comparat. Raganfredus contrà, reputans seriò quo cum viro sibi negotium foret, Eudonem Aquitaniæ Ducem contracto fœdere in societatem belli arcessit. Porrò quis hic Eudo fuerit, magnarum pòst rerum cardo & momentum, in scriptorum tanta caligine, operæ pretium est inuestigare.

CHILPERICVS DANIEL.

Carolus victus vincit à

Et Coloniam admittitur.

XXII.

Eudo Aquitanus quis fuerit.

Dagoberto primo diem obeunte, Aquitania vniuersa, tum quæ ad Pyrenæos iacet obtenta à Vasconibus; tum quæ citra Garumnam Petrocorios, Lemouices aliásque gentes complexa, iam à Clodouæo imperio

CHILPERICVS DANIEL.

Francico obtemperabat. Post Dagobertum ignauia Regum, ciuilibúsque Magistrorum palatij contentionibus, Vascones redditi in potestatem suam propemodùm, sensim iugo Francorum excusso à suis Ducibus regebantur. Ad Eudonem Cantabrum virum fortem & strenuum cætera Aquitania peruenit; siue inter Vascones nato à parentibus hæreditaria, siue vt alij volunt, dotalis atque ab coniuge; siue quod verosimilius, occupata. Idem porrò ad Occitaniam conterminam Aquitaniæ fertilissimámque prouinciam, non oculos modò, sed manus adiunxerat. Nam Volcas superiores quorum caput Tolosa Francis detraxerat; & inferiores in quibus Narbo, Nemausus aliæque vrbes; quas ipse pro Roderico Hispaniæ Rege Præfectus administrabat, tempore cladis Hispanicæ & vindicauerat sibi, & irruentibus in eas Saracenis vtcunque seruauerat; Munizio illarum partium à Miramamolino Præfecto, viro militia claro & auctoritate, filia in matrimonium data; contra fas quidem, sed præpollente religioni vtilitate. Hunc igitur fortissimis gentibus imperantem Raganfredus in subsidium vocat, haud inuitum; vt tum beneficio, tum ciuili bello, Francorum voluntatem & potestatem ab Aquitania auocaret. Igitur adiuncto Neustriis Vascone, spe & fiducia plenus, Raganfredus in Carolum mouet, aderátque Eudo ipse, latâ nominis famâ, quam animi dotibus adimplebat. Parisiis viâ in Austrasiam capessitâ, occurrit Carolus tanta belli mole haud quaquam territus, factáque illicò pugnæ potestate, tanto apparatu tantáque gloriâ dimicantes hostes fundit fugátque, quam celerrime fusos persequutus. Et quidem Parisios se recipiebant, vbi metu ac consternatione aduertentes misceri omnia, iámque victorem imminere portis, protractâ per vniuersam Franciam fugâ, Eudo Childerico gazáque regiâ veluti ad tutelam secum deportatis, dein transito Ligeri, citato cursu in Aquitaniam suam penetrauit; erecto quacunque fugeret trophæo Caroli, & ignominiâ suâ latè dissipatâ. Raganfredus & fuga abreptus, Andegaui substitit, seu aggerem obiecturus victori; seu fide Eudonis suspecta, cui se tradere clade efferato haud tutum rebatur. Instabat interim fugientibus Carolus; sed metus cupiditatem in præsentia vicit, & in Aquitaniam peruenit Eudo incolumis. Præterea Clotarij improuisa mors remorata est Carolum; cùm Chilperico substituendus esset æmulus nouus, & priora consilia inopino casu turbarentur. Ergo de pace cum Eudone agit, virum fortem, bellicosarum gentium dominum nondum ausus ad extrema impellere. Ne miles interim langueret otio, Andegauum oppugnat, quam vrbem in asylum Raganfredus delegerat, admotísque machinis in deditionem accipit; summa clementiæ laude, Raganfredo non modò salute donato, sed & ipsâ Andegauo ciuitate; quem omnium infensissimum expertus tum dignitati suæ tum saluti, ex corrupto Politicorum dogmate oportuit perdidisse; sed Heroum virorúmque sublimium non idem est qui vulgi sensus, quibus pugnæ finis est peperciſſe. Postea facilè cum Eudone conuênit, icto fœdere; quo Chilpericum Regem seruatis magnam partem thesauris Eudo restituit: Læto Carolo, quòd in potestatem suam tradito Rege, æmulóque amoto, iam honestè & tutò Regis auspiciis Franciam administraret. Noua tamen

A Martello vincitur.

Angers.

mox

mox ineunda consilia, Chilperico excedente viuis, sexto annò quo ad regni vmbram admotus fuerat. Theodoricus illicò euectus in solium, Dagoberti secundi siue tertij filius, & iam patre viuo in Calensi seu Cellensi Monasterium abditus, vnde eidem mox Theodorico Calæ nomen aduenit. Sub quo segnitie & ignorantia rerum laborante, rerum vt prius potitus Carolus, domi Proceribus eius gratiam ambientibus, foris ad sanciendam Francorum gloriam se conuertit. Primique Saxones appetiti, qui cùm agitarent rebellionis consilia, magnâ Caroli celeritate occupati sunt, victique prælio. Ac tædet Scriptorum illius æui vel stupiditatis vel oscitantiæ, qui præclarissimi si quis vllus alius Imperatoris gestas fortiter res, adeò ieiunè & siccè non exscripserunt sed delibarunt, vt illustrissima quæque breui epitome & quasi tantæ laudis inuidi, per summa capita designarint. Ego quando comminisci aut diuinare non licet, proponam legentium oculis, veluti Geographicas tabulas, arcto puncto vrbes amplissimas, latissimásque peranguſtis finibus terras, non tam aspectui subiiciens quàm intellectui. Igitur anno à victoria Saxonum vix elapso, Carolum in Germaniam expeditio noua exciuit. Plectrudis noucrca cum nepte Sinichilde, vt scripsi, Colonià à priuigno victore emissà, in intimam Alemanniam odium vetus consiliáque noua detulerat. Vt erat acri ingenio; aulæque artium peritissimo, simplices gentes in odium & contemptum Caroli sensim induxit: *Indignam rem, Pipini fortissimi Principis Viduam, exulem & eiectam, stipem propemodum mendicare, dum spurius damnatisque natalibus, se vi in aliena bona intruderet, naturâ pessundatâ, legúmque placitis violatis; supereſſe filiam legitimè natam, ad quam hereditas paterna spectaret, (simúlque ingerebat Sinichildem, ætatis flore formæque decore commendatam) obsecrabátque per superos omnes, ne miserabiles fœminas, ipsorum fidei ac fortitudini traditas, venire sinerent in potestatem Tyranni, sanguinem effusuri innoxium.* Ita ardens mulier, lactymis, precibus, multisque largitionibus, Sueuos, magnámque Bauariæ partem à Rheno ad Danubium, tumultu magno excitauit in Carolum. Nec is, quâ fuit celeritate mirabili, cunctandum ratus, bellúmque opperiendum in laribus suis, magno statim exercitu Rhenum transmittit, Sueuósque adhuc imparatos, & alias ad Danubium gentes, armorum terrore profligat & domat; imò copiis vltrà Danubium actis, latè Bauariam quæ cis vltráque amnem protenditur, renitente nullo, Francis adiungit. Inde regressus, Plectrude belli face & Sinichilde in potestatem suam traditis, tam doli muliebris quàm Alemannici roboris victor, ad aliud difficiliúsque bellum se comparat: audita tamen inter arma clementia, qua parcitum fœminis; & est verosimile cœnobio inclusas, cùm earum vetus Historia iam non meminerit. Nouo porrò bello Eudo Aquitanicus petebatur; quod quandoquidem tanti momenti tantíque periculi fuit, non Franciæ modò, sed vniuersæ Europæ, rem totam fusius & enucleatius disseram.

THEODORICVS CALA REX. De Chelles.

Martelli plures palma.

Reuersus è Germania Carolus, comperto Eudonem violato fœdere prædabundum irrupisse in Franciam, eodem victore exercitu transito Ligeri, in Aquitaniam penetrauit. Verùm Eudo, vel metu vel militari prudentiâ, in intima

XXIII. *Saraceni quit cur in Franciâ venerint.*

THEODORICVS CALA.

tima prouinciæ suæ recipiens se, auersus à prælio, passus est populationem agrorum: postquam ceu factum vltioni satis, Carolus dives præda, & declinatione hostis superior, receſſit in Franciam. Eiusmodi excursio potius quàm bellum, magnarum difficiliumque rerum causa, vt volunt, & materia fuit. Nam ideò scribunt è nostris plerique, ex Hispania Saracenos ab Eudone in vindictam iniuriæ cuocatos, & numero illo portentoso quasi non homines, sed vesparũ examina veniſſe in Franciam sedes posituros. Quæ res, haudquaquam mihi verosimilis, vt à legentibus disceptetur liquidius, tria potissimùm obseruanda censeo; qui fuerint illi Saraceni, in Hispaniam quomodo exciti, postremò quid rei illis cum Eudone fuerit. Saraceni Arabica gens, addicta sectæ à Mahumete impuro conditæ, tenuibus admodùm paruisque natalibus, in immensum Crocodili instar excreuerat, quà animo suo & fortitudine, quà Romanorum Imperatorum ignauiâ, & Christianorum corruptissimis moribus. Ii se professi filios Abrahæ, ex Sara legitima coniuge, vnde Saraceni vox orta, lento primùm progressu, Arabiæ suæ conclusi finibus, vix finitima carpere ausi, deinde instar flammæ in obstantia diu eluctatæ, Palæstinam totam, proximam Syriam, Ægyptum, & Persidem, terras ampliſſimas inuaserunt, totiúsque propemodùm Asiæ domini, sæpe ad extrema admotâ Constantinopoli; posteà versi in Africam, quà Romano parebat imperio subiugarunt, donec vtriusque maris conscripti fluctibus, ceu obiectis fossâ & aggere, ab Europa quæ domanda vna supererat, tot victores gentium arcerentur. Tandem ab Africa in Hispaniam proximam transitus patuit. Res passim ab Historicis pluribus scripta; quomodo Roderici Hispaniæ Regis libidine, Cauæ Iuliani Comitis filiæ stupro illato, angusto freto transmissi in Hispaniam Saraceni, Duce Tarisfo fortissimo & clarissimo Imperatore, Christianum vberrimúmque
Anno 713. regnum, Roderico cæso, Mahumetis sorti adscripserint; summo Religionis luctu, & ingenti Europæ discrimine, quæ admissiſſet incendium grassaturum vlterius. Subacta Hispania Miramamolini, ita Monarcham suum vocant, auspiciis, postea à Præfectis pluribus administrata, breui tempore in Abderamani regimen venit; à quo forti quidem, & disciplinam veterem instaurante, sed immitis ingenij acerbique imperij, Munzius rebellauit, occupauitque Galliam Gothicam, cuius caput Narbo, pluribus Mauris ad se traductis. Et huic Munizio Eudo collocauerat filiam, Saracenis aliis pro castro & aggere generum oppositurus. Atque inde forsan manauit opinio cuocatorum ab ipso Maurorum, (nam promiscuo nomine Saraceni & Mauri dicti sunt, à Mauritania prouincia Africæ) ob contractam cum Munizio affinitatem, quæ statim magno vtriusque damno distracta est. Etenim Abdaromanus socij consortísque impatiens, in Munizium mouit, & obsessum in Ceretania vrbe, eò impulit, vt ne viuus in inimici manus veniret, se præcipitem è saxo dederit; mortui truncatum caput, & cum vxore Eudonis filia eximiæ pulchritudinis, in Africam missum; Maurorum Imperatori dona gratissima, quà viuum, quà mortuum. Igitur Abderamanus superbus victoria, illectúsque terræ vbertate, statuit in Europam penetrare vlterius, primúmque Franciam vniuersam inuadere, ac deinceps in Italiam, aliasque

aliasque terras, disiecta latè flamma, irruere. Eam in rem ingentem copiam militum, tum ex Hispania, tum ex Africa contrahit, nouæ coloniæ ciuisdémque vberrimæ iam proxima spe, fœminarum gregibus simul euocatis, quò victas terras occuparet miles & coleret. Ea origo Saracenicæ expeditionis, ac belli, quo Christianus Orbis, nisi Deus iuuaret propitius concuteretur; non Eudonis proditio fœdusue initum, quanquam & eo capite tanti mali causa dici possit, quod suo sanguine in Saraceni thalamum misso, tum iram Diuinam flagitio, tum Abderamanum societate noua proritarit. THEODORICVS CALA.

XXIV. *Abderamanus in Franciam venit;*

Ergo effunditur Occani instar Abderamanus cum quadringentis hominum millibus, (centum millia, & verosimilius quidem, plures adducta affirmant) præter mulieres & impedimenta, per Pyrenæi claustra, quà Mediterraneo adiacent, in Franciam; primùm quæ Eudonis forent occupaturus; nempe qui multiplici nomine hostis; néue vltra promotus auocaretur à tergo turbaretúrue, deinde terrore ex victoria maiore, propagaturus in reliquam Franciam fines: Eudo quo erat animo inundatione tanta haud territus, militum selectissimum florem incedenti per Arecomicos barbaro ad Arelaten vrbem opponit. Obsidebat eam Saracenus in prærogatiuam belli, támque ardebat expugnandæ cupiditate, quàm seruandæ Eudo. Ideò itum in prælium, pugnarúntque acri ac forti animo Vascones, victi tamen ac profligati, nouúmque trophæum à victoribus erectum, magnus ossium cumulus in campo Arelatensi congestus, omni marmore saxóque firmius; diúque perstitit ad calamitatis humanæ luctum atque ludibrium. Tanto euentu illectus Barbarus, vt spem omnem Eudoni abscinderet, per Arecomicos superiores in Aquitaniam versus, igne & ferro vastatis vrbibus, templísque dirutis, Garumna transito, Burdegalam Aquitaniæ caput, quemadmodum ante Arelaten, toto exercitu expugnat. Quam similiter vt cladi eriperet, instauratis viribus animisque Eudo acceleráns, ad præliandum aciem dirigit; nec Maurus abnuit tot palmis elatus, eodémque successu Christianos magna cæde vincit, iam seriò perterrefactâ Europâ, & Franciâ fatum Hispaniæ pertimescente. Hinc capta diréptaque Burdegala, vastatæ circà prouinciæ, Petrocorij, Lemouicenses, Santones; iámque per Santones in Franciæ intima iter captum. Carolus eo tempore, primùm Eudonis periculo, dein vna alteráque clade, discrimen suum admonitus, solita celeritate, qua virtute præstabat in paucis, ex Germania, Neustria, Austrasia atque Burgundia, gentium robur floremque colligit; pugnandum nunc pro aris & focis; nec priuatæ contentionis aut ambitionis referre si vincerent, sed vitæ omnium & religionis: Simul Eudone in amicitiam & fœdus recepto, conuênit vt is reparato exercitu vestigia hostium premeret, dum ipse ad Ligerim accedentibus sese opponeret. Selectíq; ab eo campi ad Turones, in quibus tanti momenti res disceptaretur; siue vt ab amnis trásitu hostẽ arceret, siue vt Martini Tutelaris & Præsidiarij Franciæ tum auxilio iuuaretur miles, tum spe & fiducia incenderetur. Traiecturus Ligerim tãtus exercitus, Turonum vrbe à tergo posita, in agris proximis castra figit. Vastatis Pictonibus aduentabant Saracenorum examina, in- *Martelli apparatus.*

THEODORICVS CALA.

censa ad Pictauos basilica sancti Hilarij, quæ summæ in Frãcis venerationis, furori maximè barbaris fuerat. Hinc ventum ad Turones, magna vtriusque gentis expectatione. Quippe inde Maurum, multitudo quæ hostem obrueret, Hispania victa & profligata, gemina pugna prostrati Vascones, per tot gentes inustum ferro imperium, inflammabant spe propemodùm certâ: Hinc Christianum causæ bonitas, Deique iuuantis auxilium, animi quædam Diuina firmitas atque constantia; Caroli Imperatoris fortitudo atque felicitas, quibus ducibus profitebantur inuictos sese, erigebant plurimùm atque incitabant. Quocirca vbi pugnandi facta est copia, eáque facta est post septimum diem, tentata haud paucis prolusionibus; ambo Imperatores in victoriæ spem aciem instruunt. Carolus peditem oblongis scutis in barbarorum tela protectum, dorso amni obuerso, suis quemque ordinibus locat; equitem, floremque nobilitatis, in quibus pugnæ vis spésque vincendi, alarum instar vtrinque porrigit, cautum admonitúmque, vt quacunque hostis irrueret, conuerteret frontem, tegerétque à lateribus peditem, ne immenso numero obrueretur. Postea ipse adequitans ordines, præter os armis fulgentibus tectus, porrecta facie, præsagisque victoriæ oculis, hortabatur suos: *In detestabilem gentem, cui fas nihil foret ac religiosum, expedirent arma & animos, si dimicare pro patria honestissimum sit, hoc est pro laribus, pro liberis, charissimisque nominibus; quid pro aris, pro religione, pro vindicando summi Dei cultu, pro exscindenda exitiabili lue. Affirmabat praterea eò loci ductos, vt nisi vincerent, ex necessitate occumbendum foret; mediis inter Ligeris vortices & obiectos hostes, vel in vestigio pereundum, vel petendam salutem à victoria; nam à fuga nullum subsidium, quam amnis interciperet, negarétque vrbs victori vmi sese commissura. Quanquam nec à morte expetendum pramium fortitudinis, quos iam ipsa victoria complecteretur. Quid enim ab incondita turba metuendum tantoperè? ipsos sibi hostes damno futuros pra numero, in prælium magno tumultu nullo ordine ruere, primi si repellantur, miscri cateros turbarique, ac loco motos atque disiectos, vnius fuga meminisse. Videant Mauri sibi rem cum Hispanis non esse, quos voluptatibus marcidos & Marti inuisos, magno tamen negotio profligassent: at Francos tantis bellis, tantis victoriis de fortissimis gentibus celebres, ab vilissima Saracenorum face vinci non posse. Irent modò, non parcerent ferro, raperent tot gentium opulentissimam pradam, meminerintque se vallum & aggerem pro Christiano orbe obiectos. Nihil metuerent, quos Dei causa & patrocinium, quos Martinus è basilica proxima tueretur, adesse cœlites qui satellites orci profligarent, satis sibi fore, si vnus vnum, amulus amulum aggrederetur atque deiceret, prouisum ne hostes iuuaret numerus: sibi singulos totique Europa imperatores fore, si vincerent.*

Anno 726.

Martelli militaris oratio.

XXV. *Abderamani oratio.*

Contra Abderamanus clarissimos quosque compellabat; *Meminissent hanc diem felicitatis sua coronidem fore: hanc vnam superesse pugnam, quam si profligarent, terras vberrimas, tranquillum otium, intemeratam salutem, pro periculis, bellis, & Sabuletis Africa vsurpanda, iam extremum spiritum agere Franciam, frustra in Mauricam vim vt in morbum luctari, quæ deplorata sit atque deposita. Nam quid Hispaniam tot tantisque prælis demuissent; quid Vascones Francie florem geminata acie cecidissent; quid tanta multitudine prorupissent*

sent

sent è sedibus, si ab exercitu tumultuario tam impari numero vinceventur? Pudere quod pugnaturi sint decem in vnum, nec honestissimam fore victoriam, quam debere numero victor posset; sed sperare se vt nequaquam cuncti dimicarent, primique spectantibus aliis palmam conficerent. Irent igitur, leui hoc prælio, opes immensas, voluptates magnas, immortalem gloriam comparatum. His stimulis vtrinque accensi exercitus, magno impetu maioribusque animis proruunt. Quis pugnæ ordo, quæ series, non prodit Scriptorum incuria: liquet ad victoriam magno momento Eudonem fuisse; quippe dum feruebat pugnæ atrocitas, ancipiti etiamnum victoria; Eudo cum copiis in Saracenorum castra irrupit, vti pactum erat cum Carolo, miseráque turba mulierum atque infantium dilecta, eiulatu maiori quàm clade, nuntio ad Saracenos pugnantes delato, tum primùm tumultus; dein accessu mulierum tanto in luctu trepidatio ordinúmque confusio; postremò Eudone à tergo cædente, & Carolo vehementiùs pugnam instaurante, in præcipitem fugam Mauri effusi sunt; tanto terrore, vt maxima pars turbà præfocati, mutuóque elisi, à fuga mortem plurimùm hauserint, cui salutem plurimum commendabant. Ipse Abderamanus hoc teli genere incruentus cecidit, reperto in stipata fugientium turba cadauere, tam absque vulnere quàm absque spiritu. Cæsa Barbatorum trecenta septuaginta quinque millia; (trecenta expungas, si duntaxat cum centum millibus venerint) quasi dixeris non ad pugnam itum, sed ad cædem: etsi pugnatum est, & quidem acriter, desideratis Carolianis mille quingentis, in quibus nobilitatis flos & audacissimus quisque, adeò palmæ fructus sanguine carpitur, ærumnisque gloria emitur. Haud dubiè Francorum multi præclara facinora ediderunt, quæ negligentia temporum silentio texit; sanè de Carolo colligere est quanta in ea pugna præstiterit, quantúmque barbari cruoris fuderit, ex vno Martelli agnomine, quod tunc illi assensus militum tribuit, ob admirationem virtutis; magno Imperatore cæde multiplici hostem tundente. Et verò magni momenti, quanti vix vlla, victoria fuit, non modò cæsorum numero, sed etiam fama & gloria; iis victis, quos hactenus nulla fregerat clades, quóque erat opinio post Hispanos Vasconésque domitos, vinci non posse; præterquàm quod si vicissent, in præcipiti foret respublica Christiana, nullo tunc Rege aut populo, qui ruentem impetum sisteret, & inundanti Oceano claustra opponeret; vt Europæ Francia propugnaculum fuerit, suóque sanguine stabiliuerit religionem, Luitprandi ambitione concussam, & Leonis Iconoclasti furore diuexatam & dilaniatam. Tanta laus tamen suo næuo non caruit; Carolum arguentibus multis, quod in belli tum apparatu tum præmio, bona Ecclesiæ in profanos vsus insumpserit. Nam & Eucherium Aurelianensem Episcopum, virum sanctum, cùm armatus Turones peteret, eiectum vrbe, multauit exilio; quia sibi Sacerdotum bona vsurpanti obstitisset validius: idémque iam victor, multis nobilibus qui præclarè in prælio se gessissent, Decimas aliquot, quæ in facultatibus Ecclesiæ censentur, large concessit, cásque feudis inseri voluit, in monumentum, imò & mercedem factorum sumptuum, fusique sanguinis. Quanquam & huic plagæ adhibetur curatio; Decimis, vt vo-

THEODORICVS CALA.

Pugna qua Saraceni victi.

THEODORICVS CALA.

lunt, eam in rem attributis, ex consensu eorum ad quos maximè attinebat; (& id totum de Decimis valdè dubium est) & impensis magnam partem Ecclesiasticorum bonis in bellum, quod sacrum & religiosum foret, atque in hostes qui sacra maximè Deique cultum perditum irent, ni quocunque modo perderentur.

XXVI. *Gregorij ad Martellum legatio.*

Ab hac victoria celeberrimus Carolus, Theodorico Rege ex memoria hominum propemodùm expuncto, nondum ausus Regis titulum cuius potestatem in se transtulerat vsurpare, Princeps Franciæ seu Francorum appellari voluit; proximo ad regnum gradu, in quod mox ipse liberíve eius conscenderent. Fauit & nouo titulo vsurpando Gregorij II. summi Pontificis solemnis ad Carolum circa id tempus lagatio; qua vir sanctissimus impiissimi Principis Leonis Isauri Constantinopolitani Imperatoris minas & furorem amoliturus ab Italia, ad Martellum vt ad sacram anchoram confugiebat; quem vnum ab Saracenica laurea, famâ & virtute, tantâ mole dignum arbitrabatur. Fuitque legatio perhonorifica, mittente Pontifice, præter eximia munera, claues sepulchri sancti Petri, eiusdemque vincula religioso cultu veneranda (quæ nulli Principum hactenus missa) quasi tutelam Apostoli Principis sanctissimæque Ecclesiæ pietati ac fortitudini Caroli hoc signo traderet. Rogatum insuper, vt si Leo pro nefaria lue bellum inferret Italiæ, Carolus in ipsam Italiam se conferret, propugnaturus Ecclesiam Dei; & in præmium Consul Romanus atque Patricius, iuxta Clodouæum, non ab Imperatore, sed à Pontifice diceretur. Admissa legatio honore summo & celebritate mirifica; missique Legati Romam à Carolo, Grimo Corbeiensis Abbas, & Sigebertus sancti Dionysij reclusus, qui Pontifici gratias agerent, & ad nutum eius de Leone ab Italia repellendo fœdus sancirent. Nec irrita fuit Gregorij cura; nempe vbi innotuit commissam Carolo pacem Italiæ, Leo tanti viri metu arma continuit; Gregorio liberè tetrum virus luemque hæreticam oppugnante: vt bis seruata Ecclesia, ab Iconomachis & Saracenis, in Martelli beneficiis sit. Hac perfunctus gloria Carolus, ne pacis otium, quod fuit perbreue, elaberetur inane, regnum lustrauit, Burgundiam præsertim; cuius fines Leudibus suis; (hoc est clientibus, qui ab ipso tenerent prædia, sub lege fidei, præstandique in re militari obsequij) tuendos attribuit; Lugdunum præcipuè vrbem situ validam, geminóque amne clarissimam, seu ostium regni iis commisit, quorum fidei maximè crederet. Tum deinde Eudone Aquitaniæ Duce demortuo, ad res magnas turbasque belli nouas se accinxit. Nimirum viro Franciæ gloriæ cupidissimo, diu Aquitania ab Eudone rapta concitabat bilem & dolorem; tot tantasque prouincias quasi membra auulsa à capite, suum in corpus restitui, mirificum in modum ardebat, quodque Eudo dum viueret, tum virtute sua, tum Saracenorum expeditione arcuerat; id eo mortuo victisque Saracenis posse iam perfici arbitrabatur. Quare vocatis in consultationem Proceribus; ostensóque, bellum & honestum fore, quo repeterentur sua per vim rapta; & facile, quod repellerent Eudonis liberi, adolescentes & plures; ideò inexperti & discordes; consensu omnium bellum indicitur. Nec segnius quàm consultum erat progressus, ductis vltra Ligerim copiis, in Aquitaniam properat. Supererant Eudoni

Aquitania domita.

Eudonis filij.

tres filij, Aznar, Hunnoldus, & Gaiferus, imperij facilius quàm virtutis heredes, ij seu confirmata nondum potentia, siue hostis nomine famáque territi, nullo negotio à paternis sedibus pulsi, in proximas terras confugerunt; Aznar quidem vltra Pyrenæos, in Hispaniæ partem quæ Vasconiæ contermina foret; in qua pari felicitate ac fortitudine, dimicans in Saracenos, pluribus oppidis captis, Aragoniæ regnum, quod multis seculis in posteris stetit, Regum caput, condidit: fratres sorte impari in Septimaniam se recipiunt, spe Aquitaniæ recuperandæ, ingentium quidem causæ malorum, sed nullo præterquam calamitatum, vitæque priuatæ quam horrebant tantoperè lucro: adeò fratrum fata diuersa sunt, instauranturque sæpius Remus & Romulus. Eiectis æmulis, Burdegalam gentium caput, Blauiúmque munitissimum castrum occupat Carolus; cæteris vrbibus vltrò in potestatem victoris concedentibus, & vnius imperium trium tyrannidi anteferentibus. Inde pace parta, finibusque regni propagatis, ad domandos Frisios adiicit animum. Ii, Ratbodo pertinaciter in idolorum cultu demortuo, nouo Duce eodémque instigante Popone, tum qui ex suis Christiana sacra susceperant, diuexabant atrociter, tum in Carolum Francicúmq; nomen rebellabant. Quocirca vindicaturus Diuinas humanásque iniurias Carolus, quod maritimo situ præsidentes, permunitis terrestribus viis, aditus intercluserant propemodùm; statuit, quod Germanicus olim tentauerat, expedita classe in hostes medios bellum inferre. Ergo nauibus quàm celeriter apparatis, impositóque exercitu, Amistrachiam & Austrachiam Frisiorum insulas penetrat, armisque inuadit; stupentibus Frisiis in ipsa gentis penetralia & propugnacula hostem inuectum. Burdone fluuio (is haud dubiè Amisia est) in intimam Frisiam progressus, Popone duce occurrentibus Frisiis, dimicat prælio, terrestri an nauali incertum, quo Popo cæditur, & magna strage funduntur Barbari: hinc facta excensione iugum victis impositum, direpta & euersa idolorum fana, & Bonifacio sanctissimo viro propagandæ fidei apertus aditus.

THEODORICVS CALA.

Frisia subacta.

Ems.

Sed dum procul inex peditione versatur Carolus, ecce improuisum grauissimúmque malum Franciam obruit. In Burgundiam maximè effusa calamitas, cuius origo ista & progressus. Eudonis duo quos dixi filij, Hunnoldus & Gaiferus, in Narbonensi Gallia hæserant, in spem nouarum rerum si qua affulgeret; eam igitur affulsisse rati; dum abesset longiùs Carolus, difficili bello implicitus, amicorum suisque opibus numerosum exercitum legunt, ex Vasconibus, Mauris, Hispanis; iis maximè qui ex Bætica, pellentibus Saracenis, in eas terras profugerant (vnde ab Aimoino conflatus ex Vandalis hic miles scribitur) rumorémque omnem & metum celeritate occupantes & malo, vt visi potius quàm auditi, in Franciæ partem quæ Rhodano adiacet, & ea Burgundia erat, impetum faciunt. Non ætati, non sexui, non religioni parcitur; promiscuus furor ferro & ignibus grassatur impunè; tempestatem dicas quæ pro semente & frugibus, mortales omnes ipsaque vrbium saxa perdat & conterat. Ad ripam Rhodani amne aduerso lues hæc progressa, vastati agri, vrbsque Lugdunum capta: illibatâ Viennâ seu fortitudine, seu felicitate: tum ad ripas Araris deductus furor; oppidísque

XXVII.

Aquitani Franciam inuadunt.

THEODORICVS CALA. Sens.

haud paucis ad mitissimum amnem direptis, flexâ ad dextram viâ petiti Senones; & ipsi futuri tanti incendij præda & pabulum; nisi ipsorum Episcopus, Ebbo nomine (digno sanè cuius fasti meminerint) suscepto munere Ducis fortissimi non Pastoris modo, suas oues defendisset à Lupis. Quippe ciues ad propugnationem vrbis dictis factisque erigens; primùm cæco fulmini molem opposuit; dein hoste telorum omni ac machinarum genere muros appetente, maiori animo vi repulsa quàm intendebatur, suam vrbem à furore texit; postremò in defessos & saucios eruptione opportuna; nempe Diuina ope tum incitante tum adiuuante, tantam stragem eorum edidit, vt castris amissis, & profligata spe potiundæ vrbis, abscesserint; insequente Ebbone ad limitem agri Senonensis, abeuntes properantiùs quàm venissent. Eiusmodi Præsulis suorúmque ciuium facinus, tum Franciam reliquam à grassatoribus liberam fecit, tum spatium Carolo ad eos delendos farciendámque iniuriam dedit. Nam extemplò è Frisiis traducto per Austrasiam exercitu, iam attritos Senonensi clade hostes aggressus, eos Arelatum vsque Burgundiâ expulit; recepitque Lugdunum in quam prædam captiuósque congesserant; tum Præfectis atque Iudicibus, qui cicatricem obducerent vulneri, constitutis, reuertit in Franciam. Nec in Septimaniam penetrauit vlterius, tanti mali fontem & caput; seu studio expeditionis Saxonicæ, seu Hydram veritus populosissimæ gentis; quæ repellenda foret non irritanda; seu errore, ac peccato politico, quo nemo mortalium prorsus expers. Ita miles ab vltima Francia ad Saxones ductus, qui pridem Carolo impietate atque audacia odiosi erant & perinfensi: transmissus Rhenus ad ostium Lippiæ, (& digna admiratione celeritas, qua Carolus visus antequàm præuisus terras tam dissitas, diligentiâ mirâ coniungebat) & quâ terrore quâ armis, ferocissima gens æquè ac Frisij, tum humanum iugum persoluto tributo passa est, tum Diuino se præbuit, coacta Christi præcones admittere, qui vel inuitam seruarent.

A Martello pelluntur.

XXVIII. *Saracani rursus Franciam inuadunt.*

Inde ampla belli moles surrexit in Carolum. Architecti Eudonis liberi cum Mauricio siue Maurontio Comite Massilienſi; illi veteri indignatione, & dolore Aquitaniæ raptæ; hic inuidiâ, & vicini præpotentis metu. Communibus ergo studiis Ancupam nouum Hispaniæ Præfectum, promouendæ superstitionis impiæ iuxta ac gloriæ cupidissimum, per legatos clam adeunt: primùm inustam celeberrimæ genti clade Turonica ignominiam abs se amouent & amicè lugent, dein vltionis cupiditatem incendunt, se in eam rem suámque operam pollicentur, nihil opus esse tanto militum numero, fortissimos admodùm deligendos, iis committendas vrbes quæ occuparentur; ita fractum iri Francorum impetum, paruóque discrimine promotum iri rem Saracenicam. Inuadendam primùm Auenionem vrbem ad Rhodanum, quæ Narbonem aliásque Septimaniæ vrbes propugnaret & tegeret; tenendam eam firmo præsidio; tum vlterius Viennam & Lugdunum à victoribus posse obtineri. Hæc Maurum iam vltrò ruentem in noua consilia impulerunt; delectu clàm habito, ex pacto & proditione Mauricij Comitis, Auenionem insidiis capit (ea tunc accensebatur Burgundiæ regno) statimque flore militum munimentisque firmissimis instruit, & in

propugna

propugnaculum validissimum erigit. Est Auenio antiqua vrbs admodùm, à Strabone, Auenio Cauarum, à Ptolomæo Auenionum Colonia dicta, ad Iquam Rhodani nobilissimi amnis posita, inter agros feracissimos, miti cœlo & serenitate mirabili, ditata vbertate lætissimâ frugum; eadem æqua soli planitie nullo circà colle intumescens (præter rupem ipso murorũ pomœrio iunctam) Sulgæque fluuioli influxu facili, vt ad erigendas turres & munimenta, & excipiendis in fossas, aquis, situ est commodo, ita ad retundendos impugnantium impetus firmo & valido. Carolus in re tam subita, nequaquam animum abiiciens; tametsi doleret tum captam vrbem, tum occultam sibi hostium mentem, interceptrurus incendium, Childebrandum, fratrem, vt iam præmonui, cum Ducum flore confestim præmittit, qui obsiderent Auenionem, & iam proximæ expugnationi præluderent. Mox ipse cum vniuersis copiis ad vrbem aduolat. Eius obtinendæ duæ viæ erant; lenta obsidio, vel inferenda vis; inde periculi minus, plus temporis; hinc breue tempus, periculum ingens. Ideò Carolus, cui iactura temporis grauissima omnium, impensa gloriæ periculi magnitudine, omissa obsidione, apertæ expugnationi intendit. Scalas, machinas, omniáque telorum genera apparari curat, moxque admoueri, quibus propugnantium animum & pertinaciam frangeret. Nec illi segnius, Maurorum flos, & iusto pro amplitudine murorum numero, repellendi hostis munera obeunt. Nullum spatium, ne nocturni temporis quidem, ab tentamentis Ducum inane. Hinc admotæ ad muros scalæ, iectæ fossis crates & plutei, vibratus ad propugnacula aries; erectæ è superiore loco machinæ, saxorum imber è balistis effusus, ipsisque arrepentium manibus pinnæ detractæ: Inde hastis & contis fortissimus quisque præceps actus, iectæ ardentes faces in machinas, contritæ ipsæ lapidum grandine; fractum os arietis, aut molli lanâ elusus impetus; deiecti plutei cratésque obrutæ; prouolutæ cum pernicie scandentium scalæ; quique erat foris ardor vt vincerent, idem erat intus ne vincerent. Tandem Carolus moræ impatiens, indictâ copiis omnibus oppugnatione, concessa militi vrbis præda, omni ex parte admotis machinis, inter ignes teláque hostium, vrbem capit. Imperterriti Franci muros scandunt, Saracenos proturbant, instãt recedentibus, ac tametsi Mauri pertinaciter dimicabant, & in viarum capitibus obuertebant ora gladiosque; is tamen impetus vincentium fuit, vt vbique victi & prostrati, vicis inundantibus sanguine, cladem pertinaciâ auxerint, suisque cadaueribus trophæa erexerint. Hinc prædabundus miles omnia rapere, sæuire ignis in ædificia; nihilque omitti quo polluta vrbs impurissimæ gentis contagio, cruore tota & purgata igne, lustraretur.

THEODORICVS CALA. Auignon *Auenionem occupant.* Sorgue.

Quam Martellus recipit.

Carolus Auenione receptâ, ne Victoria hæreret in limine, statuit in ipsas Saracenorum terras inuadere, gentémque perfidam, è tota Francia eliminatam, suis Pyrenæorum claustris includere. Quocirca dato ad instaurandam vrbem & curandum militem spatio, subsidiisque euocatis è Francia, transito Rhodano, in ipsa ferarum latibula exercitum agit. Occitania inferior, Gothici dudum appendix imperij, obtinebatur à Mauris; eorum vrbs primaria, magnique vel Roma orbis Domina nominis, Narbo, situ & munimentis validissima, & propè inexpugnabilis censebatur. Saraceni subita

XXIX. *Martellus Narbonem obsidet.*

Narbonne.

THEODORICVS CALA.

subita irruptione Francorum oppressi & territi, & ab exercitu imparati, in munitas vrbes, Narbonem præcipuè, indefensis agris, sese coniiciunt, summáque cura ad propugnationem facilem instruunt. Nec segnius Carolus Narbonem, quando in ea versabatur cardo, vnáque erat momentum victoriæ, oppugnandam suscipit; Auenionis euentu, certus suarum virium atque hostilium. Verùm longè difficilior expugnatio cessit. Nam & vrbs paludoso in solo, stagnantibus circum vndique aquis, murísque tecta firmissimis, amoliebatur obsidentium opera soli mollitie, eadémque munitionum nexu repellebat; & præsidiarius miles ex optimo quoque delibatus, ciuísque omnis Mahumetica lue imbutus, iam non captam vrbem & alienam, sed patriam, liberos, opes, & fana, spe nullâ clementiæ propugnabant: seque vrbe incluserat Præfectus Regius Athimus, militarium rerum apprimè gnarus, cum delecto ex Hispania milite, mirificè erectis ad repellendos hostes omnium animis. Inde ad opera conuersus Carolus, metari castra circum vrbem instituit, eam vallo quasi indagine lentâ præcingere, obsèptísque aditibus, fame & longæua tabe opprimere. Nec modo sociis ad ferendam opem viæ intercluſæ, sed & obsessis eruptiones exitúsque omnes prohibiti, lata fossâ firmissimóque vallo circumductis; ne ad mortem nisi per noua mortis genera properarent. Aude. Præcipuè super amnẽ Atacem siue Adicem, qui ciuitatem interfluit, laboratum in cancellis clausträsque ponendis; palis in ipso alueo altè defixis, & in modum arietis prominentibus, ad nauigiorum spem audaciámque natantium abrumpendam. Dum hæc agebantur, munimentísque perfectis miles inclusus sibi iam oneri esset; Præfecti Hispaniæ, ne cum vrbe fortissimóque præsidio periret gentis suæ prouincia; contractis summo studio copiis, haud paruo vt res poscebat numero, liberare vrbem constituunt. Duci Amorro commissum id munus; qui confestim integrum militem minarum plenus, in hostem educit; iam laboribus fractum, vt affirmabat, meticulosum, qui munimentis se tegeret; nec quid pugnæ præter fugam præcipitem decerpturum. Carolus explorato exercitus tanti accessu, obfirmato in periculum animo, solita celeritate Mauris occurrit. Probabile est, quod Aimoinus non scribit, eductam castris maximam partem militum & selectissimam; impositum obsessis, relictis aliquot qui obirent vigilias, ignes excitarent, totúmque exercitum in castris implerent; dum Imperator egressus silentio nocte concubia, furtim quidem, sed ad magnam gloriæ segetem, hostem quærens, hosti se proripit. *M. Saracenos vincit.* Bere. Ad fluuiolum Birsam seu Biram, quà in mare proximum influit, inuentus hostis, numerosis cohortibus latè explicatis; nec mora, vtrinque ardenti animo procursum ad pugnam. Gaudere Amorrus, quòd ad se properaret victoria, viáque dimidiata sibi occurreret, deploratis rebus ad necem certam Francos irruere, ne vnum quidem fore superstitem, si dum Athimus à tergo cæderet, ipsi à fronte instarent pauidis; hunc vnum militem Christianis esse, qui si vincatur, prolaturos se Lutetiam vsque, prædam, palmas, regníque limites. Hæc dum suis iactabat; intrepidè Carolus, ordines explicans; non alios dicebat ire in prælium, quàm qui ad Turones & Auenionem iuissent; eosdem nempe tum qui victores fuerint, tum

tum qui victi; meminissent se per innumeras phalanges hostium, per imbres sagittarum, hastarum, gladiorúmque texta horrentia, decurrisse ad victoriam; modò eosdem se duci in Mauros, quos adhuc inuictos cecidissent tamen & vicissent; quos muris, propugnaculis, fossis, aggeribus tutos & munitos, expugnassent tamen, & in munitionibus ipsis obtruncassent, iam non ariete, non scalis, non machinis opus, vt ad hostem accedant, patere ipsum, sub ictu esse, sub gladio; posse vno eodemque gradu accedi & vinci. Simul primus ipse in hostem irruit. Atrox haud dubie pugna, dubiusque euentus; donec Amorrus Saracenorum Dux, fortiter dimicans interfectus (nec quomodo scribitur) suorum animos debilitauit ac fregit; tanti Imperator in alterutram lancem momenti est; hac commotos cæde iámque titubantes vrgere Franci audacius, mouere gradu, impellere, deiicere, & mox in fugam dare præcipites; deproperante Victoria, postquam semel ad gressum se mouit. Fuga Saracenis pernicioſior pugnâ; nam dum salutis spe in stagna proxima strata nauigiis, quibus aduecti erant, promiscua turba congerunt sese; pars in aquas præceps, pondere armorum, vndarúmque vorticibus, mersa est; pars à victoribus nauigia occupantibus aut à littore iaculantibus cæsa; terrâ & mari latissimè stratis cæsorum spoliis & cadaueribus; gemino Elemento ad gloriam Caroli contendente. Qui statim militem opulentum præda reduxit Narbonem; non minori laude quàm Nero ille Romanus decursa Italia victum Asdrubalem repræsentans Annibali: sanè Arhimus auditâ clade, mari effugit; moxque Carolus expugnata vrbe, ferro & flammis captam diripuit; Romanorum Gothorumque delicias, nec enim verosimile, eam vrbem omni ope & spe destitutam, victori ereptam; quod quidam asserunt. Ac mox alias eodem victoriæ gressu occupatas vrbes, Agatam, Biterras, & Nemausum, Gothici antè imperij, tunc Saracenici, similiter vastatas, murisque vt vestibus spoliatas, iniectis ignibus ardere iussit; seu veneficas, colluuie scelerum inquinatas. Postea victor, ingenti præda, maioríque famâ, in Franciam intimam reduxit militem.

THEODORICVS CALA. Anno 733. *Narbonem capit.* Agde, Beziers, Nismes.

Nec tot tantisque cladibus numerosissimæ gentis peruicacia fracta est: mox tertium irrumpit in Franciam. Suâ primùm petita Gallia, hoc est Narbonensis, peruio ab Hispania transitu; dein Arelas capta & vastata; vnde accitu Mauricij Massiliésis effusa in Prouinciam Phocensem procella, & icto cum Mauricio fœdere, ad Varum ab extremis Gadibus Mediterraneum mare inuasum. Excrescentem Hydram resecaret vt semel Carolus, præter militem magnis delectibus euocatum, Luitprandum Longobardorum Regem honorifica legatione ad societatem belli inuitat; quem vt maximè demereretur, Pipinum filium sub initia plenæ pubertatis ad Regem mittit, vt Christiano more iis temporibus vsurpato, primus adolescentis crimen attonderet (quod vel pueritiæ depositio erat, vel quædam ad Diuinum cultum inauguratio) eumque nouo quodam modo ad religionem spiritu gigneret. Idque celebritate magna perfectum, tam grato animo Luitprandi, vt is ipse cum exercitu (quod à Paulo Diacono tunc scribente traditur) ab Italia in Franciam socia arma iuncturus venerit. Iam Childe-

XXX. *Saracenorum tertia irruptio.*

THEODORICVS CALA.

brandum Auenionem præmiserat Carolus, qui Maurorum impetus coërceret; ipse postea cum Longobardo insequitur, excisurus tandem Saracenicam luem è Francia. Fuitque expeditio nominis & famæ, haud vllius periculi vel laboris; quippe vel exercitus vel Imperatoris terrore, nullâ editâ pugnâ dilapsi sunt; atque Mauricius tantæ perfidiæ reus & conscius, relictâ Massiliâ, se abdidit in maritimum locum, excelsis rupibus auiáque solitudine ignotum potius quàm securum: Maurus iterum Narbonensi expulsus, & Pyrenæis suis inclusus. Ita victor Carolus Parisios rediit, post domitam impietatis excetram, totámque Europam à grauissimo iugo vindicatam.

HISTORIÆ FRANCICÆ

LIBER QVARTVS.

SYNOPSIS.

Gregorius Martellum implorat. Martelli mors. Martelli quatuor filij. Bellum in Hunoldum. Alemanni domiti. Carolomannus Monachus. Grifo iterum turbat. Pipinus regno se comparat. Pipinus Rex inauguratur. Stephanus Pontifex in Franciam venit. Pipinus in Italiam primò transit. Carolomanni mors. Pipinus iterum appellatur à Stephano. Legati Constantini ad Pipinum. Aistulphus victus. Procerum conuentus. Parlamentum an institutum. Dux Bauariæ hominium præstat. Pipinus in Aquitanos. Pipini mors. Carolus & Carolomannus Reges. Carolus in Aquitanos. Bertam ducit vxorem, & repudiat. Carolus Magnus solus Rex Franciæ. Carolus in Saxones. Desiderius in Adrianum. Carolus in Desiderium, Ticinum obsidet. Et Romam primò venit. Longobardiæ Regni finis. Carolus in Saxones. Templum à flammis seruatum. Carolus secundò in Italia. Carolus in Hispania. Roncæuallis clades. Ludouici ortus. Bella Saxonica.

Digitized by Google

Vitichindi conuerſio. Carolus Romam repetit. Coniuratio prima in Carolum: Carolus in Ducem Beneuentanum: Et in Bauarum. Carolus in Sclauos & Hunnos. Hungari qui. Secunda in Carolum coniuratio. Rheni & Danubij iunctio. Carolus Imperator. Danicum bellum. Ludouicus Vaſcones ſubigit: Et Catalauniam. Barcinonem capit: Et Dertoſam tentat, & expugnat. Saraceni repulſi.

THEODORICVS CALA. I.

ERAT in gloriæ ac poteſtatis apice Carolus, cùm nouæ in Italia turbæ poteſtati ſin minus, gloriæ ſaltem quidpiam detraxerunt. Traſimundus Spoletanus Dux Luitprando Longobardorum Regi vectigalis, ab eo defecerat, ac Romam in Gregorij III. Pontificis tutelam vt in aſylum confugerat. Hinc Pontificem inter & Longobardum, primùm offenſio, mox bellum graue: Longobardo Spoletum inuadente, ac minante Romæ ni dederetur ſibi Traſimundus; Traſimundo contrà ope Pontificis populique Romani, vim illatam ſtrenuè repellente. Ex hac flamma natum incendium, quod Romanis Pontificibus ærumnas plurimas, Longobardis tandem regni perniciem extremúmque exitium peperit. Igitur Luitprandus viribus pollens & auctoritate, inſtigante Leone Imperatore, qui cupidiſſimè Romanam Eccleſiam perditam vellet, in ipſum Pontificem Romanámque ſedem arma commouit; ac ſtatim poſt occupata Pontificiæ ditionis quatuor oppida, & direptam ſancti Petri Baſilicam cui vel Ariani pepercerant, vrbem obſedit, agebátque ad extrema, niſi Traſimundus cum exercitu Spoletum conuerſus, auocaſſet Regem. Scio pleroſque magni meriti Auctores ſcribere, & in ea primùm fui ſententia, Martelli auctoritate obſidionem ſolutam. Sed præterquàm quod eius rei veteres nulli meminerunt, ſanè ex iis malis quæ Luitprandus liberatâ Româ Pontifici intulit, colligi poteſt, nequaquam à Martello collatum id beneficium, quod ſtatim in malefactum deſciuit; & fuiſſe opus infirmitatis non clementiæ, alienæ vel ſuæ. Sanè ad Carolum inſtituta eſt legatio, eodem modo quo à Gregorio II. obita fuerat; imò additæ Pontificiæ literæ, magni doloris & miſeriæ indices. *Iis Dominum excellentiſſimum filium Carolum Subregulum (ita enim compellat) ad ferendam Eccleſiæ opem impensè precatur; eiuſdem Eccleſiæ anguſtias & calamitates ingenti animi ſenſu deplorat. Queritur, quod filij quorum intereſt maximè ſaluam eſſe matrem, laboranti nullum auxilium, nullas ſuppetias ferant; monet ne Regiis Longobardi falſis prætextibus moueatur, ideò Duces Beneuentanum & Spoletanum bello peti tam atroci, quod nolint Romanam Eccleſiam armis laceſſere: Potentem quidem Apoſtolorum Principem ad propulſanda hoſtium tela, ſuáſque ædes ab calamitate omni vindicandas; ſed experiri Deum, quæ fidelium mens, quive animus ſit, & in beneficiis mortalium amare & quærere quod rependat. Poſtremò eundem Carolum*

Gregorius Martellum implorat.

Anno 739.

Gregorij littera.

Carolum bis Christianissimum appellatum, incensis verbis adiurat, per Deum viuum, & ipsas sacratissimas claues, iam auxilij opisque indigas, ne Longobardi amicitiam Ecclesiæ bono anteponat, sed celeriter aduolet ad præstandam opem; aperiatque iactate diutius Petri naui tutum portum atque perfugium. Hæc apud Carolum, cuius fuerint ponderis haud satis liquet: Sane vt coniicere est, eum pro Pontifice apud Longobardum deprecatum amicè, ita certò constat nihil armis tentasse, siue grauissimo ac diuturno bello perfunctus, potius duxerit, suos pace & otio recreare, quàm implicare nouo Marte atque ancipiti, siue fœdere, amicitiâ, summisque beneficiis Luitprando obnoxius, ingrati animi notam effugerit, seu demùm lenta ac decocta nondum consilia mors occupauerit. Nam & Gregorius Pontifex proximo anno suo fato raptus est, Zacharia successore mansuetudine morum atque ingenij impetrante pacem à Luitprando, Caroli forsasse quà timore, quà monitis. Et ipse Carolus ætatis anno quinquagesimo quinto, regni in Reges vsurpati vicesimo quinto, tabe ex febri contracta, vitam clausit, multis aduersis felicem & inclytam; pace tot inter bella & tumultus partâ; dignus quo Francia Græciæ atque Italiæ se componat, ita summa ex paruis, & in patriæ salutem non perniciem gesta plurima sunt. Vnum tamen Martello defuit, quæ Alexandri Cæsarisque felicitas, nempe Scriptor qui præclarè gesta posteris traderet, nisi & ipsi posteri, liberi & nepos, Martello pro scriptore sint, & panegyricus suprà omnem laudem. Sepultus est in basilica Dionysiana, Regum Mausolæo, vt iaceret inter Reges, qui sedere noluerat. Post obitum fama tanti viri & existimatio læsa est, quibusdam somniis de æterno eius exitio increbescentibus, quæ per se futilia, & à Baronio falsi comperta, vt mera somnia, & vigilantium mendacia, reiicienda sunt. Fortasse hæc opinio & in pœnam fuit Martelli gloriæ, qui res sacras paruo delectu in profanos vsus impendisset, & Ecclesiasticas immunitates violasset audacius: Quanquam & aliunde hanc iacturam sarciuerit, Christianæ fidei apud Germanos zelo & studio, adeò vt illi Gregorius III. gratias egerit, quod sua cura, auctoritate & opera, sanctus Bonifacius centum hominum millia ab idolorum cultu auerterit: prærogatiuâ nobili Principum, vt in aliena tum bona tum mala influant, nec tantùm ex suis quantùm ex subditorum moribus censeantur. Paulò ante Rex Theodoricus obierat, euecto in solium Childerico III. Theodorici filio aut agnato, quippe hæc incerta admodùm; nec Childerici præter exautorationem vlla memoria, indignantibus fastis ea nomina adscribere, quæ vmbratica & inania nihil veræ & solidæ laudis retegerent.

THEODORICVS CALA.

Martelli mors.

CHILPERICVS III. REX.

Carolus tanta facinora præclarâ sobole cumulabat. Quatuor illi superstites filij, Carolomannus, Pipinus, Gripho, & Ægidius, & Chiltrudis, ex Sunichilde susceptâ. Ii siue natalibus impares, siue indole, aut paterno affectu, hæreditatem ipsius haud æquè sortiti sunt. Quippe Carolus postremis tabulis, maximo natu Carolomanno regnum Austrasiæ gentésque vltra Rhenum commiserat; siue honoris causâ, quasi auitum à Pipino regnum primùm genito traderet; siue ex prudentia delectúque iusto, ob Carolomanni ferociorem indolem, quæ feroces itidem gentes

II.

Martelli quatuor filij.

Anno 741.

CHILDERICVS III.

pronasque ad rebellandum, duriusculè regeret, fortitérque subiiceret. Idem Pipino mitiori natura Neustrios & reliquam Franciam faciliores populos regendos attribuit, minorem licet in maiorem partem admittens, quâ teneritudine affectus, erat enim Pipinus patri charissimus; quâ vaticinante quodammodo futuram magnitudinem animo, & amplitudinem regiam in adolescentis dotibus præsagiente. Duo supererant liberi, ex alia coniuge suscepti, Sunichilde quam dixi, Odilonis Bauariæ Ducis ex fratre nepte, Grifo & Ægidius: quorum Ægidius iam viuo patre, vt erat indolis ad solitudinem natæ & à tumultu rerum alienæ, sacris curis addictus Rothomagensibus infulis fuerat annexus, & ideò à scriptoribus pluribus inter Caroli liberos nusquam numeratus: Grifo propter morum asperitatem, & immodicam ambitionem, in nullam partem hæreditatis admissus, iubebatur eam sortem accipere, quam constitueret beneuolentia fratrum, patre detrahente ambitioni materiam, ac iuueni dominandi cupido obsequium imperante, ex fraterna beneficentia tutius atque suauius. Verùm vt rarò humana prudentia vltra hominis vitam prorogatur, vniúsque Dei est in ætates multas prouidere, statim Grifo paternam præteritionem ratus iniuriam, erumpente carceribus positis indole, statuit præripere fratribus quod iubebatur accipere, & partium, si eas tandem regnum admitteret, diribitor esse, non particeps. Accessit noua incendio flamma, Sunichildis, quæ amans vt mater, & ambitiosa vt fœmina, filij contumeliam atque inopiam suas ducens, eum ad moliendas nouas res impulit. Quærebat à filio; *Num ab matre impari ortus foret? An vilis adeò Bauariæ sanguis, è quo nata soboles pro spuria sit? Nam quid aliud paternas tabulas dicere, è quibus per ignominiam esset expunctus, nisi nothum esse & spurium, qui liberos inter prætermitteretur? At nequaquam id iudicium Caroli esse, cuius ipsa mentem & pietatem dudum explorasset; eam à priuignis textam esse fraudem in tabulis, qui tum ipsum, tum Ægidium fratrem, quos ab natalibus non possent, à natalium fructu amouissent. Quocirca ipse, si vir esset, si vera fortissimi Caroli soboles; iam paternæ virtutis æmulus, in fratres tabulásque falsas exsurgeret, hæreditatem cuius parte vetaretur inuaderet vniuersam; eam adhuc occupantis fore, proceres Francos ducem sequuturos, cuius miserarentur inopiam, & mirarentur audaciam; patruum ipsum Bauarum cum tota Germania promoturum tam iusta studia. Iret igitur, fortunæ duci sese committeret; quodque raptum iniuriâ foret, id armis quod Principum ius est, vindicaret.* Confestim iuuenis spe & indignatione tumidus, adscitis consilij sociis, Laudunum iis temporibus vrbem munitissimam in Picardia inuadit, indicto fratribus bello, maiore audacia quàm potentia. Ii verè germani in communem hostem conspirantes, hæreditaria celeritate lecto exercitu, oppressuri virus in capite, Laudunum obsident; adeóque interclusam omni ope vrgent, vt se conditionibus nullis tradiderit, ipso Grifone permisso fratribus, breuissimo tempore absumente spes tantas. Hoc periculo perfuncti fratres, ad sanandas nouas plagas conuertunt animum. Siquidem populi, ac ij maximè qui procul dissiti ad Austrum & Boream, nuper adiuncti erant regni limitibus, post fata Caroli iugum excusserant, abscedente reuerentiâ cum metu, & resurgente spe libertatis recens excisæ.

Grifo in fratres mouet.

Laon.

exciſæ. Sed ne quid turbarum Grifo moliretur, curâ Carolomanni, in Caſtellum nouum, quod ad ſiluam Arduennam validiſſimum erat, deducitur; honeſto carcere animi impetum nimiámque ferociam refringente. Mox Aquitania rudimentis Principum deſignata. Eam Hunoldus, iam ſæpe dictus, Eudonis filius inuaſerat, & Carolo etiamnum viuo perduellis, Lanfredum Abbatem ſancti Germani, legationis cauſa ad ſe miſſum, quaſi exploratorem, captum, & in carcerem truſum, contra ius gentium, magnâ Francorum ignominiâ, pluribus menſibus detinebat. In eam igitur cum exercitu penetratum; ſed breui bellum pace mutatum eſt, quam Hunoldus ſuppliciter popoſcit, illi cum Ducis titulo, Aquitania permiſſâ, at Franco vectigalis, & viciſſim Lanfredus redditus, malè actorum petitâ veniâ. Ibidem ad veteres Pictauos, fratres egregiè concordes, ne charitas periclitaretur in poſterum, regnum quod indiuiſum hactenus geſſerant, iuxta patris tabulas partiuntur, obtinente Carolomanno Auſtraſiam, Pipino Neuſtriam, quippe facilius ſectorem admittit imperium quàm conſortem. Inde regreſſi vterque ad ſua. Statimque daturus ſpecimen qui futurus eſſet Carolomannus, primò in Alemanniam vltrà Rhenum excuſſo iugo rebellantem, facta irruptione, ferro & flammis coactam ſapere, ad obſequium reuocauit. Deinde gnarus pietate & iuſtitia contineri regna quæ ferrum paraſſet; admonente Bonifacio ſancto illo Germanorum Apoſtolo, quantùm licentiæ & impietatis, homines non profanos modo, ſed ſacros etiam ariſque addictos, tot inter bella quæ geſſerat Pater, inuaſiſſet, nec remedium efficacius quàm ab euocata Præſulum Synodo, autoritate Zachariæ ſummi Pontificis ea contracta eſt; multíſque Canonibus quæ penitus collabebatur inſtaurata Eccleſiaſtica diſciplina, Dei cultui prouiſum in poſterum. Perfectâ Synodo, rurſum obſtrepentibus lituis, Mars tentatus. Bauari & Saxones ab Caroli obitu, qui primi temeritate rebelles fuerant, iidem poſtremi omnium temeritatem peruicacià tuebantur. Ac Bauari quidem Odilonis freti audacià; qui Ducis abdicato titulo vſurpauerat regium, iam Dominis ſuis ſe componens, nouáque iniuria cumulauerat primam, Hiltrude Francorum Principum ſorore, Sunichildis ſuaſu, clàm in Bauariam fugiente, admiſſa in thalamum, & inuitis fratribus in vxorem captâ. Ergo Carolomannus & Pipinus, communi exercitu vindicaturi contumeliam communem, iunctis viribus Odilonem inuadunt, ac poſt acerrimam dimicationem ad Leccam amnem profligant: inde conciliata pax, victo permiſſa vxor, Regis titulus in ſtipendiarium mutatus. Pòſt in Saxones Carolomannus ſolus ſe conuertit, quos Theodoricus auctoritate facilè apud eos princeps ad defectionem impulerat; eoſdémque mox obſequio reddidit, captus ipſe à Carolomanno in valido caſtro Hoſcoburgo, & data fide in libertatem reſtitutus. Liber tamen rebellat iterum, geminíſque fratribus in eum mouentibus, iterum vincitur, captúſque veniam impetrat, victoribus arma in pœnam expedita, venia & indulgentia coërcentibus: Vt hic mirari lubeat, tum concordiam fratrum, tam facilè mutuam opem præbentium, ſimúlque imperantium quaſi vnus foret; tum clementiam, ita parcentium quaſi non vincerent niſi vt parcerent.

CHILPERICVS III.

Bellum in Hunoldum.

Alemanni domiti.

Lec.

In

CHILDERICVS III.

III.

Carolomannus Monachus.

In hoc prosperitatis cursu Carolomannus patrauit facinus seculis omnibus memorandum, quod quia sapientiæ est & fortitudinis supra mortalem, placet id fusius atque enucleatius enarrare. Etenim, si laudi fuit quàm maximæ, & ad cumulum famæ amplissimum, Carolo V. Imperatori, iam seni, debilitato morbis, & inconstantiam rerum pertæso, in filium hoc est alterum se, magnam regni molem transmittere, quantæ erit gloriæ Carolomanno, in flore ætatis, valenti & vegeto, omni fortuna prosperè functo amplissimas spes fratri, hoc est alieno propemodùm, copiámque tantam relinquere, vt pauperculus. & ad nutum alterius, vitam multa inter incommoda ignotus ageret? Hic igitur profligatis vndique hostibus, iam pace partâ, ne diffluueret otio, cœpit de futuræ vitæ statu cogitare. In cœnobia benignus admodùm, piâ liberalitate plurima fouerat, præcipuè Fuldensi, quod Bonifacius ærumnis magnis condiderat, iura & fundos elargitus erat luculentos. Inde frequenti cum eodem Bonifacio sermone, pietatis rerúmque sacrarum illecebris captus, primò terrena vt caduca agnoscere, parui facere, aspernari; dein cœlestia habere in pretio, amare, ac cupiditate magna expetere, ac tandem animum Diuino incendio depascente, fastigium, opes deliciasque odisse; & quæ Christum sapientibus saperent, ignominiam, latebras, indigentiam rerum, labores, summo amoris æstu inquirere. Cùm itaque diuinus spiritus victor vrgeret, statuit piissimus Princeps, abdicatis honoribus omnique seculi pompa eiurata, Deo se tradere, ac monasticam vitam suscipere. Capti consilij Pipinum statim participem facit; ac tametsi pro mutuo amore atque concordia, orbari fratre molestum haud dubiè Pipino fuerit, tamen iacturam fratris tanto imperio rependente, Carolomanni votis alter assensit. Ille igitur Pipino facultatum omnium hærede dicto, imò iam possessore, comitatu honesto Romam ad implenda vota profectus est. In ipso itinere Soractem in Tuscia montem inuisit, (consecratum olim Siluestri latebris, cùm sanctissimus Pontifex Constantini nondum Christiani metu deliteret) & adamatâ loci solitudine, iussit in eâ ædificari cœnobium, in quod ipse cum aliquot sociis, veluti in portum è mundo, vt aiebat, naufragus, posset emergere. Romam hinc pergens, in orbis Domina triumphaturus verè de orbe terrarum, depositâ purpura, abiectisque militaris pompæ insignibus, ab Pontifice ipso Zacharia monasticum suscepit habitum; demirantibus cunctis, tantam demissionem in Principe, fortitudinem in iuuene, atque in Aulico viro pietatem. Inde impertita benedictione Pontificis, in Soractis eremum gaudio ingenti secessit, regnum adeptus, sua sententia atque verissima, longè amplissimum. Verùm nec in eo Principis tanti laus constitit; quique videbatur virtutis partæ iam cumulus, properanti vlterius gradus fuit, adeò viris quos insedit Deus nihil est summum, nullâque meta semper currentibus. Admiratio virtutis ad Carolomanni spectaculum euocabat plerosque, qui in Monacho Principem siue inquirerent siue inuenirent, aliquid maius Principe suspiciebant, Francorum maximè Romam ibat nullus, quin digrederetur Soractem, irétque visum in illo sanctitatis theatro, atque veræ gloriæ nundinis, quanti terra esset, quanti cœlum.

Anno 746.

Vnde

Vnde adeuntium turbâ, & veneratione exhibita, cùm aduerteret Carolomannus in frequentiam latebras, & in honorem demissionem deficere, rursus mundum vel ab Monacho fugiens, audito montem Cassinum magni nominis cœnobium esse in Samnio, ad illud vno viæ comite ignotus se contulit, summisque precibus impetrato à Petronace præside aditu; vilissimo culinæ muneri, aliisque eiusmodi officiis, diu quasi tyro & pro abiecto mancipio addictus atque exercitus, ea edidit patientiæ, humilitatis, & obseruantiæ in præsides specimina, vni præter socium Deo superisque notus, vt in summam sanctitatem euectus, inter Monachos tam virtute princeps extiterit, quàm inter Aulicos ortu & fortitudine. Nec ambigo quin ipsi laudi maiori fuerit, oues pascere, ferre humeris si quæ aberrarent, vapulare à coquo, & velut induruisset in saxum verbera & contumelias perpeti, nullo questu ac nullo propemodùm sensu; quàm dimicare, vincere, triumphare, ac præstare ea quæ Regum ornamenta & vota sunt. Sanè par fratrum in dispari studio gloria, & fortasse maior alterius: Comparauit regnum Pipinus, Carolomannus contempsit, ille tradidit posteris, hic castitate interdixit se posteris; ille in fama & omnium ore versatus est, hic silentio suáque infamia immortalitati se tradidit. Sed ista, fortasse plura & extra chorum, sanctissimi adolescentis virtuti donata sint. CHILDERICVS III.

IV. Vt Carolomannum ab secessu pax & tranquillitas, ita Pipinum ab incremento honoris bellum sequutum est ac ærumnæ. Fratrum consensu, Gripho qui hactenus in Castro nouo custodiebatur, assertus est libertati, & Pipini gratiæ redditus, spes primasillicò & vota suscitauit turbidus iuuenis. Cùm ei omnia abundè supperterent præter imperium, fratrique duntaxat vni subesset, tam perosus obsequium quàm optans imperium, maluit per fugam atque pericula istud inquirere, quàm illi acquiescere in vsu opum atque in otio. Quocirca lecta nobilium manu, quos similis vel spes vel indoles conciliauerat, ad Saxones fugit, nouas ad res nunquam non paratos, statimque ad rebellandum impulsos, contracto milite, ad amnem Onacram (quem Neccarum esse crediderim) positisque ad ripam castris, fratrem cum exercitu properantem, amne & munimentis tectus expectat. Nec lenta expectatio morantem frustratur, Pipinus per Thuringiam celeriter aduolans, in Saxoniam penetrat, iámque res vergebat ad prælium, cùm amicè conuênit, seu metu Saxonum, seu Pipini clementiâ; rebellibúsque impunitas data. Gripho relictus suæ fidei atque pollicitis, abscissa spe turbarum in Saxonia, fratre vix dum digresso, in Bauariam ad sororem Hiltrudem se confert. Ea Odilone coniuge morte prærepto, Tassilone filio puero admodùm, vt erat fraudi obuia per cognationem, ita & vi per infirmitatem. Quæ igitur vt soror fratrem amicè excepit vagum & profugum, quod agricolæ contigit admittenti viperam laribus, cum breui experta est proditorem & perfidiosum. Siquidem clam inito cum amicis consilio, quos è Francia honoris & salutationis specie conuocabat, sumptis armis inuadit Bauariam, ac sorore cum filio in custodiam traditis, ipse tandem imperium, quod à fratre nequiuerat, à crimine obtinet. Verùm Pipinus detestatus perfidiam fratris, & miseratus sororis lacrymas, cum exercitu va- *Noua à Griphone turba.*

CHILDERICVS III.

do in Bauariam venit, ac nouum Ducem, promptiorem patrãdo sceleri quàm tuendo cum iis omnibus quos afflabat consortium criminis, vel imparatum à milite, vel abiectum ab animo, ne permissa quidem fuga cœpit, magno statim temperantiæ clementiæque specimine. Nam Tassilonem nepotem in Ducatum restituit, vno victoriæ præmio quòd benè faceret, & Grifoni tam sæpe rebellanti, noua sui victoria, pepercit. Imò vt beneficiis perturbatorem iuuenem immutaret, secum abductum non mancipauit carceri, nec supplicio affecit, sed assignatis duodecim comitatibus, Ducem appellauit: Prudenter tamen, quod intra Sequanam & Oesiam amnes comitatus conscripti, positis propiùs ambitionis cancellis; Dúxque sub oculos fratris collocatus, vt à nouandi studio amoueretur. At impensum frustra beneficium. Euoluto nondum anno Grifo pacis & quietis impatiens, præclusis iam Borealibus terris, ad Austrum diffugit; excipiente Gaifero Aquitaniæ Duce, qui Hunoldo fratri vel demortuo vel cedenti sponte successerat. Demùm tot inter leuitatis & inconstantiæ fluctus impegit in scopulum temerarius iuuenis: quippe, vt tradunt, cùm vxorem Gaiferi, quæ formosissima erat, amore captus, appellasset de stupro, monente virum coniuge, nouus Paris à Menelao nondum raptor peremptus est, & vindicante priuatam iniuriam, & auertente, quæ à Pipino reposcente fratrem imminebat, calamitatem publicam. Quanquam scribant alij, Griphonem ab Aquitania extorrem, in Alpium transitu cæsum, dum in Italiam tenderet, fortè à Longobardis quæsiturus perfugium. Ita alieno scelere an supplicio, Pipinus hac molestia liber, solus regnum Francicum obturbante nullo administrabat.

V. *Pipinus ad occupandum regnum se comparat.*

Tum demùm cura de occupando regno virum incessit. Iam Martelli gloria atque auctoritas potestatem transferendi regni pepererat, réque in facili erat, nisi vir militaris, profligandis hostibus magis quàm demerendis ciuibus studuisset, aut fortè censeret, publicam rem tot morbis vexatam atque distractam, nondum duro atque nouo symptomati parem esse; legauit tamen eandem liberis facultatem, appendice hæreditatis opimâ, vt voluntas vbi accederet, prompta esset potestas. Nec eâ vsi sunt Carolomannus & Pipinus, quantumvis concordes, at fortasse gnari quanta fax discordiæ regni pars foret. Mox Carolomanni abdicatione, Grifonisque morte, traductis in Pipinum vnum Martelli opibus; enimverò tunc sic inflammata est viri ambitio, vt iam non voluntatem, sed flagrantissimam cupiditatem præuertendam omnibus duceret. Eam in rem cœpit circunspicere se, Childericum Regem, Proceres Francos ac modos quibus in id fastigium eualaret. Inspectabat se florentem ætate, felicem prole atque subnixum, in ore omnium esse atque amore; vectigalia regni, dignitates, arces, & milites, seu corporis neruos, vel automati cuiusdam machinas, suos ad nutus verti & agi, se tandem regni præter vnum nomen compotem esse. Contrà Childericum, non modo omni ope, sed suo ipsius animo destitutum, adeò regio indignum titulo, vt ne ad hominem quidem accederet, vmbram & laruam inanem aspiciebat, si pelleretur vel digito, ruiturum in præceps. Iam Proceres, tum qui sacra regerent, tum

qui

qui profana, ab Auo & Patre dignitatibus & beneficiis auctos, & ab ipso se cumulatos, vnum id cupere, vt nomen regium & potestas penes eum esset, qui augeret beneficia, non euerteret, nec clientibus nouis se traderet: Eò maximè, quod Martelli industria, nemo è tot Proceribus eminebat, qui Pipino contenderet regnum vel inuideret. Iis perspectis, cùm ad modos perficiendæ rei se vertebat, nihil non promptum deprehendebat & facile; euocandum nobilium cœtum, seligendos qui sibi plurimùm addicerentur, proponendam rem, effectum haud dubie sequuturum. Quæ videbantur duæ res fore impedimento, amoueri easdem posse; nempe Francorum in Reges venerationem, & in Clodouæi posteros studium, iam ignauiâ Regum in contemptum vertisse; religionem præterea & sancitæ fidei iusiurandum, auctoritate Pontificis solui posse vel scindi. Ideò ad rem aggreditur, multos benefactis, plures pollicitis, comitate omnes deuincit, amicos veteres spe nouâ excitat, nouos veterum æmulatione incendit; nec pecuniæ parcit nec studio, vt in aula & in prouinciis habeat addictos qui auctoritate pollerent. Iam passim à familiaribus cœpto sermone, primùm in Aulicos, mox in vulgus emanauerat; propudiosam Francorum gloriæ iam tot Regum socordiam esse; abiiciendos qui nec sibi nec aliis boni essent, eum cooptandum, cuius virtutes tam amplo nomini adæquarentur; virum non longè arcessendum, in promptu esse Pipinum Principem. Et verò Pipinus paruo in corpore magnas animi dotes obtinebat: Nam staturâ quidem pusillus, quaternos supra dimidium pedes vix implebat, vnde illi Breuis aut Parui cognomen, at animus in arcta cista ampliſſimus, vni imperio conditus, adeò non capiebatur corpusculi modo, vt nec Franciæ terminis quà patebat latè conscriberetur. Accedebant mira comitas morum atque facilitas, ingenij atque consilij incredibilis quædam magnitudo, probitas mentis præter ambitionem remotæ à vitiis, magna liberalitatis & benefaciendi cupiditas, rei militaris cum felicitate peritia, virium etiam supra corporis modum robur eximium, religionis sacrarúmque rerum amor & studium; vt iam videretur tot concessis dotibus Deus regno præluisse. Ille igitur vbi sermones eiusmodi gratos in vulgus, & excipi amicis auribus animaduertit, maturum negotium ratus, publicum regni conuentum indicit, euocatis Præsulibus & è nobilitate præcipuis, quos sibi studere maximè comperisset, curátque in cœtu tentatis iam animis rem proponi. *Turpe esse Francico nomini, iamdiu tantum imperium ab indignissimis omnium regi; infamiam & ignominiam Regum, genti adscribi, iam malè audire apud exteros Francum, cui ignauissimus imperet. Sanè Francorum quem non pudeat, si nouos Reges, imò Regum sordes atque quisquilias, cum Clodouæis Clotarisque componas? Si cum ignauia militarem audaciam, cum stoliditate ingenium, cum infortuniis felicitatem, amplitudinem animi cum abiectione, gloriam cum ignominia, triumphos contendat cum seruitute & latebris? Deberi quidem reuerentiam Regibus, quam cum lacte Francus exsugeret, sed veris paribúsque tanto fastigio, non spuriis & à stirpe auita deficientibus. An crederent in vna corpora venerationem tantam adhiberi? Num animos potius & animorum dotes eximias, reuerentium in Patribus summam peperisse? Quasi Clo-*

CHILDERICVS III.

CHILDERICVS III.

donum cultæ cæsaries, aut conformatio frontis aut narium, non quædam animi vis admirabilis, non fortitudo, non pietas, venerabilem posteris Regem effecissent. Sanè si is, si Clotarius filius, si Guntramnus, iis fuissent moribus, quibus tunc agebat vitam Childericus, quid aliud præter contemptum & odium assequuti essent? Enimuerò dignum Francorum Rege negotium, tota die crines & barbam pectere, nocte stertere veterno pinguem & otio, toto anno glirium instar delitere rure, & mortalium conspectum fugere, non tractare arma, non interesse rebus ciuilibus, Francorum victorias ne auditu quidem accipere, & in regno suo extorrem agere; Annon præstaret eum Regem dici, qui reuera foret, laruámque inanem tandem amoueri? Nam Pipino quid noui conferent Proceres, cùm Regem dixerint? non potestatem regiam, quam impetrauit dudum à meritis; non venerationem, quam exhibuerunt Franci iam Auo; non ab hostibus exterisque gentibus metum ac terrorem, quem ipse suis victoriis latè circumtulit: Quid darent igitur, præter nomen & titulum, quem abdicabat à Chilperico mendacium, & asserebat Pipino veritas? Nec si haberetur ratio sanguinis, destituto prole Childerico, propinquiorem alium esse; nam vt Pipini paternum stemma à Clodione Rege petebatur, ita maternum à Clodoueo, cuius proneptem Blitildem, Clotarij secundi filiam duxisset Ansbertus, à quo Pipinus ortum habebat. Nec ducendum religioni, quod iurassent fidem Childerico, quippe is primus exautorabat se vitæ ignauiâ; quippe quod iurauerat ipse non impleret, tueri populos, regere, & promouere; nec exigere mutuam fidem poterat, quæ remissa nouo vitæ genere videretur. Ad summum appellari posse Pontificem, religionis sacrarúmque legum Antistitem, à quo veniâ iurisiurandi concessa, solutóque fidei vinculo, liberum Francis esset quem cuperent regno cooptare. In hanc sententiam assensu omnium itum est; missique ad Zachariam Pontificem legati, Richardus Bituricensis vel Herbipolitanus Episcopus, & Fulradus Pipini vt vocant Capellanus, hoc est sacrario Præfectus; qui Francorum nomine, solui sacramento, ac iusiurandum remitti peterent.

IV. *Pipinus Rex renuntiatur & inauguratur;*

Ii Romam vt venerunt, Pontifici eadem quæ in conuentu Francorum ingerunt; virtutem & merita Martelli exaggerant: *Per eum stare Christianam Rempublicam; repulsam ab Europa Mauricam luem, positósque terminos grassanti flammæ, iam ad ipsam Italiam aspiranti. Et Pipino præter paternam gloriã suas etiam laudes summas esse, penes eum esse regni nerues & sanguinem, quodque maius est, Francorum amorem, optari ab omnibus, iámque in singulorum animis Regem esse. Nam Childerico, si redigeretur in ordinem, non iniuriam fieri, qui nec auctoritate, nec opibus, nec Francorum sensu, nec suo Rex foret, qui sine liberis iam truncus sterilis exaresceret, abdicante Deo propudiosam illam socordiam. Addebant, quod perefficacis momenti, Romanis Pontificibus tutelam & asylum parari oportere, eos hinc inde ab Constantinopolitano Imperatore & Longobardo Rege tam furiosè quàm cupidè peti, non ignorare ipsum Zachariam, quo furore quáque insaniâ in sacra sacrosque homines Constantinus sæuiret, callere quâ ambitione, qua cupiditate inflammaretur Astolphus, ij duo si vires coniunctas in Romanum Pontificem vertant, quis salutis portus, qua statio? Sanè non aliam illucere spem quàm Pipinum, qui beneficium à Romanâ sede collatum rependat cum fœnore, impendátque dignitatem regiam atque potentiam, ad Ecclesiæ non salutem modò, sed libertatem,*

tatem, amplitudinem, atque incrementum. Iis Zacharias persuasus, in legatorum votum assensit; ac post liberatos Francos sacramento, Bonifacio viro sanctissimo Moguntinensi Antistiti munus demandauit inungendi Pipini in Regem, quem ipsi Franci iam suis suffragiis delegissent. Perfectáque vnctio Suessione, magnâ omnium Ordinum celebritate à Bonifacio; móxque Pipinus Rex Francorum dictus, & more gentis circumlatus clypeo, solióque impositus. Supererat vltimus ad claudendam scenam tam nobilem actus, exauctoratio Childerici, qui ab rustica villa in qua degebat in Cœnobium ductus, scissâ cæsarie, depositísque vestibus Monachum induit; nulla grauiore iactura quàm crinium; nam regno quod non obtinuerat, haud spoliabatur, & vxorem perdere fortè in lucro fit; Ea similiter in Monasterio Virginum clausa est; móxque ambo quasi consepulti, à memoria omnium expuncti sunt; Tragico planè casu, nisi miserationem restinxisset contemptus. Quippe dum hæc agerentur, neque Romæ neque in Francia repertus vnus est, qui Regis miseri causam susciperet, aut vel leuem moram rei iniiceret, adeò nullum est supra calamitates fastigium: imò tantam regni conuersionem nullus tumultus, nulla turbatio excepit; plaudentibus omnibus nouo Regi, nemine in tot nobilibus, vel volente vel auso sibi regni partem asserere, in patientiæ præmium. Scilicet Dei vnius regnum æternum est, caduca cætera, quæ largitur ipse eripitq; cùm lubet. Neque omiserim præclarum fortitudinis specimen à Pipino editum, sub ipsum regni primordium; quod facinus alio tempore temeritatis argui posset. Vidit se ob paruitatem staturæ, non tanti æstimari à Proceribus, quantùm dignitas noua Postularet. Eam vt audaci facto sanciret; cùm in spectaculo publico Leo in Taurum pugnans, collo apprehensum dentibus stringeret, sedentes in pegmate Proceres interrogat Rex; an soluendi tauri modus foret? silentibus cunctis præ stupore ipse exiliens, educto ense in pugnantes tendit, vnóque ictu Leonis caput amputat, ferro altè in tauri collum immisso; tum ad Principes redux: Num, inquit, dignus videor, qui vobis imperem? Sanè tunc miseranda posteriorum Regum conditio, quibus luculentissimo regno interdictis, prædium rusticum dabatur in sumptus, cum aliquot famulis, potius inopiæ testibus, quàm regiarum opum administris: Semel in anno in vrbem vecti plaustro iunctis bobus, vt Regis laruam inuerent, promissámque ostentarent cæsariem (nam is vnus character supererat tantæ potentiæ) mox iisdem quadrigis redibant in villam; toto deinceps anno pompam dieculæ absumente. Interim dum Magistri Palatij, ius belli & pacis, vitæ & necis, potestate summa, exercerent, ac pararent gradus quos Pipinus scandit. Ita defecit Merouingiorum prosapia, anno postquàm inceperat, si à Pharamundo numeres, trecentesimo trigesimo secundo, virtute militari admodùm inclyta, regni & nominis Francici propagatrix, sed quæ ferociam à stirpe saperet; nondum Christianis decocta virtutibus, ambitioni propior quàm religioni; regendi partem docta, dum imperat aliis, partis ignara, dum sibi non imperat. Confestim Pipinus in Saxones mouit, vt nouo bello sermones vulgi obrueret, aut dignum se nouo fastigio exhiberet, cessitque expeditio ex voto;

PIPINVS.

Anno 751.

Regum posteriorum status.

PIPINVS.

cæsis pulsisque ad Veseram amnem Saxonibus, quanquam acerrimè & contumaciter dimicantibus. Narratúrque in reditu contigisse res mira, quam Ludgerus de hoc bello scribit. Nempe Pipino dum rediret victor, ad Coloniam occurrisse Vvestphalorum ingentes copias, qui insessis viarum compendiis, intercluso Francis, iam pugna imminutis, fessisque itinere, minabantur exitium: Quo in rerum articulo Pipinum humanæ opis indigum, inuocasse Diuinam, flexísque ante exercitum genibus, Suniberti Episcopi non ita pridem defuncti memorem, eius maximè imploraſſe auxilium. Qua vix fusa prece, super Francos splendidissima lux effulsit, cuius fulgore Barbari (& ij omnes idololatræ) ita sunt non exterriti modò, sed perstricti oculis & excæcati propemodùm, vt legatos de pace ad Pipinum miserint, se pro victis habentes, & prompti iurare in leges victoris. Ita tanto periculo expeditus Rex, victoria celebris & pietate, venerationem apud suos auxit, cuius gloriam laudémque bellicam sua virtus conderet, Deúsque sanciret.

Pipinus miraculo seruatus.

VII. *Pipinus à Stephano Pontifice implorator.*

At statim ipsi è Saxonia reduci, magna ad gloriam seges, & ad regni stabilimentum columna obtigit. Zacharia Pontifice è viuis rapto, ac successore Stephano II. intra quartum diem itidem mortuo, Stephanus III. in Pontificem maximum lectus est. Hic gnarus Longobardum Romanæ Ecclesiæ imminere, continuò Legatos ad Aistulphum Regem mittit, qui fœdus ab eo cum Zacharia contractum in commune bonum instaurarent: nec dubitauit instaurare Rex perfidus in annos vndecim; gratiâ Cyclopis impertitâ Pontifici, vt postremus periret. Siquidem manu & ambitione promptissimus, totius Italiæ hausta cupidine, quia duo admodùm votis moræ erant, Rauennæ Exarchatus, & Romana sedes; statuit primùm Græcos Exarchatu depellere, dein auctâ potentiâ Pontificem vel incautum vel mox frustrà cautum opprimere. Iámque obtinebat dimidium, Rauennâ captâ, occupatâ Pentapoli, & Eutychio Exarcho in Græciam acto; Copronymo Imperatore ad impugnãdas imagines quàm repellendos hostes promptiore: cùm ex præterito futurum colligens, audaciæ plenus, Narniam occupat, & ad Romam ipsam copias admouet. Stephanus appellato fœdere, missis Constantinopolim legatis, Aistulpho ipso precibus immensisque donis tentato; medicinâ iam irritâ, versus ad Deum piaque supplicatione opem efflagitans, diuino sanè instinctu, Francorum & Pipini memor; ad eum confestim peregrini veste fidum hominem legat; rogans vt coràm acturus, quæ Ecclesiæ bono conducerent, venire in Franciam posset; eamque in rem legatos mitteret ipse Rex, quorum auctoritate per Aistulphi regnum inuiolatus Pontifex Alpes attingeret. Pipinus beneficij præstiti memor, & pietatis vt euentu patuit maguo sensu, continuò Bodigandum Abbatem, & mox Ducem Antcarium misit ad Stephanum, qui spe & promissis virum sanctum erigerent, atque in Franciam rutò deducerent. Ii aduenium,, cùm arcta obsidione Roma premeretur, suáque auctoritate, & Legatorum præterea quos eam in rem Constantinus miserat, abducente copias Rege, vrbe prodit Pontifex, Legatísque comitantibus, Ticinum ad Aistulphum ipsum proficiscitur. Quem precibus, lachrymis,

Stephanus in Franciam venit.

chrymis, atque muneribus obtestatus, vt quæ ablata essent, tum ipsi tum Constantino restitueret; irritis omnibus, tandem facultatem eundi in Franciam ab inuito extorquet, & magna celeritate, ereptus Longobardi insidiis, incolumis ad Alpes euadit. Inde progressus ad Cœnobium sancti Mauricij, ab obuiis Fulrado Abbate & Rotaldo Duce, summo honore Regis nomine exceptus, per Burgundiam Ponticonem in villam regiam ducitur; moxque occurrit ad plura milliaria cum optimatibus Carolus Regis filius; atque milliari tertio ipse Rex, qui equo exscendens, prostratúsque humi, veneratione ac religione eximiâ salutat Pontificem; impleto etiam Stratoris munere; hoc est equo insidentis per aliquod spatium ducto à pedite (quod scriptum ab Anastasio, alij scriptores negant;) clero & populo lætis interim canticis festiuisque plausibus personante; donec Ponticonem ventum est. Vbi sanctissimus Pontifex Regem effusis an dolore an gaudio lachrymis, apprecatus est, vt Apostolorum Principis causam susciperet, Romanæque vrbi opem ferret. Nec cunctanter promisit Rex, & iureiurando adhibito, se abundè quæ Pontifex cuperet præstiturum; rogatus ipse perstare in Francia, dum vere proximo (quippe tunc Ianuarij frigora sæuiebant) apparatur quod conficiendæ rei opus foret. Hinc simul Parisios veniunt, moxque Pontifex ad sancti Dionysij Cœnobium hospitaturus abscedit. Ibi ex viæ laboribus contracto graui morbo desperata salute decubuit; quo persanatus, ope vt ipse professus est Apostolorum Petri & Pauli & Dionysij, ex voto iisdem Apostolis in Dionysiana Basilica aram erexit; quam consecraturus Regem Pipinum frequentissimo in Basilica populo, duos filios Carolum & Carolomannum, atque Bertradam Pipini vxorem, solemni pompâ in Reges vngit atque inaugurat; palam contestatus eum iustum & legitimum Francorum Regem, filios regni heredes, nec fas esse Francis in posterum aliunde quàm ex Pipini sobole Reges arcessere. Id Pipinus, tametsi à Bonifacio vnctus, expetierat, tamen summoperè; quà pietate, ob viri sanctitatem & dignitatis summæ reuerentiam; quà ciuili prudentia, eo freno populis ab religione imposito, & ab summa in Romanam sedem obseruantia.

PIPINVS.

Pontigon.

Anno 754.

VIII.

Continuò actum in Francorum conuentu, de suscipienda in Longobardum expeditione, ac quanquam causæ meritum, Ecclesiæ Romanæ iniusta oppressio, calamitosa Stephani probitas, Regísque id peroptãtis arbitrium, omnem moram viderentur incidere; tamen arte Aistulphi difficultates magnæ obiectæ sunt. Nam primùm rei caput hoc est Pipinum ipsum aggressus, legatum ad eum acceptissimum misit, fratrem Carolomannum; quippe certus cupiditatis implendæ, si Pipinus absisteret, excitum Cassinensem Abbatem minis perterret, se funditus exciturum Cœnobium, si in Italiam Franci peruadant; videret ipse quid consulto opus, ac quandoquidem sub eius manu & potestate frater Regis esset, cum pro imperio iuberet proficisci in Franciam; & Pipinum aliósque Proceres, si Cassinum omninò seruatum cuperet, ab Italico bello amouere. Impletus minis Cœnobiarcha, iisdem Carolomannum permouit, primùm vt solitudinem tantoperè amatam desereret, tum vt patriam iamdiu immemor aulicósque

Pipinus in Italiam primò transit.

cœtus

PIPINVS. cœtus repeteret, postremò vt pro hoste Romanæ Ecclesiæ precaretur. Venit itaque Parisios regius Monachus, & per totam Franciam traductâ mundi pompâ, cucullo tectus, ad fratrem accessit; orator pertefficax; rogans per pietatem, per solitudinem suam, per primam illam concordiam; ne prætextu Stephani Cassino venerabili loco bellum inferret; néve tot illustrium virorum hospitia, ac sanctitatis quodammodo lares, exscindi vellet per vltimum nefas. Imò & eadem in concione Procerum perorauit; nullo prætermisso, quo se obsequentem Monachum exhiberet. Et alteram admouerat machinam Aistulphus, corruptelam vt coniicere est quorundam Procerum, qui publico in cœtu dum deliberatur, Caroli patris exemplo laudato, qui vir tantus cum Luitprando in iisdem difficultatibus, non armis, sed consilio & amicis legationibus intercessisset, abstinendum bello censebant, eâ pertinaciâ, vt quod Eginartus obseruat, palam professi sint, si in Italiam Pipinus pergeret, abscessuros se, & domum suam quemque petiturum. Accedebat non leuis suis votis obex Pontifex ipse, qui paternâ mansuetudine & patientiâ, ne Christianus sanguis funderetur, curâ & studio haud Marte & armis cupiebat rem perfici. Moras tamen omnes Pipinus abrupit: quippe fratrem summo amore exceptum haud passus Cassinum reuerti, persuasum vt Viennæ ageret, quando abscedere ab Aula optaret, in frequenti Cœnobio, docuit quàm indebita peteret: nec multò post obiit religiosissimus Princeps in illo Cœnobio; eiúsque ossa Cassinensi eremo Regis operâ opulentis cum donis restituta sunt; id Carolomanno vt verosimile est exposcente; fugâ sepulchri regij, humilísque inter fratres tumuli desiderio. Tum Pipinus in Procerum cœtu affirmauit, se nusquam Ecclesiæ rebus defuturum, susceptúrúmque expeditionem hanc strenuè vel vno comite; si qui secus censeant, ij absistant, nec bellorum periculis, perosi vel Ecclesiam vel Francorum gloriam, se committant. Dein fidem sacramento adstrinxit, se priuati commodi nullius causa id bellum aggredi, sed vno Ecclesiæ bono; eidem pollicitus traditurum Exarchatum atque Pentapolim, posteaquàm armis recepisset; curauítque instrumentum publicum confici, suo liberorúmque sigillo munitum, quo id sanctè iurabat. Verùm vt faceret gratum Pontifici, legatos ad Aistulphum misit, qui vi rapta amicè poscerent, offerréntque pacem, si quod iniuriâ rapuisset sponte restitueret; delectu interea impigrè habito, vt iustum & honestum suffulcirent vis & necessitas. Nec fefellit Pipini mentem Aistulphi ambitio, vnâ legatione & alterâ spretâ, iam valido exercitu comparato, obfirmato tam in minas quàm preces animo, perstabat in sententia: iamque incedebat per Viennensem agrum Pipini miles, cùm tertiùm rogante Pontifice, & infimis precibus multísque muneribus obsecrante Aistulphum, mittuntur legati; iisque postmodùm minas duntaxat & contemptum referentibus, tunc seriò actus in Italiam Francus, lectíque armati, qui claustra Alpium occuparent. Is Aistulphi primus maximúsque error, quod inania propemodùm loca non antè inuaserit, præcluseritque aditum hosti paruo negotio. Vbi agnouit errorem, emendaturus si posset, magnam militum manum in Francos immisit, pugnatúmque

Carolomanni mors.

gnatúmque acriter in montis faucibus : verùm quà locorum ſitu, quà animi fortitudine, Franci ſupernè eóque audaciùs dimicantes, Longobardos telis obnoxios & impreſſioni, cæſis quibuſque fortiſſimis, in fugam egerunt, tam effuſam, vt ipſe Aiſtulphus, ſub cuius oculos confligebatur, equo non pepercerit, donec Ticinum primariam regni vrbem delatus ſit. Franci porrò potiti victoriâ, Longobardorum caſtra diripuerunt. Hæc Anaſtaſius. Aimoinus tamen clauſtra ipſa Alpium ab Longobardis occupata ſcribit, pugnámque commiſſam difficillimo & iniquiſſimo Francis loco; deiectos nihilominus montium faucibus Longobardos, profligatos magnâ Francorum gloriâ, direptíſque caſtris in fugam pulſos; geminam lauream reportante victore, de loco & hoſte. Pipinus ſequutus victoriam, Ticinum obſidione cinxit, arctiore in dies, capiendæ vrbis Regíſque ſpe certâ. At Pontifex qui ſimul cum Franco verſabatur in caſtris, cùm ſe Paſtorem tam hoſtium diceret quàm amicorum; dolerétque tantum cruoris Chriſtiani fundi, pacis iterum mentione facta, à Pipino impetrat, vt de ea cum Aiſtulpho agatur; qui iam propè depoſitus, noua ſpe illuceſcente, contumaciam calamitate frangente, in eam ex Pipini arbitrio iurauit; nempe vt Exarchatum atque Pentapolim Eccleſiæ Romaníſque Pontificibus traderet, pacémque perpetuam cum iis coleret; confectúmque inſtrumentum fœderis, in quod ipſe ſanctè adiurauit. Tum Pipino quadraginta obſides ex nobiliſſimis Longobardis dati, ceu præſtandæ fidei pignora. Quibus abductis, iam ſæua hyeme reuertit in Franciam; vna gloriæ laude opulentus; dimiſſo Romam Pontifice, Fulrado Abbate honoris cauſa, cum validâ Francorum manu ad tutelam corporis deducentibus. Ac pòſt memor Franciæ Stephanus, eius patrono Dionyſio, ob præbitum hoſpitium, receptámque ſalutem ex morbo, Baſilicam condidit, cui Monachi Græci miniſtrarent; quod ex communi probatóque ſenſu, oriundus è Græcia Dionyſius foret, & celeberrimus Areopagita : dicta Baſilica ad ſanctos Martyres, in ſcholâ Græcorum. Sed hanc breuem felicitatem ſtatim abrupit Aiſtulphi ſcelus atque perfidia.

PIPINVS.

Anno 754.

IX.

Siquidem amoto periculo, præter ambitionem irâ ſimul & vindictâ furens, ob Eccleſiam ſuâ operâ quam ſpoliatum ibat locupletatam; vrbes adeò non reſtituit, vt omnibus viribus in Romæ perniciem ipſiuſque Pontificis, intercapedine nullâ contenderit. Nam vbi in Galliam ſe Francus recepit; Longobardus ratus primâ expeditione defeſſum, non tam libenter nouam incepturum, præſertim abſente Pontifice, nec ſpectatâ miſeriâ rem vt prius vrgente; occluſis præterea viis, ne Romanis paterent in Franciam; contracto repente exercitu, ferro & igni vaſtatis omnibus, in Romanam ditionem irrumpit minaciter. Ad ſubitam belli facem imparatus Pontifex poſt fuſas intentiſſimas ad Deum preces, ſpem vnicam appellat Pipinum, ſcribítque litteras, tum ad eum, *Quem excellentiſſimum Filium, & ſpiritualem Compatrem vocat*; tum ad eius filios Carolum & Carolomannum, quos itidem Reges dicit, & Romanorum Patricios. Iis litteris à Villario Epiſcopo latis : *Primò bonum nomen & comparatam bonis artibus famam vbi commendauit; ea in laude Francos inſignes prædicat, maximè ab defenſa Eccleſia,*

Pipinus iterũ appellatur à Stephano.

PIPINVS.

cuius vtilitates & commoda in vniuersum orbem deriuantur. Ærumnas enumerat graueſque labores, quos perpeſſus foret vt veniret in Franciam, & iucundiſſimo Regis frueretur aſpectu. Nec laborum vel itineris pœniteret; quæ pietas Regis zeliſque fuerit in ſancti Petri tutelam & defenſionem: ideò ſuſceptum bellum geſtúmque feliciter, ipſius Petri ſine dubio ope atque auxilio; cùm Franci pauciſſimi magnum hoſtium numerum in fugam egerint. Et quidem eatenus ex votis omnia atque felicia; ortum malum, quod tum ipſe Pontifex tum Pipinus, Aiſtulpho perfido viro atque fœdifrago fidem habuiſſent, credidiſſentque illum ſacramento poſſe adſtringi, cui fas nihil aut ſanctum, ac præter cupiditatem nullus foret Deus. Tum docet quantâ perfidiâ, non modò ſeruet quæ reſtituenda erant ex fœdere, ſed quo furore atque amentia in ipſam Eccleſiæ ditionem irruperit. Quamobrem à Pipino petit ſummeque contendit, vt promiſſi memor ſolemniſque voti quo ſe antè Petro Deique Eccleſiæ obligarat, ſponſionem ſuam exequatur, reductóque exercitu, Longobardum ad implendum fœdus vi adigat, Romámque Petri ſedem chariſſimam ab clade imminenti ſoluat & vindicet. Acceptis litteris commotus grauiter in Aiſtulphum Pipinus, hæſit tamen in Francia; ſeu ſpe Longobardi minis & querelis ab iniuſto propoſito deterrendi; ſeu eiuſdem promiſſis maliſque artibus, quibus Regi ſpem faceret, aliquótque Aulicis corruptelam. Ille interea, dum abſunt longiùs Francorum copiæ, quas fraude vel ſpatio diſtineret diutius, ipſam Romam furoris ac vindictæ ſcopum aggreditur, foriſque ſtrage miſerrima vaſtatis omnibus, vrbem omni ex parte exercitu cingit, nullíque contentioni aut labori parcit, vt deſtitutam ope atque auxilio quàm citiſſimè capiat. Stephanus Pontifex in tantas coniectus anguſtias, cùm præter Francos nihil humanæ ſpei affulgeret, propugnatione fortiter obitâ, rurſus legatos ad Pipinum mittit, mari quæ via breuior & expeditior; Varnerio comite addito, religioſo viro, & ab ipſo Rege antea miſſo, omnium quæ ſcribebat Pontifex teſte oculato. Erántque litteræ lugubres admodùm, & ad miſerationem appoſitæ: per quas, amaris verbis calamitate defletâ, *Copiiſque Aiſtulphi ſigillatim recenſitis; narrat impia Longobardorum facinora ſæuientium in profana tecta & ſacra; imagines, veſtes, ſupellectilem, & alia ſacroſanctis vſibus venerandi, impunè violantium; imo Chriſti auguſtiſſimum corpus profanis cibis miſcentium; exaggerat immanem in Romana corpora crudelitatem, deriſamque Francorum opem vt imbecillam; enixis precibus tum ſuo nomine, tum Cleri, Senatus Populique Romani, ab Rege liberis, Præſulibus Francis atque Nobilibus, præſens auxilium impensè flagitat, per vnam ſpem & fiduciam ſuam, per antiquam & nouam Francorum gloriam, per ſancti Petri amorem & merita, per ſanctiſſimam Triadem, orat, adiurat, vt ſubruptâ morâ confeſtim accederet; & laboranti Romæ, iamque diem qui quageſimum quintum omnibus machinis oppugnatæ, adiumentum ferat atque præſidium.* Nec iis contentus ſanctiſſimus Pontifex, adiunxit alias ſancti Petri Apoſtolorum Principis nomine, ad eundem Pipinum Francóſque proceres; quos honeſtiſſimis verbis vbi compellauit; *Adoptiuos filios, ſuccedaneos milites, ſelectos ad vindicandas Dei iniurias, aſylum propugnaculúmque Eccleſiæ, gentem ſupra omnes quæ ſub cœlo ſunt, primam, chariſſimam, & acceptiſſimam ſibi; adhortatur, monet, amicéque*

que imperat ; vt illicò in Ecclesia teterrimos hostes insurgant vindices ; Mariam cœli Dominam inducit hortantem & iubentem ; spem humanæ gloriæ atque cœlestis quam maximam facit ; addit demùm faces obsecrationis , quibus piissima pectora incendantur. Tum pudore & vindicta exarsit Pipinus , dolebatque cunctatione sua venerandum Præsulem in extrema actum: ideò celeriter cum armatis ad Alpes progressus , pari vt ante successu, Longobardos deturbat ex montium claustris , & in plana victoriam defert. Aistulphus ad victoriæ nuntium , iam imparibus prælio viribus ; quippe trimestri vrbis oppugnatione obtritus erat exercitûs flos ; soluit obsidionem , furore percitus , quod iterum prædam iam apprehensam faucibus perderet ; & Ticinum se recepit , sua defensurus qui aliena inuaderet. PIPINVS.

X.

Pipinus audit Constantini Legatos.

At Pipino magnis itineribus properanti , nouus obex ad probandam fidem & temperantiam obiectus est. Constantinus Græcus Imperator , ille Copronymus , tam cibis turpis quàm moribus , audito fœdere de tradendo Exarchatu Pontifici , legationem perhonorificam ad Pipinum instruxerat ; cuius caput Gregorius , Protosecreta , vt Anastasius vocat , hoc est primarius arcanorum scriba ; qui cum sociis Româ transiens , vt petitis assentiret Pontifex , inde in Franciam cum legato Pontificis venit , appulítque Massiliam. Ibi comperto Pipinum cum exercitu versus Italiam festinare , cùm suspectum haberet legatum Pontificis , eum cum sociis sequuturum lentius anteuertens , capto properanter itinere , Pipinum haud Ticino procul assequitur. Exceptus pro dignitate Imperatoris ; data concione; *Profitetur se missum vt ab Rege Exarchatum impetret , aliásque vrbes ab Aistulpho captas. Docet eas ab annis plus ducentis Græcorum Imperatorum fuisse, Longino Exarcho Iustini Imperatoris Legato Rauennæ sedem imperij constituente ; ab sequutis Imperatoribus nullâ interruptione possessas ; nuper duntaxat , dum hostes religionis propulsaret bello Constantinus , Aistulphum cæcâ ambitione inuasisse in eas , & summâ iniuriâ tenuisse. Eas non alu quàm iusto Domino restituendas ; Pipinum iustissimum sanctissimúmque Principem aliena largiri nolle haud dubiè ; nec rapinam munificentiam esse , & donari malè quod reddendum sit. Nam quod in Romanum Pontificem liberalitas tanta conferatur ; videat Rex sapientissimus , an conducat eum , cuius suprema est & integerrata in sacris rebus auctoritas , ita imperiis regnísque augeri , vt in vtrumque hominem summus sit. Iam eum ambitione plura inuasisse ; detractam Imperatoribus Romam , Latium , & Sabinos ; Romanos Pontifices alienis semper malis insrescere; nec posse pacis conciliatores esse & prodromos , qui soli præmia bellorum raperent. In belli sumptus offerre pecuniæ quantum par foret ex viri probi sententia Constantinum. Ad summum rogabat partirentur ipsi captas vrbes ; Imperatoris Exarchatus esset , Pipinique Regis Pentapolis.* Addebat speciosissima munera, materia & arte insignia , spondebátque honores & titulos ab Imperatore quos cuperet. Ad hæc Pipinus prudenter reposuit; *Se alienum nec inuadere nec Largiri , bene iure occupatas vrbes à Longobardo , quæ pro derelictis haberentur à Græco; ad eum Legatos à Pontifice missos , adiunctas sæpius preces; vt Exarchatum defenderet ; neglectus eas vel contemptu vel odio ; quandiu ab Longobardo obtentæ sunt vrbes, Constantinum reticuisse ; nunc cùm Ecclesiæ Romanæ donantur , eum*

PIPINVS. *insurgere, & ius repetere vnde exciderat. Non latere Regem quanto odio Imperator flagrat in Romanum Pontificem; in quem sibi par esset amor & charitas; malè consultum iri Christi Vicario, si propemodùm nudus Græcum inter & Longobardum infensissimos hostes exponatur. Ad summum profitetur, Deúmque testem adiurat, se nullo priuato commodo, aut cuiusquam Principis gratiâ, tantum bellum suscepisse tantásque arumnas; in sancti Petri atque Romanæ Ecclesiæ gratiam id se aggressum; eam in rem emissum votum. Ideò nemini iustos esse questus; non Aistulpho, qui causa belli & fomes fuerit; nec Constantino, cui volenti vrbes pericrint. Nam Pontificem opibus atque imperio pollere, necessarium esse, maximè inter hæreticos & fœdifragos; quibus auctoritas sacrosancta leue frænum esset, nisi corporea illa & terrena accederet.* Ita Legatus re infectâ dimissus. Mox Pipinus Ticinum obsidet, tamque arctè premit, vt Aistulphus consumptis dolis atque periuriis, ne quid peius obstinatio pareret, paratum se ad exequendum fœdus ostenderit. Nec aliud Pipinus intenderat, quamuis præclara occasione regni occupandi; denuò itaque in fœdus iuratum, noui obsides dati, & in pœnam Comaclum castrum præter alias vrbes Pontifici datum. Res confestim peracta; Legati ab Aistulpho cum Fulrado Abbate Pipini nomine, Rauennam aliásque vrbes adeunt, ciuitatum principes in Pontificis verba iurantes admittunt; singularum claues obsidésq; deducunt; Pipino euentum in Alpium faucibus præstolante. Ita magno Pontificis Romanæque vrbis applausu, tot vrbium claues cum instrumento, quo illæ vrbes, Ecclesiæ, sancto Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus inauditâ liberalitate donabantur à Rege Franciæ, in æuum possidendæ, triumphi instar circumlatæ per vrbem, non Capitolino Ioui, sed Deo Optimo Maximo, supra Petri tumulum, pro laureâ omnibus seculis lemniscatâ repositæ sunt. Erant autem vrbes in Flaminia, hodie *Romandiola* dictâ, Rauenna, Fanum, Cesena, aliæque supra viginti, (Ferrariâ & Fauentia sexto mense reddendis, quas & postea Desiderius Paulo Pontifici restituit, iis annumeratâ Pentapoli; nempe Arimino, Pisauro, Ancona, Auximo, & Vrbino; redditáque Narnia, quæ in Sabinis est: tunc verè Deo contundente superbiam, & paupertinam humilitatem ad legitimas opes euchente. Pipinus voti compos recessit in Franciam; Aistulphus aliquantò post inter venandum equo effusus interiit, nusquam felicior persequendis feris quàm vrbibus.

Aistulphus victus.

XI. Pipinus vt pacem iustitiâ constitueret, Compendij ex more conuentum solemnem indicit. Ad hunc ex Præsulum Nobiliúmque Ordinibus quique clarissimi conueniebant, de publicis rebus deliberaturi, quas in consilium Rex ipse adduceret. Fuit autem hæc Pipino ratio conciliandi suorum animos, frequentioribus eiusmodi cœtibus; qui vocabantur in administrationis vmbram admissis, vt nouum imperium moliretur, Regíque assuescerent, spectato propiùs crebriúsque. Hinc plerique Parlamenti Parisiensis arcessiunt originem. Ego vt non inficior decursu temporis, nepotibus ad inuenta patrum semper addentibus, factum; primò, vt in iis cœtibus de priuatis rebus magni momenti euocati disceptatores essent & iudices; deinde increscentibus litibus, vt stata anni tempora ad eos diiudicandos assignarentur à Principe; postremò vt mole negotiorum spiníque

Pipinus conuentum indicit.

Parlamentũ an instituerit.

litium

litium obrutus Princeps atque implicitus, seiungendas censuerit tum res tum personas, sibi suisque Proceribus regni negotia, designatis Iudicibus lites priuatorum constituendo: quod à Philippo Pulchro, aliquot pòst sæculis factum constat; vnde Parlamenti ortus & cunæ. Hæc vt fatear, ita negauerim Pipinum vnquam de potestate illa iudiciaria cogitasse, aut etiam tres Regni Ordines quos Status vocant instituisse: sanè Parlamenti vox Francica est, nouæque ætatis, nec vnquam vsurpata ab antiquis scriptoribus; cùm Pipini æuo Franci Germanica lingua vterentur; vt constat ex nominibus quæ Carolus Magnus apud Eginartum mensibus indidit. Verùm iis salebris prætermissis, ad institutum redeo. In conuentu Compendij acto, auditi sunt à Constantino Imperatore legati; ij ni fallor qui cum legato Pontificio Massiliæ substiterant; data munera, in quibus organa Musica, miraculum artis in Francia nouum: nec adscribam donis Ioannis Baptistæ caput, vt quidam asserunt; quippe Copronymus Sanctorum Lipsanis infensissimus, quæ mari & igni absumeret, quomodo ea pretiosis regiisque donis annumeraret? Deinde celebrata res momenti haud paulò maioris, Tassilo Bauariæ Dux ex sorore nepos cum suæ gentis Proceribus in *hominium* à Rege admissus. Quæ ratio clientelæ atque obsequij, quando primùm diserte in Annalibus nostris occurrit, quantùm ego legendo comperi, Græcis Romanisque antè incognita, ea diligentiùs obseruanda est. Constat autem, ni fallor, à Germanis & Francis morem hunc fluxisse, vt à Regibus vrbes vel Arces subditis traderentur quàm optimo iure possidendæ, onere fidei atque seruitij: Sicque Regij *Leudes* siue *Leodes* appellati, hoc est Fideles, qui à Rege prædia tenebant, sub ea lege fidei atque seruitij. Iidem Leudes proxima ætate *Vassi* dicti sunt & *Vassalli*, quæ vox merè Francorum est; vt qui rem, & ij nomen rei inuenerint. Erat autem *Leudium* seu Vassorum onus, vt profiterentur Patronis suis clientelam, fidem atque obsequium arctiori vinculo, séque militiæ nauandæ adscriberent, quoties patronus bellum susciperet; dictúmque est *Seruitium* necessaria ista militia, vt *Hominium* siuè *Homagium* clientelaris illa professio. Porrò quod onus à priuatis subditisque inceperat, idem postea ad Duces & Principes iure victoriæ propagatum est, vt qui iusto bello victi essent, ij in pœnam victori sacramento dicentes, clientelare munus profiterentur, hoc est Hominium vt Franci dicimus facerent. Eam autem fidem solemni pompa Tassilo præstitit, *more Francico*, quæ Aimoini verba sunt, *In manus Regis in Vassaticum, manibus suis semetipsum commendauit, fidelitatémque tam ipsi Regi Pipino, quàm filiis eius iureiurando supra corpus sancti Dionysij promisit.* Et cùm manuum meminit, innuit formam præstandi obsequij; qua cliens aperto capite, genibus flexis, manibus iunctis intra patroni palmas insertis, palam iurabat in Hominij leges. Additúmque ad maiorem cautelam fidei, vt tunc supra lipsana sancti Dionysij imò & sancti Martini, atque Germani Parisiensis Antistitis, quæ nomina Francis religiosa sunt & venerationi præcipuæ, sacramento dixerit Tassilo, vt fidem atque officium religionis vinculum necteret. Pipinus hoc honore auctus in Saxones mouit; quibus nulla religio, quippe idololatris, spiritusque illi Germanici libertatis

PIPINVS.

Homage.

Pipino hominium à Duce Bauariæ.

Vassaux.

Pipinus in Saxones.

PIPINVS. retinentissimi, rebellionem inspirabant in dies. Et illi castris positis se continebant, quæ omni cura atque arte muniuerant, vt qui libertatis causa propulsarent bellum non inferrent. At Franci ductore Rege post atrocem dimicationem cæsis ad vallum propugnatoribus, penetrantes in castra, cæde, terrore & fuga victoriam referunt, quam insequutus vltrà Pipinus, commissisque passim plurimis præliis, ita ferocem gentem perdomuit, vt pace petita suppliciter, ad victoris arbitrium se composuerint, polliciti in tributum equos trecentos, Regi donandos in publicis regni comitiis; tum ad infringendam superbiam gentis, tum ad instrumentum belli eripiendum.

XII. *Pipinus in Gaiferum Aquitanum.* Breui post spatio in Gaiferum Aquitaniæ Ducem nouum bellum ortum est, quod septem annos, & ad exitum vitæ Pipinum tenuit. Pia vt in Italico bello occasio. Gaiferus plures Ecclesiæ possessiones inuaserat; quod turbulentis temporibus, dum iura inter arma silent, maximè euenit, de iis restituendis sæpe interpellatus à rectoribus, quorum curis traditæ res sacræ essent, in irritum tamen (nemo enim rapit redditurus) Pipinum, cuius & ipsi implorauerant opem, in se exciuit. Nam siue à Pontifice Ecclesiasticarum rerum tutela susceptа, siue Rex in Vassalli crimen inquirens, Pipinus legatis missis Gaiferum monuerat, vt ea bona iustis dominis absque fraude & dolo redderet. Quæ legatio cùm frustra fuisset, Pipinus magno exercitu in Aquitaniam peruadit; quo Gaiferus perterritus, à fraude & periurio, quod nequibat ab animo impetrauit. Siquidem pollicitus se perfecturum Pipini iussa, iurata fide, datisque obsidibus, amouit à se periculum, abscedente Rege, & eandem fidem præstante Aquitanico quàm Longobardo, magna haud dubiè Iustitiæ laude, cuius causa quæ arma sumeret, ea deponeret. At Gaiferus certus violandæ fidei, prompto delectibus occultis milite, rebellionem periurio cumulans, dum securus comitia regni Pipinus ageret, in Burgundiam irrumpens, Cabilonem vsque agros vastat, séque mox in sua recipit. Rex nouo aculeo instigatus, exercitum statim in Aquitaniam ducit, pluribúsque castris & oppidis captis,

Limoges. in Aruernis maximè, ferro & igne agros populatus, Lemouicum venit; Carolo filio in expeditionem ducto, rudimenta tam insignium rerum posituro: Vnde mox hyeme iam proxima, in villam Carisiacam rediit. Anniscque pluribus in bello perstitum ea ratione, vt variis partibus Francus irrumperet, agrisque direptis, hyeme abscederet; longiore sine dubio bello; nullis munimentis relictis in hostico, dato interim ad quietem spatio,

Bourges. Touars. Cahors. & armis nullum satis prementibus locum dum plura premerent. Ita Bituricum vrbs capta, Toarcúmque castrum, postea per Lemouices Cadurcum vsque oppidum penetratum. At bello intercapedinem vnius anni obiecit Tassilonis Bauariæ Ducis perfidia, qui in expeditione Aquitanica, ex lege Hominij præstiti militiam nauans, ægritudine simulata, ab exercitu domum secesserat, firmatoque ad defectionem animo, detrectauit Regi obsequium. Rex dimisso in hyberna exercitu, & explorata Ducis perfidia, dum ambigit in vtram partem arma conuerteret, an noxam veterem vindicaret, an nouam, præter hyemem diuturnam atque sæuissimam,

mam, annum elabi incruentum patitur, atque mox Bauaro in commodius tempus relicto, qui adhuc integer, in Aquitanicum penè iam oppressum traductus est miles, visque belli incubuit. Parum tamen hoc anno promotum, nisi quod Argentomagum castrum instauratum est, relictique Franci ad Biturícum vrbem obtinendam. Interea Synodus Episcoporum Gentiliaci quæ villa est regia celebratur, decretisque de sanctissima Trinitate & cultu Imaginum confectis, ne impia Copronymi hæresis Francos pollueret, Pipinus rursum bellum instaurat. Narbone ad superiores Volcas contendens, Tolosam, Albigum, Gabalósque expugnat, nec ideò bellum confectum, dum per hyemem quiescerent arma, essétque expugnanda in singulis castris pertinacia, quibus etiam deficientibus, oporteret hostes quasi feras ex rupium antris & speluncis erui. Tandem Pipinus belli moram pertæsus, iámque Gaifero propemodùm intercluso, Bertrada vxore totáque familia Mediolanium ducta, quæ Santonum primaria vrbs, cum toto exercitu in Petrocorios tendens, in iis Gaiferum an captum an dimicantem interfecit, molestumque confecit bellum, frustra membris antè truncatis, incolumi capite. Hæc pij Principis expeditio vltima. Mediolanium ad gratulationes reducem hydrops morbus inuasit, quo lentè depastus, Turones primùm ad sancti Martini, postea ad sancti Dionysij religionis causa, poscente ipso delatus, diem tandem obiit; pietate & felicitate insignis, imperij cupidus simul & abstinens, vt credas alium in Italia esse, qui in Francia fuerit. Eius tumulo in æde Dionysiana epigraphe annis insequentibus inscripta est; *Pipinus Rex, pater Caroli Magni*; hoc est, Pipinus, qui parauit posteris regnum, qui Carolum genuit, instituitque, Magni amnis fons, Magni riuus, nec ipse paruus, si Pater aut filius minor foret. Vita quinquaginta quatuor annis conscripta est; vt omnia breuia præter facta essent.

PIPINVS.

Albi. Giuaudan.

Saintes.

Pipini mors.

Paterno suffragio Francorúmque assensu Carolus & Carolomannus filij, iam à Stephano Papa inuncti, regnum susceperunt, Carolus natu maior Neustriam, Carolomannus Austrasiam, ille Nouioduni, hic Sueßione, iterúmque diuiso amplissimo regno diuisi & animi. Et hi quidem fratres æquâ sorte ad regnum admissi, sed animo & felicitate quàm impari! Nam Carolomannus nullâ re gesta quæ virum saperet, anno post altero desinet viuere: Porro Carolus rebus gestis amplissimus, totam per Europam insitis palmis, nominisque gloriâ per vniuersum orbem diffusa, comparabit Magni agnomen, Traiano melior, & Augusto felicior; regnúmque eò prouehet, quò pertingere potest humana virtus, nulla ambitione, nulla sæuitia, nullo dolo, vt Alexander & Cæsar Magni fuerint, sed humanis artibus, hoc est vitiis; Carolus verò è cœlo quodammodo Imperator, ductu virtutum Magnus extiterit. At voluptas sit, quibus gradibus eò conscenderit, diligenter attendere. Pipini obitus Aquitaniam turbulentam prouinciam odiis adhuc recentibus conturbauit. Eudonis liberis per multas ærumnas ab Martello Pipinóque extinctis, quidam Hunoldus, incertum qua gente quaue familia, prioris Hunoldi forte ad vulgi amorem quæsito nomine, Aquitaniâ facilè in partes traducta; vsurpauit imperium

XIII.

CAROLVS & CAROLOMANNVS REGES.

Novon. Soissons.

mobilibus

CAROLVS M.

mobilibus ad noua animis, sibique Ducem ambitione optantibus. Attamen Hunoldum hunc rediuiuum, Gaiferi patrem haud pauci affirmant; qui cucullo quem induerat abiecto, in filij dignitatem & sortem erupit. Carolus cuius regno Aquitani adscribebantur, motum adhuc recentem oportere opprimi reputans, exercitum parat; simúlque fratrem, ad concordiæ vinculum, rogat vt copias auxiliares summitteret; communis expeditionis communem gloriam fore, & rariorem hostem in posterum, si altero fratrum prouocato, vterque certaret. Et promisit quidem Carolomannus; verùm prauo Aulicorum consilio in diuersa raptus, iam per fraternum dissidium in prosperitatem Franciæ grassante inuidia; sæpe de mittendo milite appellatus, promissa spe vana frustratus identidem, nullum mittebat. Nec Carolum fugit inuidiæ fraus; certus itaque suis vnius auspiciis peragendæ rei; antea colloqui cum fratre voluit, vt quà posset, discordiæ semina orta reuelleret, præcauerétque futuris. Colloquio Carolomannum admonuit; *Ne temerè adulatoribus crederet, nullam capitaliorem discordiam esse quàm sanguinis; duo corporis capita si dissentiant monstrum esse, neutrum stare posse, nisi alterum iuuet; nec Pipinum duisisse animos cum regno; meminerit vno ortos patre, vno vtero natos, vni regno vnctos, vnius mentis esse oportere; nec tot vincula quæ natura adstrinxerit, Aulicorum ambitu rescindenda.* Soluto colloquio, ducens exercitum Enculismam petit, Hunoldúmque iam timidum celeritate magna insequitur. Hic nondum satis instructus milite, quippe rebellio non semper vires armat vt animum, primùm fugere, latere, hostémque fallere aut delassare, postea vbi retecta latibula, ac propemodùm venit in hostium manus, iam spe abiectà longius fugiendi, apud Lupum Vasconum Ducem asylum quærere statuit. Hunoldi absentia Aquitania statim Regi subiecta est. Cui nec ideò factum satis, nisi in capite bellum exscinderet. Quare ad Lupum Feciales mittit, renuntiatum vt perfugum reddat; ni faciat, se infenso milite petiturum Vasconiam, noxámque Hunoldi pœna Lupi vlturum. Ipse interea, ne otium militem solueret, simul vt turbidæ genti frænum imponeret, in situ commodo ad Duranium amnem, castrum exstruxit, cui Frontiacum seu Franciacum nomen. Mox reuersi Feciales nuntiant, Lupum in potestate Regis futurum, promptum ad omnia quæ iuberet, traditurum se qui petebatur Hunoldus: Itáque factum est, Hunoldus cum coniuge Carolo traditus, donatus venia, abductúsque in Franciam, vnde & postea in Longobardiam fugit, perpetuum asylum rebellium; interea multis annis pax iis in gentibus tuta; illustri adolescentis Principis rudimento. Reuersum in Franciam domesticæ curæ exceperuut, à charissimis nominibus, matre nimirum, fratre, & coniuge. Frater quorundam calumnijs procerum ab eo auersus, prætet indolem morosam ac difficilem, & ingenium varium atque mutabile, exitialis discordiæ sementem fouebat, Bertrada mater in quærenda vxore filio, hinc molestiam primùm, dein pudorem & dissidium peperit. Erat matri in animo, vt fratres arctiori amicitia necteret, sorores itidem duas matrimonio cum iis iungeré, simúlque vt iis geniti stemma vtrinque regium sortirentur, è prosapia Regum virgines petere: Nec vlli tunc temporis præter Longobardum Reges erant,

Carolus in Aquitaniam.

Fronsac.

erant, quibuſcum eiuſmodi affinitas contrahi poſſet: Nam Longobardiæ regnum tunc fama & potentia inclytum, erántque Deſiderio Regi filiæ plures. Quare adducto in ſententiam ſuam Carolo, Bertrada ad Carolomannum ſe confert, vbi renaſcentes diſcordiæ ſentes nixa euellere, & habito Carolomanni in matrimonium conſenſu, impigra femina tranſcenſis Alpibus ad Deſiderium properat, impetrátque geminas nuptias à cupidiſſimo, tum vt filiabus conſuleretur quàm optimè, tum vt Francos Reges ſibi adiunctos, ab Romano Pontifice abalienaret. Scio hîc hærere Annales noſtros, & Scriptorum multos affirmare Bertam Deſiderij Regis filiam nupſiſſe Carolo; alios autem alteram Deſiderij filiam adſcribere Carolomanno vxorem; vnde mihi cum Baronio viſum eſt, duas ſorores duobus Regibus nuptas; nec aliter Hiſtoricos conuenire poſſe. Bertrada perfecta re Romam venit, religionis gratia, inuiſitque Stephanum I V. Pontificem, omni ope à quæſitis nuptiis dehortantem, & inde in Franciam propoſiti tenax reuerſa eſt. Pontifex gnarus quantum detrimentum eiuſmodi nuptiis pateretur Eccleſia, vbi mulier pertinax vinci non potuit; ad Reges Carolum & Carolomannum, legatis miſſis, inſtantius ſcribit: *Ab infauſtis & abominandis nuptiis caueant; ne Francorum nobiliſſimum ſanguinem fœtenti & ſordido polluant, patri & auo vxores à Francis petitas, quia toto in orbe nulla gens illuſtrior, nulla nobilior; quid ipſi paternam gloriam dehoneſtarent, ac nobilitati gentis officerent? Longobardos ex perfidia fraudibus & periurio coaluiſſe, eorum Regibus nihil ſacrum eſſe, nihil dignum fide aut religione, eos capitales atque perpetuos Eccleſiæ hoſtes, deuotos diris, anulſos à capite, quibus ob cupiditatem nulli termini ſint, carcer nulli. Quare pro patre, hortari, monere, & iubere quantùm ipſe poſſet, ne tanta infamia ſe commaculárent, néue Martelli & Pipini heredes, ſanctæ Eccleſiæ tam impensè ſtudentium, cum infenſiſſimis Eccleſiæ hoſtibus eo vinculo ac neceſſitudine necterentur, quod nullâ humana vi, ſed vno interitu ſolueretur. Poſtremò cœleſtes diras interminabatur, ſi ſe fœdaſſent teterrimis nuptiis.* Hæc quidem Stephanus, ſed procul mutiſque litteris, dum mater voce, imperio, lacrymiſque inſtaret, tandemque perficeret, quod votorum erat laborúmque ſcopus: adeò voluntatem feminæ nihil vincit, vbi in pertinaciam molle pectus induruit.

CAROLVS M.

Carolus Magnus Bertam vxorem ducit.

XVI.

Duxit ergo Bertam in coniugem Carolus, ſed inuitus, vt coniicere eſt, & reuerentia matris; nam illicò anno vertente eam repudiatam abdicauit toro, & ad patrem cum ignominia remiſit; néue prioris vel vmbra vinculi ſupereſſet, nouo ſe adſtrinxit, Hildegarda ex nobili Sueuorum familia in vxorem ducta, quam deinceps magno amore proſequutus eſt, numeroſa ſobole ex ea ſuſcepta. Attamen id Caroli factum, anceps admodùm atque ambiguum, reprehenſioni multis & ſcandalo fuit; cùm palam ductam vxorem conſtaret, & laterent cauſæ repudij: Réſque adeò offenſioni publicæ fuit, vt Adelradus conſobrinus Caroli, iuuenis magnæ ad virtutem ſpei, ab aulica vita ad monaſticam ſeſe contulerit, huius facinoris vt ipſe faſſus eſt impatientia. Quamuis ex Regis pietate colligi liceat cauſam aliquam interceſſiſſe, qua vinculum tantum ſolueretur, quam maxi-

Carolus Bertam repudiat.

Anno 771.

CAROLVS M.

mè si ad nuptam spectabat, occultam voluerit, ne augeretur infamia. Sanè Romanus Pontifex nihil ea de re questus, nouo coniugio vt iusto adscripsit, nec credendum sit Stephanum virum sanctissimum nuptias facinorosas, quod sibi vtiles forent Longobardo offenso, contra Ecclesiæ Canones comprobasse. Aliquantò pòst nouus euentus res Caroli auxit, existimationem imminuit. Carolomannus morbo correptus, eodem interiit pietate & religione insignis, à fratre Aulicorum dolo alienior: aspirauitque ad regnum continuò Carolus, siue ob priuatam vtilitatem, siue ob publicam, cùm tam ipsi priuatim quàm vniuersæ Franciæ vnum esse Regem conduceret. Erant, vt scribit Aimoinus, liberi Carolomanno (quamvis tam recenti coniugio vnus duntaxat nasci potuerat, vxore fortasse prægnante cùm pater obiit) ad quos spectabat paterna hæreditas si subditi, quorum intererat, in id consensissent. Verùm Austrasiorum pars maior & potior, Episcopi plures & Proceres quorum præcipui Villarius Sedunensis Episcopus, Fulradus Abbas Pipino charissimus, Varinus, & Adhalardus, magni apud suos nominis, rati infirmum tantæ regni moli infantulum, & magni interesse Franciæ si administratio vnius foret, Carolum iam properantem ad regnum vocarunt, & aduentantem exceperunt perhonorificè. Vidua Carolomanni imminenti Regi nimium impar, vt è naufragio spem aliquam regni eriperet, cum liberis & Proceribus studiosis partium, ad Desiderium patrem in Longobardiam fugit, frustra complorantem infaustas nuptias, quà repudio, quà morte multatas. Interim Carolus, amoto iam omni obice, veluti Procerum Austrasiorum electione exhaurirerur facti iniquitas, regnum fraternum occupauit, postea vsu iustissimo titulum emendante, rebusque maximis facinoris dubij inuidiam obruentibus.

Rex totius Francia.

Carolus in Saxones.

At Carolus, vt bellica gloria ciuiles turbas auerteret, Vormatiæ conuentu habito, Saxones, fomitem belli perpetuum, armis aggreditur, ingressúsque Saxoniam, incusso vastis populationibus metu, castrum Eresburgum capit obsidione, dein comperto, idolum esse haud procul, dictum Irminsul, quod Saxones impietate maxima colerent, eo propè cultu, quo Romani Martem, bellorum ducem & præsidem; vnde forsan Mersburgo, vrbi proximæ nomen; zelo religionis accensus, ad occupandum locum, idolúmque tollendum se comparat. Erat, vt ex Aimoino colligitur, excelso in monte fanum idoli, situ loci & munimentis vallatum; Francique in proxima valle castra posuerant. Porrò complurium dierum siccitas cùm feruorem cœli intenderet, arceretque imbres à nubibus, exarescentibus riuis, omnique humore in arenoso solo deficiente, tanta siti laborauit exercitus, iumẽtis & viris aquarum penuria iam tertium diem fatigatis, vt exsucca & inania corpora non arma modò, sed seipsa ægrè circumferrent. Cùm repente medio die, sub ipsum æstum caloris, magna vis imbrium cœlo effusa est, & è monte in subiectam vallem præcipitata, penè deficientibus sitique enectis potum & leuamen abundè præbuit. Res miraculo adscripta, actæque Deo bonorum omnium fonti à Rege gratiæ: inde mons expugnatus, idolúmque sublatum, magna totius belli prærogatiuâ, vt qui Dij se non tuerentur, nec addictos sibi propugnarent

Imber ex miraculo.

pugnarent in posterum. Carolus profligato in arce Dæmone, ad Visurgim amnem penetrauit, hostibúsque poscentibus pacem largitus, acceptis duodecim obsidibus in fidei nexum, paraturus maiora se recepit in Franciam. CAROLVS M.

XV.

Quippe Desiderius Longobardiæ Rex, gemina filiarum contumeliâ incensus in Carolum, armis palam non ausus vindictam exsequi, arte & consilio grassari cœpit. Apud Adrianum nuper electum Pontificem precibus instat, vt nepotes suos Carolomanni filios inungat in Reges Francorum; *Iis deberi paternam hereditatem, quæ vi atque iniuriâ inuasa esset à Patruo; esse Pontificis, qui communis Regum pater foret, misereri inopum & pupillorum, arcere iniurias ab eorum capite, aquum ab iniquo secernere, non armare tyrannidem patientiâ iniustâ.* Ita Longobardus, quidquid ageret Pontifex, finem obtinebat. Nam si infantes inungeret, mox ciuile bellum excitaretur in Francia; dum Proceres qui studebant pueris, armati Pontificia auctoritate, Carolomanni regnum repeterent; simúlque, quod ardentius Desiderius cuperet, alienatus ab offenso Carolo Pontifex, indefensus suis insidiis atque armis pateret, facili negotio propugnante nullo, opprimendus. Sin petita negaret Pontifex, causam videri inferendi belli iustissimam; & fortasse Carolum, vt de nepotibus sileatur, ab rebus Italicis temperaturum. Nec Adrianum discrimen latuit, virum fortem & generosum, virtutibúsque magnis illustrem: at re perpensa, certus Longobardicæ fidei, quæ perinde amica atque inimica fraudi esset, gnarúsque Caroli quæ pietas & generositas foret, ad eum planè conuersus, negauit se vncturum in Reges, qui se nondum per ætatem regerent, quíque totius regni consensu abdicati essent & deiecti: simúlque Paulum Desiderio gratissimum, seditiosum virum & turbulentum, qui grassatus criminibus, Romæ Longobardorum partes fouebat, multat exilio. Quo responso, quasi tuba Longobardo occineret, is repente ducto exercitu in Ecclesiæ vrbes inuadit, & Vmbriâ populationibus incensa, captísque vrbibus plurimis, Romæ imminebat. Quo perterritus Adrianus, post irritas ad Desiderium legationes, more maiorum ad Carolum Franciæ Regem mittit, laboranti Ecclesiæ qui opem peterent. At Desiderius contrà fraude nisus, suis etiam ad eundem Carolum legatis imperat, vt renuntient satisfactum Pontifici, restitutas vrbes, pacémque contractam. Qui dolus Franco dum moras iniicit, ipse comperto munitam vrbem propugnatoribus, nouâ fraude grassatus, secum ductis Carolomanni liberis, totiúsque exercitus flore, profitetur se Romam amico animo proficisci, vt consalutet Pontificem, precibúsque vnctionem Nepotum impetret; tentaturus an factione quam in vrbe foueret, in eam admissus, vi & metu Pontificem in sententiam suam pertraheret. Enimverò Pontifex sub momentum periculi, præterquàm quod vrbis custodiæ vigilantissimè intendebat, Præsules ad Desiderium misit, qui postremas Ecclesiæ diras minarentur, si iniussu Pontificis ad vrbem accederet. Quibus minis abstertitus Rex, siue hostem qui ita minaretur haud infirmum ratus, abscessit, ad opportunius tempus. Carolus interim in Theodonis villâ, auditis tum Pontificis tum Desiderij legatis, contraria

Desiderius in Adrianū.

Carolus in Italiam.

Thionville.

CAROLVS M.

traria planè affirmantibus, legatos Romam cum Pontificiis mittit; à quibus exploratâ re, factúsque certior captarum vrbium nullam restitutam à Desiderio, imò ipsum coràm diserte appellatum abnuere se restituturum; dum exercitum contrahit, ad eundem Desiderium pacis causa mittit, oratum ciuitates amico animo redderet, neve se grauissimo bello implicaret, ipsi offerens doni loco & honorarij, si vrbes redderet, quatuordecim aureorum millia. Quâ conditione repudiata, exercitum Carolus versus Alpes ducit; quo accedente, ipse Geneuæ, quæ vrbs Burgundiæ ad Rhodanum est, paulisper moratus, pacis studio rursus ad Desiderium legat, qui precarentur instantius vt oblatas conditiones admitteret; satis fore Regi, si tres obsides in fidei pignus traderentur; abscessurum se illicò, armatósque reducturum in Franciam. At cæcâ pertinaciâ Longobardus obduruit, omni mentione pacis reiectâ. Faciebant animos, præter cupiditatem & dolorem iacturæ munimenta firmissima quæ ad Alpium claustra erexerat. Nam gnarus belli momentum in iis positum, quæ si clauderentur, Francos irrito impetu contrà molituros, ea situ loci iam inaccessa, omni opere abruperat & communiuerat; præterea ipse cum toto exercitu, suis in Thermopylis portísve Caspiis, prohibiturus Italiæ aditum eminebat. Nec ideò Carolus segnior, Deo maximè fretus, bellum instituit, pacem quam Legatis non conciliauerat Marte confecturus; tam difficilis incipiendo bello, quàm fortis implendo: nam partitus in duas partes exercitum; alteram tradit Bernardo patruo, per Iouis montem (quem Genebram dicunt, Cottiarum Alpium iugum) agendam ad claustra; alteram ipse per Cinisium eundem iugum versus hostem ducit. Ast vbi in conspectum loci ventum est, & Desiderius è claustrorum castris quasi de cœlo fulminaturus apparuit; tunc Francis obeundæ pugnæ desperatio dolorem incussit, atque ignauiam. Spectabant inanibus oculis hostium castra, frustrata vota, pedum & manuum nisum interdictum; iamque de recessu, nisi occurreret
Anno 773. aliud, cogitabant; cùm Panico terrore Longobardi acti, quanquam à periculo tuti & semoti, nullo impellente aut persequente; ipso Rege Desiderio & Aldegiso filio ducibus, desertis claustris, per ima vallium in præcipitem fugam rapiuntur; mirantibus Francis, victorum instar qui se compedibus liberos somniant, vnde tam repentina trepidatio & fuga, tam promptus per claustra transitus, & in desperatis rebus spes tanta. Enimuerò miraculo adscripta res; cùm locorum situs, operum munimenta, validus exercitus, Rex ipse cùm filio, hostis stupefactus, non essent accommodata ad metum, nisi inferendum; isque fugeret, quem hostis nec potuerat insequi; adeò Dei est, nulla acie nullóque telo profligare armatos, Reges & regna tenui aura disiicere, leuíque impulsu seculorum moles euertere. Interea Francus admiratione discussâ, per abrupta montis emergens, penetrauit ad claustra, & haud paucis hostium interfectis, in apertos campos effusus, secuto itinere Ticinum perrexit. Hîc aliqui grauissimam pugnam interserunt; quasi suppudeat vel victoris vel victi, si alter Regni lucrum, iacturam alter sine dimicatione faciat; sed præterquam quod ex Anastasio & Aimoino constat non pugnatum; nihil inde detrahitur nec victori

victori nec victo; cùm iste diuina vi percussus ceciderit, ille Dei opem sub signis habuerit; nec minoris est gloriæ, commilitone Deo vincere, quam spectatore. CAROLVS M.

XVI. Carolus Ticinum obsidet:

Nec à metu respirauit Desiderius, donec Ticinum peruenit, quam vrbem anteà diligenti cura munimentis multis instruxerat, túncque eiecta turba inutili, paratis quæ ferendæ obsidioni conducerent, incluso secum milite, ad retundendum hostium impetum legit; ratus, quod vulgo creditur Francos vbi primam iram exhauserint, mox deficere, & fluctuum instar ad scopulum frangi. Simul ne vnam in cymbam vniuersas opes congereret, Aldegisum filium, magnæ spei iuuenem imbutúmque militia, cum liberis Carolomanni & vidua Veronam mittit, qui munitissima vrbe se teneret, Caroli vires diuideret, & patri si quid secus contingeret, Longobardis esset in naufragio tabula. At Carolus ducto exercitu Ticinum obsidet; & deliberatâ in omnem modum expugnatione constantior, Hildegardam vxorem charissimósque filios in castra adduci tam longo itinere iussit è Francia, intercepturus spem hostium & inconstantiam suorum. Dein constitutâ obsidione, partitisque muneribus, ipse copiarum partem abductam Veronæ admouet, vrbémque adeò premit, vt Aldegiso clàm fugiente, Carolomanni viduâ vltrò se liberósque dedente, & ipsa ciuitas victorem admiserit; clementiâ victoriam coronante; nam Veronenses benignè & humaniter habiti, fratria & nepotes missi in Galliam, largísque stipendiis honorati; Aldegiso præter fugam nihil condonatum, deferenti Constantinopolim ad doloris solatium, libertatem incolumem, regni spem, & Longobardis scopum quem spectarent. Iámque regnum vergebat in casum; quippe Rege Ticini incluso, Veronáque captâ, reliquæ vrbes Francorum armis obnoxiæ, partim ipsis deditionem fecerunt, partim Romano Pontifici, præsertim Spoletini Ducatus oppida; & iam Longobardorum nobilium plures, attonsis barbâ & crinibus, quos prolixos alebant, Romanum morem induerant; quando Carolus Ticinum reuersus, obsidionem vrgebat arctius. Et agebatur sextus mensis vrbis hyberno tempore magna inter incommoda obsessæ; cùm proximo Paschatis festo, Carolum petendæ Romæ, ad sacra loca opportuno ad pietatem die inuisenda, cupido subiit: & confestim curatis quæ ad obsidium pertinerent, Episcopis Ducibúsque haud paucis selectis in comites, versus Romam properat, quò pernigilio Paschatis peruenit. Adrianus prænuntiato aduentu, magno elatus gaudio, nihil prætermisit quò amicum animum gratúmque in seruatorem suum testaretur. Nam & primò vrbis Iudices ad triginta milliaria obuiam misit; tum accedenti propius vniuersa militia cum Tribunis & Centurionibus ad deducendum occurrit; dein ipsi pueri, quorum ætas & innocentia gratior, ingenti numero, præferentes oliuarum ramos, in pacis & mansuetudinis symbolum occurrantes, pias precationum votorúmque voces vsurpabant; sequebantur Cruces vexillis insignes; quas vbi conspexit piissimus Princeps, ab equo desiliens, pedibus ad sancti Petri ingreditur. Sedebat in limine Pontifex erecto pegmate, Clero Romano adstante, aduentú Regis oppetiens. Quem admiratus est, Christianâ demissione ad pegmatis

Romam primò venit.

CAROLVS M.

gradus accedere, piáque singulis figere oscula, donec ad summum peruenit; vbi amplexus charissimum filium Pontifex, eius dexteræ innixus, basilicam intrat, Clero & populo acclamantibus, plausu lætissimo, verbísque sanctissimis. Ibi post fusas preces, Carolus Pontificem obnixè precatus est, vt per eum sibi inuisendæ Romæ ex religionis voto facultas esset, quâ benignè impertitâ, & mutuâ incolumitate iureiurando sancitâ, vrbem ingressi sunt. Inde festis diebus tam piè quàm amicè consumptis, ita arcto amicitiæ vinculo Adriano inhæsit Carolus, vt deinceps (quod Principes inter rarissimum est) non tantùm Pontificem reuerenter coluerit, sed Adrianum cupidissimè amauerit. In digressu cumulauit amplissimè Pontificis votum, optantis vt Exarchatum aliásque vrbes quas Beato Petro Pipinus pater donauerat, easdem & suo suffragio donatas sanciret: nam & scripto per Etherinum Notarium suum instrumento, confirmatis prioribus noua insuper addidit, ciuitates multas è Longobardiæ regno, cum Corsica Insula, condonans Ecclesiæ; quas fusiùs Anastasius recenset. Postea Ticinum reuersus in castra, haud multò post difficillimum bellum negotio facili expedíuit; Deo haud dubiè quæ ipse affecerat conficiente. Etenim vrbs munitissima cùm obsidionem in multum tempus pertraheret, pestilens morbus in ciues grassans & milites, repente defensionem omnem absumpsit. Iam fortissimi quique vi morbi perierant, sæuiebátque lues in cæteros, plebeiorum nobiliúmque funeribus; imò superstitum animi, quasi & sua peste afflati, tædio & languore abiecti, militaribus muniis prætermissis, de salute corporum si quam nanciscí possent solliciti, ad deditionem vnam aspirabant. Quam tandem Desiderius, omni ope Diuinâ & humanâ deficiente, ad Victoris arbitrium fecit, vrbe, regno, se & vxore in potestatem Caroli traditis; exceptíque sunt humaniter, opprobrio nullo aut contumeliâ; duntaxat Leodium in Galliam Belgicam amandati, vbi regni iacturam vitâ priuatâ an solati sunt an luxerunt. Forsan solatium Desiderio fuit, quod Monachum induens, rerum mortalium inconstantiam, recogitare & docere potuerit; anno vertente, ad immortalem sortem transcriptus. Ita aliquot annos post ducentesimum defecit in Italia Longobardicum regnum, quod ferro positum & propagatum, postque iactatum turbis ciuilibus, tamen infirmitate oppugnantium steterat; donec ambitio, regnorum scopulus vt remi & vela, id quod promouerat afflixit, & voranda Roma hamus fuit voranti. Carolus constitutis quæ ad noui regni tutelam facerent quod & regnum Italiæ deinceps dictum est, multísque Longobardorum regimine vrbium permisso, vt coalescerent faciliùs in recens corpus membra vetera; Cisalpinâ Gallíâ prioribus dominis restitutâ emendatâ gentis in Romanos ferociâ, atque vrbis quam euerteret illa liberator; in Franciam suos repetiturus Saxones rediit, dum Græci Calabria ab amne Anfido, & tota Sicilia potirentur: prius tamen voluit in nouum regnum inaugurari & coronari. Quod factum à Mediolanensi Archiepiscopo, imponente coronam ferream, auri lamina redimitam, solemnem Regibus Longobardis, ac deinceps initialem Imperatoribus, & ad dignitatem excelsam aditum.

Anno 774.

Finis regni Longobardici.

Liege.

Nam

CAROLVS M. XVII.

Nam ij Rege per Italicam expeditionem abſente, ne peſſime agendi opportunitati deforent, facto agmine in proximos fines, ſecuros fœdere, armatíſque inanes irrumpunt; vaſtatíſque agris, ad caſtrum Bariuburgum, quod tenebant Franci appropinquant. Haud procul caſtro Baſilica erat, à Bonifacio Præſule exſtructa, (prædixerátque vir ſanctus eam à flammis illæſam fore) in quam Barbari furore cæci atque vindicta, ob idolum euerſum à Carolo, tædas & flammas vndecunque coniiciunt; in fores, in parietes, in tectum, fomitem ignium faſces, paleas, ligna arida, ipſumque incendium, ſtipant & congerunt: at fruſtra omnia, reluctantibus flammis, & à loco ſacro in barbaros ipſos auerſis; perſeuerauítque inanis furor, dum metu ſubito perterrefacti, in fugam ſponte impulſi ſunt; intactâ Baſilicâ, & flammarum vortices reſtinguente. Viſique ſunt in ipſo furentium Saxonum æſtu, duo iuuenes ſtolis albis induti, qui flammas arcerent; ſpectati tum à Francis, tum ab aliquot hoſtium; propugnantibus religioſum locum cœlitibus: iámque Caroli votis elemento altero famulante. Vnde Carolus gratis Deo ob tutelam actis, confeſtim in Saxoniam exercitum miſit, qui trifariam diuiſus pluribus locis vaſtationem inferret, conſilio inito, debellandi tandem cum perfida gente; quam in rem magno cum exercitu profecturus eſſet poſt actam hyemem; nec à bello ceſſaturus, donec barbari vel Chriſtum amplecterentur, vel tollerentur penitus. Incepítque propoſitum, non confecit; nam tollere numeroſiſſimam gentem, id arduum; at Chriſto addicere, id ſupra humanas vires, vniúſque Dei. Attamen Rheno traiecto, & caſtro Sigiburgo quod hoſtes muniuerant expugnato, ad Viſurgim amnem profligato magno Saxonum numero, tranſmiſſoque per cadauera cæſorum alueo, vltrà pergenti Heſſus occurrit, Dux magni inter barbaros nominis, qui Vveſtphalorum Saxonúmque Legatus, pacem peteret, iuraret, darétque obſides; cui habita fide, atque Carolo propoſiti immemore, fœdus iuratum eſt. Sed id continuò abruptum nouâ gentis perfidiâ, quâ qui Franci ad Viſurgim ſubſtiterant haud pauci cæſi ſunt. Dum enim ignauius caſtra cuſtodiunt, plures Saxonum immiſti pabulatoribus, & ſtatiua cum iis per incuriam vigilum ingreſſi, ſub primam noctem; mox ſemiſopitos & incautos aggreſſi, cædem plurimam ediderunt; donec ſopore per tumultum diſcuſſo, & ipſi ſuâ non modica ſtrage depulſi ſunt. Id Saxones, non gentis conſilio, ſed priuato tentatum latrocinio excuſarunt; & fugientibus inhærens Carolus, vltionem magnam partem confecit: At vix reſpirantem à Saxonia longiùs nouus tumultus exciuit. Renuntiatur Rotgandum Longobardorum Ducem, quem victo Deſiderio Foroiulienſibus præfecerat Rex, noua moliri, iamque de vendicando regno cogitare, ciuitatibus pluribus ad ſe traductis: quocirca ſtrenuiſſimo quoque ſecum ducto, confectóque raptim itinere, in Italiam aduolat; eademque celeritate Rotgando victo ac cæſo captis vrbibus Foroiulio atque Taruiſio, Ducibuſque Francis conſtitutis, profligato bello, ſpectatus duntaxat ad victoriam, confeſtim Franciam repetit, ſuſpectâ meritò Saxonum fide. Quippe vix tranſgreſſus Alpes, audit à nuntiis; eos rupto fœdere, quâ fraude, quâ vi eſſe graſſatos: dolo quidem & amicâ perfidiâ receptos Eresburgo caſtro, id occupaſſe;

Carolus in Saxones.

Templum à flammis ſeruatum.

Carolus ſecundò in Italiam. Frioul.

Et in Saxones.

CAROLVS M.

occupasse ; at vi Sigisburgum aggressos ; cúmque repellerentur , ad oppugnandum tela & machinas admouisse , furore pertinaci , donec præsenti Dei ope magnâ suâ clade submoti sunt. Siquidem eo die quo collatis copiis ad oppugnationem arcis erumpebant , visos esse supra templum arci subiectum clypeos duos , igne fulmineo coruscantes , obuersos in hostem , crebrísque motibus agitatos : quo spectaculo vt erecti sunt Francorum animi , ita barbaros abiectos esse atque perculsos , adeò vt in fugam effusi, vulneribus mutuis corruentes , castris in prædam abiectis , cædente terga præsidiario milite , pauci admodùm suis redditi sint. Hoc nuntio Carolus recreatus, pergit in Franciam , habitóque conuentu Vormatiæ , mirabili celeritate in Saxoniam recenti adhuc clade attonitam ingentibus copiis penetrat. Extititque diligentiæ fructus. Saxones viso quem in Italia distineri putabant Carolo , omissâ spe armorum , ad miserationem mouendam versi, inermes cum liberis & coniugibus,supplicum more, ad Lippiæ amnis fontem Regi occurrunt , & pœnitentiâ simulatâ , ab optimo Principe , cui gratum esset ante victoriam parcere,tot noxarum veniam impetrant.Imò vt fraudem occultius tegerent , magnam partem , quod expetebat Rex maximoperè , eiuratis idolis in speciem , lauacro sacro abluti sunt. Ita receptis obsidibus, Eresburgo instaurato atque erecta super Lippiam nouâ arce,stabilitâ pace discessum est. Quam vt firmissimis columnis fulcirer , ineunte vere Carolus ducto exercitu Paderbornam Vvestphalorum vrbem se contulit ; ibíque conuocato vniuersæ Saxoniæ Senatu ac populo , sancitóque iterum ad obseruantiam fœderis sacramento ; vno omnes animo addixerunt se Regi , eâ lege , vt si in posterum fidem violarent , libertate & patria in rebellionis pœnam excidirent. Aderántque Proceres gentis , præter Vuidichindum , inclytum quà perfidiâ , quà fortitudine , Vvestphalorum ducem , qui multorum scelerum in Regem conscius , nec satis simulatione suâ confisus,ad Sigefredum Danorum Regem confugerat;noui mali fermentum, sopitíque incendij fomes. Interim plurimis ex infida gente baptismus concessus ; lætiori Rege propagari limites Christi quàm suos.

XVIII. *Carolus in Hispaniam:*

Hæc dum instituit , noua legatione in expeditionem nouam auocatur. Res momenti magni magnæque gloriæ , incomperta tamen , & vestigiis duntaxat tenuibus exploranda , seu nostrorum incuriâ,seu externorum inuidentiâ fortasse aut malignitate. Ego quæ certa sunt proferam , cætera coniiciendo eliciam. Itaque Paderbornæ agente Carolo , Ibinalabar Regulus Saracenus , ex intimâ Hispaniâ longo terrarum tractu, comitatu regio, eius imploraturus opem aduênit , in alium haud dubiè Saracenum , (nec enim in Christianos Principes bellasset Christianissimus) se suásque ciuitates potestati Regis subiiciens. Admissâ postulantis conditio : quippe tunc pax , vt opinio erat , cum Saxonibus fida ; quiescebat postremo bello Italia ; latè in Francia pacata omnia & tranquilla ; non aspernandam nouæ gloriæ segetem ; triumphósque Gallicos , iam per Ortiuas & Boreales plagas deductos , ad occasum solis celebritate magna conuertendos. Quocirca decernitur expeditio ; ad quam festinandam Rex festum Paschatis in Aquitania celebrat. Pyrenæi montes quà Vasconiæ contermini sunt,quando

Anno 778.

ea

ea gens Francis obnoxia, ad proximum iter designati. Nullo periculo magnaque gloriâ iter captum; in transitu Pompelo Nauarræ oppidum occupatum, quo ad regressum pateret aditus: sed in ea occupanda, vis tota belli incubuit, ac Francicum robur expeditum est totum. Munitissimam vrbem propugnabat flos Saracenorum; castra Caroli nondum communita validè ab irruente hoste impugnantur; sic vtrinque dimicatum diutius, donec Saracenorum impetu fracto per munimenta, in vnam vrbem conuersæ sunt vires: qua per vim capta, Francis in muros scandentibus direpta, & incensa est, ad terrorem aliis incutiendum. Quo peruincente, Cæsarauguſta victori patuit, & Ibinalabar solio redditus. Cætera non satis certa; Aimoino scribente, Carolum posteaquam obsides à Saracenis recepit, nempe in perpetrati belli indicium, relegisse vestigia, & Pompelonem rebellantem muris nudasse. Enimuerò quidpiam maius ab Eginarto colligitur, teste indubitato, & scribente quorum pars fuit: Is cùm Franciæ limites adscribit, & quantùm sub Carolo propagatum esset imperium; ad Austrum, præter Aquitaniam, Vasconiam, & Pyrenæos quà latissimè patent, disertè Iberum amnem assignat; siue quà oritur, siue quà præcipiti alueo ad Dertosam in Mediterraneum influit; vt intra limites Nauarra, Arragoniæ pars, ac Catalonia feracissima Hispanici soli prouincia conscribantur. Sanè idem Eginartus planè affirmat, ciuitates omnes, ad quas Pyrenæis transitis accessit Carolus, deditionem fecisse, iisque subactis incolumem exercitum reductum. Nec inficiantur Hispanici, Ibnabalam Regem à Carolo datum Cæsarauguſtæ; in eiusdem potestatem Mauris dedentibus Gerundam & Barcinonem venisse; vnde Barcinonenses Comites, & Catalaunicæ gentis primordia; ex quibus operam expeditionis huius non irritam constat. Sed de Barcinonensibus & Catalaunis suo loco pluribus. At exiles Historici in Caroli prosperis, in eiusdem aduersa pugna, quàm luculenti sunt, & ne mendaces dicam, poëtici! Ea porrò vt fides veritati constet, sic euênit. Confectâ victoriâ Carolus relegebat viam per Pyrenæos, iámque in pacato vt rebatur agens tum etiam propter montis abrupta rupiúmque salebras, partitis agminibus incedebat: ipse cum primo exscendebat per Roscidam vallem, famosum in posteris ista clade colliculum, sequebantur longiùs postremæ turmæ, impedimentis aciem totam claudentibus. Cùm sub vesperam, Vascones prædandi animo, an vlturi Pompelonis calamitatem, tecti siluis, quarum magna iis in iugis copia, positis hinc inde quà pateret angustissimum iter insidiis, in calones repente impetum faciunt, vim parantes cædunt, impedimenta diripiunt, ac tumultu cæco permiscent omnia. Interea qui in vallis lubrico pedites equitésve vnius viæ solliciti progrediebantur; tumultu exaudito, dum incomposiți ac propè singuli ora conuertunt, negotio facili cæsi ab hostibus, cladem augent atque infamiam. Ita factum, vt plerique Procerum, in quibus Rolandus ille fabulosis commentis celebris, Britannicæ oræ præfectus & custos, Anselmus Palatij Comes, Egiartus regiæ mensæ præpositus, aliíq; ceciderint, toto agmine calonum & militum ad vnum deleto. Perfertur ad primos ordines nuntium cladis, iámque se intendentibus

CAROLVS M.

Roncesallis clades.

CAROLVS M.

tenebris noctis, dilata vltio in proximum solem : at hostes prædonum more, onusti spoliis, ipsa nocte per siluas & salebrosas cautes dilapsi sunt, nulla loci quò perfugissent vel suspicione ; Francis pro vindicta dolor, pro hostibus securitas fuit. Et hæc est clades, quæ tantoperè pluribus placuit, vt eam scriptis, incremento magno geminarint. Nam Carolum iam grandæuum plenúmque senij, cum Alphonso Legionis Rege committentes, deleto exercitu ignominiosè agunt in fugam ; imò Rolandum, Anselmum, aliósque prima dimicatione necatos, hac posteriori perimunt, quasi è mortuis ad nouam fabulam suscitati sint ; aut Carolus cui arcta cum Alphonso beneuolentia, iam Imperator tórque gentium dominus, ad Alphonsi regnum obtinendum (hanc enim causam comminiscuntur) bellum intulerit in Hispaniam, magnam adhuc partem à Mauris possessam, in quos honestius commodiúsque arma vertisset. Sed istud puto à Turpini petitum fabulis, traductum in Historiam, ab iis fortasse quibus Francorum gloria videretur officere, suæque esse detrimento alienæ augmentum : vt Æmilium sileam, quem forsitan iactandæ eloquentiæ tanta in clade studium, in errorem hunc rapuit. Expeditus montibus Carolus, aspectu filij recreatus est, quem nuper Hildegarda coniux pepererat, geminos quidem enixa, sed altero à partu mortuo iste supererat, quem Carolus Ludouicum dixit, & Aquitaniæ regno donauit, nouum in Francia Porphyrogenitum ; simúlque regni vrbibus viros præfecit, quorum fide atque industria, prouincia motuum ferax in officio staret. Mox profectus ad compescendam Saxoniam, quæ dum ipse abesset, direptionibus, cædibus atque incendiis, totam Germaniam ad Rhenum vastasset. Verum enim, quia bellum illud Saxonicum in multos annos diffusum, vna propemodùm ratione gestum est ; dum perduelles opportunitate data iugum excutiunt, iterúmque à victore sub illud mittuntur ; placet vna serie atque continuâ bellum idem perscribere, & lectoris tædio parcere ; quæ consimilia sint perstringendo, atque infrequentia & obseruatu digna explicando,

Ludouici ortus.

XIX.

Bella Saxonica.

Ergo Carolus Altissiodori auditâ Saxonum irruptione, confestim selectis Francorum Alemannorúmque cohortibus in mandatis dat, vt fœdos populatores quàm celeriter assequantur, grauésque prædâ ad pugnam adigant. Et impleta iussa feliciter ; recedentes hostes in fugæ speciem ad fluuium Aternam apud Hessios deprehensi, in ipso transitu eâ strage multantur, vt perpauci tanto ex numero, non prædam modò ad suos tulerint, sed ne nuntium quidem stragis, proximæque vindictæ : Ita sacrilegis, templorum direptio, Tolosanum est aurum & calamitosum. Carolus postea quà armis, quà conuentibus habitis rebellem populum in ordinem cogit. Tenuítque pax vnum annum aut alterum, donec Vitichindus, priorum motuum fax & tuba, ab suo illo Normannico recessu, in quem Francis vrgentibus, confugiebat ad suos egressus, disturbatâ pace Martem inspirat. Ad hunc compescendum Theodoricus Comes in Saxoniam mittitur ; adsuntque paulò post in supplementum virium Geilo stabuli Comes, Vvoradus Comes palatij, Adalgisus cubiculo Regis præfectus ; ab ipso Rege cum copiis ad comprimendos Sclauos præmissi. Ii viâ per Saxoniam captâ,

defectione

defectione audita Saxonum, & imminere Theodoricum vt dimicaret, Francorum more spe pugnæ allecti, omissâ prouinciâ cui delecti erant, Theodorico cum suis copiis pugnæ & victoriæ certi se adiungunt. Nec mora, communi suffragio, quærendos hostes, profligandos, pœnamque scelerum repetendam. Ita ad hostem accedunt. Ad montem Suntalium statiua collocant, quà in Austrum obuertitur, cùm Borealem partem Saxonum castra occuparent; ad montis ortum interfluebat Visurgis. Geilo & socij specie explorandi, Visurgi clam traiecto, quâ erant auiditate pugnandi, statim vbi in conspectum hostium ventum, ruunt in prælium. Scilicet inter eos antè conuenerat, absente Theodorico pugnam conserendam; rapturo scilicet gloriam, nullâ ipsis parte obtingente, præter periculum. Quare præfestinanter nullóque ordine, de fallendo socio quàm hoste vincendo magis solliciti, acti in pugnam vt quisque equum inscenderat, pro temeritate excepti sunt. Nam Saxones pro castrorum vallo stantes in acie, cæco raptos impetu & incomposítos interficiunt, Proceres quidem omnes, aliósque è nobilitate præcipuâ; quibus fuit satius pugnâ occumbere, quàm seruari fugâ; militum paucis ad Theodoricum effugientibus: ita arrogantia vergit ad casum, & infortunij prodromus confidentia est. At Carolus vlturus infamiam cladis, cum exercitu in Saxoniam penetrans, demissos omnes & noxam excusantes comperit, cuius inuidiam in Vitichindum vnum reiiciunt; cúmque is dedi nequiret, Normannorum tectus perfugio, selecti è facinorosis rei supra quatuor millia quingenti, quos ad aliorum terrorem victa iam clementia, Rex eodem quo traditi sunt die ad amnem Alarum truncari capitibus iussit; ne fortè venia scelerum plurium materia foret. Imò postea gnarus perfidam gentem noua agitare, gemina expeditione geminauit & stragem: duobus præliis quibus ipse intererat præcrátque, tanto numero hostium cæso, vt nemo Saxonum toto reliquo bello stare in acie præsente Rege ausus sit; tantùm terroris fortitudo visa intulerat. Et aliquando venenatam stirpem euulsurus, diuiso exercitu, cuius partem Carolo maiori tradidit, ad honesta militiæ rudimenta, altera ipse ducta, populationibus vastis atque continuis, ne dato quidem per sæuitiam hyemis otio, à Visurgi ad Albim obstinatam gentem attriuit penitus, adegítque miseriis sapere. Quippe calamitosissimi Saxones, detestari bellum, apprecari pacem quibusvis conditionibus, execrari rebellionis auctores, Vitichindum præcipuè; in quem hactenus mala omnia tum quæ patrauerant, tum quæ passi erant, vt in causam atque artificem conferebant. Et ipse Vitichindus, siue tædio scelerum, siue sponte & boni cupidine, emolliri inceperat; erátq; certum temperaturum in posterum, priorum venia. Nec dubitauit Carolus virum arcessere, impunitate promissa, datísque obsidibus. At is prudentiæ supra barbarum magnæ, vt quæ de Carolo eximia acceperat spectaret oculis, in mendici modum pannosus, Paderbornam se confert, eo tempore quo Christiani luctuosissimam Domini mórtem mœrore animi corporísque pœnis concelebrant; attentè & considerate omnia perspicit; videtque sub proximam Resurrectionis faustissimæ diem, in summam hilaritatem veri luctum atque tristitiã: qua die cùm ad Carolum accedens propius,

CAROLVS M.

Vitichindi conuersio.

CAROLVS M.

pius, & mendicorum turbæ immistus, quibus Rex optimus sua stipem manu largiebatur, fortè ab Aulico ob incuruum dextræ digitum agnitus, Carolo sistitur, fallúsque se Vitichindum, perbenignè excipitur; inde abominatus idola, baptismo inauguratur; gratulante Carolo cœlo & sibi, quod in vtrumque perduellis obstinatissimus, diuinæ & humanæ clementiæ apex foret; moxque ipsi Ducatum Angrianum dedit, futura merita beneficiis occupans. Sanè dignum venia se præstitit Vitichindus, religiosa fide in Carolum, in Deum pietate tam sedula, vt inter sanctos adscribatur à pluribus, à quo & plerique originem Capetiorum Regum arcessunt: adeò à virtute desperandum nemini; & homini prodest, quod varius & mutabilis sit. Ab hoc facto Saxoniam aliquot annos pax tenuit; tritici ac lolij feraci exemplo. Attamen quasi perfidam gentem fidei & obseruantiæ pæniteret, arma sumpta, & rebellio instaurata, & ab Carolo direptiones atque incendia instaurata similiter, morbo vetere remedium vetus arcessente. Nec debellare penitúsque peruicaciam gentis infringere, multis, grauissimísque implicatus bellis potuit; donec tandem anno post cœptum bellum tricesimo tertio, confecit industria, quod vis & arma nequiuerant. Citra Albim qui incolunt Saxones, assiduis incursionibus attriti primùm atque perdomiti, pòst Francorum consuetudine cicurati, ac Christiana religione susceptâ traducti in melius, aliquando cum armis rebellandi animum deposuerant: at Transalbiani, tam lata fossa quantus amnis est, ab Francis diuisi, ideò prædæ minus obnoxij, atrociore ferocia in impietate & libertate perstantes, tam fallendæ fidei quàm dandæ faciles, ad minimam rebellionis auram mouebantur. Verùm Albi transito Carolus, metu percitos vbi euocauit, & solita facilitate ad iurandam fidem adegit, rem commentus eximiam, persuasit iuratis, vt terras incultas & opportunas furori hostium mutarent melioribus & tutioribus; & confestim selectas eorum familias quī auctoritate pollerent, cum liberis atque coniugibus, ad decem millia, quà donis quà metu, abduxit à laribus, procúlque à patria Francis immistos, veluti surculos commodiori solo explantatos, in nouas terras nouósque mores induxit, sublata mali opportunitate, boníque necessitate illata. Præterea ne inculti agri obsolescerent, neve Saxonum qui supererant animi suæ ferociæ redderentur, Abroditas proximam gentem, sibique fidissimam, in abeuntium locum substituit, coloniarum more. Ita pax asserta, compressi motus, offocata rebellio, & abiecta idola: tanti est, hominem humano more agere, & cùm Palladem armatam immiserit, doctam eandem & prudentem inferere. His decursis, superiora nunc retexam, reuocato stylo vnde digressus est.

XX. Anno 781. *Carolus Romam pergit.*

Carolus ab Hispanica expeditione, domitísque Saxonibus, Romam profectus est, religionis & amicitiæ gratiâ; vxorem in viæ comitem duxit & liberos, quos Adriano sisteret, vt fidei erga Ecclesiam pignus, arctiúsque charitatis mutuæ vinculum: tres autem præter sexum muliebrem ex Hildegarde susceperat, Carolum, Pipinum, & Ludouicum; quos amantissimè complexus Pontifex, Pipinum abluit sacris vndis, eúmque ex paternâ destinatione Regem Italiæ vngit, & Aquitaniæ Ludouicum. Et fortasse

fortassè Romæ excepti ab Irene legati; quæ Leone coniuge vita functo, pro Constantino Porphyrogenito impubere filio administrabat Imperium, & ab Imperatoribus qui antecesserant illata Ecclesiæ vulnera persanabat; eadem Caroli famâ eximiâ summisque meritis capta, ad iungendam affinitatem, miserat viros primæ nobilitatis, qui eius filiam maximam natu Rotrudem nomine Constantino Imperatori nuptui peterent: ita contracta mutuo consensu sponsalia; adhæsitque virgini Græcus Eunuchus, qui doceret eam litteras Græcas, & in mores gentis conformaret. Attamèn frustra hic impensus labor, ipsa Irene pacta rescindente, & quærente ex Armenia coniugem inuito filio; ortis postea matrem inter & filium iis dissidiis, ob quæ præstaret ab perturbatissima familia alienum esse. Regressum Regem in Franciam, domesticæ res præter curam Saxonici belli conturbarunt. Nam Hildegardem amantissimam coniugem rapuit morbus; idémque casus Bertradam matrem viuis exemit, quam obsequio & veneratione summâ coluerat, quippe tenerrimæ & humanissimæ indolis Carolus, suos diligebat affectu intimo, maximúsque princeps in publico, optimus erat paterfamilias in priuato. Nouam inde adsciuit consortem thalamo Fastradam Rodulphi Comitis filiam, è Francorum Orientalium gente; quam amore magno prosequutus est, & in suam propè perniciem. Erat mulieri superbus animus, dominandi cupidus, in vim pronior & crudelitatem; quæ tamen vitia vel prætexebat virtutum specie, vel pulcritudinis flore excusabat, potente apud Regem suprà quàm deceret illecebrâ. Ideò coniugi haud arduum fuit, in Regem ipsum regnum vsurpare, multa ad nutum praue conficere, multa crudeliter; & ipsum Carolum à primis moribus deflectentem, ad violenta, aspera & perpessu dura contorquere. Vt extrema omnia periculo sunt, ita maximè quæ à beneficiis ad malefacta, ab humanitate in superbiam desinunt, ab amore in odium; politico corpore iuxta ac morali, ad repentinas conuersiones periclitante. Inde factum, scribit Eginartus, vt in Orientali Francia (quæ Franconia est) plerique Proceres contra Regem coniurauerint, auctore Hardrado Comite: Frustrato tamen feliciter euentu. Etenim Carolus rei indicio ad se perlato, celeritate & prudentia incendium in fomite restinxit; actis in vincula qui cogitati sceleris comperti forent, & pœnâ infra delictum illatâ: Auctoribus quidem effossi oculi, aliis indictum exilium, quibusdam parcitum; nemini irrogata mors, præterquàm tribus; qui ne caperentur, dum lictores vi repellunt, aliquot eorum peremptis, ab iisdem necati sunt, & in fugâ mortis morte oppressi. Rex domesticis expeditus insidiis foras conuersus rebellionem Aremoricorum extinxit in cunis. Ea gens Regibus Francis diu vectigalis, in intimas Oceani oras propè recondita, velut alio in orbe, detrectabat obsequium; impellentibus Britannis, qui ab Anglis expulsi, breui traiectu ea in loca confugerant: Ac primùm inuiti ac renitentes tributum soluere, dein specie inopiæ differre, ac postremò pernegare audacius; ab Venetis & Curiosolitis facto initio, qui Oceano admoti propius, ideóque longius semoti à Francis, ferociores euaserant, & videbatur lues in vniuersam gentem propaganda. Extemplò cum exercitu missus Andulphus regiæ men-

CAROLVS M.

Coniuratio prima in Carolum.

Britanni domiti.

Vannes.

Cornouaille.

CAROLVS M. XXI.

sæ præpositus, armorum terrore bellum confecit, iurantibus populis in leges Caroli, nouóque obsequio veterem noxam redimentibus.

Carolus in Beneuentanũ Ducem.

Interea Vitichindo ad Christianam fidem traducto, & pace cum Saxone constitutâ, Italia & Bauaria Caroli animum distrahebant. Ab euerso Longobardico regno, supererant duo euulsæ arboris surculi, Duces Spoletinus & Beneuentanus, qui nutu Caroli & consensu, ab gentis clade eximij naufragas tabulas iis in terris collegerant. Eorum alter Hildebrandus spoletinus, Regem in Franciam conuenerat, multis muneribus contestatus obsequium: Aragisus Beneuentanus, sæpe de officio appellatus, varia prætexens, nondum Regi subiecerat se, vel à Francorum armis remotior, vel potentiâ ad resistendum instructior, & videbatur spem ad reparandum regnum erigere. In hunc primum Caroli arma directa. Ac statim vt incautum opprimeret, sæua hyeme iter aggreditur, traductisque per niuosa iuga copiis, sacro natalis die Florentiæ acto, Romam venit, & communicato cum Adriano consilio, expeditionem in Beneuentanum pronuntiat. Beneuentum vrbs est in Hirpini Samnij populis, vbi regio quæ nunc Principatus vlterior in regno Neapolitano; erátque tunc Ducatus caput, cui Campania, Salernitani, ac tota Calabria attribuerentur. Aragisus comperto Regis consilio, quoniam impar armis erat, ad artem conuersus, Runoldum maiorem filium legat, qui Carolum demulceret muneribus, impleret pollicitis, spéque alliceret; ac qui scopus erat, re nulla certa constituta, ab expeditione auerteret. Verum Carolus quàm infida Longobardorum fides haud inscius, eam pro habenis adducentium & remittentium vt luberet, retento Runoldo exercitum in Campaniam ducit, Capuámque obsidet vrbem primariam. Dux arte frustratâ, relictâ Beneuento, Salernum in munitiorem vrbem marique adiectam secessit; nec ideò se tutum ratus, ni per omnem modum bellum restingueret, iterum legatos mittit cum Grimoaldo altero filio, qui renuntiarent, promptum paratúmque ad omne obsequium Ducem, belli mala atque incommoda deprecari. Carolus, tametsi victoriæ nihil moræ erat, tamen pro clementiâ, arma tam facilè amouens quàm difficulter expediens, precibus se vinci patitur; retentóque in obsidem cum aliis principibus viris Grimoaldo, Runoldum ad patrem misit, cum delectis Francis, qui Aragisi fidem exciperent, perque vrbes populum in regia iura admitterent. Amoto hoc obice, curæ in Tassilonem Bauarum versæ. Proximâ Romam peregrinatione cum Pontifice egerat Carolus, de Tassilone in ordinem redigendo; qui iuratam Pipino fidem einsque filiis solemni ritu, & multò ante fefellerat, & perstans in crimne Regi abiudicabat obsequium: Placuerátque communi nomine legatos mitti, qui Bauarum de sacramento monerent, hortarentúrque ad appellendam Regis clementiam. Et effectum in speciem sortita legatio, præferente pœnitudinem Duce, tantoperè efficacem, vt ad Regem Vormatiam adiret, ac clientelare obsequium iuraret, datis in fidei pignus obsidibus. At postmodùm ingenitâ, vel superbiâ, vel inconstantiâ, vxoris etiam impulsu, à iuramento defecerat. Nam vxor Luitgarda, filia Desiderij postremi Regis Longobardorum, tam incenso odio flagrabat in Carolum, paterni impe-

Et Bauariam inuadit.

rij

rij euersorem, vt maritum, per repetitas tum blanditias, tum querelas, ad rebellandum sæpe impulerit, ac tandem in perniciem extremam adduxerit; adeò virorum est, maximè Principum, plurimum discrimen facere eorum, in quibus sint vxorij. Is rursum pacatâ vtcumque Saxoniâ, ac debellato celeriter Longobardo, imminere fulmen præsentiens, animo subdolo legatos ad Pontificem misit, oratum vt præsentem Carolum sibi mitigaret, atque ad commodam pacem inflecteret. Nec abnuebat Rex, quin ad nutum Pontificis pax conficeretur: Sed illicò patuit malè tectus dolus, cùm Rege à legatis reposcente, quam haberent auctoritatem à Principe ad firmanda pacta, responderunt ij se nullam habere, nisi vt quod visum esset Pontifici & Regi, renuntiarent. Enimverò tunc indignatus Pontifex, se illudi, suámque operam in fraudis textum impendi, legatos, interminatus execrabiles diras ni se Bauarus subderet, cum ignominia dimisit. Rex verò vbi religioni suæ satisfecit, ægrè ab amantissimi patris diuulsus amplexu; Vormatiæ conuentu habito, in Tassilonem vt perduellem bellum indicit: & quoniam habebatur pro certo, eum cum Hunnis feroci ac barbara gente fœdus sanxisse, ingentem apparatum ad absterrendos Barbaros, vel vincendos si iuuarent socium, confici placuit. Flore & numero magnum exercitum tripertitò diuisit Carolus; eius partem vnam Pipino filio assignauit, qui cum Italico milite à Meridie per Alpes Rhætias Bauarum clauderet; alteram partem ex Francis Orientalibus atque Saxonibus ad Boream quà Danubius fluit imminere iussit; ipse cum parte tertiâ quà Leccus Bauaros ab Alemannis ad Occasum disterminat, in Augustæ suburbiis constitit; simul omni ex parte aggressurus hostem, nullo effugio, nisi ad Ortum, quà Hunni adiacent; vt vel intercluſum ceu reti caperet, vel si is fugeret, Rex inanem possessionem inuaderet. Contrà magnas copias Tassilo instruxerat, illaturus arma in Franciam; quà vxoris impulsu, quà Hunnorum spe, quibuscum initâ societate, pro ferocia nationis, prona ad victoriam sperabat omnia. Verùm sub ipsam dimicationis aleam, interpellatus à Carolo etiamnum arma inhibente, tunc seriò reputata audacia, pacem supplex petiit; datisque obsidibus, quorum princeps Theodo filius, atque eiurato Hunnorum fœdere, nihil grauius tulit, quàm quod ante bellum petebatur: Postea euocatus ad profitendam clientelam, cùm se Regi stitisset, à Bauaris accusatus est, assiduâ flagitatione vxoris praua consilia agitare, Hunnos sollicitare, & ad bellum quod ipse iam instruebat animo concitare. Alia plura obiiciebantur dicta & facta, quæ infensum hostem, & ab irâ vindictáque incautum retegerent; tam aperta & certa, vt ad ea reus conscientiâ teste obmutesceret. Nec mora, assensu Procerum, maiestatis violatæ subiturus pœnas damnatus est capite; mortem tamen Carolus ciuili multauit, truncandum caput cucullo induens; Tassiloni in Monasterium abdito filius additus comes; quid vxore factum non traditur; Bauari consortes sceleris in exilium acti: Nec vllus in vniuersam Bauariam constitutus Dux, sed plures Comites vrbibus singulis præfecti, vt numero partita auctoritas imminueretur. Vero proximum est, Luitgardam ad Hunnos socios confugisse, à qua fortè incensi, gemino exercitu in Foroiulienses

CAROLVS M.

Anno 788.

CAROLVS M.

ses & Bauaros proruperunt: Vtrobique victi & prostrati; præsertim à Bauaris cum ingenti strage, Danubio ferri reliquias hauriente.

XXII.

Perfunctus Carolus bello incruento, ad aliud ferocius & difficilius se accingit. Gens erat ad Oceanum Balthicum, quà Germaniam terminat, vbi nunc Pomerania, Mecleburgum, atque Holsatia, atrox, barbara, & Francorum hostis, Abroditis præsertim infensa, quorum fides eximia in Francicum nomen. Ea gens Sclaui siue Vvelatabi dicebatur, maris vicinia, & immenso à Francis spatio tutior atque audacior. Carolus in eos sociorum causâ profectus, Rheno ad Coloniam transito, per Saxones copias ad Albim ducit, geminisque pontibus iunxit amnem, quorum capita hinc inde castris præsidiisque firmauit. Inde in Sclauorum terras ingressus, quà populando, qua dimicando, dubium tamen an pugna commissa sit, sic hostes attriuit, vt ferocia domita, Reguli gentis omnesque proceres se tradiderint potestati victoris; mirâ fidei constantiâ, à qua in posterum ne minima quidem in re abcesserunt. Ab iis ærumnis vno anno arma deposita, mox induta, Hunnis prouocantibus, & obstrepentibus Martio strepitu. Erántque Hunni iis ex gentibus, quæ ex Scythiâ iam ab Honorio Imperatore in Europam effusæ, ingentes clades in humanum genus inuexerant: Porrò Hunni fixerant sedes in vtraque Pannonia; tum in Superiori Occasum versus, vbi nunc prouinciæ Carniola, Carinthia, maiorque pars Austriæ; tum in Inferiori, quà ad Austrum vergit, complexâ Bosniam, Sclauoniam, eámque Hungariæ partem quam Ister alluit. Iidem præterea dicti & Auares, Constantinopoli terribiles, quam iustis exercitibus sæpe oppugnarant; vnde factum postea vt ex duplici Hunnorum & Auarum appellatione, Hungari dicti sint; tam in posteris celebres, Christiano orbe propugnando in Turcas, quàm famosi in patribus, Christianis terris deprædandis. Steterátque cum iis pax, quandiu Bauaro medio abiungebantur à Francia; mox cùm de finibus vnà cum Carolo conuenire haud possent; coortum est leui origine bellum graue; quod vnum ab Saxonico diutius Carolum tenuit; quippe octo annos gestum est; tandémque desiit vniuersæ propemodùm gentis internecione; magnâ Francorum gloriâ, summisque opibus. Ergo Carolus delectis accuratè copiis bellum infert; quodque ipsi in more erat hostem distracturus, partem exercitus ex Saxonibus Frisiisque conflatam Theodorico Comiti & Megnistrido cubiculi præfecto committit, qui ad Borealem Danubij ripam incederent, dum ad Australem militum alteram partem per Bauariam ipse deduceret: Designatíque ex Bauaria viri, qui nauigiis secundo amne fluentibus commeatus vtrique exercitui facilè & copiosè deueherent. His constitutis, prima castra ad Oeni ripam Bauaros à Pannoniis dirimentis figit, & auspicato bellum incepturus, triduum impendit fundendis precibus, & obeundis Christianis supplicationibus; tum demùm ingressus in hosticum, vastationem latè agris infert. Hostes non ausi æquo certamine dimicare, intra munimenta labore multo erecta se continebant; quorum duo præ cæteris eximia erant, quà locorum situ, quà magnitudine operum. Nam alterum ad ripam Cambi fluuij positum, inexhaustâ præterlabentis aquæ fossâ

Carolus in Sclauos;

Et in Hunnos.

Hungari.

fossa tegebatur; alterum in sublimi monte, propugnaculum vrbis firmissimæ vix accedentium oculos ne vestigia quidem admittebat. Vtrunque tamen expugnat Carolus, perrumpente per obstantia munimenta milite, nec excluso vel aquarum vorticibus, vel abrupto montis; inde cæsi promiscue Hunni, & direpta castra. Postea circumlata per Pannoniam totam incendia, peruadénsque prouinciam intimam Carolus, Rabum traiicit, sequutúsque amnem quà Danubio infunditur, se tuentibus Hunnis fugâ & latebris, deficiente quem vinceret, in Bauariam rediit: Vno affectus incommodo, ob luem iumenta inter & equos vulgatam, vix decimo quoque incolumi; milite reuera prædâ onusto, quam cogeretur suis ipse humeris vehere. Theodoricus successu eodem prædantes copias Pannoniæ intulit, reduxitque incolumes. Postquam hæc acta sunt, nouam expeditionem meditanti Carolo, iámque ponte è nauigiis strato, quo Danubij ripæ iungerentur; nuntiatur Saxones consensu vnanimi defecisse, & Saracenos Septimaniam ingressos, multis Francorum cæsis, impunè grassatos, & rediisse prædâ opulentos. Quibus nouis curis commodaturus se prudentissimus Rex, Hunnis dilatis, ad compescendos Saxones adiicit animum, traditâ Pipino filio face, Hunnicíque belli prouinciâ. Quam ille strenuè exequutus, Francis Italisque militiæ adscriptis, variis expeditionibus multisque prælijs Hunnos sic attriuit, vt quod Eginartus obseruat, Pannoniâ in solitudinem versa, inanes vrbes, agri inculti, cæsi proceres, plebsque extincta, necessarium bello finem posuerint. Nec omittenda Cagani regia (quippe Hunnorum Reges omnes Cagani appellati, vt Ægyptij Ptolemæi, vnde forsitan Cani, principis Tartarorum, nomen inualuit) omnibus opibus, gazis locupletissimis, argento, auro, lapillísque referta, congestis in eam longà annorum serie spoliis, ex Asia raptis atque Europa; quam post victos fugatósque ad Tizam fluuium Hunnos Pipinus cepit atque diripuit; immodica prædantium opulentiâ; siquidem scribit idem Eginartus, Francos eatenus inopes, nihilque in censu præter arma & agrorum fructus numerantes, ex eâ direptione opulentos, totam Franciam auro mirificisque rebus cumulasse. Pipinus spoliorum maximam partem ouans triumphanti de Saxonibus patri Aquisgranum detulit; instar Olympionicæ patrem aut patriam coronantis, & Henricus Dux Foroiulienſis armorum socius tantùm hinc decerpsit, vt dignum munus visum sit Carolo, quod pro manubiis sancto Petro Romæ offerretur. Porrò Rege in Bauaria ad Hunnici belli procurationem hærente, duo contigerunt haud prætermittenda. Primum altera in Regem coniuratio Procerum, cuius auctor & caput Pipinus alter Caroli spurius. Is pulchra oris conformatione & specie, sed insigni gibbo deformatus, animo etiam quàm corpore turpior, cùm per natalium ignominiam, spem omnem hæreditatis paternæ abscisam videret, eam vt scelere adipisceretur, regni occupandi, necandique Regis cum aliquot Proceribus consilium init; quibus nimirum Fastradæ mores odio forent, cuperéntque omni periculo odiosam feminam amoliri. Eam in rem Pipinus, patre in Hunnicum bellum proficiscente, simulauerat

CAROLVS M.

Aix la Chapelle.

Secunda in Carolum coniuratio.

CAROLVS M.

lauerat morbum, maturaturus consilium, & parricidio viam paraturus. Sed Deo Regi optimo inuigilante, Fardulphi Longobardi operâ, coniuratio impia patuit: Rei acti in vincula, & crimine agnito, statim in pœnas; pars truncati capite, pars è ligno suspensi; malique causa vel prætextus Pipinus, in supplicium cœnobio Prumiensi inclusus. Deinde memorabilem rem suscepit Carolus, si fas esset mortalibus naturam quam Deus condidit immutare. Nouerat Rhenum atque Danubium Germaniæ maximos ferri amnes ac propè Europæ, aquarum copia longóque cursu; quorum alter ad Boream Oceano, alter procul ad Ortum Euxino Ponto influeret: ij si ducta fossa eadémque nauigabili iungi possent, magnos fructus & egregia cómoda in Germaniam & Europam totam inuectum iri. Fecerántque spem indubitatam perspecto loci situ quamplurimi posse rem perfici; cùm inter duos fluuios, quorum alter in Danubium, in Mœnum alter Rheno pòst exceptum effunderetur, interuallum esset permodicum, solum molle aptúmque fossoribus, nullà montium intercapedine rupiúmve. Ita sub autumnum totum exercitum immensámque fossorum vim ad conficiendum opus adducit, & designata fossa, trecentos pedes lata, factúmque initium ab vno amnium. At labor tantus irritus fuit, quæque res adiumento esse sperabatur, ea impedimento fuit quam maximo; solum siquidem molle, at idem palustre & vliginosum, quàm facilè proscindebatur ligonibus, tam facilè vnde egestum fuerat relabebatur; aquæ instar illata à remis vulnera statim reparantis; humore etiam per humi viscera penetrante, & ærumnosum opus corrumpente; magna præterea imbrium copia, cœlo Germanico sub Autumnum maximè pluuio, conturbabat operam verabátque; vt quantum plures homines toto die magnis laboribus contendissent, tantum vna nocte suo terra pondere intercurrentibus aquis euerteret. Quocirca inceptum opus omissum est, relictusque orbis limitibus suis.

Tentata Rheni & Danubij iunctio.

XXIII. *Carolus à Leone dictus Imperator.*

Ab hoc opere Carolus ad Saxones volat, quibus perdomandis dum incumbit, infando scelere Romam auocatur, moxque ad honorum apicem tandem prouehitur. Ab Pontificis Adriani obitu, Leo III. sanctissimus vir, in Petri cathedram euectus, per vltimum nefas, dum rebus sacris impendit operam, ab Adriani affinibus inductis armatis comprehensus, dire multatus, effossis oculis, abscissáque lingua, (sicuti existimabant, qui eum tam immaniter exceperunt) cruentusque verberibus, in carcerem mox efflaturus animam truditur. Verùm Deo execrabile facinus emendante, sanctum Præsulem restitutis linguâ & oculis sanatum mirificè Auctores scribunt, & Vinigsum Spoletinum Ducem immissum diuinitus, à quo vindicatus in libertatem Pontifex, Spoletúmque ductus, nihil prius habuit quàm vt Carolum Regem coueniret. Rex detestatus immane facinus, exceptóque Pontifice quanto potuit cultu ac reuerentiâ; eundem per Legatos reduci Romam curauit, & in sedem Petri restitui, Cleri Populíque Romani summa lætitia. Ipse vt primùm per Saxones licuit, tametsi mœrens ob Luitgardæ tertiæ coniugis obitum, postquàm adiisset

religionis

religionis causa Diui Martini tumulum, in Italiam iter pronuntiat; venitque Rauennam, inde Anconam, cum Pipino filio atque exercitu. Inde milite in Beneuentanos dimisso, ne Romanæ vrbi suspicioni esset vel oneri, Romam cum comitatu aulico petit. Regi Pontifex Nomenti occurrit; ibi post mutuas gratulationes vnà ad mensam accumbunt; reditque Pontifex ad Romanæ pompæ apparatum. Præbiti Regi iidem honores eademque celebritas, quam instituerat olim Adrianus post Desiderium victum: Effusis omnium gaudiis ad Basilicam sancti Petri Rex accessit, pro foribus à Leone admissus, & festis acclamantium vocibus ad intimam aram perductus. Tum vbi septimo die Rex in concione causas explicasset itineris sui, in Antistitum Synodo accusatio Leonis proposita est; quippe sacrilegi perfidíque sicarij qui virum sanctum violauerant, in eum multa impegerant excusandi criminis gratiâ: Verùm accusatorum nullo comparente, nec enim probassent quæ ipsi per nouum scelus excogitauerant, totáque Synodo contestante, neminem summi Pontificis præter ipsum se arbitrum fore; enimverò Leo ambone conscenso, iureiurando adhibito, immunem se ab iis flagitiis quorum falsò postulabatur professus est. His perfectis Leo, in Sedem & existimationem restitutus, nouum aliquid planè & inexpectatum exequutus est. *Obuersabatur illius animo Christiana Respublica, longè latéque in vniuersum orbem diffusa, quæ tametsi stabili & inconcusso nixa fundamento; tamen præterea & fulcimine aliquo & tutore egeret, cuius operâ & auctoritate vim hostilem fraudésque propelleret. Diu defecisse Constantinos & Theodosios, quorum religio summáque pietas Ecclesiæ tam adiumento foret quàm ornamento. Occidenti & Imperatores suos fuisse, imò ab iis partibus in Orientales plagas transiuisse: Reddendum esse suum gentibus decus, & sequendum Deum quò vocaret necessitas. Quid enim spei in Orientis Imperatoribus? Quorum plerique impietate & nequitia principes, probi paucissimi; multi tolerabiles, quòd priuatim tantum mali essent. Iam ab Leone turpissimo propagari cum sanguine impietatem in posteros; adeóque non sustentari ab iis Ecclesiam, à quibus contentione omni, si Deus sineret, euerteretur. Quin ergo peteretur à Christianis Principibus, is qui Christianam rem tueretur? Eò maximè quòd qui excidissent Italia regno, excidissent & titulo. Adesse Carolum, cuius beneficia maximáque merita in vniuersam Ecclesiam, in Romanam, ipsiúsque caput Pontificem, maiora essent quoruncunque honorum apice. Annon is Carolus, cuius Maiores studuissent Ecclesiæ, cuius arma in Romanorum hostes, in idololatras, in Saracenos conuersa eatenus, vni Christo pugnassent? Vnóque gradu Francorum gloriam diuinosque cultus promouissent? Annon is Carolus, qui pietate, auctoritate, fortitudine, prudentiâ rerum gestarum laude, inter omnes Principes longè emineret; vt si hæc merita ab Ecclesiæ commodis seiungi possent vel cogitando, is iure Imperator foret, quem in id fastigium natura & virtutum dotes euexissent. Et vero tot gentium domino, Franciæ, Italiæ, atque Germaniæ, quid Corona illa Imperatoria præter titulum conferet? Et quidem erit Diadema istud Corona* CAROLVS M.

CAROLVS M.

cinica, proſeruato non Romano Cive, ſed Româ ipsâ, ſed Republicâ ipsâ Chriſtianâ. Atenim repugnat modeſtia Caroli, Princepſque optimus mereri honorem ſtudet, adipiſci fugit, tantò moderatior, quantò melior; vnum conſcientiæ ſuæ calculum ambiens. Imò vincatur in Reipublicæ bonum Modeſtia, ad faſtigium euehatur inuita. Ita confirmatus in ſententiam ſuam Pontifex, Coronam pretioſiſſimam confici curat, habitóque clam conſilio ſuo, ſanctiſſimo die Natalis Domini, in Vaticana ſancti Petri Baſilica, vniuerſo populo quod intenderet enarrauit; ſimúlque Carolum Regem præſentem vt ſacris intereſſet myſteriis, totius rei inſcium, corona impoſita, Auguſtum dicit & Imperatorem; acclamante præ immenſa lætitia vniuerſo populo, Carolo Piiſſimo, Auguſto, à Deo coronato Magno, Pacifico, Imperatori, vita & victoria. Et reuera tantus honos moderatiſſimo Regi repertus eſt non quæſitus: Nec tanta laus Principum optimo detrahenda; niſi ipſi culpam mendacij adſtruamus à quo ſinceriſſimus animus longè abhorruit; vel adimamus Eginarto fidem, diſertè ſcribenti, affirmaſſe Carolum, ſe eo die quantumuis maxima celebritate ſolemni, abfuturum fuiſſe à templo; ſi Pontificis mentem præſciuiſſet; malè autem exploraſſe colligitur, quod præclariſſima dona, & munificentiæ verè Imperatoriæ Eccleſiæ obtulerit; quaſi non aliàs opulenta donauerit; Principíque piiſſimo inefficax ſtimulus religio ſit. Actum poſtea de reis illati in Leonem parricidij, damnatíque ſunt capitis pœna; quam tamen deprecante ſummoperè Leone, & talione Chriſtiano iis qui letalia inflixerant vitam optante, commutauit exilio Carolus; quodam iuſtitiæ temperamento & veniæ. Mox conſtituendis Italiæ rebus Imperator nouus intendit, tota hyeme in Italia traducta, ciuilémque ſe Principem præſtat; tam togata prudentia, quam armata fortitudine Auguſtus.

Anno 800.

XXIV. Et verò vtrique par ſtatim in Germaniam redux loricam induit, & in Saxones eo euentu quem retuli ſuprà bellauit. Sed ab vno bello vt plerunque fit tranſcurſum in aliud; Marte vicina quæque inſtar incendij depaſcente; Danicum iſtud, ſerie quadam locorum & rerum cum Saxonico continuatum. Quippe Dania Saxoniæ ad Auſtrum obuerſa, iam diu Cimbrorum colonia ferociſſimæ gentis, tunc nihilo ignauior pigriorve, & Saxones ad rebellandum omni ſtudio fouerat, opibúſque adiuuerat; & iis profligatis Carolum iam admotum finibus ſuis ſtatuerat contentione omni amoliri. Eam regebat Godefridus, animi feroci nemini impar, & laudum cupidine quantùm barbarus caperet prægnans. At nondum auſus pleno gradu bellum inferre, id velitatione quadam & proludendo tentauerat; inſtructis identidem claſſibus quas ad vexandos & diripiendos Gallicos portus immittebat. At poſteaquàm Saxones penitus victi ſunt, nouiſque coloniis in meliorem frugem acta eſt rebellio; tum omnibus populis quà continenti Dania adiacet in Francorum vel ditionem vel fœdus adiunctis, tenui admodùm

Danicum bellum.

dùm limite bellicosissimas gentes dirimente ; enimuerò vel sancienda pax, vel in atrox bellum prorumpendum : eius tamen furor adhuc inhibitus, seu Dani metu victorem nondum ausi prouocare ; an fraude, absentiam æmuli tempúsque commodius præstolantis ; an solitâ temperantiâ Caroli, feraces triumphorum laureas magno pacis studio resecantis. Satis ambolus fuit ostentasse pacem & bellum. Nam Danus cum vniuersa classe & toto regni equitatu ad Saxoniæ fines properauit, petiítque Imperatoris colloquium, de concordia acturus ; & Imperator ad Albim confederat, nec abnuebat colloquium ; cuius spes statim euanuit, Dano haud quaquam egresso limites, & Imperatore Aquisgranum eunte. Interim hybernum tempus transigitur, & primo vere Godefridus in Abroditos Franco fœderatos bellum atrox mouet. Et primo quidem impetu improuisos occupans, multis castellis in potestatem redactis, eorum Duces malè multauit : nam Drasconem pugnæ dubium ob suorum incertam fidem, ad interiora fugienti similem depulit, quem & postea incautius Rerici agentem per sicarios interfecit ; & Godelabum alterum Ducem dolo captum necauit suspendio : præterea regionis maximam partem vastatam subiecit, effecítque vectigalem, vniuersam breui sub iugum missurus. Verùm Imperator audita sociorum strage, Carolum filium cum exercitu versus Albim mittit, prohibiturum nouam iniuriam, primámque vlturum. Ad famam exercitus Godefridus nouo consilio, & ipse in vrbibus castellísque expugnandis, suorum pluribus cæsis, iisdémque promptissimis, imminutus ; in quibus Reginaldus è fratre nepos, prædâ contentus, non expectato Carolo redit in Daniam. Simul vt sequuturo hosti viam occluderet, emporium Danorum celebre Rericum, ad Oceanum commodo portu magnísque vectigalibus regno fructuosum, quia admouebatur propius Saxoni, à fundamentis euertit, incolis & mercatoribus ad interiorem portum traductis : hærensque regni in limine, magnam rem susscipit, operísque non ardui minus quàm vtilis. Scilicet continentem illam quæ Isthmum efficit, cùm Daniæ cætera concludantur Oceano, statuit vallo ob Ortu in Occasum ducto, longo sanè spatio, validóque erecto munimento, prætexere atque defendere, vna tantùm porta ad exitum permissa, cuius custodia quasi Termopylæ fauceśve Caspiæ Daniam tegerent ; regium sanè opus & memorabile, Franco tamen quàm Dano gloriosius ; nec enim cauetur nisi qui timetur, vt cautio omnis à metu est. Curam operis inter Duces exercitus Rex partitus, quod perfectum an sit haud constat, domum regressus est. At Carolus Princeps, Albi ponte iuncto, iam liberis Danorum recessu Abroditis, vt par pari referret, in Liuones & Smeldingos Danorum socios exercitum ducit, agrísque latè populatis, si forte Danum posset elicere, impunè grassatus, & ipse diues præda viam remensus est. Et hæc atrocioris belli præludia. Quippe Imperator sociorum clades ægerrimè passus, indicto delectu, quantocyus expeditionem me-

CAROLVS M.

CAROLVS M.

ditabatur in Danum, cùm Aquisgrani agens, nuntium accipit, ducentarum nauium classe appulsum in Frisiam Godefridum, Frisios tribus præliis profligasse. Et quidem Danus ingenti animo prudentique consilio, tam occultè quàm gnauiter classem instruxerat, facilique transitu & inopinato Frisios opprimens; primùm insulas nullo negotio inuaserat, deinde exercitu in continentem educto, Frisios generosè pugnantes tribus præliis fregerat, adegerátque in tributum, argenti centum libris iam persolutis. Quo facinore audaciâ præter modum auctâ, profectus in Daniam, nouo cum exercitu expectabatur in dies: insolensque successu, Saxoniam totámque Germaniam hauriebat animo, prædicabátque ostentatione vanissimâ, se Aquisgranum Imperatoris sedem venturum, & ab ipso gloriæ domicilio Carolum victum ad vincula & ignominiam detracturum. Excitus hoc nuntio Carolus, strenuitate primâ aduocatâ, missis celeriter qui copias sparsas contraherent, continuò transmisso Rheno, ad Lippiam amnem euocatum militem opperitur; suorum moras incusans, per quos ad hostem pugnæ impatiens auolare non posset. Quibus conuenientibus, festinanter ad Visurgim mouit, quà Alaræ fluenta excipit; dúmque illic ambigit vtram in partem conuerteret se, Frisiam, Daniámne; audit liberos esse Frisios, classe in Daniam reuocatâ; simúlque Godefridum Regem necatum ab satellitum vno, seu priuata iniuria, seu impulsu regij iuuenis, cui Godefridus pater nouercam induxerat. Ita minæ vento dissectæ, & ostentata superbia, foris terribilis, domi occubuit: sanè credebatur Danus futurus obici gloriæ Caroli, siue ob magnitudinem animi; seu fato quodam, vt senescentium pertæsa felicitas iuuenes ambiat. Cum Rege bellum occubuit; Hemingo fratris filio eius successore pacem præoptante, quæ sancita vtrinque & magnâ celebritate iurata. Et ij Dani sunt, qui statim Normannorum appellatione in Europam totam effundentur, præsertim in Franciam calamitosissimam furoris sui materiam: iidémque postmodùm cicurati regna condent itura longè ad posteros. Carolus exercitum tripartitò diuisum, in Liuones, Hunnos, & Britones misit; locis diuersas gentes, sed æquatas victoriis: ipse inuisurus classem, quam instructissimam ad tutelam oræ apparabat, Bononiam venit, collapsámque Pharum restaurauit; deinde Gandauum ad Scaldim, nauium armamentarium; vir id ætatis nullis ærumnis parcens quæ prodessent.

XXV. *Ludouicus Vascones subigit.*

Dum hæc geruntur à Patre, ab liberis in prouinciis haud quaquam cessatum. Etenim Ludouicum Aquitaniæ Regem, tum Vasconum turbæ, tum Saracenicæ expeditiones procinctum habuerunt. Et quidem Vascones ob Luitardum nouum Ducem in locum Burgundionis demortui illis impositum, tumultuati sunt; eâ audaciâ & furore, vt ex cohorte regia alios ferro contrucidarint, alios immanius igne combusserint. Quod ob scelus conuentu ab Rege Tolosæ habito, citati ad iudicium rei, cum primùm Vadimonium non obirent, deinde confidentia

CAROLVS M.

tia an illecti fraude se sistentes, debita pœna affecti, ferro percussi sunt, aliquot etiam flammis arserunt. Recruduit aliquantò post maiori acerbitate defectio, quæ medicamentis iam insanabilis, Chirurgi ferrum ignémque poscebat. Quare Ludouicus in eos ductis armatis, cùm tradere auctores criminis recusarent, regionem totam populatus, coëgit sapere calamitate; spoliatis culpámque deprecantibus concessa venia. Sed expeditio Hispanica, vt ærumnarum feracior fuit, ita & gloriæ. *Et Catalaunian.* Tota Catalaunia quæ Tarraconensis Hispaniæ magnam partem implet, tunc Mauricæ ditionis, antè à Carolo auxiliante Mauris subacta, Franco beneficiaria erat, vt vocant, & vectigalis. Carolo postea grauissimis bellis, Saxonico præsertim, longè à Pyrenæis auulso, Mauri Principes tam vectigal quàm hominium detrectabant. Tandem Ludouicus attributam in Aquitaniæ regnum prouinciam redditurus in iugum debitum, prompto exercitu in Catalauniam penetrat; eò maximè quòd immissi in Septimaniam armati, cæsis liminum custodibus, latè prædas egerant, & piratica classe Mediterraneum mare infestantes, diuexabant Franciam atque Italiam. Erat Addo Maurus Barcinonis Comes, quæ totius regionis primaria vrbs, emporiúmque ditissimum, ad mare positum. Is comperto Ludouici aduentu, vt commodius vrbem commeatu instrueret, ipsi occurrit, verbísque subdolis, spe vrbis dedendæ, eò tempus protraxit, dum in vrbem importatis quæ nellaria forent, ipse prætextu disponendi Franco introitus se in eam recipiens, portas occlusit, minásque in fidei sponsionem iactauit. Ludouicus hac spe deiectus, ad obsidionem amplissimæ vrbis imparatus, & Autumno iam affecto, reconditâ in opportunius tempus vindictâ, Tolosam recessit. Conuerso tamen ad dextram itinere, Ilerdæ *Lerida.* improuisus aduenies, vrbem cepit, vastauit, & diruit; pòst Oscam *Hueſca.* accedens, quæ Celtiberorum est in Aragonia, ciuibus metu intra munimenta se continentibus, agros latè vastauit, direptis villis, suburbiisque incensis, in fraudis Punicæ iustum stipendium. Quin & auctorem fraudis par fraus inuoluit; nam anno proximo, cùm ad res Saxonum euocatus esset Ludouicus, Addo à quodam vt rebatur fido Narbonem adductus, fortasse ad consilia occupandæ vrbis agitanda, eodem indicante captus, & primò ad Regem, tum ad Imperatorem, doli tunc materia qui artifex antè, perductus est. Sed mox debellatâ Saxoniâ, decernitur oppugnatio Barcinonensis, cùm iam Barcinonenses Hamurem Addoni affinem in Captiui locum suffeciſſent. Ad perficiendam *Barcinonem capit.* oppugnationem Ludouicus ingentes copias in tres partes diuidit; cum primâ ipse substitit in Ruscinonensi Comitatu; quæ prouinciola sub *Rouſſillon.* Pyrenæorum radicibus, Hispaniam inter & Septimaniam media; ad auxilia & commeatus, tum ad recessum vbi opus foret, obtinenda necessariò erat; parti alteri cui præerat Rostagnus Comes, obsidio vrbis commissa est; tertiam quasi excubitoriam, ex equitibus & velitum expeditissimis, vt latè incursaret, commeatus iuuaret, proculque auxilia

CAROLVS M.

xilia ab obsessis amoueret, ceu cursoriam aciem peruagari iussit. Barcinonenses ostidione pespectâ, confestim Cordubam Maurorum Regum flagitatum opem miserunt; nec cessauit ab mittendis auxiliis Arennus Princeps; legitque exercitum, cui liberandæ vrbis munus impositum. Iámque accesserant Cæsaraugustam copiæ, cùm famâ audientes Francorum promptissimos viarum intercepisse compendia, paratos ad prælium, quod alterius præludium foret; dimissis hoste & ciue, in Astures conuersi ad agendas prædas, secum abstulerunt spem & metum obsidionis soluendæ. Quocirca vterque exercitus ad vrbem admotus, intentissimâ curâ ad obsidionem versus, intercluso aditu exitúque, extremam famem importarunt in vrbem. Iámque obsessi, absumptis omnibus esculentis, detractis pellibus inania corpora sustentabant; plerísque se è murorum pinnis deiicientibus, subitúmque fatum lætali vitæ anteferentibus; alebátque spes vnica pertinaciam, fore vt hyeme modò ineunte, sæuitiâ frigoris hostes abscederent. Verùm & hanc spem Francorum constantia statim abscidit. Nam deuectâ affatim è proximis siluis materiâ, casas exstruere, fossas purgare, vallum instaurare, in imbrium vim communire sese, tam gnauiter cœperunt, vt Mauri spe etiam ad extremum consumptâ, Hamure Principe tradito, vrbem dediderint. Et tradita est in Ludouici Regis potestatem, quem eam in rem euocauerant Præfecti in castra, vt venantium instar à ferâ captâ canúmque permissâ morsibus voluptatem perciperet. Porrò distulit pius Rex in vrbem ingredi, donec fanum Mahumeticâ impietate purgatum diuinos cultus admitteret; quasi Deo victori primos honores haberi cuperet; tum præuiis sacerdotibus ipse cum exercitu subsequens, inter hymnos psalmósque canentium, in templum sanctæ Crucis perrexit, acturus gratias auctori omnium. Postea Berâ vrbis Comite constituto, & relicto ad præsidium milite, ad hyberna Aquitaniam petiit. Iámque Carolus frater Lugdunum peruenerat, à patre Imperatore ad suppetias ferendas missus, optimo Principe colligante liberos præter naturam charitatis vinculo; sed accepto nuntio vrbis expugnatæ, ad Patrem rediit.

XXVI.

Dertosa tentata.

Affecto vere Ludouicus Franciæ limites ad Iberi ostium propagaturus, procúlque Mauricam gentem quantùm daretur armis amoturus, reuocato exercitu in Hispaniam penetrat; & capto Barcinone itinere, Tarraconem profectus, antiquam vrbem, olímque Hispaniæ Tarraconensis primariam, vi capit; aliáque in Catalaunia tum castella tum municipia ferro ac flammis vastat & delet. In lata illa prouincia expugnanda vrbs admodùm vna supererat, Tortosa, veteribus Dertosa, ad amnem Iberum, haud procul ostio quo mari influit. Ad hanc situ validam, Mauricæque potentiæ propugnaculum, occupandam, Ludouicus incumbens, copias bifariàm partitur; selectissimos milites Ducésque fortissimos Hisembardo tradit, quos latè ad vastandos Maurorum agros improuiso agmine duceret, dum ipse tenderet rectà Tortosam.

toſam. Et vltra ſpem Regis Franci promoti, ardentibus animis obiectas metas tranſilientibus; nam aduerſo Ibero ſex diebus continuis progreſſi, occulti tamen & fallentes, vel noctis tenebris, vel ſiluarum luſtris atque anfractibus; die ſeptimo Cingâ & Ibero natatu tranſmiſſis, inopinati & quaſi è cœlo prolapſi, terrore omnia complentes, direptione, cæde, incendio, impunè graſſati ſunt. Porrò tam pronus aditus reditum habuit, vt fit plerumque, impeditiorem. Saraceni primo metu vtcunque abiecto, vbi ſe collegerunt, reputantes quantùm Franci nec ij magno numero progreſſi forent; grauium ſpoliis & incautorum victoriâ intercepturi reditum, magnâ multitudine Ibanæ vallis oſtia inſident. Erat hæc inter altos montes, & ſuccinctos præruptis rupibus, non depreſſa modò, ſed propemodùm infoſſa; adeò arcto limite, & obnoxio eminentibus rupibus, vt qui in eam ſe immiſiſſent armati, è ſuperiore loco, euolutis duntaxat ſaxis, nullo negotio obteri atque obrui poſſent; erátque redeuntibus Francis via proxima & compendioſa, longiore alterâ, quæ per aperta camporum ſpatia vagabatur. Et Franci haud dubiè ruebant in certum exitium, niſi mens melior non prouidentia ſua ab occupata valle auertiſſet; nam inſidiarum ignari, ad patentem illam viam Deo agente conuerſi; iter perſequuntur, non ideò liberi omni diſcrimine: quippe Mauri diſiecti ſpe proximâ, & in nouam effuſi, rati Francos metu abſtinuiſſe à valle, iámque perterritos in apertis campis vinci poſſe, relictis faucibus magno impetu veſtigia euntium terunt, eóſque aſſequuti aggrediuntur intrepidè: at Franci repentè conuerſi, circumacto in hoſtem agmine, relictiſque à tergo ſpoliis, irruentem primò haud fugientium inſtar exceperunt, dein loco mouerunt, poſtremò in fugam egerunt magna internecione. Perpetratâ victoriâ, ad prædam reuerſi, poſt viceſimum diem incolumes ad Ludouicum peruenium; & is depopulatus agrum hoſtilem, vrbe intactâ domum ſe recepit. Mox anno proximo, cùm obire eandem Tortoſæ oppugnationem haud poſſet, nauibus fabricandis inuigilans, quas ex mandato Imperatoris ad defendenda in Normannicas claſſes littora, in Garumnæ Rhodaníque oſtiis obiici oportebat; tradit exercitum Vigoberto Legato, quem eam in rem miſerat Pater. Is porrò Aquitanorum flore ſtipatus, Barcinone re deliberata, ſtatuit iuxta quod prius Ludouicus tentauerat, copiarum partem vltra amnem tranſmittere; qui improuiſum hoſtem aggreſſi haud ægrè diſiicerent, alteríque parti expedirent tranſitum fluuij. Inde occurritur vni incommodo, quod amnis eliquatis niuibus tumens natatum haud facilem præbiturus foret; fabrefactis cymbis, quarum compages in quatuor partes ſolueretur, vt earum ſingulæ binis equis mulíſve vehi commodè poſſent, atque ipſæ vbi vſus foret, in commiſſuras ligneis clauis peraptè inſeri, ſtupâ & pice ad obturamentum paratis. Bademaro & Beræ prouincia tradita. Ii magna cautione, abſque tecto & foco, ſiluarum latebris, auiíſque ſemitis incedentes, quarto die ad fluenta amnis, vbi iam pacatior aquas

CAROLVS M.

Senga. Ebre.

CAROLVS M.

deuoluebat, instrumento nauigiorum expositio, iisque facilè compactis & picatis, indeprehensi ad vlteriorem ripam transmittuntur, ad cymbarum latera equis adnatantibus, nullo periculo, quippe onere leuatis, frenóque ductis, ne torrente amne raperentur. Hactenus belle stratagema processerat, nisi prudentiam & sagacitatem casus fortuitus obturbasset. Lauabat Maurus in flumine, longè infrà locum quem Franci traiecerant; ac fortè aduertit fimum equinum fluente amne identidem vehi; vt est callida gens, & mirè suspicax, ex fimo apprehenso, naribúsque admoto, qui nec onagri esset, nec iumenti alterius herba pasti, qualia Maurorum essent, sed hordeum saperet, vafer Maurus colligit, peregrinos equos amne transmissos, simúlque ad ripam vectos equites; vnde asseueranter affirmat imminere hostes; commilitones ad arma excitat, Ducíque Abaiso ad excludendos hostes ripam insidenti disertè asserit iam transitum amnem. Missi ab Duce qui rem explorarent, traiectum renuntiant, & vt fit in subitis, suo terrore alienum augentes, in trepidationem metu mox verso, obnitente quanquam Abaiso, confestim Mauri tentoriis & impedimentis relictis in vlteriora & tutiora loca confugiunt. Interim aduentantibus Francis, diúque penuria laborantibus, paratum hospitium ac commeatus refertum percommodum fuit. Verùm Abaisus ignominiæ impatiens, seque castris eiectum nec vno teli iactu indignatus, Mauros iuxtà metu atque periculo liberatos verbis aggressus; pudore fugæ lacessito, & excitato gloriæ fomite, docet incompositos hostes, effusósque in prædam, paruo numero, vt ipse exploraverat, diuisos amne ab sociis, nullo labore profligari posse; se si viri essent sequerentur, prioríque metus infamiam nouo & expedito facinore deletum irent. Ita postridie ingenti multitudine Mauri in Francos impetum faciunt, ac dimicatur summa vtrinque contentione; hinc Mauros ignominiâ, inde Francos præter gloriam impellente necessitate victoriæ: ideò instauratis animis, quamvis longè impares numero, in fugam Mauros Franci coniiciunt, cædúntque passim, donec offusa nox quietem victis victoribúsque indulsit. Ab hoc prælio Vigobertus obnitente nullo se suis adiunxit, admouítque ad vrbem copias, obsidionem lentam paraturus; quæ tamen frustra fuit, oppido rerum omnium copia instructo. Quocirca ineunte iam hyeme fuit in Septimaniam redeundum; rebus quidem multis præclarè gestis; sed ingloriè, quia nullo fructu: adeo finis summa dignitas est, quem nisi consequeris, nihil præstas.

XXVII. *Dertosam expugnat Ludouicus.*

At Ludouicus dedecori vertens, quòd is gloriæ suæ cumulus deforet, magnis delectibus per hyemem habitis, & accersito ex Francia supplemento, statuit ipse Dertosam aggredi, vrbísque pertinaciam non amplius lenta obsidione, sed vi & machinis expugnare & frangere. Nec secus quàm decreuerat præstitit. Quare nec dolo nec stratagemate grassaturus, traiecto per hostium tela Ibero, Dertosam positis castris circumcingit; partitúsque in Heribertum, Lituardum, Isembardum, aliósque fortissimos Duces oppugnandi munera, acerrimum præliandi genus

nus instituit; quo immensæ murorum moles pro clypeis, ac ingentes phalaricæ molaréſque lapides pro iaculis sunt, pilis & gladiis. Tenuit oppugnatio dies quadraginta; per quos seu vineis & testudinibus murum subruendo, seu turres arietibus quatiendo, seu bellicas machinas in propugnatores vrbis effundendo, ita Mauri vexati sunt atque attriti, vt tam animis fracti quàm viribus, se cum vrbis clauibus potestati Regis permiserint (quas ipse Patri acceptissimum munus posteà detulit) ingenti Saracenicæ gentis terrore, ac Franciæ gloriâ. Repetita rursus Hispania, & ab ipso Rege, & ab Heriberto legato. Nec Legatus præter vastationem momenti quidquam confecit; coactus obsidionem Oscæ deserere, quam susceptam fortiter, at negligenter promotam, reliquit turpiter; adeò in rebus quidpiam est præter initia. Ludouicus oppresso quem antè retuli tumultu Vasconum, cum exercitu Pyrenæis quà Nauarram iungunt superatis, Pompilone moratus aliquandiu, præclara multa in publicum bonum constituit; tum in reditu, prudenter odoratus proditores Vascones eam sibi apparare fraudem, quam olim Patri in iisdem locis texuissent; eorum ducem apprehensum necauit suspendio, dein reliquorum omnium vxores & liberos, quà sponte quà vi ad se adductos, loco obsidum per abrupta montium primum inter extremumque agmen secum habuit; ita perdifficilem viam emensus incolumis, præsidio quod mirum est, mulierum atque infantium, hoc est infirmitatis ipsius. Et ij post transitum affinibus redditi, ea incolumitate quam præstiterant. Porrò de iis apud Hispanos scriptores mirum silentium, ne inuidiam dicam; cùm sanctissimo in perfidam gentem prætermisso bello, Carolum Imperatorem in Alphonsum Regem componant, magnâ illâ quam suprà recensui clade. Sanè tam diserté id Aimoinus exscribit, vt loci dubio nihil sit; & adstruit ratio, id iussu Caroli motum bellum, tum ad obtinendas quas pepererat ipse victorias, tum ad arcendas Maurorum incursiones, quibus littora Franciæ atque Italiæ, ac maximè Corsicam insulam immissis classibus fœdè infestabant. Nec pigebit eas hic delibare, vt virtus Caroli, atque in Rempublicam Christianam merita, præsertim in Hispaniam, cuius sanabat vlcera pernicie hostium, in luce sint atque memoria. Nam primùm à Pipino missa est ab Italia classis in Corsicam, ad depellendos Mauros, qui nec expectato classis appulsu, in Hispaniam vnde soluerant præcipites redierunt. At cùm fermè quotannis in eandem Corsicam prædones iidem exscenderent, misit in eam Carolus defensionis causa Burchardum Comitem stabuli: nec defuerunt cupiditati solitæ Saraceni; primò in Sardiniam appulsi, eaque exclusi infausto prælio; tum in Corsicam versi, prædam obuiam rati; exceptique à Burchardo, nauali pugnâ victi ac fugati sunt, duodecim nauibus amissis. Nihilominus aliquantò post, obstinata gens in Corsicam redit, & ipso Paschatis die ciuitatem pietati addictam funditus diruit. Ea etiam audacia pertinacibus ad prædandum fuit, vt Niceam Narbonensis prouinciæ, & Centumcellas Tus-

CAROLVS M.

Ludouicus per Pyrenæos transit.

Saraceni repressi.

CAROLVS M.

ciæ maritimum oppidum, repentino impetu populando exhauserint, demùm à Sardis dimicatione victi & repulsi. E quibus colligam, numerosos & perinfensos Christiano nomini populos, non intra pyraticam quieturos, si in alium Principem incidissent quàm Carolum; tantíque viri maiestatem & curam fixisse metas effusis gentibus; quà Mauris, quà Danis, quà mari, quà terrâ, passim irrumpentibus; Franciâ tunc honestissimè depugnante, cui iidem hostes forent qui Ecclesiæ.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER QVINTVS.

SYNOPSIS.

Bellum contra Venetos. Caroli & Pipini mors. Ludouici modeſtia. Caroli Magni obitus, & dotes. Ludouicus Pius Imperator. Danicum bellum. Ludouicus Hiſpanis opitulatur. Romam pacat per Bernardum. Antiſtitum moribus conſulit. Stephanus V. in Franciam venit. Ludouicus filios coronat. Abroditi bellum mouent, & Saxones. Bernardi defectio. Bellum Britanniæ. Iuditæ nuptiæ. Bellum in Hungaros. In Danos quid actum. Bellum contra Mauros. Lotharius Imperator; Romam venit. Cauſæ coniurationis in Ludouicum. Pipinus in patrem rebellat. Ludouicus rebellantes diſſicit. Coniurati pœna affecti. Noua ſeditio à Pipino. Pipinus fratres ſibi adiungit. Inſtauratur rebellio. Ludouicus à ſuis deſeritur: In cuſtodiam traditur. Ludouicus damnatus ab Epiſcopis: Imperio reſtituitur. Lotharij pugna proſpera. Cabilo direpta. Ludouici pietas. Lotharius Romam vexat. Ludouici ſenſus de Cometa. Pipini mors. Ludouicus

regnum diuidit. Ludouicus filius rebellat. Ludouici Pij obitus. Bellum à Lothario. Pugna Fontiniaca. Lotharius admissus in Galliæ partem. Saraceni inuadunt Italiam. Ludouicus Iunior Imperator. Lothary pius finis. Ludouicus Saracenos vincit. Ludouici cum Basilio contentio. Ludouicus proditus ab Adelgiso. Lotharius Iunior, & Valdrada pellex. Lotharij Iunioris mors.

CAROLVS M. I.

Bellum contra Venetos.

DVM hæc in Hispania Ludouicus patrat, & in Germania Carolus patris Imperatoris legatus Danos contundit, Pipinus Hunnis iam profligatis, in Italia vincit. Nam Grimoaldo Beneuenti Duce ad tributum & præstandam fidem adacto, orta est subinde maioris motus maiorísque laudis occasio. Siquidem cùm anteà Dalmatiam Carolus armis subegisset, Nicephorus virorum pessimus, qui Irene Imperatrice deturbatâ solio in illud per nefas conscenderat, eandem Dalmatiam armis recepturus, supero mari classem immiserat; quæ nullo successu cùm Venetiis se continuisset (& Græci Imperij Venetiæ erant) in Epirum soluit. Biennio pòst eadem instructior Paulo duce rursus in Dalmatiam missa, ad prioris expeditionis purgandam ignauiam, Comaclium in Veneto mari haud amplam insulam, milite exposito occupare tentat. Verùm Græcus hinc à præsidiariis cum clade pulsus, Venetias petiit, & bello desperato ad constituendam quovis fœdere pacem se conuertit. Nec eam abnuebat Pipinus, nisi Villarenus, Obelerium Sabellicus vocat, & Beatus, Venetorum Duces, vel in Paulum inuidiâ, vel in Francos odio, pacem occultis artibus conturbassent, positis etiam Paulo insidiis; quarum ipse gnarus, Pipino detectis Venetorum dolis, rediit Constantinopolim, amicis quàm hostibus longè infensior. Pipinus verò ne inulta Venetis perfidia foret, contractis nauibus aggressus Venetias, expugnauit, Ducésque perfidos mali originem captiuos habuit. Et hæc Ammoinus Gallicus scriptor, cui cùm repugnet Sabellicus, & Pipini cladem illatam à Venetis narret; neque nobis veritas tam procul spectantibus sat patere possit; sua cuique genti sit gloria liberúmque arbitrium. Tamen haud absimile vero crediderim, Pipini classem inter insularum Syrtes adductam, (necdum enim Venetiæ in vrbem coaluerant) locorum ignorantiâ, hostium insidiis patuisse, & cum strage cecinisse receptui. Sed id perleue detrimentum, gentis gloriam nusquam obscurauit. Nam erant res tum domi, tum foris, admodùm prosperæ, gloriâ Caroli repubescente in liberis; iámque eorum concordiæ cauerat Pater, designatâ cuique parte Imperij; nempe Carolo natu maximo Franciâ quæ inter Albim & Ligerim foret; Pipino Italiâ; & Ludouico Aquitaniâ ab Ligeri ad Iberum; Principum quovis iisdemmet prouinciis assuescente à teneris. Verùm hæc plaga optimo Imperatori prima inusta est, Pipini fatum;

generoso

generoso iuuene & Patris Martiam indolem referente, post Venetum bellum febri correpto, quâ in flore ætatis & victoriæ plausu extinctus est. Haud multò pòst, modò Saxonibus Danisque domitis, ceu laureatas victimas lethum expeteret, propius ad exemplar Patris conformatus, Carolus, è morbo simili diem obiit; Imperatore orbo propemodùm, & in Ludouico spem caducam fratrum collocante. Is è paternis virtutibus pietatem maximè & religionem hauserat, támque altè imbuerat, vt si per Carolum patrem licuisset, Carolomanni propatrui æmulatus exemplum, regno amplissimo spéque amplioris ab se abdicatis, ad monasticam vitam secessisset. At quod paterna veneratio vetuit, vt pietatem promoueret exemplo, id curâ & studio perfecit in aliis; Cœnobiis pluribus per Aquitaniam instauratis, cultúque religionis propè demortuo, exstruendis dotandísque Basilicis suscitato. Nec pietas ciuili prudentiæ in exequutione munerum oberat; scribitúrque Patrem aliquando accepta ratione officij quod Ludouico iniunxerat, coram effusis præ gaudio lacrymis exclamasse; O socij, gratulemur nos victos ab iuuenis huius sagacitate senili. Et verò vt Patri nihil iucundius quàm vinci à filio; ita acceptissima Seni æmulatio virtutis, qua vna & propria gloriatur.

CAROLVS M.

Ludouicus superstes.

Portò administrabat Aquitaniam Ludouicus, cùm fratrum obitus Patrisque orbitas nuntiata, videbantur iuuenem euocare ad Patrem, specie consolandi, reuera ad consortium regni, & delibandam hæreditatem iam proximam. Eámque in rem & à paternis arcessebatur Aulicis, ad nouum solem se conuertentibus, & ab suis incitabatur summoperè, ad summam rerum mox aspirantibus; cùm ipse fræno inhibitus quod vt calcar alij subiiciebant, veritus intimo pietatis sensu, ne festinando, ad fraterna spolia euolare, partiendámque paternam purpuram videretur; hæsit in Aquitania; donec à Carolo modestiam filij demirante Aquisgranum euocatus est. Pater per æstatem secum filium habuit, doloris solatio ex charitate quæsito, imbutúmque penitus arte regnandi, præceptis quæ longo vsu perdidicerat traditis, ad consortium regni Imperiique admouit, coronâ illi in publico conuentu impositâ, quem designabat tot gentium Dominum. Attamen ab Imperio distraxit Italiam, cui suum Regem præfecit; itáque appellari iussit Bernardum Pipini filium, quantumvis spurium, adolescentem magnæ spei, Avóq; gratum paternâ memoriâ. His constitutis filium abs se dimisit in Aquitaniam, ne fortè sol oriens occidĕti officeret, nêve ante mortem nõdum depositus senex moreretur. Et quidem ad eam se Christiano animo comparans, iam ad senium accedentibus morbis, ab illicitis amoribus, si qui fortè fuerant, se totum vindicans, corpus ciliciis, & pio dolore mentem affligebat: Donec Mors decoctis vitiis cœlo dignum inuasit, præmissâ febri admodùm graui; qua cum decubuisset, abstinerétque à cibis, solo potu eóque infrequenti corpusculum fouens, quo vno remedio ægritudinibus medebatur; pleuritide accedente, septimo die, pastus Christi corpore, desiit viuere; annum agens vitæ septuagesimum secundum, regni quadragesimum septimum, ac decimum quartum Imperij. Conditúmque est corpus Aquisgrani, ea in Basilica quam tanto sumptu tantaq; curâ exstruxerat.

II.

Ludouici modestia.

Caroli Magni obitus.

Anno 814.

Et

CAROLVS M.

præsagia iacturam grauem Orbi nuntiarunt. Siquidem tribus extremis quibus vixit annis, sæpius Luna & siderum Princeps defeciſſe visi, & in ipso sole nigricans macula palàm spectata est : Ingens porticus qua Palatium Ædi sacræ adiunxerat, ruina subita corruit; Imperatorem, vltimâ in Godefridum expeditione, cùm manè lucis crepusculo prodiret è castris, radianti lumine fax coruscans, è sublimi, sereno cœlo, infernè allapsa, circumplexa est; mox equo cui insidebat ceruice prona procumbente, ille excussus est; at tanto impetu, vt fibula quâ connectebatur sagum disrupta, balteus in plura frusta discerptus sit, quodque dextra ferebat hastile longo spatio excussum procurrerit. Aliáque eiusmodi obseruata sunt plurima, cœlo plerunque calamitates terræ præguſtante, & Deo præmonstrante scopum quem feriat. Condebat tabulas amantissimus suorum Princeps, quibus liberos tum deterioris sexus, tum spurios impertiebat facultatum parte, sed morte præuentus imperfectas dimisit. Verùm tertio ante anno, gazam opulentissimam & numeratam pecuniam in sacras Basilicas atque Domesticos scripto diuiserat : Parte multò maximâ in Metropolitanas ædes assignatâ, quas & ipse recensuit; reliquis in mendicos & Domesticos attributis. Quæ omnia Ludouicus ex arbitratu Patris impleuit. At Francis luctus immensus hæreditas fuit, Maximum Principem optimúmque Patrem deflentibus : Quanquam & propagatio regni amplissima magnum posteris patrimonium fuit. Nam ab Rheno & Ligeri, qui Franciæ termini sub Pipino erant; hinc ad Iberum; ad Vistulam illinc, tam immenso spatio fines prorogauit, vltra Alpes limite ad extremam Italiam moto, vt quod de Romano Imperio Pompeius quondam, de suo Carolus affirmare posset; se quod finis foret meditullium feciſſe; pluribus gentibus peragratis vincendo, quàm quæ peregrinando exploratæ Maioribus forent: pace etiam per tot bella partâ; metu primùm populis, pòst amore conquiescentibus.

III.

Caroli Magni dotes præcipuæ.

Fortunâ prospera vsus est plurimùm, Deo cursum admoderante, & meruit ob virtutes publicas priuatásve, habere sortem in potestate. Nunquam ad bellum nisi desperatâ pace incubuit; nunquam bellum gessit nisi pacis memor & cupidus, armis hostem appetens, vt seruaret. Religionis obseruantissimus erat; maximè in Ecclesiam sedémque Romanam, cuius Antistitem venerabatur vt Patrem, opulentissimis donis in Basilicam Diui Petri collatis. Opes immensas in Aquisgranensi Æde impendit, omni studio & pretio ad nobilitandum opus indulgens. Turbis egenorum liberaliter erogabat stipem; erantque mendici comitatûs regij assectæ : Nec Europæ finibus largitiones conscripserat, peruagabatur Asiam donis ipsámque Africam; missis Hierosolymam, Alexandriam, atque Carthaginem, qui Christianos vel captiuos vel inopes iuuarent pecuniis; ideò studiosè Saracenorum Principum amicitiam coluit, vt Christianos mollius regerent, affligerentque temperantius miseros. Ædificia præter sacras ædes multa excitauit : Palatium Aquisgrani dignum quod incoleret amarétque; alterum ad Moguntiam, tertium ad Vahalim, quà Batauiam alluit; quin & bono publico Rhenum ponte iunxit ad Moguntiam vrbem quingentis passibus amplexo alueum;

alueum; decemque annis surrexit structura, tam peritè tamque solidè exædificata, vt coæua orbi crederetur; fortuito tamen consumpta incendio, tribus admodùm horis tot annorum opus vastantibus: Annóque proximo Carolus obiit, præmonente scilicet Numine, excitanda in cœlis opera, quæ naufragiis superstint atque incendiis. Erat & magnificentiæ in aduenas miræ, excipiebátque omnes regiis ædibus, cultu & opulentia regia, imò animo amplissimo, cui benefacere lucrum esset, & verè lucrum, nullo abscedente, quin se hospiti tanto addiceret. Summa in eo sciendi cupiditas, impleuerátque illam eximiè. Mirum est in barbaro seculo, & doctrinæ omnis experte, quantùm eruditus quantùm imbutus scientiis fuerit. Callebat apprimè Musicam, quam sacris hymnis semper adhibuit; habebat arctum cum Musis commercium, versúsque fundebat quàm qui eâ ætate optimè; tam singulari erat eloquentia, támque expeditè nitide & ornatè, tum in colloquiis tum in concionibus disserebat, vt eum non modò potestate, sed sermone Principem crederes; præter Francicum idioma quod nunc Germanicum est, Latinè elegantia summa loquebatur; Græcè minùs commodè, voces tamen scitè percipiebat: Studuit plurimùm in amplificando Francico sermone & ornando; scripserat vocum omnium indicem; indidítque ventis & mensibus appellationes nouas, expunctis veteribus Latinis aut barbaris; suæ gentis gloriâ non armis modò sed ingenio propagatâ: perceptam habebat Dialecticam penitus, & Astronomiæ studuit plurimùm, mirifica siderum mente complexus, cogitatione quantùm fas erat suprà terrestria & caduca vehens. Prisca Francorum carmina, quibus de more gentis illustria Regum Principúmque facinora concinebantur, ne interirent, accuratè collecta, scripto consignauit, vitam quà poterat claris Heroibus largiendo. Viros doctos admirabili quadam prosequebatur beneuolentia, quibuscum frequentius quàm cum militibus versabatur; Albinum maximè, siue Alcuinum sibi legationis causa ab Anglia missum, & ob singularem doctrinam statim acceptum, cùm donis & amicitiâ retinuisset in Francia, dilexit impensius; eóque vsus est ad communicandas scientias Francis, conditâ Parisiis Academiâ studiorum, quæ per tot bella & calamitosissima tempora hactenus stetit; arcessiuitque immenso sumptu Magistros, qui profiterentur literas, rudesque militiâ Francorum animos cicurarent. Hæc fortassè paulò fusius scripsi, quæ vt in vulgari homine laudi sunt modicæ, imò ferè nulli in Principe, qui neglecta republica Sophistam ageret; ita in Imperatore ciuili prudentia & militari vsu clarissimo, sunt magnæ gloriæ; semper inter arma versari aut studia, bella erudito otio interscindere, & disciplinis animum aut periculis corpus exercere. Erat staturâ prolixâ admodum, septem pedes implente, sed membris validis, & ad staturæ modum conformatis; nisi quod aluus pinguior paulùm extaret. Mitis animus, facilis, apertus, & in regia potestate nusquam superbus; tam à suis amatus, quàm eorum amans: totus beneficus; nam amoris prodigus, donis neutiquam parcit. Vulgò habitus est, deterioris sexus amantior; credo solitâ in Principes inuidentiâ, si quid eiusmodi fuit, exaggerante; cùm peccatis obnoxij neminem velimus ab

CAROLVS M.

CAROLVS M. IV.

ßs immunem. Sanè Carolus inter ſanctos adſcriptus, verè Magni nomen impleuit, cùm ampliſſimus magnitudinis modus à ſanctitate petendus ſit.

Audito interitu Patris Ludouicus celeriter Aquiſgranum occupaturus turbas ſe contulit: erat enim ſuſpicioni Vala Imperatori chariſſimus, & feſtinantem ad Imperium breuis moræ piget. Verùm nouo Principi omnia prona & ad obſequium inclinata. Vala primus omnium venienti occurrit, profeſſus obtemperationem arctiſſimam, fuitque exemplo cunctis Proceribus. Inde Ludouicus perſolutis Patri honoribus, & quæ per codicillum imperauerat exequutioni mandatis, ad curas Imperij ſe accingens, primò penates regios repurgauit. Fœminas quotquot nominis mali aulam terebant eliminauit; ſorores, quas ſemper in comitatu Pater habuerat, ex aula itidem miſſas, ſuo quamque loco ablegauit; earum amatores, partim pœna affecit, partim donatos venia longiùs depulit, noxámque præteritam quà liceret emendaturus, nullam in Aulam admiſit fœminam, præter paucas admodùm, quas decori neceſſitas Hermingardæ coniugi depoſcebat. Tum legationibus adiecit animum quas ad Patrem miſſas, præſertim à Leone Armeno Græco Imperatore, ſuo excepit nomine, dimiſitque perhonorificè. Mox ſecurus Franciæ, Bernardum nepotem ex fratre exciuit, promptúmque obſequio, iuxta Patris arbitrium, dictum Regem Italiæ miſſum fecit. Pactum cum Grimoaldo Beneuenti Duce inſtauratuit, vt ſe beneficiarium profeſſus Imperij, ſeptem auri millia quotannis in tributum daret: Saxonibus Tranſalbianis remigrandi in patriam facultatem fecit, ſoluitque onera quæ iniunxerat Pater; ratus vi & timore coërcitos hactenus, amore & beneficiis prouocandos in melius; nec ſpe luſus eſt, fida in poſterum gente, Regiſque indulgentiam iuſto obſequio commendante. Ex tribus filiis maiores duos, quorum reuerentiâ continerentur populi, in regendas prouincias miſit, Lotharium in Bauariam, Pipinum in Aquitaniam; tertium Ludouicum nomine, etiamnum puerum, ſub oculos ſuos creſcere voluit. Poſtea ſtudium corrigendi luxus, quo laborabant multùm Antiſtites, oriens belli motus pauliſper auertit. Ab Godefrido bellicoſo illo Danorum Rege, & Hemmingi ſucceſſoris obitu, ciuile bellum inter eiuſdem Godefridi liberos, & Harioldum atque Regnifridum Hemmingi vel affines vel liberos, regnum diſtraxerat: ac poſt prælia iterata cùm ſe inuicem ſolio pellerent, poſtremo conflictu Regnifridus, & vnus è Godefridi liberis maior natu, pari vtrinque clade ceciderant. Verùm Harioldus, ſiue fratris interitu, ſiue maiori ſuorum ſtrage, ſibi ipſi diffidens, implorata ope Ludouico ſe tradit. Ludouicus gloriæ fore & commodo ratus, ſi æmulæ genti Regem imponeret, exceptum beneuolè Harioldum, iuſſúmque ſperare omnia, in Saxoniam miſit, dum paratur exercitus. Data reducendi Regis prouincia Balderico legato, mileſque aſſignatus Abroditi & Saxones, qui contigui Daniæ non arceſſendi longius forent, & maiori animo in proximos æmulos decertarent. Haud cunctanter miles lectus, ipſaque hyeme admotæ ad Albim copiæ, minabantur tranſitum & conficiebant; niſi molliori cœlo & pluuio, amnis vel ſoluta glacie vel fallente, arcuiſſet veſtigia; moleſtiore dum parcit hyeme, quàm cum ſæuit.

ANNO 814.

LVDOVICVS PIVS IMPERATOR.

Danicum bellum.

Quocirca

Quocirca opperiendus fuit vernus tepor, quo liquatis aquis, traiectúque facili, in Daniam Baldericus exercitum mouit. Progressus in interiora, transiisso etiam Egidorâ amne, cùm instar incendij cuncta corriperet, armatum hostem (in quo caput) quærendum statuit & prouocandum. Erat is magno exercitu, nauiúmque ducentarum classe, in insula tribus millibus à continenti diuulsâ, propugnatoris specie, mari, exercitu, operibúsque protectus. Septimis castris ad Oceani littus Baldericus venit, statiuisque positis, ostentabat pugnam, eliciendi hostis cupidior. At cùm ille quasi relegatus in insulam, se suasque naues statione pertinax contineret; triduóque frustra consumpto, nec progredi Baldericus penuria classis, nec vincere posset hostis absentia, regione Harioldo subiecta, captísque obsidibus, vno metu victor, in Saxoniam rediit. Interim Ludouicus Christianæ pietatis in subleuandis miseris haud paulò diuersum edebat specimen. Plerique Hispaniæ populi, grauissimo Saracenorum iugo afflictati, & in seruitutem durissimam rapti, vnanimes, auitis sedibus ac facultatibus, si quæ miseriis superessent, relictis, in Franciam penetrauerant; petita à Ludouico venia, parati quibus iubesset conditionibus, non obsequi modò, sed seruire; longè meliori vt profitebantur statu, si Christianis ac fratribus, quàm si barbaris & crudelissimis dominis manciparentur. Imperator qua bonitate erat & pietate, seruitutis atque mancipij voces detestatus, eos in Septimaniam, Prouinciam, & Aquitaniam admisit, ac pari cum Francis donatos libertate, agris assignatis, quorum cultura sustentarent vitam, dato eam in rem diplomate, perbenignè amplexus est. Nec in eo beneficium stetit. Quippe cum iis receptis Comites sua ex gente ad maius solatium Imperator dedisset, à quibus regerentur & facilius & suauius; ab iis noua calamitas nouáque seruitus repente orta est: Siquidem Comites noua potentia impotenter vsi, statimque iugi quo soluti erant immemores, ereptos agros miseris, traducebant in proprios vsus, quin & heros deturbatos bonis rapiebant in seruitutem; vt iam benignitas Regis detrimento foret, acerbiori naufragio quòd in portu obrueret. Quibus iniuriis ad Imperatorem delatis, diplomate altero plagam persanauit, amotis Comitibus, & dominis in agros suos restitutis; cauitque in posterum, ne priuati eiusmodi tyranni in exitium plebis insurgerent. Ista procurantem repentinus casus ab Hispania in Italiam auertit.

LVDOVICVS PIVS.

Ludouicus Hispanos iuuat.

Posteaquàm vita functus est Carolus Magnus, cuius auctoritate Leo Pontifex sedésque Romana securè agerent; confestim quasi euerso propugnaculo, Leonis inimici retectis odiis à diuturna dissimulatione implacabilius, in ipsius caput conspirarunt. Quâ re ad Pontificem perlatâ, siue audaciâ sicariorum, haud valdè occultantium quod inultum sperabant; siue Leonis cautione, ex veteri facinore nouum æstimantis; continuò in eos lege agi præcepit, protrahíque in lucem scelus iusta pœna plectendum. At cùm noxæ auctores affinesve inter Principes vrbis censerentur, & proculcatis mandatis Pontificiis Iudicum ministris arma opponerent; breui Roma in factione scissa est, pluréque cædes, direptiones, atque incendia perpetrata. Dissipato mox tumultus rumore, & vt fit cum incremento;

V.

Romam per Bernardum pacat.

LVDOVICVS PIVS.

nuntiatur Imperatori deprehensas à Leone insidias, nullâque præuia disquisitione, cunctos qui venerant in suspicionem criminis, viros licet principes, ipsius iussu contrucidatos. Imperator grauitate rei commotus, Bernardum Italiæ Regem sine cunctatione delegat, qui causam criménque accuratè exploret, sibi renuntiet perspectum, flammasque incendij restinguat. Bernardus celeriter dicto obtemperans, vbi Romam venit, morbo decubuit; quod tamen compererat, nimirum innocentiam Pontificis, & inimicorum atrox flagitium, per Geroldum Comitem, adiunctis à Leone legatis, Imperatori significat. Et legati Leonis probata innocentia, honorificè ab Ludouico dimissi sunt. Nihilominus iidem inimici qui Bernardi metu Româ aufugerant, nouis veteris odij flammis, confirmata audaciâ Bernardi morbo atque absentia, collecta nefariorum manu, in ædes pluribus in ciuitatibus à Leone exstructas, impetum faciunt, asseruata diripiunt, nudisque tectis ignem subiiciunt; vrbique imminentes, minantur se vi irrupturos, & quæ sibi ablata fuissent, repetituros cum fœnore. Et minas implessent haud dubiè, nisi Bernardus Vinegiso excito Duce Spoletino; tumultum pacasset, & gladiatoribus facultatem criminis eripuisset. Paulò post Leo è vita excessit, quà senio, quà molestiarum patientia; vt Patri Carolo Pontificatus carceres, ita metas filio acceptas referens. Ludouicus interea conuentibus sæpius habitis, emendationi morum, ac refrænando luxui maximè Præsulum nauabat operam. Ii quippe frequentius ob rerùm consultationem euocati in Aulam ab Carolo, vitæ aulicæ illecti deliciis, tum in ea plurimum tempus traducebant, tum ad eius luxum atque mollitiem conformabant sese; pretiosissimis induti vestibus, imo militaribus ornamentis ad pompam; baltheis aureis, ensibus gemmeis, argenteis calcaribus refulgentes; magno vt luxus incremento, cui opulenti reditus impendebantur, ita morum haud mediocri detrimento, exemplo à sacris viris in profanos facilè deriuato. Ergo Ludouicus tum sua indole ad modestiam & frugalitatem procliuior; tum amore religionis, cui damnum maximum inferebatur; decreta sanciuit, quibus eiusmodi vana & pernicioſa interdicerentur Præsulibus, reuocatis iis ad pristinum cultum, qui Christianam modestiam saperet: pluribus aliis circa victum Sacerdotum & Monachorum statutis, per quæ pius Princeps exigebat ab aliis quæ ipse præstaret. His dum intendit, Stephanus V. in Leonis locum suffectus Pontifex, nihil prius habuit quàm vt ipsum in Franciam conueniret, & coronandi Imperatoris specie, asylum certum portumque tutissimum, iuxta Maiores, iactatæ Ecclesiæ compararet, sibique ipsi turrim & clipeum. Ergo magnis itineribus contendens in Franciam, præmissis legatis qui Imperatorem consilij sui certiorem facerent, Rhemos venit, vbi eius aduentum præstolabatur Imperator. Nec ab eo quidquam, vt erat religiosissimus, ad venerationem Præsulis summi omissum est: Nam præterquam quod iam ab Italia Bernardum Regem honoris causa comitem illi adiunxerat, & infulatos Præsules excepturos aduentantem præmiserat; is milliari extra vrbem progressus, equo desiliens, humique prostratus, consalutauit Pontificem; ac post amplexus mutuos & charissimas

Antistitum moribus consulit.

Anno 816.

Stephani V. in Franciam aduentus.

rissimas gratulationes, viam emensi, innixo Pontifice dextræ Ludouici, templum subierunt; solemne canticum ad agendas gratias obituri. Postea Pontifex inter augusta sacrificia Imperatorem vnxit, & coronam auream gemmis pretiosissimis refulgentem, quam Româ detulerat, capiti imposuit, lætitiæ voces faustique ominis vniuerso populo acclamante; Hermingardam similiter in Augustam vnxit & coronauit; traductisque diebus plusculis, summâ beneuolentiâ Principis & effuso omnium gaudio, vltrò citróque muneribus datis, sed maxima Imperatoris liberalitate, cui præter indolem ad largiendum erat stimulus pietas, Romam versus discessit, & Imperator auditurus legatos Compendium. Nec fermè aliud memoria dignum Stephanus præstitit, mox ab reditu morte extinctus; cui Paschalis virtutum summus est subrogatus; idémque legatos ad Imperatorem mittit, qui se renitentem & inuitum electum significarent, ac peterent ea stabiliri, quæ cum Stephano antè conuenerant; ratus Pontifex sanctus cymbam Petri immotam fore in fluctibus, quandiu Francia pro anchoris esset. Et quidem Imperator instrumento nouo confirmauit quæ ab Auo & Patre Ecclesiæ donata è regno Longobardico fuerant; suámque opem vbicunque opus foret, in tutelam & augmentum Romanæ sedis pollicitus est. LVDOVICVS PIVS.

VI.

Hactenus Ludouici primordia satis fausta; cætera vel infelicia, & ad ruinam regni inclinata; vel duntaxat ex malo prospera, nullóque lucro quàm maioris damni quod immineret. Primò contractum casu fortuito periculum ingens, Imperatore ruinâ porticus oppresso; ea quippe lignea, tignis quà vitiatis putredine, quà fatiscentibus pondere, improuiso collabens, Imperatorem dum ab sacra Æde in palatium redit, in imam aream præcipitem traxit, tigna inter, saxa & cæmenta humi afflictum casu horribili; inde mox eductus est, præter leues plagas grauiori nullo detrimento; Deo admoderante periculum, & Principem verè Pium exercente calamitatibus, non obruente. Hoc liber discrimine, fortasse mortalitatis admonitus; Aquis publico in conuentu, Lotharium natorum maximum, ad consortium Imperij adscitum, coronatúmque Augustum dixit; Pipino Aquitaniam in regnum concessit, Ludouico Bauariam; fuitque hic mitissimi Principis princeps error, quod viuus liberos in hereditatem vocauerit, & ambitionem excitauerit, vsu potestatis, coërcendam obsequio, & paternâ reuerentiâ. Verùm hæc agenti Abroditorum defectio nuntiatur, gentis vltra Albim, explorata olim in Carolum fide: Mali causâ à Ducibus, quorum cupiditates vel delicta plebs luit, ortâ & propagatâ in gentem. Trasco Abroditos Regis nomine administrabat, fidémque expeditionibus multis probauerat Carolo: eo posteà ab Godefrido Daniæ Rege capto & necato, cùm Ceadragum filium impuberem adhuc reliquisset, Sclaomirus vnus è gentis Principibus permissu Caroli se Regno immiscuit, vel pro tutore Ceadragi, vel popularium gratia. Lapsu annorum Ceadragus ex Ephœbis egressus Regnum captans seu paternam hæreditatem, Sclaomirum penes quem administratio erat de eo restituendo compellat. Is quia regnum non redditur ea facilitate quâ capitur, excusare, cunctari, fari ambigua, ac negare demum & inficiari restituendum, quod Caroli bene-

Ludouici periculum.

Idem filios coronat.

Motus apud Abroditos.

LVDOVICVS PIVS.

ficio & amore gentis datum esset. Ceadragus adolescens viro impar, stabilito regni possessione, re ab armis ad ciuilem litem vocatâ, Ludouicum arbitrum ac disceptatorem causæ dicit; Sclaomiro non ausô recusare arbitrum cuius stipendiarius foret; an sperante se vel ab arbitro superiorem futurum; attamen lite discepratâ; cum alterum ius æquitasque fulcirent, alterum audacia, vis, bellicaque virtus commendarent, Ludouicus arbitri non iudicis sententia litem partitus & regnum partitur, vtroque disceptantium in partem admisso; at neutri factum satis cum ambitionem nulla pars impleat; Sclaomiro præsertim offenso cui ex possessione restitutio grauior; nec minacibus verbis abstinuit, affirmans se nec Albim traiecturum amplius, nec se ad Regem obsequij causa venturum. Nec minas vltra distulit, imo plus quam affirmauerat præstitit. Nam illico appellatis Gotefredi filiis, quos nouerat perinfensos Imperatori cum iis contracto fœdere, bellum in Transalbianos Saxones mouet, gnarus longè meliùs inferri bellum quam repelli. Primus Martis impetus in Esolfeldum castrum ad ripam vlteriorem Albis positum ruit; vt eo capto indefensi essent Transalbiani, facili in citeriores Saxones transitu. Ita Danicæ classis præfectus aduerso amne subiens, orâ vastatâ, sub ipsum castrum anchoras fixit, simulque Gluomus Danici limitis custos ductum terrâ militem Sclaomiri copiis iunxit, terrestri naualique exercitu ad oppugnationem castri conuerso. Ludouicus audita defectione, iusserat suos intenta cura tueri limites, ideoque castrum obiectum maximè hostibus limitanei Comites milite & apparatu omni instruxerant, ideo viribus vtrinque paribus oppugnata arx & propugnata constanter; hinc hostibus arma & machinas ardore magno intendentibus, illinc obsessis ad munimenta castri, vigilias, curam, operam, animumque iungentibus. Tandem oppugnatio cum vltra spem produceretur displiceretque lentum obsidium, primùm Danos & externos tædium cœpit, deinde Abroditos, vnoque consensu repetentibus patriam singulis, soluta obsidio est; magnusque impetus vnius castri morâ euanuit; tanti momenti sunt belli principia, quorum prærogatiua longè efficacior quam in Comitiis. Attamen reo impune adhuc flagitium erat, Ludouico statim in Italicum motum auerso; quo mox pacato, iustus exercitus in Abroditos missus rem paucis confecit, gente victa, & Sclaomiro ipso captiuo; qui ad Ludouicum ductus, præter rebellionem & Danos hostes in limitem actos, multorum criminum à popularibus suis accusatus, post regni mulctam, damnatur exilio; leui admodum pœna, nisi clementiæ principis grauis visa esset. Ceadrago Trasconis filio Regnum commissum; iam æquitate ab sublato æmulo conualescente.

Et apud Saxones.

VII. *Bernardus deficit à Ludouico.*

At dum hæc geruntur, res haud paulo maior Imperium turbat, Bernardi totiusque Italiæ à Ludouico defectio; causa ambitio iuuenilisque temeritas; scintilla & fax magni incendij, aliquot Episcoporum in Regem odium & vindictæ ardor, inter quos maximè Anselmus Mediolanensis, Vvolfeldus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis; qui Imperatori ob plura decreta luxum Præsulum adstringentia periniqui, regiam familiam regnumque turbando vindictam expromunt. Postquam Lotharium consortem

Imperij

Imperij Ludouicus dixit, Bernardum haud modicè ea res pupugit, reputantem ſeruiendum non modo Patruo, ætate & voluntate Caroli, eò prouecto, ſed etiam Patrueli, tantum non puero, ſibi vſu rerum aliiſque meritis plurimum impari. Anſelmus iamdiu in cogitationes Bernardi admiſſus deprehensâ ſcintillâ, mouit incendium. *Rem indignam; Regem innoxium, virtutúmque dotibus nobilem, tot iniuriis affici: æque ac Ludouicum è Caroli ſanguine ipſum ortum; imò è Pipino maiori natu procreatum, naturæ beneficio Ludouico anteponi oportuiſſe; Carolo impoſitum, & voluntatem ab chariſſimo nepote auerſam; nunc in iniuriâ Ludouicum perſtare, qui regno Franciæ diſtributo in filios, ipſi Bernardo abiectionem & humilitatem ſolam reliquerit. Quid enim Italiæ regnum; niſi vmbratilis quadam potentia, Vicaria adminiſtratio, præfectura ſupra Duces aut Comites, vno titulo eminens; honeſta ſeruitus, & ruinæ occaſio? An quid æqui bonique ſperaret à Lothario tam feroce quam ambitioſo; cui Italia videretur Imperium, Patruelis externus, ſtipendiarius cliens, opulentus reus; Italia prætextu criminis & authoramento? quare iugum excuteret, nutante adhuc potentia æmuli; Ludouicum ſuis odio eſſe, tam domi quam foris, meditari ſeceſſum prouincias, & ſibi quamque velle conſulere; regios iuuenes inexpertos rerum, contemptui eſſe; ipſum vero amori omnibus: id paſſim votum Italiæ, vt iure ſupremo rempublicam moderetur. Arces omnes & ciuitates, imò quod maius eſt, animos omnium, ſuo in nutu & arbitratu futuros: rem nullam mouendam, præbeat ſe tantùm Italiæ, eoſque ſinat hunc tueri regem quem optarint.* His ſtimulis incitatus Bernardus, vltra ius omne officiúmque prorumpens, defectionem parat, magno tamen conſilio, quantum ſceleri fas eſt, Italiæ vrbibus in ſententiam ſuam adductis: pluribuſque ex Ludouici familiaribus, tantâ ſuorum fide atque ſilentio, vt coniuratio inſtructa, collecti exercitus, inſeſſa Alpium clauſtra, ſummumque Imperium occupatum, vno famæ rumore Ludouicum perculerint: crimine ſimul orto & magnitudinem adepto. Ludouicus vbi rebellio demùm innotuit, ignauiam diligentiâ plectens, magnis delectibus in Germaniâ & vniuersâ Franciâ habitis, ingentem exercitum in Italiam deſtinat, omnéſque in eam cogitationes intendens, viam carpit Burgundiam verſus; hæretque Cabilone tantiſper, dum exercitus ad Alpes progreditur. Interea Bernardum periculi ſpecies ad noua egit, iam ab montis vertice ſpectabat abrupta & præcipitia; ſe magnũ quidẽ ſi ſtaret, at ſi vel lubrico pede ceſpitaret, caſum, cautes, ſaxa, immenſas voragines, ac funeſtam mortem, imminere. Ergo iuuenis nondum in ſcelere confirmatus, ignarus in delictis eiuſmodi, tam initia plecti quam finem; ſe ſe abiiciens, præterquam quod, iam ex ſuis plures perpenſa re ſerio, abs ſe defecerant, ſiue criminis deſperatione, ſiue frugis melioris voto, arma deponit & appellatâ Imperatoris clementiâ, Cabilonem ad eum ſupplex venit, humi proſtratus confitenſque flagitium, ad augendam miſerationem & clementiam. Pari modo rebellionis participes vnâ ſpe veniæ in poteſtatem regis ſe tradunt, ſtatim cuſtodiæ mancipati; produnt conſilij autores, præter Epiſcopos, Ægidium florentiſſimum gratia apud Ludouicum, Reginerium quondam palatij Comitem, Reginaldum cubiculo Imperatoris præpoſitum, pluresque alios; de quibus in vincula datis

LVDOVICVS PIVS.

Mox illi ſe dedit.

Anno 817.

LVDOVICVS PIVS.

datis, aliisque sociis, in conuentu publico Aquisgrani habitâ deliberatione, veteri Francorum lege, rei majestatis læsæ iudicati, damnati sunt capite, regnumque Italiæ restitutum Imperio. At cum Ludouicus impetrare à clementiâ non posset, vt quæ pœna perpetrato fuisset sceleri, & tentato esset, velletque carcerem pro supplicio esse; frementibus contra Primoribus remque exempli in Regentibus pessimi, si reo atque innoxio perinde sit affirmantibus; passus est, nolens optimus princeps Bernardum & conspirationis capita orbari oculis, donatâ mortis pœnâ, ne fortè impunitas nouo aliquando crimini materia foret. Episcopi decreto Synodi ab dignitate deiecti, attonsi sunt, & mancipati Cœnobiis; cæteri vt minus magisve attingebant noxam vel damnati exilio, vel multati honesto cucculli carcere: vnus Bernardus & Reginerius, pœnæ impatientia, & dolore animi, tertio ab orbitate die, interierunt; rati vitâ quæ superesset oculis, nihil molestius. Erátque Bernardus generosus, fortisque iuuenis, ad Patris Auique indolem factus, Icari fato præcipitatus dum summa appetit; nisu adolescentium, vehementi cùm oritur, languenti cùm durat. Porrò eiusdem suspicio criminis spurios Caroli filios inuoluit, Drogonem, Theodoricum, & Hugonem; quorum primus, studiorum litterarumque gratiâ spectatissimus erat; iique sunt in Cœnobium trusi, & Adelardus consobrinus Caroli, sanctitate notâ percelebris (forte calumniante inuidiâ) deportatus est exul; magna infirmitate mortalium, quibus noxæ pœna in noxam est; dumque pœnam prorogant vltra reos, in se ipsi reatum prorogant. Mox audito Bernardi fato, Ludouicum sententiæ piguit; effusisque lachrymis calamitatem iuuenis persequutus, culpam publicè agnouit; quod hanc crudelitatem vt ipse vocabat ex doloris sensu, permisisset iudicibus; multáque eam ob rem erogauit in pauperes: sed & anno pòst quarto Imperator piissimus, conscientiæ purissimæ morsus, doloremque ex Bernardi nece non perferens, publicam obire pœnitentiam voluit, euocato amplissimo conuentu, in quo Princeps summus, sceleris alieni pœnam vltro suscepit, palámque noxam fassus, quod Bernardum passus esset puniri acerbius, pœnas Canonicas pœnitentium subiit, Theodosio magno pœnitentiâ major, quia minor crimine. Et antea Bernardi socios in integrum & facultates restituerat, & Adelardum eiectum Corbiensi Monasterio, magno piorum plausu reuocauerat; tuncque Drogonem, cui & postea, Metenses commisit infulas, fratrésque geminos eductos Cœnobio, reddidit luci primisque honoribus; nullo omisso quo pœnitentiam virtutem perdifficilem Regibus, non obiret modo, sed proferret palamque vulgaret.

Et extenuatur.

Ludouici pœnitentia.

VIII. Bellum Britannis.

Expeditionem Italicam consequutus est Britannicus motus, aliique deinceps plurium gentium: iam deflectente Franciæ gloriâ, cuius arma continendis partis, non parandis nouis depromerentur; iacturâ primùm famæ, dein potestatis; spernentibus exteris quem non timent sui; & obnoxio exteris, qui non tenet sua. Normannus quidam, erat id viro nomen apud Britannos Aremoricos, titulum Regis, & potestatem inuaserat; propensâ Gentis voluntate veteri ambitione sibi proprios reges cooptantis.

Imperator

Imperator rei momento excitus, ne exemplum in plures serperet, duxit ipse in rebelles exercitum, vnoque prælio in ipsa Britannia rem confecit; quippe exsus Normannus in acie spem Britannorum simul cum regno excidit; cæteris trunci instar auulso capite, in victoris leges iurantibus. Stetitque tranquillitas, donec agente nobilitate & audaciâ princeps Vvihomarcus, gnarus quibus illecebris caperentur Britanni, se professus Regem, superiores Britannos ab Imperatore abducit. Et primò imperatum iis qui limites tuebantur, vt Vvihomarci possessiones igni & ferro depopularentur, si forte malo suo resipiscerent, infirmitatis admonitus. Verùm, cùm nec eo perduellis desineret, imo iam vniuersam Britanniam ad nutum ageret; Ludouicus exercitu magno iterum comparato, cum duobus filiis, Pipino & Ludouico (Lotharium in Italiam miserat,) patris imitatione, qui hostem antea quàm vinceret, obruebat, in rebellem ducit. Primò Condatem, quæ superioris Britanniæ Rhedonum vrbs est, ad Vindianam amnem milite occupat, dein quia hostis in auia loca maritimáque secesserat, desperatione victoriæ; ipse copias in tres partes diuidit, quarum singulas filij, is tertiam vastatione agris inferendâ, & inquirendo hoste deducerent. Et illud quidem perquàm strenuè obitum. At hostis latuit, vrbes tamen nouo sacramento, datisque obsidibus nouam fidem Imperatori iuratunt. Hærebat adhuc fidei scrupulus, an scopulus, Vvihomarcus, qui rebellionis pertinax & ambitionis, tum priores turbas commouerat, tum nouas etiam instruebat. Ideò Ludouicus conuentu Britonum Aquisgrani indicto, quo gentis principes conuenirent, & Vvihomarcum, factâ spe veniæ per fidos compellat, impetraturum plura benignitate Imperatoris, quam armis & rebellione clumbi iam & enerui. Persuasus hac spe Vvihomarcus, Aquisgranum cum cæteris venit, & exceptus humaniter multisque cum donis domum remissus. At cum ibidem seu praua indole, seu præmiis viro ambitioso citra spem, & cupiditatem leuioribus, relapsus in perfidiam, dissentientes iam Britones, direptionibus incendiisque vexaret; à Lamberto Comite incautus domi suæ & incustoditus immisso milite interfectus est; haud raro perduellium exitu; quos defunctos magnis periculis, parua tollunt; Deo ludente superbam confidentiam: mox ab hac cæde conquieuit Britannia. At prima Ludouicus expeditione cùm è Britannia venisset Andegauos grauem dolorem concepit animo, Hermingardâ charissimâ coniuge morbo raptâ, ab diuturnâ ægrotatione. Is autem fuit doloris sensus vt à coniugio planè alienus, meditaretur abdicationem Imperij, & voto vitæ melioris, quod olim intenderat, secessum in Cœnobium: quod posteaquam suis non fallacibus coniecturis innotuit, ij machinâ omni in eiusmodi mentem admotâ, maximè officij muneriisque in rempublicam debiti, expugnarunt consilium principis, & ad stabiliendam victoriam, ad nouum coniugium impulerunt; haud repugnantem potius quàm assentientem, seque eripientem sibi vt regno se daret. Igitur cum vrgere non cessarent Franci pulcherrimasque Procerum filias certatim in conspectum adducerent; eorum tandem optatis annuens Ludouicus, Iuditham Helponis nobilissimi Comitis filiam,

LVDOVICVS PIVS.

Rennes.

Anno 819.

Iuditha nubit Ludouico.

LVDOVICVS PIVS.

liam, nobiliorem ætatis flore & formæ, Imperatorio thalamo consortem adiunxit. Quijex euentibus consilia metiuntur, humanamque prudentiam re incerta conscribunt, ij quoniam ab eo coniugio multæ calamitates Regem & regnum vexarunt, ideo Ludouicum inconstantiæ, ne intemperantiam dicam, accusant; quasi principes deterrimæ omnium sint conditionis, quibus vxor altera interdicatur; aut exemplo domestico patris non iuuaretur, qui quatuor coniuges nullo regni malo incommodóve, si Fastradam excipias, deinceps sumpserat. Et vt fatear, nouercas inter & priuignos offensiones oriri mutuas, non tamen ideo, vbi priuignus est, nouercam excluseris; patri liberum sit coniugem legere, nec auaritiæ liberorum periculum incontinentiæ donet.

IX. *Bellum in Hunnos.*

Defectionem Britannicam; Hunnica statim siue Hungarica excepit. Gentem subactam à Carolo Lindenitus Præfecti nomine administrabat, is nouarum rerum cupidus diu Hunnorum Imperium meditabatur, eámque in rem Cadolacum Comitem præfecturæ Forojulienſis, Imperatori fidum, sibíque è vicinia admotum vigilem, amoturus procul, eundem apud Imperatorem magno studio, superbiæ & crudelitatis accusauerat. Sed cum innocentia mendacij artes refellisset, Lindenitus in Hunniam redux, abiectâ laruâ detrectauit obsequium. Prima belli fors spem viri & superbiam auxit, cum missus ab Italia exercitus, re improsperè gesta magna militum & famæ iactura, Cadolacho Duce morbo ad dolorem animi accedente rapto è viuis, coactus est regredi; deinde legatis ad Imperatorem missis, qui pro flagitanda pace, conditiones quasi victo imponerent, aliásque Imperator exigeret, ceu à cliente atque obnoxio, rursum soluta pax bellumque susceptum. Ad quod gerendum, Lindenitus incumbens, legationibus vicinas gentes ad defectionem sollicitans, ab Imperatore Tunocianos auertit, quippe ij abdicata Bulgarorum societate cum Francos ambirent, celeberrimos Europæ populos triumphis Caroli; Lindeniti artibus intercepti affirmantis imminutam admodum gloriam, ac breui interituram; Ludouico omisso ad eum se in consortium belli adiunxerunt. Interea Baldericus Cadolacho in comitatu Forojulienſi suffectus, iustius rebellantis Hunni superbiam tundere in Carinthiam ingressus, nondum instructo exercitu, ad Drauum amnem hostem obuium habet, ac tametsi viribus admodum impar, tamen eum aggressus acie fudit fugauitque, gratiori victoria, quod insperata. Lindenitus ab Carinthia pulsus, nequaquam fractus animo, in Dalmatiam arma fœlicius vertit. Dux Borna pro Imperatore administrabat Dalmatiam, Lindenito, primo vt æmulus odiosus, mox vt principi fidus accedebat, quod Dragamosum Lindeniti socerum à genero profugum tecto exceperat, quippe socer postquam generum ab rebellione dimouere non potuit, repudiata affinitate, ab eo discesserat, seque Bornæ adiunxerat. Vtrinque acerbis animis itur ad prælium ad amnem Colapium; & apprehendebat victoriam Borna, nisi eam repentina proditio excussisset. Gudusćani, qui Borniani exercitus, magnam partem implebant, ante à Lindenito expugnati pretio, vt par est credere, sub ipsum congressum signis conuersis, à Borna deficiunt, atque intacti abscedunt,

cedunt, toto pugnæ pondere in Bornam & Dragamoſum incumbente. Et quidem vterque dimicabat fortiter; quamquam diuerſo fato, nam Dragamoſus ingenti animo pugnans occubuit, Bornam prætoriana cohors eripuit. Lindenitus ſecundo prælio intumeſcens, ne fortunæ deforet, in Dalmatiam penetrat, ſparſurus latè vaſtationis miſerias; rapiebantque omnia ferrum & flamma; cùm Borna haud auſus coram frontem obuertere, munitis arcibus, promptiſſimum quemque è copiis legit, hoſtemque agentem incautius, nunc à tergo, nunc à lateribus, modo noctu, interdiu modo, vel aggrediens vel excipiens, ita exagitauit, vt tribus millibus ab exercitu decerptis, & impedimentis magnam partem direptis, vaſa colligere, Hungarus, & feſtinare gradum adactus ſit; varia martis ſorte, cui vrgere victos, ſæpe ingratum eſt. Gudufianis mox à Borna ſubactis, haud diu impunè proditio fuit; verùm Imperator perſiſtente in contumacia Hungaro, habito in cœtu publico, in quem Bornam exciuerat, ea de re conſilio, ſtatuit ex eiuſdem ſententia, magno exercitu in Pannoniam irrumpere, dimicare prælio, ſi ſe hoſtis obiiceret, ſin lateret, aut fugeret, vaſtare agros, vrbes diripere, & facta ſolitudine bello in poſterum interdicere. Vere appetente, vbi pabuli copia primum fuit, tres exercitus è diuerſis prouinciis, ſimul in Lindenitum mittuntur, vnus ab Italia per Alpes Noricas, in Pannoniam inferiorem; alter è Ducatu Forojulienſi breuiori via in Carniolam & Carinthiam; tertius à Bauaria in Auſtriam eámque Pannoniæ partem, quæ Iſtrum Drauumque amnes interiacet. Lindenitus, tanti apparatus haud inſcius, viribuſque admodum impar, quod vnum valuit firmo præſidio Alpium fauces muniuit, & in arcem prærupti montis ſupercilio impoſitam, inuecto quidquid pretioſum foret, in eandem ipſe cum militum flore, ac ſpe derelictis agris ſuperſtite, ſe recepit. Francici exercitus aditus varios, pro locorum varietate experti; quippe Italicus emolitus tardius Alpium obicè, ægrè deiecto præſidio in ima ſubiit: Bauaricus longo circuitu, Drauóque tranſmittendo, haud modicam moram contraxerat; vnus Forojulienſis recta in Carniolam via, quamquam ter hoſte prohibente clauſtris profligato, & Drauo traiecto, in hoſticum tempore ſtato irrupit; vincíque poterat, ſi omnibus copiis Hunnus irruiſſet. Tandem gemino adueniente exercitu, iunctis ſimul viribus vniuerſam Pannoniam depopulati ſunt, Lindenito continente ſe intra munimenta, ſublimique cacumine patriæ incendia latè proſpectante. Redierunt, vaſtatis omnibus; nullo periculo damnóve, præterquam quod agmen Bauaricum, longo feſſum itinere, contracta in Draui tranſitu ex aquarum inſalubrium hauſtu dyſenteria, magna parte abſumptum eſt. Inde Carnioli qui ad Sauum incolunt, & Carinthiorum quamplurimi ad Francos deficiunt. Rurſus in Pannoniam ſequenti anno tergemini exercitus immittuntur, à quibus regio ita vaſtata eſt, vt Lindenitus, iam nouo exercitu ab Italia imminente, depoſita ſpe cum paucis admodum fidis confugerit ad Sorabos, (ij multam occupant Dalmatiæ partem) & ab vno gentis duce in vrbem exceptus, ſumma perfidia peremerit hoſpitem, præmiumque ſceleris vrbem inuaſerit. Poſtea maiores paraturus vires, ad Lindeuiſlum

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVICVS PIVS.

Bornæ auunculum eum tracturus in rebellionem se contulit; & viro fortasse ponebat insidias, quibus vel perspectis, vel suspectis, ab hospite sublatus est, qui hospitem ante sustulerat. Ita bellum Hungaricum cum fonte & origine periit.

X.

Anno 826.

In Danos quid actum.

In Danos nihil belli susceptum, diuisa gente principum studiis, Harioldus Ludouici autoritate missus in Daniam, pacto cum Godefredi filiis inito regni partem beneficio Franci obtinebat. At consortibus pacti conditionibus nequaquam stantibus, variæ inter eos ortæ sunt turbæ; & eò maiores, posteaquam Arioldus, cum vxore & liberis Christi fide susceptа, magnáque Imperatoris gratulatione, Moguntiæ baptizatus sacra vt videbatur impiis, impia in patriam intulit. Nam ideo insurgentes æmuli Reges, gentis inuidia in eum conflata, quod auitam religionem pessumdaret, nouamque per nefas induceret, regno tandem expulerunt; in quod tamen postea, restitutus est à Ludouico, præter donatum in Frisia Comitatum, in amissi regni solatium. Et ea ad inferendam Borealibus gentibus, Christi lucem ianua primum patefacta, studio & cura Ludouici piissimi, qui Ebbonem Rhemorum Antistitem, fausta primordia pessimo fine mox corrupturum, eò misit; deinde sanctum Ansgarium è Corbeiensi eductum Cœnobio, qui in Dania & Suecia, labores plurimos grauissimasque ærumnas perpessus, sementum Euangelij magno fructu sparsit. Porrò Normanni vna tantum classe vexarunt Franciam, primum quidem ab ora Belgica & ab Sequanæ ostio repulsi cum clade; mox feliciori successu in Aquitanico littore prædis actis direptisque pagis reuersi sunt. Et ab eadem postmodum Dania inustus pudor Francorum nomini. Herioldus Imperatoris fretus auxilio, admissus iam in Daniam paulo acrius administrabat respublicas, aliquot pagis incensis ac direptis, qui minùs præsto dicta audierant. Perculit gentem importuna seueritas, & instigantibus æmulis Godefredi filiis, cùm Herioldi audaciam Francorum potentia niti & ali existimarent, subito in eorum exercitum castris ad ripam Egidoræ amnis ad fines Daniæ positis otiantem impetum faciunt; adortique palantes & incautos facilè cædunt, in fugam agunt, castrisque spoliant; dein recedunt patrato prælio. Tam audax facinus excusarunt quidem Imperatori, sed nulla irrogata est pœna, nimiá principis, ne socordiam dicam, tolerantia. Et antea eiusmodi crimen Vasconibus impunè fuerat. Æbulus & Asinarius Comites in Nauarram vltra Pyrenæos missi cum copiis in Vasconia ipsa conscriptis tumultum ortum Pompilone compressérant, iussisque perfectis deportabant in Franciam militem, & soluto vt inter pacatos agmine Pyrenæi iugum exscendebant. Montis incolæ ex prædandi more, saltum insederant, positisque insidiis imminebant prædæ; iidem qui viæ duces & fraudis conscij de industria exercitum in saltum inducunt; tunc seu admoto ad ignem pabulo, incautos, inermes, ac trepidantes, aggressi, parati, armis tecti, certique victoriæ, omnes paucis exceptis, vel in mortem vel in vincula rapiunt; Comites capti; quorum Ebulus Cordubæ Saracenis pro mancipio venditus, Asinario meliori sorte, agnoscentibus gentilem suum qui ceperant, data libertas est. Nec irrumpentibus Bulgaris satis firmum obiectum

Et cum Vasconibus.

obiectum est vallum, qui per varias legationes appellatam Franci amicitiam, pòst aspernati sunt majore iniuria; & in Sclauos Franco vectigales, amisso per Drauum nauali exercitu irruentes, regionem subactam, ciuratâ Francià per Præfectos suos administrabant: breui morbo penetraturo in viscera, qui neglectus membra depasceret. Vltio tamen in Forojulienſem Ducem Baldericum exprompta, cui earum gentium assignata propugnatio erat, & eius ignauiæ cum adscriberetur successus hostium, imperio & præfectura dejectus est; diuisa administratione prouinciæ in quatuor Comites; hoste interim ignauiæ præmium obtinente. Et in Septimania & Catalaunia non satis commode agebatur.

LVDOVICVS PIVS.

Cum Bulgaris.

Bera Barcinonis Comes, militaris vir, nec vulgaris famæ, in diuersa raptus, in perfidiæ malique doli suspicionem incurrerat; eiusque criminis in conuentu Procerum coram accusatus, accusatori equestre certamen indicit; qui mos erat illorum temporum, vt duello, qui agebatur reus purgaret se, isque reus vel illati criminis vel calumniæ haberetur quem perculisset Victoria; quasi innocentia viribus corporis præstaretur, semperque causa ea esset melior, quæ fortunatior. Beram victum ab aduersario, ceu probato ac comperto crimine sententia Procerum, quasi offensæ Majestatis reum damnauit capite; eratque pœna in proximo ni clementiæ singularis princeps mortem exilio commutasset; Rhotomagum deportato reo. Inde cum Abulamo Mauro in Hispania Rege, sancita pax, iterumque rupta, duntaxat vastationibus mutuis laborauit. In quibus, Mauris præpollentibus, Pipinus Aquitaniæ Rex designatus à patre, in eas oras missus, hostilem impetum frenauit aliquandiu; quo mox digresso, nouæ eæque graues ob perfidiam vnius hominis Catalauniam turbæ agitarunt. Azo siue Aizo è comitatu Imperatoris (causa non scribitur) clam se proripiens in Ausonam Pyrenæorum vt volunt oppidum, dolo inductis ciuibus receperat se, vrbemque postea ad id quod parabat flagitium minus promptam, ferro sublatis incolis, diruit; nec rebellionem vltra dissimulans, castra regionis natura loci tuta communiuit, missoque ad Abdiramam Saracenorum Regem fratre in legatum, pacto fœdere, barbari amicitiam, fidem, opemque, perduellione ceu stipendio meruit. Modum præbuit confirmando sceleri Imperator, qui solita cunctatione, ne quid inconsultius gereret dum conuentum proximum operitur, autumnali venatione pro Francorum Regum vsurpato more se oblectans, moram fecit crimini, aluitque monstrum præfocandum in cunis. Nam Azo interim Saracenorum præpollens copiis, custodes limitum sæpius vicerat, adeoque vexauerat assiduis incursionibus nullo permisso ad quietem otio, vt eorum plerisque fuga dilapsis, limites vacui hostem in Septimaniam & Catalauniam mitterent. Accesserat potestati tantæ nouum incrementum, Villenundus Beræ exulantis filius, qui seu patris ignominiâ, seu repulsâ propriâ, quia Bernardum ex Hispanis ortum, comitatui Barcinonensi Imperator præfecerat, & ipse rebellionis antesignanus, Azoni iunctus, Ceritaniam & Vallensem susdeque miscebat. Tam pestilens cancer, cum resecari ferro oporteret, mollitie Imperatoris inualuit. Nam in Hispaniam pro exercitu valido Helisacarem Abbatem

XI.

Bellum in Catalaunia contra Mauros.

LVDOVICVS PIVS.

cum Hildebrando & Donato Comitibus misit, qui togatis officiis sedarent animos, ac præclaris hortationibus ad meliorem frugem reuocarent. Et ij quidem præsertim Helisacaris industriâ, haud paucos à prauo consilio absterruerunt, multis quæ nutabant constabilitis prudenter; Bernardus præterea, strenuitate summâ & vigilantiâ, Azonis qua vim repellendo, qua refellendo insidias, Barcinonem aliasque vrbes seruauit. Enimverò flamma restinguenda erat, non repellenda; quippe Abdiramanus, magnum conflabat exercitum, quem Duce Abumarna affine suo ad promouenda Azonis consilia in Catalauniam misit; cuius famâ tandem Imperator excitus, & ipse magnos delectus habuit, filiumque Pipinum operiri in Aquitania iussit, dum suas quique copias Legati Tribunique militum ducerent. Ita miles feruidè conscribebatur, sed Ducum ignauiâ, an malignitate, lentè & pigrè viam emetiens, Pipino frustra per nuntios iussa vrgente, & pugnandi occasionem corrupit, & magnam ignominiam in Francicum nomen inuexit. Nam interea, Saracenus, Cæsaraugusta in Catalauniam mouens, adiunctis Azonis copiis totam prouinciam fœdâ direptione stragéque hominum miserandâ, vastauit, incendit, atque pessumdedit; ægrè Bernardo Barcinonem tuente. Vbi ad votum nullo metu Saracenus grassatus est, iam ad limites Franco accedente Cæsaraugustam spoliis plenus receßit. Franci nouo flagitio, postquam compertum est hostem abscessisse & ipsi dilapsi, re vllâ ne tentatâ quidem, inglorij atque infames domum regressi sunt. Pupugit Imperatorem ignominia, eamque ob rem in Conuentu proximo grauiter questus, Ducum noxam ignominiâ plexuit, eos gradu honoris & dignitatis eiiciens, quos nec dignitatis priuatæ, nec publici honoris ratio ad exhibendum munus acuerat. Postea famâ increbescente, nouum exercitum ab Saracenis parari, nouos Imperator delectus indicit, duobusque filiis Lothario & Pipino gerendi belli curam imponit: iamque Lotharius Lugdunum venerat, misso nuntio qui de Saracenorum aduentu referret, cum ij se finibus suis non mouerent, Pipinus ad fratrem Lugdunum aduolat, & causatus timorem hostium, ipsum progredi vltra non passus, forsan diffidentiâ soluit exercitum; iam magnâ imminutione gloriæ, nec enim abest à fugâ longius, qui non quærit hostem. Quid Azone factum sit, nescitur, nisi in rebellione perstiterit, Bernardus ab Imperatore in cubiculi Præfectum euocatus est, ob probatam fidem, tacitâ sed graui Aulicorum offensione. Attamen Francorum infirmitas nouum peperit in Hispania regnum; quod & in Mauros propugnaculum fuit, & Francis bellorum campus, atque materia. Nempe cùm populi in Pyrenæis positi, se Francorum ope destitutos vident, suo animo freti, Regem sibi constituunt, Enecum, vel Innigum Bigorrienſem Comitem; cui à forti audacia inditum nomen Arisçat, corruptè Arista. Is dignum se gessit regio titulo, primus Regum Nauarræ, ac posteros nactus, qui auitam laudem continuarent. Haud multò post, violatam Franciæ gloriam Bonifacius Comes vtcunque restituit; is Corsicæ insulæ modico præsidio tuendæ Præfectus, paruâ classe Corsicam & Sardiniam circumuectus, ad exigendos piratas, animo instigante, vltra promotus, in ora Africæ, Vti-

Nauarræ Regnum. Anno 828.

Bonifacius in Corsica.

cam

eam inter & Carthaginem exſcendit. Erat frequens iis in locis ad ſua negotia Maurorum conuentus, in eos inſtructa acie Bonifacius irruit, nec imparati tuentem excipiunt, pugnatur acriter, victique Barbari non ſine ſanguine, inſtaurato quinquies prælio, internecione magnâ profligantur. Poſtea claſſem victores repetunt, prædâ opulenti, ſparsâ in proximas vrbes famâ victoriæ. LVDOVICVS PIVS.

XII. *Lotharius Imperatpr.* Anno 823.

Felicior auguſtiorque ad pompam Lotharij in Italiam aduentus, qui ab patre Imperatore ad ſuſcipiendam Imperij coronam miſſus, adiunctis conſilij gratia prudentibus viris, Valacho Monacho & Gerundo Oſtiariorum magiſtro, Romam magno comitatu venit. Suſceptus eſt à Paſchale Pontifice ſummo honore, & die Paſchatis Chriſtianis læto in ſancti Petri, Auguſti auctus appellatione, coronam regni Imperiique accepit. Mox vrbe digreſſus, in Franciam redit, ſed cum fauſtum iter patri enarraret, inopinato nuntio res turbantur. Digreſſo Lothario à pleriſque optimatibus Romanis, in Theodorum Eccleſiæ Primicerium Leonemque Nomenclatorem ipſius generum, repentinus fit impetus; ac ſtatim abducti in Lateranenſe patriarchium, ibique plurium criminum accuſati, primùm orbantur oculis, mox vita, auulſo à ceruicibus capite; ad hæc Pontifice, ſin aſſentiret minus, non diſſentiente. Inde affines cæſorum, & inimici Pontificis, odij vindictæque gratiâ, ad Ludouicum feſtinant; queruntur innoxios iuſſu Pontificis iniuriâ cæſos, eam vnam ob cauſam quod Lotharij ſtudioſi, Francorum partes ſtrenuè tuerentur. Pontificem accuſationis dolus non latuit; Legatos mittit ad Imperatorem, qui refutarent calumniam, ſe inſcio captos homines ſceleratos, criminumque haud paucorum reos & compertos, dediſſe pœnas, quibus merito ſe illigauerant, nec amicitiam regiam teterrimis viris odio aut inuidiæ vnquam fuiſſe. Imperator, ne quid inconſulto in alterutram partem affirmaret, Legatos ſuos Romam cum Pontificiis mittit, qui rem explorarent, referrentque compertam. Et quidem Paſchalis ſe ab calumnia iureiurando purgauit, verum magno animo, cum ab Francis cæſorum interfectores flagitarentur, negauit ſe traditurum eos, qui de ſancti Petri familia forent, nec ad prophanum forum abducendi; imò cauſa cognita, reos iure cæſos pronuntiauit, liberoſque culpâ, qui in iudicium & pœnam vocaſſent. Et poſtmodum facti per ſuos Legatos, Imperatorem certiorem fecit. Inter hæc annus elabitur, cum Legati reuerſi è Francia, Paſchalem proximum fato reperiunt; quo diebus paucis morte rapto, vrbs factionibus confeſtim ſcinditur. Nam in duas partes Optimatum & popularium abeuntibus ciuibus, in eligendo ſummo Pontifice, quaque factione ſuum ingerente, tandem præpollente nobilium parte, Eugenius, frementibus licet aduerſariis, eligitur, & coronatur. Enimvero cum nec ideo conquieſcerent turbæ, nec populares electioni aſſentirentur. Quirinius, idem qui antea Legatus, ad Imperatorem conuolat, reique geſtæ ſeriem aperit. Is cum eſſet in procinctu expeditionis Britannicæ, Lotharium Imperij ſocium Romam mittit, qui ſtabilito Pontifice, tumultuque oppreſſo, inter oppoſitos concordiam, pacemque ſanciret. Atque egregie; quod à Patre Imperatum erat filius præſtitit; *Lotharius ſecundo Romã venit.*

LVDOVICVS PIVS.

præstitit ; electionem Eugenij vt piam & iustam decreto atque exemplo firmauit, auersa populi studia reconciliauit Pontifici, & ipsius voluntate & assensu præclara constituit, circa eligendos Pontifices, ad discordiam ambitumque pellendum; multis præterea in priuatorum vtilitates sancitis, quibus præterita vulnera sanarentur, & direptæ per vim & iniuriam facultates restituerentur. Hæc præclara Lothatij imperantis exordia, quæ mox cumulatis criminibus, magna Franciæ ignominia & iactura expunget. Iuuat antequam ea aggrediar, prodigia perscribere, quibus calamitatum seriem prænuntiare terris videbatur Deus. Pestis, cœlo per immodicos imbres corrupto, dirè grassata est, Francorum vix parte tertia ab lue intacta: quam confestim fames excepit, cùm ob pluuias agri nec semen excepissent, nec exceptum benignè redderent. Tot incommodis accessit hiems asperrima, & præter locorum temperiem frigidissima, qua ampliſſimi per Germaniam & Franciam amnes, gelu adstricti sunt, tam contumaci & solido, vt qua iter nauigiis, onusta plaustra mense continuo veherentur. Nec æstati suæ miseriæ defuerunt, præter frequentes terræ motus domosque plures cœlo tactas, grandinatæ sunt fruges plerisque in locis, promiscuo lapidum grandinisque pulsu; imo & in agro Augustodunensi media æstate concretum glacie fragmentum inter grandinem ruit, longum quindecim pedes, septem latum, duosque crassitudine implens. Exinde pestilentia iterum sæuiit, priorisque reliquias prope absumpsit; sed quod frumento in Aginnensi solo copiose pluerit, an prodigium sit, beneficiumne, liberum esto arbitrium. Sanè hactenus amplitudo, maiestasque Francica stetit in apice, mox rerum mortalium fato in ima proruet, intus & foris omne calamitatum genus perpessa. Porrò initium à domesticis turbis, & nefario Principum scelere, ne per gradus deuolueretur dignitas regni, sed ruina subita obrueretur propemodum : facinus explicabo fusius, quando impium exemplum ad fugam iuxta documento est, ac iustum ad normam & canonem.

Prodigia varia.

XIII. *Causa coniurationis in Ludouicum.*

Animaduertebat dudum Imperator, aliquot Procerum, tum qui in aula versabantur domestici, tum qui foris administrationi rerum incumbebant sibi esse infensos, & interna odia coquere; nec Episcopos, quod vrgebat molestius à simultate abesse longius. Causæ in incerto sunt, nisi morum dissimilitudo in pluribus, quos effusa in libidinem luxumque licentia, Principis legibus, ac multo magis per temperantissimam vitam coërcita in eundem vt censorem inuisum inflammabat acerrime : eò maximè quod viuo Carolo in illo flore & lumine Imperij, magna cuique libertas agendi; non eiusmodi (vt aiebant) scrupulis, cancellisve læsa aut constricta. Et hic stimulus Præsulum animos pungebat acutius, quibus militarem ornatum, vestium pompam, istiusque generis alia plura interdixerat Ludouicus. Ista animis clam abstrusa, donec orto prætextu erumpere possent in odia. Et ab ipso Imperatore nata occasio, qui suorum malignitate comperta, tacitis occursurus insidiis, Bernardum illum Comitem Barcinonensem, tutum & exploratum Maurico bello ad se excitum, cubiculo suo præfecit, magna vt viri gloria, sic Francorum infamia, qui se amandari à Regis sui custodia,

dia, postponique extero cernerent. Ex hac molestia nata inuidia, ex inuidia odium, ex odio furor & libido perdendi hominis, Regisque ipsius. Ideo primum apud Proceres, tum Regem tum Aulicum, in inuidiam vocant, indignum, Hispani hominis Regnum esse, & dominari non Imperio modo, sed Imperatori; deinde occultis sermonibus spargunt propudiosam infamiam, violari Principis thalamum, & Bernardo cum Imperatrice intercedere turpissimum stuprum. Vbi animos his excitatos rumoribus, (nam vulgo nihil acceptius quam maledicta in Principes) ad noua consilia erexerunt, Imperatore Christiani Ieiunij tempore, maritima loca obeunte, coniurati maturato vt rebantur facinori, extremam manum adhibuerunt. Eorum capita Iessius Ambianorum Episcopus, Hilduinus Sacrario Imperatorio Præfectus, Hugo & Manfredus Comites, aliique haud pauci, non modo è Proceribus, sed ex plebeiis, magna multitudine, ad vim si opus foret inferendam. Ii igitur Pipinum ex Imperatoris filiis natu minimum, nouisque studiis temeritate indolis pronum (fratres alij aberant) adeunt, & conqueruntur: *Se Francosque omnes, magnâ iniuriâ, nullam ob culpam, ab Imperatoris animo & propemodum oculis longè amotos; hominem exterum & Hispana gentis, vnum instar omnium esse; eius nutu præfecturas vrbium & prouinciarum commisti; huic vectigalia tributa gentium, regiúmque erarium tradi; eius arbitrio pacem & bellum, imo Imperatoris, amicitiam & odium administrari. Reclamare iamdiu populos, auersari tyrannidem, tyrannúmque votis exsecrari; Aquitania maximè, in quam regnum suum auaritia & crudelitate exeruit, grauem & intolerabilem esse; qua tamen vtcunque perferri possent, nisi flagitio inaudito commacularet thalamum Regium, impuro cum Reginâ commercio. Ad hæc si obstupesceret Ludouicus pater, si excæcatus præstigiis non aduerteret turpitudini suæ, si cubile stupratori per socordiam summam committeret; ipsius esse paternam contumeliam prosequi, abstergere infamiam, & adulteri sanguine, obscœnissimas labes eluere.* His Pipinus præter ambitionem accensus, siue obiecta crederet, siue fidem quam faceret aliis fingeret, ducem se coniuratis professus, vulgato consilio, ingentem multitudinem armat, Aureliam occupat, amotoque Odone Bernardi affine, vrbi Præfecto, Marfridum sibi fidum substituit. Inde rectà Verimbriam tendit. Imperator coniuratione audita, imparatus à milite, cedendum tempori ratus, fuga Bernardo permissa, Iuditham coniugem Lauduni in Cœnobio Virginum agere iussit; ipse relicta Verimbria Compendium petiit; si fortè hoc in speciem diuortio & capitum quæ odio erant, abiectione & fuga, emolliri animi possent, & procella detumescere. Coniurati Verimbriam admissi, comperto quid Iuditha factum esset, dimidiato vt operi finem imponerent, Varinum Lambertum & alios, Laudunum mittunt; qui Iuditham Cœnobio vi extractam ad se perducant. Nullo obstante perducitur, verbis minacibus, intentata per tormenta morte, perterrita, pollicetur se omni studio enixuram, vt Imperator abrogato Imperio sponte, attonderetur in Monachum, seque illico, quod suæ sit facultatis, suscepto velo, in id vitæ genus abituram; & habita pollicenti fides, desiderio magno persuasionis illicio. Hac spe Compendium ad Imperatorem deducitur, spe-

Coniurantiũ ad Pipinum sermo.

Anno 830.

Pipinus in Patrem rebellat.

LVDOVICVS PIVS.

ctatorem Tragœdiæ, moxque actorem; & obtenta colloquendi cum eo amotis arbitris facultate, cohortatur ad simulationem & patientiam. Soluto colloquio, Imperator ad rem tanti momenti efflagitauit temporis moram; Iuditha Coniuratis reddita, ad implenda promissa Pictauium ducta est, retrusa in regium sanctæ Radegundis Cœnobium, víque adacta velum admittere; magno consPirantium plausu, quibus deiecta bina propugnacula ad ipsam arcem patefacere aditum videbantur. Dum hæc geruntur, ex Italia Lotharius venit, cui subito vt se probaret Coniurantium factio, eadem quæ Pipino aulæ flagitia oggerit, instatque vt Ludouico abrogetur Imperium, ipseque Lotharius gubernaculo rerum se se admoueat. Ad hæc Lotharius mediam inire viam, patri nihil nouæ inferre iniuriæ, maiestatis speciem atque vmbram permittere, nec sinere vt apicem pertingeret scelus; at contra quæ facta erant comprobando, adiungendo se Coniuratis, Heribertum Bernardi fratrem, & Odonem consobrinum pœnis multando, quasi stupri regij administros & conscios; hunc quidem ignominia atque exilio, illum qui ad Bernardum spectaret propius, erutis oculis, quamquam repugnante multum Ludouico. His inquam proferebat iam quo se inclinaret, & placere scelus cui latuam quæreret.

XIV. *Ludouicus rebellantes dissicit.*

Inter hæc ver æstasque transigitur, Imperatore titulo tenus res admoderante, Lothario circa flagitium quod iam admiserat ambigente, & enitentibus ad festinandum crimen Coniuratis. Eam in rem conuentus autumno proximo celebrandus, magni momenti futurus, vtrique parti vt decretorius tam erat spei quam timori. Locus maxime videbatur, rem inclinaturus; quippe in Germania si haberetur consilium, non dubitabat Imperator, quæ Germanorum Procerum fides erat amorque in principem, quin vindicaretur autoritas sua: contra Coniurati, si conuenirent in Francia, magna Francorum parte in factionem abducta, se votorum reos compotesque omnium arbitrabantur. Tenuit tamen vel industria Principis, vel fortuna, vt Neomagum quæ Germanica vrbs est, indictus sit conuentus, Coniuratis non adeo renitentibus, quando vrbs Franciæ propior, facile viris atque Armis pateret. Attamen huic malo Imperator occurrit, edicens ne quis eorum qui ad conuentum accederent, armatos vllos, aliósve duceret præter Comitatum; simulque Lamberto Comiti custodi finium imperat, caueret ne quid in edictum peccetur, si quid peccatum sit, se ipsum iudicem dicit, cum Heisacare Abbate, viro probitatis & fidei notæ. Tectus hoc clypeo, Neomagum venit cum Lothario filio, admonitis Germanis, vt frequentissimi ad libertatem Principis conuenirent. Et Germania propemodum tota excita est, iam timentibus Francis, & ambiguis quorsum res vergeret. Vbi se conuentus compotem Ludouicus vidit; Germanorum fide & multitudine fretus, statuit autoritate receptâ, Coniuratis vim nocendi eripere. Ergo palam in consilio Hilduinum & Valachum Abbates interrogat, quamobrem prohibiti edicto, ne quem præter familiam secum adducerent, viros armatos in comitatu haberent, exemplo tam in alios prauo, quam contumaci in Principem; cuius obsequio omnium primi, vel diuinâ lege manciparentur. Cùm ad ea tum conscientiâ, tum infirmitate

Nimegue.

obmutes

obmutescerent rei, iussi sunt abesse conuentu, altero Corbeiam in Cœnobium suum remisso, altero extra vrbem comitantibus paucis depulso. Ea pœna cæteri Coniurati quando se deprehensos vident, in desperationem aguntur; nocte proximâ in Lotharij ædes conueniunt. *De se actum affirmant, captum iri singulos, & à leuibus pœnis gradum ad grauissimas sterni; ipsum Lotharium non immunem periculo, aliorum capita, suo præludere; nec quieturum exilio Abbatum Principem, nullam esse spem, ni prorsus desperent; abiiciendam salutem vt obtineatur, potiusque fore perire cunctis quam singulis; imo difficilius si viri essent; metum quem conciperent cum victoribus partirentur; itaque ducem se præberet Lotharius vt aperto bello confligerent; sin minus iuncti ab conuentu secederent, seque in Asylum cuiuscumque vrbis reciperent.* Deliberatio obfirmatis non satis animis ad diem tenuit; primoque mane Imperator consilij haud ignarus, ad Lotharium mittit; qui blandis verbis admonitum ne perfidis crederet, ad se vt beneuolum patrem adducerent. Obsequutus est filius quamquam dehortantibus cæteris, ac deprecantibus ne se implicitos malis desereret, is cuius gratiâ ea incurrerent. Excepit filium parens humaniter, & amicis verbis non tam increpitum quam edoctum, nullam iis fidem habendam, qui Principi fefellissent suam; nec vllum plura cupere filio quam qui genuisset, in intima ædium abducit, futurum consiliorum participem. Coniurati interim ad extremum telam perducturi, seditionem in vulgus concitant; captum ab irato patre Lotharium, actum in vincula, mox agendum in pœnas, ni subueniatur; quare festinarent, eriperentque iuuenem innoxium maleuolorum insidiis. Mox ad ædes regias properatur, fit in eas impetus, obsistunt custodes, aliique haud pauci, quibus Imperatoris salus curæ erat; iamque furor vergebat ad cædes, cum Imperator de periculo monitus, ducto secum Lothario, spectandum se tumultuantibus dedit. Postquam Maiestate Principis coërcita arma sunt, clamorque oppressus, Ludouicus ad pacandos animos, ita infit. *Quid est, viri Franci, quod turbulenti & seditiosi propemodum ad regias ædes procurritis? Vbi prima in Reges reuerentia? Vbi cultus in Principem? Vbi maiestas Imperatoria, & Caroli Magni Augusta soboles? An vos Francorum indolem eiurastis; an ego amorem in vos & charitatem abieci? quid igitur inconditus clamor? quid contraria studia? quid arma fulgentia? quid in mutuæ cædes ferrum expeditum? Sane non ad arma, non ad hostes, non belli gratiâ euocati estis, sed ad pacem, ad tranquillitatem, ad concordiam, tum vestram, tum nostram, si quid turbæ fuerit, instaurandam. Quid enim melius optatiusve familiæ regiæ vobisque vniuersis, quam animorum, consensio mutua? quæ non armis strictisve gladiis; non prauis studiis, sed dissensionum fugâ comparatur. Quin igitur ij vos inter agitis, quales nos Principes agere spectatis? Attendite quâ concordiâ ego pater & Lotharius sumus; qua charitate charissimum natum complexus sum; vt Imperij consortem dixerim, vt potestatis participem, vt me amoris & beneficij haud quaquam pœnitet, vt quæ feci iuuant, pluraque cupiam; nec si quid secus maleuolorum fraude contigit nuper, ideo naturæ & pietatis iura expunximus; idem sumus qui antea; eadem conspiratio animorum, consiliorum societas, amor idem & odium; nec sanguine colligamur arctius quam voluntate; nempe id vnum studium, vt quam concor-*

LVDOVICVS PIVS.

Ludouici oratio ad seditiosos.

LVDOVICVS PIVS.

diam inter nos præstamus, eandem & vos præstetis inuicem, iisdemque omnes animis in publica rei bonam incumbamus. Quocirca ferrum abiicite; deponite odia, conspirate animis, si quid molestiæ est, donate inuicem, & frequentes in consilio adeste, de bono publico, Regnique gloria deliberaturi.

XV.

Cõiurati pœna affecti.

Hac oratione pacati animi, vulgusque vt mutabile est, aspectu Lotharij in diuersa raptum, tam cito quam inceperat desiit. Imperator tum demum constabilitâ autoritate, coniurationis principes capi iussit, ac priuata custodia ad minuendam infamiam alleuati. Deinde vocatos in iudicium palamque conuictos, sententiâ Procerum & assentientibus Augusti liberis, morte damnauit. Exequendæ sententiæ Ludouicus, pro suâ clementiâ intercessit, ciuili abdicatione contentus, vt sacris addicti in Monasteria abderentur, profani attonderentur, sacrique fierent; etsi conuentu plurimum reclamante, crudeli clementiâ, quæ parcendo criminibus tum aleret vetera, tum noua gigneret. Et clementiæ fuit, quod Pipinum in gratiam receperit, priorum oblitus; quamquam facilius pater cum filio redit in gratiam, quam cum patre filius. Postmodum Pictauium misit, qui Iuditham reducerent, nec reductam in thorum admisit, donec se præscripto legibus modo ab obiecto flagitio purgasset; quibus peractis summâ Procerum gratulatione conuentum soluit, dimisitque liberos; Lotharium in Italiam, Ludouicum in Bauariam, ac Pipinum in Aquitaniam; magno haud dubiè functus periculo, sed incautius futura prouidens, dum præterita curat. Tanto igitur vulnere, in cicatricem obducto, parcendi nimius Imperator, vt criminis memoriam omnem extingueret, post lætissimam Paschatis diem, reis omnibus quibus Cœnobia in pœnam indixerat, iisdem euocatis permisit exitum, & facultates addictas fisco restituit; datâ optione iis qui attonsi fuerant perseuerandi si vellent, vel ad pristinum statum redeundi; insciis beneficia pro toxico esse corruptis animis, & huiusmodi scelera semel susceptа, haud vnquam deponi. At nondum annus euolutus erat, cum ad conuentum in Theodonis Villam indictum, venit Bernardus ille in Hispaniam priori tumultu profugus, seu Augusto clam euocante, seu improuisum non expellente; & se integrum ab flagitio professus, militarem purgandi se modum ab Augusto impetrat; nempe vt qui crimen intenderet, singulari prælio dimicaret cum reo. Igitur cum accusator diu perquisitus delitesceret, Sacramento se Bernardus purgat, pristinæque tum dignitati, tum fidei restituitur. Porro Imperator magnopere optauerat Pipinum huic conuentui & purgationi interesse; itaque verbis conceptis iusserat, & inde fons nouorum motuum, Pipino moras sponte nectente, & soluto cœtu adueniente. Vnde subiratus pater eum in custodia libera habuit, nec abs se abesse permisit. Is tamen deceptâ custodiâ, fugâ in Aquitaniam mox se proripuit. Nec ideò Ludouicus in vltionem exarsit, iussit duntaxat rebellem filium proximo Aureliæ conuentu sibi occurrere. Et quidem occurrit quamquam inuitus, maturis nondum quæ parabat consiliis: quibus dum gnauiter seduloque intendit, consortes veteres reuocando, & nouos adiungendo, certior omnium factus Imperator, maximè perculsus quod Bernardus sibi antea probatissimus, nouis consiliis

Mox' liberati Ludouici Clementia.

Noua seditio à Pipino.

consiliis agitatis, non modo à se defecisset, verùm etiam Pipino adiunctus, coniurantium princeps, omnium quæ consulerent architectus esset & moderator; statim in Aquitaniam in qua res nouas moliebatur se contulit. Ibi apud Lemouices, accusatus perduellionis Bernardus, cum forti animo accusatorem prouocasset duello, nec is auderet probationem tam ancipitem aggredi, nihilominus dignitate & militari gradu deiicitur; pœna quæ criminis voluntatem intenderet, facultatem non tolleret. Pari modo Pipinum toties tumultuantem datum in custodiam, vt amoueret ab Aquitania procul, abduci Treuiros à custodibus iussit; tum demum tranquillitatem Prouinciæ curaturus, oppressis ventis procellarum auctoribus. Verùm custodum incuriâ, liberatus à suis Pipinus, dum Treuiros ducitur, rursum omnia turbauit & miscuit; & Bernardus in Aquitaniâ, Imperatori fidos infestabat & diripiebat. Imperator posteaquam pollicitationibus & blandimentis Pipinum ad clementiæ vsum reuocare non valuit, ad seueritatem conuersus, profugum Aquitaniæ regno spoliauit, & spe omni hereditatis paternæ deiecit; simul id ipsum regnum inter Lotharium & Carolum ab Iudithâ susceptum æquâ parte diuisit, non habitâ ratione liberorum Pipini; hoc pretio, redempturus Lotharium, & Carolo in quem ardentior amor consulturus. Supererat Aquitania subigenda, ne indicta pœna vmbratilis duntaxat & inanis foret, & ideo Ludouicus euocauerat militem; sed tum asperrima hyems, tum imbres immodici gelu & humore alternantibus, solo mox indurato, mox tepore cœli emollito, obtriuerant equorum pedes, & militaria munia obturbabant; Aquitani præterea per calles & viarum compendia, ad soli incommoda nati & facti, in Imperatorios excurrentes detrimenti multum inferebant; quas ob causas magno dedecore, & autoritatis suæ infamiâ, Ludouicus vltra Ligerim transmisso exercitu, hyematum in Franciam venit.

LVDOVICVS PIVS.

XVI. *Pipinus adiũxit sibi fratres.*

Pipinus interea Regni iacturâ & ignominiâ multo acerbior, tentabat omnia, vt fratribus à patre abductis, nouam inuidiam & cupiditatem primam excitaret. In Carolum Aquitanici regni traducta pars, tumultûs fomes atque alimentum: *Ergo Lothario insinuabat Pipinus, id nouercæ votum vt priuignos Regnis deturbaret; hanc Imperatorem expugnasse blanditiis, imo præstigiis egisse ad dementiam; rapturam spolia quibus præclarum illum Carolum locupletet, nec parcituram ipsorum saluti, vt facultates eripiat. Iam in se vno experimentum tentatum; si successerit, progressuram vltra, & ab ipso Lothario coronam imperij repetituram; artis esse fraudisque subdolæ, quod parte Aquitaniæ aspersus esset; quasi hamo in perniciem oblato, postea & ipse rapiendus in spolia, cùm auxilio fratrum destitutus foret. Deinde quid sui peccassent liberi; quæ innoxiæ ætatis & ad omnia infirmæ noxa tam grauis; vt ij paternis auitisque bonis orbarentur, & ad regiam amplitudinem nati, ad miserrimam inopiam adigerentur? quin arma simul corriperent, & amoto patre, iam per ignauiam & nouercæ ambitum diu inepto, se ad regimen ipsi accingerent; & penè mortuam Francorum gloriam excitarent.* Pipinus eadem

LVDOVICVS PIVS.

Ludouico fratri ingerebat, mollioris indolis iuueni, propterea ad induendas formas prono & facili; addebatque stimulum, quod prætermissus in Aquitaniâ diuidendâ, contemptui nouercæ fuisset, nihili habitus, nullo amoris odiive pretio. Ita abreptis in suam sententiam fratribus; magnum conflat incendium, vndequaque bellicum insonat, & contractis magno numero copiis, filij in patrem ferociter insurgunt; obducto armis prætextu quod vir vxorius prauo affectu regnum ac filios perditum iret, & iniquâ administratione multorum scelerum autor existeret. Nobiles & promiscuum vulgus, magnam partem adiuncti filiis, auersantur patrem, ipsique Antistites buccinatores belli præ cæteris, voce, scripto, ope, & multo maxime exemplo factionem promouent. Nihilo secius Imperator ad repellendam vim, comparat sese, & in rebelles cum vxore & impubere filio armatos ducit. Hæc dum instruuntur, Gregorius eo nomine I V. Pontifex summus, tantæ infamiæ ac detrimento, tum rei Christianæ, tum Francicæ intercessurus, abiecta cunctatione in Franciam venit, iamque frontes exercitus gemini obuertebant, in campo qui *mendacij* dictus est, ob delusum mendacio optimum Principem, Argentoratum inter & Basileam (alij volunt Imperatorem Vormatiæ consedisse) cum Pontifex liberos qui primi occurrerant de viâ conuenit, cum is de pace & concordiâ colloquutus, primo atroces & efferatos animos reperit, dein quasi adhortamentis & precibus suis mollirentur, non adeo ad pacis vocem exacerbari, postremo permittere vt ad patrem transiret de conditionibus acturus. Ea de industria ficta atque composita, tum vt diuturnior iniiceretur mora Pontifici, ipsique interim rumores malos disseminarent, tum vt breui hoc tempore, qui proditores in Ludouici exercitu essent, alios quamplurimos minis & promissis secum abducerent, crebrisque transfugiis imminuerent copias. Vtrumque ad votum obtigit, nam sparsi rumores sunt, Pontificem à Lotharij partibus stare; fore vt Imperatorem, diris deuoueret, quique ei officio armisve adesset; iamque ea in hæresi erat Ludouicus, morâ Pontificis in prauum sensum detortâ; suosque ad dimicandum in aperto campo instruebat. At filij certiorem victoriam ex transfugiis, si breuis intercederet mora, sperantes; id vt obtinerent, Pontificem acturum de conditionibus pacis rogant: ad patrem adeat. Ille fide fallentibus habitâ, inter geminas acies iamiam oppositas, ad imperatorem se confert, quem Armis tectum offendit, inter primos Ordines equitantem. Primo hoc congressu excusans se Pontifici Imperator, quod summæ dignitatis virum haud decenter inter arma exciperet, datis vtrimque induciis, in castrense tabernaculum ducit. Ac causa moræ audita & probata, per aliquot dies ventilata pace, cum se ad omnia æqua perfacilem daret, lætus Pontifex ad filiorum castra regreditur. Interea militum corruptores ita clanculum grassabantur, donis, pollicitationibus, & minis vbi opus foret, vt non modo singuli castra desererent, sed incredibili audacia, cohortes ipsæ & legiones signis prælatis ad Lotharium luce palam transirent. Pauci qui supererant, meliori fide Imperatorem conueniunt, fortunam illius quæcumque ea foret subituri. Verùm optimus princeps, aduertens spem exiguam ex pugna, certam-

Anno 833. *Instauratur rebellio.*

Pontifex deceptus.

Ludouicus à suis deseritur.

que

que perniciem, suum vnius caput in salutem omnium immolans. *Amici, inquit, satis est fidei, satis datum officio, vltra pergere, vobis temeritatis sit, crudelitatis mihi, caput meum vnum exposcitur, vnum diuina vltio in victimam petit, merita vestra seiungenda sunt à noxis meis, ite & vos ad liberos, ne hostes dicam, meos; monstrum est, coli ab exteris, quem oderunt sui; extremam hanc à me inite gratiam, vt quos seruare salute mea non possum, seruem exitio.* Ita inuitos, fletus inter ac crebros gemitus, siccus ac libens ab se dimisit, soluſque cum vxore & filio, pauciſque domeſticis, ad filios legat, qui dicerent se in illorum poteſtate futurum, cauerent duntaxat ne plebs efferata in se familiamque irrueret; nam gregarius miles procaciter impetum minabatur, inſtrumentum regium direpturus. Liberi amoto milite, iubent patrem caſtris relictis ad se vt veniat, pacta vitæ & dignitatis incolumitate. Nec moram vltra terens, equo aſcenſo, verſus rebellium caſtra progreditur; prodeunt obuiam liberi, fictaque reuerentia equis deſilientes, admoniti à patre vt promiſſis ſtarent, dataque in id fide, in ipſius oſculum proditores nefarij admittuntur, victimámque ſpontaneam ſua in caſtra tacito gaudij ſenſu deducunt.

LVDOVICVS PIVS.

Se liberis tradit.

XVII. *Ludouicus in cuſtodiã datus.*

Iam Gregorius Pontifex, deſperata pace, & principum abominatus flagitium ab iis abſceſſerat, Romam verſus, à Deo impetraturus quod denegabat Ambitio mortalium; nam vbi ſpe plenus ad Lotharij caſtra redierat, factiſque transfugiis, principes larua amota, mentionem pacis excluderent, ne eorum ſcelere contaminaretur indignatus abierat; Sanè vt à proditione Imperatoris immunis, ita forſan culpæ non integer, quod mollius parricidas habuerit, & æquum inter atque iniquum medius ſteterit. At Imperator vbi ad caſtra filiorum peruenit, confeſtim in priuatum tabernaculum cum Carolo filio ac paucis familiarium ducitur; iam à Iuditha abiunctus, quam in Ludouici filij poteſtatem datam ille ipſe ſtatim Dertonam in vrbem inſubrium deportauit, clauſámque Monaſterio ad ſuſceptionem veli adegit. Mox Principes captiui patris diuiſis ſpoliis, præeunte vniuerſi exercitus Sacramento, regna partiuntur; vt Lothario, cum Imperio Francia, Ludouico Bauaria cum Tranſrhenanis prouinciis, Pipino Aquitania eſſet. Ac illico recepta mercede ſceleris, ſolutóque exercitu, Pipinus in Aquitaniam, Ludouicus in Germaniam abeunt, cura Lothario relicta vt inceptam tragœdiam ad vltimum actum perduceret. Et is egregiè prouinciam impleuit, cùm Iulius menſis ageretur, in Autumnum proximum conuentum publicum Compendium indicit, inde in Franciam iter carpit, patrem ſeorſum equitantem, at priuatum iam & captiuum cohorte prætoria deducente, per vrbes obuias triumphans de patre filius, iam poteſtatis Imperatoriæ compos, ad nutum res moderabatur, donec Sueſſionem ventum eſt, vbi patrem in ſancti Medardi Cœnobio arcta cuſtodia incluſit, fratremque Carolum, itidem in Prunenſe Monaſterium abdidit, eo tamen moderatus, quod cucullo non inuoluerit. Inde præſtolans conuentum proximum, ceu tranquilla poſt atrox facinus conſcientia, venando ſe oblectat. Verùm nec id temporis inane ſceleris fuit, quippe vt meditatum flagitium cum pompa & efficacia prodiret, præſules

Prom.

Ab Epiſcopis damnatus.

LVDOVICVS PIVS.

fules inter se conueniunt, Ebbone Rhemensi auctore & Architecto, statuuntque Imperatorem innoxium ceu plurimorum criminum reum ad Imperij abdicationem adigere, ipsi in pœnam pro Ecclesiastica potestate, Monachi vestem imponere, & ciuili morte, è viuis quà licebat eradere. Et primum impudentia nondum confirmata priuatim exautorationem instituebant, suadentes Imperatori, imo pro contractis noxis imperantes, vt Monasticum institutum ad vitam reliquam amplecteretur; quod cum ille generosius detrectaret, iidem Episcopi, abiecto pudore, extremum facinus tandem aggressi sunt. Canonica in speciem accusatione instituta, inauditum Regem per summum nefas, & supra quam liceret dicta sententia, vt plurimorum & atrocium criminum reum, imperio priuant, & in pœnam vitæ Monasticæ perpetuo exilio damnant. Sententia publico in conuentu pronunciata est, pluribus qui Lothario studebant assentientibus, paucis iustitiæ gratia repugnantibus, cæteris, ne Lotharium offenderent, nequaquam dissentire ausis. Ita propudiosa res ad effectum deducitur. Compendij spectante multitudine populi & ingemiscente, in Basilica Mariæ Deiparæ, ante aram sancti Medardi, vt flagitium augustius esset & sceleratius, Imperator sistitur; mox humi prostratus super cilicium, fatetur innocentissimus Principum se multa & grauia in administratione Regni peccasse, (quippe mitissimus vir constituerat animo Dei gratiæ, ignominiam tantam absorbere); tum admonitus ab Episcopis adstantibus, ne pigeret in diuino conspectu flagitia sua ad pœnam & ad misericordiam vltro agnoscere, legit elata voce scriptum indicem scelerum, ob quæ damnabatur; erant autem omnia ad mendacium & fraudem conficta, præter vnam Bernardi neporis necem, quod pœnitentia publica ante expunxerat; lecto indice, se illorum omnium reum fatetur, pœnitentiam ab Episcopis demisse flagitat; tum eundem indicem Episcopis tradit; à quibus supra Aram in memoriam rei ponitur. Dein iuxta sententiam ipse Imperator cingulum cui appendebatur ensis resoluit, collocátque supra ipsam aram, mox aulico ornatu seipsum exuens, Episcopis ministrantibus cilicium induit, superimposita Monachali veste; ac oblato Missæ Sacrificio, dimittitur populus, dolorem lachrymis gemitibusque contestans. Imperator arctè custoditus in Monasterium truditur; quem deinde Lotharius, Aquisgranum veste & custodia eadem duxit. Et id propudiosum toti Franciæ nefas, quo iustissimus Imperator, vnius clementiæ reus, ab liberis, Episcopis, populo, vel proditus vel desertus, tum quanti sit mortalium pompa exemplo est, tum animi moderatione & patientia, omnes aui patrisque victorias longè vincit. Porro hæc acta sub oculis legatorum, quos Constantinopoli ad Ludouicum Imperatorem Theophilus miserat; iique suam in Græciam, nouum Oedipum in argumentum scenæ reportarunt.

Abdicat se Imperio.

Anno 833.

XVIII. Hæc Octobri gesta sequenti hyeme Franci tandem atrocitate rei commouentur. Primùm in Francia Eggebardus Comes, & Guillelmus stabuli Comes conquesti palam facinus, pro restituendo Imperatore optimo militem legunt; Bernardus & Varinus idem ipsum in Burgundia præstant; in Aquitania Drogo Metensis Episcopus, & Hugo Abbas, Pipino insinuant,

præmia

præmia ſummi flagitij occupaſſe Lotharium ; cur ipſe tantam infamiam emolumento nullo contraheret ? Quin poſterioribus priora corrigeret, & quanto ante dedecore, tanta nunc laude, patri libertatem Imperiumque aſſereret. Ita repente tres conflantur exercitus, quorum fama excitus Lotharius, & ſuum ex Germania ducens, patremque pullatum trahens, Pariſios venit ; vergebátque res ad ciuilem pugnam, Eggebardo cum copiis obuio, niſi piiſſimus Imperator, (nec majeſtatem cucullus extinxerat) ſuorum ſanguini vel ignominia ſuâ parcens, precibus, obteſtatione atque imperio in Eggebardum ipſum vſurpato, prælium inhibuiſſet ; nec placebat pullum indumentum immutare purpura, quam tinxiſſet cruor. Sic incolumis ad Monaſterium ſancti Dionyſij Lotharius venit. Sub id tempus Pipinus Aquitanos ad Sequanam, Bernardus Burgundos ad Matronam numero magno admouerant ; & cùm ille ruptis pontibus, raptiſque nauigiis, hic vi procellarum à tranſmittendis amnibus arcerentur, interim legatos ad Lotharium mittunt, poſtulatum vt Imperatori libertas priorque dignitas reſtituantur ; ſin minus, vi impetraturos, quod æquitate haud poſſent. Ad hæc Lotharius ; *Se nemini de Imperatoris bono concedere, ſibi omnium maximè eius aduerſa dolori eſſe, & lætitiæ proſpera ; de cætero ipſum eundem decreto Antiſtitum exantoratum eſſe, nec reſtitui poſſe abſque ipſorum auctoritate ; id ſe percupere quantum vllus alius, & noxam ſi qua ante fuerat, omnibus communem eſſe, cùm æquè omnes decreto Antiſtitum obtemperauerint.* Poſtea deſignabat quoſdam e Proceribus, quibuſcum ſi ad ſe venirent, ea de re commodè ageret. Etenim nouo in ſpeciem conſilio, cum ſe tot copiis imparem cerneret, nec ab ſe impetraret, reſtitutioni patris aſſentiri, vaſis collectis, relictoque Imperatore in Dionyſiano Cœnobio, itineribus magnis Burgundiam petit ; eaque decurſa Viennæ ſubſtitit, exploraturus quo ſe res verteret, & futura ex præſentium ſtatu moderaturus. Eo profecto plerique Proceres qui cum Imperatore remanſerant, aliique Eggebardi, & Guillelmi ſocij, ingenti gaudio Imperatorem adire, conſalutare vt Principem, & petere quando vis illata deſineret, Auguſti purpuram & autoritatem reſumeret. Verùm is quâ modeſtiâ & temperantiâ fuit, negauit ſe niſi Epiſcoporum operâ, inſignia & poteſtatem Imperij poſſe vſurpare, vt quod peccaſſent improbi præſules, emendarent probi. Itaque in Baſilicâ S. Dionyſij effuſiſſimo populi gaudio, abrogatâ priori ſententiâ, manu Antiſtitum pullata veſte exutus eſt, redditáque purpura ; ab iiſdem baltheo ferróque eſt accinctus, regni lucrum eâdem animi moderatione faciens, quâ iacturam. Et obſeruatum eſt elementa in lætitiæ partem admiſſa ; nam hyems hactenus procellis fœda, magniſque imbribus ventorumque turbinibus ſæua, ita repente miteſcente cœlo, ventis ponentibus, & ſerenitate inductâ, viſa eſt in teporem vernum abiiſſe, vt ſancire publicum gaudium ſuo ſuffragio credita ſit. Reſtitutus Imperator, & clementiæ ſuæ redditus, auerſatus eorum conſilia quibus placebat Lotharium perſequi, Nantolium, inde Cariſiacum venit ; excepitque Pipinum & Ludouicum, immemor præteritorum, paterno affectu, gratulationibus omnium ſe ſe accommodans. At poſteà excepto Carolo, ac Iuditha coniuge, quam Rataldus Epiſcopus

LVDOVICVS PIVS.

Proceres pro Ludouico Imperatore laborant.

Reſtituitur Imperio Ludouicus. Anno 834.

LVDOVICVS PIVS.

summâ diligentiâ ab Italia reduxerat, inter festos subditorum plausus, Aquisgranum venit; Ludouico & Pipino in Aquitaniam, Germaniamque dimissis. Attamen vnicus supererat obex Lotharius, qui persistebat in rebellione, in ea firmatus blandimento nouo fortunæ. Proficiscens Viennam, Lambertum Comitem, Marfridum, aliosque cum parte copiarum in Neustria hærere iusserat, qui factionem alerent, pacemque è proximo interturbarent. Id cùm strenuè agerent, Odo Comes ab Imperatoriis vindiciis labem amoturus, euocatâ vi militum, eos pellere armis aggreditur; at dum agit confidentius eoque incautius, ab hoste circumuentus & imparato milite oppressus, fortiter pugnans cum Guillelmo fratre occisus est, reliquis ferro in fugam dissectis. Id facinus noua spe Lotharium exciuit, simulque metu ne Lambertus periret, infirmior quam vt Imperatorem ferret, si totus in eum impetus rueret. Itaque iuncturus cum eo copias Viennâ quantocyus mouet, itinere per Burgundiam facto. Varinus Comes adscitis è nobilitate pluribus, Cabilonem in via positam, milite operibusque communit, siue vrbi consulturus præsidio, siue moram properanti hosti iniecturus; Ideò Lotharius amoliturus obicem, magnâ vi vrbem expugnat, & dimicatum est diebus quinque continuis, ingenti vtrinque nisu & animo, tandem sexto, impar operibus ciuitas deditionem facit, moxque atroci crudelitate Vincentium diripitur atque incenditur, nullo sacri profanive discrimine; præter Basilicam vnam D. Georgio sacram, quæ ignibus circum omnia corripientibus inflammari haud vsquam potuit. In nobilia plebeiaque capita sæuitum promiscuè; Gosselinus & Samila Comites, rebellium instar, quia fidi Imperatori capite plexi sunt; Gerberga, vel Guillelmi filia, vel Bernardi soror è Cœnobio extracta, vinacio inclusa dolio in Ararim proiecta est, suæ suorumque sæuitiæ indulgente Lothario, sed audito patrem cum exercitu & Ludouico filio, iam peruenisse ad Lingones, deflexo itinere Augustodunum, deinde Aureliam, mox Cenomanos venit, Lambertum Comitem recepturus. Imperator haud modico dolore, ob Cabilonem concepto, pariter retrogressus Lotharium sequitur, iamque auctum Lamberti copiis assequutus castra obuersa ponit, internuntiis hinc inde frustra commeantibus. At Pipinus ex Aquitania cum exercitu festinabat, quem Lotharius Ligeri prohibiturus, agmen confestim versus amnem ducit; nec filij mens, Imperatorem latuit, ideo celeriter & occulto calle præoccupato amne Blesas venit; Pipinumque obturbante nullo sibi adiungit. Tum demum Lotharij fracta pertinacia & appellata ceu naufragij tabula, clementia patris, verbis duntaxat ob noxas increpitus à patre in amplexum & animum receptus est, in quo scelera filij sensum diu extinxerant. Iussus est statim petere Italiam, nec ab ea iniussu patris prodire, collocato in Alpium faucibus milite, ne cui inexplorato pateret transitus inde in Franciam, claustris ac repagulis, cum ab natura tum ab industria positis, quæ coërcerent furorem iuuenis.

Lotharij pugna prospera.

Cabilonis calamitas.

Lotharius parcitur.

XIX. Vindicato in dignitatem primam Ludouico, nihil potius fuit, quam collapsa tempore; aut dissecta belli turbine reuocare in pristinum statum. Adiectæ illico in res sacras curæ, & quando Pipinus è bonis Ecclesiasticis,

clesiasticis, tum sibi tum suis multa rapuerat, iussus est ea restituere, cumque id cunctantius impleret, vrgente nouo imperio mox exequutus est: missi posthea per ciuitates, & Monasteria legati, qui leges Ecclesiæ ad disciplinam veterem sanctissimumque vsum instaurarent; & prædonibus impune per totam Franciam grassantibus, frænum iniectum discussaque audacia; reliqua in proximum conuentum in Theodonis villa habendum, reiecta; in quo actum maximè de flagitio Episcoporum patrato Compendij, in abdicatione Imperatoris: cumque accusatio vnum Ebonem Rhemensem Antistitem plurimùm peteret, fontem nimirum totius fraudis atque artificem, cæteris fugâ in Italiam dilapsis; isque ideo defensionem obtenderet, quod causam sociis absentibus dicere minùs posset, tandem agente conscientia crimen fassus est, & in pœnam dignitate depositâ, eam in reliquam vitam abdicauit. Idem Episcoporum præsentium calculis, in absentes sancitum, præcipuè in Agobertum Lugdunensem Episcopum, vt spoliati infulis sacro honore expungerentur. Tum Imperator ad omnem extinguendam abdicationis religionem, voluit spectante populo à septem Episcopis, sacris precibus pronuntiatis cum Ecclesia reconciliari, rerum sacrarũ impenso cultu. Sed & Deus insurrexit in vltionem optimi Principis, iis qui coniurauerant pestilenti lue intra annum raptis; in quibus enumerantur Iesseus Ambianensis, Helias Trecassinus Episcopi, Vvalo Abbas Corbiensis, Marfridus, Hugo & Lambertus, Comites, Agumbertus Comes Pertensis, Ricardus, Borgaretus regiæ venationi Præfectus; singuli qua ciuili prudentia, qua fortitudine militari insignes, virtutibus in vitia prauo vsu degenerantibus; quorum fato Imperator adeo nullum lætitiæ sensum percepit, vt effusus in lachrymas, dextra pectus tundens Deum illis facilem & indulgentem precatus sit; tantæ mansuetudinis fuit, quæ intercederet pœnis, vel diuinis. Et Lotharij beneuolentiam ambiuit pius pater, cui liberorum amor omni victoria potior foret; præterea Iuditha coniuge impellente summopere, quippe sibi filioque inuigilans, Imperatore præter ætatem curis laboribusque confecto. Ideò ne mox dederetur priuignorum furori, vnum eorum alliciendum putauit: cumque Lotharius tantæ spei esset, si faueret, quanto timori, si aduersaretur, in hunc potissimum intentæ machinæ. Ergo missis vtrinque legatis, de concordiâ regiæ domus ineundâ, conuenerat vt Lotharius, ad firmanda pacta veniret in Franciam, sed sub profectionis articulum, graui morbo correptus, periculosè decubuit; pòst recepta valetudine, mutato consilio, seu praua indole & bonum perosâ, seu conscientiâ scelerum, seu metu nouercæ dona offerentis, ire in Franciam noluit; imò flagitio nouo se annectens, in Romanam Ecclesiam arma conuertit. Circumsepta Italiæ clausstris ambitio, ne rursum in Franciam sese effunderet, in ipsâ Italiâ grassabatur, nec placebat Lothario Regnum Italiæ, imminutum admodum & à Romanis Pontificibus, vt aiebat decerptum; sed palam non ausus Gregorio Papæ bellum indicere, quod proximum erat, Ecclesiæ vrbes, maximè Longobardicas, omni ratione vexare, infestare atque diripere cœpit; quod per Pontificem renuntiatum Imperatori, tanto eum dolore perculit, vt qui in omnibus patientissimus, suique compos admodum visus sit, hîc commotâ

LVDOVICVS PIVS.

Ebo & Episcopi damnati.

Lotharius Romam vexat.

LVDOVICVS PIVS.

bile piáque iracundiâ efferueſcente, ſummâ celeritate legatos ad Lotharium miſerit, ſeuerè increpans quod iſta patraret; *An non ſatis eſſe ſi fugitiorum & criminum quibus in patrem modo deliquiſſet, niſi & in matrem, Chriſti omnium patris chariſſimam ſponſam, impia & parricidialia arma conuerteret, tam cito Sacramenti immemorem quo ſe adſtrinxerat, ad tutandam & defenſandam Eccleſiam; nec Imperium alio pacto traditum atque ſuſceptum, quam vt Pontificem & ſacroſanctam Eccleſiam omni ope in quoſcumque hoſtes tueretur. Quâ nunc ergo dementiâ, quo furore abreptus, in eam ſæuiret, quam tectam & ſaluam ſuâ ſalute oportuit? poſtremo ni abſtineret minabatur Princeps ſanctiſſimus, ſe confeſtim in Italiam auolaturum, & leonem fore in vindicandis Dei iniuriis, ipſum quem filius, in condonandis ſuis agnum ſenſiſſet.* Ad ea nuntia Lotharius, inter obſequium & pertinaciam medius arma quidem inhibuit; & rapta haud pauca reſtituit, verum haud omnia; & Legatos ab Pontifice ad patrem miſſos magno lætitiæ & gratulationis ſenſu, ipſe contra ius gentium Bononiæ retentos vltra progredi vetuit; ægrè Pontificiis litteris, Adrebaldi aſtu ſeruatis, quas furtim raptas homini mendici cultu, Alpes tranſmiſſuro ferendas dedit. Interea Imperator citato itinere conuolauerat in Friſiam; in quam Normanni exſcenſionem fecerant; at pauor iuſtus ſtatim euanuit, hoſte vltro in fugam auerſo, nec ſcriptores tradunt quo id pacto contigerit; moxque ſimiliter Britonum tumultus, excitatus repente, & breuiſſima mora oppreſſus eſt, ſed vt Imperatori mala externa leuia; ita domeſtica grauia quæ mox recruduerunt.

XX. Anno 837.

Porrò in calamitatum præſagium cometa effulſit; nunquam impunè regnis Regibuſve oſtenſus, (vt vulgò creditur, & forſan haud temerè) globo igneo iubiſque prolixis toto cœlo ſpectabilis; in quem intuens Imperator, ea de re ſermonibus, cum Aſtronomiæ perito habitis: *Noui*, inquit, *quid minetur oſtentum eiuſmodi; ſcio Auguſtorum & regum fata hoc ſigno monſtrari; nec quidpiam noui mihi renunciat, cum fatum nunciat; imò clementiam Dei & bonitatem demirari ſatis haud poſſum, qui ignauiam noſtram atque ſocordiam iis diſcutit ſignis atque inflammat, vt ſi forte ſimus mortis immemores, hoc ſpectato vel noctis Veſpero, vel diei Lucifero, ad mortem proximam futuramque vitam, nos diligentius & accuratius comparemus.* Iis dictis vt mœrorem quem contraxerant ſui diſiiceret, recreauit ſe potu, totamque quæ ſequuta eſt noctem fundendis ad Deum precibus inſomnis traduxit; multa deinceps in egenos ſacroſque Clericorum & Monachorum cœtus effusè largiens; adeo pietas lucrum ex omnibus facit, & ex aliorum metu ſpem magnam colligit. Deinde cum Iuditha de Carolo anxia, rogaret vrgeretque impenſius, vt ipſum Imperator in aliquam regni partem admitteret, tandem in conuentu Cariſiaci habito, filium iam puberem palam enſe cinxit, & coronâ impoſita Neuſtriæ regem dixit; fide Procerum eidem adiunctâ. Lætitiæ pompam excepit paulò pòſt funebris mœror, Pipino Aquitaniæ Rege obeunte, relictis duobus filiis, adhuc impuberibus, in ſpem paterni regni; niſi fata Franciæ & nouercæ cupiditas obſtitiſſent. Ergo Aquitania Iudithæ viſa opulentiſſima præda, qua Lotharij ambitioni ſuæque ſatisfieret affatim; quo conſilio, de iuundo cum Lothario fœdere

Ludouicus de Cometa.

Pipini mors.

dere telam retexit; mittit qui in Franciam amicis pollicitationibus vocet, spem certam facit partiendæ totius Franciæ ipsum inter & Carolum, Ludouicum fratrem Bauariâ sua contineri, Pipini filios in Monasterium retrudendos; sanè aduolaret, & præmium redditæ gratiæ acceptum veniret. Nec cunctatus Lotharius, admissâ conditione Vormatiam venit, perbenignè à patre excipitur, tum naturâ ad indulgentiam propensâ, tum parato à coniuge aditu, quæ iam in virum officiis & blandimentis pollebat plurimum; & confestim de partitione Imperij disceptatur. Imperator Lothario optionem fecit diuidendi regni, aut eligendi, ea ratione vt vnius diuisio, alterius electio foret. Lotharius causatus se ignarum finium, & quanta quæque prouincia esset, partitionem patri, sibi electionem optauit: Hinc diuiso in partes geminas, amplissimo Franciæ regno, præter Bauariam Ludouico permissam; malo sanè omine, nunquam in posterum partes coituras; Lotharius Australem elegit, scilicet partem veteris Austrasiæ ab Mosa amne, Burgundiam & Phocæorum prouinciam; relictâ fratri Carolo Neustriâ, cum Aquitania & Septimania; sancitâ in conuentu procerum, verbo & scripto hac diuisione. Lætissimus arcto vt rebatur concordiæ vinculo Imperator, quò bello eliminato pacem inter liberos tutam perpetuamque sanciret, Lotharium dimisit reducem in Italiam; amicè monitum vt minimo fratrum loco patris foret, nam & eum è fonte sacro susceperat; amarétque concordiam, familiarum Regnorumque fulcrum & stabilimentum; quæ haberent singuli, instar totius fore si se diligerent, at vero æmulis & dissentientibus, nec totum pugnantium votis satis fore. Hæc ad humanam prudentiam, & Iudithæ mentem haud intuta; sed quæ mortalium infirmitas est, non modo nutantia & caduca, sed præter discordiam, mortis quæ Augustum rapuit, origo proxima. Siquidem quemadmodum ea diuisione consultum erat Lothario & Carolo; ita Ludouico prouisum malè & Pipini filiis pessimè. Primus itaq; Ludouicus inofficiosam partitionem accusans, arma mouit ea mente vt quæcumque Francorum vltra Rhenum essent occuparet. Imperator liberorum defectionibus assuetus, acta religiosè celebritate Paschali, Rheno ad Moguntiam transito, copias contrahit, quibus conuenientibus Ludouicus admodum impar, supplex patrem adit culpáque agnitâ, veniam impetrat. Vix tumultu sedato iterum amnem traiecerat, cum in Aquitaniam noui motus causa auocatur. In ea Procerum plebisque studia diuidebantur, partim admittentibus Carolum, partim excludentibus, & Pipinum Pipini filium quem penes se habebant, in Regem optantibus; eorum caput quidam Enienus aliique haud pauci, quibus tumultus, & rapiendi spes tranquillitate & temperantia potior; illorum Ebroinus Pictauiensis Episcopus, cui accesserant Reginardus, Gerardus & Rotharius Comites; & ij duo quidem Pipini generi; qui Imperatoris arbitrio standum affirmabant. Et vero Imperator aliquo modo culpam contraxerat, eratque verosimile, impulsum nouercæ blãditiis, nepotes ex filio nulla ipsorum noxa exhæredasse, paterno Regno ad patruum traducto. Quamquam & is culpam excusabat, quod gnarus quam turbulenti essent Aquitani, turbarum fomitem voluisset subtrahere, abdicando Regem pene

LVDOVICVS PIVS.

Regni diuisio.

Vnde noua discordia.

LVDOVICVS PIVS.

infantem, cuius regimen dum ambirent singuli cuncti turbarent. Igitur Ebroino, cui Abbatiam sancti Germani in præmium fidei contulit, abs se dimisso, post habitum Cabilone conuentum, Iuditha & Carolo comitantibus cum exercitu transmisso Ligeri, ab Aruernis capto itinere & Procerum qui fidi essent sacramento accepto, vltra ad Pictauos tendit, venitque Pictauium, iam adulta hyeme, sub Natalis Dominici diem; rebellibus identidem copias eius carpentibus, infestisque per latrocinia potius quam iusto bello.

XXI. *Ludouicus in Germania rebellat.*

Verum agenti inter festos dies Pictauij iterata Ludouici defectio nunciatur, qui Saxonibus Thuringísque aliquot sibi adiunctis, Alemanniam quæ Francica esset inuaserat. Enimvero hoc nuntio, pius Imperator ita commotus est, tandem mansuetudinem iracundia iusta profligante, vt morbum contraxerit, quo postmodum raptus est, pituita quæ tum in pulmonem pectusque exundabat, mox indurescente; & orto apostemate corrodente pulmonem. At quantumvis ætate & inualetudine grauior, posteaquam statum ab Ecclesia solemne ieiunium pie delibauit, Iuditha & Carolo in Aquitania relictis, per sæuitiam hyemis Aquisgranum venit, inde in Thuringiam penetrans in quam inuaserat Ludouicus, plana omnia reperit, dimisso rebus suis Ludouico, & per Slauos in Bauariam reduce. Indictus Vormatiam conuentus Imperatorem eò reuocauit, morbóque ingraueſcente, mortalitatis admonitus pius senex, præter defectionem Solis, qua eo tempore totum sideris lumen caligo offudit, ad exitum vitæ more Christiano se comparat. In morbi angustiis inter vitæ mortísque confinia, spectabili patientiâ quadraginta dies egit, diebus singulis apud Drogonem Metensem Episcopum peccatis depositis, nullo propemodum cibo præter sacrosanctam Eucharistiam admisso, qua & quotidie pascebatur; abstinentia eiusmodi vt affirmabat, compensans quod Quadragesima proximâ viæ & morbi causa omissum erat ieiunij. Domesticis suis rem familiarem diuisit, egítque gratias supremo regnorum Domino, quod in tam multis opibus, quas abunde in eum effuderat, iam nullius rei dominus foret; imitaturus paupertatem Christi, termino vitæ, quam decursu non potuit. Postea impertitus Ludouico absenti veniam defectionis, quæ transibat in parricidium, inter continua Christianæ pietatis & patientiæ signa efflauit animam; ætatis anno sexagesimo quarto, Imperij trigesimo septimo, merito Pius dictus à posteris; siue aduersus Deum quem religiosissimè coluit, summæ in Romanos Pontifices obseruantiæ; siue in liberos, quibus ad nimietatem indulsit. Et prodigio est, obsequentissimo in parentes filio tam inofficiosos fuisse liberos; Imperatorem studiosissimum pacis, assiduis bellis diuexatum; cultorem obseruantissimum Præsulum, à Præsulibus pessimè habitum; addictissimum administrationi Imperij tam infeliciter administrasse; Franciam viuam & vegetam latè Europâ sparsam suscepisse; ac diuisam in plura membra, languentem posteris dimisisse; adeò quiddam est, præter ciuilem prudentiam, quod regna pariat, alat, & foueat; Regumque studia, nisi annuat Deus, ludibria sunt.

Anno 840.

Ludouici Pij obitus.

XXII. *Bellum ciuile à Lotharío.*

Acerbam adhuc & immaturam concordiam liberos inter Imperatoris

mors

mors, vt turbo discussit; mox Lotharij ambitio, vt procella sæuissima protriuit, penitus atque extinxit. Lotharius agebat in Italiâ, in Germania Ludouicus, in Aquitaniâ Carolus, dissitis admodum spatiis, & securâ pace, nisi ad discordiam propius conuenissent. Primus omnium Lotharius prementibus cupiditatis calcaribus, & prorogata spe in totam Franciam, ad inuadendos fratres se accingit; spectabili specie arma prætexit: *Se à prima ætate Regni Imperiique non heredem modo, sed consortem; non designatum, sed constitutum fuisse; Francorum Monarchiam vno tantum capite stare posse, id iam ab Auo diuina prouidentia stabilitum: vt Martellum Pipinus vnus exciperet, Pipinum Carolus, Ludouicus Carolum, Deo fratres consortes vel æmulos eripiente, ne Regnum amplissimum dispertitum in partes, vel conflictu partium, vel distractione corrueret. Penes se præiudicium fore, & à natura qua primum edidisset in lucem; & ab optione, designatione paterna, & ab ipso merito laudis, & gloriæ militaris; quid enim Ludouicus bello vnquam gessisset, qui Bauariæ suæ finibus vix vnquam excessit? Quid Carolus Ephebus propemodum, procaciſque femina pendens vberibus? Quare adessent Franci communibus votis, nec secessione in partes immerentem patriam lacerarent.* Ita quam plurimos in societatem suam abduxit, qua spe, qua metu; verosimili opinione, perfecturum eum quæ optabat. Nec est quod fidem Sigonio habeam, Lotharium vt optimum principem ingerenti, & affirmanti adductum cupiditate fratrum arma mouisse; cum scriptores omnes contrarium asserant, & vnus omnium instar Nitardus, Caroli magni ex sorore aut filiâ nepos, qui huic bello interfuit, dignissimus fide, tum dignitate originis, tum testimonio rerum quas scripserit oculato. Præterquam quod idem Sigonius peccat, adiungendo Ludouico & Carolo, Pipinum nepotem, qui stabat ex Lotharij partibus, & Carolum perinfensum semper expertus est. Ergo Lotharius vt sementem in Francorum mentibus fixam in aristam educeret; primùm in Ludouicum exercitum ducit, ne forte geminos si aggrederetur & concordes faceret, & ad expugnandum difficiles; amicitiâ interim ostentatâ Carolo; eum se fratris & filij loco habiturum, non abscessurum à pactis initis, Ludouicum tantum armis peti, in vltionem paternam, ne qui optimo principi mortem confecisset, ei impune tantum flagitium foret. Statim occupatâ Vormatiâ, suóque præsidio firmatâ, Rhenum traiicit, & versus Bauariam celeriter tendit. Nec cunctatus Ludouicus instructo exercitu ad Francofurtum occurrit, certus dimicandi, nisi Lotharius militi parcens suasque res aleæ martis committendas non ratus, spe iniectâ pacis, factis induciis abscessisset; deliberato quantum liceret, arma ostentare, quorum fulgore dolus grassaretur, abstinentem interim pugna, nisi coactum vi, aut spe certâ victoriæ. Omisso itaque Ludouico, venit in Carolum, agentem adhuc in Aquitania, paruisque itineribus incedit, vt vrbes & prouincias mansuetudine fictâ illiceret, Carolumque suæ mentis ambiguum, imparatum tandem obrueret. Et verò Carolus admodum anceps, quo Lotharius tenderet, ad eum legatos, quorum Dux Nitardus, mittit; memoratum quæ patri iurasset, quæ modo adhibita fide spopondisset; iturum in obsequium Carolum & in patrem habiturum, sed mirari se,

CAROLVS CALVVS.

CAROLVS CALVVS.

se, quod armatus in Franciam penetret, vrbesque suo milite quasi hostis obtineat. Ad hæc Lotharius, mentem responso dubio tegere, quam tamen factis aperiret haud dubiè, Nitardum sollicitando, ab Carolo vti deficeret, & cum exercitu, qua vim qua dolum per vrbes singulas promouendo. Quibus Carolus, explorato satis fratris consilio, expedito in perniciem suam, copias quamquam exiguas in Franciam ducit, sed confestim audito, matrem quam in Aquitania reliquerat, à Pipino premi & depelli, versis vestigiis in Aquitaniam redit, moxque cœlo pietati in matrem propitio, Pipinum opportune deprehensum, fundit fugatque, cæsisque ipsius copiis, relicta Proceribus administratione Prouinciæ, à tergo tutus in Lotharium properat. Ad Aureliam interiectâ vrbe, castra opposita ponunt fratres; & Carolus quamquam exercitu longè impar, ad pugnam forti magnóque animo se accingebat, prompto milite, & morte deliberata ferocior; quando Lotharius haud immemor consilij, priori fraude vsurpatâ, auctus in dies defectione Procerum vrbiumque, pacis mentionem iniicit, & quibusdam pactis conditionibus, re integrâ ad proximum conuentum Atiniaci habendum remissâ, iam à Mosa ad Sequanam omnium Dominus, incolumi exercitu, vegetisque fraudibus conquiescit. Carolus in Aquitaniam versus, ad incrementa militi sublegenda, felici omine Bernardum Septimaniæ ducem forte obuium detrectantem imperium vincit, victumque ad præstandam fidem opemque præbendam adigit.

XXIII

Pugna Fontenaiacâ.

Videbatur inter fratres posse conuenire, si bona fide egisset Lotharius: verum is contra quam erat pactus, rursum in Ludouicum machinas omnes conuertit, non dubius quin eo expugnato, Carolum crebris defectionibus imminutum, sub potestatem redigeret: verumtamen ne armorum strepitu exciretur in auxilium Carolus, dolos clanculum texens, fœderatos omnes ab Ludouico auertit, coacto eodem, ne interciperetur, in Bauariam fugere; idque fraude Orgarij Moguntini antistitis, quem ad eiusmodi artes adhibebat Lotharius, sicuti Ebbonem Rhemensibus Infulis spoliatum, ad Francorum Proceres expugnandos. Nec erat insidiarum inscius Carolus, sed vt pactis staret, multis quamquam ærumnis, Atiniacum, vti conictum erat, venit; frustraque expectato Lothario, cuius exercitus incrementis magnis augebatur, non dubitauit quin armis decertandum foret. Animum fecerunt legati à Ludouico, se suamque operam in communem hostem pollicente, quibus confestim dimissis cum precibus, vt quam ocyssime se fratri copiasque adiungeret, ipse magno periculo retrocedit, matremque cum Aquitanico milite aduentantem Catalauni excipit, magnâ vt matris laude, quæ virilibus curis armaret exercitum duceretque, filioque nunc pro patre esset; ita & filij qui vicesimo anno nondum expleto, prudentiâ & fortitudine iam virum ageret; breui tamen laude, nam qui adolescens supra virum fuit, vir modo infra puerum erit. Recreatus est prospero nuntio à Ludouico, qui profligato Alberto, Lotharij legato, sibi obiecto ne penetraret in Franciam, victor & ouans laureatum militem perducebat ad fratrem; quapropter ad eum magnis itineribus

Atigny.

Chaalõs sur Marne.

Carolus

Carolvs Calvvs.

Carolus properans, copias tandem adiunxit; vnoque consensu in Lotharium mouent. Et is re iam ad dimicationem spectante, etiamnum moras nectens, vt Pipini ab Aquitania copias operiretur, internuntios de concordiâ mittit; nec fratres abnuebant, certi magno dispendio, Franco sanguini parcere, emebantque pacem, auro, veste, omnibusque tum suis, tum militum impedimentis, præter arma & equos; opulentis ante prælium spoliis, si staret pactis Lotharius, addebatque Carolus ditionem ab amne Sequana ad saltum Carbonarium, vt Ludouicus Cisrhenanas Prouincias. Sed Lotharius adiuncto Pipino, vel eius copiis, cui voto obtendebat spem pacis, eâ statim abruptâ, se testatus vnum Franciæ Dominum, nec sine suâ suorumque iniuriâ rem tot partam titulis, trasmitti posse in alium, disceptationem pugnæ committit, delibatâ iam spe victoriâ, fido milite & numeroso, contra ambiguum vt rebatur, numero imparem, & in diuersâ gente infidum. Ad Fontiniacum Villam iuxta amnem Icaunam, Antissiodoro haud procul, septimo Kalendas Iulias pugna conserta est atrocissima, obstinatissimis partium animis. Nihil eius singulare describitur, nisi obiectum in cornu dextro Ludouicum Lothario, ac post cruentam dimicationem, Lotharium victum salutem equo commisisse; contra in cornu læuo profligatum Carolum, sed à fratre tam opportunè latas suppetias, vt & ipse hostibus pulsis victor euaserit, stratis latè agris cadauerum strage. Sex horis quibus depugnatum est, centum hominum millia ceciderunt, Franci omnes nominis, & è nobilitate præcipuâ; vt ex parte vtraque generosissimus quisque fortissimusque ceciderit; eaque clades ruentem iam Franciam præcipitauit, quam maximè decussò nobilium militumque flore, enerui posthac & exsangui regno, ad Normannos aliosque hostes repellendos. Fratres victoriâ moderatissimè vsi sunt; nam & pepercerunt fugientibus, reuocatis qui persequebantur, & nullo discrimine victi aut victoris, tùm cæsos sepulturæ mandarunt, tùm saucios omni curâ fouerunt; rati in ciuili victoria victori detrahi, quidquid victo perit. Bernardus etiam Septimaniæ Dux humaniter exceptus à Carolo, qui pugnæ testis, certusque ad victorem, vter is foret, accedere, tandem patrato prælio, Laureatos fratres conuenerat; pollicitus operam ad Pipinum ex Aquitania eliminandum. At Lotharius moderationem fratrum ignauiam reputans; adeò nulla virtus est, quin aliquo vitij confinio decerpatur; receptis quos fuga sparserat, aliisque euocatis, instaurat exercitum; eò maximè quod fratres, quasi debellatum vno prælio foret, diuisis copiis abscesserant, in Bauariam Ludouicus, in Aquitaniam Carolus; ignari hosti vel victo cui animus supperit, vires non defore, nisi obruatur. Igitur præter Francos, auctus Saxonibus & Normannis, quos exciuerat in bellum Lotharius, alterutri fratrum terribilis, ducit in Carolum, quem in Aquitaniam fugisse rumore falso, vulgauerat. Et opprimebat haud dubie, nisi cæcâ imprudentiâ opportunitatem maximam corrupisset. Quippe magna celeritate redux ab Aquitania Carolus, Ludouico in opem frustra conuocato, impar Lothario, vnâ Sequanæ interiecti morâ sustentabat se, clademque inhibebat; at fossâ facile superandâ, nauigiis aliquot Lothario traditis & vado amnis multis in locis

Anno 841. Fontenay pres d'Auxerre.

CAROLVS CALVVS.

aquarum penuria peruio. Verum Lotharius, siue incuriâ, siue victoriæ securitate, traiectione neglectâ, spatium Carolo fecit ad occupandas vrbes Lutetiam & Melodunum, præsidio ad vada amnis obiecto; vnde primus fractus est impetus, moxque transmittendi omnis spes adempta intumescente amne per dies plusculos, sponte, nulliisque imbribus; quod diuinæ opis fidem fecit. Ita Lotharius socordiam incusans, ne diutius morata irritam tereret, dum amnis detumescit, ad excipiendum ex Aquitania Pipinum versus Senones profectionem indicit; lubricam occasionem frustra quæsiturus.

XXIV. *Lotharius admissus in Gallia partē.*

Scilicet Ludouicus ex periculo Caroli æstimans suum, rursum transito Rheno ipsi adiungitur, & post fœdus ictum & iuratum, exceptumque filium Carolomannum, è Bauaria vim magnam militum deducentem, iam hosti terribilis cum fratre incedit. Lotharius tanti exercitus fama à Pipino desertus, nec militem collectitium ausus dare in prælium, soluto exercitu comitantibus paucis transmittit Rhodanum, Galliâ cedens, quam tanta clade in arma exciuerat; centum hominum millibus, vnius hominis cupiditati litatis. Fratres concordi animo, conuentu Aquisgrani edicto, Lotharij causam Episcopis disceptandam committunt; à quibus is indignus regno iudicatus, vniuersa Francia deturbatur, in Ludouicum & Carolum per æquos arbitros diuidenda; Deo sinente, vt qui Episcoporum operam conuertisset in patrem, eadem expugnaretur à fratribus. Ergo Lotharius vi & dolo frustra consumptis, in preces versus, legat ad fratres qui suo nomine dicerent; *Se in Deum & fratres commisisse noxam; pigere belli quod vniuersam Galliam concussisset, fratrumque concordiam diremisset; cupere maximopere vt in posterum sancta esset, & stabilis, idque vt perficeret omissurum se nihil; vnam rem duntaxat postulare se, & rogare suppliciter, vt si iis visum esset, partem aliquam Regni ad tuendam Imperatoris dignitatem sponte largirentur; partem Italiæ cuius vnius iam possessor foret, eam in rem arctioribus conscribi terminis; totius interesse Francie, vt è sua gente Imperator id fastigium nominis in sublime ueheret, nec pro Duce aut Comite haberetur. Proinde dispicerent, vtrum ad arctius concordiæ vinculum nominisque Francici gloriam præstabilius foret, ipsi paterni auitique Regni partem condonare.* Fratres legatis haudquaquam repulsis, modestè conquesti, *magnis calamitatibus parci potuisse, si eo Lotharius ante bellum gestum fuisset animo, quo & ipsi tunc erant; se ad petita promptos affirmant, nec transuersum actos à geminatâ victoriâ, memores concordiæ quam natura paterque iusserant, gnarosque nullam pacem firmiorem esse, quam vbi victor victo se adæquat. Sed ne vllâ cupiditate dimoueantur à iusto, se rem totam Episcoporum permittere calculis, vt ij religiosius, eoque stabilius, quod Regno conduceret Regibusque, nullo affectu prauo decernerent.* Ita Regni partitio tres inter fratres conficitur, malo concordiæ omine, cùm in partes totum dirimitur; Ludouico Germania tota vltra Rhenum cessit, Bauari, Francones, Thuringi, Saxones, aliæque gentes fœderatæ; Carolo Occidentalis Francia, ab Mosa Amne ad Oceanum Aquitanicum; Lothario mediæ, Rhenum inter & Mosam prouinciæ; quæ deinceps Lotharij Regnum ac Lotharingia dictæ sunt, siue *Lothier regne*, & per nominis corruptelam

Anno 843.

ruptelam *Lorraine*; quæ appellatio hæsit vni admodùm tam commodi regni prouinciæ; iisque adiuncta Phocæorum prouincia ad Mediterraneum, quasi Italiæ amplum suburbium. Auspicata equidem diuisio, si iisdem terminis Regnantium animi, quibus regna conscriberentur; sed malè regnis diuidendo consulitur, absumtque à ruina propiùs quæ in partes eunt. Sanè ab iis pactis Francia, in præceps miserabiliter ruit; siue exhausta per Fontiniacam pugnam & debilitata, siue Barbarorum irrumpentium furore, siue Regum ignauiâ in exteros, in suos proximosque ferocia; siue infirma & trunca distractione partium & membrorum; siue Dei nutu, res humanas vicissitudini permittentis. Nec lento gradu ad ima decursum, sed præcipiti casu & subito, vt quo seculo fastigium gloriæ adepta est Francia, eo miseriæ ignominiæque cœno infixa sit; ludibrium sibi & hostibus; breuisque limes ab Carolo auo, ad nepotem Carolum fælicitatem ab calamitate seiunxerit. Nec historiæ status in tam turbido æuo felicior, quæ macilenta, trunca, & caliginosa, pauca admodum posteris tradidit; quasi puderet à Pipinis & Carolis, describere Regulos vnâ infirmitate conspicuos; aut addicta parientiæ remis, calami vsum inter miserias dedidicerit. Ego ambagibus nouis implicitus, summa capita, quantum patebit veritas, explanabo; rerumque molem, quod fecerunt fratres, in partes diducam. Ab Italiâ sede Imperij initium petam.

CAROLVS CALVVS.

XXV.

In eam ab domesticâ seditione Saracenorum lues propagata per triginta annos dire bacchata est. Sicardo Beneuenti duce, nefariè à suis occiso, Radelchis priuatus dominatum inuaserat, cùm is sæuè crudeliterque se gereret, Capuani ipsius odio ad Sigenulphum Sicardi fratrem exulantem Tarenti confugiunt, armatumque Radelchi opponunt, principatus auiti repetentem vindicias, & Tyranni sæui vltionem. Radelchis infirmior Saracenos ex Africa summo scelere euocat; statimque potentior premebat æmulum, nisi & ipse ex Hispania Saracenos in subsidium excitos Afris obiecisset, magna Italiæ & Christianæ rei pernicie, & ipsorum qui vocabant exitio; Afris atque Hispanis conuenientibus, & æquo iure fidos hostesque diripientibus. Tanta labes Romano Imperio inusta, quæ & Lotharium nomenque Francicum maculabat (quippe Dux Beneuentanus, stipendiarius Lotharij erat) adeò neminem è principibus Francis afficit, vt Lotharius, cuius intererat maximè, Ludouicum natu maximum filium consortem Imperij dictum, Romam cum exercitu miserit à Sergio nouo Pontifice coronandum. Et quidem iuuenis, prauo suorum & vt scribitur, Episcoporum impulsus consilio, ea mente in Italiam armatus venit vt subigeret Romam; Beneuentanis, & Saracenis, seu spectarent ad alium, suo bello permissis. Quocirca vbi Bononiam ventum est, remissis militi ad prædandum habenis, tot strages, cædes, prædæ, incendia, per agros vrbesque, repente conspecta sunt, vt solitudo vbique fieret; à militari licentia fugientibus populis. Sergius Pontifex perniciem quam repellere armis non poterat prudentiâ elusit; Nam Ludouicum quasi amico & beneuolo animo ad vrbem accederet, pompa solemni venientem exce-

Anno 843. *Saraceni inundant Italiam.*

Ludouicus iunior Imperator.

CAROLVS CALVVS.

pit, obuiam missis qui honoris causa deducerent, vt vsurpatum in patre & auo antea fugrat; & ipse in Basilicam Sancti Petri affirmantem se nullo praeuo consilio venisse admisit. Imò cum exercitus, suburbia proximosque agros fœdè diriperet, vixque ab vrbe murorum portarumque claustris amoueretur, prudentissimus Pontifex dissimulato dolore, cæterisque traditis, vt vitæ & capiti consuleretur; nihil conquestus de iniuria, Ludouicum in Longobardiæ Regem coronauit, seu in Imperatorem vt contendunt alij. Nec modo in paratam vim dimicandum solertiâ fuit, sed & in fraudem atque astutiam, à Drogone cæterisque Episcopis comparatam. Etenim antistites magno numero ab Longobardia insubribusque contracti, Drogone antesignano adiunctis Palatinis Comitibus, aggressi Apostolicam sedem, auctoritatem summam detrahere, ac caput causæ conficere verbis & rationibus conabantur. Quo armorum genere Sergius longè potentior, ita verborum eloquentiâ momentisque rationum coniecta tela repulit atque infregit, vt iidem quos impellebat audacia, pudore obruti & reuerentiâ victos se fassi, ferociam verterint in amorem atque obsequium. Ita Ludouicus posteaquam Sigenulpho ad se venienti, Beneuentanum Principatum concessit, reducto exercitu, Ticinum in Longobardia petiit, salua & intacta vrbe, prudentia Sergij; & incolumi auctoritate Pontificis, eiusdem constantia; vtrobique vincentis, seu dum verbis pugnat, seu dum armis cedit. Ludouici discessione & patientia postmodum, apertus Saracenis campus ad grassandum, qui ab Italiæ Angolo pestem promouentes, Vrbem sæpius in discrimen summum adduxerunt; donec Leo Pontifex eo nomine I V. veterem Vrbem communiuit, nouamque adiunxit, è Transtiberianis suburbiis, quam Leoninam dixit; sacrosanctam Petri Majestatem saxorum mole & munitionum claustris prætexens. At Beneuentani maximè omnium premebantur hac lue, distractis in factiones Principum animis, diróſque hospites vltro vocantibus: quam calamitatem miserabilius dolens Bassacius Cœnobio Casinensi præpositus, ad Ludouicum Ticini agentem se confert, precibúsque supplicibus impensè flagitat, vt Christianum populum & beneficiarium Imperatoris, durissimâ seruitute liberatum velit, ac Mahumetis impiissimâ gente vindicatum; rem suam agi, sibi pereuntibus, quos immanitas sæua diriperet & quos efferret summa impunitas, ad Longobardiam ipsam peruasuris. Quibus persuasus Ludouicus, generosi quidem magnique animi iuuenis, quoties sibi permitteretur, armatum militem Beneuentum ducit, Saracenosque omnes sibi contraditos, cum Massare ipsorum Duce, sacro Pentecostes peruigilio extra vrbem ductos, iugulari iussit, Tartaro iustas inferias, pacemque sanciturus in capite, Sigenulphum inter & Racheldim de principatu contendentes Imperium æqua parte diuisit, & concordiâ ad tempus præstita mox recessit. Ideo tamen pax Italiæ restituta non est, ducibus Beneuentanis parte haud contentis, nec expulsis principatu toto Saracenis, imo in dies nouo supplemento ad maiora mala repullulantibus, futuris mox Ludouici gloriæ in nouâ segetem.

Anno 844.

Anno 851.

Conce

Concessum postea totum Imperium Lotharij obitu, Ludouico, & ille quidem per partes obiit; Primo sponte, dein naturâ, & necessitate. Firmato Lotharingiæ Regno, & Ludouico in consortium adscito, iam pertæsus mortalium rerum prioráque flagitia meditans, animo post satietatem pacato, & Diuinâ haud dubie aurâ inspirante, statuit abdicatâ pompâ & coronâ, quod vitæ supererat Deo abdicere, & in pœnitentiam scelerum, abdere se in Monasterium; Dei iudicio vel benignitate mirabili, vt qui de patre induendo in Monachum tantâ contentione sategerat, idque per nefas, is egregiâ virtute, in hoc institutum, se se abiiceret. Quocirca liberis euocatis, aperto consilio, iisdemque in diuisionem Regni admissis; cuius cupiditati Orbis propemodum angustior foret, idem pullâ veste opulentus & plenus, Prumiensi Cœnobio se inclusit; moxque attonsâ comâ, induit Monachum, anno quo Imperium tenebat decimo quinto; hoc facinore priores labes vtcumque emaculans, & famam redimens honestam in posteris, iuuitque, quod eodem anno Monachum induit, exuitque, morbo è viuis raptus, statim ad pœnitentiæ metas è carceribus vectus, quem & aliqui scribunt, sex duntaxat dies in cœnobio vixisse. Eius arbitratu tres inter filios diuisæ prouinciæ; Ludouico Imperium cum Italia datum est, Lothario Regnum Austrasiæ, seu Lotharingia; Carolo Phocensis prouincia cum Burgundiæ parte. Ac Carolo postea absque prole mortuo, quæ sors eius erat, Prouincia Ludouico, ac Burgundia Lothario fratribus obtigit; iam in plures partes secta Monarchia. Ludouicus ergo, quem ad Aui & Patrui discrimen, iuniorem dicemus, Imperij compos in Italiam redit, nec quidquam aliquot annis dignum admodum memoria gessit, Romanorum Pontificum comitiis intentus; ac præcipuè quæ in Benedicto peccauerat, luculenter in Nicolao emendans, cuius electioni mirifice assensus, eum Romam maiorum more venerabundus conuenit, & post mutua veræ charitatis officia, in posterum coluit; Romanæ sedi si quis vllus addictissimus, & Auitæ pietatis dignus æmulator. Isque est Nicolaus, qui hoc nomine I. magni cognomen ob fortitudinem Christianam obtinuit; inter Francos Episcopos, Græcósque Patriarchas inconcussus procellis scopulus, Regumque vitia, manu medica tractans, ferro & igne ad curationem admotis; adeò est quædam pietas fortis, aspera & intractabilis, vbi mollities damno est & palpum exitio. Saraceni interea ab vrbe Bario quam primo in Italiam ingressu occupauerant, in Campanos & Samnites crebris direptionibus grassabantur; nec erat repellendæ pestis spes modúsve, præterquam in Ludouico. Is igitur, adhortatore Pontifice, & conclamantibus miseris populis, valido magnóque exercitu lecto, ad honestissimum in Saracenos bellum Francos ducit, iam veterno quodam pigrescentes; simulque fratrem Lotharium rogat, vt indicto delectu, quàm maximas copias in Italiam agat. Serdanus Saracenorum Princeps, Adelgisi Ducis Beneuentani accitu, Capuano & Neapolitano agro vastatis, plures vrbes ipsamque Capuam ceperat, copiásque sibi obiectas à Duce Spoletano & Marsorum

CAROLVS CALVVS.

XXVI.

Lotharij pius finis.

Anno 855.

Filij succedunt.

Anno 858.

Ludouicus Saracenos vincit.

Anno 866.

CAROLVS CALVVS.

Comite prælio vicerat. Præter alia scelera, sacrilegio & impietate insignis, qui supra sacrosanctas Aras stupraret virgines, in vasis sacris per contumeliam biberet, sibique Thuribulis quasi Deo suffitum fieri imperaret. In eum ergo Ludouicus mouens, non expectato Lothario, per Soranum agrum Beneuenti fines ingreditur, & in Cassinensi Monasterio Cœlesti ope imploratâ, Capuam contendit; quam à Sarracenis propugnatam tertio mense obsessam recipit, & iam antea perinfensam, nudatam muris magnam partem delet. Inde per inferi maris præcipuas vrbes; Salernum, Amalphin, Puteolos, atque Neapolim, traducto exercitu, totam regionem Mahumeticâ gente expurgat; tum demum Beneuentum, ad Adelgisum ducem diuertit, fide iam pridem dubiâ, atque suspectâ. Ibi post breue otium copiis auctus, quas è Francia Lotharius frater adduxerat, vrbem Luceriam quam in Apulia Saraceni tenebant, oppugnaturus, exercitum promouet. Hostes numero haud quaquam impares, ad seruandam vrbem magni momenti, sese in prælium expediunt, conseruntque ingenti animo; quo primum Franci victi, acieque pulsi, mox indignatione & pudore, redintegratis animis viribúsque, tanto ardore pugnam instaurarunt, vt à victoribus extortâ victoriâ, fugatis Mauris deletisque priorem culpam presenti laude restinxerint. Eodem prope impetu capta Luceria, proximaque castra expugnata, & inde Barium tota belli moles incubuit. Eum malorum omnium fontem & Sarracenicæ luis propaginem, nisi expugnaret vrbem Ludouicus, nihil actum propemodum, hærente in visceribus peste. Admotæ copiæ, & adhibita omnis corporum animorumque contentio; sed difficilior expugnatio multis incommodis in quartum annum producta est; nam primo Saraceni iam pro aris & foris, acerrimè spem vltimam suam propugnabant; deinde Lotharij exercitus, morbis ob feruentissimos æstus contractis, fœdisque araneorum morsibus, quos Tarantulas vocant, consumptus, nihil operæ nauabat. Soluenda itaque obsidio fuit, reductæque Beneuentum copiæ, non sine damno atque dedecore, hoste postremum agmen cum cæde carpente, & Garganum montem diripiente.

XXVII. *Bellum in Saracenos.*

Vota de Bario repetenda interpellauit aliquantum Nicolai mors; cui suffecto Adriano II. magnâ Ludouici moderatione, minimum conquesti, quod ad Comitia Pontificia sui Legati haud vocati essent, imo gratulantis, quod virum sanctum Romani legissent; statim curæ Saraceni belli renouatæ, Lothario fratre dudum in Franciam reduce. Attamen iniecta est sanctissimo bello, ab impiissimo homine remora, ab Lamberto Vnitonis filio duce Spoletano; qui sub Pontificis consecrationem, specie præbendi obsequij, vrbem ingressus, eam diripuit militibusque in satellitium ductis, ad omne flagitium licentiam fecit; nullique est parcitum, rapinis, sacrilegiis, & libidinibus, deformata misera ciuitate. Accusatus tantis criminibus, apud Imperatorem Lambertus, Ducatu spoliatus est; consortes partim pœnituit, partim Beneuentum,

uentum, reorum perfugium auolarunt. Patratis Adriani vindiciis, ſtatim in Barium intenta vis belli; ſed cum fortiter repelleretur, in alia oppida pauliſper traducta; Ita Matera, Venuſia, Caniſium Saracenis ereptæ; Matera igne ſuccenſa eſt, aliæ ſeruatæ, præſidiiſque munitæ. At poſtmodum Ludouicus, receptâ Baſilij Conſtantinopolitani Imperatoris claſſe, ad eliminandos Italiâ Saracenos, opem adiungentis, terreſtribus maritimiſque copiis adortus eſt Barium, feliciori quam ante ſucceſſu, & magna laude conſtantiæ, quæ ſi conatus primi attingerent metas, nulla eſſet. Quippe Saraceni prioris belli mole iam obtriti, & ademptâ ſubſidij ſpe, arcto terra, marique obſidio, deditionem Ludouico fecerunt, nullis conditionibus præter victoris arbitrium; Duce Serdano atque vrbe ſine fraude traditis; nec mora Serdano mors illata, quem alij tamen ſeruatum volunt; arx ne reciperet perfidos, ſolo æquata. Inde Tarentum arma conuerſa, quæ vrbs vna Italiæ obtinebatur à Mauris; à qua tamen conſpiratione duorum Comitum abreptus eſt Imperator, poſteaquam detecto parricidio fugientes inſequitur. Beneuentum apud Adelgiſum eiuſmodi hominum receptorem confugerant; aderatque Ludouicus pœnas non dubie repetiturus, niſi Adelgiſus fictâ pœnitentiâ, humi proſtratus ſibi ac ſociis verbis ſupplicibus, rogaſſet veniam impetraſſetque, Imperatore nuſquam duro ad veniam, magna Chriſtiani laude, fortaſſe haud Principis. In eo rerum curſu Imperatorem fratris Lotharij mors diſtinuit, patruorumque cupiditas. Ii confeſtim in hereditatem mortui deuolantes, Imperatoris nulla ratione, eam inter ſe partiuntur, vt prædam; ad Ludouicum Germaniæ Regem ſpectantibus vrbibus quæ ad Rhenum & Moſellam forent, ad Carolum præter Tungros & Tullenſes, Lugdunum, Vienna, aliæque Burgundiæ vrbes. Imperator ius gentium appellans, naturæque placita; apud Adrianum patruorum furorem inceſſit grauiter; *Spoliatum ſe fraterno Regno ſumma iniuria, difficillimi belli tolerantem ærumnas; pro Chriſtiana republica ſuſcepti & prope confecti; & ab iis qui otioſi ſpectarent aliena incommoda, nec periculi laboriſve partem vllam attingerent. Quid à Saracenis tentari aliud, vel optari poſſe, quam vt eorum acerbiſſimus hoſtis moleſtiſſimam iacturam faciat, & volens nolens ab eorum pernicie rapiatur? Quid optatius commodiuſve exequerentur ipſi ſi liceret, quam vt Auſtraſiam longius diſſitam occuparent, & vitæ fontem dum pelluntur extremis inuaderent? Sanè tam æquum ius iis fore ac patruis, qui nepoti ſuperſtite fratre alieni, nullo iure quam vis tyrannica in regnum eius inuaſerant.* His iuſtè commotus Pontifex, ad Reges ſcripſit, extatque exemplar litterarum ad Ludouicum Germaniæ Regem, quibus mirifice Imperatorem commendat, & acerbè conqueritur, eum dum labores tantos perpetitur, pro debellandis Chriſtiani nominis hoſtibus, imperi opprimique ab iis qui belli & ærumnarum conſortes eſſe debuerant; poſtremo ni obſiſtant, intentat Eccleſiæ fulmina, cœleſtibus pœnis ſancienda. Verum in iniuria perſtitit fratrum ambitio; imo Carolus ab Hincmaro Rhemenſi Antiſtite, Lotharingiæ

Anno 870.

Ludouici Baſilio litteræ.

CAROLVS CALVVS.

tingiæ coronam celebritate magna suscepit, eamque ob rem, Adrianus Pontifex itidem in Lateranensi, pompa solemni Ludouicum Imperatorem Lotharingiæ Regem inaugurauit, ab inferendis in reges pœnis adhuc se abstinens, donec Saracenicum bellum quod erat in manibus conficeretur. Et Ludouico moderationi fuit non obuiæ, inhibere vindictam flagrante iniuriâ, damnumque priuatum fidei hostibus posthabere. Mox laborauit pissimus Princeps in ipso Imperatoris titulo retinendo; nam Basilius Macedo Imperator Græcus, nuper ex equilone Michaëlis nece euectus in solium, quamquam nobilissimam Arsacidarum originem vindicaret sibi, ingentes animos pro fortuna alens, se vnum Imperatoris titulo dignum ratus, post Barium captam, scripserat ad Ludouicum, vt Imperatoris nomine abstineret. Sugillabat Francorum gentem, obscuram adhuc & propemodum barbaram, indignam esse tanto fastigio; nuper id dignitatis inuectum in Carolum, adulatione Pontificum, & Romani Imperatoris iniuria, nec hæreditarium id fuisse nomen, maximè posteris ab auita laude deficientibus; Sanè si in Reges Franciæ transmittendum imperium sit, Ludouicum, ab re tituloque abesse, cuius in Francia nullum imperium foret, quique à Patruis vt exheres bonis deturbatus esset; in ipsa Italia, infirmam esse authoritatem atque precariam; Barium vrbem vnam annis quatuor ægrè expugnatam, & Græcorum duntaxat opera, classè immissâ, quæ vrbem cœperit; infrequentibus Francis, reique tantæ numero impare. Ad quæ rescripsit multâ modestiâ, contumeliâ nullâ Ludouicus; *Nullam gentem esse quæ splendidis illustribusque cunis enata sit; Francos originis tenebras post factorum luce colluminasse; singulas Europæ prouincias eius gentis trophæis inscribi. Nec supra meritum, id dignitatis tributum Carolo, à quo Saraceni victi, excisi Longobardi, domiti Saxones, Ecclesia magno & emolumento, & stabilimento; neo blandimentis Pontificum, nec Græcorum iniuriâ impertitum id, quod aquissimè debitum, relictum ab alio, ab communi Patre concessum est. Nec degeneres posteros à primâ gloriâ, quorum victoriæ nondum ab hostium animis obliteratæ sunt; ipsum se, quisquis tandem sit, Maurorum spoliis decoratum, nec Imperatoris indignum nomine, qui Dei ope toties vicerit. Quod Franciam non possideat, falli Basilium; etenim suum esse, quod teneretur à Patruis, nexusque mentium tam arctos esse quam sanguinis; nec disceptatorem fore Basilium, si quid inter eos priuata discordia, natum esset; postremo, quæ obiiciebat de Bario, meminissent Græci quos efferret tantopere, se primo impetu à Saracenis dejectos, ad murum deinceps admoueri nunquam potuisse, futuramque vrbem si per eos staret, integram adhuc atque praualidam. Ergo non inuideret alienæ gloriæ, néve vnum se in orbe terrarum dignum putaret, cui Imperatoris nomen deberetur.*

XXVIII.

Anno 872.

His litteris Basilius offensus, auctáque ex æmulatione inuidia, ad dolos, quod imbecillorum est, conuersus, occultis nunciis, Adelgisium Beneuentanum Ducem, ad defectionem sollicitat, sponte propensum, & Ludouico quia plura debebat infensum. Hic igitur statim expugnatus, arcanis.

nisartibus, Campaniæ vrbes ab Ludouico Imperatore ad Græcum traducit, tecta fraude & dissimulatâ, palam fidem in Ludouicum simulans, & maiori damno opportunitatem ex incompertâ perfidiâ captans. Quocirca Imperatorem cum exercitu, ad recuperandam Capuam auolantem, Beneuenti honorificè excepit, & omnia quæ fidum & beneficiarium saperent præstitit. Statim Capua obsidentium vallo circumcincta, & vastatis agris imminebat extrema pernicies; cum ciues destituti ope humana, cœlestem implorant. Lipsana sancti Germani vrbis quondam Episcopi succollantes, ac supplicantium more in castra deferunt, & prouoluti ad victoris pedes, oratore muto & efficacissimo veniam rogant. Nec pius Imperator rogata distulit, legatoque sanctissimo postulata ciuium condonauit; expulsi Græci, & in fidem recepta vrbs, cui redditus sanctus, coronâ ciuicâ decorandus: Quamquam alij velint à Ludouico asportatum in Franciam, victoriæ vel clementiæ monumentum. Inde Beneuentum reductus exercitus, tot laboribus admodum fessus, patriæque atque otij, quàm præstaret cupidior. Id subodoratus facilè Adelgisus, Ludouico auctor est, vt profligato bello, militem ærumnarum plenum & tædij, graui onere prementem hospites, nullâ spe fructûs, sacramento soluat, remittatque in patriam: ac tandem ipse ex turbida tempestate in portum se tradat. Ludouicus proditionis incautus exercitum soluit, paucis admodum ad comitatum seruatis. Parata præda inuolueretur vt cassibus, Seodanum Saracenorum ducem, cui parcitum erat, antea monitum, cum Saracenis Adelgisus accersit; vnoque consilio Imperatorem in palatio agentem quam ferociter aggrediuntur. Is tametsi oppressus, ingenti tamen confidentiâ vim repellit, occlusisque foribus se tuetur; Atenim Adelgisus admoueri ignem foribus iubet, feraſque cum latibulo inflammari simul, quibus Imperator ad deditionem adactus est, fortitudine iam in exitium desciscente; detrususque in carcerem à proditore, sacramento tandem solutus est, quo iurauit se Beneuenti fines nunquam ingressurum, nec ob id factum in vltionem vllam iturum. Liberatum periculo ignominiæ dolor vrebat acrius, tamen vindictam intercludebat periurium, Princepsque optimus contumeliæ suæ sensum conscientiæ morsu retundebat. Quod vnum in hac pugna perfugium, Ioannem Pontificem eo nomine octauum, Adriani successorem, adit, & perfidam Adelgisi rebellionem accusans, quid opus facto sit, ad solatium doloris consulit. Statim à Romanis tyrannus Adelgisus proscribitur vt hostis reipublicæ, & à Pontifice Imperator iurisiurandi religione exsoluitur, affirmante fidei nullum esse vinculum, quod vi & necessitate adstrictum sit; nec lucrum ex scelere sceleratissimo homini concedendum. Idcirco reuocato exercitu, magno apparatu bellum expeditur; verum Ludouicus, ne vel leuem periurij notam subiret, ab expeditione abstinuit, Engilbergam coniugem Augustam copiis præficiens, assuetam militiæ, solitamque Agrippinæ instar Germanicum suum inter signa sequi & statiua. Adelgisus famâ tanti apparatûs, relicta Italia in Corsicam fugit; & Beneuentum Augustæ traditum, idem

CAROLVS CALVVS.

Ludouicus proditus ab Adelgiso.

CAROLVS CALVVS.

tamen postea tum in gratiam Imperatoris, tum in ducatum restitutus est; colente beneficia sua principe, & proditorem precibus Pontificis largiente. Engilberga hac expeditione defuncta, ad Ludouicum Germaniæ Regem, cum Pontificis legatis, Tridentum se confert, admittitque abdicationem regni Lotharij quod Ludouicus inuaserat; idem mox à legatis Caroli impetratura. Nec cessauit Imperator à Saracenis ad extrema vitæ profligandis, Salerno liberata; eam quippe Saraceni ex Africa, proximáve quam obtinebant Sicilia soluentes, Abdila duce, magno numero terra marique obsederant, premebantque arctius; cum immisso à Ludouico exercitu profligati sunt; soluta obsidio, & repurgata dira hac lue Calabria. Id facinus Imperatoris postremum, nam morbo obiit anno Imperij vicesimo, & Mediolani conditus, nullis liberis præter Hermengardam filiam relictis; auo virtutibus, quam vitiis patri similior; in degenerante prosapia primum succum alens; truncoque postmodum in agrestes baccas silvescente. Engilberga coniux Monasterio quod ad Placentiam magnis impensis extruxerat sponte se abdidit, negotiosa & occupatissima femina; otium sanctum verum negotium rata. Nunc expedita Italia, reuertamur in Franciam & ad Lotharium Imperatoris fratrem diuertamus.

Anno 875.

XXIX. *Lotharius Iunior & Valdrada pellex.*

Is fratri longe absimilis vno propemodum libidinis cursu an scopulo traduxit vitam atque consumpsit; magnâ Regni iactatione, labore Pontificum, ærumnis suis atque periculis; quando impuritas, nulli molestior, quam hospiti suo. Ille à teneris propemodum annis, Valdradam quandam puellam nobilem, affectu primum puerili, dein annorum incremento iuuenili æstu amauerat, atque corruptæ aulæ licentiâ in consuetudinem turpem induxerat. Postmodum ab illicitis amoribus à Patre abductus, cum Theutbergâ nobili virgine Huberti Comitis, Acephalæ dicti, sorore connubium init; Valdradâ, ne recrudesceret vulnus, ab Aula abstractâ. At patris obitu libertatem nactus Lotharius, & pacis otio emollitus, vxoris tædio consopitas flammas exsuscitat, reductamque Valdradam in antiquum commercium vocat; nec satis fuit induxisse pellicem thalamo, nisi & in legitimæ coniugis locum & gradum eueheret; siue offensionis pudore, mulieris consuetudine publica, siue pellicis precibus, atque blanditiis, vsu coniugij honorem & dignitatem mercantis. Id quoniam perfici absque legitimæ repudio nequaquam poterat, quod Christiana lege vetaretur, fucum Ecclesiæ facere, satisque cupiditati suæ constituit; eamque in mentem Gontharium Archiepiscopum Colonienſem, suique regni, vt vocabant, Archicapellanum, facta spe si solueretur coniugium, neptis ipsius ducendæ, traducit in sententiam suam. Porro Gontharius, Theutgandum Treuirensem Archiepiscopum sibi adiungit, iique cæteros, vt Episcoporum suffragiis, solemni ritu dirimeretur coniugium; vtque fraus tectior, atque tutior foret, cuidam Aduentio Episcopo strophæ compingendæ prouincia traditur, qui Valdradam dicat primis annis à Lothario ductam, Theutbergam vi à patre intrusam, pollutam

iam

iam à fratre Huberto horribili incestu, regio thalamo plane indignam; tum atroci flagitio, tum priori matrimonij nexu. Dolo compositio, Episcopi in synodum Aquisgranum conueniunt, & fraudis partim consortes, partim ignari, sed fama & sociorum præiudicio rapti, compertam incestûs, Theutbergam pronunciant, inauditam prorsus; solutum matrimonij nexu Lotharium, nouique liberum, vbi libitum esset, ineundi. Confestim Lotharius, electa Theutberga, Valdradam substituit. Ea res Nicolaum Pontificem commouit, quod se inscio Episcopi, tanti litem momenti disceptassent; eratque ante suboffensus Lothario, quod Ingeltrudem contra Pontificia iussa & decreta, agentem in Lotharingia, plures iam annos tueretur, atque defenderet. Ingeltrudis Mallefridi Comitis filia, eximiæ pulchritudinis flore, Bosoni nobili in Francia Comiti nupserat; eratque formæ & nobilitati par dignitas, cùm posthabitis libidini omnibus impura mulier adulterum sequuta, Vaugerum clientem suum, per multas vrbes vagata, deinceps à pluribus prostibuli instar circunducta, tandem in regno Lotharij infami palam vsa commercio domicilium fixerat; nec precibus Bosonis repetentis vxorem, nec Caroli Regis minis, nec intentato à Pontifice fulmine, Rex impelli potuit, vt scortum impudicissimum à ditione suâ eiiceret. Iis de causis ad reges Carolum & Ludouicum Nicolaus scripsit, vt Lotharium monerent; ac si in contumacia persisteret, vi ad æquum adigerent. Et quidem Ludouici Germaniæ Regis operâ, Lotharius reconciliatus est Carolo; sed de Valdrada interpellatus, appellauit Pontificem, & ab eo postmodum petiit, vt Synodum indiceret in Francia, legatosque mitteret, se eorum Præsulumque sententiâ staturum. Hac arte, mora producta temporis, quod negantium est; & spe certâ Synodi, per Episcopos suos traducendæ. Æqua Nicolao postulatio visa, indicta Episcoporum Synodus Metas; Legatique missi, Rodoaldus Portuensis Episcopus, & Ioannes Ficodensis: nec Rex instituto iam dolo defuit, nam Legatis per summum nefas, auro corruptis, & Episcopis è Regno suo, Metas, euocatis, partim arte Guntharij, & per blandimenta illectis, partim oblatâ vi territis, partim pretio emptis; in Regis votum suffragiis cunctorum itum est. Ad inuolucrum fraudis quædam iustitiæ tela obiecta est; statuitur in medio Theutberga misera, interrogata num se incestu polluisset cum fratre, mulier inops consilij, vt saluti consuleret, crimen fatetur, (nam minabatur Rex præsentem mortem si diffiteretur) statim damnatur omnium calculis, Regi vt prius data facultas noui conjugij; fuitque tanta Conciliabuli infamia, vt prostibulum dictum sit, in quo lenones Episcopi, pudicitia prodita & pœnis subdita, scorto impunitas, & libidini effrenis licentia, seu in lupanari condicta & locata. Posteaquam perfidia tanta innotuit, eóque audaciæ ventum est, vt Guntharius Colonienſis, & Theutgandus Treuirensis Antistites, Metensis Synodi machinatores, Romam ad probandum factum se conferrent; Nicolaus nouam Synodum in Lateranensi conuocat, in qua Metensem anathemate

CAROLVS CALVVS.

Anno 862.

Ingeltrudis qua.

CAROLVS CALVVS.

ferit, Guntharium & Theutgandum, dignitatibus abdicatos, communione fidelium segregat. Valdradam & Ingeltrudem eâdem pœnâ afficit, cæterisque Episcopis, munerum vsu interdicit; ad Lotharium legatum destinat, qui Theutbergam reducat ac Regem nisi in obsequio sit diris deuoueat; tanto firmior cæteris atque constantior, quanto, sede excelsior & sanctitate morum præstantior.

XXX. *Lotharius decepto Pontifice moritur.*

Guntharius eâ sententiâ fulguritus, malignitate in furorem versa; eum Theutgando consorte Ludouicum Imperatorem conuenit, querelis implet. *Impetitam fratris auctoritatem & suam, quod summâ iniuriâ ipsis inconsultis, antistites subditi ab inuido extraneoque depositi essent & deiecti.* Iis Ludouicum in Nicolaum instigat, Romam ducit, Pontifex malè habetur, obuia Crucis signa deiiciuntur, disturbatur clerus & pellitur, Nicolao minæ & vis propemodum intentantur, perstat nihilominus in sententia Pontifex; iustique per omnia tenacissimus, victo metu & minantem vincit. Post reditum Imperatoris; inter Ecclesiæ Orientalis procellas sæuissimas, quas Photius impiissimus nebulo concitabat, Nicolaus Lotharij memor, Arsenium Episcopum prudentiâ iustitiaque munitum in Franciam legat, ad Reges componendos, & maximè Lotharij thorum repurgandum. Magno honore à Ludouico & Carolo exceptus, iisque sancitis quæ ad concordiam facerent, ad Lotharium transit, ipsique in con-

Anno 865. uentu Episcoporum optionem facit, vt electâ pellice, Theutbergam dignitati thalamoque restituat, dato sacramento, eam se in posterum in vxorem legitimam atque chariſſimam habiturum, sin minus, illico anathemate feriatur, cæteríque omnes qui flagitio suo se implicuerint. In has angustias Rex coniectus, vt intentatum fulmen eluderet, admittit coniugem, die Valdradæ dictâ, qua se Romæ sisteret; Ingeltrudis pariter sacris interdicta. Et hæc Vormatiæ se legato stitit, iurauitque se Romam ad pœnitentiam ituram; & verò se ad iter cum legato accinxit; at statim profuga sus ad volutabrum, & ad flagitia libidinosa mulier, repetita in Franciam viâ retrocessit; tantæ est molis vitium extirpare, quod natura genuit, libido aluit, & assuetudo durauit. Nec Valdradæ mens melior, quæ ingressa Italiam, ac postea pœnitudinis pœnitens, in Franciam rediens, tametsi coacta repetere Italiam, nulla pœnitentiæ signa præferebat, ideò à Nicolao ambusta Anathemate fidelium cœtu abscinditur. Imminebat discrimen idem Lothario, cum arte consueta Cancellarium ad Pontificem mittit, mendicatque ab Episcopis litteras, quibus testarentur Regi cum Theutberga esse quam optime. Sed & postea comminiscitur aliud, quo caput causæ iugulari crediderat; Theutbergam diu pessime habitam vi mortisque minis adigit, vt litteras det ad Pontificem, quibus facultatem concedendi Romam efflagitat, se sponte dignitati Regisque thalamo cedere, assentiri vt Valdrada legitima coniux habeatur. Eæ non dubitauit Pontifex, quin à vi & metu scriptæ essent litteræ; quare dat alias primo ad reginam, adhortans ad constantiam, neve quouis periculo veritati præiudicet; tum ad Episcopos,

pos, redarguens, quod Lothario contra ius & æquum, metu vano territi adblandiantur, postea ad Regem Carolum, dolens quod nepoti de coniuge haud satis dissentiat, roganſque vt eam magno vitæ discrimine apud se recipiat. Postremo ad ipsum Lotharium, quibus acerbius carpit quod Theutbergam contra iusiurandum vexatam, ad scribendam falsissimam rem vi impulisset; spem abscindit Valdradæ vnquam ducendæ, renunciat eam ab Ecclesia segregatam, eandemque pœnam nisi præstet obsequium comminatur. Porro Lotharius fictum minis prætendens obsequium, Aduentium Episcopum ad Pontificem legat, petitque supplicibus verbis facultatem, Romam eundi, vt coram ipso Patre piissimo calumniam restinguere, ac innocentiam suam suscitare possit; opes & operam in Saracenos pollicitus. Id enim vero Nicolaus pernegat, gnarus moram teri ad delicti laruam, causasque perscribit Ludouico Germaniæ Regi pacis internuntio; nempe Lotharium vanis pollicitationibus, Romanam sedem habere ludibrio, opulentum promissis, at vacuum effectis; Theutbergam durè & contumeliosè haberi, Valdradam regis nutu Ticino in Franciam reuocatam, eiusdem arbitratu omnia peragi. Quapropter nisi Rex aliquando re verba impleat, sciat excusum fulmen mox vibratum iri. Præterea exacerbauit Pontificem eiusdem Lotharij nouum crimen; quo Helletrudem sororem, viduam Berengarij Comitis facultatibus spoliauit, misera femina Pontificem vt calamitatis perfugium appellante. Lotharius, ad extrema actus Nicolai morte respirauit; multò maximè ab Adriano successore, potestate facta Romam eundi, imo Valdradâ restitutâ Ecclesiæ, post pœnitentiam ad maiorem fraudem simulatam. In vrbem igitur solemni pompa inuectus exceptusque ab Adriano, magnis honoribus, percontanti iurat, omnia se quæ Nicolaus iusserat, cumulatè implesse; id certatim Aulici adulatores pessimi asseuerant, sicque nemine contradicere ausò, ab Pontifice ad communitatem Ecclesiæ in sancti Petri Basilicâ palam admittitur. Etenim sanctissimus Pontifex vt suspicionem fraudis omnem extingueret, post Augustissimum sacrificium conuersus ad Regem, cui præbendum erat Christi Domini sacrosanctum corpus, id manu tenens adiurat. *Vt si integrum se ab adulterio nosset, quo interdixerat Nicolaus, & animo constituisset reliquâ vitâ à Valdrada abscedere, ad salutis mysterium securus accederet; sin esset vel antiqui sceleris conscius, vel noui cupidus, caueret Domino futuro iudici cæcè illudere*; idemque Aulicorum singulos obtestatus, dum augustum panem porrigeret, vt si immunes ab obiecto Regi flagitio forent, nec cum Valdrada diris deuota communicauissent, iis Christi corpus in salutem esset: tam Regem quam Aulicos cibi Cœlitum pascit. Sic illusum homini, at Deo, neutiquam; Quippe Lotharius in Franciam redux, periurio, leui pretio, vt rebatur, difficillimâ re confectâ; vix Romanos fines euaserat, cum sæuissima & improuisa pestis Aulicos omnes morte sternit, paucis exceptis quos ab sacrâ mensâ Pontificis verba absterruerant; idemque Lo-

CAROLVS CALVVS.

Anno 868.

CAROLVS CALVVS.

tharius Lucæ febri corripitur, vnde Placentiam vectus, inter continua suorum funera, ibidem obmutescit repente, ac nullo pœnitentiæ signo animam efflat; sobole nulla ex legitimo thoro; felicior si qua lucta in Nicolaum certauit, ea in affectum suum dimicasset; regno in hoc vsus vt adulter esset, & publicus; tanta est affinitas inter facultatem criminis & voluntatem. Valdradæ & Ingeltrudi quid tandem actum sit, incompertum mihi. Nunc reuocandi Ludouicus Germanus & Carolus, quorum res inuolutæ simul eodem filo euoluendæ sunt.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER SEXTVS.

SYNOPSIS.

Carolus Caluus Rex. Normanni in Franciam. Normannorum altera expeditio. Normannia conceſſa. Robertus fortis occiſus. Andegauum obſeſſum. Bella cum Britonibus. Pipini Iunioris ſors varia. Carolus Rex à Ludouico fratre impetitur. Franciæ calamitates Carolus regno reſtituitur. Venilonis pœna. Propter Hincmarum turbæ. Iuditha à Balduino rapta. Carolus Lotharingiam occupat. Caroli liberi. Carolus Imperator. Ludouici Germanici mors & liberi. Carolus à nepote victus. Carolus in Italiam venit, & fugatur. Boſo Ermengardem vxorem ducit. Caroli Calui mors. Ludouicus Balbus Rex. Ioannes Pontifex in Francia. Adoptat Boſonem. Balbi mors. Ludouicus & Carolomannus Reges. Turbæ à Goſuino Abbate. Auſtraſia Ludouico Germano tradita. Regum bella in plures. Boſo Rex Burgundiæ. Ludouicus in Normannos. Ludouici mors, & Carolomanni. Carolus Craſſus Rex & Imperator. Paciſcitur cum Normannis. Hugo

Lotharin

Lotharingus regnum turbat. Parisij obsessi & liberati. Carolus vxorem dimittit. Carolus regno deiectus. Franciæ & Italiæ status. Eudo tutor an Rex. Normannorum irruptio. Vincuntur à Britonibus. Carolus Simplex Rex. Ab Eudone pellitur. Eudonis mors. Arnulphi Imperatoris mors. Robertus rebellis. Carolus Rex ab Heriberto captus. Rodulphus Burgundus regnum inuadit. Caroli mors, & Rodulphi. Ludouicus Transmarinus Rex. Rebellio in Ludouicum. Heriberti proditoris mors. Guillelmi Normanni cædes. Ricardus à Normannis seruatus. Bellum in Ricardum. Ludouicus in Hugonem mouet. Ludouici obitus. Lotharius Rex. Hugonis Magni mors. Ricardus iterum bello vexatus. Lotharius Othonem pellit: Carolo Fratri Lotharingiam donat. Ludouicus Ignauus, postremus Rex: Moritur sine prole. Carolus Lotharingus reiectus. Hugo Capetius regnum inuadit. Finis Stirpis Carolouingiæ.

CAROLVS CALVVS.

AMICITIA inter fratres Ludouici filios conciliatâ, & in suam quóque partem recepto, Ludouicus in Germaniam, Carolus in Franciam secessit; & ille quidem regnum annis pluribus haud improspere gessit. Hic per varia domi forisque infortunia, auitam gloriam calamitosissimâ Francorum sorte pessundedit. A caluitio dictus est Caluus, cum illæ augustæ, Martelli, Pij, & Magni, appellationes deficerent; & à vitiis corporis, non animi dotibus, Europæ fulgentissima lumina, dignoscerentur. Nec quis socordiæ & stupiditatis accuset Carolum; erat enim vafro, callidoque ingenio; ita sui custos vt alienum appeteret; iam à puero militiâ exercitus, imbutúsque à matre sagacissimâ fœminâ regnandi artibus; vt mirum sit tantam spem decoctam, floremque pulcherrimam emarcuisse, tam subitò. Prima Regis, regnique calamitas, eademque continua, Normanni; à Daniâ seu Noruegiâ, quæ olim Cimbrica Chersonesus, populi, Idolorum cultu, ferociâ, & crudelitate terribiles; qui dudum repulsi à Francia, Caroli magni fortitudine, & mox suis intestinis dissidiis; nunc pace domi constitutâ, euulsis foris repagulis, post atrocem Fontiniacam illam cladem, certatim pernauigabiles amnes, ceu per effractas portas, aut aperta vulnera, classibus magnis in Franciæ viscera penetrarunt. Expeditio prima ab Rege eorum Horicho, in Caroli [regnum pronunciata est; ingensque classis in quatuor partes diuisa, quæ fluuiis quatuor, Amisiâ, Sequanâ,

Normanni in Franciam. Anno 845.

Sequanâ, Ligeri & Garumnâ, peruaderet intima atque confoderet. Et Sequanica pars luctuosissima omnium fuit. Nam Duce Ragenario, capta statim Rothomago, ripis circunquaque flexuosissimi amnis direptis; hostes Parisios peruigilio Paschatis veniunt; præuioque terrore incolis vrbem exhaustam, capiunt, & sacri profanive nullo discrimine populantur. Nec parcitum Sancti Germani Cœnobio, rapinis multis & sacrilegiis violato: vnde in grassatores vindicta præsens, terrórque in futurum illatus est, eorum pluribus morte raptis, & dysenteria vulgò contracta. Hæserat Carolus ad Sancti Dionysij, augustissima pignora, hoc est venerabiles eiusdem reliquias, in sacrilegos propugnaturus; cum morbo vulgato, afflictisque hostium copiis, de pace actum est, & conuentum vt Dani acceptâ pecuniâ regno excederent, iurati se abfuturos à Francia, nisi fortè ad præstandam opem atque auxilium; fæduisque connexum tenui admodum vinculo perfidorum fide. Ita Ragenarius ad Horichum reduxit copias, fastu tumens & refertus gaza; iactabatque in contumeliam Francorum, maiori apud eos terrori mortuos esse quam viuos; nullúmque sibi præter Germanum senem, eundemque mortuum restitisse; at inter hæc verba repente concidit, exclamans, coram assistere, venerabilem illum senem Germanum à quo grauissimis ictibus fuste vapularet, moxque immensum vtero turgescente, in summis cruciatibus tertio die, effusis ruptâ aluo visceribus, animam edidit; irritis votis quæ ad salutem & incolumitatem fundebat; statimque pœna in cæteros raptores sparsa, percuntibus cunctis, vel tumore viscerum, vel fluxu sanguinis; nisi quos Horichus, occupata morte trucidari iussit, ne pœna morbusve propagaretur in alios, captiuis præterea libertate donatis. Et hæc sancti Germani propugnatio fuit, edocto barbaro, quantùm præsentem inter mortalium vitam, atque æternam immortalium interesset. Idemque prorsus sanctus Martinus, in eos qui aduerso Ligeri nauigarant, portentum exhibuit. Ii Hastingo Duce, Ambasiam aliaque oppida quæ Ligerim & Carum amnes interiacent, prædâ exhaustâ, absumpserant ignibus; versique ad Turones, imparatam vrbem expugnabant. Ciues primum, quantum in trepidatione subita licuit, muros instaurant, propugnacula extruunt, sagittas expediunt machinasque, ac præsenti animo repulsant periculum; verùm furore hostium increscente, iamque muro crebris arietum ictibus quatefacto, & decusso propemodum, memores obsessi, quantum propugnatorem penes se haberent, ad sancti Martini Ædem conuolantes, augustum patroni sui corpus piè corripiunt, deferuntque ad locum, vbi proximam labem minabatur murus; cadauer vnum pro munimento in hostium machinas opponentes. At ecce, mirum, subito pauore oppressi Normanni, audaciâ in trepidationem versâ, effunduntur in fugam; Turonenses illico portis erumpunt, hærentque fugientibus ad sextum lapidem, cæsis multis, pluribusque captiuis: ita disiecto exercitu hostium, vrbi redditi, triumphantium specie, nouum Imperatorem feretro restituerunt. Eoque loci condita est Basilica, quæ à bello patrato, sancti Martini belli, seu bellicosi nomen sortita est. Normanni in Frisia & Aquitania feliciores; quippe in ista, exscensione factâ, Santones inter atque Burde-

CAROLVS CALVVS.

CAROLVS CALVVS.

galam prælio facto, Aquitanos vicerunt magnâ strage; Signiuo Vasconum duce interfecto. Et in Frisia, quamvis primo prælio profligati essent, altero tamen tertióque victores, Lotharij Regnum metu excussêrunt. Successus tamen apud Saxones Hispanosque contrarius, Horicho Rege vtramque gentem appetente, simulque, quod mirum, Germaniam, Franciam, & Hispaniam, non tam ambitione quam terrore & vi complectente. Et quidem in Germaniam sexcentas naues per Albim immisit, & in Cantabriam haud pauciores; vtrobique fusus & victus, à Saxonibus commissâ acie, & Christi victoris, implorata ope; in Cantabria nauali pugnâ septuaginta amissis nauibus; Ramiri Regis pietate & fortitudine, Orbi Christiano Deo consulente, nec membri pœnam deriuante in corpus.

II. *Normannorũ altera expeditio.*

Per eas clades tum à mortalibus tum ab immortalibus patratas, quieuerunt aliquandiu Normanni, donec illiciente spe prædæ & nouæ sedis cupidine; iterum Godefrido duce, aduerso Sequana nauigantes, tumultu & cæde latè omnia implent miscentque. Carolus ad procellam tantam imparatus, Lotharij fratris auxilium implorat, contractisque celeriter copiis, ipsi ad repellendos hostes adiungitur. Res ad pugnam vergebat, nec ambigebat Lotharius quin dimicaretur, quando Carolus clam fratre, sibi suspecto inuidiâ an metu, cum Godefrido pacisceitur, vt terram quam designauit ad Oceanum occuparet, & in membrum regni allectus, tum suos, tum suæ gentis alios, ab inuadenda Francia prohiberet; facto ambiguo, vel abscissione partis totum seruans, vel corruptione partis totum perdens. Attributa porro prouincia, latis admodum finibus, in longum leucas septuaginta duas protenditur, in latum triginta, eademque rebus omnibus præter vitem ferax Belgio, Oceano, minori Britannia, atque Cenomanis terminata; Galliæ Celticæ pars; in qua olim Aulerci, Lexobij, Vellocasses, Constantini, aliique populi; hodieque Normandia à Normannis incolis dicitur, vrbibus, portubus, arcibusque admodum celebris. Scio tam vberis regionis possessionem Normannis traditam, ad Carolum simplicem Calui nepotem, anno post sexagesimo secundo, consignari à plurib⁹: ego crediderim tacitâ consensione permissam à Caluo, Godefrido Normanniam; à Simplici, postea solemni ceremoniâ admissum Rodulphum in beneficiarium & clientelarem Normanniæ Ducem. Sanè Caluus merito, in has angustias coniectus, in vulgus audiit, conquerentibus passim Episcopis, quod Ecclesiastica bona Laicis impertiretur, & sacrorum inuasione sua deperderet; cùm rapina omnis illicò effluat; ac maximè rei sacræ, sit inopiæ parens atque miseriæ. Verùm eiusmodi fœdus, tam iniquum, ab irruptione gentis eiusdem anno post tertio nequaquam Carolum vindicauit: siquidem atrociissima natio, Rollione Duce, omisso Sequanâ se vertit ad Ligerim; primaque inuasione Aremoricam occupans, Nannetes vrbem haud procul amnis ostio, tunc addictam sacris, populo in maiorem Ecclesiam congregato, erat enim peruigilium Paschatis, improuiso penetrat diripitque. In Basilicam magno impetu irruunt, effringunt fores, fenestras excutiunt, strictoque ferro in plebem inermem sæuiunt; trucidatur Episcopus, Clerici Monachique ceu victimæ ad aras mactantur, sacra gaza diripitur, tota

Anno 850.

Normannia concessa.

vrbe

vrbe populata ; superstites cladi onusti vinculis in naues aguntur. Deinceps barbari successu elati per omnem Aremoricam vastatione effusâ, ad Cenomanos Andegauosque perueniunt, copiarum parte Turones missâ; verum Ligeri & Caro simul inundantibus, hostesque arcentibus ab Turonum accessu, nihil ferociæ licuit, præter maioris Cœnobij direptionem, quod positum extra vrbis muros, direptum euersumque est, centum supra viginti Monachis immaniter cæsis. Interea datum ciuibus spatium eripiendi à strage corporis sancti Martini, quod Sacerdotum choro deducente Antissiodorum delatum est, magnâ miraculorum patratione ; vrbs patrono inanis ab hostibus capta atque incensa est, sanctique templo flãmæ injectæ; admirabilitate maxima diuini arbitrij, iustitiam misericordia temperantis, nec obliti pœnæ cum parcit. Ab eo tempore iidem Normanni pluribus expeditionibus aggressi Franciam, in eam plurimùm partem qua interfluit Ligeris incubuerunt, & quantumvis aliquoties victi & repulsi, tamen cùm in alieno pugnarent, nouaque examina in cæsorum locum illico substituerent, leui suâ iacturâ, Francorumque grauissima, modo vincebant, modo vincebantur. In iis expeditio vna maxime memorabilis, qua Ruodbertus, seu Robertus Comes, (à quo forsan nata de Roberto diabolo fabula) fortissimus vir ac militari prudentia clarus, à Deo Francis ad arcendos hostes prouisus ; post multa facinora, quod fatum nobilium Imperatorum est, ad pagum rusticum incautus cæsus est. Hic lubet scriptorum incuriam accusare, quibus satisfuit bellicosissimum virum vno duntaxat ornare Encomio, quod Iudæ Machabæo haud absimilis fuerit ; contra sceleratam gentem & perfidam patratis multis, laureisque pluribus reportatis; explicato nullo facinore, vnde laus posteris admirabilior foret, & in eius morte conscribenda prolixi, fuit autem eiusmodi casus.

CAROLVS CALVVS.

Robertus. Foxis.

III. Cum Ligeris ripas Normanni infestarent, agrosque popularentur Andegauorum & Pictonum ; Robertus cui Andegaui attributi essent, accito Ranulpho Aquitaniæ Duce, armatos contrahit, & in palantes effusosque hostes celeriter ducit. Ij à speculatoribus moniti, ad nauigia quam ocissimè fugiunt. Verùm cum instaret Francus, distarentque ab amne longiùs, ne opprimerentur in fuga pagum fortè obuium occupant, communiuntque, quantum horæ spatio licuit. Erat in pago Basilica è quadrato lapide admodum firma, in eam præcipuè barbari incumbunt, muniendam atque propugnandam ; móxque pago omisso se in eam condunt. Robertus cum expeditis militum aduolat, cæsisque hostibus quos munimentum non caperet, admotus propius, telisque appositus, aduertit Basilicam vix sine machinis expugnabilem esse ; itaque secedit cum Ranulfo, iubet milites statiua figere, quibus pagus atque Basilica cingerentur ; hostes quasi reti inclusum iri ; die crastinâ, nam vergebat sol ad occasum, ad primas machinas expugnandam turrim, speque nullâ effugij venturos in potestatem suam qui se inclusissent. Intentis ad capessenda iussa militibus, ipse æstum vt leuaret, solutus iam periculo, galeam loricamque deponit, liberiore aurâ captandâ ; id barbarus animaduertens, vagaríque Francum licentia quam nullus metus regeret; subito à Basilica irrumpens, clamore incon-

Robertus fortis occisus.

Anno 867.

CAROLVS CALVVS.

dito, in Robertum proximósque milites irruit. Fit tumultus; & occurrentium cædes. At Robertus ferro intrepidè correpto, quanquam nudus galea loricaque, impetum sustinet, donec aduolantibus pluribus, hostis repellitur, & in munimentum suum retunditur. Dux ipse opportunus ferro vt erat, cedentem insequitur, magna strage edita; at dum incautiùs pugnat ad Basilicæ fores, patefacturus aditum suis, occiditur; malè inermi corpore prouocante ferrum. Nec Ranulfi fortunatior sors, in quem longius rationem pugnæ speculantem, emissa è turris fenestrâ sagitta, vulnus intulit, mortemque postmodum; pari fato audaciam, inertiamque plectente. Exercitus duce amisso, quasi truncum oculis caput, mœrore degenerante in metum, solutâ obsidione & ipse solutus est. Normanni hoc periculo liberi, naues repetunt grassanturque securius. Inde à Roberto cæso, ex Francorum metu ipsorum audacia increscente, Iuliomagum, Andegauorum primariam occupant, & ex loci situ, si munimenta accederent, inexpugnabilem rati, haud cunctanter manum admouent operi, vrbemque propugnaculis firmissimis, cinctam, & Meduana interfluente amne ad fossas deducto, iam bello insuperabilem, liberis vxoribusque traductis læti inhabitant; inde sparsâ in dissita loca populatione, ad sua facili & tuto receptu. Procellæ atrocitas in regionem omnem sæuientis, lugubresque pereuntium questus, excitarunt aliquando Carolum, vt inhærentem Regni visceribus luem abscinderet. Magno ergo apparatu exercitum legit, vrbemque statiuis positis, obsidione cingit stringitque; mox nouum incrementum copiis suis euocat, Salomonem Britanniæ Aremoricæ Regem aut principem; etenim cum Aremoricæ fines ad muros vrbis pertingerent, quos Meduana amnis alluebat, lege feudi commissi, debebat ad communem hostem repellendum communem opem adiungere; isque adducit plura Britonum millia, & ad ripam amnis castra ponit. Extemplo à Regis oppugnatio omni ex parte tentatur, machinarum omnia genera admouentur, vndequaque intentatur parata vis: verùm barbari loci situ munimentísque tuti & protecti, vim, ardorem, machinas, tanto animo atque solertiâ propulsant, & ludunt, vt cæsis pluribus, iisque fortissimis, ardens oppugnatio in obsidionem lentam desciuerit. Itaque quod fieri assolet, retusis primo impetu animis, longa morâ incessere languor & tædium; morbi postea vulgari, & in luem deficere; totusque exercitus à pernicie abesse propiùs. Britones tum pudor tum ea lues vrebat maximè, quos amnis interfluens, nauigiis hostium stratus, ab muri accessu procul amouebat, quare prælij impatientia, & pudore tam lenti & indecori exitij, rem aggrediuntur arduam porro, verum magnæ laudis & gloriæ. Quoniam amnis arcebat vnus ad muros aditum, cum vt auerterent, modico supra vrbem spatio, ductâ fossâ, nouum alueum aquis aperiunt, in quem iectæ vel abductæ, aluco veteri exsiccato, nauigia destituta, vrbemque haud munitam satis eo loci, oppugnatorum armis obiicerent. Primo Barbari ridere frustra susceptam operam, dein mirari pertinaciam, mox animaduerso consilio extimescere: tandem fælici laboris successu, amittendæ vrbis si auersus esset amnis certi: quippe eo consisi munimenta nulla erexerant, de-

Andegauum obsessum. Angers.

Mayne.

Anno 873.

ditionem

ditionem vrbis paciſcuntur, ingenti promiſſa pecunia, ſi ſibi ſuiſque ſaluis eſſe liceret; receſſuris ſtatim à Francia, nec belli causâ vnquam redituris. Admiſſæ conditiones à Carolo, acceptaque pecunia, repetitus nauigiis à Barbaris Ligeris; nec ideo Regno exceſſerunt, populationibus nouis libertatis pretium redempturi: Caroli facto laudis criminationiſque ambiguo, qui cupiditate pecuniæ perdendum hoſtem dimitteret; vel ipſi abeunti ſterneret pontem argenteum, & eiuſdem ſumptu. CAROLVS CALVVS.

IV. *Bella cum Britonibus.*

Nec vnam Carolus patiebatur Normannicam luem; & à Britonibus ſiue Aremoricis, multa in Franciam calamitas importata. Ludouico pio obeunte, Nomenegius ſiue Neomegius, fide Imperatori adſtrictâ, Ducis principiſve titulo regebat Aremoricam; mox inter fratrum arma ciuilia, vſurpato Regis titulo; & contemptu Caroli fide abiectâ, regem cœpit agere, Franciæque limites prædis atque incendiis populari. Ea opportunitas ex diſcordiis procerum, odiiſque Nomenegio nata. A Lamberto adminiſtrabantur prouinciæ, quæ à Pariſiis ad Cenomanos, inter Sequanam Ligerimque interiacent; is cum Viuiano viro opulento acerbis inimicitiis ſuſceptis, incautum dolo interficit, idemque haud multo poſt à Gosberto Comite Viuiani vltore cum multis aliis contrucidatur. Tunc enimverò Legati vindex Rex excitatur, captumque Gosbertum capitali pœnâ affici iubet. Inter hæc prouincia diſſidio Procerum rapta in partes, offenſioni externæ patuit. Britanni Nomenegio duce vel autore Ligeri tranſito ſe in Pictones effundunt, & fædâ populatione agris atque oppidis vaſtatis referti prædâ repetunt domos; Carolus tandem reſtitutâ frattrum concordia, deleturus infamiam in Britannos mouet, armatuſque in Aremoricam penetrat. Britanni occurrunt rem conflictu illico dirempturi; nec decebat abnuere pugnam qui aggrederentur. Itaque in eam itur magno vtrimque animo. Primi Saxones ad excipiendos Britannorum impetus obiiciuntur; ij in equitatu maximè poſiti: Etenim ea gens velociſſimis equis aſſueta, ad eorum cursum flexumque varium, induſtriam ſuam modúmque pugnandi, accommodauerat; modo loris actis inſtar grandinis effundi in hoſtem, mox momento circumflecti, & adurgere ferociter lateta, mox flexu conſumpto, in ſimulatam fugam præcipitari; at Parthorum inſtar, atque Hiſtricum, iaculari à tergo; moram iniicere perſequentibus; dein turbatis ordinibus, frontem obuertere, iterumque noua ludificatione laſſare hoſtem, atque perimere. Vix prima ſpicula collimabantur in Saxones, cùm hoc imbre territi in Francorum aciem ſe ſe recipiunt. Franci virili pectore, in dimicationem prorumpunt, ſed nihilo ſecius nouo pugnæ genere conturbantur, namque ſtatariæ pugnæ periti admodum, ſoliti cominus ſtricto ferro hoſtem impetere, ad diſcurſorium hunc volatilemque martem percelluntur; cùm ferirentur vndique, nec ferirent; cùm & firmi in gradu, paterent iaculis, nec ad inſequendum effuſi ea declinarent; nunquam compotes hoſtium, ferro ſicco atque inutili morientem dextram onerante. Ita ad mortem dimicatum; Francorum multis interfectis, pluribus ſauciis, magnâ equorum transfixorum ſtrage. Poſtridie rurſum capeſſitur prælium, exitumq; haud abſimilem primo ſortitur, Francis fortitudine an deſperatione ingenti fugientem

Anno 845.

Equites Aremorici.

CAROLVS CALVVS.

victoriam promerentibus, obstinatisque animam ponere, quam insequentibus terga obuertere. Nox occumbens cladem potius quam pugnam diremit. Mane Franci, comperto primis tenebris regem profugisse, & admodum ignominiosè, relicto tentorio cum regio instrumento, pauciſſimis præ terrore fugæ comitibus; & ipsi correpti formidine receſſum instruunt. Verum Britannis in castra irruentibus, in apertam fugam effusi, se ferro hostium & castra direptioni obiiciunt; occisi plurimi, multi capti, prædaque è castris opulenta rapta: tanti apud Francos momenti Rex vnus est, cuius exemplo vincunt & vincuntur. Hac victoria datæ Nomenegio ad crudelitatem omnem habenæ, quibus indulgens intemperantius, Franciæ fines sæuè depopulans, præcipuè vexans Andegauos sibi conterminos, diuinæ iustitiæ pœnas dedit. Equum ad expeditionem eiusmodi conscendebat, cum spectat astantem Maurilium Andegauensem olim Episcopum truci aspectu, toruisque oculis minitantem fuste, & dicentem; Crudelis prædo iam desine Ecclesias Dei vastare, dein erecto fuste quem dextrâ præferebat, sibi in caput grauem ictum impingere; quo repente corruens, sacrilegiis simul & vitæ desiit. Herisponius patri in Regnum succeſſit, statim nouo bello tentatus à Carolo, sed paruo admodum effectu pace duntaxat conciliatâ; ita vt Herisponius abstineret à prædationibus fidemque hominij præstaret Carolo. Verum & in aliam Britanniæ partem admissus est Salomon, iisdem conditionibus, Rege vel donante, quæ raperentur negata; vel æmulos componente, qui metu atque inuidiâ mutuâ Franciæ rebus consulerent. Ita breui nata inter pares dissidia, quibus impar Herisponius Salomonis dolo è medio tollitur; vniuersa Britannia peremptori cedente in necis pretium. Eratque Salomon, formâ regiâ, procero corpore, & augusto vultu, animi strenuitate cæterisque dotibus, regno dignus; nisi hæc bona cupiditate præcoci corrupisset. Confestim Carolus, Herisponij, cuius in Franciam inclinatior mens, necem vlturus, tertiam expeditionem in Britannos parat; attigeratque prouinciæ limites, cum certior factus eum totis viribus ad præliandum occurrere, memor sortis prioris mutari bellum pace haud ægre passus est; Salomone clientelarem fidem iurante, & admisso sine consorte in vniuersam Britanniam. Salomonem postea necati Herisponij assequuta est pœna, à Pasquitano & Vrfando ducibus suis dolo interfectum. Ideo rursum in ciuiles discordias Britannia ruit, vtroque duce specie partium totum ambiente. Porro hic lubet, Vrfandi facinus, vnum alterumve adscribere, quando è priuatorum laude gentis gloria constat; nec historiam in Regum vitiis disertam, in aliorum virtutibus mutam esse oportet.

V. *Vrfandi Britanni facinora.*

Igitur ipsum inter & Pasquitanum ortâ discordiâ, Pasquitanus auxiliares Normannorum copias pecunia comparat, iámque præpollente exercitu in æmulum mouet. Qui ab Vrfando stabant, virium inæqualitate perspectâ, regnique partem maximam Pasquitano adhærere, & ipsi turpi metu correpti, crebris transfugiis ad eum transeunt; armatis mille duntaxat cum Vrfando perstantibus; & ij quidem tametsi fido & præsenti in ducem animo, tamen ne fides ad temeritatem stultam accederet, impensè rogant

saluti

ſaluti ſuæ vt conſulat; certum & inſuperabile mortis periculum, in tantam hoſtium vim paucorum fortitudini nihil loci eſſe, paratos ſe ipſius vitam corporibus ſuis tegere, mortemque in ſalutem eius opperere; ſed parcendum inani operæ, ſeruandoſque meliori ſorti tam fidos milites. Ad ea prudentiùs quàm fortiùs Imperator dicta; *Abſit, Commilitones, vt res ante geſtas fugâ turpi commaculem, ab annis teneris quibus ad militiam memet applicui, id vnum obuerſatum eſt menti, mori aut vincere; poſuiſſem male tranſactam ætatem, niſi per tot victorias mori didiciſſem; hac prima tironum prælectio, mortem contemnere; quid eam veterano mihi & indurato vt pauendam ingeritis? Didici morte ignominiam terribiliorem, nullamque militi eſſe præter fugam; quare à fuga dimouete me & abſterrete omni conatu; à morte, ne cogitatione quidem abducite; qua ſi vobis terrori vel formidini eſt, per me licet abſcedite, ducem veſtrum deſerite; hic ſolus in veſtigio fixus hærebo, mortis intrepidus; eritque mihi à qua fuga fugiet longè chariſſima; ſin eſt animus experiendi mecum diſcriminis, induamus fortitudinem mortis contemptu terribiliorem; illam præſtemus hoſtibus; aderit forſan morituris victoria, paranda virtute non numero, nec magna vnquam patrans niſi per parua.* His dictis incenſi milites orant quo vellet duceret, ſanè facturos ſuo ſanguini pretium hoſtium ſtrage. Ad Condatem Rhedonum pugna conſerta eſt, qua mille homines in triginta millia dimicarunt. Ex templo Vrſandus cuneo facto in confertiſſimam hoſtium aciem abditur, ſpiſſis ordinibus ſequuntur milites; quoquo ſe vertit, detruncata membra, cæſaque capita demetit ferro; modo recta fronte obuios mactat, mox ad dextram verſus, mox ad læuam, humum latè cadaueribus ſternit, certamque victoriam quoquò ruit parat. Paſquitanus poſt irrita tentamenta, amiſsâ iam palmâ ſalutis dubius, ſuorum aliquot receptis è prælio, terga vertit; mirantibus qui vicerant, tantum ſtragis à tam paruâ manu edi potuiſſe. Cœpit à victoria tentari morbo Vrſandus, eoque ingraueſcente vitæ periculum imminebat; vnde animus Paſquitano factus ad nouandum bellum: conſcribit exercitum, plures ab æmulo abducit, deſperatione morbi abiectos, iamque inſtat propius, ægrum ac ſocios nullo periculo acturus in vincula. Ad Vrſandum ſupplices veniunt milites, quo res in ſtatu ſint decumbenti renunciant, vnam ſuæ ac ſuorum vitæ rationem eſſe, ſe abduci ſinat; aut ipſe aperiat, quid præſenti malo factum oporteat: ille intrepidè, capeſſendum prælium, & proterendos hoſtes, ſi veniant; iubet vexillum ſuum tot inſtructum palmis, laureiſque proferri, ad cuius ſpectaculum abſceſſuros hoſtes ab acie, ij vrgere vehementius, vti abſcederet, nam de pugna deſperatum eſſe, quam eo abſente inire, nemo præſentium auſit. Tunc fortiſſimus vir magnitudine animi morbum profligante, viribus labentibus ab corpuſculo ægro reuocatis, iubet ſe vt erat, quando nec ingredi, nec ſtare equo, morbi atrocitas ſineret, decumbentem lecto ferri in aciem: mox primo in ordine hoſti oppoſitus, amotiſque lecti ſipariis, vt pugnantibus ſpectaculum foret: victis fuſiſque hoſtibus lauream retulit. At quæ mortalium rerum leuitas eſt, dum ab milite domum reportatur, vel morbi inclementiâ, vel gaudij copiâ, animam egit: vno lecto in quadrigas, vſus & feretrum: dignus Imperator qui ſi minus ſtans

mortem

CAROLVS CALVVS.

mortem obiret, iacens quidem; sed in vlnis victoriæ moreretur. Pasquitanus itidem ægritudine periit. Diuisa mox inter Alarum Pasquitani fratrem & Indicheilem Herisponij nepotem ex filia, Britannia fuit; at Indicheile interempto in prælio vniuersa prouincia in Alani ditionem venit.

VI.

Pipini iuuenis fors varia.

Istis vno spatio tametsi per plures annos gesta sunt, decursis; ad mala bonáve domestica Caroli venio. In quibus Aquitania de Pipino recepta, & Pipinus ipse in vtramque boni malique sortem adscribi possunt. Equidem Pipinus tam variâ fortunâ vsus est, vt in speculum humani ludibrij, iactationisque mortalium obiici queat. Pipino Ludouici Pij filio, Aquitaniæ Regi, duo erant filij; Pipinus & Carolus. Ille natu major, nescitur quo fato, magnæ Tragœdiæ argumentum, iam puer à patre destinabatur ad sacerdotium, breui tradendus in disciplinam Drogonis Metensis Episcopi, à quo scientias & Ecclesiasticas leges doceretur. Aderat Lotharius pueri patruus, cum ad clericatus suscipienda initia ex more crines attonderi oportuit, statimque puerili formâ commotus (erat enim spectabilissimâ pulchritudine) vi ereptum è ceremoniâ, priori vitæ restituit; redarguto patre quod tantæ spei adolescentulum sacris, hoc est, vt rebatur ipse, ignauis & ingloriis vsibus addictum vellet. Ab eo capite multa perperam facta & tolerata; eiusmodi victimis ab arâ abductis, vix vllius bonæ frugis capacibus. Mox à Patre in Aquitaniæ Regem designatur; sed ab eius obitu, Aquitania ab Ludouico pio traducta in Carolum; nouo Principi vita priuata hæreditas fuit. Postea Ludouici morte, excitatæ nouæ spes, & Pipinus ab Aquitanis pluribus in Regem lectus, Carolo æmulo negotij multum facessebat. Incremento spes auctæ, & ad fastigium ductæ, cùm Lotharius in Carolum magnâ vi mouit; & quanquam ad Fontiniacum profligatus, fœdere tamen cum victoribus inito, tum Austrasiam sibi, tum nepoti Pipino Aquitaniam impetrauit. Hanc felicitatem noua postmodum palma cumulauit, adblandiente fortunâ principiis, vt corrupto post exitu grassaretur acerbiùs.

Anno 844.

Carolus impatiens detractæ sibi priori fœdere Aquitaniæ, viam sternens qua inuaderetur, Bernardum Septimaniæ Comitem Majestatis reum vt plecteret, ducto exercitu, Tolosam caput Septimaniæ obsidione cingebat; in proximam Aquitaniam, si succederet res, gradum facturus: Lentam obsidionem vt premeret, nouum exercitum euocauit è Francia, militum flore ducúmque præstantiâ illustrem. Non ignarus Pipinus suum in alienâ pernicie instrui malum, expeditis & ipse copiis, aduentantibus Francis, ad Inculismam occurrit, commissoque prælio ingentem reportat victoriam, qua Hugo Caroli Magni filius, idemque infulatus, Richosus itidem Abbas & affinis Regum, Eccardus, Rauanus, pluresque Comites interfecti sunt; capti plures, in quibus Ebroinus Pictauiensis Episcopus, perinfensus Pipino, Ragenarius Ambianorum Episcopus, Comitesque haud pauci. Hac Laureâ solutâ vrbis obsidio, retrusus in Franciam Carolus, & Pipino adolescenti post facinoris gloriam, Aquitanorum amor, virtutisque opinio aucta immensùm. Consequuta pax nepotem inter & patruum stabiliuit victoriam; ea pace vniuersa Aquitania, præter Pictones, Inculismen-

ses,

ſes, & Santones, tradebatur Pipino; ſeruato iure ſuprémi dominij, & hominij fide à Pipino præſtita: Proceribus Aquitanicis qui à Carolo ſteterant, iam ad Pipinum tranſeuntibus, quaſi ad legitimum Principem, & indubitato iure imperantem. Ea omnia fauſta ſors confecit, ne in hanc Pipinus calamitates coniiceret, quas ingenio ſuo atque ſocordiæ debuit. Namque pace partâ, vino & voluptatibus marcidus, turpi otio ſolutus ad libidinem, tantam infamiam & contemptum contraxit, vt eiurante indignum principem toto Regno, euocatus ſit ad regendam Aquitaniam Carolus. Conueniunt Aureliam Epiſcopi omnes, Abbates, & Comites, & damnatâ Pipini ignauiâ, præſentem Carolum, nec renuentem, quod ſine dubio magna arte promouerat, in Regem Aquitaniæ eligunt, lectumque vngunt atque inaugurant; mox inſtruenti copias Carolo, vt nouum regnum inuaderet, opportunitas noua bene gerendæ rei obiecta eſt. Carolus Pipini frater, qui hactenus apud Lotharium patruum egerat, ab eo vel profugus, vel dimiſſus, properabat in Aquitaniam, res abiectas fratris erecturus; verùm in itinere comprehenſus, & perductus ad Carolum, à quo id nominis in ſacro fonte habuerat, ſtatim vt perduellis capitali pœnâ damnatus eſt: memor tamen affinitatis in baptiſmo initæ Carolus, Rei vitæ pepercit; idemque ſeu ſponte, ſeu impulſu Caroli Carnuti in Regni conuentu attonſis crinibus in Clericum inauguratus eſt, palam profeſſus id ſe nullo cogente, vno ſacrarum rerum ſtudio, perfeciſſe. In Aquitaniam progreſſus Carolus, vniuerſam ſubegit, Pipino profugo, ſeramque pœnitentiam in terras proximas circumferente. At dum vagatur, Samio Vaſconum Regi ſuſpectus, ab eodem capitur, & Carolo Regi poſtmodum traditur. Viſaque eſt inclinari ad Cataſtrophen ſcena, eo Sueſſione tonſo in Monachum, & eiurante cum cucullo ſpem regni. Etenim quia præter regni iacturam, turbulento animo malè cùm ſolitudine erat; nouas res meditans, duos indidem Monachos in ſententiam ſuam perducit; quorum ope clauſtra effringeret, & in Aquitaniam cum iis fugeret. Sed Carolus malè tecti conſilij gnarus, indicta Sueſſionem Synodo, Monachos illos moueri Sacerdotio curat, & Pipinum ad iuſiurandum nouum adactum ad vota nuncupanda, & diſciplinam religioſam obeundam cogi. Nihilominus Pipinus anno altero poſt emiſſa vota fugam accuratiùs moderans, cœnobio clam ſe ſubducit, & aduolans in Aquitaniam, orta ex miſeria miſeratione, magnam prouinciæ partem ſibi adiungit; & mox Carolo Caroli Regis filio ex Aquitania depulſo, totam regionem ditioni ſubdit. Annum vnum alterúmve rerum potitus eſt, donec moribus ad priora vitæ flagitia relabentibus; quæ priùs, tædium & contemptus, Aquitanos occupant, vnoque momento Regno deturbatur, euocato rurſus Carolo Patruo. In hac rerum deſperatione, Normannis barbaræ illi ac ferociſſimæ genti ſe tradit, ductorque eorum, prædo iam publicus, latas fœdaſque prædationes exercet; imò vt ſcelus ſceleri gradus eſt, eiuratâ religione per ſummum nefas, quod è ſanguine Regio à Clodouæo nullus patrauerat, perfidus iuuenis ad colenda Idola Normannorum ritu traducitur; tam prope diſtant ab cucullo & à baptiſmo defectio. Ita cum Barbaris truculentam vitam ſeptennio egit,

CAROLVS CALVVS.

Anno 848.

Anno 852.

Anno 857.

CAROLVS CALVVS.

egisſetque diutius, niſi ab Aquitanis interceptus, dum populationibus hoſtium præeſt, Carolo traditus eſſet; apud quem à Proceribus in conuentu damnatus, vt proditor Religionis & Regni; morti addictus eſt. Quam inhibitam Carolus perpetuâ mutauit cuſtodiâ, in arce Siluanectenſi; in qua vltimo tandem tragœdiæ actu, purpuratus hic nebulo, tædio carceris in furorem actus eſt; & vitâ inconſtantiſſimus morbi conſtantiâ deſiit viuere; nec bonâ ſorte nec malâ melior: prauo affectu tam valetudinem quam remedia ipſa corrumpente.

VII. *Miſer ſtatus Franciæ.*

Inter hæc ſtatu Franciæ deploratiſſimo, nouæ calamitates emergebant in dies: iam nulla Regis authoritas, nulla legum aut Magiſtratuum, reuerentia, vi armatæ licentia omnium, prædonum impunitate, obnoxia prædis cædibuſque itinera; factiones Procerum, & priuata bella, ciuitatum rebelliones, & per cunctos graſſans furor cupiditatis, libidiniſque proteruia. Ideo Carolus defectionis vniuerſæ metu conuentum Regni in villâ Anno 856. Cariſiaco habuit; vbi actum de reformandis ad inſtituta veterum moribus, miſſâque ab Rege ad populos reformationis capita; vt plagas animorum deliniret ſpe, ac demulceret. Verùm morbo abſumente remedia, ſeorſim Anno 858. Epiſcopi Comiteſque conueniunt; remque aggreſſi aleæ periculoſæ; Eddelartum Abbatem & Othonem Comitem legant ad Ludouicum Regem Germaniæ, quem rogant Francorum nomine, *Quando Caroli regimine prauo atque ignauiâ, res Franciæ publica perderetur ac peſſundaretur; vellet ipſe Rex itidem Franciæ, magnique Caroli nepos dignissimus ſuſtinere labantem, & in præceps raptæ moram iniicere; finem nullum eſſe tot calamitatum, nec poſſe ſperari dum Carolus Regnum obtineret: intolerabilem eius tyrannidem, iam exhauſtam ſubditorum patientiam: certumque niſi Chriſtiani Principes ſubuenirent, ſe à quibuſcumque vel Barbaris atque Ethnicis, quamquam periculo fidei, arceſſituros opem atque ſolatium.* Hæſit mentis ambiguus Ludouicus ad poſtulata, quid ageret; hinc animi temperantia à cupiditate omni aliena, pudor obruendi fratris & imparati; exemplum defectionis quæ & in ſuos propagari poſſet; incertus expeditionis euentus, à nouis ſtudiis auocabant: inde miſeratio Franciæ, incenſa poſtulantium vota, periculum repulſæ, ſuboriens clam magni regni cupiditas, præcipuè aulicorum vanitas atque ambitio, ad ſuſcipiendum iter impellebant. In hanc partem verſus, illecebroſâ & blandiente ſpe, Rheno tranſmiſſo in Franciam venit; armatos quidem ducens, ſed cohibitos freno diſciplinæ, quaſi in ſuo non in alieno degentes, néve qui adeſſet curaturus veteres plagas, curatione nouas infligeret. Ea moderatione Atiniacum venit, bellumque quaſi vaginâ reconditum premens, ciuilibus togatiſque remediis ſanaturus Rempublicam, Epiſcoporum Concilium Atiniacum indicit, vt in bonum publicum conuenirent animi atque induſtriæ. Eo tempore in Regni finibus bellabat Carolus in Normannos, ſecurus admodum iſtarum artium, & auersâ ab domeſticis malis cogitatione. Epiſcopi Prouinciarum, Rhemenſis & Rothomagenſis Ludouici aduentu commoti, conueniunt Cariſiacum, reque ſeriò perpensâ, quæ Ludouicum Regem exciuiſſet, quantumque prona ad Regni perniciem ea eſſet; ſiue anteà vocantibus Regem haud conſenſiſſent, ſiue conſilij ſub

Ludouicus in Carolum fratrem excitatur.

ipſam

ipſam aleam pœniteret, vna omnes mente decreuerunt non conuenire ad Synodum, legatoſque Venilonem Archiepiſcopum Rothomagenſem & Exchantraum Catalaunenſem Epiſcopum ad Regem miſerunt; qui abſentiam ſuam excuſarent, & admonitione inſinuarent, quâ perfringeretur cupiditas Regis, & impelleretur ad Germaniam repetendam; relicto Regno prudentiæ Caroli, cuius poteſtas atque Imperium vni Deo obnoxium foret. Ludouicus aſpernatus hæc monita, impellentibus ſuis expedit ferrum, ſigniſque prælatis vltra progreditur. Confeſtim magna rerum conuerſio fuit; prouinciæ, vrbes, & oppida certatim ad Ludouicum deficiunt; vna omnium mens Carolum Regem, vt noxium abiudicandum, admittendum fratrem, qui fortitudine atque prudentia & externis malis & internis mederetur. Id porro factum Comitum fraude, penes quos erat vrbium regimen, qui plurimorum criminum conſcij, ne in pœnas vocarentur à Carolo, & legationem ad Germanum adornauerant, & populos ſpe nouarum rerum, veterúmque tædio, ipſi adiunxerant. Carolus repentino perculſus fulmine, nec copiis fidens quas ducebat, ad Ligerim clam ſe ab iis ſubducit, & in extremam Aquitaniam profugit, Superum hominúmque fidem conteſtatus, qui ſuorum proditione, atque Germani fratris cupiditate, per ea nomina quæ ſanctiſſima eſſent grauiſſimam acerbiſſimamque iniuriam pateretur. Illico fugam Regis aduertens exercitus, ad Ludouicum defecit. Iamque is Regni compos, Senones venerat, & ad ſpecimen moderationis exercitu in Germaniam dimiſſo, cum Proceribus ad componendam Rempublicam applicabat curas; cùm inopinata conuerſio & fugitiuum Franciæ reddidit, & dominantem ab ea depulit. CAROLVS CALVVS.

VIII. *Carolus Regno reſtituitur.*

Quæ cauſa tam inſperati ſucceſſus, haud ſatis comperta; ſiue Francorum quædam in bonum leuitas, emendantium ſtatim quod leuitate peccatum eſt; ſiue imperitia Ludouici, teneras mentes manu leui haud ſatis tractantis: ſiue Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi addictiſſimi Carolo, bonæ artes: vt æternæ prouidentiæ decreta ſileam: ſane facilius receptus eſt regno, quam pulſus Carolus. Pœnitudo Procerum prima leniuit impetum vulneris, cum à Ludouico non impetrarent ſatis quæ præcepiſſet cupiditas; tum fouit Ludouici iam inermis contemptus, nam recens parta, non permittenda ſtatim fidei ſuæ; tandem Soraborum defectio glutinatio vulneris fuit, auocato in Germaniam Rege, ne alienis inhians, ſua deperderet. Ergo Ludouicus, nuntiatâ rebellione, gnarus quid mouerent Proceres Caroli gratiâ, infirmuſque abſente exercitu, ad diſturbanda eorum conſilia; celerius quam venerat exceſſit è Francia; facta ſpe reditus, ad dignitatis ſpeciem, multíſque ſanitis, quæ ad occulendam fugam conducerent. Iamque Carolus ab Aquitania Procerum ſtudiis reuocatus, copiis auctus certatim confluentibus, armatus aderat; cùm vacuo Regno omnium plauſu & gratulatione excipitur; ab abſentia charior; & odio per calamitatem purgato. Nihilo tamen minus expoſtulat apud Nicolaum Pontificem recens inauguratum, & apud nepotem Ludouicum Imperatorem: quòd Ludouicus frater, nullo præter cupiditatem impulſu, cum

CAROLVS CALVVS.

exercitu inuasisset in Franciam, Regemque legitimum eiecisset: & ab vtroque litteræ in Germaniam scriptæ, quibus admonebatur Ludouicus, ne quid in alienum per ambitionem tentaret, malè cœpta abrumperet, & quantum liceret nouo facto corrigeret; dedecere Principes armis decertare, quos nexus sanguinis, ac multo magis fidei vinculum colligasset. Quibus Ludouicus permotus, simul quod Carolus præ se ferebat vindicandam iniuriam, nepote Lothario in partes suas adiuncto; perterritúsque Francorum Episcoporum Legatione, qua diras comminabantur, nisi satisfaceret fratri, ab eorundem Legatis expetiit, vt ad reparandam concordiam, quæ oporteret exequi, ipsi imperarent; paratum se vel duris conditionibus, præstare omnia quæ necessaria viderentur. Quocirca Episcopi ex Regnis Caroli atque Lotharij Metas conueniunt, nobilémque ad eum legationem adornant, ex tribus Archiepiscopis Rhemensi, Colonienſi & Rhotomagensi aliisque sex Episcopis; qui Vormatiam ad Regem se conferunt, repertumque ad concordiam pronum, prioris noxæ absoluunt, tum ad pacis stabilimentum impetrant, vt cum Carolo atque Lothario in colloquium veniat. Itáque factum Veris initio; selectus colloquio locus, modica in

Anno 859.

Rheno insula, iuxta Ateruacum Castrum, in quam Reges singuli, cum paucis admodum, & inermes, vecti nauigiis appulsi, cætero comitatu ad ripam relicto, diu de præteritis per futura emendandis egerunt; ac cum plura capita, deliberanda amplius forent, dilata sunt in proximum conuentum Basileæ, à tribus Regibus celebrandum. Interim Carolus ex vtroque Regno tum Lotharij tum suo nouam Episcoporum Synodum Tullum indici curat; apud quos magno numero contractos, grauiter de Vvenilone, seu de Guenilone Archiepiscopo Senonensi apud Patres conquestus, in eundem libellum propriâ manu accusatorium tradit; cuius id argumetum. *Quod Vuenilo merâ Regis beneuolentiâ prope à puluere in sublimem Infularum promotus apicem, tam ingrato in dominum & quidem beneficentissimum fuisset animo, vt vnus inter omnes Franciæ Præsules, Ludouicum per proditionem in Regnum Caroli euocasset, cum eo communicasset consilia, omnium quæ idem Rex patrasset in fratrem, autor perfidus & nefarius artifex.* Patres reo ad disceptandam causam diem dixerunt, ne pœnas inauditus subiret: quas autem subierit mihi incertum, cum quidem constet de iudicibus electis à Synodo, qui erant Archiepiscopi Remigius Lugdunensis, Vvenilo Rhotomagensis, Erardus Turonensis, Rodulphus Bituricensis: at de iudicio silentium sit; sane is Guenilo damnatus est à posteris tam insigni odio & Vatiniano, vt proprium nomen ad turpissimam rem significandam vulgatum sit; idque Guenilo sonet qui proditor; maximè postquam Turpini fabulis persona Ganetonis proditori Caroli magni affixa est. Tandem anno proximo celebratus est Confluentiæ ab tribus Regnis numerosus Conuentus, in quo sancita Reges inter Ludouicum, Carolum & Lotharium nepotem concordia; quæ placuerant iureiurando firmatis, ne in posterum alter in alterius regnum vel armis inuaderet, vel consilio quid detrimenti inferret; imo se ope mutuâ iuuarent inuicem; iique forent omnibus hostes qui singulis. At eam concordiam malè sartam & tectam docent querelæ ad Nicolaum Papam

Vuenilo in pœnam vocatus.

pam ab Ludouico & Lothario missæ; quibus Carolum violati incusant fœderis, prauo quorundam consilio, quos in communem Regum perniciem incubare expostulant; rogantque Pontificem, vt si commodum foret, transiret in Franciam, ad pacem instaurandam, & annectendum malè cohærens sanguinis vinculum. Sed mox Lotharij pro Valdrada pugnæ, & Caroli pro Hincmaro Rhemensi Antistite, sanctum Pontificem in vtrumque Regem concitarunt. De Lothario quando rem perscripsi, hîc de Hincmaro pauca. CAROLVS CALVVS.

IX.

Rhemensis Ecclesia, abdicatione Ebbonis, læsæ maiestatis in Ludouicum Pium damnati, defecta capite, adepta erat in Hincmaro nouum; is enim Monachus in sancti Dionysij, postea præfectus Cœnobio sancti Germani, doctrina & pietate conspicuus, voto Caroli cui acceptissimus erat, in infulas eas promotus est. Idem postea Ebbone mortuo, synodum Episcoporum Suessione haberi curauit, in qua ad delendam eiusdem Ebbonis infamandamque memoriam; quos ipse ad sacerdotium & ad ordines sacros admouerat, dum ab Lothario in sedem pristinam restitutus esset, ij sacris expuncti, inter laïcos profanosque reiecti sunt; & probata calculo nouo electio Hincmari, æmuli memoriâ prorsus damnatâ. Hanc synodum vt confirmaret Pontificia sedes, cùm ab Leone Hincmarus non impetrasset; postea à Benedicto successore vt haberetur rata, non tantum obtinuit oblato dolo; sed etiam quædam in Pontificiis tabulis, interpolatione scripturæ, vt arguebatur, ad nutum addidit, atque abrasit. Inde Regis gratia, partaque ex scientiis, & dignitate summa authoritas, virum natura elatum, quemque modica non satis caperent, ad vsurpandam in Episcopos Franciæ potestatem atque imperium concitarunt; quam & ob rem orta discordia ipsum inter & Rhotaldum Suessionensem Episcopum, magnâ iam ætate, & vitæ inculpatæ Præsulem; cùm alter libertatem opprimeret, alter tueretur, perdendi æmuli consilium iniuit Hincmarus. Eam in rem primum à Nicolao Pontifice Suessione Synodi confirmationem, ad stabilimentum autoritatis, multas post artes laboresque insumptos, per fraudem impetrat; tum quod ante clam comparauerat, nouam Synodum Siluanecti indicit; in qua Episcopis ad sententiam suam adductis, Rhotaldum Episcopum doli ignarum accusatum simul damnatumque ob leuia & falsa crimina, maxime quod Sacerdotem quendam abdicasset, amouet gradu & dignitate, & contestatum innocentiam suam, imò & Sedem Apostolicam appellantem in Cœnobium quasi in carcerem abdit. Res ad Pontificem delata, tum ipsius Rhotaldi expostulatione grauissimâ, tum aliis plurimorum litteris, tyrannidem Hincmari quiritantium; Synodo ab Pontifice ipso Romæ collectâ, planè damnata est & abrogata Synodus Siluanectensis, iussus restitui in pristinum gradum Rhotaldus; ni malint qui accusarent, vna cum ipso Romam ad disceptandam causam venire. Verum Hincmarus, quod superborum est, pertinacior, non tantum ipsi Pontifici detrectat obsequium, Rhotaldo nequaquam misso; sed & Regem Carolum secum in errorem tractum, Pontifici seu scutum obiicit, compositâ per nefas Pontificiâ authoritate cum Regiâ; periculosæ discordiæ semen, nisi causæ iustitiam Nicolaus

Anno 845.

Propter Hincmarum turbæ.

Anno 853.

Zenlis.

Anno 863.

CAROLVS CALVVS.

prudentia & patientia contemperasset. Augebat offensionem Regis, quod Iudithæ filiæ Balduinus raptor, Romam profugus, asylo Pontificis tegebatur, charitatis munus in contumeliam vertente Hincmaro; tenuitque triennium eiusmodi contestatio; Nicolao per litteras Regem atque Hincmarum adurgente; iisque contra fas per contumaciam animi, ius atque æquum negantibus. Tandem Hincmarus quà facti inuidiâ, qua satietate vindictæ, Rhotaldum emittit custodiâ, patitúrque Romam profectum, dictumque innoxium, Ecclesiæ suæ restitui; Arsenio legato in Franciam misso, qui & Valdradam ab Lotharij lecto depelleret, & Rhotaldum in sedem suam reponeret; idque perfectum tanto pudore superbiæ, quantâ humilis innocentiæ gloriâ. Nec in eo pœna arrogantiæ desiit. Nam iussu Pontificis instauratâ lite Clericorum, qui ab Ebbone quondam instituti, postea ab Hincmaro depositi essent; iidem & Synodo Episcoporum & auctoritate Nicolai restituti in integrum pristinis gradibus instaurati sunt; Hincmaro grauiter increpito, ob iniuriam illatam & interpolata Benedicti diplomata; ita veritas erumpit è tenebris, simulque mendacium in lucem profert. Quod autem de Iuditha Carolus questus est, rei initium eiusmodi fuit. Edilulphus Anglorum Occidentalium princeps, Româ rediens captâ per Franciam viâ, in Iudithæ Caroli filiæ amorem arserat, eamque impetratam in coniugem secum in Angliam duxerat; Regis nomine auctus ob dignitatem coniugis. Eo haud multo post vita functo, Iuditha vidua possessionibus quæ in dotem cesserant venditis, amore patriæ renauigauit in Franciam; ac reginæ cultu & titulo Siluanecti agebat, sub Episcopi curâ tuteláque Regia, vt si animus foret ad secundas nuptias conuolandi, eas arbitrio Patris legumque præscripto conficeret. Etenim quia viduæ intemperantius amant quam virgines, amoris mutui Iuditham inter & Balduinum Comitem, orto incendio, violata sunt illico tùm pudoris, tum custodiæ gemina claustra; Iuditha continuo mutata veste fallente custodes, & amatorem sequente; imparem quidem natalibus, sed iuuentutis philtro gratissimum; communi raptûs flagitio; tum iuueni, qui Regis filiam, clam patre, domo proriperet; tum fœminæ, se ad raptum præbenti, & inferenti vim vt pateretur. Furtum promòuit Ludouicus frater, cuius ope fraus custodibus facta, & sororis fugâ incolumis. Vulgato facinore, Carolus contumelia percitus, sententia Episcoporum, tum Balduinum raptorem, tum Iuditham sua sponte raptam, diris Ecclesiæ perculsos, acerrimè perquirit atque persequitur; & confugientes in sinum Pontificis reposcit in pœnam. At Nicolaus, appellatam sæpius clementiam Regis, tandem vicit, confectâ Balduino veniâ, & facultate coniugij quod præripuerat. Imo ex commendatione Pontificis, coniugati à Carolo perbenigne excepti, donatusque Balduinus ampla in Belgio ditione, à quo & Flandrensium Comitum arcessunt originem, tarò pœnâ assequente ista flagitia, quæ venia ipsa emendantur, & comprobatione dispereunt.

Anno 866.

Anno 856.

Iuditha à Balduino rapta.

Anno 862.

X.

Carolus Lotharingiam occupat. Anno 869.

Carolum in gratiam Nicolai redditum, mox ambitio cum successore Adriano, in nouas turbas & discordiam impulit. Lothario nepote in re-

ditu

ditù Italiæ, vt ſupra ſcriptum eſt, morte terribili è viuis rapto, extemplo Carolus in Regnum eius oculos adiecit, inflammabat cupiditatem adipiſcendi facilitas; quod Ludouicus Imperator demortui frater, procul, in Italia Saracenico bello implicabatur. Præterea Ludouicus Germaniæ Rex, graui morbo in Bauaria conflictatus, futurus obici haudquaquam erat; & Lotharius ſine prole maſculâ præter Hugonem ſpurium obiens, propinquiori, nullis ſcriptis tabulis, opimam hæreditatem reliquerat; quem ſe ipſe Carolus affirmabat, cùm Lotharij fratris non nepotis, ſucceſſionem aſſereret. Ergo vt ius poſſeſſione firmaret, inſtigante Hincmaro & promouente, in Auſtraſiam venit, Metaſque primariam vrbem progreſſus, ab Aduentio Epiſcopo, celebri pompa excipitur; & aduocato Epiſcoporum concilio, Rex Lotharingiæ dicitur, coronatur, atque ab Hincmaro inauguratur: Nec malè Synodus prædatoria dicta, quæ alienum raperet, & expilatâ hereditate inuaſorem ditaret. Carolus Metis Aquiſgranum venit Regum ſedem, maximáque Procerum parte aſſentiente, vt capeſſeret Regnum, Treuirenſibus, & Colonienſibus dedit Antiſtites, illis Bertulfum Aduentij nepotem, iis Hilduinum Abbatem; prioribus dudum Nicolai ſententiâ electis. Hæc tam repentina inuaſio, tum Ludouicum Imperatorem in Saracenos bellantem, tum eius nomine Adrianum Pontificem, tum Ludouicum Regem Germaniæ; in Carolum exciuit. A Germano primum maximumque obiectum repagulum. Is re nunciatâ, quia per morbum feſtinare non poterat, confeſtim legatos mittit, ad Carolum; qui expoſtulent occupatum priuatim, quod commune foret; tantum iuris ipſi in hæreditate nepotis, quantum Carolo eſſe; rogare ſe vt quàm primùm ab Lotharingia abſcedat, dum reddita valetudine ipſe adeſſet, ſimulque conſulerent, quid vtriuſque commodis magis conduceret. Non ea erat cupiditas Caroli, quam legatio vna infringeret; immotus in ſententiâ perſtitit, Coloniamque præcipitantiùs venit, diſturbaturus noui Epiſcopi inaugurationem, quem Ludouicus Rex per Moguntinum Præſulem in Hilduini locum ſubſtituerat. Interea Ludouicus morbo recreatur, & iam comploratus, effusâ in pauperes, locupletiſſima gaza, cœleſti ope conualeſcit; nouoſque nuntios Luitbertum & Alfridum notæ prudentiæ Antiſtites ad fratrem legat, daturos optionem abſcedendi à Regno, aut pro eo dimicandi. Carolus certior fratrem adfuturum, corrupta ſpe morbi, nec auſus cum integro fratre ſe ſe committere, id fraternæ beneuolentiæ & charitati datum aſſimulans, receſſit in Franciam; Marſano oppido conſtituto, in quod conuenirent, de communi re deliberaturi. Idque anno ſequenti perfectum, eoque loco æquis partibus duos inter Reges Lotharij Regnum diuiſum eſt; vt accederet Carolo cum Heriſtellio pars contigua Franciæ; Ludouico cum Aquiſgrano, quæ ad Rhenum & Germaniam vergeret; intercedentibus fruſtra Adriano Pontifice; & Ludouico Imperatore: Quippe cupiditas oculatiſſima eſt, ſed auribus manca; & ad voces omnes, niſi quas ingerit metus, immota. Nam antea Adrianus, vbi primum Caroli inceptum innotuit, Legatos ad eum miſerat, conteſtatum ne in alienum Regnum inuaderet; Lotharij Regnum ad Ludouicum fratrem ſpectare, qui ſanguine

CAROLVS CALVVS.

Quare cum fratre diuiſit.

CAROLVS CALVVS.

guine coniunctissimus foret; præterea diras Pontificias minabatur; tum Regi tum Episcopis, qui eiusmodi inuasionem, vel promouerent vel non impedirent. Sed huiusce legationis adeò ratio habita nulla est, vt Carolus Merensi Concilio in Regem vnctus Regni iam potens, ne penitus flocci habere videretur Pontificem; & suos ad eum cum muneribus miserit; qui docerent, calculis omnium Regnum oblatum; reique peractæ nullum esse consilium; attamen honoris causâ gestorum confirmationem ab ipso peterent. Inter hæc cum in partem Regni Ludouicus Germaniæ admissus esset; ad vtrumque nouam Legationem adornauit Pontifex, deditque litteras tum ad Reges, tum ad Episcopos, Regnique Proceres, quibus in facti iniuriam acerbe inuectus, rogabat, admonebat, comminabatur, vt ab iniuriâ auctores desisterent, fautoresque nouis consiliis contumeliam tantam persanarent; quæ ignominiosa Francis Regibus foret, si per eorum cupiditatem Ludouicus Imperator ea pateretur, quæ à perfidis Saracenis, in quos pro Christianâ Republicâ bellum gerebat; si intentarentur, ipsos patruos obiicere se se æquum esset. Verum ea Legatio tam frustra fuit quàm proxima; iam peractâ diuisione, inter Reges, eaque metu inuicem discussa. Imo Adrianum inter & Carolum ab Hincmari Rhemensis superbiâ nouæ turbæ, qui & scriptis audacibus ad Pontificem litteris, quem perturbatorem pacis appellabat, & contumeliâ in Hincmarum iuniorem Laudunensem Episcopum irrogatâ, spem concordiæ omnem abruperat. Quippe Hincmarus iunior senioris nepos, cum Pontificiam auctoritatem contra Regiam scriptis & verbis propugnaret fortiter, iamque inter ipsum & patruum doctrinæ quædam contentio foret, senior æmuli impatiens, accusatum iuniorem perfidiæ in Regem, dignitate expunxit, retrusit in carcerem, oculisque orbauit, per ministros impotentissimi odij. Quo de facinore conquestus sæpe litteris Pontifex, nihil boni æquiue impetrauit à Rege; Hincmaro perstante in vinculis, donec is tandem post Caroli obitum à Ioanne Pontifice, causâ in Synodo Trecensi cognitâ, famæ & dignitati, sed minimè oculis restitutus est: Magnâ interim Adriani laude, qui patientiâ pugnauit in contumaciam, nec morbo medicinam adhibuit; quæ toxicum foret.

Frustra repugnante Adriano.

XI. *Caroli liberi.*

Inter has molestias Carolus, domesticis etiam angustiis premebatur. Susceperat ex Hermentrude consorte legitimâ liberos tres, Carolum, Carolomanum, & Ludouicum. Eorum maximus Carolus in spem Regni educatus, nuper infelici casu perierat. Erat in omnium ore Albuini nobilis iuuenis robur corporis animique constantia; vtramque laudem Carolus vt experiretur an vinceret, iuuenili impetu & temeritate, Albuinum sub vesperam è venatione redeuntem, equo inuectum, solum solus aggreditur, tacituſque in eum impetum facit, arma & equum vi ablaturus. Albuinus robore longe præstantior, regium iuuenem haud difficulter profligat; primùm graue vulnus infligit capiti, tum equo deiectum aliisque plagis confossum, armis detractis & abducto equo, stratum humi cum anima luctantem deserit: & Carolus quidem grauitate vulnerum, paulo post obiit, vanæ temeritatis exemplum & pœna; Albuinus verò, comperto scelere, quod

Quorum maximus Carolus occiditur.

quod patrarat innoxius, sibi fugâ consuluit. Carolomannum qui proximus Carolo ortus erat, & paterna destinatio, & sua mox flagitia regno abdicarunt. Primâ ætate patris iussu ad munera sacra destinatus, in Clericum tonsus est, addictusque ad Ecclesiæ munia; dein ætatis incremento adstrictus ad Sacerdotium propius, in Diaconum quamquam inuitus ac reluctans, præsente patre & iubente fuerat initiatus; diúque eo functus officio, sacra mysteria celeberanti adstiterat, comes & particeps. At quia pietas malè ab nolente exigitur, iuuenis ætatis æstu, ad alia raptus quam quæ patri placerent, vim excusans, abdicat Clericum; eamque ob rem à patre ad Synodum Episcoporum delatus, eorum sententiâ vitæ priori restituitur: cui sententiæ nequaquam acquiescens, sed Romanum appellans Pontificem, in arctam custodiam Siluanecti traditur. Postea legatis Adriani compellantibus Carolum de restituendo Lotharij Regno, & adiunctæ sunt à Pontifice querelæ, quòd Carolomannum Pontificiam Sedem appellantem in carcere contra Canonum placita contineret. Quocirca Rex ne penitus exacerbaret Pontificem, imò concessione vnius repulsam molliret alterius, filium solutum vinculis, libertati restituit, secumque Lugdunum quo profectio erat deducit. Etenim iuuenis nullam libertatem præter licentiam sceleris ratus, in itinere se fugâ proripit, & adiunctis pluribus vel facinorosis, vel nouorum cupidis, quorum Francia nunquam indiguit; in Belgium venit, manuque armatâ fœdissimas direptiones exercuit, præcipue in loca sacra; quasi hac sæuitiâ Diaconi nomen expungeret. Inceptum iter tenuit Carolus, reque perfectâ Parisios venit, Carolomanno Lotharij Regnum deuastante, ac Mosonio castro expugnato. Nec propinquitas patris absterruit filium, quin scelera cumularet sceleribus; missâ quidem ad eum legatione pœnitentiæ specie, sed inani & dumtaxat ad laruam vitij. Postea tamen iniecta mora flagitiis, venitque in potestatem Caroli filius, quem ante Pipini Patruelis exemplo oportuerat sapere; & in eandem Siluanectensem custodiam traditus, Episcoporum conuenientium calculis, ministerio sacro vt indignus eraditur, & profanos inter & sacrorum exul ablegatur, moxque custodiæ restituitur. Erat id pœnæ genus, quo nec animo voluntas flagitij, nec facultas corpori tollitur, imò eâ Carolomanno atque consortibus magna spes facta noui turbamenti; siquidem dicere atque affirmare, iam Carolomannum eiurato gradu, quem vi admiserat, Regni capacem; euulsúmque repagulum, quod inimici regio iuueni, scriptâ innataque lege, ad Regnum vocato, opponebant inuidiâ. Nec dubitabant turbidi homines profiteri, eductum vbi copia foret carcere iuuenem, se restituturos natalibus, dicturosque Franciæ Regem. Ea res grauiter Carolum perculit, nec ignarum, tam praui consilij Carolomannum participem. Ideò vt simul veterum criminum pœnâ, noua intercluderet, huic oculos effodi iussit, quibus diu ambitione & furore cæcus caruerat; retrusitque in Corbiense Cœnobium. Nec in eo quieuit turbulentissimus iuuenis, sed fugam postmodum Monachorum operâ capessiuit; ab fugæ consciis ad Ludouicum Germanum deductus, spe excitandæ miserationis sui discordiæ, nullo alio effectu, præterquam quòd Absternacum Monasterium illi

CAROLVS CALVVS.

Carolomannus similiter perit.

Anno 870.

Anno 874.

CAROLVS CALVVS.

attributum est, è quo & in quo dies reliquos ageret; quos admodum paucos peregit, ibidemque sepultus est, iusto Dei fato, vt desertor sacrorum aleretur è sacris; & auersatus Clericos, Monachis animam corpúsque traderet. Præter eas liberorum plagas, Hermantrudem charissimam coniugem luxerat Carolus; quanquam illico nouam ad solatium induxit, Richildem sororem Bosonis Comitis, quam primùm illegitimo thoro adiunxit, mox iustis nuptiis copulauit, præpollentibus feminæ ad ambitionem illecebris.

XII. Anno 875.

Tot ac tanta incommoda Caroli, opima spes oblata solatio in speciem fuit, reuera luctui. Ludouico Imperatore in Italia, vt supra scripsi, demortuo, nullisque præter Virginem liberis, Imperij dignitas, Imperiumque Italiæ, ad ipsius patruos spectabat proximè. At nec is honor primi occupantis, vti Austrasia, nec in partes geminas, vti eadem diuidendus; totus, & in eum quem Pontifex Romanus designaret, erat deriuandus. Erat is Ioannes eo nomine VIII. Adriano tertium ante annum vita functo; qui qua de causa in Carolum potius quam in Ludouicum vota conuerterit, si licet assequi coniecturâ, crediderim, aut dignitate motum Francici Regni; à quo vt à fonte reliquæ stirpis gloria, & Imperatores petiti hactenus; aut auersum à Ludouico Caroli artibus, implentis Pontificem magnis pollicitis, suam operam prolixè in Saracenicum bellum iactantis; Ludouico, vt dicebat, graui in Vinidos bello implicito, & in Germaniam suam efferam adhuc atque atrocem procul relegato; vt vt sit, Ioannes honorificam Legationem misit ad Carolum, quâ ad profectionem Italicam, & suscipiendam coronam Imperij inuitaretur. Carolus nuper ab Ludouico fratre discesserat, amico de communibus rebus colloquio; agebatque ad Arduennam siluam; cùm accepto de obitu Imperatoris ac legatione Pontificia nuntio, in spem certam erectus adeundi Imperij, quàm celerrimè ad auspicandum idem properauit. Illico quàm multos Proceres tum ab armis, tum à consiliis euocat, qui sibi tum ad dignitatem tum ad opem adessent comites, Richildem inter vxorem, & Ludouicum filium curas Regni, regimenque partitus est, hanc præponens Siluanecti ad Neustriam, vt Normannis occurreret, illum Austrasiæ vt Ludouicum fratrem à quo metus maior, arceret aditu & cohiberet; moxque ipse in Italiam per Alpina claustra aduolauit. Ludouicus interea explorato fratris consilio intercessurus; affirmantibus suis, ipsius qui maior natu foret Imperium esse, & Engilrano acerrime impellente, qui Regis Caroli cubiculo præfectus eidemque consuetudine arctissimâ iunctus, Richildis inuidiâ à familiaritate & honore antè deturbatus, ad Ludouicum odio & vindictâ prægnans contulerat se. Iis ergo stimulis primum Carolum filium cum armatis mittit versus Alpes, vt Carolo iter disturbaret; tum deinceps, alterum filium Carolomannum cum maioribus copiis, vt in patruum si transiret Alpes, depugnaret: Francicâ sibi expeditione assumptâ. Verum Carolus fortiter per obiectos apices penetrauit vtroque nepote victo & disiecto; & primum quidem vno propè aspectu in fugam egit, in Carolomannum similiter forti animo dimicaturus; nisi iuuenis, tum viribus, tum animo, admodum impar, egisset

Carolus Calvus Imperator.

egisset ante pugnam de fœdere; in quod admissus à Patruo, præstito iureiurando, in Germaniam rediit, iam imperij foribus magna laude Caroli patefactis. Is igitur Romam victor aduenies à Ioanne Pontifice honore solemni excipitur, & inauguratur in Imperatorem, magnâ omnium ordinum lætitiâ, vnde redarguas veterum Annalium fidem affirmantium, coronam Imperij vi ac tyrannicè vsurpatam à Carolo; corruptisque largitione compluribus viam apertam ad inuadendum Imperium & vim inferendam ipsi Pontifici: reclamant enim Synodi Acta Romæ pòst habitæ, in qua absente Carolo, & omni metu, si quis esset depulso, voluntate magnâ Pontificis, ad Imperium vocatus dicitur. Verùm Carolus molestissimam calamitatum inuidiam passus, non modo Normannorum ferro, sed etiam Scriptorum calamo obnoxius fuit. Porro lætitiam ab susceptο Imperio fœdauit Ludouici fratris in Franciam irruptio, qui comite filio Ludouico, traiecto Rheno, cinctus exercitu, Atiniacum venit, & inde multis è Francia Procerum ad eum confluentibus impunè maximam Neustriæ partem vastauit. Ad subitam tumultus famam Richildis intrepida euocauerat Proceres, animoque quantum poterat facto; ad honestam & necessariam tuitionem Regni, eorum fidem sacramento adstrinxerat; quam illico fregerunt, partim ad Ludouicum defectione, partim ignauâ patientiâ, & flagitiosâ ab armis abstinentiâ. Vnus Hincmarus Antistes Rhemensis, pro fide inconcussâ in Carolum, quo licuit modo arma corripiens, ad Deum pacis bellique Dominum versus, suis aliorúmque precibus, sanctisque operibus, non desiit implorare Cœlestem opem; donec sua propè sponte Ludouicus, Emmæ vxoris morte acceptâ, vltra Rhenum in Germaniam rediit. Carolus in reditu conuentum Episcoporum ac Comitum Ticini habuit, ac postmodum Bosone vxoris fratre, Mediolanensi duce instituto, qui vices Imperatoris in Italia gereret, in Francia Pontigonensi Concilio interfuit, in quo stabilita Romana electio, ipso & Richilde coniuge Imperatoria veste fulgentibus.

CAROLVS CALVVS.

XIII. *Ludouici Germani Mors.*

Nihilominus Ludouicus in incepto perstabat, legatosque Pontigonem ad Concilium miserat, per quos postulabat admitti in partem hæreditatis Ludouici Imperatoris; tum naturæ legúmque ciuilium beneficio, tum ex pactis ante cum Carolo initis; ac tametsi Ioannes Tuscanensis Episcopus, princeps legatorum Pontificiorum coram legisset in Concilio, Ioannis epistolam ad Episcopos Germaniæ scriptam, qua Carolum inauguratum Imperio iuste & legitimè confirmabat, exemplarque Epistolæ Germanis dedisset; tamen iis litteris Ludouicus pro incepta contentione non videbatur acquieturus. Verum improuisus exitus, nouam scenæ mutationem induxit; nam Ludouicus Germaniæ Rex, Francofurti obiit diem extremam, relictis hæredibus in æquas partes liberis Carolomanno, Ludouico, & Carolo. Erat is ex Pij filiis laudatissimus, ab fratrum cupiditate alienus, suíque retinentior, quam alieni cupidior, iustitiâ & pietate insignis, ciuili prudentiâ, & militari fortitudine clarus; præclaris multis suâ sponte gestis, indecoris aliquot alienâ. Eâ morte euanuerunt Ludouici consilia, metusque Caroli in confidentiam atque audaciam vertit: credit cupidissimus Anno 876.

CAROLVS CALVVS.

Rex occasionem oblatam alieno damno crescendi; inferri arma nepotibus posse, absque discrimine, spe magna commodi, adolescentibus recenti luctu implicitis, partitione Regni discordibus, populisque ad imperia noua semper ambiguis; confestim magnos delectus totâ Franciâ habet, conscribitque quinquaginta hominum millia, instructo omnibus rebus tanto exercitu. Ludouicus fratrum natu maximus, cui Francia Orientalis, obiecta Caroli armis obtigerat, ad famam tanti apparatús, legatos mittit ad Patruum, qui reuocarent in mentem & nexum sanguinis, & orbitatem Nepotum, & ipsius Caroli sacramentum, tot fœderibus sancitum; si quid iure sibi debitum crederet, per legatos ageret ac ciuili modo, non vi & bello Europam totam affligeret, atque concuteret. Ad hæc Carolus; se vi repetere quod Ludouicus frater vi eripuisset; vocatum se iure in Lotharij Regnum, Episcoporum procerumque comitiis, ab eo deiectum esse Ludouici armis: præterea Ludouicum eundem semel iterumque nullâ motum iniuriâ inuasisse in Franciam, abalienasse à Rege proceres, & diripuisse prouincias; nunc merito talionem rependi; si quid fœderis antè ictum esset, datam fidem fratri viuo non mortuo, nec cum Nepotibus conuentum quidpiam. Simul exercitum iam instructum mouet, & quaquà incederet, direptis agris vrbibusque vastatis, captâ Coloniâ ad Rheni vortices castra ponit. Eratque tam incensa cupiditas, vt nuntio Normānicæ inuasionis barbarâ gente centum nauigiis in Sequanæ ostium subeunte, haud quaquam absterritus, nec retro flexerit, nec copias imminuerit, furori hostium suos tradens, ne à spe vt opinabatur certissima vllo modo excideret. Ludouicus interim restincto nondum patris busto ad arma excitus quamquam copias strenuè, ex Saxoniâ, Thuringiâ, & Franconiâ contrahebat, tamē admodum impar Patrui viribus, iterum legationem ad eum instruit, qua rogaret per superos verbisque supplicibus precaretur, ne cineres fratris nondum compositos repentino bello disiiceret, paratum se ad omnia quæ imperaret, iustè obeunda; meminisset Lotharij fratris, pugnæque Fontaniacæ, quâ damnata ambitio, tantúmque Francici sanguinis, frustra exhaustum. Carolo ad ea immoto nouum tentat facinus Ludouicus, omnium prope præter iustitiam inops; ex rudi illo & barbaro more, quo incertis & dubiis aliorum periculo parabatur fides, triginta homines mittit ad Patruum, qui in conspectu exercitus tentamenta fidei diuersa subeant, eorum decem cum aquâ calidâ probaturis, decem cum frigidâ, ac decem cum ferro candenti, iustâ sorte ad Ludouicum spectare partem Austrasiæ, quam hæreditario iure à Ludouico patre assequebatur: & quidem miro Dei iudicio, abierunt illæsi ab experimentis viri. Nihilominus persistente Caroli cupiditate, Ludouicus expiato milite Christianis ieiuniis, precibusque incensis numine propitiato; aucto vt euentu patuit, cœlitus animo, ad Andrenacum Rhenum transmittit.

In Cunis filios Carolus mouet.

A Nepote fugatur.

Traiectione comperta Carolus, lætus admodum quod in retia implicuisset se hostis, vt fraudem & dolum armis adiungeret, ad Nepotem internuntios mittit qui spem pacis facerent, auersâ iam Regis mente à bello. Quibus habitâ fide Ludouicus in gradu stat & securitate, ni occurrat Deus, perniciem parat; nam sub primam noctem Carolus educto castris exercitu

versus

versus Andrenacum properat incautos oppressurus, & spe fœderis tutos. At duo leuis in speciem momenti, sed euentu grauis, consilia & victoriam disturbarunt: primum copioso per noctem imbre, viæ luto infectæ impediti equi & defessi, vix emensum iter totâ nocte, & miles fatigatione deficiens; deinde præmonitus opportunè Ludouicus, testatus Superos in vindictam perfidiæ, copias in aciem pro castris eduxerat; Deo nixus & causâ. Ideo sub auroram cum miles Caroli, iam rem actam crederet hostemque somno captum diripiendum dumtaxat, armatis occurrens pauore subito & inspe-rato corripitur; Deo nimirum superbiam per humilium arma contun-dente. Magno animo Ludouicæi impetum faciunt, Caroliani sustinent aliquantisper, equos incitant, calcaribus restitantes fodiunt, arma ex-pediunt, tela vibrant, gladio feriunt, sed effectu nullo, equi seu diui-no nutu, seu lassitudine immoti hærent; ferrum ceu retusum pauciss-imos vulnerat; interim hostis vrget, detruncat, cædit, clarissimamque reportat victoriam. Eques in fugam primus effunditur, mox inuectus in peditem suos ipsos euertit ordines; postremo in impedimenta & mer-catorum turmas, qui magno numero sequebantur exercitum delatus an-gusta via, cœnoque implicita, ita confunduntur omnia miscenturque, vt passim clamor, tumultus, & cædes impeditâ fugâ sæuierint. Cæsi è Du-cibus Rhugenarius & Hieronymus Comites, capti complures. Imper-ator ægrè in cadentium cuneis eluctatus, comitantibus paucis fugâ eua-sit. Prouectus mali timor longius acie, Richildis quæ Heristalsij præsto-labatur in momenta victoriam, clade auditâ, partui vt erat proxima se in fugam tradit, & quanquam in via fœtum ediderit, seu metu seu succu-tiente equo præfestinum, non ideo tamen à cursu destitit, donec Attinia-cum ventum est; cursore comite deferente infantem; non quidem Porphy-rogenitum, magno rerum mortalium lusu, cum Imperatrici timor, cursus, & iumentum pro molli lecto, & puerperæ deliciis forent; fœtui pro pur-pura, byisso, cunisque aureis, vlnæ baiuli & rapidissima fuga. Ludouicus victor receptâ Austrasiâ quæ patris fuerat, abstinens à prouinciis Caroli, Rheno transito Francofurtum rediit, & postmodum initâ partitione Re-gni cum fratribus; sortitus ipse est, præter Austrasiam, Franciam Orien-talem, Frisiam, Thuringiam, atque Saxoniam; Carolomannus Bauariam, Carinthiam, Bohemiam, Sclauiam & Carinthiam; Carolus qui Crassus dictus est, Alemanniam, hoc est, nisi fallor, inter Albim & Vistulam Ger-maniam reliquam.

CAROLVS CALVVS.

XIV. *Carolus in Italiam ve-nit.*

Dum his turbis Francia commouebatur, nihilo pacatior agebat Italia; totam propemodum Saracenorum arma infestabant, ac Romæ Romanæ-que Ecclesiæ imminebant, minabantur acerbius, sacrilego cum iis fœ-dere Sergio duce Neapolitano, & Adelgiso Beneuentano conuenientibus. Quocirca Ioannes Pontifex maximus, sub discriminis aciem, legationibus iteratis instabat Carolo, vt Romanam Ecclesiam beneficium Francorum Regum perpetuum, atque Italiam patrimonium Imperatorum, conserua-tas vellet, & impiorum ereptas manibus; iam nullum esse præterquam, in ope sua perfugium, quæ si deficiat, exurecturum vindicem Deum, tum in

CAROLVS CALVVS.

mali auctorem, tum qui malum non depellat cum possit. Quibus primum Carolus non adeo permotus est, dum inflammabat in Ludouicum cupiditas, postea victum & ab tanta clade fractum eneruemque grauis morbus excepit, facultate expeditionis, si suppeteret voluntas, excisâ; demum ægritudine liber, Regno vtcumque instaurato, & assiduis Pontificis complorationibus, statuit indicto exercitu, in Italiam ad liberandam Romam proficisci. Et tacitum pungebat stimulus, quod Boso, quem legatum in Italia dixerat, coniugem sine assensu suo quæsierat: Erat hæc Ermengardis Ludouici Imperatoris filia, quæ à patruo Bosoni in custodiam tradita, ab eodem Berengarij Comitis impulsu ducta in matrimonium erat; spe vberrimæ dotis, nempè Prouinciæ atque Burgundiæ partis haud modicæ. Quocirca Compendij conuentu habito, & impositio in proximum bellum tributo, primas copias cum vxore in Italiam duxit: profectione audita Ioannes Pontifex, Româ occursurus Imperatori, Ticinum aduolat & inde Vercellas, vnde peracto mutuâ gratulatione congressu, simul Ticinum veniunt, præstolaturi numerosum è Francia militem. Verùm in apice spei, gaudiique articulo, nuntiatur Carolomannum è Germania cum ingenti exercitu festinare; iamque Longobardorum fines ingressum: quare velificatione mutatâ, Insubriam repetunt, & Tardunam, siue Tortonam se conferunt, è proximo excepturi supplementa è Francia, & repulsuri hostem à finibus, Pontifice interea Richildem in Augustam coronante. Cum itaque in dies expectarentur subsidia, & Carolomannus nuntiaretur abesse propius, re ducendâ in aleam pugnæ; subita consternatio, Christiano sanguini abundè pepercit. Quippe Imperator comperto supplementa militum vltra Alpes teneri, ducum proditione ac nefaria conspiratione; quorum præcipui Hugo Abbas, Boso Comes Insubrium, Berardus Comes Aruerniæ, ac Bernardus Gothiæ Marchio; (ita enim Septimaniam vocitabant) desperata victoria, Richildem primum dimisit in Moriennam quam celeriter se recipientem; tum postmodum iteratis de Carolomanni aduentu nuntiis, diuersa fuga tum ipse, tum Pontifex, Romam alter, Moriennam alter, contenderunt. Porro hæc fuga adeo occulta & inexplorata in vulgus fuit, vt non modo Carolomannum aduentantem celata sit; sed eundem vanus rumor perculerit, Pontificem cum Imperatore magno exercitu adesse in dimicationem paratos; quare & iuuenis metu haud dubiè immisso cœlitus, ne se suasque copias ad incertos casus committeret, celerius quam venerat in Germaniam recessit; euentu fortasse nullibi gentium pari; vt nullo prælio, nulla victoria, aduersi vtrimque exercitus fugerent, metusque æqua lance in oppositas acies spargeretur: sed Dei est inusitatis modis bella compescere, & impetum martis cõsternatione retundere. Carolus mox è fugâ recreatus in febrem incidit, mortemque hausit, epoto in remedium pharmaco. Curando morbo admouerat Sedeciam quendam, familiarem sibi, gratumque admodum, Iudæum gente & impietate, medicinâ in vulgus celebrem; sed quâ fraudibus, quâ præstigiis magicis, eo famæ euectum; ab eo igitur pulueren in remedium propinante, creditur lethiferum præbitum virus, ita Imperator geminâ peste conflictatus, succollantibus per Cinisium montem

Boso Ermengardem vxorem duxit.

Anno 877.

Fuga Caroli.

Et mors.

homini

hominibus, in vicum ignobilem delatus, inter amplexus Richildis coniugis quam è Morienna euocauerat, vndecimo quo puluerem hauserat die, emisit animam: adeo mors vel in remediis, hoc est in vitæ satellitio sæuit. Carolus vix vnquam fortuna media vsus erat, summa sæpius infimáve alternantibus fugâ atque victoriâ, vt sit exemplo, quam diuersi casus Principem maneant. In vitiis eminebat ambitio & alieni cupiditas, accedebat profanus vsus Sacrarum rerum; in virtutibus, magnus litterarum amor & studium, hæreditas iam ab auo Carolo in Ludouicum patrem transmissa, mirumque in tanta rerum perturbatione, litteras & litteratos coluisse Carolum & fouisse, magnis præmiis euocasse è variis gentibus viros eruditos, & pro Mecenate suorum temporum dilectum esse, & concelebratum. Sanè qui promouit scientias, id laudis ab Historia meruit. Cadauer eductis visceribus conditum est aromatibus, delatumque Franciam versus; sed ab eo tantus exhalauit fætor, etiam sarcophago, pellibus multis circumcluso, vt graueolentiâ perculsi baiuli, Nantuæ deposuerint onus, vbi sepultum est, septennio post in sancti Dionysij translatum. Nec Carolomanno fugienti paulo melius fuit, nam morbo correptus, lectica domum relatus est, grauiterque toto anno iacuit; nec vita reliqua, quæ breuis admodum fuit, recepit valetudinem pristinam.

CAROLVS CALVVS.

Ad Ludouicum qui ob linguam impeditam dictus est Balbus vnicum Caroli filium, nam quem Richildis enixa erat nuper, morte decesserat, spectabat ius Regni; igitur audito Patris fato, Proceres demereri studens, vt quisque postulat, Abbatias prouinciarum vrbiumque regimina, largè donat, ac versus Aruernos ad Patris Lipsana excipienda contendit. Contra Richildis, in marito antea rerum potens, ne minueretur auctoritas, quod feminæ acerbissimum omnium, cum aliis Proceribus, sequutis in Italiam Carolum, versat consilia, rem indignam dicens, quod Ludouicus ipsorum assensu nequaquam petito se in Regem ferret, quod in alios dignitates, & Sacerdotia opulenta partitus, ipsis nihil reliqui præter contemptum atque indigentiam fecisset; penes se Regni esse insignia, sibique vni extremos Caroli nutus concreditos, si viri essent, iam se exprimerent; palamque facerent Ludouico, se per iniuriam in largiendis donis prætermissos. Ita conspirant Proceres cum Augusta, & penetrantes in Franciam, agrorum direptione terribiles, eò maximè hostes se professi, conuentum suum ad Vitmarium montem condicunt. Ludouicus ad ea nuntia retrogressus, redimendam concordiam censuit, ac factionem opprimendam pretio; Internuntiis itaque in eorum conuentum missis, & quæ postulabant concessis, coaluit pax, venitque Richildis Compendium, comitante Procerum suorum cœtu, ad Ludouicum deferens Regni ornamenta, scilicet gladium, quem Aimoinus sancti Petri vocat, & Regni signatum symbolum, coronam præterea, paludamentum Regium, ac scipionem aureum gemmis intextum: & consecratus est, consensu omnium Ludouicus, ab Hincmaro Rhemensi Antistite, exactumque à clientibus solemne fidei sacramentum. Nec ideo pacatum Regnum est, etenim præter Normannos assiduis vastationibus perinfestos, Hugo Lotharij Regis spurius, ex Valdrada natus,

XV.

LVDOVICVS BALBVS REX. Anno 877.

Caroli

LVDOVICVS BALBVS.

Caroli metu repressus hactenus, eo sublato in patris Regnum inuasit, collectaque prædatorum manu, spargebat impunè direptiones atque incendia. Furorē promouit Ludouici morbus quo apud Turones diu grauiterque decubuit, & erat valetudinis lubricæ, infirmo ad obeundum Regem corpusculo. Vacuà interea sede Imperij Ioannes Pontifex, hoc nomine octauus, domesticis malis implicitus hærebat ad quem confugeret, ad Ludouicum, an Carolomannum, à quo impensis precibus inuitabatur, luculentâ auxilij spe; nam Carolomannus ambiebat Imperium cupidissimè, seque Regem Italiæ, inde ab Patris obitu, vel viuo Carolo nuncupauerat. Porro Ioanni Lambertus Spoletinus Comes, susceptо eorum quos damnasset Pontifex patrocinio, faceſſebat molestiam; ac postmodum sibi adiuncto Adalberto Romano nobili, spe Carolomanno Imperij factâ; vi, armatâ manu Romam ingreditur, Ioannem adhibitis custodibus publico prohibet & Optimates Vrbis, quà minis, quà promissis adigit, ad iurandam fidem Carolomanno, ceu legitimo Imperatori. Liber eo digressо Pontifex viin appellans, sancti Petri Basilicam in signum luctûs occludit, sacram Aram cilicio insternit, thesauros atque reliquias Lateranum transfert, indictóque sacrorum iustitio, nauem Franciam petiturus conscendit; delatis pretiosissimis Lipsanis, ac Formoso Portuensi Episcopo, cuius potissimum causa tragœdiam Lambertus luserat, dato in vincula & secum abducto. Genuam vectus, litteras dat ad Germaniæ Reges Ludouicum, Carolomannum, & Carolum, de Lamberti tyrannide quiritans; eos hortatur, maxime Carolomannum, ab Lamberto impiissimo homine seiungeret se, celebrandam Trecis in Francia frequentissimam Synodum; si videatur ad eam veniat, palamque faciat de iure imperij, si quod debitum sit. Postmodum Arelatem venit à Bosone iam Prouinciæ domino magnificè exceptus, à quo in Franciam ductus, Concilium Trecis magnâ frequentiâ celebrauit. Ibi diris Ecclesiæ velut hostes subditi Lambertus, Adalbertus, Formosus, aliique coniurationis in Pontificem rei; eâdem pœnâ Hugo Lotharij spurius comitesque affecti; Hincmarus Laudunensis, quanquam cœcus honori & dignitati restitutus; ac Ludouicus in Regem Franciæ coronatus; cum morbi causâ incipienti Concilio non interfuisset. Nec assentior Sigonio, aliisque in quibus Baronius, magni quidem ponderis, sed fallacem ducem sequutis, affirmantibus inauguratum Imperatorem Ludouicum à Pontifice: Quippe, vt disertè tum Aimoinus, tum veteres passim Annales, in Regem dumtaxat coronatū illum adscribunt, ita nullus imperatoriæ coronæ meminit, imo Aimoinus inter Pontificem & Regem dissensionis quidpiam ortum innuit, ob sancti Dionysij Abbatiam, idque Sirmondus, Petauius aliique Scriptores eruditissimi aduerterunt, certoque pronunciant, allucinari qui Imperatoribus Balbum accensent. Attamen putem spem Imperij factam, exercitum in Italiam ducenti, ad Ecclesiam infensissimis hostibus eripiendam. Boso interea iactatâ apud Pontificem operâ ab eo in filium adoptatur, eam ob causam vt Pontifex idem insinuat, qua rebus Ecclesiæ consultius foret; ciuiles res & prophanas administrante Bosone, dum Ioannes sacris religiosisque intenderet. Idemque Boso tam gratus Pontifici, Regem etiam

Ioannes in Franciâ venit.

Anno 878.

Troyes.

Boso à Ioanne adoptatur.

etiam deuicit, affinitate contractâ; filia sua nata ex Ingeltrude priore vxore desponsa in coniugem Carolomanno alteri Balbi filio; priuato viro multa sagacitate sibi ac posteris fundamenta Regni sternente. Soluto Concilio ab Rege & Francia abscessit Pontifex, Bosone Ticinum vsque deducente, nec vlli sedulitati parcente vt demereretur Pontificem. LVDOVICVS ET CAROLOMANNVS.

XVI.

Sequutum est fœdus ad Franciæ tranquillitatem momenti haud leuis, Balbum inter & Ludouicum Patruelem Germaniæ Regem, vtroque ad Marsanum Austrasiæ conueniente, & sancita sunt atque iurata fœderis capita: Attamen breuem pacis atque otij spem decussit illico exitus Balbi. Is ingrauescente indies valetudine (& creditus est bibisse toxicum) cum Augustodunum ad comprimendam Bernardi Marchionis rebellionem contenderet, morbo tardatus Ludouicum filium puerum adhuc expeditioni substituit, assignatis ducibus qui ipsum regerent Bernardo Aruernorum Comite, Hugone Abbate, Bosone & Theodorico; ac Trecis Compendium ægrè, per incrementa morbi delatus, cùm ægrum spiritum in aliquot dies extraxisset salute conclamata; per Odonem Bellouacensem Episcopum & Albuinum Comitem, gladium, coronam & Regni insignia ad Ludouicum filium misit; & demortuus tandem; ibidem Compendij est sepultus. Ludouicum auum referebat is moribus, cultu iustitiæ & Religionis præter mansuetam animi indolem: sed vt Regno prodesse breuitate vitæ haud multùm potuit, ita præcoci fato plurimum obfuit, coniectis eas in angustias posteris quibus per ærumnas grauissimas opprimentur tandem, ipsumque Regnum prope demortuum in partes varias scissum ibit. Damnum proximum ex iniusto olim coniugio: quippe Balbus, sub primam adolescentiam iuuenili æstu, virginem quandam Ansgardam nomine, patre Carolo insscio, thoro adiunxerat; & ab eâ in vxorem lectâ & dilectâ, masculam prolem susceperat geminam, Ludouicum & Carolomannum; pueros formâ eleganti, & futuræ generositatis multo specimine. Id posteaquam Carolus Pater resciuit, indignatus clam se quæsitam esse vxorem filio, primum Ansgardam aula eiecit, dein filium eius vsu interdictum in posterum, & iureiurando adstrinxit ne quid consortij inter eos foret; postremo ad excidendam spem omnem nouo coniugio illigauit, Adhelcide in vxorem data; quam Balbus moriens reliquit grauidam. Igitur ex primis illis incertisque nuptiis, rebellandi turbulentis hominibus facta occasio. Vt primum Balbi mors nuntiata est, Odo & Albuinus quæ deferebant Regni insignia, Theodorico cubiculi præfecto dederunt, gratiâ & potentiâ inter Proceres cæteros præpollenti. Iique statim re deliberatâ, vt se mutuo fœdere tuerentur in æmulos publicâ re priuatæ posthabitâ, inter se conueniunt, coronandum puerum Ludouicum in Regem, quem in potestate haberent, eamque in rem Meldas omnium Procerum Conuentum indicunt: & quoniam Bosonem inter & Theodoricum, auctoritate principes, æmulatio fuerat eratque contentio; eæ vt sopirentur, Hugone arbitro placuit, haberet Boso comitatum Augustodunensem, & quas Abbatias Boso ea in regione obtinebat Theodorico in præmium daret, iam

Balbus moritur.

Anno 879.

Ludouicus succedit.

CAROLVS ET CAROLOMANVS.

iam enim rerum sacrarum institores erant atque commercia. Ea honesta in speciem atque vtilia, nisi Goslini Abbatis sancti Germani timor an ambitio perturbasset omnia atque peruertisset. Erant ipsi cum Hugone & Theodorico inimicitiæ, à quibus sub Balbo multa grauia toleraverat, eratque periculum ne in Abbatiam, quod intentauerant inuaderent; quem vt metum abs se discuteret, consilium init pernicioſum iuxta ac callidum. Captus in pugna calamitosa ad Andernacum, quâ Ludouicus Carolum Patruum profligauerat, ductus in Germaniam fuerat, contraxeratque cum Regni proceribus vt erat ad Aulica obsequia factus, præsertim cum Rege & Luitgarde Regina, consuetudinis plurimum. Ex perspectâ Reginæ indole, ambitionis honorumque immodicæ, prima telæ orsus subtegmina; pòst ex dubiis regis natalibus totam contexuit. Adit Conradum Comitem Parisiorum; *Primò semen spargit inuidiæ, collecta in æmulos autoritate Regni si regem faciant, tum grauem timorem incutit à Boſone & Theodorico qui potestatis ſummæ compotes, haud vllâ re modicâ contenti forent; nulla tyrannide grauiori, quam quæ in patres ab nouo imperio vſurpatur, addebat & religionem, quod ſpurij Ludouicus & Carolamannus furto ſuſcepti, indigni eſſent Francia Regno, expectandum quidem Reginæ fœtum, dum in lucem prodiret vtero, eique deferendum Regnum ſi mas foret, ſed interim ob bonum publicum, Ludouicum è Germaniâ propè arceſſendum, qui pupilli tutorem ageret, auctoritate & opibus fulciret rem Francicam, & aboleret notam infamiæ, è Francorum faſtis expunctâ adulterinâ ſobole. Imò priuatas res ſuas agi in publicis; nec Ludouicum immemorem beneficij fore, & frequentem in Germaniâ, res Francicas eis permiſſurum, quorum ope conſequutum eas ſe meminiſſet*; Iis Conradus haud cunctanter perſuaſus eſt, moxque pluribus amborum ambitu, tum Episcopis tum Comitibus, in eandem sententiam ductis; iis factionis suæ hominibus Conuentum assignant, vt quando Rex fato esset functus, adesſent de Regno, Regnique commodis deliberaturi. Facile Goslinus eo in Conuentu sententiam suam obtinuit, vt incerto Reginæ partu & dubio, spuriis ad hæreditatem Regni imparibus, ad Ludouicum Germaniæ Regem mitteretur, qui nauis iactatæ gubernaculum capiat, ac nascituri Regis, si placeret superis, iamque nati dum adolescceret, vices impleat, publicæ rei fructu amplissimo. Et missi legati verbis magnificis qui oblato Regno Germanum orarent vt Metas se conferret, Proceres omnes ituros obuiam, nulloque refragante euecturos in solium. Ita priuata vtilitas fucat se publicâ, sæpiusque fastigia turrium, late ruinam trahunt, si præcipitantur.

Turba à Goſlino Abbate.

XVII. *Ludouico Germano Auſtraſia traditur.*

Ludouicus Legatione admissa, conculcato recenti quod contraxerat fœdere, & erat iustitiæ vmbra vel species, cum exercitu Metas vsque progreditur; & inde Virdunum: rogantibus coniuratis eò accederet, & excusantibus quod adesse Metis non licuisset; miserâ gentium deprædatione interim & feritate barbarica fœuiente milite. Repentino hoste perterriti Boso, Theodoricus, & socij, nullo parato exercitu, statuunt corpus abscissione membri seruare; legantque Virdunum ad Ludouicum, qui conquesti de fœderis violatione, & implorata in Regum ætatem teneram misericordiâ, tandem in pacis pretium Lotharingiam offerant, orentque

Regem

Regem ne ciuili bello Franciam implicet, suique meminerit, quomodo Deus pupillorum Regum atque lugentium patrocinium tutelamque suscipiat. Hæ conditiones ad Ludouicum perlatæ bellum amouerunt; erat operæ pretium belli, ampla prouincia nullo periculo concessa & tradita, ipsumque belli præmium ante aleam largitum, & erat quædam clementiæ species, Principi si cum vtilitate conuenit non aspernanda; & larua moderationis, pupillos patrueles non spoliare, & victricia arma cohibere. Ideo admissa conditio, reiectique Goslinus & socij, toto conatu vrgentes vt bello instaretur, vniuersam Franciam Ludouici fore, suorum ignauia palmam infringi, præmioque leuissimo certam opportunitatem corrumpi: nihilo secius repelluntur, & acceptâ Austrasia, Ludouicus Francofurtum redit. Goslinus deturbatus hac spe nouam inceptat ab Luitgarde Reginâ ad quam profugit vna cum Conrado, incendit cupidissimam feminam spe totius Regni; conqueritur quorundam ignauia consiliis suis fidem non habitam, factionem inuiolatam integramque affirmat, spondetque capite, si modica sufficiantur auxilia, adulterinos Reges deturbari posse. Credula mulier, nam quæ optamus ea facilia credimus, virum reducem grauius increpat, quod bene cœptis destitisset tam citò; quod passus esset tantum Regnum sibi deripi manibus, saltem arma expediret, ferrum educeret, tentaret aleam martis, non pro suorum socordia rediret infectâ re, socios & fœderatos desereret, primumque consilium pœnitentiâ noua peruerteret. Hæc Regi impotens coniux; at Goslino & sociis augebat animos; essent in proposita re constantes, se nunquam suamque operam defuturam; Ludouico iter in Germaniam intimam suscipiendum, ob fratris Carolomani ægritudinem desperatam, rediturum confestim, & magno exercitu reuersurum in Franciam, seque ipsam Regi hæsuram comitem pollicebatur, perfecturamque vt prima consilia perducerentur ad exitum. Quibus fide habitâ Goslinus, & in maius augens, vt eandem fidem consortibus faceret, integram factionem interea fouit, aluitque Conradus, agrorum direptione pagorumque incendiis. Verùm Franci Proceres Ludouici abcessu, ducto spiritu liberiori, coronandum Regem illico statuunt, imo communi consilio fratrem vtrumque Ludouicum & Carolomanum ætate propemodum pares, æquis partibus euehendos in solium, vt æqualitas ambitioni occurreret, communisque vtilitas concordiam pareret, ac glutinaret; annitente præterea Bosone, vt suspicor, qui generum Carolomanum malebat Regem, quam priuatum & subditum. Quocirca ambo inuecti in Reges, in Ferrariensi Cœnobio; ac postea Ambiani Regnum partiti sunt, Ludouico obtinente Parisios, & Neustriam, Carolomano Burgundiam & Aquitaniam. Et quidem Regum excitata spes statim: quippe Normanni agros ad Ligerim deprædantes, ab Regibus, à nauigiis longius intercepti, magnâ occisione deleti sunt, & Vigenna amne plerique absorpti. Sed & noua Ludouici Germanici expeditione, res Franciæ constabilitæ sunt aliquantum. Is redux ab Carolomano, cuius mortui regnum adierat, nouis facibus Luitgardus incensus, ea concitante inuasurus Franciam reducebat exercitum, aderantque Goslinus & Conradus, immensis pollicitis.

LVDOVICVS ET CAROLOMANVS.

Nona per Goslinum turba.

Carolomanus Rex cum fratre.

Anno 879.

Anno 882.

LVDOVICVS ET CAROLOMANNVS.

pollicitis arma fulcientes; & videbatur bellum grauissimum imminere. Verum vt res humanæ sunt, bellum pace, malumque bono mutatum est; Franci Reges præsenti animo ad repellendum hostem obiecerunt sese; destitutus à pleriſque Goſſinus promiſſis non ſtabat, anceps erat bellum ſi committeretur; magnis vtrinque tam iacturâ quam præmio, quibus Germaniæ Rex permotus, nec is ſua ſponte in bellum vergebat, cum Patruelibus paternum fœdus inſtaurauit, & concordiam mutuam in communes hoſtes pactus, ſe Germaniæ reddidit; tandem extincta factione Goſſini; ſibique damnum ſupra quam timuerat arceſſente.

XVIII. *Regū in plures bella.*

Poſt contractam cum Ludouico concordiam, placuit cum Carolo Ludouici fratre eandem ſancire; vt quando Carolomannus obierat, ambo vtrimque fratres tam animorum nexu quam ſanguinis iungerentur; nec Caroli magni Imperium tot in capita ſparſum ſpargeretur in partes. Et ex eo fœdere à Germanis fratribus, præbita Francis ad profligandos hoſtes auxilia; Francique inuicem auxiliares Germanis. Confeſtim in Hugonem Lotharij ſpurium infeſtum Auſtraſiæ, & paterna iura repetentem ſigna conuerſa; Regeſque Franci cum Ludouici Germani copiis, in eum inuecti, cùm fugâ abceſſet, Theobaldum ſororium eiuſdem, & legatum congredi auſum, magna clade in fugam egerunt: moxque armatis diſpoſitis qui Regni fines in Normannos tuerentur è Gandauo quam occupauerant crebro excurrentes, ad nouum bellum & haud paulo grauius ſe accingunt. Boſo ducta vt ſcripſi, Hermengarde in coniugem Ludouici Imperatoris filia, in dotem obtinebat Prouinciam partemque Burgundiæ: ea Ludouici patris hereditas ad filiam contra Francorum morem deuenerat; nam hactenus proli ſexûs deterioris, apud Franciæ Reges pars nulla obtigerat, præcipuè in ſecunda ſtirpe Carolouingiorum, & Carolus Caluus cum ad Imperium aduolauit, Hermengardem habuit in poteſtate, Prouinciam nondum auſus inuadere, ne Ludouicum fratrem exacerbaret, & ad repetendam hereditatis partem impelleret. Poſtea Boſo ignaro Carolo Hermengardem duxit, ſibique Prouinciam vxoris nomine arrogauit, moxque ab repetente Italiam Carolo defecit cum pluribus, gnarus quicum ſibi res eſſet, nec Imperatore incolumi ſibi tutam Prouinciam fore. Calui morte Boſonis res in vado poſitæ, nam Richildi ſe adiungens, & partium caput à Ludouico Prouinciam ſuam obtinuit, pœnâ imminente, ſi ſupereſſet Carolus, vertente in præmium: curauitque ad ſtabilimentum ſolidius beneuolentiam Romani Pontificis adipiſci, demeruitque Ioannem honoribus & beneficiis; vnde quæſita quam ſupra ſcripſi adoptio. Imò & nouo vinculo familiæ Regiæ ſe ſe annexuit, filiâ Carolomanno in matrimonium data. Balbi poſt obitum, cum Hugone & Theodorico ſtetit à Partibus iuniorum Regum, dumque ipſi coronantur, ſedatâ nondum tempeſtate, & procellam nouam Goſſino & Ludouico Germano minantibus, improuiſo ambitu Regem ſe dixit. Tradunt Annales, id vxoris impulſu, & mulierbri comploratione perfectum; grauiter enim ſublimis animi femina angebatur, quod illuſtriſſimum ſplendorem natalium, Caroli magni proneptis proxime ab clariſſimo Imperatore progenita, Leoni deſponſa Imperatoris Græciæ filio, priuato coniugio

Boſo Rex Burgundiæ.

obſcura

obscuraret, & ab Imperatore deiecta, nec Regi nupsisset; diciturque interminata Bosoni, quæsituram se mortem, nisi vitam honestius duceret, fastigiumque throni conscenderet; tam aptum solum est ad ambitionis sementem femina, tantique est sexui ad obsequium nato imperare. Igitur Boso gratum facturus vel vxori vel sibi (quem enim diadematis fulgor, non præstinguat?) Episcopis ditionis suæ conuocatis, quà intentans minas, quà pollicita oggerens, persuasit vt se in Burgundiæ Regem inungerent & coronarent, Ioanne Pontifice nouum hunc titulũ suo post calculo confirmante. Et ob id nouum Regnum intra Franciæ viscera è visceribus Frãciæ eductum est an exsectum; proximo scilicet Monarchiæ casu, cum distractæ partes totum implent: Arelatense appellatur à pluribus, Neotericis tamen, nam in antiquis neminem legi, qui id nomen vsurpet, & quamsimillimum vero Burgundiæ dictum, tum ad instaurandam appellationem veterem, & dignitatem, tum quod in secunda stirpe à prouinciis regna, nusquam ab vrbibus, arcessebant nomen. Crediderim opinionem exortam quod plerumque Boso Arelate ageret, amplissima vrbe, & situ ad Prouinciam Burgundiamque regendam percommodo; non negauerim tamen à plerisque Prouinciæ Regem appellatum. At cum id gestum esset sub Regum fratrum exordia, ciuili Germanicoque bello nutantia, mox stabilita pace in nouum Regem arma commota sunt. Ludouicus & Carolomannus ducebant exercitum Germanorum copiis auctum; & ad Viennam, quo martis impetus ingruebat; Carolus iam Longobardiæ Rex, venturus erat cum milite. In itinere Matisco castrum captum à Regibus, quod à Bosonis præsidiariis tenebatur; dein Viennam ventum. Eam vrbem Boso veterum Regum celeberrimam cladibus, accurata diligentia munitam, validissimo præsidio propugnandam commiserat, vxore & filia ibidem relictis, vel in obsides fidei suæ, vel in custodes alienæ, ipse in montes proximos receperat se paraturus subsidia, & in omnem sortem incolumis. Adsunt postmodum Carolus Regesque fratres vrbemque amplam obsidione cingunt. Verùm partim noua spes, partim nouus timor, bene inceptam rem statim conturbauit. Carolus oblatâ Imperij spe, ad quam inflammatus auiditate rapiebatur, sacramentis quibusdam inter Reges sancitis, relicta obsidione in Italiam aduolat; desinente tum fœdere, cum illius nexus, priuata vtilitas desinit. Postea metus à Normannis; qui facta in Neustriam irruptione, capta Ambiano, direptoque Corbeiensi Cœnobio vagabãtur impune, Ludouicum euocauit ad Regni sui tuitionem. Solo Carolomãno cum imminutis admodum copiis, in obsidione perstante.

LVDOVICVS ET CAROLOMANNVS.

Bello appetitur à Regibus.

XIX. *Ludouicus in Normannos.*

Ludouicus in Normannos progressus, primo faustis auspiciis confligit, iis magnam partem concisis, reliquis, in fugam actis; at in ipso victoriæ fructu & apice, consternatione inopinâ perculsus, quasi persequerentur hostes qui fugerent, conuersis vestigiis, retrocessit, receptúmque non absimilem fugæ instituit, seu Diuino nutu, seu trepidatione incondita, quæ temere & confusè gesta consequitur. Normannus ad se ex fuga rediens, comperto pauore hostium, eóque audacior, reparatis ordinibus regressus iterum, interminatur bellum atrocius. Etenim Ludouicus, errati & leuitatis pœnitens, obfirmato vtcumque animo copias quas contrahere potuit in

LVDOVICVS ET CAROLOMANVS.

hostem educit, nec dum ausus palam acie congredi, castrum lignem excitat, quod instar propugnaculi & suos tegeret, & paruo discrimine hostes repelleret: sed vt nihil metui tutum est, pauidisque animos nulla arx facit, repertus nemo est qui custodiendum castrum susciperet; ita & castrum & campus sæuienti hosti apertus; donec finis prædandi prædæ copiâ factus. Nec id vnum vel ignauiæ vel infirmitatis flagitium; contractum aliud statim post Ludouici Germaniæ Regis interitum: siquidem Austrasiæ Proceres, pertæsi dominationis Germanicæ ad Ludouicum perfugiunt, orantque summopere, vt se in pristinam fidem reciperet, quando illata vis cessaret, & quæ rapuerat Ludouicus Germanicus, mortis beneficio vindicata, prioribus dominis oporteret restitui, membrumque Franciæ corpori inseri. Re in consilium adducta, dimitti Austrasios, & ad eos qui Ludouici hæredes forent, ceu iustos dominos transmitti placuit; deliberatione ortâ vel religione, ne fœdus nuper iuratum cum Carolo abrumperetur; vel metu ne præpotens iam & Imperator, violati fœderis pœnas cum fœnore & abundè repeteret. Austrasiis tamen ad repellendos Normannos datus est Comes Theodoricus cum Francorum manu, ne relicti penitus proditioni magis, quam temperantiæ forent. Inde Rex proficiscitur Turones, ad eosdem Normannos grassantes acerbius retundendos; Verùm morbo correptus, & lectica ad sancti Dionysij deportatus, morti concessit, deliciis & voluptatibus, vt Aimoinus scribit, mollis & fractus: quamquam putauerim distractum ærumnis bellisque iuuenem, voluntate potius quam facultate delinitum esse & corruptum; ingens tamen bonum abalienari à voluptatibus vel necessitate. Imo habeo potiorem fidem Metẽsibus Annalibus, in quibus Ludouicus, ob virtutem bellicam commendatur, dignus, quem Franci magno luctu prosequerentur. Morte Ludouici delata regni pars ad Carolomanum, Viennæ obsidionem impigrè regentem; legatique à Proceribus Neustriæ missi ex templo, qui Regem omnium nomine consalutarent, rogarentque vt absque cunctatione ad comprimendos Normannos se conferret in Neustriam. Carolomanus relictis qui obsidionem curarent forti supra ætatem animo, ad regnum deuolat, tutelamque Regni: quippe Normanni absente Ludouico amnis instar per deiectos aggeres irrumpentis, magnis vrbibus Coloniâ, Treuiris, Leodio & Aquisgrano vastatis, direptis Cameracensibus, atque Ambianis, Valâ Metensi Episcopo auso in pugnam progredi victo & occiso, iam Rhemis imminebant, capto Mosonio, propagaturi vltra victoriam, ni obsisteretur. Iis igitur Carolomanus exercitum opponens, cum suos debilitari in dies, confirmari hostes animaduerteret, & ab ingenti clade prope abesset, constituit bellum quod ferro nequibat auro superare, pactusque argenti puri & probati pondo duodecim millia, in totidem annos iuratam pacem à Normannis obtinuit, contentis pecunia, qui prædæ modo non gloriæ bella disponerent. Antea solatio fuerat nuntium de Viennâ captâ allatum, non vi sed deditione, vt colligo, quoniam Richardus Bosonis frater, Comes Augustodunensis, Augustodunum secesserat, vxore fratris & filia secum abductis. Nec aliud de Carolomano traditum posteris, præter mortem quæ acerba

Idem morbo perit.
Anno 882.

adoleſcen.

adoleſcentem eximium duo de viginti annos natum, in perniciem Franciæ ſuſtulit, vel ab apro quem feruidus iuuenis in venatu perſequebatur audacius, vel ab incauto ſatellite, inflicto vulnere inter venandum, cui vt conſuleret Rex clementiſſimus, ſe ab apro ſaucium finxit, tanti æſtimabat nulli obeſſe. Obiit abſque liberis iuxta ac frater; nec audio qui Ludouicum ignauum dictum affingunt illi in filium; cum nec vxorem habuerit, irritis cum filia Boſonis ſponſalibus; nec per ætatem ſuſcipere prolem quæ ſuccederet potuit, idque poſteriora ſatis enuntiant.

LVDOVICVS ET CAROLOMANVS.

Et Carolomannus. Anno 884.

Proceres Francos Carolomani mors ambagibus perplexis inuoluit. Ex Caroli Calui ſobole, vnde Reges ſuos fas eſſet petere, ſupererat vnus puerulus vix quinquennis Carolus, ab matre Adelahide patri poſthumus natus. Ad eum haud dubiè ius Regni ſpectabat, idque nemini controuerſum erat, ſed hinc ætas infirma & regimini impotens; inde Normanni rupto poſt Carolomani obitum fœdere, id percuſſum cum Rege, nuſquam cum alio profeſſi expeditionem parantes, expoſcebant Regem, qui ſuo nutu non alieno ſua dextera ſuoque gladio tegeret ſubditos, hoſteſque pelleret. Occurrebat alter latæ famæ magnique nominis Carolus iam Imperator, (qui à corporis craſſitudine, vel obeſitate dictus eſt Craſſus,) idemque è Caroli magni progenie, qui peritiâ rerum & gloriâ, intermortuam Francorum laudem excitaret, pupillumque Regem tueretur. In eum igitur animos ſpemque coniiciunt, qui vel tutoris vel ſuo nomine publicam rem pene deploratam capeſſeret. Is ex Ludouici Germanici liberis ſolus luculentam fratrum hæreditatem adierat, nam frater Carolomanus ab expeditione Italica ſemper infirmus, tandem paralyſi clauſerat vitam, huic corporis animique dotibus præcellenti, proles non fuerat, præter Arnulphum ex matre impari ſpurium. Quapropter Ludouicus Franciæ Orientalis Rex iunior dictus, celeriter in Bauariam venit, & à Proceribus Ratisbonæ fidem obſequiumque admiſit, conceſſis Arnulpho Carantanis, ſiue Carinthiis modicâ ad Danubium regione: qui Ludouicus ſimiliter anno poſt altero, Francofurti morbo è viuis raptus, prole nulla ſuperſtite; nam quem vnum natum ſuſceperat, is paulo ante per nutricum incuriam è feneſtrâ cubiculi in impluuium procidens, ceruices fregerat; ita tota Germania deuoluebatur ad Carolum. Porro is dudum imperium cupiditate magnâ ambiebat. Et primo ab obitu Balbi Patruelis in Italiam ingreſſus Longobardiæ regnum occupauerat; inde nutantem Ioannem Pontificem, vtri Imperium præoptaret, an ipſi Carolo, an Ludouico fratri nondum emortuo, inclinauit ad ſe, in Italiam ducto exercitu, Romæ coronatus ſolemni more Imperator. Ab Italiâ poſtmodum euocatur trepidatione ingenti, tum ad cernendam Ludouici fratris hæreditatem, tum ad diſpellendos Normannos, qui famoſâ illâ, quam ſupra retuli irruptione Coloniâ, Treuiris, vrbibuſque aliis incenſis, partim in Auſtraſiâ hæſerant, partim in Neuſtriam penetrauerant. Magno itaque lecto exercitu, ex Longobardis, Francis, Bauaris, Alemannis, Thuringis, Friſiis, & Saxonibus in Auſtraſia Normannos aggreditur, iam proximo vt rebatur de gente perniciabili trophæo: ſed hoſte forti animo, proſperóque ſuccеſſu repellente Francos

XX.

CAROLVS CRASSVS REX ET IMPERATOR.

Anno 880.

Anno 881.

Anno 882.

Carolus cum Normannis pacisciturr.

CAROLVS CRASSVS.

Francos & decerpente, aliam viam coactus ingredi Carolus de pace egit: nec abnuerunt hostium duces, præsertim opimis conditionibus, quæque victoriam in admittentes conferrent. Itaque ex pactis eorum alter Godefridus, Christiana religione susceptâ, Gislam Lotharij iunioris regis Austrasiæ filiam in coniugem duxit, datâ in dotem Frisia: alter Sigefridus, immensâ pecuniâ donatus, vendidit pacem, tam numeroso exercitu redemptoris & publicani manus implente: inde alter in Frisiam cum vxore, alter cum auro in Daniam redit. Eo erant statu Caroli res, cum ad gubernaculum Franciæ est vocatus, quod illico susciens, datoque Procerum iureiurando, statim implicatus est Hugonis fraude, periculosâ cum Godefrido controuersiâ. Hugo spurius ille Regis Lotharij, iam ab obitu Caroli Calui in spem euectus occupandi paterni regni, quanquam à Balbo depulsus & in concilio Rhemensi, ab Ecclesia per diras secretus, iterumque à Ludouico iuniore regno exactus, spe neutiquam abiectâ, Ludouici post obitum, magnâ perduellium manu, in Austrasiam irruperat. Nec modo è plebe tenui plures contraxerat, sed è Primoribus plerique vel nouandi studio, vel à Germanicis Regibus abscedendi, furioso prædoni se se adiunxerant: & is quidem prædo; nam præter mala patriæ illata, Vicbertum Comitem, sibi fidum à primâ pueritiâ, causâ nullâ interfecit, & Bernarium virum nobilem, eâdem fide commendatum in paucis, ob Frideradam coniugem trucidauit, quâ ipse postea vt coniuge vsus. Postea Carolo Imperatore in Franciam adscito, sibi diffisus nouum socium fraudis ac belli adiungit. Ad Godefridum in Frisiam clam nuntium mittit, *Affinitatis meminerit Gislâ sorore in matrimonium ductâ, nihil ipsi honestius quam si fratrem regem adeptus sit; sibi ipsi nec ius ad regnum neque animum defore, & eo si modica prabentur auxilia potiturum; sufficiat ea Godefridus ex numerosissima gente; nec leue opera pretium fore, partiendo inter vtrumque vendicato Regno.* Hamum oblatum vorauit Godefridus, sed pudore ab repentino bello deterritus, vt honestam in speciem causam inueniret aut faceret, ad Carolum legat, qui Confluentem, Andrenacum, atque alia oppida vini feracia, sibi tradi peterent. Nec iniuriæ quæsitus color fefellit Carolum, fraudem ideo depulsurus fraude, respondet se missurum qui colloqueretur cum eo, & postulata perficeret. Misitque Henricum Comitem cum Philiberto Colonienſi Episcopo, occurrente ad diuergium Rheni in Vahalim Godefrido; vbi altero die quo colloquerentur dolo composito, ab Euerardo Comite & Henrici satellitibus Godefridus necatus est; cæterique Normanni qui incolebant Batauiam trucidati, iure an iniuriâ viderint qui. Regum potentiam laxiori arctioríve modo metiuntur. Hugo non multo post eiusdem Henrici pollicitationibus lusus, captus est & in vincula datus, effossisque oculis, postremo attonsus in Monachum, spatium ad mortem habuit, ad lugenda delicta.

Hugo Lotharingus infausto exitu regnum turbat.

XXI. Nec ideo Franciæ atque Austrasiæ quietas agere tranquillasque licuit; Normanni enim castris ad Louanium positis, cum diu tam Lotharingiam, quam Neustriam impunè vexassent, castris egressi magnam rem arduamque animo magno susciunt. Conscensis nauigiis, deductisque aduerso Sequanâ

Anno 887.

Parisios,

Parisios, iam tunc vrbem Regni primariam, & frequentissimam cingunt, statiuis positis; triginta millia bellatorum ex gente selectâ, castra implebant, plane comparati vrbem capere, & tandem in Francia domicilium figere. Ciuitatem haud immunitam propugnabant, Goslinus Parisiensis Episcopus (diuersus haud dubie à Goslino Abbate) & Eudo siue Odo, Roberti fortis agnominati filius; quorum ille obsidionis ærumnis fractus interiit. Carolus confestim ad obsidij nuntium Henricum virum prudentia & militari arte clarissimum cum exercitu mittit ad obsidionem soluendam; at repulsus Henricus conatu irrito. Quare majoribus contractis viribus, sub æstiuum tempus in eandem expeditionem regreditur, iamque legiones in conspectum hostis adduxerat, cùm audaciæ vel fortitudinis impetu sibi mortem, exercitui consternationem & fugam parauit. Normanni comperto hostem adesse, nocturna opera & latenti castris circumduxerant fossam, latam vno pede altam tribus, inducta ex ramis leuique stipula superficie, locis ceu portis per interualla intactis, per quæ militi suo castrorum aditus exitusque paterent. Henricus ignarus fraudis cum globo Tribunorum, lentum agmen prægressus, castra adequitabat, situm loci perspecturus, quidve magis impressioni obnoxium foret. Pauci hostium extra castra quasi pervigiles desidebant; qui de industria voce elata telisque contortis virum lacessunt; fictaque mox fuga persequentem incautius ad fossam abducunt, nec mora dum in hostem iam proximum, equum impellit, delatus in fossam, subsidentibus stipulis, præceps in caput cum equo deuoluitur. Barbari illico in optatam aduolant prædam & vndecumque telis missilibusque infesti, casu attonitum Ducem, & arctissima fossa ceu vinculis strictum & vinctum confodiunt ac spectante toto exercitu, necant spoliantque, vixque cadauer ab irruente cæco impetu milite eripi contumeliæ potuit: adeo ambiguæ sunt virtutes bellicæ, vixque secernas temeritatem à fortitudine. Mox exercitus duce amisso ad Imperatorem inglorius redit. Porro is demùm pudore & damno permotus immensas copias ad liberandam vrbem perducit, admouet castra hostium castris, nullo tamen operæ pretio; nec quid dignum tanto apparatu vel Imperatorio nomine gestum est. Donec hostes diuturnæ moræ pertæsi, cum nec vrbem expugnarent, nec more solito deprædarentur, vltro obsidionem soluerunt; permissa iis ad diripiendum regione quæ vltra Sequanam protendebatur, contumaciæ in Carolum pœnas luitura, bonumque publicum promotura supplicio, quod recusarat officio. Liberata ciuitas egit gratias Deo, Mariæ Deiparæ, Patronis cœlestibus diuo Germano ac Virgini Genouefæ, quibus salutem etiam per miracula fatebatur acceptam, adscribebatque fortitudinem hactenus præstitam. Nec quid præterea memoratu dignum Imperator gessit, animo, mente; & autoritate paulatim dejectus: versus Augustam pudicissimam fœminam, primùm mutata mens, calamitatum exordium fecit. Ea Riggardis nomine, intemerato pudore & Virginitatis flore illibato, iam decimum annum vxorem Imperatoris agebat, erat illi cum Luduardo Episcopo Vercellensi, honestæ consuetudinis plurimum; viro vt probo ita notæ prudentiæ, & vnico regni ab Carolo administro; siue morum

CAROLVS CRASSVS.

Parisij obsessi & liberati.

Henricus dolo casus.

Carolus vxorem innoxiè multat.

CROLVS CRASSVS.

similitudine conformante amicitiam, siue occasione in rebus consiliisque tractandis. Eiusmodi familiaritas suspicionem adulterij Carolo mouit, vel aulicorum delatorum inuidiâ, vel sua ipse sponte, virorum ea in re sensu tenerrimo; vel animi infirmitate à ratione iam deuij. Nec ambigit quin eam ob rem palam in concione accuset Augustam, contestatus se toto decennio quo eam in vxorem haberet ab vsu coniugij abstinuisse, ac desiderare se à consorte temperantiam quam præstitisset; illa contrà non à viro solum, nec à decennio, sed ab homine omni & à cunabulis intactam se integramque iurauit, seque paratam ad fidem iurisiurandi, vel singulari certamine, vel candentis ferri examine pudicitiam suam confirmare. Nihilominus Carolus Luduardum aulâ cum ignominiâ depulit, & Augustæ libellum repudij misit: quæ nequaquam perculsa calamitate indebita, secessit in Monasterium quod suo sumptu extruxerat, futura nouo sponso acceptior quem nulla inuidia, nulla suspicio ab amore castimoniæ amouet.

Carolus regno & Imperio deturbatur.

Exinde Imperator in stuporem & alienationem mentis incidere planeque deficiens, ciuilibus & militaribus rebus impar esse nullius iam compos, præter vmbram pristinæ auctoritatis; accedente languentis corporis ægritudine. Eo in statu conuentum Procerum Triburias conuocat, in quo palam explorata infirmitate animi corporisque; passim ab omnibus deseritur atque abiicitur, & Arnulphus nepos, filius Carolomanni ad Germaniæ atque Austrasiæ Regna euocatur, conuersione animorum tam subitâ, vt è tanto aulicorum Procerumque numero, nemo vnus ne ad officia quidem humanitatis perstiterit; cunctis ad nouum principem transeũtibus; cibo modico à Luitberto Moguntinensi Episcopo per misericordiam præbito; adeo Regi miserum est mortuæ auctoritati superstitem esse. Eratque dignum orbe terrarum spectaculum Imperator, in quem antea regna sponte confluebant, quem Caroli magni vt nomen, ita fortuna & gloria ambiebant certatim, is idem immotis integrisque omnibus præter se, fortunæ nullo casu, nullo belli æstu, repente abiectus, spretus, inops & mendicus propemodum.

Anno 888.

Nam ab Arnulpho emendicauit supplex alimenta, & Bernardo ex pellice filio, cùm hæreditatem ne priuatam quidem relinqueret, anno proximo miser esse desiit morte extinctus: nec calamitatem suam non nouerat; eo forsitan felix, quia Christiano fortique animo perferebat, quod sanxisset Deus; amabatque caduci Regni iacturam, quæ æterno præluderet.

XXII

Tam repentina atque improuisa calamitas Franciæ maxime atque Italiæ luctui fuit, nam Germaniam Arnulphus præclarissimus iuuenis præsens tuebatur. Romam Italiæ caput Tyranni plures deinceps aggressi sunt, & pro impetrandâ coronâ Imperatoriâ, cui implendæ tenues admodum & pusilli erant, tum in vrbem grauissima damna intulerunt, pulsi inuicem pellentesque, Guido Spoletanus, Lamberti filius, Berengarius Eberardi filius Forojulienſis, Lambertus à Guidone ortus, Ludouicus Bosonis filius, Rodulphus Burgundiæ Transiuranæ Regulus; Hugo Comes Arelatensis, Lotharius Hugonis filius; tum ipsam Ecclesiam diuexarunt fœdè, ac propemodum euertissent, si diuinâ ope non fulciretur. Sed ista, ne va-

Francia & Italia status.

ger

ger extra limites Franciæ, quorum interest scripserint; viderintque Ecclesia quantum huic illi debeat, quâ oppressâ hæc pene subuersa est, iactata saltem procellis sæuissimis. Nihilo commodius Franciæ fuit, cui ex amplissimâ Caroli Magni stirpe, vnus supererat Carolus, Ludouici Balbi quem posthumum dixi, quemque sua ætas Simplicem seu Hebetem nuncupauit, ob ingenuos mores, vel stupidos. Is nono anno nondum impleto, cum tanto ponderi crederetur impar, ad easdem angustias rem agebat publicam, quibus à Carolomanni morte conflictata fuerat. Imo haud paulo maiores, quia Franciæ Proceribus erat constitutum, Regem à Germanis nullum arcessere, iam glisscente æmulatione gentium & Francià in appendicem Regni futurâ: Præterea noui in dies exurgebant Reguli, vel qui penitus regni membra à trunco diuellerent, vt Boso qui se Regem Prouinciæ, Richardus frater Ducem Burgundiæ Cisiuranæ, Transiuranæ Regem Hugo dixerant; vel qui Ducum Comitumve titulo prouincias administrarent ad nutum, & quod precarium fuerat, hæreditarium posteris facerent, Ergo Franci Proceres vno consensu, re deliberatâ ad Eudonem siue Odonem Parisiensem Comitem se conuertunt, qui dum Rex adolesceret, rem susciperet publicam, ac manu & mente impeditissimam expediret. Erat Eudo è Roberto natus Comite Andegauorum cum Roberto fratre natu minore, quem illuminabant tum paternæ dotes, tum suæ: nam Robertus is fuit, cui pepererant præclara facinora fortis nomen, sub Carolo Caluo, in Normannos Franciæ ensis & clypeus, ab iis demum cum audacius pugnat interfectus; Eudonem commendabat etiam mater Adelais Ludouici pij filia, Roberto nupta nobilitatem cumulante gloriâ in obsidione Lutetiæ partâ, vt vnus è Proceribus, facile capax imperij videretur. Iamque Aquitanici tulerant prærogatiuam, Eudone in Franciæ tutorem lecto, posteaquam Carolomannus abierat. Nec Carolus Crassus dissenserat, qui Hugone Abbate præclarissimo fortissimóque viro demortuo, eius dignitates in Eudonem vterinum fratrem contulerat, nec abnuerat, quin Francorum Dux appellaretur. Scilicet cum tam multa vni supperterent, iámque inuidiam restinxisset virtus, vnum Francis ad vota deerat Eudonis voluntas ad Regnum tractandum; sapientissimo viro æstimante quanti esset, imperium in pares & in principem ipsum vsurpare. Eam vt expugnarent, Franci, Burgundi, & Aquitani Principes globo facto ipsum conueniunt & benigne excipientem affantur. *Non agi iam de Ciue aut de ciuitate seruanda, versari in periculo grauissimo rem vniuersam, breuique nisi succurratur interituram: offocandam enimverò Franciam inter angustias, nisi liberiorem emittat spiritum; hinc Germanos ab Lotharingia premere, inde à Prouincia Bosonem; vtramque Burgundiam discerptas ab Richardo & Hugone; imminere Normannum, hostem perpetuum solisque cladibus perdomandum; vnde Francia vires contra tot mala, nisi robur & spiritus ad reliqua membra fluant à capite; sitque Princeps cuius ductu atque auspiciis regantur cæteri atque excitentur: cum Francis morem ab ortu inditum vt ad suos Reges se ipsi conforment, fortes cum fortibus, ignaui cum timidis, in vtramque sortem recens exemplo; cum Carolo magno victores Orbis; cum Crassone vnius quidem gentis, ac contemptissima.*

CAROLVS CRASSVS.

Eudo tutor an Rex eligitur.

EVDO. *Ergo à Rege populorum salus, qui si nullus sit, nullam esse salutem oportet: etenim nullum esse calamitate temporum constat; nam Carolus per quid eo nomine censeatur? quem regi adhuc sit necesse, non regere, qui consulere aliis adeò non potest, vt ne sibi quidem; qui tractare ferrum dextra non potest, qua necdum calamum; erit illi quidem honos suus, nec sinant superi vt Caroli magni soboles regno expungatur, at suo tempore vbi corpus & animus, vires & peritiam rerum assequentur: Prouidendus interea qui Regem simul regnumque procuret, alterumque alteri seruet incolume, qui nec commodius neque honestius peti, quàm ab ipsâ Franciâ debeat, nisi velit ipse à feroci Germanorum gente Arnulphum arcessi, adolescentem, imperitum rerum, temerarium, sua gentis fortunâ, velitque Franciam hactenus dominam & regnorum fontem atque originem, alieno mancipari imperio, contumelioseque seruire, & fieri accessionem leuissimam, quæ caput esset omnis dignitatis. Hortabantur itaque, pateretur se vel in Regem, vel in Regni Regisque tutorem inuigi; Regique si studeat, seruet ipsi Regnum securum, postea, si superi velint, adeundum; si patriam periculis ereptam velit ipse eripiat, nec pudore suo vel contumacia, præcipitem trahi in ruinam sinat.*

Anno 888. His similibusque Eudo pulsatus, nondum tamen victus, Francis adactus est regni curam suscipere; & ab Gualterio Senonensi Archiepiscopo inunctus est, indigno Procerum ipsiusque facinore, cum Carolo Rege legitimo nemo alius inungi debuerit: verum audaciæ & ambitioni, cum æquitate & iure non bene conuenit.

XXIII. *Normannorũ vruptio.* Eudoni in Regnum prouecto primus labor in Normannis fuit. Ii amne Sequanâ vsi in Neustriæ calamitatem, vnam vrbem Parisios amni impositam vt claustrum atque repagulum reuellere atque euertere, omni ope & erant antea connixi, & eo tunc anno omnibus viribus contendebant. At frustra positâ operâ, fortitudine ciuium vrbem admirabiliter propugnante, experiuntur, vtrum euadere per amnis aggeres possent, & relicta vrbe à tergo, (quæ posita in insula, duo inter sequanæ brachia) aduerso fluuio in Burgundiam penetrare, quam vt intactam & suis prædationibus illibatam, maximoperè ingredi & percursare armis cupiebant. Verum & id consilium irritum fuit, nam Parisienses, vel rati hostes permisso amne admoturos ad murum machinas, vel explorato consilio superiorem amnem, vnde commeatus largior, præcepturi; objiciendo quà munimenta, quà aggeres, quâ nauigiâ, quà seipsos repulsis semper Barbaris, noui consilij necessitatem fecerunt. Nec protelatum diutius, initurque inconditum ex temeritate & robustis viribus facinus: nauigia è fluuio in siccum retrahunt, & imposita partim plaustris, partim ipsorum vehentium humeris, longo circuitu duorum millium, supra ipsam vrbem in alueum apertum & incustoditum deferunt, nautæ eximij, quibus dorsum & humeri pro ventis forent & nauigabili amne, quique verè vectores nauigia veherent, non veherentur. Ita liberis in vtramque ripam excursionibus, ad Icaunam fluuium, vnde in Burgundiam aditus nauigant, eoque similiter superato, ad Senones validam & opulentam vrbem se applicant, spe facilis oppugnationis, quâ perfectâ, via amplissima in Burgundiam totam patefieret. Castris illico fossaque latissima vrbem claudunt, moxque lentâ obsidione,

Normanni humeris naues vehunt.

Ionne.

Sens.

obsidione, omni machinarum genere aggrediuntur: Ciues egregiè nauatâ operâ, munimenta propugnant tam fortiter, vt post semestrem obsidionem, Barbari abiectâ spe expugnationis recesserint; Burgundiâ tamen direptâ misere & incensâ. Inde amne secundo rursum Parisios deferuntur, & nauigationē intercludentibus molitionibus ciuium, iterum iram & indignationem in muros expromunt, tandem fatigati obsistentium viribus, rursum aduersō Sequana nauigantes, Matronam amnem ingrediuntur, totamque Campaniam deuastantes, Trecas vrbem capiunt atque incendunt, vagatique longius Tulli & Virduni suburbia populantur. Tandem prædâ graues nauigia repetunt, iamque tertiùm vecti Parisios, omnique adhibito ad aperiendam viam conamine, cum haudquaquam proficerent, iterum dossuarij remiges terrestre iter emensi nauigiis, se receperunt in Sequanam, ac versi ad lævam, Constantiensibus igni & ferro tantùmnon deletis; ad Aremoricos daturi tandem tot cædium pœnas diuerterunt. Aremoricos duos inter principes Alanum & Indicheilem, factiones geminæ dirimebant; eò periculosius, quòd de imperio contendentibus, mortem inter atque imperium, nihil esset medij. Eam ob rem priuata vtilitate restinguente publicam, neuter in communem hostem vires exerere; opportunius rati si æmulum publica pestis inuolueret. Ita obiectæ Barbaris copiæ impetu primo cæduntur, ac latè agri diripiuntur. Donec comperto quanta vtrique immineret pernicies, clademque alterius ad cladem æmuli viam sternere; per internuncios reconciliati, statuunt hostem communem viribus iunctis repellere, atque imperium, de quo lis postea foret, conseruare. Verum & Indicheilem æmulatio gloriæ rapuit: Quippe vt victoriam æmulo præriperet, cui vt ætate, ita & prudentiâ concedebat, solus in hostes ducit, primaque acie fundit ac sternit: At eos persequutus incautius exceptus à fugientibus interficitur. Alanus iam sine controuersia Britanniæ princeps, viribus vtriusque factionis contractis, Normannos ab Indicheilis cæde confirmatos aggreditur, vouetque, si victoriam referat decimam bonorum partem Deo & sancto Petro Romæ offerendam; toto exercitu in simile votum coniurante: inde cœlesti ope fretus cum hoste confligit, potiturque victoriâ, quindecim millibus Barbarorum cæsis, vix quadringentis fugâ seruatis. Ita prædonibus vbi diu impunè fuerit, suum est patibulum, piratisque sæuissimis scopulus suus. Ab ea clade Franciæ à Normannis aliquantulum otij fuit, & in Lotharingiam auersa calamitas; torrentis instar; ab altera ripa quam aggeres muniunt exundantis in alteram. Nec ideo Eudoni regnum tranquillum & pacatum fuit; statim enim arma in Valgarium Comitem prompta. Is Eudonis Nepos aliquot Procerum conspiratione, adolescens nobilis, amplitudinis cupidus, in spem regni adductus; quod occupantis fore videretur, rebellat in auunculum, Laudunumque firmam & munitam vrbem inuadit, inde turbas propagaturus in cæteras: Quod malum auersurus Eudo, vrbi confestim exercitum admouet, obsessamque cogit ad deditionem, Valgario potestati suæ contradito: quem mox euocato conuentu publico, damnatum conuenientium calculis, vt reum majestatis, truncauit capite solemni successu ambitionis infirmæ. Superarant coniurationis reliquiæ in Aquitaniam

EVDO.

Anno 890.

Bretagne.

A Britonibus vocati.

Eudo Valgarium rebellem vincit.

Laon.

EVDO. sparsæ, Ranulphus, Gosbertus, & Ebulo Abbas sancti Dionysij; quas persequuturus in eam prouinciam Eudo progreditur.

XXIV. *Carolus Simplex in Regem vnctus.* Eudone in Aquitania agente ad exscindendam conspirationem, noua molitio longeque honestissima à Proceribus Francis excitatur. Eius autor & ductor Fulco Archiepiscopus Rhemensis, demortui Hincmari successor, vir pietate & prudentiâ ciuili conspicuus, cui adiuncti præter cæteros, Heribertus & Pipinus Comites. His in conspectu erat Carolus Ludouici Balbi Posthumus filius, iam pubertatem nactus, annum à decimo quartum impleuerat; nullo honore, nullâ regiæ stirpis prærogatiuâ, vilis propemodum ac despicatus, priuatam vitam vix tutam degebat: *Occurrebat in eo Martelli, Pipini & magni Caroli seges amplissima meritorum, quos heres vnicus referebat; miseri adolescentis occursabant animo lugubres casus, iam orbum patre in lucem editum, atratis pannis pullatisque cunis exceptum, regno natum semperque electum, tutoris nomine euocatum Carolum patruelem, qui pupilli bona diriperet; eo abdicato prædonem nouum insurrexisse, qui è priuato & subdito proditione turpissima in pares & Regem vsurpet imperium, & titulo gubernationis latro inuadat in patrimonium alienum. Sat patientiæ datum Rege impubere, nunc ipso natura legumque placitis sui suarumque rerum potente, iuri tandem consulendum & æquo, nec tyranno sæuiendi modum prorogandum vlterius.* Anno 892. Eo consilio vsi absentia Eudonis, Episcopi Procereſque haud pauci, Carolum in Regem cooptant, inungitque Fulco solemni ritu. Moxque dat litteras tum ad Arnulphum Germaniæ Regem, quibus facti rationem reddit, docetque Franciæ Regnum à stirpe tradi non electione; Carolum Regem esse legitimum, Eudonem tyrannum; tum ad Formosum supremum Pontificem, tum ad Vidonem Imperatorem opem à singulis eflagitans ad vim opprimendam, iusque sanciendum. Eudo interea, rebus in Aquitaniâ vtcumque compositis, celeriter regressus, regni tenacior quam ius ferret, longeque obstinatior in eo retinendo quam fuisset in recusando; adeo piceum imperium, est adhæretque tractanti, Roberto fratre adscito, cum exercitu valido mouet in Carolum, & æquitate firmiorem quam viribus dat in fugam, regnoque exigit. Carolus impos consilij ad Patruelem Arnulphum tunc habentem comitia regni Vormatiæ, opem imploraturus se confert; & delinitum muneribus, excusans quod iniussu eius regnum capessiuisset, amicum præstat atque beneuolum. Tum ad eius gratiam plane expugnandam, regnum quasi antea incerto iure vsurpatum, sibi ab Arnulpho conferri patitur, vt necessitatem asserendi doni sui imponeret, & mendaci beneficio verum educeret. Ita Episcopis, Comitibusque Lotharingiæ iussum, vt Carolo frequentes adesseut, armisque possessionem Regni conficerent. Et quidem obtemperatum est, paratis copiis quæ extorrem Regem throno reponerent, sed virtutis species imperari potest, virtus ipsa non potest. Carolus cum Austrasiis magno tumultu ad amnem Axonam in Campania penetrat; tuebatur Eudo ripam oppositam numeroso fortique milite, paratâ pugnâ si hostis transmitteret; Austrasij confidentia Francorum perterriti, nec ausi decertare prælio, deserto Carolo, se in sua quique receperunt oppida, alienæ iniuriæ tam mali vindices quam

Eudo Carolū pellit.

Finis.

suæ

suæ cauendæ seduli vigiles. Carolus omnium inops in Burgundiam fugit, crebris excursionibus regnum infestans, quod tenere non poterat. Amoto Carolo, noua Eudoni orta molestia, ex vicino potente & cupido. Arnulpho erat ex pellice filius, quem Zuentibolcium barbara voce inauditaque hactenus Francis, de chariſſimi aulici nomine dixerat, is in primo adolescentiæ flore, in publico Vormatiensi conuentu, à patre Lotharij Regno præficitur, euocatis Austrasiis, præuioque consensu. Eum in conuentum Eudo & Carolus certatim miserunt, ad demerendam veteris nouíque Regis beneuolentiam, tulit tamen priores Eudo, seu diligentiâ seu fortunæ cursu, beatos potiùs quàm miseros promouentis. Venit itaque Vormatiam perbenignè ab Arnulpho exceptus, donis magnificis cumulato, & postulatis ad stabilimentum Regni impetratis, successu exultans Franciam repetit, obuioſque fortuito legatos Caroli, Fulconem Rhemensem & Adalongum Comitem, ad Arnulphum missos, easdem ob causas ferro aggreditur, cæditque Comitem, eripiente fugâ Antistitem. Nihilominus Zuentibolcius regno admissus, & ab vtroque statim expetitus, ad Carolum se se applicuit; præclarâ in speciem & laudabili amicitiâ, qua calamitosum Regem sed legitimum, opulento & potenti, at inuasori anteferret; sed ipsâ re turpi & perniciosâ cupiditate, vt pulso Eudone prætextu & iustitia Caroli, ius vnius & possessionem alterius tutò inuaderet. Igitur eam in laruam comparato magno exercitu, Laudunum vrbem, quæ tunc Franciæ iis in partibus propugnaculum obsidet; totisque viribus oppugnatam, premit; voto frustratus, fortitudine obsessorum, muros ipsos suis corporibus munientium: quocirca aduentante cum exercitu Eudone, & obsidionem soluit & incepto destitit; renunciatis tam Eudonis odio, quam amicitiâ Caroli. Nec alia spes affulsit Carolo, sæpius deliberanti Normannos euocare in opem, quando à suis proderetur nefariè, nisi interceſſiſſet Fulco, tam in Regem fidus quam in Deum, barbarisque auxiliis absterruisset optimum Principem, spe factâ cœlestis subsidij. Quod demum incogitanti oblatum est, fato Eudonis, quem morbus Feræ in Picardia rapuit; magnus vir haud dubiè si minor fuisset, nec præripuisset Regi imperium; sernatum illud quidem, sed sibi, quippe multum interest, iusta agere, & iuste. Sepultus est in Regum Mausolæo, fortunâ ipsum etiam funus coronante.

CAROLVS SIMPLEX.

Anno 895. *Eudo Zuentibolcium repellit.*

Morbo moritur. Anno 898.

XXV.

Eudonis morte omnium votis exceptus est Carolus, quasi sanatâ oculorum albugine restitutus passim visus Proceribus; nulloque renitente in possessionem Regni admissus est. Eo proiecto paucis annis Arnulphus iam Imperator è viuis raptus est morbo pediculari; purpuram enim etiam insectorum viliſſima ambiunt; & Ludouico legitimo filio & hærede (in quo postmodum Caroli magni stirps in Germania exaruit) Zuentbolcius nothus erat deiectus Regno Austrasiæ, iuuenem impotentem animi corruptumque vitiis vniuersâ gente eiurante. Eaque res conferebat in pacem Franciæ, amoto principe audace & turbulento, alioque suffecto, cui præter molestiam absenti procul, voluntas & facultas infestandi Franciam deforet. Ita aliquot annos præteritis calamitatibus pace consultum est; donec Norman

Arnulphi mors.

Normannorum inuasio.

CAROLVS SIMPLEX.

Normannis magno & infenſo agmine Ligerim & Sequanam inuadentibus, iterum ad terrorem & arma eſt ventum. Quæ belli ſeries quiſve modus, incertum admodum vt reliqua fere, ad Hugonem Capetum: ex fine conſtat mutuas clades, & mutuam laſſitudinem fuiſſe; ſiquidem Rollo aut Rodulphus Normannorum Princeps, vltro, percuſſit fœdus cum Carolo; quò victoris partim, partim victi conditiones daret atque admitteret. Victoris fuit; quòd illi & ſuis Neuſtriæ pars, quam ſupra deſignaui in Carolo, attributa eſt poſſidenda; victi, quod iure Beneficiario, & cum onere præſtandi hominij, tranſiuitque præterea in Caroli Religionem, bonâ fide ſacris vndis ablutus, cum toto exercitu, Giſlâ Caroli filiâ in vxorem acceptâ: ita crudeliſſimæ gentis ferocia domita, conſultum prouinciæ, inani iam & vacuæ, atque impoſitum nomen Normannia, ipſeque hoſtis ad tuendi Regni neceſſitatem adactus. Imo iacturam rependerat Lotharingia, in Carolum hoc anno tranſimiſſa, quo Ludouicus Arnulphi filius è Caroli magni ſtirpe poſtremus in Germania ſine liberis obiit; Proceribus Lotharingis Carolum appellantibus, dum Germania ſibi dominum quæreret. Verum Carolo calamitas grauior imminebat, reuiuiſcentibus Eudonis partibus in Roberto fratre. Dudum ille priuatæ ſortis impatiens, inſtruebat clam machinas, Epiſcopis Proceribuſque abductis vt in Regnum inuaderet, ſi qua ſe opportunitas daret. Ea nata ex nimia Caroli beneuolentia, qua quendam Aulicum Aganonem proſequebatur; huic vni fidere, vnum conſulere, vnum audire, vni arcana mentis, conſilia rerum & prouinciam omnem committere, quodque Regum eſt vel infirmorum, vel diffidentium, non modo vnum anteponere cæteris, ſed cæteros ne longo quidem interuallo in ſecundas tertiaſve partes admittere. Id cum Proceres à Rege auerteret, poteſtatis partem ambientibus plurimum qui propiùs ab ea abſcedunt, obſeruante Roberto, & odij fomitem incendente, facta eſt ſtatim defectio, ac Robertus in Regem inunctus & coronatus. Carolum in hac rerum conuerſione, nec deſtituerunt vires nec animus; validum exercitum parauerunt Auſtraſiij, quo ſuffultus ad opprimendam rebellionem in Franciam venit; habetque hoſtes obuios ad Axonam amnem, haud procul Sueſſione; vbi pugna atrox atque anceps conſerta, quippe hinc Ducis, illinc militum victoria fuit. In æſtu prælij Robertus acerrimè dimicans, ad ſtabiliendam nutantem coronam, peremptus eſt; ſcribuntque multi ab ipſo Carolo necatum tyrannum, transfixo ore lanceâ Regis exſectaque lingua; nec facinori tam præclaro ſuum præmium fuit; Roberti ducibus tanto ardore pugnantibus vt Auſtraſij in fugam acti ſint, Rege ipſo victore ne caperetur, partes victi obeunte; ita ſuorum ignauiâ, cui opima ſpolia debebantur, hoſtis ſpolium fuit. Nec in eo fortiſſimi principis calamitas ſtetit, nam ob Heriberto Veromanduorum Comite Sanquintini in fuga exceptus & honorificè in ſpeciem; paulo poſt ab eodem coniurationis participe in cuſtodiam datus eſt, ac Caſtrum Theodoricium ductus, vitam reliquam in vinculis egit: hoc vno facto agnomen Simplicis meritus, quod perfido fidem habuiſſet: quanquam nec prudentis eſt ſuſpicari eum qui

Rollo primus Dux Normãniæ.

Anno 912.

Lotharingia Francia adiuncta.

Robertus rebellis in pugnâ occiſus.

Anno 923.

Rex capitur ab Heriberto.

Caſteau Thierri.

qui nunquam, nocuit, nec imprudentis illi se tradere, qui in potestate vel inuitum habeat.

CAROLVS SIMPLEX.

XXVI.

Rodulphus Burgundus regnum inuadit.

Rege capto deliberatum est inter coniuratos, iam sublato vtroque capite, quid ineundum consilij; nec dubitatum, quin nouus Rex eligeretur, Francica gente Regum cupidissima, verumque optatura, si personato & adulterino destituta foret. In eo seligendo, anceps fuit consultatio; inde Hugone Roberti filio ambiente natalibus, hinc meritis Rodulpho Burgundo Roberti eiusdem genero; quippe Emmam filiam vxorem duxerat, scribitque Glaber, Hugonem sororem Emmam missio fido nuntio consuluisse, vtrum mallet Regem, virum an fratrem; illamque indubiè pro muliebri indole, respondisse; malle se viri genu osculari quam fratris, gnara scilicet vxorem inter & sororem Regis quantum interesset; pararique Regnum trifariam, viro, sibi, & liberis. Vt vt sit de Hugonis mente, siue is ætate siue modestia Rodulpho detulerit, siue præcellentes Rodulphi dotes dubitationem omnem exhauserint, is in Regnum vocatus est, ac ab Seulfo Rhemensi Archiepiscopo Suessione vnctus & coronatus, Emmâ coniuge in eundem honorem admissâ. Erat autem dignus quouis fastigio, tum dignitate corporis, tum virtutibus animi, Richardi Burgundiæ Ducis filius, paternæque iustitiæ æmulator acerrimus, nisi hanc dira iniuria, in Carolum illata fœdè maculasset; adeo facilius est, ab aliis ius quam ab se exigere, plerumque virtute austerâ in modicis, in magnis præmiis molli & facili. Interim Edgina Regis Angliæ filia pridem nupta Carolo, audito viri casu in Angliam fugerat cum Ludouico filio, in appendicem paternæ miseriæ, iam extorre, & fortunæ, si Deus sineret, commodiori seruato. Attamen erat in vinculis Carolus, & tametsi orta Rodulphum inter & Heribertum altercatione, liberiori custodiæ sit permissus, tamen cito redintegratâ amicitiâ, nam vtriusque intererat non seiungi in odia; iterum Corolus arctiori carceri redditus, in Peronæ arcem missus est, vbi postmodum situ & squallore carceris obiit; dignus quem misereretur posteritas. Quippe haud dignus miseriis, quas ab cunis in sepulcrum tulit, in luctu natus, in vinculis mortuus, medio tempore sine regno Rex, & cum Regno miser. Rodulphus administrauit regnum virtute maiori quàm adierat, Normannis sæpiùs profligatis, ac Guillelmo Duce Aquitaniæ, & Gilberto Comite Cabilonensi aliisque Proceribus, imperium detrectantibus, sub iugum missis; iustitiæ tenax, legumque vindex acerrimus, vt à prædonibus, priuatisque cædibus ipso Rege immunis Francia aliquantisper quieuerit. Morbo obiit Antisiodori nulla prole in quam paterna inuasio transmitteretur.

Anno 923.

Caroli in Carcere mors.

Anno 928.

Et Rodulphi.

Auxerre.

Anno 939.

XXVII.

Ludouicus Trãsmarinus in regnum vocatur.

Iam Hugoni Roberti filio videbantur omnia ad Regnum occupandum prompta, corona ipsa caduca propemodum & sine hærede, iuris quædam species patris & patrui hereditatem cernentis, Procerum maior pars sibi addicta, ætasque magnarum rerum auida & capax. Contra Procerum ambientium studia, saltem æmulantium ne in parem sæpius transferretur sceptrum; in quibus Heribertus quanquam affinis, nam Hugoni auunculus, fide ancipiti; Hugo præterea Rodulphi inuasoris frater atque

LVDOVICVS TRANSMARINVS.

heres, iam vt patrimonium Regnum inspectabat; Adelstanus Rex Angliæ Odginæ frater, nepotem deturbari throno haud passurus, & fortasse pudor iniuriæ & moderationis intermedia securitas maior ad honestum & fas nutantem iuuenem inclinarunt: hoc vno facinore magni cognomen quod adeptus est postea omnino meritus. Habito igitur Francorum conuentu, autor est legitimi Regis ex Anglia reuocandi; *Plurimum hactenus contra ius & æquum noxarum contractum; præterita calamitatibus temporum danda; exorbitantibus in viam redeundum tandem; at quando legitimus Franciæ Princeps supereſſet, Ludouicus natus è Carolo; vnus è nobiliſſima ſtirpe Caroli Magni; ac prope diuinitus è Regni procellis per naufragia Oceani ereptus & ſeruatus; eum in thronum oportere euehi ſuccuſſum iam tempeſtatibus pluribus, ſtatim iuſto domino conſtabiliendum.* Omnium assensu Hugo auditus; quis enim Regnum repudiante illo expeteret; præterquam quod nunciabatur Aldestanus cum Guillelmo Duce Normanniæ, Rollonis filio, agere, ad iungendas vires, & Ludouicum auito solio restituendum. Decreta omnium calculis ad Angliæ Regem legatio, cuius princeps Guillelmus Senonensis Antistes, qui factis, cum infecta esse haud possent, veniam flagitans, Francorum omnium aperiret vota sibi reddi postulantium Regem; quem postliminio reducem, maiore post hac cultu, amore & reuerentiâ prosequerentur. Obita legatio; nec apud Anglum elegantibus verbis opus fuit, ad impetrandum quod cupiebat maximè vnde peteretur; duntaxat iusiurandum præbitum, & obsides dati in securitatem; reductusque in Franciam Ludouicus cum matre; luculento exilio quod pepererat Regnum; vnde

D'outremer.

& illi Transmarini nomen adscitum est. Optimates in quibus eminebat Hugo præ cæteris, exceptum Bononiæ celebri pompâ Laudunum deducunt; ibique ab Artaldo Archiepiscopo Rhemensi Chrismate vnctus est

Anno 936.

& coronatus. E tot proceribus detrectabat vnus imperium, Hugo frater Rodulphi, Niger dictus, vt Hugo Roberti filius Albus nuncupatus, ad

Hugo niger pulsus.

discriminandum vtrumque; isque Lingonibus factionem alebat; in eum igitur Ludouicus conuersus, oppugnauit vrbem tam validè, vt sibi Hugo metuens, noctu fugâ euaserit: parta inde Regi victoria, felixque iter Parisios cœptum. At Hugo vterque nouâ audaciâ Burgundiam partiuntur, Regique præter victoriæ nomen superfuit nihil. Sensum iniuriæ distulit

Langres.

Hungarorum irruptio.

Hungarorum in Franciam inundatio, barbaræ gentis, vniuersam Europam habentis in prædam, quæ Germaniâ Italiáque vastatâ, instar incendij longinqua per proxima rapientis, se effudit in Franciam. Ii pulsis Hunnis erumpentes ex Scythia, in Pannonia confederant, & præter figuram nihil quod hominum foret exhibentes, per sæuissimam immanitatem in captos atque innoxios grassabantur. Imò & figuram ipsam deformabant, nam matres longè sæuissimæ, vt ad crudelitatem fingerent liberos, recens natis laniabant vultus plagis inflictis, vt sanguinem sugerent, nondum poti lacte, assuescerent vulneribus, & effundendam in alios immanitatem haurirent. Nec Francis præsidium aliud, quam patientia fuit, miserorum atque inopum clypeus, toties Normannis oppositus; & rursum abscedentibus Hungaris, in ciuile bellum futurus vsui.

Etenim

LVDOVICVS TRANSMARINVS. XXVIIII.

In Ludouicū rebellio.

Etenim Hugo post iniuriam Regi illatam, gnarus minores obliterari maioribus, dum maiorum metu leuium sensus extinguitur, cum Proceribus in Regem coniurat; quorum princeps Guillelmus Dux Normanniæ Arnulphus Comes Flandriæ (iam à Balduino hæc Dynastia radices egerat) & Heribertus Veromandus: iisque accessit per imprudentiam & cupiditatem Ludouici, Otho Rex Germaniæ, cuius soror iam Hugoni magno enupserat. Postquam stirps Francica in Germania exaruerat; Regnum opulentum, quod iure spectabat ad Carolum Simplicem, gentis comitiis delatum est, primùm ad Conradum Franconiæ ducem; tum eo mortuo ad Henricum Aucupem dictum, filium Othonis Saxoniæ Ducis, ab Vitichindo Saxone illo fortissimo arcessentis originem; Henrico patri Otho successit, primus hoc nomine, idemque magnus rerum gestarum gloria & amplitudine, isque est quem rebelles modò cum Ludouico nostro componunt. Quippe Lotharingia Germanici Regni accessio, regebatur nomine gubernatoris, à Gilberto Duce Othonis affine, cuius sororem Gesbergam in coniugio habebat; is porro Othoni infensus, Lotharingiam Ludouico primùm obtulerat quasi iustam atque legitimam hereditatem; deinde bello in Othonem moto, & ab eo victus, Rheno submersus perierat. Tum demum Ludouicus, Austrasiis id summopere cupientibus, quibus Germanicum imperium graue esset, in Lotharingiam penetrat, regnumque occupat; Otho in vindictam fœdus arctius cum Hugone nectit, ductoque exercitu Ludouicum Lotharingiâ pellit. Rex inter has angustias, cum bello impar esset, pacis artes tentat; Et Othonem expugnat, abiectâ Lotharingiæ spe, ductâque vxore Gesbergâ Gilberti viduâ; mox Guillelmum Normanniæ Ducem aggressus, probum virum & ab omni noxâ sponte auersum, firmâ & probatâ donatione Normanniæ iuxta Caroli patris sancita, eum auocat à rebellium globo. Nihilo secius rebellantes in incepto perstant, vrbemque Laudunum, quæ vna dumtaxat Regiarum partium erat, graui obsidio premunt. Rex ad eam eripiendam cum in hostes duceret, conserto prælio, funditur fugaturque; vrbe nihilominus expugnatorum vires repellente. In eo rerum articulo, cum desperata omnia Regi, & abiecta forent, noua spes suscitatur; partim Aquitanorum in Principem fide, Guillelmo eorum Duce, cui capiti stupeo agnomen fuit, ob flauam prolixamque cæsariem, præclara subsidia deducente; partim Stephani summi Pontificis diris in rebelles pronunciatis, sed maximè Othonis adolescentis à fœdere temperantia; quo demum authore & conciliante, redintegrata est Regni pars clementiâ Principis condonante iniurias. Sanè Othonis laude haud modica; cui alienum detrimentum, vt plerumque aliis, non suum commodum foret.

XXIX.

Heriberti proditoris mors.

Nec tamen Diuina Iustitia in conspirantium pessimo connixit diutius in Heriberto Veromanduo nefario Caroli proditore atque carnifice; is cùm graui morbo plurimos inter cruciatus decumberet, vitâ ad exitum exitiumque vergente, monitus à suis, vt domesticis rebus, ac præsertim procurandæ animæ mentem intenderet, interpellatus sæpius id vnum respondebat, duodecim fuimus, qui in traditionem Caroli iurando consensimus: iisque

LVDOVICVS TRANSMARINVS.

vocibus ingeminatis, nullo pœnitentiæ signo animam vomuit, fine magis terribili, quàm quem commenti sunt de suspendio alij. Mox longè iniquior molestiorque cædes, Franciam nouis tumultibus conturbauit; Guillelmus Normanniæ Dux Monstrolum in Picardia castrum, vi ereptum ab Arnulpho Flandriæ Comite, receptum armis Eloino veteri domino restituerat; eam ob rem Arnulphus, cæcâ vltione in nefas raptus, Guillelmo innoxio necem machinatur: fingit sibi animum esse firmandæ cum Duce arctæ amicitiæ, petitque colloquium, quo indicto, conueniunt Pequiniaci vrbe, ad Somonam; & prope in insula quam ambiebat amnis circumfluens. Post amica verba vltro citroque commutata, cimbulâ in ripam Guillelmus enauigans, reuocatus à Flandro solúsque in siccum prosiliens, illico à percussoribus Flandri perimitur; vel vt scribit Glaber à Theobaldo Catnutensi Comite, auerso ictu truncato capite; frustra Normannis in obiectâ ripâ, ad tetrum spectaculum reclamantibus. Erat Longus Ensis agnomen Guillelmo, quod prælongo ferro succinctus incederet, admodum religiosus & cœnobiticæ vitæ amator, repertaque in ipsius gazâ cilicium, funis, & vestis Monachi quibus se deuouerat, expeditis ciuilibus rebus. Eiusmodi cædes non admodum grauis Hugoni fuit, quod Normannus à conspiratione primus defecerat, nec Regi prædam ex turbatione captanti. Itaque cum Guillelmo vnus dumtaxat filius ætate tenerâ supereſſet Richardus, nec tueri paternam ditionem posset, confestim Rex Rhotomagum aduolat, & puerum clientelare munus professum Laudunum abducit; honorificè in speciem vt dignius cum liberis Regiis aleretur, reuera vt Regiæ potestati obnoxius, Normanniam simul totam contraderet: secus tamen euenit quàm meditabatur ambitio. Arnulphus cædis conscius Regem adit, placatumque leni defensione obtensâ ad se traducit: inde Richardum fortè asperioribus à Rege verbis increpitum cum Osmo animaduertisset, erat is Normannis educationi ducis præpositus, nosceretque arcana Flandri commercia, suspicatus mali quidpiam alumno suo coqui; re cum eo deliberatâ, simulato morbo lecto decumbentem, intra fasciculum herbarum abdit; è cubiculo extra vrbem, vetante nullo, delatum humeris, mox fasciculo explicatum, apparato ad eam rem equo imponit, alioque ascenso cursu præcipiti Codiciacum, ad Comitem Siluanectensem ducis auunculum peruehuntur. Dux ab Comite perbenigne exceptus, Siluanectum ducitur, simulque Comes ad Hugonem mittit, oratum vt pupilli Ducis tutelam susciperet, & ab iniuria Regis defenderet, idque Hugo sponte pollicitus. Rex comperto furto, palámque testatus fidei suæ iniuriam fieri, Arnulphum in consilium adhibet, flagránsque vindictâ aut cupiditate, eo auctore ad euertendum à tutelâ Richardi Hugonem, qui vnus consilio posset intercedere, misso nuntio, offert dimidiam Normanniæ partem, quæ vltra Sequanam porrigeretur, si deserto duce, ipsi adesse ad occupandam prouinciam vellet. Nec conditionem Hugo detrectauit, fide atque officio vtilitati posthabitis, itaque expeditionem partiti, Rex ad obsidendum Rhotomagum, Hugo Baiocas simul diuersi proficiscuntur. Administrabat prouinciam

Montreuil.

Guillelmi Normanni cædes.

Pequigny.

Anno 942.

Coucy.

Bellum in Richardū Normannum.

Bayeux.

ciam Bernardus Danus fide in Principem suum spectabili, qui vtrique tempestati impar, eas vt diuideret, iustum & honestum dolum excogitat. Regem aduenientem Rhotomagi excipit, ipsum professus supremum dominum, promptamque obsequio prouinciam totam; posteà vbi penitus voluptate Imperij animum imbuit, apud ipsum conqueritur, quòd partem Normanniæ opulentiorem atque ampliorem Hugoni cessisset, cùm vniuersam ipse prouinciam haberet nullo negotio dictis obsequentem. Rex illico præceps in retia, cui minimè omnium fortunæ socius Hugo gratus esset, ad illum mittit qui iuberet à Prouincia sua abscedere, nec placere vexari qui sui forent: & is quidem in præsentia paruit, sed molestissime, vindictamque in Regem meditans; cuius facto ipse fine operæ pretio fidem fefellisset. Bernardus vno hostium amoto intendebat in alterum; clam scripserat ad Aygrotum regem Daniæ, Richardo affinem, inuasam pupilli, à Rege Franciæ ditionem, & discrimen vitæ imminere, nisi ferantur suppetiæ, si ipse adesset cum nauibus, vtrique damno posse occurri. Nec Aygrotus cunctatus cum nauibus vicenis binis Cæsaroburgum appellit, copiasque exponit; Bernardus velut totius fraudis inscius, ficta trepidatione Ludouicum monet, Danum exscensionem fecisse, remque versari in discrimine: Ludouicus contractis copiis Lauduno quo iam recesserat mouet Rhotomagum, socioque Bernardo, rectà in hostem; ibi conciliante Bernardo, spe concordiæ facta, si Duces colloquerentur; Rex comitantibus paucis, in colloquium venit; erat in comitatu Regis Eloinus cuius causa nex illata Guillelmo fuerat, id obseruans è Danis vnus, proditionem homini exprobrat, quod in Richardum staret, quem vnus tueri maximè atque defendere debuisset, simulque stricta bipenni in eum irruit & cæsum obtruncat, mox colloquio in dimicationem verso, Franci imparati ab expeditis Danis opprimuntur, Bernardo cum aliquot Normannis in Francos pugnantibus: Rex ipse dum adornat fugam à Dano capitur; captiuusque à Bernardo Rhotomagum ducitur, primo Normannicæ fidei experimento & iusta cupiditatis pœnâ, per opulentiam ad inopiam redactæ. Gerberga vbi Regem captum audiuit, ad Regem Angliæ, & Othonem fratrem adiens enixè opem efflagitat, quâ cunctante ad Hugonem versa, huius interuentu libertatem Regi conficit, magno ad infortunium incremento, quod ab inimico & æmulo Rex tanto beneficio obrueretur: præterquam quod Hugoni in pretium operæ Laudunum castrum Gerberga tradidit. Dati Bernardo pro Rege obsides Lotharius filius, & duo Præsules, iique dimissi, Richardo Duce suorum ingenti lætitiâ in ditionem patris restituto.

LVDOVICVS TRANSMARINVS.

XXX. *Ludouicus in Hugonem mouet.*

Hugo interim gloriam liberati Regis regno anteferens, quippe Martelli instar ducebat amplitudini haud paulo maiori imperare Regibus quam Regno, probatâ Richardi indole atque potentiâ, eum sibi deuincturus arctiùs, cooptat in generum, desponsâ Agnete filiâ; hoc vno vinculo authoritate Regis missâ in vincula. Nec id Regem latuit,

LVDOVICVS TRANSMARINVS.

Arnulpho Flandro periculum augente, & periisse Franciam, exclamante, nisi quamprimum vterque periret, quippe vafer & callidus, sibi necessario pereundum videbat, si Richardo vindicandi patris facultas esset. Ideo Regem certum consilij, at modi dubium, impellit ad imploranda Othonis subsidia, potentem opibus inclytumque gloriâ Principem; *E Germaniâ numerosissimas copias posse educi, expugnandam vtilitate propria voluntatem, ac quando Austrasiam possessione obtineat, ius omne in eum atque in hæredes conferendum; nihil noui Francia deperire, imò iacturâ perleui redimi securitatem ac Regni stabilitatem.* Adductus in sententiam Ludouicus, Arnulphum ipsum ad Othonem legat: quippe nemo persuadet efficacius, quàm sua quem vtilitas damnique fuga iam persuaserit; & Otho Arnulphi industriâ Regi se adiungit, seu præsenti lucro Austrasiæ comparatæ, seu futuro ex motibus Franciæ, seu facinoris laude & gloriâ, Rege à seruitute turpi vindicato. Eo consilio numerosissimum scribit exercitum, copiisque quas tum Rex, tum Arnulphus legerant iunctis, primum Hugonis terris Parisios vsque vastatis, Rothomagum iræ & vindictæ scopum armis collineantibus proponunt. Otho interim nepotem præmittit, qui vrbis situm speculetur, locúmque ad metanda castra opportunum; at totius belli prærogatiuâ, eruptione ex vrbe factâ, fortissimus iuuenis interimitur, magno Othonis luctu & dolore. Nihilominus capessitur obsidium, visque intentatur oppugnatione acerrimâ, Normannis tamen obsistentibus fortiter. Otho aduertens copias suas imminui, fructumque expeditionis in Austrasiâ collectum, soluit obsidionem nullo inde detrimento, an graui sequuto, incertum. Scribit post Annales veteres Gaguinus, Othonem pertæsum diuturni obsidij, constituisse belli facem Arnulphum Richardo tradere, qui præteritæ cædis bellorumque præsentium repeteret pœnas; quod subodoratus Arnulphus, nocte concubiâ clam se castris proripuit, properauitque in Flandriam, statimque Reges cognitâ Flandri fugâ, discessione soluisse castra, tumultuario recessu. Additque Normannos hæsisse vestigiis pene fugientium, ordinesque postremos magna strage turbasse. Contra Germani suæ gloriæ assertores, Othonem vbique victorem insinuant, qui rebellibus profligatis, & vindicatâ Ludouici authoritate, nullo suo præterquam laudis emolumento reuersus sit in patriam: in hac discrepantia, vt meum non est, arbitrum agere; ita liquidò affirmem, quæ sequuta sunt illico cum Germanorum scriptis non conuenire: quippe Ludouicus Hugoni admodum impar, apud Synodum Ingelesminsem calamitatem suam deplorauit, postulauitque arma sacra in Hugonem & socios expediri; quandò profana tam infirma forent, à qua Synodo ad Treuirensem proxime habendam dimissus, ægrè impetrauit vt ab Episcopis, Hugo & Comites Ecclesiæ diris percellerentur; gladio sane terribili, sed in peruicacem animum hebeti, lugendâ principis sorte, cum his dumtaxat instructus viribus, aliunde infirmus est iniuriæ obnoxius. Postea nouo exercitu ab Othone submisso, quædam species pacis contracta est, & neruo authoritatis penes Hugonem perstante,

Ludouici obitus. Anno 954.

stante, fulgor Ludouico Regi restitutus, partaque tranquillitas aliquantula. Sub cuius initia Rex interiit; dum enim lupum fortè oblatum persequitur, equo deiectus, casu morbum contraxit, quo paulo post Rhemis extinctus est, patre nusquam felicior, iisque iactatus in regnando procellis, vt cum patre melius actum existimem, dum agebat in vinculis, quàm cum filio dum sedebat in solio.

LVDOVICVS TRANSMARINVS.

XXXI.

Ex pluribus liberis quos Gesberga Ludouico pepererat, duo superauerant Lotharius & Carolus, quorum Lotharius annorum tredecim, Rhemis consensu omnium in Regem vnctus est; assertis Hugoni dignitatibus suis, qui propositi tenax abstinendi à Regno seu honorum satietate seu Othonis metu, infirmæ mulieri Regique puero omni ope affuit, Regnumque confecit. Redintegrata inter Regem Proceresque concordiâ, Hugo in Britones expeditionem suscepit, ambito Aquitaniæ Ducatu, obsederitque Pictauium vrbem primariam infausto admodum euentu, nam continuatis tonante cœlo procellosis imbribus, ipsiusque tentorio de cœlo tacto, irrito incepto ab vrbe abscessit, sancti Hilarij, vt obseruat Ammonius, propugnatione, vrbem liberantis, & ambitionem plectentis. Nec diu Hugo pudori superfuit, morbo anno proximo è viuis raptus, cum Magni agnomine, perpetua fortitudinis & ciuilis prudentiæ laude: Regum filius, pater patruus per vxorem frater; ac potestate contentus regia, titulo pepercit, idem Albus dictus, ob candorem vultus atque Abbas, quod Abbatias plures possideret. Hugoni maximo è natis filio Parisiensem comitatum dedit, atque opimam hæreditatem, patris nomen & authoritatem; isque est Hugo, qui auo quam patri ambitione similior, optabit Regnum obtinebitque: Othoni secundo filio, legauit Burgundiam, quam deinde Henricus natorum tertius Othone mortuo adiit: Agnes, vel Emma, Richardo Normanno nupserat. Mirumque authoritatis tantæ Hugonem fuisse, vt ea superstes mortuo & illibata, pupillos heredes ab omni iniuriâ tutos defenderit. Lotharium Hugonis consilio orbum, Theobaldus Carnutum & Blesensium Comes, vir probatæ peritiæ an versutiæ, vnde & fallacis nomen obtinuit, cum Gesbergâ matre moderabatur, & quod plerumque Regnis Regibusque perniciem parat, priuatum odium calamitate publica vlturus, Regem in Richardum Normanniæ ducem incendit, perinfensus Normanno ob cædem illatam patri; tum ob vicinitatem atque confinia, tum æmulatione & inuidia, vt amplitudo proxima sibi officeret. Regi igitur Richardi dotes præclaras admodum mentis & corporis, potentiæ magnitudinem, affinitatem cum Dano, immensum augens, suspectas facit, & paterni carceris reuocata memoria, quantumque periculi res Francica adiisset, impellit ad perdendum æmulum, obicemque potentiæ amouendum procul. Id facilè persuasum Lothario, generoso iuueni & obruendæ paternæ ignominiæ studiosissimo, quæsitaque occasio, qua Richardus ætate ferox & viribus, honestè bello appeti posset: ea statim oblata, euocato ad profitendam clientelam Richardo, positisque insidiis, in quas incautus improuidúsque irrueret;

Lotharius.

Hugonis Magni mors.

Richardus Normannus Bello appetitus.

LVDOVICVS TRANSMARINVS.

irrueret ; ad flumen Elnam consedit Lotharius selecto milite, Theobaldo & Balduino Flandrensi, qui Arnulpho Patri successerat, adiunctis ; cum ad obiectam ripam Richardus inuectus, & collectâ suspicione speculatoribus missis, ex quibus resciuit stare trans amnem armatos ; periculi certus, fortissimos suorum ad sustinendam vim hostium, si transirent, dispositi, tuto ipse reditu Rhotomagum se recipit. Lotharius eâ spe deiectus in apertum bellum prorumpit ; iam honesta materia, quod detrectaret clientelam Normannus. Normanniam itaque exercitu magno inuadit, nec Rhotomagum ausus impetere, Ebroicas vrbem amplam & populosam circumcingit, expugnatque confestim, Gilberto quodam fabro ferrario prodente ; nec proditionis modus conscribitur. Lotharius præsidio imposito Carnotensi Comiti vrbem commisit, seu gratiam ipsi, seu molestiam hosti facturus, tum Parisios versus recessit. Inde bellum in prædationes & conflagrationes desciuit ; Hinc Normanniam Carnotense, inde Normanno Carnutes, & magno cum fœnore deprædante : & recrudescebat ferri sæuitia, Rege delectus magnos indicente ; atque Erardo Danorum Rege in affinis opem cum instructa classe iam appulso, cum Franci Episcopi internecini belli miserias auersuri primum Laudunum Regem conueniunt, ingruentem calamitatem deplorant, rogant, *Attrita plebis misereatur, ne Danum infestissimum hostem tot redemptum malis, iterum leui prætextu in Franciam vocet, post nullo pretio, nulloque periculo repellendum ; multo satius belli hanc facem nondum accensam, nec dum auctam incendiis, retro vltra Oceanum pellere, quam inflammare, & fomitem ad ruinam Franciæ subdere.* His Rex motus accusatâ Normanni peruicaciâ, in Dominum suum contumeliosâ, tamen à pace non alienum se dicit, quæ honestis & tutis conditionibus staret. Quapropter Carnotensi Episcopo facultatem facit, Richardum adeundi, ac de pace ex opportunitate agendi. Apud Normannum vir sanctus conqueritur. *Quid tantopere causæ sit, cur princeps Christianus probitate morum insignis non modo in Regem suum arma commouerit ; sed gentem perfidam & detestabilem cultu idolorum, ad vastationem templorum sacrarumque rerum perniciem per tantum nefas excierit.* Ad hæc Richardo naturæ iura excusante, & se modo vi depellere vim affirmante, nec vocatos Danos nisi vt stricto iam ferro scutum opponeret, facilè conuenit vt pactis induciis, de pace interea deliberaretur : si tamen Ebroicis Theobaldus accederet, exiretque Normanniâ ; Richardo obfirmato, nullum fœdus admittere, nisi victoriâ, discessione æmuli, reportatâ ; idque impletum est, relictis ab Carnotensi Ebroicis ; primâ belli causâ, iam instrumento pacis, quanquam ignominia sua & iactura : cætera haud grauatè contracta, iurante in clientelam Normanno, & Rege Franco in amicitiam. Gloria penes repellentem fuit, qui nullo suo facto lacessitus retudisset iniuriam ; supra parem & iuxta dominum.

Eureux

Regno

Rogno tranquillitas maiorque ætas Regi accessit, ac deinceps vt fit bellum ex pace, ex iuuentute confidentia orta, Lotharium Regem, auitâ gloriâ iuuenilem animum lacessente; pungebat Austrasia, per socordiam aut miseriam Aui à Germanis rapta; & vrgebant querelæ Francorum assiduæ, præclaram prouinciam à Regno diuelli, tradique externis expostulantium acerbe; quorum dolore vsus Lotharius, contrahit militem ad inuadendam Austrasiam. Iam Otho Imperator, auunculus Regis, Magnus ob gestorum gloriam dictus, fato obierat, successeratque in Germaniæ Regnum atque imperium Otho filius eo nomine II. Regis patruelis atque Hugonis: Is ad motum Francicum, traiecto Rheno, ad defendendam Austrasiam Aquisgranum cum vxore venerat; lentóque delectu copias instituebat. Lotharius comperto frigere bellum apud hostes, Othonem Aquisgrani agere multa securitate, defensoribus raris, vxoremque duxisse, incommodum belli instrumentum, celeritate magna contractas ad Regni limites copias in Austrasiam immittit, & instar fulguris Lotharingiam penetrans, famâ expeditionis præoccupatâ, improuisus Aquisgranum aduolat. Pransurus Otho accumbebat mensæ cum coniuge; cum subito rumore percellitur, aduehi hostem, imminere portis, metuque & tumultu consternari omnia atque concidere; nec fama inanis. Quippe vix præcipiti fugâ Imperator cum coniuge & charissimis Aulicorum in tutum euaserant; cum Lotharius indefensam vrbem ingreditur, rectaque in Palatium, instructam quidem mensam, sed deficere conuiuas reperit. Hinc præda auctus, totaque Austrasia sub iugum missâ, Franciam repetit, charissimus suis felicitate successus. Otho interea fugæ contumeliâ, Regnique iacturâ percitus, ingenti exercitu, quem qui augent ad ducenta millia, qui imminuunt, ad quinquaginta adscripta referunt, Austrasiam primum, mox Franciam inuadit, iuratus se lanceam Parisiorum muris infixurum: & incunctanter ad vrbem accedit. Primus impetus in suburbium proximum hosti effunditur, eoque subiectis flammis flagrante, dum ad portam ardentius militem Otho impellit futurus voti vt sperabat reus, subito erumpente Franco repellitur, suorum strage haud modicâ, in quibus ipsius Nepos, spei eximiæ adolescens. At Lotharius strenuè incumbens parandis subsidiis, Hugone & Henrico fratre omni ope connitentibus, iusto iam exercitu in Othonem mouet, munitissimam ciuitatem frustra oppugnantem. Qui ne vrbem inter hostilemque exercitum interciperetur iam sui cautior, quam alieni cupidior, soluta obsidione magnis castris versus Germaniam properat. Incensus prærogatiuâ victoriæ Francus, vestigia properantium terens, ad amnem Axonam, qua Suessionem allambit, trepidantes assequitur. Confestim Germanus iactari animo & fluctuare, inter metum atque audaciam distrahi, arma corripere atque abiicere, cùm aucto tumultu, & agmen extremum Franco carpente, metus illico audaciam omnem expectorat, pauorque tantus inuadit animos, vt tergoribus passim obuersis,

LOTHARIVS. XXXII. *Lotharius Othonem pellit.*

LOTHARIVS.

uersis, in obiectum amnem timore cœco, dent se præcipites. Imbrium copiâ amnis ripis excesserat, vadoque obruto torrentes aquas voluebat, ita miles trepidus quà cædentium ferro quà vndarum impetu ictus & raptus, clade magna Othonem affecit: saluis qui enatauerant, iamque fugam non dissimulantibus, cum finem persequendi Franci non facerent, donec ad Arduennam siluam peruentum est, atque oblata fugæ latibula. Nihilominus cum ambigua foret victoria, & minaretur expeditionem nouam Germanus, Lotharius pacis certæ, quam incerti belli cupidior, fortitudinis victo præmia concessit, reddiditque Othoni Austrasiam, seruato duntaxat summo imperio; vnam è tot prouinciis, quam nomine peculiari Lotharingiam diximus. Carolo Lotharij fratri Otho obtinendam tradidit, ad minuendam inuidiam, demerendum magis Lotharium, ac fratres si oriretur bellum disjungendos. Hæc concordiæ ratio molestissima Hugoni, Henrico, cæterisque Procerum contigit, indignantibus; *In ipso victoriæ fructu & apice, victi pœnam susceptam, metuque mali contractum incommodum aliquanto maius; quid enim Otho si vicisset reportaret amplius præter Austrasiam? qua Francia fama, qua vltra Rhenum existimatio, reputantibus non iam hostibus, qui victi essent, sed æmulis, vnde laus & gloria in Europam propagaretur; inde eam vnam ignominiam vulgari, vt metu & pauore tot, tamasque prouincias à se abscinderet; præterquam quod inter proximas gentes, æmulatio, vel vt planiùs dicam, inuidia odiumque exarserat, hinc alterâ pristinam gloriam, inde alterâ nouam iactantibus.* Et vero ab eo fœdere Hugo, quem Capeti nomen à patre distinxit, de inuadendo Franciæ Regno consilium, vel primùm concepit, vel ante conceptum primùm aperuit, Lotharium ignauiæ accusatum in contemptum adducens, quod spoliatus Austrasiâ, & se ipsa Franciâ, si sui sinerent spoliaret. Lotharij mors paulo post contigit; creditum ex veneno, ab vxore propinato; quem extremum palmitem intermorientis stirpis dixeris, leuemque scintillam ignis extincti, ita postremus Carolouingiorum patrum gloriam excitauit conatu, proximoque interitu statim oppressit.

Anno 986.

Lotharij. mors.

XXXIII. LVDOVICVS IGNAVVS.

Lothario superfuit Ludouicus filius, ab patre septenuio ante in regnum adscitus, enimvero dignus in quo sceptrum stirpsque maiorum deficeret. Quippe ea morum ignauiâ & socordiâ fuit, vt vno nomine innotuerit posteris, Ludouicus *qui nihil fecit*, imò expuncto Ludouici nomine, Iuuenis dictus sit, despicatui ita obnoxius, vt à Blancâ Coniuge Aquitani nobilis filia, in Aquitaniam specie hereditatis abductus, desertus sit, & ignominia noua repudiatus. Is itaque Hugoni Capeto ab morituro patre commendatus, & traditus, nempe fidem Lotharius redimebat fiduciâ, eius consiliis opportunus, breui admodum vitâ cunctantem ambitionem promouit, fato acerbo raptus, mense post patris obitum sexto decimo, vnâ re celebris, quod testamento in Regnum Franciæ, Hugonem heredem scripserit, prætermisso Carolo patruo:

Moritur sine prole.

patruo : quasi Francia scripto tradi possit , aut in commercium , vel contractum cadat ; Nec dubium quin Regnum ad Carolum affinem deuoluendum foret , is enim Ludouici patruus , è Caroli magni genere , & quidem vnus , iam liberorum pater , lege Regni continuâ regnantium serie constabilitâ , & præterquam semel adhuc immotâ , ad rerum gubernacula non tam euocandus erat , quam admittendus. Verum & ignauiâ suâ & solertiâ alienâ excidit certâ & legitimâ hereditate. Siquidem scribitur Ludouico emortuo , cum ad eum aliquot Proceres regnum deferrent , dixisse improuidâ , & præposterâ prudentiâ deliberaturum vtrum sibi adire Regnum Franciæ expediret : Dubio suo alienum ingenerans ; Proceribus pariter deliberaturis , vtrum sibi imperare Carolum expediret : quem plerique iam ob socordiam animi habebant contemptui ; oderantque , quod Othoni Germanisque se se addiceret. Contra , qua cunctatione Carolus se Regem ferebat , ea celeritate Capetus Regnum inuadebat , nam præter tabulas Ludouici , vt aliquam successionis vmbram prætexeret , ius Regni in familiam suam transiisse , iam inde ab Eudone propatruo , & ab Roberto auo affirmabat , præterea ius illud infirmum admodum audacia & ambitu fulciebat : *Defeciſſe Caroli magni progeniem , familiarum vt rerum omnium ſuum exitum & terminum eſſe ; non eſſe miraculo ſi mortales homines deſinant : famam quidem patrum & gloriam immortalem fore , at poſteros quando defecerint , excitari non poſſe : nam Carolus qui vnus ſuperſtes indignus , cuius ratio habeatur , qui mortalium inertiſſimus , nihil proſapiæ nobilis , ne memoriam quidem retineat ; qui affectu iam & vtilitate Germanus , abdicauit Franciam atque eiurauit ; qui ad ſeruiendum , mancipiumque alterius natus , malè imperium in nobiliſſimam gentem vſurpabit.* Ita consensu Procerum Hugo in Regem deligitur , & tandem Carolus è veterno excitatus , Othone instigante & exercitum instruente , Regnum aditurus , Laudunum magni momenti vrbem armis inuadit , & obsidentem Hugonem eruptione factâ , depulsum exutumque castris in fugam egit. Ac videbatur futura rerum conuersio , si præuolantem victoriam sequi didicisset victor , nec spatium hosti dedisset , quo recreatus , nouoque exercitu comparato , iterum Laduni Carolum obsedit , vireſque dolo infregit , vrbe prodita ab Asclino Episcopo , venitque in potestatem Hugonis cum vxore Carolus ; à quo custodiæ mancipatus Aureliæ , in ea obiit ; in spem regni euectus , quam in carcere poneret ; duos quidem reliquit filios Ludouicum & Carolum ; calamitatem paternam hereditatis vice adeuntes. Ita secunda stirps Francorum Regum non tam regno defecit , quam ipsi regnum ; iisdem nempe causis quibus prima defecerat , inertia Regum an infirmitate , & strenuitate procerum , an potentia ; nam vt Pipinum atque Martellum Præfectura palatij , ita Robertum & Hugonem vtrumque , Parisiensis Comitatus ac Ducatus Franciæ , plus æquo extulerant : at in primâ stirpe in pluribus Regum defecit authoritas , in se-

LVDOVICVS IGNAVVS.

Carolus tiertius.

Anno 989.

LVDOVICVS IGNAVVS.

cunda pauciſſimis : nempe aucta ambitione mortalium, & pudorem patrum præcipitante in poſteris. Porro Carolouingiorum deſiit genus ; anno ſupra ducenteſimum triceſimo quinto, quo Pipinus inunctus fuerat, tam cito magni Caroli gloriâ marceſcente, vt ſuo in ſanguine, ſic ſuorum in animis ; adeo nihil fixum immotumque eſt in humanis, cum & mentibus inſcripta immortalibus pereant, & beneficiorum memoria ante ipſa beneficia effluat.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER SEPTIMVS.

SYNOPSIS.

Hugo Capetius Rex. Duces & Comites vnde orti. Robertus regni consors. Eiusdem dotes. Comites Parisienses abrogati. Arnulphus Rhemensis Archiepiscopus. Gerbertus quis. Capetij mors. Robertus Rex. Berta reiecta Constantiam ducit. Constantiæ facinus in Hugonem. Robertus Melodunum & Burgundiam recipit. Motus ob Lotharingiam. Roberti cum Henrico Imperatore colloquium. Robertus deliberat de Hugone filio coronando. Hugo coronatur, rebellat in patrem, & resipiscens moritur. Robertus coronat Henricum filium. Roberti mors, & poësis sacra. Henricus Rex, per matrem turbatur. Guillelmus Normannus ab Henrico iuuatur. Burgundiæ tripartita diuisio. Burgundia Iurana Imperatori cessit. Campaniæ limites domiti. Berengarius Hæreticus. Fames ingens in Francia. Normanni in Italia. Henricus coronato filio moritur. Philippus Rex; Balduinus Comes Flandriæ tutor. Vascones domiti. Philippus in Flandria vincitur. Guillelmus

Normannus Angliam subigit. Bellum primum in Anglos. Franci in Hispania Mauros pellunt. Portugalliæ regnum conditum. Bellum sacrum. Ordines Religiosi in Gallia. Philippus Rex. excommunicatur, & absoluitur. Ludouicus Philippi filius domat rebelles. Philippus Rex moritur. Ludouicus Crassus Rex. Ludouicus inauguratur Aureliæ. Domat rebelles. Bellum in Campanum. Bellum in Anglos. Gisortium belli causa. Ludouici querelæ. Henrici responsio. Ludouicus Gisortium obsidet. Ludouicus vincitur. Henrici Angli nouæ affinitates. Pax cum Anglo. Henrici liberi naufragio mersi. Henrici bellum in Francia, Imperatore adiuncto. Ludouici apparatus. Imperator deterritus abscedit. Ludouicus Flandris Comitem imponit. Canuti Flandrensis Comitis pietas, & mors. Ludouici in Aruernia bellum. Aruerni ab Monfortio repressi. Turbæ ob Garlandum. Philippi coronati mors. Innocentius Pontifex Franciam venit. Ludouicus Iunior coronatus. Eleonora Ludouico nubit. Ludouici Crassi mors. Philippi Clerici modestia. Ludouicus Iunior. Turbæ inter Regem & Pontificem. Regis pœnitentia. Rex in Palæstinam proficiscitur. Regis iter per Asiam. Pugna ad Meandrum. Francorum clades. Rex Antiochiam venit. Damasci obsidio. Rex in Franciam redit. Eleonoram abdicat. Eleonora Henrico Anglo nubit. Bellum pro Tolosatibus. Pax cum Anglo. Philippi natiuitas. Nouum bellum cum Anglo. Hæretici Albigenses. Coterelli. Thomas Cantuariensis. Philippus Augustus Rex. Coterelli oppressi. Veromandui recepti. Palæstinæ calamitas. Primum in Anglos bellum. Campus sacer, & pax. Decimæ Saladinæ. Bellum in Anglos secundum. Aquæ cœlitus præbitæ. Ricardus in patrem rebellis. Henrici Angli mors. Philippi in Palæstinam profectio. Secedit à Ricardo in Sicilia. Rex Ptolemaidem venit. Ricardus Cyprum occupat.

pat. Ptolemais capta. Rex in Franciam regreditur. Ricardi fortuna varia. Cypri regnum conditum. Ricardi captiuitas, & libertas. Bellum Anglicum, & pax. Rex Engelbergam dimittit. Sacris interdicitur. Coniugem recipit. Bellum tertium cum Anglo. Philippi infortunia, & fortitudo. Ricardi mors.

I.

HVGO CAPETIVS REX.

CAPTO Carolo, & in custodiam tradito, Hugoni regnanti parta tranquillitas. Sed quoniam regnum artì potius debebatur quàm armis, arte & industriâ retinendum fuit. Et illicò amplissima regni detracta pars; quæ ambitionis immodicæ pœna; prouinciarum Administratores in regiminis partem admissi sunt; eæ regentibus in patrimonium datæ; quique antèà Ducum Comitumque inani titulo, regiones traditas ad Regis arbitrium moderabantur, nunc vsurpato in obnoxias gentes pleno iure, potestatem regiam sibi vindicarunt. Assertus quidem dignitati Regis honos in speciem, abdicato titulo & insignibus regiis, auctoritate intra Ducis Comitisve appellationem coërcità, & supremo iure Regis illibato; sed ius illud vbi vis pollebat plerumque vmbratile; solidâ dominatione incumbente prouinciis, & in hæredes transfusâ. Hinc nati Britanniæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ Duces; Comites Flandrensis, Tolosanus, Andegauensis, & alij; Monarchiâ Franciæ in Toparchias diuisâ; & quò in plures perueniret hæreditas, eò minor. Nec Regi sua Francia nomenque Regium integrum fuit; quippe Robertum vnicum filium admisit in solium; regnum sibi in partem præripiens, quod vindicaret familiæ; throni pallus consortem dum viueret, vt regnaret & mortuus. Ita Robertus Rhemis inunctus & inauguratus, & religione ius regni sancitum. Et quidem dignus, qui viuo Patri scriberetur hæres; suauitate morum, affabilitate, temperantia, & liberalitate insignis; per quas dotes Francis charissimus, iam animorum calculis Rex destinabatur. Et Principem eruditio commendabat, institutum humanioribus litteris à Gerberto, & accuratè excultum studiis, indole iuuenis applicante se ad potiora. Hugo his constitutis, vt Regi in posterum æmulum tolleret, Comitis Parisiensis dignitatem extinxit; quippe vt Carolouingij Magistros Palatij abrogauerant, quo ipsi nomine à Merouingianis extorserant regnum; ita Capetius haud ignarus, sibi suisque maioribus viam munitam ad sceptrum Parisiensis Comitis dignitate; ne peccarent exemplo posteri, modum peccandi eripuit: documento egregio, ne Reges sibi proximum quemquam constituant; cùm admoto ad regnum propius, nihil pronius sit, quàm in regnum ipsum votum adiicere. Res domi pacatas noua tempestas conturbauit statim. Hugo sub regni initiis Arnulphum natum è Lothario Rege, sed impari matre, Rhemensem Archiepiscopum designauerat; seu amore patris atque memoriâ; seu captatâ indulgentiæ famâ, regij sanguinis veneratione. At Arnulpho beneficij memoria non constiterat satis; nam dicebatur

Duces & Comites vnde orti.

Robertus regni consors.

Eius dotes.

Comitis Parisiensis extincta dignitas.

Arnulphus Rhemensis Archiepiscopus.

HVGO CAPETIVS.

dicebatur fauisse Carolo, & prodendi Rhemos iniuisse consilium. Quare Hugo victor, memórque iniuriæ, vt Arnulphum infulis spoliaret, ad Ioannem XV. Pontificem Legatos mittit; quibus repulsis, Rex Concilium Rhemis ab Episcopis Galliæ conuocari curat; in quo Arnulphus postulatus læsæ majestatis, magnâ quanquam altercatione, Seguino Senonensi Archiepiscopo irritante Concilium; sanciente Arnulpho Aurelianensi, impigro viro & vehementis ingenij; Arnulphus reus sede eiectus est, & Gerbertus Roberti præceptor suffectus infulis. Id enimuerò Ioanni Pontifici molestissimum accidit; imminutâ auctoritate, & repulsâ contemptu irritâ; ideò Leonem in Franciam legat, à quo Mosonij euocatur Concilium; præsensque Gerbertus causam perorauit, tantâ eloquentiâ, vt amplius sit pronuntiatum, réisque dilata in alterum Concilium, quod Rhemis indictum est. At Gerbertus Pontificiæ potestatis, seu metu, seu conscientiâ, secessit in Germaniam ad Othonem Imperatorem, passus se absentem exauctorari, & Arnulphum restitui; quanquam indignans multùm & per epistolas conquerens. Decreto Concilij videbatur peti Regis Auctoritas, & obiici Pontificiæ: Hugo tamen prudenti consilio rem dissimulauit; memor quàm radice tenerâ staret regnum; nec censuit recentem potestatem & quasi vagientem in cunis, cum vetere torque annorum robore confirmata, magno periculo componendam. Nono regni anno desiit viuere; vnâ re memorabilis, quæ præpolleat pluribus, quod regnum in se, & familiam suam deriuauit; non armis quidem; sed industriâ atque ingenio; nec enim militaris ars sola regia est; & quædam efficacissima vis est ingeniorum vt corporum.

Deijcitur.

Substituto Gerberto.

Et restituitur.

Anno 996. vel 97. *Capety mors.*

II.

Robertum iam antè in regnum adscitum, sed nondum fruentem imperio, imperium ipsum & licentia corruperunt. Primum vt pleraque alia malum à feminâ. Rex amore captus Bertam Eudonis Comitis viduam duxit vxorem: & coniugium quidem culpæ prætextum; nam Berta duplici vinculo affinitatis, tum sanguinis tum spiritûs, arcebatur à Regis thalamo; nec solutio legis à Pontifice petita; vt flagitiosæ omninò nuptiæ, & specie Sacramenti inducerentur incestus. Ideo Robertum Gregorius V. anathemate perculit; cuius terrore Rex Bertam reiecit; plagâ tandem animi persanatâ. Quæsitæ postea nuptiæ nouæ; ducta Constantia Prouinciæ Comitis filia. Nec omninò felices nuptiæ, quanquam iustæ atque legitimæ; nam Constantia formâ corporis celebertima, sed audax mulier ambitiosa & præceps, quæ potestatis consortem non caperet, optimo Principi materia patientiæ fuit. Vno facinore mulieris indoles patuit. Regis gratiâ florebat in paucis Hugo quidam Bellouacensis; statim adstitit prosperitatis comes inuidia; Reginámque ipsam incendit, indignantem potentiâ æmulum & forsan superiorem insurgere. Et dicebatur Hugo Regem impellere ad comprimendam audaciam feminæ; *Amori in coniugem suam esse metam; nihil periculosius quàm vxorium Principem, feminas in familiarum curam non regnorum natas; præsertim in Francia; eas profuturas in publicum, non capite quidem, sed vtero, si Reges pariant.* Ea seu vera, seu ab æmulis ficta, renuntiata Constantiæ, impotentem animum inflammarunt. At blandiri

Robertus regnat.

Bertam ducit.

Nex Constantiam ducit.

Constantia indoles.

Et facinus in Hugonem.

diti Regi cùm negaret ſuperbiæ tumor : Fulconem Comitem Andegauenſem eundémque auunculum appellat Regina vindicem ; parémque nacta votis vltorem, duodecim equites ad cædem impetrat. Nec petita vindictæ opportunitas loci aut temporis ; ſub ipſis Regis venantis oculis, Hugo ab equitibus cæſus eſt, & in fruſta diſcerptus ; nullâ ſceleris pœna, vel patrati vel iuſſi ; Rege contumeliam donante coniugi, & patientiâ criminis domeſticam tranquillitatem mercante. At qui domi ferebat vxorem, foris proteruos & rebelles domabat. Ab Eudone Comite Carnutenſi prima belli fax ; is Melodunum proditione inuaſerat. Gualterius pro Burcardo Comite vrbem tenebat, qui in dominum perfidus, aſſentiente & impellente vxore, Eudoni appellato oppidum tradit. Continuò Robertus, Burcardo iniuriam poſtulante, ducto exercitu, Melodunum obſidet, premítque tam arctè, vt Eudoni iam ſalutis ſpes nulla ſupperetet, præter Regis clementiam ; quâ appellatâ, vrbem cum proditoribus dedit ; ipſi parcitum, vocati in ſupplicium rei, Gualterio & vxore necatis ſuſpendio, ne indulgentia ſcelus propagaret. Is motus facilis, reliqui ardui magis atque impediti. Pro Burgundiâ bellum commotum eſt ; & erat dignum armis operæ pretium. Henrico Roberti patruo Ducatus Burgundiæ in patrimonium ceſſerat, Hugone Capetio in ſpem regni vocato ; is cùm ſine liberis decederet, vxoris arte Guillelmum priuignum Alberti Longobardiæ Ducis filium adoptauit, ſcripſitque heredem. Nec dubitauit Guillelmus cernere hereditatem, séque in Burgundiæ Ducem ingerere ; eo maximè fretus quod plerique Proceres manu & mente promouerent conſilium, Bruno Epiſcopus Lingonenſis, Landricius Comes Niuernenſis, Guillelmus Comes Pictauienſis, & alter Guillelmus Comes Arelatenſis ; quorum intererat Regem imminui, & tam amplâ prouinciâ ſpoliari ; eratque Guillelmo Reginaldus filius, fortis in paucis iuuenis, clarúſque militiâ, cupiditatis paternæ fulcrum & anchora. Contrà Robertus primùm iure ; pòſt armis pugnabat. *Se legitimum hæredem patrui ; ſibi proximo affini deberi Burgundiam ; teſtamento fruſtra ſcriptum hæredem, cùm ipſa hæreditas ad regnum ſpectaret ; feudo eà conditione permiſſo, vt ſi Dux ſine maſculâ prole decederet, ſorti priſtinæ redderetur feudum, ac trunco ſuo ramus.* Mox ad arma ventum, conſcriptúſque ingens exercitus, Richardo Duce Normanniæ triginta millia deducente : quippe prudentiſſimo Regi nihil antiquius, quàm ab initiis militarem gentem Ducémque fortiſſimum ſibi adiungere ; eundem hoſti detracturus, & communi bello imminuens. Ita copiæ in Burgundiam ductæ, & obſeſſa Antiſiodorum. Ea an capta ſit, auctores diſcrepant ; aliis cœlo prodigia euocantibus, quæ Regem expellerent ; aliis Regem per ipſa prodigia, euerſóſque cœlitus muros, intra Aualonem caſtrum mittentibus. Ego vt nihil auſim aſſerere in re ancipiti ; ita de euentu non poſſum ambigere ; quin tota Burgundia ad Regem regníque corpus traducta ſit : & inclinat animus affirmare, id armis præſtitum ; quomodo enim tot viri Principes, pulſo Rege & ignominiam paſſo, cœptis abſtitiſſent, præmiúmque victoriæ tradidiſſent victo ipſi victores ? Guillelmus vltra Ararim ſeceſſit, Comitum Burgun-

ROBERTVS.

Robertus Melodunum recipit.

Et Burgundiam.

diæ caput ; quæ mox prouincia liberi Comitatus appellationem obtinuit.

ROBERTVS. Franche Comté. III.

Expeditum Regem Burgundiâ, Lotharingia nouo bello implicuit. Lotharingiæ Dux, vnus è Carolouingiis superstes Otho, nullis liberis relictis obierat : duæ huic sorores ; quarum altera Lamberto Montensi Comiti, Huberto Namurcensi altera nupserat. Ad eas haud dubiè attinebat hæreditas fratris ; sed Godofredus Arduennіæ Comes Othonis auunculus, deposcebat eandem ; nullo quidem legitimo iure, quem sorores excluderent ; arcessito tamen, per impetratum consensum ab Henrico Imperatore, iure ancipiti, Mars videbatur pronunciaturus sententiam. Augebat difficultatem, quod Balduinus Flandriæ Comes, qui Lotharingiam Namurcensem inter & Montanum diuisam mallet, quàm ad Godofredum peruenire integram, eos consiliis auxiliisque iuuabat, quin & Robertum Regem, vt iisdem faueret impulit ; ne Ducem Lotharingiæ Germanis obnoxium pateretur ; néve recrudescerent gentium odia. Ita Balduinus manu validâ à Francis receptâ, Valencenas aliáque ad Scaldim oppida expugnat, totíque Lotharingiæ imminet victor. Godofredus obiecturus munimen fulmini, Imperatorem appellat, vt quod donasset ipse tueretur : nec is moram traxit, quin succinctus exercitu penetraret in Flandriam. Valencenas impugnauit primùm, dein Gandauum ; & quanquam vtrobique repulsus, tamen cùm vastatis agris incumberet, placuit controuersiam pace dirimere. Eâ Valencenæ Imperatori concessæ, quibus postea Balduino cessit ; Godofredo asserta Lotharingia : Namurcensi & Montano spes euanuere. Paci adscripsit Robertus ; seu ratus sibi factum satis, acquiescente Flandrensi ; seu à bello auersus, quod infensas gentes Francos & Germanos rursum committeret ; suo magno periculo ; cùm noua imperia stabiliantur pace, bello reuellantur. Ideo placuit ad vinciendam arctius pacem in colloquium venire Principes ; amnis Mosa vtriusque imperij limes eam in rem lectus ; (alij malè Carum in Biturigibus scribunt,) & ne quid alterutrius dignitati obesset, scaphæ hinc inde dispositæ, vt in amne medio conuenirent. Sed Christiana demissio impedimenta nescit dignitatis. Henricus Imperator, quo die indictum colloquium erat, eo, mane primo, transito fluuio ad Robertum pergit, & abiecto fastu amicè & familiariter, vt cum fratre agit. Exceptus ab Rege optimo, humanitate maiore quàm pompâ, ad sacrum ductus, deinde ad prandium, à mensâ suauissimis colloquiis habitis, in castra rediit. Rex sequenti die primâ itidem luce ad Henricum transit, parique laude, nisi quod præiuisset exemplum ; pariterque exceptus, impleuit se sanctissimi Principis piis sermonibus. Accessit spectaculum suauissimum Cunegundis, Imperatoris coniux & virgo, quæ formam oris egregiam formositate animi vinceret, viro digna consors, cum eo post Sanctorum fastis adscripta ; Roberto mirante felicitatem Henrici, quam ipse nesciret. Præterea liberalitate certatum & abstinentiâ ; Francus ad Germanum, præter gemmas aurique copiam, centum equos misit, phaleratos magnificè, cuique adiunctis loricâ & galeâ ; vt equiti præter equum sua arma essent ; Germanus admisit Sacrum Euangelij codicem,

Motus ob Lotharingiam.

Causa belli.

Successus.

Rex cum Henrico Imperatore colloquitur.

Anno 1023.

cem, ac dentem S. Vincentij, remisit cætera; pietati & temperantiæ obsequens; & Cunegundis par nauicularum ex auro, credo in inaures, accepit; ne Regem abstinentia læderet. Oblatæ pariter Franco in munus, centum auri libræ facti industriè, ex quibus is duas nauiculas cepit; cæteris integris, Henricum imitatus & coniugem. Ita solutum colloquium, magnâ vtrinque beneuolentiâ, & præsentiâ famam superante. ROBERTVS.

IV.

Robertus pacato regno, hæredem sibi viuo quærendum censuit, vltrà vitam promoturus pacem. Ideò trium quos è Constantia susceperat liberos, maximum Hugonem, puerum decennem, imitaturus Patrem, destinat regno. Intercedebant viri prudentes, ancepsque consilium in deteriorem partem vertebant. *Regem adhuc ætate vegetâ, inauspicatò heredem dicere, parum cautè consortem imperij; nihil adolescenti perniciosius potestate, qua ætas lubrica agatur in præceps, & ruenti sponte calcar addatur. Hugonem adhuc impuberem, prodesse non admodùm, obesse plurimùm Patri posse; adulatoribus iuuentute obnoxia, & ad praua quæque opportuna. Ipse sibi Rex documento foret, qui statim abreptus potestatis licentia, indolem bonam adolescentia corruperit, ac ruinæ regnum admouerit, Dei bonitate tandem resipiscens. Nunc domi foriſque tranquilla omnia; quid nouas turbas præposterè prudens arcesseret? nunc satius præsentibus frui, & futura Deo permittere; qui plerumque longa consilia discutit, ne mortales supra se sapiant.* Ea cùm vere dicerentur, tamen perstabat in sententia Rex, argumento vno refellens obiecta; *stabiliendum in familia regnum; nec id posse tutius, quàm assumpto in thronum filio; minus esse Principem, qui non caueat posteris; priuatos familias in secula plura componere; quid Reges? breuissimo vitæ spatio conscribent curas, & brutorum instar vita sua viuent? nam de pueri licentia quod timerent, id ad se spectare; eundemque se frænos admouere posse, qui stimulos; & tam Regem in potestate futurum quàm puerum.* Ita Hugonem filium inungi curat; præter cætera Constantiam metuens, quæ Roberto liberorum minimo studens impensius, concussura regnum videbatur, vt Robertum suum promoueret. Hugone inaugurato, Robertus inuigilans ne quid licentiæ affricaret puero potestas, præter Regis titulum, cæterorum parcus, suppeditabat sumptus permodicos: & Constantia filium habebat haud melius, nouerca haud mater, Regémque odiosum lacessebat asperrimis verbis. Sæpe remedia cùm immodica sunt, in morbum deflectunt; hac asperitate pueri animus à patre auersus, data adulatoribus grassandi libertas, querelæ ortæ atque propositæ; ac tandem Hugo ab Aula profugus, administrationem regni capessiuit, scripto milite, publicóque ære intercepto. Inclinabat res ad ciuile bellum; cùm repente Deo immutante animos, Hugo supplex ad Patrem adiit, donatúsque venia, & in posterum liberaliùs habitus, magni Principis edebat specimina; quæ haud quaquam impleuit, morte præreptus; lugente Patre fatum immaturum, excussa consilia, & columnam regni prostratam. Nihilo secius Rex ad Henricum secundò genitum adiecit animum; & tametsi Constantia pro Roberto nouatis studiis ad immutandam mariti mentem nihil non moueret, Rex immotus stetit, turbasque domesticas tranquillitati publicæ posthabens, Henricum adscripsit imperio, prætermisso Roberto. Con-

Robertus deliberat de Hugone coronando.

Hugo coronatus.

Rebellis in patrem.

Resipiscit; Et moritur. Anno 1025.

Henricum filium coronat Robertus.

ROBERTVS.

stantia similiter in proposito stetit, & eâdem asperitate Henricum excipiens qua Hugonem, adigit in rebellandi necessitatem. Fefellit tamen consilium feminæ, quod Robertus Henrico fratri se adiunxit, iunctóque scelere matris votum euertit. Continuò vastati agri, direptæ prouinciæ, bellúmque commotum; cuius campus Burgundia. Rex ducto exercitu in filios mouit; & crimen pœna iam assequebatur; cùm Guillelmus sancti Benigni Antistes, liberorum causâ intercessit; appellauit naturam, suscitauit patrem in Rege, & ab optimo Principe veniam abstulit. Bonâ fide liberi reconciliati; ac Regi properanti ad mortem tranquillitas parta: quam obiit anno sexagesimo vitæ; Roberto Burgundiâ in patrimonium datâ: Doctrinâ & pietate insignis, pro more temporum, scripsit Hymnos Latinis versibus; nam Poësi afficiebatur quam plurimùm; Romámque profectum religionis causâ auctor est Trithemius; suáque carmina nouum Anathema imposuisse aræ sancti Petri; vel ingenij partu, professus obsequium. Abbatias multas erexit, verè religiosus, & Numa Francicus, qui stabiliret pietate imperium, & radices altas à cœlo peteret. Pauperes amabat impensius, habebat inter domesticos & in deliciis; ducentos plerumque alebat, quos viæ, mensæ & aulæ assiduos comites, sub mensa ludere patiebatur, dum cibum sumeret; tractabat manu regia purulenta miserorum vlcera, & persanabat haud rarò vno Crucis signo. Clementiæ vno in facinore admirabile specimen dedit. Læsæ maiestatis supremo in capite aliquot Rei, comperto flagitio, damnandi erant à Proceribus. At optimus Princeps pœnam indulgentiâ occupans, Reos splendido epulo excipi iubet, ac postridie ad sacrosanctam Synaxim admittit, statim liberos missos; cùm diceret eos nusquam ad necem vocandos, quos Christus Rex Regum suæ accumbere mensæ voluisset. Nam parcere noxio Rex censetur, quem Conuiuam secum habuerit. Verùm publicæ calamitates palam fecerunt, dissentire ab optimo Principe subditorum mores; cùm in Francia tertiùm fames eo regnante sæuierit, pestilentia semel; ac tertia fames tam immanis per tres annos incubuit; vt plures cadauera è sepulcris in alimenta refoderent, pueros vt feras venatu interciperent, prædones in siluis viatores mactarent, quos vorabant auidius; ac repertus sit, qui Tinurtij ad Ararim, humanos artus venales exponeret; tamen non impunè, flammis statim addictus. Adeò sanctitas Principis felicitati subditorum vna non consulit, nisi & ipsi innocentiâ morum sibi eam præstent, ac quâ maximè decet, Regem imitentur. Sunt tamen qui eam cladem sub Henrici regno constituunt.

Qui rebellat in patrem.

Et cum eo reconciliatur.

Anno 1032. *Roberti mors.*

Eius Hymni.

Et Religio.

Tornus.

V.

HENRICVS REX.

Henricus Roberto mortuo capessit regnum, quanquam haud pacatum; turbæ à Constantia matre, quæ Henrico iam pridem infensa, & dominandi percupida, regnum permiscebat, vt odio & ambitioni litaret. De iure regni disceptare non ausa, regni vsum vocabat in dubium; *Henricum ætate immaturâ, & tanto oneri impare; recentem adhuc à rebellione, & ab sanguine prædáque vrbium quas diripuisset; non committendam lupis ouium curam; hic parricidam qui patrem & subditos armis petiisset, distare longius à Patre patriæ. Robertum alterum filium, participem criminis æquo iure esse; ætas dum vtriusque*

Constantia regnum turbat.

vitia

vitia decoquat præstolandum, nec sceleratis adolescentibus reipublicæ clauum permittendum. Interea administraret ipsa imperium, mater Regis & coniux; non ignara regiminis, publicámque rem Francie longo vsu docta. Ita regnum scindebatur in partes, priuatásque familias diuidebat Regia; cùm subitò affulsit lux vnde procella terrebat. Constantia Fulcone Andegauensi auunculo nitebatur summoperè, viro acerrimo, confirmatæ potentiæ, notæque audaciæ. Comitatum Andegauensem, filio Gofrido tradiderat; qui patri fortitudine militari haud impar, Martelli nomen adeptus, & ipsi haud absimilis pœnitentiâ, in ætatis robore, annos natus 47. totum se Deo dicauerat, abditus in cœnobium sancti Nicolai Andegauensis; in quo ad mortem perstitit; distributa ditione in duos ex sorore Adeleide nepotes: per hæc exempla pietatis, Numinis sapientiâ arguente mortalium rerum vanitatem. At is neptem deseruit, seu bono Franciæ fato, seu iniquæ cupiditati infensus (nam post Ierosolimitanum iter susceptum, à vi in religionem & pietatem conuerterat se) ambitiosam feminam seuerè monuit, asperéque corripuit; *vt ne ambitione regnum pessumdaret; olim sat peccatum Roberti indulgentiâ; vxor mala piam matrem induceret; sceptrum intactum relinqueret filio, quod Deus, natura, & populorum assensus dedissent.* Relicta mulier armis abstinuit, quæsiuítque secessum, impotens ambitionis; & cùm mallet nullo esse loco quàm secundo, anno vertente mœrore obiit; ita arduum est solitudinem ferre occupatis, & ab Aula excidisse lethale est. At Fulconis auunculi secessus longè sanctior atque illustrior. Is cùm bella multa per fas & nefas gessisset feliciter, Ierosolymam, quod eo seculo solemne admodùm, piæ peregrinationis causa adierat, & pœnitentiâ ductus vitæ anteactæ, nudus raptari per vicos ad sacrosanctum sepulcrum voluerat, cædíque flagris ad sanguinem dum exclamat; *Domine, miserere Fulconis periuri & proditoris.* Deinde patriæ redditus. Scio regni primordia narrari secus ab aliis, & Henricum fratrémque infensis armis opponi; sed Glabrum secutus sum, his coæuum temporibus, dignum prorsus fide; nec aliorum refello mendacia, scribentium Henricum natu minorem, Robertum maiorem; quædam enim contemptu ipso eludenda sunt, atque silentio. Henrico regnum ab his turbis tranquillum fuit; is vnam susceptit expeditionem admodùm celebrem. Robertus Ricardi filius Normanniæ Dux cùm à peregrinatione sanctâ rediret Nicææ vitam clauserat. Huic liberi nulli, præter Guillelmum quæsitum soluto concubitu ex matre impare; quem tamen heredem dixit, & commendauit Henrici fidei. Eum Normanni Proceres, quasi spurium indignisque natalibus respuebant, armísque pellebant; Henricus susceptâ adolescentis tutelâ, modicis copiis in Normanniam penetrans, ingentem exercitum fudit; & prouinciam totam bonâ fide Guillelmo tradidit. Est is Guillelmus, qui ferro regnum parabit in Anglia, hostésque Franciæ infensissimos pariet; vt tantæ clades nostra sint beneficia; fidei & iustitiæ fœtu prorumpente in odia. In Campania & Aquitania varij extitere motus, qui minus ad Henricum spectabant; tamen non omiserim recensere, quid Burgundiæ regno contigerit. Amplissima illa prouincia sub Carolo Caluo diuisa trifariam, totidem nacta Princi-

Et absistit.

Fulco Martellus.

Reicti qui fratres opponunt.

Henricus Guillelmo Normanniã asserit.

Burgundia diuisio.

HENRICVS I.

pes erat ; nam Burgundia Iurana, Francica & Germanica appellabatur. Iurana, quæ ad montem Iuram protendebatur, ſedem dederat regno; complexa Allobroges veteres, hoc eſt, Sabaudos & Delphinates, ad læuam ripam Rhodani, & Salyos ſeu Phocenſes ad alueum Vari. Eas regiones, ſicut in Carolo Caluo adſcripſi, in regnum vel Arelatenſe vel Burgundicum, Carolus Imperator Boſoni Richildis coniugis fratri tradiderat; quas nunc Rodulphus nomine Iuranæ Burgundiæ poſſidebat. Porro Francica eadem Burgundia erat, quam Robertus patruo mortuo inſeruerat Franciæ; quámque Henricus ex teſtamento patris Roberto fratri conſtituerat; eámque poſtea Ducatus nomine Principes plurimi tenuerunt. At Germanica, quam vt dixi Comitatum liberum hodie dicimus, Francicæ adiuncta, in ruinâ Caroliani Imperij, ab Germanis Imperatoribus inuaſa, iiſdem paruit; donec deinceps ad familias Flandrenſem & Auſtriacam deuoluta eſt. Rodulphó Iuranæ Regi prouecto in ſenium, nulli erant liberi, ſorores duæ; quarum altera Conrado ſecundo Imperatori, altera Eudoni Campaniæ Comiti, nupſerant. Moriens Rex Conradum cum Henrico filio ſcripſit heredem, Eudone cum liberis prætermiſſo; affectu in Germanum præpollente, à quo ſæpe in difficillimis rebus præſens auxilium conſequutus erat. Eudo repulſæ impatiens, Conradum Hungarico bello amouente, inuadit in Burgundiam, pluréſque vrbes ſubigit. At continuò Conradus in Burgundiam aduolat, vrbes recipit, pulſóque Eudoni cum exercitu imminens, Campaniam vaſtat; donec Eudo inops conſilij Conrado ſupplicat, relictáque Burgundiâ ambitionem Campaniâ ſuâ claudit. Ita Imperatori amplæ illæ & feraces prouinciæ cedunt; Henrico Rege ſpectante, & Campani cladem non nolente: nam Principem ad Lutetiæ portas admotum, nouarum rerum cupidum, augeri tanta ditione, exiſtimabat in rem ſuam non fore; malebat traduci regnum ad Imperatores, qui lecti ſuffragiis ad tuendum illud imbecilles forent, nec admodùm Franciam perturbarent ſemoti longiùs. Campanus nequaquam ſe calamitate continuit; & ſucceſſu improſpero pugna conſerta cum Gotholone Lotharingiæ Duce, obtruncatur in acie, inquietos ſpiritus opprimens morte; fato ambitionis, quæ ſumma cùm petat, ad ima volnitur. Eudoni liberi ſuperſtites duo Theobaldus & Stephanus Campaniam diuiſerunt, ambitionis paternæ heredes in ſolidum; Stephano Bria ſeu Brigiacus ager cum Campaniâ contigit, Theobaldo Carnutenſes & Turones. At diuiſi conſenſerunt in ſcelus, & rebellarunt in Henricum Regem; à quo acie profligati ſemel & iterum, ſpoliati ſunt Turonum vrbe; eáque donata eſt Godefredo Andium Comiti, Fulconis filio; & poſt diuturnum obſidium capta; Stephanus ſibi fugâ conſuluit, Theobaldus captus; emiſſúſque pòſt carcere, ad Henricum Imperatorem confugit; Regíque quà poſſet facturus iniuriam, ab Imperatore dignitatem equeſtrem ſuſcepit; veram iacturam inani titulo & vltionis vmbrâ compenſans. Hæc pluribus geſta temporibus, narratione coniunxi, ipſâ rerum ſerie perducente; & quando ad documentum Hiſtoriæ diſtinctio minuta temporum non admodùm conferr.

Burgundia Iurana.

Et Francica Et Germanica.

Iurana data Imperatoribus.

Campania limites domiti.

VI. Interea ſpargebat per Galliam hæreſim Berengarius. Is Turonenſis ortu, Fulbertâ

Fulberti Carnotensis viri sanctissimi educatus in scholâ, Magistri optimi prauus discipulus, mox Andegauensis Archidiaconus, de corpore Christi in Eucharistiâ sentiebat & docebat peruersa. Et quanquam Robertus nascentem hæresim omni ope conatus esset euellere; illa tamen occulta potiùs quàm euulsa, pòst Henrico Rege ciuiles inter tumultus, cum incremento vulgata, Francos intaminatam hactenus gentem inficiebat; eò securius, quod Bruno Andegauensis Episcopus fouebat dogma impium atque promouebat. Rex ne vlterius toxicum serperet, pro suâ & paternâ pietate, Episcoporum Concilium euocandum censuit, quo doctrina noua discuteretur. Verùm admonitus à Durando Leodiensi Episcopo, id spectare ad Apostolicam Sedem, Berengarij errores iam damnatos esse, pœnámque veterem instaurandam; conquieuit Rex pius, laborauítque ne contagium ad suos manaret. Idem Berengarius posteà in Concilio Turonensi damnatus, cùm errores suos eiurasset; iterum tertiúmque in eosdem relabens, seriò tandem pœnituit, se abdens in Cœnobium, sumptis veste & instituto sancti Benedicti, vitáque cessit, post annum octogesimum, sancta senectute emendans hæresim; quod rarissimum est; superbiâ humanæ mentis, ægrè se demittente, & humili veritati se subiiciente. At Henricus in Normannicum bellum intentus, primùm Guillelmo fidus, mox infensus, ac demùm amicior, variam sortem expertus, tandem ab eo victus, pacem expetiuerat atque impetrarat. His calamitatibus functus Henricus, cùm ætas iam ad senium vergeret, pro instituto Patris atque Aui, Philippum filium, adhuc septennem, Rhemis in publico consessu Procerum, in regnum adsciuit. Nec diu vitam ab hærede dicto prorogauit, nam eâ decessit, anno, vel proximo, vel secundo; incerta quippe temporis ratio: pupillo Rege, fidei Balduini Comitis Flandrensis, commendato & tradito: isque Balduinus ab insulâ dictus, Philippi auunculus, ductâ in vxorem Alisiâ Roberti filiâ, habitus dignus est, cuius tutelæ sacratissimum pignus committeretur. Henricus bonos inter Principes recensendus, pietate & religione; qui parentum exemplo, suo se continens, magis de condendâ potentiâ quàm de ampliandâ sollicitus, vicinorum rebus abstinuit; progressus securos ratus, qui lenti sunt. Is ab extremo septentrione petierat coniugem, Annam Georgij Russiæ Ducis filiam; forsan ne matrimonium hæreret inter scopulos frequentes eo tempore, interdictum ad decimum, vel septimum gradum affinitatis, & inusitata dispensatione Pontificum: Et in eum scopulum impegit Anna, quæ post fatum Regis, delecto Siluanecti secessu; ab eo defecerat, nubens Rodulpho Comiti Crespiacensi. Verùm is Regi Henrico affinis, ob eas nuptias ab Episcopis, diris damnatus est. At nuptias mors vna soluit; & Anna bis vidua remigrauit in patriam. Henricus tamen non relinquendus, quin regnum in Italia nascens designetur, dum is regnaret, à Francis Normannis cœptum constitui. Amplissima illa & longè vberrima Italiæ pars, in qua vrbs Neapolis Apuliam inter atque Calabriam; iamdiu plurium votum & præda, possidebatur ab Italis Ducibus, Græcis Imperatoribus, & Saracenis; qui omnes addictas bello prouincias, seruaturi miserè diripiebant,

HENRICVS. I.

Berengarius hæreticus.

Anno 1035.

Henricus filium coronat. Anno 1060. *Et moritur.* Baudouïn de l'Isle.

Normanni in Italia.

HENRICVS I.

bant. Sæuissimi omnium Saraceni, qui post occupatam Siciliam, freto quo dirimebantur transmisso, in Brutios vim & arma conuerterant. Salernum obsidebant, vrbem in Calabria, actam ad extrema, Gaimaro vrbis Principe opem desperante, cùm Normanni nobiles quadraginta, è sacra Palæstinæ peregrinatione reduces, pro gentis bellicosæ & gloriæ cupidæ indole, in obsessam vrbem ferro peruaserunt, & instauratis ciuium animis, duces bello fortissimi, tam præclara ediderunt facinora, vt Saracenis depulsis, Salernum obsidio & præsentissima clade liberarint. Cumulati donis atque honoribus, & regressi in Normanniam, complures ex militari gente, exemplo felicis fortitudinis excitarunt, ad tam honestam laudem participandam. Primus eo consilio Alpes transgressus, memoratur

Anno 1003.

Osmondus.

vir nobilis Drengotus Osmondus, quem audax facinus in necessitatem fugæ adegerat. Nam Repostellum, nobilem pariter virum, iactitantem se in conspectu Guillelmi Principis adolescentis, quod Osmondi filiæ stuprum intulisset, idem Osmondus spectante Principe ferro necauerat: dein fugam gloriæ studio cohonestans, cum quatuor fratribus, & aliquot amicis atque affinibus, operam suam addixerat Melloni Duci Bariensi, & Pandulfo Principi Capuano, in Græcos rebellantibus. Admissi summo gaudio, vrbe quam incolerent donati, agrisque commodis, præclaram

Tancredi filij.

nauarant operam, & summa inter pericula sedem stabilem fixerant. Tancredo nobilitate præclaro, Antauillæ Toparchæ, duodecim erant digni patre filij; sex eorum cupiditate gloriæ, abdicatâ patriâ, spes omnes in Italiam conferunt. Græcis se adiungunt, Saracenos ex Sicilia depulsuris, ea lege vt terras in victoriæ præmium sortirentur. Fratrum dux & maximus natu,

Fierabrat.

Guillelmus nomine, agnomine Fierabracius, seu dixeris brachio forti, vel ferreo, gentis gloriam longè supra cæteros extulit: sed post multa facinora, in Sicilia edita, fortissimi fratres Græcam fidem experti, nullâ Insulæ parte assignata, sibi præmium confecturi quod rapiebatur, irrumpunt in Apuliam, eámque fallentibus Græcis eripiunt. At Fierabracio per morbum extincto, victores Drogonem proximum natu fratrem substituunt; cui deinde cæso per proditionem, Italorum Procerum inuidentia, tertium fratrem, cùm plures essent sufficiendi, Onfredum in demortui locum præficiunt. Michael Paphlago obtinebat imperium Orientis, is ducibus Siciliam

Normannorū victoria.

regentibus mandat, vt nouos hospites omninò ex Apulia exigant. Eam in rem ad Aufidum in Apulia fluuium pugna conseritur, Cannis haud procul Romanorum strage clarissimis; pugnâ Græci victi atque profligati, tam

Ofanto.

Anno 1039.

præclarâ Normannorum victoriâ, vt victis deinceps nulla ratio resurgendi constiterit, ac victoribus cesserit ampla illa fertilisque prouincia. Mox Normannis pluribus, bellorum ciuilium pertæsis, in Italiam demigrantibus, Onfredo vires augebantur, & inualescebat potentia. In cursu tam prospero, occurrit scopulus, in quem propemodùm impegit victoris felicitas. Leo IX. Pontifex maximus, gente Lotharingus, in qua Episcopatum Tullensem gesserat, in Galliam profectus Concilium Rhemis habuerat, reuocaturus in Lotharingiam pacem, quam prouinciam Godefri-

Leo IX.

dus,

dus, vt dixi, in Duces Namurcensem & Brabantinum armis asserebat. Leo pace auspicatò contracta, audit Beneuentum vrbem ab Henrico Imperatore sanctæ Sedi donatam, captam à Normannis, & recluſas fores genti fortissimæ in Pontificiam ditionem. Eos vt pelleret, per Germaniam redux, copias ducit, & periculorum futurus particeps, in Normannos mouet. At ij Onfredo duce, profligatis Leonis copiis, ipsum capiunt; móxque dimittunt, honorificè habitum, necessitatem belli excusantes. Statímque memor beneficij Pontifex, donat Onfredo ditionem omnem, tum quam eripuisset Saracenis & Græcis, tum quam erepturus in posterum foret. Iam cæteri Tancredi liberi se Onfredo fratri adiunxerant, ab eo admissi in partem Martis & gloriæ. Nam Roberto cui Guiscardi agnomen natum est, id est vafri & callidi, & Rogerio aliisque fratribus, Onfredus partem laudis & præmij fecit, strauítque gradum regno Neapolitano, tantæ imposteris celebritatis & cupiditatis. Quippe Robertus, post totam Calabriam profligatam, Comitis primùm, mox Ducis sumpto titulo, regni posuit fundamenta illustria. Quod deinceps Francicæ Historiæ futurum ampla materia, nascens atque in cunis prætermitti non debuit. Neque omittam, quod de Roberto scriptum à Platina; eum statuam æneam reperisse in Apulia, cuius capiti annexus esset circulus cum hac epigraphe; Calendis Maiis oriente sole, aureum caput habebo. Quod obseruatum à Saraceno captiuo, seu per artem magicam, seu per coniecturæ sagacitatem, spem fecit thesauri, euentus non irritam. Nam die primo Maij notata vmbra, quam sole exoriente simulacri caput delinearet, eo in loco terram effodit, gasamque reperit, qua libertatem redimeret. Nunc à diuerticulo in viam redeo.

HENRICVS I.

Anno 1053.

Thesaurus inuentus.

Henrico mortuo, in Philippo Rege octenni puero vacillabat regnum. Et quanquam indicendo Balduino tutore singularis prudentia Regis eluxerat, graues tamen casus imminebant. Nam præterquam quod Balduini virtus infringi poterat cupiditate regnandi; & vinculum affinitatis tam stimulus ad scelus quàm frenum haberi; quis cæteros Proceres Flandrensi tantum non extraneo obsequentes faceret? quis inter pares inæqualitatem tantam induceret? quis iugum tam infirmo Rege non excuteret libens, virtute Francorum iam consenescente; multis retrò annis nullo facinore. Veruntamen firmum stetit imperium; quæ firmantis Dei benignitas, & tutoris Balduini virtus. Etenim is summa integritate ad regni clauum se applicans, non se modò abstinentem præstitit, tutorémque sanctissimum; sed & alios in potestate habuit atque officio, tantumque perfecit vigilanti prudentiâ, vt re publicâ sine detrimento seruatâ, illibatum regnum pupillo pubertatem adepto tradiderit. Vni Vascones Tutori obsequium detrectabant, seu spe licentiæ, seu locorum distantiâ; erátque discrimen, ne si palam armis peterentur, & excitarent socios criminis, & euocarent fautores. Itaque vim dissimulare oportuit. Saraceni hoc tempore non Hispaniam modò vexabant, sed aliquoties prorumpentes è finibus, excurrebant in proximos agros: illos vt comprimeret, exercitum scribit Balduinus, mouétque Pyrenæos versus; deprehensi Vascones imparati, capti Duces rebellium;

VII.

PHILIPPVS I. REX.

Anno 1061.

Balduinus tutor.

Vascones domat.

PHILIPPVS I.

affectique supplicio; gens tota domita & pacata; vniúsque pœna prouinciæ, cæteræ metu & terrore coërcitæ. Philippus interea quindecim annos impleuit, susceptúsque à Tutore regnum inconcussum, admirabilitate humanæ fidei maximâ. Ipse Balduinus paulò post obiit, alienis rebus felicior quàm suis. Quippe duorum maiori, quos moriens reliquit liberos, Balduino Flandriam donat, Roberto minori Frisiam, totámque familiam Regi commendat. Post annos aliquot moritur, superstitibus duobus liberis cum Richilde coniuge; at Robertus frater tutelæ specie Flandriam occupat, nepotésque pellit. Richildis Philippi ope imploratâ, sanguinis affinitatem, ius, iniuriámque commemorat; nec cunctatur Rex, validisque copiis irrumpit in Flandriam. Robertus quanquam longe impar, vbi nullum præter victoriam effugium patet, rem pugnæ committit; quâ ad Cassselium strenuè obitâ, Philippus victus est, & magnâ Francorum internecione actus in fugam. Memorabilis admodùm pugna, prærogatiua cæteris fuit, quibus in posterum Francorum audacia, pœnas dedit desperationi hostium & infirmitati. Roberto Flandriam victoria dedit, sed incerto fructu; nisi Phillippus tam arte victus esset quàm acie; cum enim nouum compararet exercitum, infirmitatis Robertus conscius, pacem impetrauit, eâ conditione, vt à defendendis Balduiñi liberis abstineret Rex, (eorum alter in pugnando occiderat) rémque Patruo disceptandam permitteret. Propudiosa conditio, qua Aui beneficia Rex summâ iniuriâ prosequebatur in liberis, & innoxium Principem prodebat hosti armato. Huius pacis auctor Godefredus scribitur, Cancellarius regni, idemque Parisiensis Episcopus, obstrictus Roberto, quòd fratrem suum Eustachium, Casselicnsi pugnâ captum, pretio nullo emiserat: ita sæpè priuata beneficia iniuria publica rependuntur; quasi communia detrimenta singulorum non sint.

Philippus in Flädria vincitur.

Pax turpis.

VIII. Verùm hostis haud paulò grauior, ex magna rerum conuersione, surrexit in Franciam. Guillelmus ille Roberti Normanni spurius, Henrici Regis beneficio Dux Normannis impositus, ab Angliæ Rege Eduardo, hæres testamento, Rexque Angliæ scribitur. Eduardus sanctitate vitæ in paucis Regum illustrior, eáque post vitam relatus in superos, ab Anglis, expulsus, ad Robertum Guillelmi patrem confugerat; à quo perbenignè exceptus, cui & erat affinis sanguine & ad recipiendum regnum adiutus, beneficij memor, quod debuerat patri, refundebat in filium. Opulentissima Anglia freto permodico ab Normannis diuisa, hæreditas erat luculenta, supra ipsum votum ambitionis; nec ideò cernenda sine lite. Heraldus inter Anglos Proceres nobilitate & potentiâ eminens, Reginæ frater, rem indignam ratus, si bellicosissimæ genti extraneus & spurius imperaret, apud Nobiles, Plebémque conquestus, regnum sibi conficit, Guillelmo ignominiosè excluso. At is appellans grauitatem iniuriæ, & Principum Christianorum imploratis auxiliis, conscriptum illorum ope exercitum imponit nauibus, & ad portum applicitus, Heraldo in diuersâ parte rebellantem fratrem vincente; postmodùm ipsi obiectus, confligit acie, vincítque, Heraldo cæso cum quadraginta septem Anglorum millibus, Normannorum desideratis sex millibus. Hoc vno prælio tanta confecta res, regnúmque

Guillelmus Anglia Rex.

Anno 1067.

que nobiliſſimum ad Guillelmum ipſiuſque poſteros tranſiit: quo & ipſe celeberrimum nomen Propagatoris inuenit; in tam multas prouincias vltra Oceanum propagatis finibus Normanniæ ſuæ; quæ ad ortum atque occaſum victrix, famâ rebúſque geſtis orbem implebat. Nam Robertus ille Guiſcardus iam Calabriæ potens, Rogerium fratrem claſſe inſtructum in Siciliam miſerat, quam Saracenis adimeret: Et Rogerius quidem, tam inclitus maritimis expeditionibus, quàm terreſtribus frater, Meſſanam & Panormum claues Inſulæ occupat, ac breui Saracenis fortiter pulſis, potitur tota ſicilia mox gemino prælio Græcorum victor & Venetorum, Roberto fratri amouerat moleſtiſſimos regnandi obices. Et eo mortuo Rogerius Siciliam habuit titulo Comitis; Boëmundus & Rogerius Guiſcardi filij, diſcordes admodùm, diu bello de paterno imperio diſceptarunt; adeò ambitio iure & ſanguine potior. Interim Guillelmo Angliam ſubigente, Philippo Regi natus eſt æmulus: Etenim Philippus tam imprudens conſilio, quàm bello ignauus, ea temerè bella ſuſcipiebat, quæ impari fortitudine exequens, cladem & ignominiam ſibi conficeret: quippe Flandrico bello indecorè geſto, Anglorum armis non ſe honeſtius expediuit. Iam Philippum inter & Guillelmum ſuſceptum bellum ob Britannos Aremoricos erat conſopitum, cùm Philippus filium rebellem aduerſus patrem propugnat. Is ipſe Guillelmus, qui prima expeditione tranſmiſſurus in Angliam, Roberto maximo natu filio, Rege præſente, Normanniam poſſidendam tradiderat. At quia nemo viuus hereditatem ſuam libens adiri patitur, Guillelmus Normanniam repetebat à filio; iſte detrectabat donatam reſtituere, & animos faciebat Rex opem rebellanti pollicitus. Guillelmus tranſito freto Britannico, effuſus in Normanniam, Robertum caſtro propè Bellouacum receptum obſidet; & ab extremo diſcrimine quam propius abeſt. In eruptione dum ardentius prælium ſeritur, filius in ignotum patrem inuectus, lanceâ ictum vulnerat, & deiectum equo ſolo affligit: mox ſono vocis agnitum, equo reſtituit, precatus veniam non ſine lacrymis; ac naturâ vtrinque receptâ, patri bona fide reconciliatur. Quid eo bello in Regem actum ſit, latet Hiſtoriam. Decennio poſt, dictum imprudens, & inconſulta cauillatio, Philippo confecit ignominiam, & ſubditis cladem. Guillelmus infirma valetudine agebat Rhotomagi, & pinguem adipem excuſſurus qua laborabat, diæta & tenui victu corpus attenuabat. Ridens percontabatur Philippus, quandonam puerpera lecto exurgeret? Guillelmus dicterio perculſus reſponderi iubet; breui ſe ſurrecturum, iturum ad Philippum ſalutationis cauſa, cum decem lancearum millibus, candelarum loco. Et minas impleuit; vbi per valetudinem licuit, equum inſcendit, ductíſque copiis, Vilcaſſinis direptis, Meduntam cepit atque incendit; ac Philippo nihil auſo, Rhotomagum ſcommatis vltor regreditur. Hæc poſtrema victoris expeditio, in qua ſupra vires enixus, morbum contraxit, quo breui decumbens deſiit viuere. Normanniam Roberto filio dedit, regnum Angliæ Guillelmo minori natu, atque Henrico in natalibus poſtremo pecuniam legauit. Quanquam is paulò poſt ampliſſimæ hereditatis vnus admodùm poſſeſſor, ſtatim in Franciæ calamitatem exurget.

PHILIPPVS I. Conquerãt.

Bellum primum Anglicum.

Le Vexin.

Manes.

PHILIPPVS I.

Interim Franci duo regna condunt, clarissimi in orbe nominis, quà sol exoritur, quáque occumbit: idque gemina expeditione, quarum prima seruauit Hispaniam, altera Palæstinam, terram Christi laboribus & sanguine venerandam, asseruit in libertatem, Alphonsus sextus, Castellæ Rex, quanquam fortissimus nobilisque victoriis, Martis postea varietate deiectus, sæpius victus à Saracenis, regnum ægrè propugnabat, suámque Castellam; cùm ad incrementum calamitas, Iosephus Africæ Imperator numerosissimas copias transportat in Hispaniam, Mauríque Hispanis quà vi, quà consilio sibi adiunctis, vniuersum propè orbem in Alphonsum ducit. Ille consilij inops & virium, spem adiungit in propinquam Franciam, & ad honestissimum bellum Regem vocat & Proceres. Ad has voces Philippus se voluptatibus suis continuit; tres Principes suâ sponte ad bellum profecti; primus Raimundus Comes Tolosanus, alter Raimundus Guidonis Burgundiæ Comitis filius; tum Henricus ex eâdem Burgundiâ; nisi vt verosimilius ex Ducatu Burgundiæ, Roberti nepos, è stirpe regiâ. Ii pugnacissimos quosque ducentes, è Franciâ, Hispanis iuncti, Mauros vel terrore nominis nullo certamine depulerunt; vel ingenti fusos prælio profligarunt; vindicatâ Alphonso Castellâ, finibúsque regni longè porrectis. Sanè ab hoc facinore illustrissimum Portugalliæ regnum exortum est, in Henrico Burgundo; cui cùm Alphonsus Galliciæ partem Mauris ereptam dedisset; ipse donum suis victoriis augens, auctam ditionem ad Alphonsum filium transmisit; à quo Vlyssipo capta, conditúmque regnum, rebus famáque clarissimum; in primas Orientis plagas transuectis nomine regni atque imperio, ingenti bono fidei Christianæ, per immensa maria & inexplorata.

Franci cõtra Maures.

Anno 1091.

Portugallia regnum.

IX.

Bellum sacrum.

Facinus alterum, expeditionem verè Francicam dixero, cuius impulsor Petrus Eremita, auctor Vrbanus II. Duces præcipui, militúmque pars maxima, cuncti Franciæ originem debent. Petrus Eremita, natus Ambiani, cum Ierosolymam & loca sacra religionis causâ inuiseret, Christianorum iis in terris ærumnis grauissimis ingemiscens, participato cum Simeone Patriarchâ consilio, de vrbe sacrâ liberandâ, in Europam redit; profectúsque Romam, Vrbanum II Pontificem Maximum desiderio expeditionis sanctæ inflammat; & festinus in Franciam, scintillas magni spargit incendij. Vrbanus eo afflatus, Franciam seligit, seu armamentarium & seminarium belli tam grauis. Claromontum in Aruernis Concilium vocat, maximáque Antistitum Nobiliúmque frequentiâ, inter alia plurima vni incumbit, vt sacrum bellum ad liberandam perfidis gentibus Palæstinam indiceret. Plures eâ de re conciones habuit; adeò faciles nactus auditores, vt Prælati quique in suas vrbes reuersi, pronuntiata sacrâ militiâ, multitudinem innumeram excitarint dantium nomina, & ad delectum sine delectu volantium. Constitutum stipendium dignum militiâ, plena noxarum in Deum venia; tessera, sanctissima Crux supra sinistrum humerũ insuta vestibus colore rubro, vnde celeberrima Cruce signatorum appellatio fluxit. Vetitum præterea ne militantiũ bona vllâ lite appeterẽtur, neue ipsi vexarentur vllatenus quamdiu in expeditione perstarent, penderentque omnia dum redirent. Repente trecenta

Anno 1095.

Crucis.

hominum

hominum millia ad bellum conscripta sunt, ex Francia, Italia, atque Germania, (nam Hispani suis ipsi Mauris implicabantur) quorum Franci pars maxima. Durátque hodie monumentum rei, cùm in Palæstina terrísque ortiuis, Europæi omnes ad nostram ætatem Franci nuncupentur. Causa noui belli potissima, Turcorum in Christianos immanitas. Ea gens profecta ex Scythia Asiatica; nam ad radices Caucasi inopes admodùm incolebant, exciti à Persis opem implorantibus, primùm sex mille stipendiarij in Persidem venerant. Post nauatam fortiter operam, cùm reuerti in patriam vellent, prohibentur à Macmete Persarum Rege, siue eos pro subditis habituro, seu metuente tam forti bellatorum ope destitui. At illi, honestam repulsam rati iniuriam, in ipsos Persas arma conuertunt, prælijs repetitis fundunt, & iam obliti patriæ in pluribus prouinciis sedes figunt, regna constituunt, quódque religioni Christianæ pernicioſissimum, victæ genti adhærentes, Mahometis impij cultum amplectuntur. Ita plurima regna posuerant, in Persida, in Cilicia, in Bythinia, Antiochiæ, & Damasci in Syria, cui obnoxia Palæstina erat. Ii in Christianos longè sæuissimi, hocce bello maximè appetebantur, regno Syriæ deiiciendi, & Palæstinâ, quæ vulgò Terra sancta dicebatur, vindicandâ in libertatem. Statim dedere nomina, Principes sacri & laïci: & sine præuaricatione sileri non possunt, quanquam scripta à pluribus, & Famæ suffragiis in ipso Immortalitatis libro consignata. Eminebant inter Antistites, Ademorus Anicienſis Episcopus, idémque Legatus Pontificis, & Guillelmus Præsul Arausicanus: inter Proceres Hugo Veromanduorum Comes, Philippi Regis frater; Raimondus Comes Tolosanus; Robertus Comes Flandriæ; Robertus alter Normanniæ Dux; Stephanus Carnutum Comes; Godefridus Bullionius, Dux Lotharingiæ, qui in eam expeditionem Bullioniam Toparchiam vendidit, regno Ieroſolymitano mox donandus in præmium; eius duo fratres Balduinus & Eustachius; Guillelmus Comes Fortisienſis; alijque Proceres vltrà ducentos. Quibus deinde adiuncti in Italia Boëmundus Guiscardi filius, & Tancredus. Siquidem Franci postquam Vrbanum Pontificem deduxerunt in Italiam, & sedi inuito Henrico Imperatore restituerunt, expeditione in Palæstinam pronuntiata, Italos æmulatione laudis incenderant. Quapropter Boëmundus, qui Melphi occupata, acriter in Rogerium fratrem armis contendebat, relictâ fratri Italia, cum duodecim millibus lectæ iuuentutis, expeditioni sacræ se destinat. Rogerium perculit virtus fratris; cum quo omnia professus in posterum futura communia, Tancredum filium præclarissimum adoleſcentem, dedit patruo in consortium periculorum & gloriæ. Erant sub signis trecéta hominum millia; mulierum haud paucis in expeditionem sacram, operam & famulatum dicantibus. Ac tametsi non sit animus sacrosanctum id bellum oratione prosequi, & noui regni recensere primordia atque incrementa, ne forsitan vt dicitur extra chorum saltarem: tamen rei in Francia, & à Francis potissimùm susceptæ, primos euentus, Francicatum rerum scriptor, non delibare non potui. Tam numerosum exercitum in tres turmas partiri placuit, primam ducebat Petrus Eremita

PHILIPPVS I.

Turci.

Proceres Cruce signati.

Boüillon.

Belli successus.

Anno 1096.

PHILIPPVS I.

per Germaniam atque Hungariam: altera iter per Sclauoniam habuit, tertia deflexit in Italiam, armis vindicatura autoritatem Vrbani, & nauibus transportanda in Græciam. Prima turba quam deducebat Petrus, regente Galterio peruenit Constantinopolim: sed nulla lege coërcitus miles, nec satis firmo constrictus imperio, prædabatur hospites, in licentiam omnem effusus; Petro frustra Diuinæ vindictæ minas intentante. Alexius Comnenus obtinebat Orientis Imperium; hic filius Isaaci similiter Imperatoris, virtuti potius quàm stirpi debebat summam potestatem: quippe olim pater, Principem exuens, vt indueret Monachum, Diadema tradiderat Constantino Ducæ, à quo deuolutum in plura capita, tandem hæserat in Alexio, deligente exercitu Principem, & in paternum solium euehente. Is quanquam cum Petro conuenerat, vt subsidia à Christianis Principibus arcesserentur; tamen seu per æmulam inuidentiam, seu per metum ne socij in dominos aliquando exurgerent, eos & Constantinopoli vrbe prohibuit, & commeatu malignè instruxit, & sin minus aperte, clam pro hostibus omninò habuit. Ita Petrus rerum plurium inops Bosphorum traiicit, nusquam præstolans socios, in quo peccatum, ducitque copias Gualterius Nicæam, ad vrbem expugnandam, tutam validissimo Saracenorum præsidio. Sed breui Christianus miles attritus & profligatus est; plures cæsi, in fugam omnes acti, aliquot cum Raynoldo Germanorum duce turpiter defecerunt, eiurata fide; Petrus solus admodùm Constantinopolim rediit. Non multò post duæ aliæ turmæ conueniunt, excepti vrbis suburbiis. Sed Alexius molestos hospites amoliturus, noctu incautos vt putabat aggreditur: repulsus fortiter non se continuit, ac die illucente repetitum aliquot aggressionibus ciuile bellum; donec Boëmundus legatus ab aliis ducibus ad Imperatorem, pacem confecit; & commeatu recreatus totus exercitus, transmisit tandem in Asiam. Illicò in supremum ducem omnes consentiunt, quódque omni regno præstabilius & honorificentius, Godefrido Bullionio summum in copias imperium deferunt, viri principis perspecta tum fortitudine, tum prudentia, ac militari peritia. Fuitque tunc temporis per plures noctes non iniucundum spectaculum, quo stellæ in terras videbantur impluere, ac per interualla tam numerosas super tentoria crebro effluxu labi ex summo aëre, vt de cœli auxilio nemo ambigeret, quasi ipsa sydera ruerent in subsidium, & se ad pugnam copiis vltrò adiungerent. Nicæa vrbs primus belli scopus, ardua & cruenta obsidione: nam Saraceni cum Turcis conuenerant, & positis odiis conspirauerant in communem hostem. Solimanus sexaginta Turcorum millibus proximos montes insederat, validum præsidium propugnabat vrbem; at nihilominus post diem à quinquagesimo secundum, vrbs deditione excipitur, Turcis sæpius repulsis cum clade. Post Nicæam captam, & munitam præsidio, commeatus facilioris causâ, duces exercitum partiuntur; Boëmundo partem vnam, Godefrido alteram ducentibus. At Solimanus nusquam animum despondens, ratus deleri posse diuisas copias, totis viribus in Boëmundum impetum facit, dum castris positis militem fessum reficeret. Et imparem quidem obruebat haud

Alexius Comnenus.

Prima clades.

Nicæa capta.

haud dubiè, nisi per celeres nuntios Godefridus certior periculi factus, Hugone comite aduolasset, cum quadraginta equitum millibus. Acerrimam pugnam nox diremit; & postridie fuga Solimani, cæsis quadraginta Turcorum millibus, victoriam Christianis asseruit. Sic per Asiam & Armeniam minorem subactas, in Syriam contendit exercitus, & Antiochiam, sedem imperij, duplici muro vallatam, obsidione aggreditur. Ad septimum mensem producta est oppugnatio, multis hinc inde cædibus, nec vitæ parcitum, magna pugnantium vtrinque fortitudine. Tandem vrbs capta, & tradita Boëmundo; Vrbano Pontifice iam defuncto, & Paschale secundo in eius locum suffecto. Arx supererat situ & præsidio munitissima, quam Boëmundus impugnans, femur grandi sagitta traiicitur. Recreato ex vulnere, statim pugna summo discrimine obeunda. Aderat Corbanes Persa cum ducentis hominum millibus, neque seruari vrbs nisi per victoriam poterat. In dimicatione præferebatur lancea, qua Christi mortui sacrosanctum pectus erat perfossum, nuper inuenta Antiochiæ; Persæ ingenti strage victi, centum millibus cæsis, castra opulentissima direpta, & Boëmundus victor arce exceptus. Huic relicta Antiochia, quanquam repugnante Raimundo Tolosano, cessit in fortitudinis præmium. Saraceni interim Turcis expulsis, Palæstinam receperant & Ierosolymam, breui ab ea deiiciendi. Quippe Christiani Godefrido duce, dum Raimundus hærebat in Cæsareæ obsidio, ineunte Iunio in Iudæam irrumpunt, & Ierosolymam omni ope defensam impugnant; ac tandem vi capiunt medio Iulio; Godefrido omnium primo in propugnaculi labem inscendente. Is postea omnium suffragiis Rex appellatus, modestè titulum recusat, nec coronari se patitur, in ea vt dicebat vrbe, in qua Rex Regum pro mancipio vilissimo habitus, crudelem & ignominiosam necem subierat. Nec insigni modestiæ nouum præmium defuit, præclarâ laureâ nouum imperium exornante. Ægypti Sultanus conscripserat magnum exercitum, ex centum equitum millibus, multò maiore peditum numero, quo Christianos redactos ad viginti millia conficeret, ac de medio tolleret. Sed Godefridus ingenti animi robore confirmatum militem eduxit ad pugnam, omninò palmariam; quâ occisâ centum hostium millia, cæteris in fugam actis, ac tota Palæstinâ victori subditâ. Ita cœptum est regnum Ierosolymitanum Francorum in Asia; quod innixum Conditoris fortitudine, statim nutauit illius obitu; nam Godefridus sequente anno vitâ excessit; Balduino fratre succedente, in regnum potius, quàm in dotes regni. Huius expeditionis felicitas, procreauit alteram illicò; nec minorem numero, cui præter ducem nihil admodùm defuit. Trecenta hominũ millia, Franci, Germani, Itali, nomina in eam dederant; regebat exercitum Guillelmus octauus Aquitaniæ Dux; septuaginta millibus in Aquitania sua conscriptis; Hugone Regi fratre rursum se in pericula committente. Sed Alexij Imperatoris perfidiâ proditus est Turcis exercitus; plerique ferro cæsi; Hugo Tarsi vulneribus diem clausit; pauci Palæstinam confecti miseriis tenuere. Hactenus de Belli sacri primordiis, quod per ducentos annos Europam armauit in Asiam, atque in Africam; non exiguo Cœli & Terræ emolumento; etiam inter clades, & pereuntium funera. Siquidem Cœlo plures

Capitur Antiochia.

Ierosolyma capta.

Anno 1099.

Noua expeditio.

Belli sacri fructus.

PHILIPPVS I.

res animæ traditæ, quæ in otio patriæ, & in voluptatum luto emollitæ, versabantur in graui salutis periculo: tum per illas frequentes quasi putrescentis sanguinis missiones, consulebatur publicę tranquillitati, turbulentissimis in bellum sacrum emissis; & Procerum, vel morte, vel inopiâ per tot sumptus contractâ, sufficiente Regibus rationem, qua ditiones Principum, vel vsurparent iure Feudi, vel emerent. Plebis etiam commodis prouisum, quam minus vexabant Nobiles, in peregrinum bellum erumpentes; imò cui diuendebant Feuda & facultates auitas, ad apparatus bellicos instruendos. Natæ sunt etiam ex iis bellis gentilitiæ Tesseræ, per quas deinceps Nobilium familiæ seu per quædam indubitata signa distinctæ sunt; partáque est humano generi Ars noua, vel scientia, scutarias illas imagines describendi. Primò quidem, vt omnium rerum initia sunt, nullis conscriptæ legibus icones illæ, ad cuiusque arbitrium fictæ & pictæ; dein certâ colorum & metallorum vt vocant normâ signatæ, vt tam proprium cuique Insigne esset, quàm nomen, forétque tam nefas, rapere alienum insigne quàm agrum. Præluserant sacræ Expeditioni, Coloniæ sacræ in Francia conditæ, institutæ bellis nouis gerendis, vt dum alij in Christianorum hostes arma tractarent, alij mundo abdicato, in Dæmones humani generis teterrimos hostes, militiam cœlo dignam obirent. Primi Carthusienses, duce Brunone Canonico Rhemensi, Eremiticam vitam instaurantes, à Cœnobitica tamen nusquam auulsi, se abdunt in Carthusiæ montes, donante Hugone Episcopo Gratianopolitano, & sideribus propinquiores quàm terris, verè in terris cœlites, totos se Deo victimas consecrant. Sibi dum consulunt, Gasto inter Allobroges nobilis, miserorum subleuat calamitatem: fœda lues grassabatur in Francia, igne sacro depascente artus humanos; cùm in hunc frustrà remedia quærerentur, ventum ad superos, & imploratum sancti Antonij subsidium, in eam luem admodùm potens: sancti Lipsana colebantur Viennæ, frequenti ad ea ægrotantium numero, Gasto charitatis summæ impulsu, se & facultates deuouit, ad subleuandam ægrotantium pestem, adiuncti sunt socij, qui primò laïci, dein religiosi, sacram in Ecclesia familiam propagarunt. Isti in Allobrogibus, quibus deinde Delphinatium nomen; duobus simul ordinibus Burgundos & Pictauos insignientibus. Robertus Cisterciensem ordinem in Burgundia condidit, sub instituto sancti Benedicti, atra veste mutata in candidam; principio tenui admodùm, sed tanto annis sequentibus incremento, post Clarauallem à Bernardo cultam, vt per centum annos tota propemodùm Europa Cisterciensis ordinis fuerit prouincia, regentis tum Præsules, tum Proceres; tanta in omnibus in sanctissimos viros reuerentia, támque addictum obsequium. In Pictauorum finibus versus Salmurium, Robertus Arboscellus, in Rhedonensibus natus, Cœnobium amplum extruxit. Is Archidiaconus Rhedonensis, ab Vrbano secundo ad plebeias in vicos conciones missus, tantam vtriusque sexus multitudinem suauissima pietate secum eduxerat, vt religiosissimas sedes positurus, in siluis Fonteuraltiis plures cellas strueret, in quas secederent. Postea eo in loco cœnobium amplum & magnificum erexit, incolendum

Armoiries.

Ordines.

Carthusiēsis.

Anno 1086.

S. Antonij.

Cisterciensis.

Anno 1098.

Fons Ebraldi.

Fonteureat.

à

à vitis atque à feminis, domicilio tamen seiunctis: eo priuilegio vt viri feminis obsequerentur, in cæteris regulam sancti Benedicti haberent. Philippvs I
Isque ordo in gratiam Deiparæ Virginis conditus, vnus in Ecclesia meliori sexui deteriorem præficit; vt maior laus sit obsequentium, & regentium maior demissio, ampliórque charitas. Nunc ad Philippum reuertor.

X.

Eodem in Concilio Claromontano rem arduam maximique momenti Vrbanus perfecit, Philippo Rege sacris interdicto. Res paulò altiùs repetenda. Philippus Bertam vxorem duxerat, filiúmque susceperat Ludouicum; at voluptatibus otióque marcidus, coniuge vnâ minùs se continens: dum Turonibus fortè iter habet, visâ Bertradâ Fulconis Comitis Andegauensis vxore, in amorem eius exardescit, raptámque per Aulicum nobilem lecto admouet, Bertâ vxore Monstrolium ablegatâ, adulterio gemino thalamum inquinans. Fulco dolore & impotentiâ vindictæ paulò post obiit: Philippus vt vinculum alterum effreni libidini solueret, de priori matrimonio rescindendo cogitans, ad Pontificem legat. Legatis reiectis non idcircò despondet animum; sed vocato Episcoporum cœtu, Principum noxis adulantium palpo nusquam non prætexto, assentientibus omnibus, præter vnum Iuonem Carnutensem, illegitimum cum Bertâ coniugium pronuntiatur. Quo iniquissimo iudicio Rex solutus in speciem, cùm Bertradâ palam matrimonium contrahit, impurissimi amoris excæcatus fuligine. Culpæ offensio cùm probos omnes afficeret, exclamarétque in flagitium Iuo Carnutensis, nec vllo vitæ metu bonorúmve iacturâ quam passus est, absterreri ab officio posset; tandem Vrbanus in Concilio Claromontano re cognitâ Philippum Regem sacro fulmine percutit, Bertradámque adulteram, & à cœtu fidelium vtrumque amouet. Pœnæ granitate deterritus Philippus, à Bertradâ secedit, culpámque deprecatus, sequenti anno ab Vrbano absoluitur. Sed eo Romam profecto, atque demortuo, recrudescit flagitium, receptáque iterum in torum Regis Bertrada, instaurat crimen, pœnámque debitam. Vnde à Paschale Vrbani successore Rex iterum ditis deuouetur; perstitítque in flagitio aliquandiu, donec tandem pœna cum culpa desiit. Nam Concilio habito Balgenciaci, legati missi à Pontifice perfecerunt, vt à Philippi toro Bertrada discederet, dum dispensat Pontifex. Quod is fecit Episcopis postulantibus; Rege à diris absoluto Lutetiæ in vrbe regia, & in coniugem iustam recipiente Bertradam: adeò constantia, vel in prauis suum finem assequitur, dum vrgenti adest, & neganti deficit. Dum hæc geruntur, Philippus in tantum suorum contemptum incurrit, vt Nobiles passim rebellarent, auctoritate Regiâ nihil habitâ, & Monarchiâ Franciæ in Anarchiam propemodùm lapsâ. Ludouicus Philippi filius annum decimum tertium nondum impleuerat, iam geminâ affectus contumeliâ, seu in matre paterni criminis, seu nutantis regni in subditis. Generosi spiritus iuuenis, cùm priorem non posset eluere; quid enim pius filius in Patrem tentaret? aggressus ad alteram, conscriptis copiis in rebelles mouet. Burcardus Mommorentij Dominus, cùm S. Dionysij Abbatem vexaret, armis petitus, & obsessus in

Philippus Rex excommunicatur.

Anno 1095.

Ludouicus filius rebelles domat.

Ludouici filij expeditiones.

PHILIPPVS I.

oppido, se tradit Ludouico; vrbs incensa est, castrum præsidio occupatum. Eadem celeritate & seueritate oppressi, Drocensis & Mucius, qui Bellouacensem Ecclesiam diripiebant; Elbonus qui Rhemensem; Leonettus qui Aurelianensem; vt bellum pietatis causâ susceptum religioso Principi præiudicium foret. Mox in Aruernis perduelles compescuit; aliquantò post in Campaniâ; multo labore nec sine discrimine repullulantem Hydram exscindens. Pacatâ Franciâ, Philippus diem clausit extremum, anno vitæ sexagesimo, ad Benedicti propter Ligerim sepultus; qui præclara bellorum momenta ignauiâ corrupit; libidine & auaritiâ infamis in posteris; quanquam institutus eximiè; adeò praua indoles sui ipsa tenax est, & opposita bonæ frugis repagula emolitur.

Anno 1106. vel 1107. *Philippi mors.*

XI.

LVDOVICVS CRASSVS REX, VI. nomine.

Post patris obitum, Ludouicus omnem solicitudinem adhibuit, vt quamprimùm inungeretur, erátque in celeritate momentum. Prætermisso enim more, quem Reges ab Capetio vsurpauerant, vt viuo patri adsciscceretur in regnum filius, vacare solium, & occupantis esse videbatur. Accedebat licentia Procerum, per ignauiam Philippi quæ libuissent per fas nefásque patrantium, eratque perfacile abnegato obsequio suâ cuique in prouinciâ ad imperium summum exsurgere. Erant & priuata in Ludouicum odia, Guidonis Comitis Rupefortij, quod eius filiam Ludouicus desponsatam olim, reiecisset auctoritate Rhemensis Concilij, affinitatem prætexens; multumque Guido pollebat opibus & clientelis. Huic adhærebat Campaniæ Comes, maiorum exemplo ad turbandas res nusquam non paratus: & credebatur Henricus Rex Angliæ oleum instructo igni infundere, & praua fouere consilia, in turbis Franciæ promoturus rem suam. Nec ipsa inauguratio satis erat explicita; nam cùm Rhemis à Rhemensi Præsule obeunda foret, dignitas Regis minus patiebatur hunc Præsulem. Etenim cùm anno proximo Paschalis Pontifex in Gallia ageret, defuncto Manassi Rhemensi Archiepiscopo Rodolphum substituerat, Rege non rogato: at Ludouicus factum indignans, Geruasium vnum è Palatinis in eadem Insulas nominauerat: verumtamen post turbas plurimas penes Rodulphum erat possessio, nec deiici sine tumultu & graui periculo poterat. Ideo Ludouicus Aureliæ inungi voluit & coronari, ab Giselberto Senonensi Archiepiscopo: idque perfectum est quinto die post Patris obitum. Re confectâ, aduenere ab Rodolpho nuntij, qui intercederent vnctioni, quod vnius Rhemensis Episcopi vnctionem Regis dicerent fore; at irritâ intercessione, Rodolphus Regi reconciliatus iurauit obsequium, ab ipso in Insulas receptus, abrogato Geruasio; ea Rege constituente, ne multos inter hostes fulmen Pontificis in se eliceret. Inauguratione concussa non excussa rebellio, vim tandem quam fouebat excluſit. Guido Rupefortius, sociorum ope & Angli pollicitis fretus, belli causam serit: Eudonem filium Iosledi seu Corbelij Dominum, quod in Regem propensior foret, adiutore Hugone altero filio, deprehensum Corbelij in custodiam rapit, vrbemque occupat. Ludouicus haud inscius se hac peti iniuriâ, exercitum ducit, expugnat Corbelium; receptóque Eudone, Guidonem, rebellésque cæteros terret victoriâ, veniámque poscentibus pœnam indulget. A Campaniâ profectus

Rocheſort.

Inauguratio ad ſpecies.

Aurelia obita.

Rebelles domat.

De Rochefo...

profectus in Picardiam Thomam Marlium; ob cædem Bellouacensis Episcopi, direptámque Ambianensem Ecclesiam, sacris diris deuotum, piisque omnibus perinfensum, armis aggreditur, expugnatisque arcibus Nogento & Crecio, ipsum Thomam prædonem impiissimum è Conciaco castro erumpentem, saucium capit: pòst ad Vadicassios pergens, sacrilegos eâ in regione insignes, in Turiaco castro obsessos, ad deditionem cogit, castrúmque incendit. Ea victoria belli molem maiorem exciuit. Theobaldus Campaniæ Comes, ne castrum incenderetur, quod suum esse assereret, cùm frustra apud Regem egisset; auctus Angli subsidiis, collectáque omnium Rebellium manu, exercitum ingentem legit, Regíque opposuit. Nec fortissimus Rex, Comitibus Flandrensi, Andegauensi, & Veromanduo adiunctis, à pugnâ abstinuit. Ea conseritur, atrox quidem & cruenta; at demùm vicit deteriorem pars melior. Regis in prælio spectata admodùm virtus, cúmque maximè sequuta victoria, voce & manu instaurantem incertam aciem; Theobaldus in Puysetium castrum profugit, in quo statim obsessus, permisit se Regi; tota sceleris pœna in castrum effusa est, quo euerso, cætera Campano integra, & libertas data. Quâ vsus impotentius, Henricum Regem in Normanniâ conuenit, tentatísque nouis consiliis, Anglo præsidio Brigiacos munit, dum ipse nouum exercitum parat. Ludouicus vt rebellionem in fonte plecteret, arma in Anglum vertit, penetránsque in Normanniam, agros vastat vicósque diripit. Et iam bellum inflammabatur grauissimum, cùm virorum hinc inde prudentiâ sopitum est, ictóque fœdere, Campano Carnutes redditi: incertâ admodùm pace, rebellione donata præmio, & Regum animis prægnantibus odio, iniuriæque memoriâ.

LVDOVICVS CRASSVS

De Marle.

Bellum in Campanum.

Le Mans.

XII.

Bellum in Anglos;

Sic affectis Regibus, & bellum coquentibus, bellandi ratio speciésve non defuit. Ista est vt verosimilius proxima. Elias Comes Cœnomanorum, absque masculâ prole decesserat, vnicâ filiâ Fulconi Comiti Andium nuptâ. Fulco, vt Cœnomanos sibi asserat, Ludouico Regi Sacramentum præstat, feudúmque profitetur ad Coronam spectans. Contra Henricus Cœnomanos sibi vindicabat, vt appendicem Normanniæ; impletam commissi feudi conditionem, Eliâ sine maribus mortuo; irrumpere in aliena bona Andegauum; nec largiri Ludouicum posse quod suum non foret. Hactenus verba, cùm repentè adiuncta vis. Fulco Andegauensis inuadit Normanniam, vtbémque Constantiam proditione ciuium capit. Henricus eo perculsus nuntio, transmisso mari in Normanniam aduolat, receptáque statim Constantiâ, imminebat Andegauo. Cùm Ludouicus suscepto clientis patrocinio, Angli arma sistit. Is seu iræ impos ab interceptâ vltione, seu lætus quod vetus odium in Ludouicum specie iusti effunderet, omisso Andegauo, ad Francum se applicat, magnísque copiis in Franciam irrumpit, penetrante pariter in Normanniam Ludouico. Vtriusque odiis parentatum populi cladibus, direptione, cæde, incendio vastatæ prouinciæ; & miserorum prædâ & sanguine litatum priuatis Principum sensibus. Tandem calamitatum pudor & tædium cùm furorem vtcunque infringeret, primus Ludouicus vt componeret litem, legatos ad Anglum mittit, qui de iure disceptarent tranquilliùs. Ii veterem pro Gisortio controuersiam

Belli causa.

Courances.

LVDOVICVS CRASSVS.

renouant. Est Gisortium vrbs ad Epram fluuium, in Normanniæ Franciæque confinio, ponte amnem iungens; quam Guillelmus ille Propagator validissimis munimentis instruxerat, obiecturus Franciæ aggerem, & Normanniæ firmissimum propugnaculum. Id castrum Franco molestissimum erat, quod æmulum defenderet, & nubis instar armatorum procellam suos in agros effunderet, præterquam erat positum citra amnem in agro Francico. Amoliturus Ludouicus ab oculo trabem, cùm Henricus ipsi clientelam pro Normanniâ præstaret, promissum exegerat euertendi Gisortij, vbi primùm alteruter eam vrbem ab Payeno Duce fortissimo, à quo tum tenebatur præsidio, vi aut pretio abstulisset. Eo pacto parricidij pœna in commercio erat. Nam Henricus Robertum fratrem maiorem natu, Normanniæ Ducem, redeuntem ex sacrâ peregrinatione interceperat, pelui ardendi obiecta oculis excæcauerat, conieceratque in carcere, in quo tandem dolore obiit, vnius noxæ reum, quòd à fratre vsurpatum imperium reposcebat. Quippe præter Normanniam regnum Angliæ præripuerat, absenti belli sacri causa. Guillelmus Rex Rufus nominatus, omni libidinum infamia, & vitiorum turpitudine, mortalibus superisque exosus, in venando occiderat, sagittâ emissâ cœlitus, cor transuerberante. At statim Henricus sceptrum inuaserat quod ad Robertum maiorem natu erat deferendum. Flagitij pœnam ne Ludouicus repeteret, eruendum Gisortium promiserat Henricus; fatalem Helenam, noxiámque tam seruanti quàm repetenti. Et impleta quidem conditio erat, Payenúsque Gisortium Henrico tradiderat, at is nihilominus adeò non euerterat munimenta, vt noua adiungeret, arcémque inexpugnabilem faceret. Igitur eam ob rem magnus Franco conquerendi locus. Instabant legati; *Vt iuratis pactis Henricus staret, diueret munimenta, causamque belli semel exscinderet. Id iuratum esse; stare priuatâ fide commercia hominum; inuiolatum probo cuique id vinculum; quid Regibus auctoribúsque fidei publicæ? omnia pessùm ibunt, nullo nexu, nullo vinculo fragilitatis humanæ, si qui exemplo & legibus sancire debent publicam fidem, ij necessitatem sanctissimam violent primi; & quod iurando factum esse creditur, perfidiâ atque periurio infectum iubeant.* Cæterùm legati potestatem pugnæ faciebant, siue totis viribus confligendum esset, siue vt assuetum erat iis temporibus, duo trésve seligendi hinc inde Nobiles, quorum victoria disceptaret litem; placebátque ea pugnæ ratio Ludouico, vt tot innocentium vitæ parceretur, suorúmque sanguini, cùm in hostibus etiam subditos suos & clientes agnosceret. Reponebat Henricus; *Perspectum sibi fide vinculum, quo maximè starent humanæ res; sed à Ludouico violatum id primùm, qui contra ius fásque Falconem Andegauensem vel tuebatur, vel impellebat in Dominum; qui Cænomanos occupanti & Constantiam vrbem inuadenti summâ iniuriâ opem præbuisset, & auxilio comparasset flagitium. Ludouicus Rex sit; at iustitiam colat; quæ fidei virtutúmque omnium præses; quâ fronte fidem exigat à cliente, quam clienti non præstat. Nam de Gisortio, cùm erectum sit ad repellendam hostis iniuriam; insanissimum eum fore, qui hosti inuadenti amoueret repagula, & mortis necessitatem sibi suisque induceret: quandiu Ludouicus in iniustis armis perstabit, perstiturum Gisortium; imò munimenta addi-*

Gisortium belli causa.

tum

tum iri. Quid enim vetat vim vi repellere; maximè vbi illa iniusta, & ad maius crimen vsum munit? Ad pugnam quod spectat, se legatos missurum. Et quidem milit: at nullà de re conuentum; vt pateret vnam Anglis mentem esse prolatandi, quò securiùs atq; commodiùs in aduersâ ripâ, nam castris interfluebat amnis, se tegerent. Nec ideò Ludouicus à proposito pugnãdi destitit, sed singulare certamen indixit Henrico; vt citius calamitas belli desineret, palámq; constaret, vter esset fœdifragus. Henricus tam priuatam quàm communẽ pugnã detrectauit, munimentis fisus, amnisq; alueo insuperabili; ratus cessatione tam honestè vinci quàm pugnâ; & tam otio suam palmam esse quam prælio. LVDOVICVS CRASSVS.

Ludouicus vt pertinaciam Henrici frangeret, omnem conatum ad superandum amnem adhibet; qui cùm frustra cederet, altitudine aluei excludente transitum & Normannis ex aduerso armatis; ne diutius irrisionem moueret hostium; motis castris, Gisortium se confert, belli materiam atque originem. Tentata expugnatio, & fortitudinis vltrò citróque specimina præbita. Verùm & ab eâ Regi abstinendum fuit; quippe arx munitissima erat, & identidem ab Henrico adstante cum exercitu, omni commeatuum genere instruebatur. Biennium hæc pugnandi ratio tenuit; dum Francus inferendo, amouendo prælio Anglus inuigilat, victorémque se putat, quòd copiam vincendi non daret. Quæ postea consequuta sunt, in scriptoribus ambigua, & contraria admodùm. Mihi admodùm placet, quod Sugerius scribit, semel prælio Ludouicum victum ab Henrico, quamuis fortissimè dimicantem; eóque in prælio acutè dictum Regis exceptum; cùm enim in conflictu acerrimo miles Anglus in equum Regis manum iniiceret, & exclamaret, Regem esse captum; at Rex; Ignoras, inquit, ne in ludo quidem Regem vnquam capi; simúlque militi clauæ ictu excussit cerebrum, séque confertissimâ hostium turbâ explicuit. Ita victus postmodùm instaurauit exercitum, & Anglo se in munitas vrbes recipiente, vastauit Normanniam impunè, hostíque victoriam irritam fecit. Hæc Sugerius oculatus testis. Henricus interea vt se & arte in Francum muniret, statuit Andegauensem ipsi eripere, & sibi Henricum Imperatorem adiungere; ita in Franciam nouum hostem armabat, & detracto Andegauo facessebat hosti molestiam. Id perfectum affinitatibus, quæ Principum vincula; nam Matildis filia nupsit Henrico Imperatori, & Fulconis Andegauensis filia Guillelmo filio, Normanniæ Duci data in coniugem. Nihilominus affines nactus lentiores in bellum quàm sperabat, Fulcone in Regem, cui & clientelâ & beneficiis obstrictissimus foret detrectante insurgere; & Imperator cum Romano Pontifice bello graui implicitus, exacerbare Franciæ Regem, nouúmque hostem lacessere recusabat. Belli difficultas paci viam fecit. Secesserat in Franciam Gelasius II. ab Imperatore pulsus Italiâ; obierat haud multò pòst; suffectúsque erat eius in locum Calistus II. Is extemplo Concilio Rhemis indicto Henricum Imperatorem eo nomine V. iam Henrici Angli generum, item Henrici Imperatoris filium, parem pessimo parenti sobolem, anathemate implicat, magna Francorum Episcoporum frequentia. Nec Anglus destitit noua perculsum contumelia Germanum incẽdere, si quo modo posset implicare bello. At is re nondum maturâ cùm pernegaret, & Calistus Pontifex Henricum Gisortij ad

XIII.

Rex Gisortium obsidet.

Ludouicus victus.

Angli nouæ affinitates.

Pax cum Anglo.

LVDOVICVS CRASSVS. Anno 1120.

conciliandam pacem conueniret, Fulcone Andegauensi omnem curam eò conferente, tandem ictum est fœdus, iurauitque Guillelmus Normanniæ Dux Henrici filius Ludouico Regi clientelam. Fuítque is primi belli exitus, quod illicò resurget, perstabitque quadringentis annis, pertinacissimis odiis vtriusque gentis; per modica quidem interualla sopitum in speciem; sed mox per incrementa virium increscens, furore aucto, & propagatâ internecione, vt nihil propius fuerit quàm vincentem & victum ruinâ opprimi.

XIV. *Naufragium celebre.*

Pace partâ Henricus transmisit in Angliam, & aliquantò post, cùm nihil rerum superesset in Franciâ quod ageretur, familia regia, Procerúmque præcipui, vnâ naui è Normannia soluunt. In eâ Guillelmus & Richardus Henrici filij, Sybilla neptis, Richardus Comes Cestrensis, Dapiferi, Camerarij, ac Pincernæ Regis; plurimíque Nobiles, lætis colloquiis breuem traiectus moram vt simul fallerent. Septem admodùm leucis horísque pauciſſimis nauigatio constat; trita & facilis nautarum commeantium vsu; at Morti nullus inuius locus est, nullum mare naufragio. Vix nauis è portu soluerat, cùm per nautarum incuriam, qui nimio vino maduerant, in scopulum proximum agitur, quâ solutâ, Principes Regij, Nobilesque, nullo incolumi, ad aspectum Normanniæ, vndis absorpti sunt; calamitate tristissimâ, & Patri liberorum plenissimo orbitatem miseram pariente. Obseruat Parisius diuinam vindictam; quòd Angli Proceres Sodomæ luc teterrimâ laborarent; nunc Deo impurissimum ignem aquis offocante, quem olim ignibus restinxisset. Sanè Henricus, cui iam præter Matildem Imperatoris vxorem nulli erant liberi, orbitatem luxit; estque documento; ne merces tam opulentas vni nauigio nautæ imponant, diuidántque lucrum vel iacturam: & adhuc supererat Robertus Regis frater, hoc se consolans, quod tortori suo liberorum morte, periisset præmium sceleris in se patrati. Videbatur calamitas pacem firmatura: quid enim bella Henricus, aut quibus sereret, deficientibus posteris? at quæ indolis peruersitas, toxicum hausit ex alimento; & cùm mali causam attribuere Franco non posset, effectum attribuit. Cum Imperatore, iam vocato in spem Anglici regni agit impensiùs, sensum contumeliæ à Franco renouat, belli facilitatem & præmium iactat; si ille per Lotharingiam irrumpat in Campaniam, ipse per Normanniam in viscera Franciæ, communem hostem obrui posse perfacilè, & amplissimum regnum generum inter socerúmque diuidi, quod totum posteà perueniret ad generum. Nec Imperator se difficilem præbuit; iam Henricum vt futurus heres intuebatur; quibus ille emolumentis increscret, iis se auctum iri; & recrudescebat in Francos odium; erátque stimulus Rhemense Concilium, diu animum pungens; si in Campaniam irrueret, Rhemos odiosissimam vrbem exscindi posse, & euerti penitus contumeliæ locum; præterea cum Romano Pontifice iam conuenerat, pacatáque Germaniâ, sopitis bellis cæteris, ad nouum hostem sufficiebat omnia commoda. Igitur pactâ cùm Henrico societate, ingentem in Germania conscribit exercitum, Henrico in Normanniam transuecto, vt copias suas instrueret. Ludouicum apparatus fama non latuit;

Inde bellum in Francum.

Imperatore adiuncto.

Ludouici apparatus.

nec

nec ipse segnior in conscribendo milite, ad repellendos hostes se componit. Implebant exercitum ducenta Francorum millia, quod fidem superet, tunc regno Franciæ tam arctè conscripto, nisi Sugerij viri sanctissimi id testimonio firmaretur; exercitûs partem Ludouicus Amalarico Monfortio tradit, quo Anglum retunderet, maiorem ipse in Germanum ducturus; erántque cum Rege clarissimi Proceres, Rodulphus Veromanduus, Guillelmus Aquitaniæ Dux, Fulco Andegauensis, affinitati præpollente officio; Comites Flandriæ atque Britanniæ. Nec ideo cessauit diuinam opem pius Princeps arcessere; curauitq; sacra Martyrum Dionysij & sociorum Lipsana è Mausolæo educi, & religiosè aris imponi: qui mos Christianissimis Regibus implorandi cœlestis auxilij; tum vexillum cœpit, quod Oriflammam dixerunt posteri, in eiusmodi vsus asseruatum, duxítque exercitum Lotharingiam versus. Sed victoria parta est nullo certamine. Henricus Imperator, magni exercitus fama perculsus, seu conscientiâ noxæ, quòd nullâ causâ moueret bellum tam graue, seu vindictæ flammam metu restinguente, viam retrò in Germaniam flexit, magnísque itineribus eripuit se pugnæ periculo. Ludouicus quanquam Duces ad inferenda in Germaniam arma incitarent, à persequendo abstinuit, fugienti pontem sternens; ratus securitatem præclarissimam regno victoriam. Nec secius Deo egit gratias quàm si vicisset, Martyrum capsas suis ipse humeris Mausolæo restituens, donísque variis pietatem testatus. Vitâ intra annum Imperator decessit; obseruátque Sugerius, hostes omnes Franciæ, in quos eo modo Martyrum Lipsana educta essent atque implorata, vertente anno diem clausisse; certo Sanctorum Præsidum in Franciam patrocinio, & clarissimo cœlestis opis miraculo. Interea irrumpebat ex Normannia Henricus cum Theobaldo Campano, viro pertinacissimæ rebellionis; sed à Monfortio pugnâ victus & pulsus est; & geminata Franco lætitia. Ita bellum Anglicum desiit; Angli imbecillitate & senio; & Franci ad alia plurimùm necessaria conuersione.

LVDOVICVS De Mõfort. *Et bellum conficit.*

Et primùm in Flandriam in pœnam atrocissimi sceleris euocatur. Carolus Canuti Regis Daniæ filius; Flandriæ Comes à Balduino testamento dictus, ditionem regebat magnâ laude iustitiæ & pietatis, Boni ob virtutes reportato cognomine. Is cùm acerbissimâ fame vexante Flandriam, recludi horrea, iustóque pretio annonam distribui, magnâ quorundam qui alienis malis ditabantur offensione iussisset, eorumdem coniuratione in templo occiditur; dextrâ abscisâ, cùm egeno stipem porrigeret, & excusso clauæ ictu cerebro; verè charitatis Martyr, & egentibus non annonam modò sed & sanguinem largiens. Ludouicus percepto parricidio, tum vt à reis repoſceret pœnas, tum vt Comitem Flandrensibus daret, cum parte exercitûs quem nondum soluerat, Brugam contendit. Parricidarum pars maxima magno iustóque affecti supplicio; cúmque plures pro Comitatu Regem appellarent; is omissis cæteris, Guillelmum seligit, Roberti Angli filium, Henrici nepotem, ipsíque infensissimum hostem; ratus in nepote aggerem validum in patruum erigi. Nam inter vtrumque cùm inimicitiæ grauissimæ forent, Henrico Guillelmi patrem misero carcere macerante, erepto ipsi

XV. *Ludouicus in Flandria.*

Angliæ

LVDOVICVS CRASSVS.

Angliæ regno atque Normanniâ ; nihil Franci vtilitatibus præstabilius erat, quàm Flandros ab Anglia atque Normanniâ, tantâ odij mole discludere atque seiungere. Sed frustra consilium fuit. Nam Guillelmus Flandros cùm haberet superbius, euocarunt Theodoricum Alsatium, qui Guillelmo in Alosti obsidione occiso, postmodùm iuratâ Ludouico Regi clientelâ, securus ditionem obtinuit. Sed hæc ad Annales Flandrensium spectant.

Rex in Aruernos.

Ludouico hac expeditione perfuncto tranquillitas non fuit ; in Aruerniam euocatus est, ad iura Ecclesiæ sancienda. Vexabat Claromontanum Episcopum Reginaldus Aruernorum Comes, ac impari certamine vis cum pietate Episcopum Claromonto deiecerat. Vir pius ad Regem confugit, conquerénsque iniuriam, ius humanum diuinúmque implorat. Rex haud prolatandum ratus, illicò exercitum in Aruernos ducit, Claromontum occupat, & Episcopo restituto, actóque in obsequium Comite, nullo sanguine victor legiones reducit ; magno celeritatis quæ Imperatorum virtus est præmio. Verùm postquam amoto Rege timere Comes desiit, cupiditatem & odium renouauit ; malè enim vi dedocetur scelus ; redintegratis consiliis, & armatâ maximâ sociorum manu, iterum Episcopum deturbat, Claromontum inuadit, séque ad vim quam fecerat repellendam diligentissimè comparat. Querelis Episcopi Rex perculsus, gnarúsque instauratam audaciam non modicis inniti viribus, ingentem & ipse exercitum legit, non ad vnam modò prouinciam, sed ad regnum amplissimum perdomandum ; euocatis in castra Comitibus Flandrensi, Andegauensi, & Britanno, & mediâ æstate, flagrantissimo æstu, quanquam dehortantibus Consiliariis, iámque annis grauior, (tantus ardor plectendi criminis,) in Aruernos contendit. Ferrándi montem, quæ vrbs propiùs Claromonto distat, exercitu cingit, vrgétque obsidione : nec obsessi desidebant ignauiâ, sed crebris eruptionibus fatigabant regios, variásque clades inferebant. Eas quia molestissimæ erant Rex vt propelleret, prouinciam dat Amalarico Monfortio, hostes vbi primùm erumperent intercipiendi, vt reditu intercluso cæteris exitus vetaretur. Rem strenuè confecit Monfortius ; magno numero Aruerni eruperunt, & perrupto vallo, turbatísque castris, cùm ouantes referrent vestigia, intercepti in Monfortium inciderunt, à quo multi cæsi, capti quàm plurimi, pependerunt audaciæ pœnas. Nam captis ad cæterorum metum manus truncari Rex iussit, mutilósque in vrbem remisit, qui terrorem sociis pœnâ facerent, numerúmque augerent nullo auxilio. Eo supplicio ab eruptionibus deterritus miles ; iámque vrbi deditio imminebat aut clades. At repente arma in vertice montium fulgent, magnúsque exercitus in conspectum datur. Quippe Guillelmus Aquitaniæ Dux euocatus à Comite Aruerno clientelam professo, magnis itineribus ad seruandum clientem profectus, aduolabat ad tegendam vrbem. Verùm è montibus speculatus numerosissimas Regis legiones, & munimentis castrorum perspectis, iam victoriæ anceps, verbis potiùs quàm armis pugnandum censuit. Hac mente nuntios ad Regem legat, qui reuerenter admonerent ; Comitem Aruerniæ clientem esse Aquitani Ducis : si quid is peccasset, primùm ad Aquitanum deferri querelas oportuisse : eam esse feudorum le-

Monferrād.

Aruerni repressi.

Aruernis auxilia.

gem,

gem, ne supremus Dominus appelletur, medio prætermisso: ideò se venisse, vt à Comite cliente ius impetraret, pœnámque si quid foret noxæ exigeret. Si Rex non abnuat, id se præstiturum in Comite, & controuersiam ipsum inter atque Episcopum dirempturum; incolumi regiâ dignitate, & illibato subditorum obsequio. Rex conditionem admisit, seu quod iusta & æqua videretur, seu quod pius Princeps sanguini parceret: seu quod Aquitanum vincire beneficio cuperet, iámque ambiret hereditatem cum filia. Sic pacata omnia, soluti exercitus, restitutus Episcopus, tumultúsque grauis consopitus.

LVDOVICVS CRASSVS.

Et pax data.

Ab his turbis indulta Regi aliquantula quies, quam vt publicæ rei bono impenderet, more maiorum, Philippum è liberis natu maximum, Rhemis frequentissimo consessu Procerum, adstante Henrico Anglo in regnum cooptat. Effusam lætitiam, vt res humanæ sunt, improuisus turbo confestim excipit. Garlandi fratres Ludouico charissimi fuerant; erátque is amor, fidei præmium & fortitudinis. Anselmus & Guillelmus deinceps, Domus regiæ dicti erant Præpositi: quibus fato functis, ad Stephanum fratrem cum amore Regis deuoluta est dignitas. Is iam antè regni Cancellarius accessione tantæ dignitatis Aulæ inuidiam concitauit: eò maximè quod Ecclesiæ per sacros ordines illigatus, ad munus militare longè ineptior videretur. Et beneuolentiâ Regis vtebatur impotentiùs, per superbiam morum auctâ inuidiâ, & contemptu incendens, quos honoris specie mitigasset. Stetit tamen in gradu: donec Reginæ inuisus, quam stolidè tumens offenderat, ipsâ cum Proceribus admouente machinas, gratiâ tandem & Aulâ deiectus est. Nec ideò deiectus est animo: sed ad Monfortium Ducem illum fortissimum, cui sua neptis nupserat, confugit, tentátque eius ope, clam appellatis Anglo & Campano, dignitati primæ restitui. Malum exoriens necesse fuit armis compescere. Rex Luciacum castrum, quod erat Monfortij, armatus obsidet: nec incruenta obsidio, Vermanduorum Comiti effosso oculo, & Rege ipso saxi ictu læso; castrum captum & dirutum: mox contracta pax; abrogata Stephano dignitas Palatina, & Insulæ Parisienses collatæ. Sic vtrique partium factum satis, & amotus prætextus inuidiæ. At cùm eiusmodi pax nequaquam animos conciliasset: Rex odij pertinax, seu Reginæ impulsu, seu sua sponte, quòd olim charissimus, sibi infensissimos appellasset, Stephano facessebat molestiam: & cùm Stephanum Archiepiscopus Senonensis defenderet, & in ipsum iracundia Regis inflammatur. Odio Rex prætexebat, quod Stephanus castrensem militiam detrectaret, quam multis retrò annis Episcopi plures obiissent: nec admittebat Clericatûs excusationem. At Stephanum tuebantur, non modò Senonensis, sed Franciæ omnes Episcopi; quòd de potissimo iure ageretur, Regíque minabantur palam: quin & Bernardus Abbas Clareuallensis, sanctitudinis famâ percelebris, ea de re Ludouicum acerbè increpuit, & apud Honorium II. Pontificem Maximum grauiter questus est, quòd in Regem propensior, dignitatem Ecclesiæ prodere atque deserere videretur. Diúque hæc contentio tenuit, donec, quod prænuntiatum à Bernardo volunt, magna calamitas Regem ad diuersa conuertit. Philippus filius Rex inauguratus, cùm in

XVI.

Rex Philippum coronat. Anno 1116.

De Garlãde.

Turbæ ob Garlandum.

Philippi coronati mors.

LVDOVICVS CRASSVS.

in Parisino suburbio equitaret, porcus prætereuntium turbâ conterritus, in vici alteram partem præcipitanter incurrens, in equum Regis incidit, implicitúsque cruribus sternit quadrupedem, Princeps equi mole obtritus, haud multò post obiit. Regi summo luctu defleta mors; tam leui casu obruente spes tantas, & inter domestica acerbissimum funus inferente.

Innocentius in Franciam venit.

Sed & hunc dolorem noua conuersio mitigauit. Innocentius II. Honorij successor, cum à Petro Leonis Pseudopontifice Româ atque Italiâ pelleretur in Galliam Pontificum portum & asylum confugit. Cluniacum venerat: cùm Ludouicus vocato Stampas Antistitum cœtu, & Bernardi prærogatiuam sequentibus omnibus, de Innocentio admittendo, & Anacleto repellendo; ita enim Petrus appellari voluerat, ad excipiendum Pontificem admouet curas. Venienti occurrit ad S. Benedicti ad Ligerim, cum vxore & liberis, & pro auitâ in Romanam Sedem pietate, procumbens ad Pontificis pedes, sua & totius regni officia profitetur. Idem officium

Anno 1131.

Innocentio Henricus Anglus apud Carnutes præstitit. Exceptis gratulationibus Pontifex Concilium celeberrimum Rhemos euocauit: in quo ab

Ludouicus Iunior coronatus.

Galliâ, præter Aquitaniam, ab Hispaniâ, Germaniâ, atque Italiâ, Episcopi omnes, damnato Anacleto, Innocentio hæserunt, Bernardi operâ indefessâ. Eodem in Concilio, Ludouicus filius, summa Regis voluntate, ab ipso Pontifice inauguratus est: mox ad discrimen patris Iunior dictus, quæ

Crassus vnde dictus.

appellatio in regnante perseuerauit. At pater posteris Crassi cognomine innotuit, ob crassitiem corporis & obesitatem: iniquâ sanè appellatione, quæ tot virtutibus prætermissis, vnam corporis formam designauit.

XVII.

Eleonora Ludouico nubit.

Ludouico in regnum assumpto adsciscenda erat regni consors & tori; præclara eam in rem illuxit occasio. Guillelmus Aquitaniæ Dux, eo nomine nonus, omni criminum genere luculentus, solus in Gallia Anacleti partes tuebatur. Ad hunc Bernardus patrator ille miraculorum profectus, cùm momentis rationum immutare peruicacem animum neutiquam posset; nouo

Guillelmus Eleonora pater.

pugnæ genere hostem aggressus, prælato sacratissimo Christi corpore, increpitánsque verbis minacibus, sic infregit hominem & cótriuit, vt Guillelmus non modò Anacletum desereret; sed quæ Gratiæ pugnantis victoria, vitia in quibus consenuerat detestatus, seriò criminum pœnitens, statuerit proiecto imperio, ad S. Iacobi in Hispaniam peregrinari, vitámque reliquam in spontaneis præteritorum criminum pœnis exigere. Eo consilio, vt prouinciis quas regebat amplissimas prouideret, Eleonoram è filiabus maiorem, vel vnicam, cum luculenta Aquitaniæ dote Ludouico Iuniori innuptam offert. Regis voto flagrantissimo occurrebat; itaque missus in Aquitaniam Ludouicus; & Guillelmo iam in Hispaniam profecto, frequentissimis Aquitanis summóque plausu celebratum coniugium. Quid Guillelmo contigerit; an obierit in Hispania, vt ad Ludouicum relatum est; an sanctè obscurus afflictato ærumnis corpore diu vitam produxerit, relinquo aliis discutiendum, qui Annales, vel Aquitanicos, vel sacros scripserunt. Sanè constat Ludouico sponso, inter festa nuptiarum gaudia, nun-

Ludouici Crassi mors.

tiatum obitum Ludouici patris. Hic ærumnis quàm annis grauior, nam sexagesimum implebat, alui profluuio desiit viuere; piè vt decebat piissimum

Principem.

Principem. Statuerat animo apud S. Dionysij coronam deponere, Benedicti vestem induere, ac Monachum profiteri, sed morbo vetante propositum, quidquid pecuniæ & supellectilis erat, locis sacris atque egentibus erogauit; dein obitis magnâ cum religione Sacramentis, tapetio humi strato aspersóque cineribus deponi iussit elanguidum corpus; & in hoc demissionis Christianæ theatro, mortalitatem ludens emisit animam. Magnis haud dubiè annumerandus Principibus, sic ab arctissimis regni primordiis sese explicuit, regnumque filio pacatum & propagatum commisit. Plures præter Regem reliquit liberos; & quanquam non sit animus Regum sobolem accuratius persequi; hic tamen Philippi memorandum facinus non omiserim. Ille à Patre Ludouico ad Ecclesiæ sortem adscriptus, iam Archidiaconus Parisiensis, vacantibus Infulis, ad eas totius cleri populíque suffragiis cooptatus est: verùm is admirabili modestiâ, præclaram dignitatem in Petrum Lombardum contulit, famâ celebrem; ob sententias Theologiæ in vnum digestas; doctrina & pietate digniorem professus: vt eo facto digniorem nescires, an qui daret, an qui reciperet.

LVDOVICVS CRASSVS.

Philippi Clerici modestia.

Ludouicus Iunior, renuntiato Patris fato, postquam Aquitaniam ad securitatem composuit, cum Eleonorâ per flagrantissimos Augusti æstus Parisios venit; & vt fit luctu illicò in gaudium verso, regni curam capessit. Fluebant ad votum omnia, cùm ex prosperitate superbia, ex superbiâ turbæ coortæ sunt, ingénsque discrimen. Alberico Bituricensi Archiepiscopo emortuo populus Quercinatem quemdam Regi gratum substituerat; contrà Innocentius Pontifex, abrogatâ populi electione, Petrum nominauerat. Inde Pontificem inter & Regem, singulis electum suum tuentibus, grauis dissensio. Imò Theobaldus Campaniæ Comes se in eam immiscuit; nam Petrum Bituricibus electum excepit, opem pollicitus, & specie religionis, rebellionis animum obtegens. Accessit quod auersos animos magis impelleret. Erat Eleonoræ Reginæ soror Alisia, ex impari matre vt colligo; eam Rex collocat Rodulpho Veromanduo, suo affini, notæque fidei: Et quoniam Rodulphus iam illigabatur priori coniugi, eandem Rex abdicari curat, quorundam Episcoporum assensu. Repudiatam Theobaldus tuetur, erat ipsi consanguinea, susceptáque causa, grauiter apud Innocentium de facinore Regis conqueritur. Innocentius eam in rem Iuonem Cardinalem in Franciam legat; qui causâ cognitâ Petrum dignitati restituit, Rodulphum anathemate illigat, totúmque regnum sacris interdicit. Ludouicus vindictæ impotens, quam minus in Pontificem posset exerere, in Campanum effundit, armatúsque Campaniam sæuissimè diripit. Nec quæ erat indignãtis ferocia, locis sacris parcitum; vastata omnia sacra & profana; memoratúrque facinus furoris præcipitis: cùm Victoriacũ Rex expugnasset, iussisse flammis subiectis incendi Ecclesiam, in quam plebs misera ad mille quingentos vt in asylum confugerat; quo igni sacrilego tam spirantes Dei imagines quam pictæ arserũt. Postquàm Regis furor expletus est aliquantũ, & rationi intexluxit, inspectâ grauitate noxæ Princeps adolescens, (& mœsti Aulicorũ vultus loquente silentio factum incusabant) adeò exhorruit culpæ fœditate, præsertim vrgẽtibus increpatoriis Bernardi litteris, vt animum in

XVIII. LVDOVICVS IVNIOR nomine VII.

Turba inter Regem & Pontificem.

Vitry.

Regis pœnitentia.

LVDOVICVS IVNIOR.

mœrorem planè abiiceret, nullaque re præter luctum moleſtúmque tædium afficeretur. Alunt extrema vitium; modus virtutis eſt: ideò lugenti adhibendum ſolatium fuit; nec aliud quàm à Bernardo, Suadæ diuinæ efficaciſſimo oratore. Is fomentis cœleſtibus ægritudinem leniebat: *Humanitatis eſſe delinquere, delinquentium reſipiſcere; nullam eſſe noxam cui venia ſua non prompta ſit; ideo Deum humano in corpore necem pertuliſſe, vt ſperare auderent homines: quid ageretur mortalibus, ſi primàm peccantem pœna exciperet? Interminatã eſſe miſericordiam Dei, qui & iuſtos amaret, & reis parceret vt amarentur.* Eiuſmodi verbis extenuatus animi dolor eſt: & vt omnia coaleſcerent, ad Campanum Bernardus aduolat, quò iniuriæ ſenſum obtunderet, flammámque vindictæ: Campano mitigato, faciliùs venia ab Pontifice impetrata; reſtitutæ res ſacræ Regi & regno; Petrus Antiſtes Bituricenſibus datus; & dum animos pœniteret priorum, inſtituta res magni momenti gloriæque immenſæ. Ea Ieroſolymitana expeditio: quam Ludouicus Francorum Regum primus ſuſcepit, arduo ſanè religionis exemplo.

XIX. *Ludouicus in Palæſtinã proficiſcitur.*

A Godefredo Bullionio tres Reges deinceps Ieroſolymitanum regnum tenuerant: Balduinus I. Balduinus II. & Fulco, & quæ rerum humanarum ſors eſt, à prima virtute & pietate Chriſtiani degeneres, à Saracenis grauiſſima detrimenta paſſi erant. Fulco vitâ conceſſerat, regnúmque pro liberis Meliſenda vidua adminiſtrabat: regimine vt in femina propè precario, & Procerum commodis nutibúſque obnoxio. Inter hæc Saraceni Noradino Duce Edeſſam ceperant, vrbem validam, & propugnaculum Solymæ, ipſique imminebant ferociter, niſi firmis erigeretur auxiliis. Ea vt poſcerent, miſſi Legati ad Pontificem Eugenium III. cuius auctoritate tam Imperator quàm Franciæ Rex ad honeſtiſſimum & neceſſarium bellum agerentur. Vix Romam Legati venerant, cùm vulgata Legationis cauſa per Europam, & omnium auribus Palæſtinæ clades inſonuerunt. Ludouicus qui in illà ægritudine animi, priuato voto petendæ Solymæ obſtrinxerat ſe, Proceres tam ſacros quàm profanos euocat, & participato conſilio, ad ſuſcipiendum religioſum bellum adhortatur. Vno omnes conſenſu Bernardum conſulendum reſpondent: quod ſanctiſſimo viro tantâ in re videbitur, ſe contentione omni impleturos. Placet conditio, Bernardus conſulitur: ille priuatam in re eiuſmodi excuſans ſententiam, Romanum Pontificem veritatis fontem Deíque interpretem appellandum cenſet. Sic appellatus per Legatos Pontifex, non modò probat conſilium, ſed Bernardo omnem auctoritatem delegat, quâ Francos & Germanos ad ſanctiſſimam expeditionem commoueret atque impelleret. Eo animo celebratum Carnuti Concilium, in quo frequentiſſimi Galliarum Antiſtites, præſente cum Proceribus Rege, bellum ſacrum decernunt, eiúſque agendi, quod mirum, aſſenſu omnium, curam Bernardo committunt; eúmque Ducem & Prætorem ſummum conſtituunt: tantùm vel inter tubas & tympana ſanctitas pollet. At Eugenio viſum ſatis, ſi Bernardus vnum Tubæ munus ſuſciperet, curâ belli reliqua ad Regem traducta. Quod & præſtitit incomparabili ardore vir ſanctus, verba prodigiis operum fulciens; tot patratis miraculis, vt maximum ſit, tam ſancta & præclara initia in tam turpem exi-

tum

tum desiisse. Sed non eò collimat diuina mens quò humana; & quæ iactura mortalibus, Deo sæpe lucrum est. Ab hoc Concilio conuentum Procerum Verelaci indicit Rex, in quo ipse, vxor Eleonora, multíque Nobilissimi, à Bernardo Crucem sanctam susciпiunt, emisso peregrinationis voto, quos tanta multitudo populi æmulata est, vt referente ipso Bernardo, exhaurirentur vrbes & oppida: vnæque feminæ superessent in Francia. Nec à subito impetu aberrabat prudentia; nam in Francia & Germania pacata omnia & tranquilla; Anglia suis occupata dissidiis, paritérque Hispania, securitatem præstabant; si qui è Francis ancipites forent, ij cum Rege Crucem admiserant: erátque glorioſissimum genti, instaurare veterem gloriam, & Christianæ fidei propagationi incumbere: quin futurum vtilitati, si Nobiles plebemque ad noua consilia semper expeditos, longinquum bellum detineret atque absumeret. Incensis Francis, ad Germaniam Bernardus properat, Conradúmque III. nomine Imperatorem conueniens, eodem incendio bellicosissimam gentem inflammat. In Francia & Germania comparabantur ardenter omnia: iámque Conradus cum innumerabili exercitu iter inceperat, per Hungariam atque Bulgariam Constantinopolim versus, numerabátque in equitatu septuaginta hominum millia: nam peditum, ne fortè supra fidem foret, non initus est numerus: cùm Ludouicum Eugenij in Franciam aduentus tantisper moratus est. Ab Arnaldistis Hæreticis Romæ præpollentibus, qui nomine Politicorum Pontificia iura violabant, depulsus Eugenius, in paratum perfugium, tutúmque propugnaculum, hoc est in Franciam, contulerat se. Ab Rege Parisiis perhonorificè exceptus, & pro maiorum piâ consuetudine, dum Gilberti Porretani Pictauiensis Episcopi corrupta dogmata, & Henricianam in Tolosatibus hæresim, indagat & damnat; bellum in ipsâ Franciâ corruptoribus animorum indicens; Ludouicus proficiscitur. Posteaquàm accessit ad Dionysij sacram ædem, facultatem belli à Martyribus flagitans, accepítque peregrinantium Baculum, & vexillum in eiusmodi expeditionibus celebre; quam Oriflammam diximus; erátque vexillum Dionysianæ Ecclesiæ; rectà viâ per Germaniam atque Hungariam Constantinopolim exercitum ducit; aliquantò minorem Imperatorio, si equitem numeres, at non imparem pedite; armatis etiam feminarum turmis, & imbellem sexum religione vincentibus. Sugerio Abbati sancti Dionysij commissa regni administratio, probatissimo viro & singulari prudentiâ.

LVDOVICVS IVNIOR.

ANNO 1147.

Ludouicus Augusto mense profectus, incolumi exercitu Constantinopolim venit, & exceptus ab Imperatore Manuele Comneno pro merito dignitatis, transmisso freto, perrexit in Asiam, Imperatoris copiis, vt conuenerat, adiuncturus suas, stupendóque exercitu hostem obruturus. Sed tanta consilia quò propiùs admouebantur ad exitum, eò difficilius regebantur. Et Conradum primò excepit calamitas. Is cùm Manueli vno Imperatoris titulo suspectus foret atque odiosus (quanquam sorores Berengarij Luxemburgi Comitis filiæ vtrique nupsissent) postquam omne incommodi genus pertulit, fidémque Græcam suo damno expertus est, frumento vel malignè præbito, vel gypso farinæ immisto, ad morbos vulgandos; tandem

XX.

Ludouici per Asiam iter.

LVDOVICVS IVNIOR.

expedito milite in Asiam transiit, datis à Manuele, viarum ducibus. Ij summâ perfidiâ, cùm in Lycaoniam opulentam atque vberem regionem exercitum ducere oporteret, in Cappadociæ montes asperrimos atque incultos abducunt copias; lusumque variè Imperatorem, posteaquam miles magnam partem absumptus inedia erat, fuga deserunt atque destituunt. Conradus inops consilij, locorúmque ignarus, dum fidem Græcam incusat, ecce noua calamitas cum asperitate montium luctantem excipit. Saraceni magno numero conflato exercitu, Paramo Duce, occupatis montium faucibus, improuisi imminent, viámque præcludunt. Perturbatis Germanis, perditisque victus penuria, vnus patebat exitus, si vestigia retrò conuerterent; spésque erat occurri posse Francorum copiis, quas penetrasse in Asiam Conradus fama acceperat. Eo consilio signis conuersis Germani redeunt. Verùm hostes perspecta re, in extremas turmas impetum faciunt, conturbant ordines, fusósque disiiciunt, & in palantes magna clade grassantur. Iámque in fugam totus exercitus agebatur, cùm Saraceni in impedimenta delati, effunduntur ad prædam, hostiúmque obliti, direptioni incumbunt; datum interea Germanis spatium colligendi se, & tristes famis atque ferri reliquias educendi è montibus. Sic vt in naufragio, iactura mercium saluti consultum, & obiecta hostibus impedimenta. Germanis in planitiem fusis Franci occurrerunt; Rege ipso cum delectis Proceribus inter ipsos montes præcurrente; nec vsquam inter fratres maiora beneuolentiæ signa; Principes mutuis adhæsere amplexibus; Germanus omni solatij genere recreatus; suauissima calamitatis affluentísque copiæ societate. Imperator vt exercitum supplementis reficeret, reuersus est Constantinopolim, Regi pollicitus sequuturum se, vbi primùm copias & milite & necessariis rebus instruxisset; indecorum ratus, Imperatorem Romanum, appendicem esse militiæ, aliisque auspiciis hostem profligare. Rex Ephesso in interiorem Asiam penetrans, Mæandrum vsque illibatis armis peruenit. Est Mæander celeberrimus in Æolide fluuius, crebris flexibus subinde curuatus, sed prærupris & asperis ripis, iuges aquas trahens; frequentibus Cygnis in crystallo natantibus; vt ad incolarum delicias fluentem dixeris, & per agros sparsum ad fœcunditatem: tunc voluptatis illicium belli necessitas ad ferociam Martis traduxerat. Altera ripa quæ spectat Ephesum peruastata, solitudinem squallidam præferebat; altera armis inhorrescebat, Saracenorum exercitu transitum amnis arcente. Hærebat Francus, profundo alueo, & vadum nullibi aperiente; sed quia fortitudini nihil imperuium, tentato per omnem alueum fluuio, tandem vadum repertum est, quanquam incertum & inexploratum; statímque magno impetu Franci in aquas effusi, iniquo in loco prælium conserunt. Appetiti barbarorum telis, iaculantium è superiore ripa quasi ex aggere, per suorum strages & cruentum amnem euadunt; ac demùm ad oram appliciti sub grandinem Sagittarum, admoti ad pugnam, longis hastilibus barbaros feriunt. Admota pugna victoriam dedit. Intecti plerumque armis Saraceni, ad inferendam quàm repellendam necem aptiores; toti ad vulnera patebant, lanceísque confixi, iam irrito iaculorum vsu, sternebantur passim; sed vbi Franci ripam conscenderunt;

Pugna ad Mæandrum.

runt ; tunc deturbati atque trucidati ; strages circumlata, & inuecta miseris fugæ necessitas. In fugientium castra victor immissus est, quæ dum opulentissima diripit, nec armis grauior celeritatem fugæ assequitur ; victi plerique saluti consulunt, belli vicibus haud multò post referendis. Castris direptis, Laodiceam proximam vrbem victor ingressus est, datóque ad curanda vulnera spatio, & comparatâ annonæ copiâ, Rex cum exercitu vltra contendit.

LVDOVICVS IVNIOR.

XXI. *Francorum clades.*

Barbari interea ex trepidatione reuocati, nouísque aucti copiis, non ausi palàm Francos lacessere, carpebant latera, præstolantes si qua se daret eluendi probri occasio. Nec eam plurimùm Francorum securitas distulit. Incedebat bipertitò distributus exercitus, magno in Saracenos contemptu, quod victoribus frequens, potissimùm Francis. Primum agmen ducebat è Proceribus vnus, suo quisque die, ponebátque tentoria, in loco quem commune consilium designasset ; dum postremum agmen incederet, quod Rex ipse agebat. Ducebat sua sorte primum Godofredus Ranconius, erátque in via mons obiectus, cuius in vertice cliuóque gemino ex sententia Procerum collocari castra oportebat. Maturè ad montem peruenit, die nondum prouectâ, & vltra montem diffundebatur in amœnos campos planities ; cuius suauitate illectus, eò copias ducit : ratus postremum agmen facilè insequuturum ; futuráque in lucro, properationem viæ, & hospitandi commodum situm. At posterius agmen à priore intercapedo longa diuiungebat ; quod cum fugisset Ranconium, non fugit Barbaros ; nam ij extemplo vacuum montem insidentes, taciti præstolantur agmen postremum. Lento gradu incedebat, die iter emetiens ; & existimabat socios esse qui montem implerent. At ecce dum incauti propiùs subeunt ; clamor, tumultus, pugna exoritur : effusâ telorum procellâ ingruunt Barbari : tum primis cæsis, turbatísque ordinibus, inuehuntur in aciem : nactíque confusos, armis intectos, qui hostem ne cogitatione quidem præsentirent, facilè in fugam agunt. Tumultum augebat rerum inscitia : cùm ignorarent Franci, à quibus peterentur, quid primo agmine factum, nox appeteret, & terror hostes à tergo fingeret. Mox tota in Regem incumbit vis prælij : circa eum frequentissimi Nobiles stipauerant se, & Gallica fortitudine sub Principis oculos dimicabant. Nec ipse cessabat otiosus inspector, sed munus Imperatoris obiens militisque, voce & dextrâ promouebat pugnam. At virtutem obruente numero, cùm fortissimus quisque cecidisset ; iámque diem nox clauderet, Rex comitantibus paucis viam manu per circumfusos hostes conficiens, ignotus ad cacumen montis euasit : iámque abiicienti salutem noua spes illuxit : ignes perspicit in subiectis campis, eorúmque ex modo atque ordine primum esse agmen, quod integrum foret atque illibatum, coniiciens ; instaurato animo, antequam illucesceret, ad suos incolumis, suæ ipse salutis artifex, cum paucis peruenit. Castris illicò gaudium mœrórque oboriuntur : gaudere omnes ob seruatum Regem ; at pro fratrum iacturâ mœrore singuli, luctúque affici : hic fratrem, hic parentem, hic filium, vnius intercapedine noctis ereptos lugebant, suámque sortem ac temerariam incusabant ignauiam : quod pugnando socius nec commodare

Geffray de Rancone.

LVDOVICVS IVNIOR.

dare, nec commori licuisset. Saraceni patrata strage continuerunt se: haud ausi primum agmen impetere, postquam locus fortitudini vnus, nullus fraudi esset. Et ipsi Franci lucro apponentes, quod pars exercitus superesset, in Pamphyliam conuerterunt iter, & superatis difficultatibus plurimis, Attaliam vrbem Pamphyliæ tenuerunt. Rex curatis corporibus, diuisit exercitum, dein equitatum cum Proceribus imponit nauibus, iusso pedite per Ciliciam penetrare in Syriam: ipse cum nauibus è Pamphyliâ soluens, prosperâ nauigatione ad Syriæ littus classem appellit. Distabat à littore quinque admodùm leucis Antiochia, quam ipse destinabat inuisere, tum suâ tum vxoris gratiâ, & si expediret Christianæ rei, iis in locis arma impendere.

XXII. *Rex Antiochiam venit.*

Erat Antiochia iam à primis temporibus Syriæ nobilissimæ prouinciæ caput, ad Orontem posita, sub Amani montis radicibus, prima Christianorum sedes atque perfugium, imò tanti incunabula nominis. Hæc à Raymundo Principe regebatur, Guillelmi Aquitani fratre, codémque Eleonoræ Reginæ patruo: quippe iam à Bullionij expeditione Raymundo Tolosano Antiochia cesserat, eiúsque imperium deriuatum ad posteros, delatum erat ad Raymundum Aquitanum, ductâ in sponsam herede filia. Effuso gaudio ab Raymundo exceptus est Ludouicus, Proceres Nobiléque in vrbem admissi, luxúsque Syriæ ob nouos hospites reuocatus. Raymundum incitabat affinitatis regiæ dignitas, tum vtilitas sua; sperabat enim Franci ope propagaturum se limites suos, publico auxilio curaturum rem suam; erántque vrbes proximæ quæ inflammarent cupiditatem, Cæsarea & Heliopolis. Eamobrem ad retinendum Regem animum applicat; *docet belli nullam illustriorem esse materiam, quàm Palæstina libertatem: eò tam longinquam peregrinationem susceptam: eò tantùm aruminarum exhaustum: eò fratrum affiniúmque sanguinem fusum. Porrò in Syriâ Palæstinæ compedes cudi aut solui: oppressâ Syriâ, sanctissimam vrbem perituram, permansuram seruatâ. Eam vnam viam ad immittenda subsidia, Ciliciæ fauces pertinere ad Syriam, commodos portus vrbésque maritimas in eâ esse: Arabiâ, Ægypto & Mesopotamiâ potientibus hostibus, quid reliquum Palæstinæ, nisi occumbere? Quare Saracenos depellat à Syriâ Ludouicus, expugnet vrbes Christianis infestas, viam Sanctæ vrbi aperiat, inspecturus soluta vincula Palæstinæ, nihilque admodùm superesse, præter gloriam vsúmque victoriæ.* Iis Raymundus Eleonoræ preces adiungebat, quæ blandimentis & lacrymis oppugnabat coniugem, vt patruo gratificaretur. At quæ ars ad retinendum videbatur potentior, ea efficaciſſimè dimittebat. Siquidem Ludouicus Reginæ impudicitiam senserat, solutos mores, licentiam vitæ, pudorem depositum, thalamíque iura violata, colligebat iam, aut suspicabatur; erátque fama per Aulam vulgata, Eleonoram Saladino cuidam formoso iuueni sese permittere, & turpissimum inire cum adolescente commercium. Rex igitur vxoris fraudem repellebat industriâ; *peregrinationis metam Ierosolymam esse: non emissum votum vt pugnaret in Syriâ, ad vrbem sacram susceptam expeditionem, postquam voto fuit factum fuerit, conuersurum se arma, quò Christiana res & commune bonum impellerent.* Eadem insinuabat Raymundo, voti necessita-

tem.

tem obtendens, prætexebátque Imperatorem, qui nuper Ieroſolymæ excep- LVDOVI-
ptus, ſe operiretur ad communicanda conſilia, armáque vno conſilio pro- CVS IV-
mouenda. Et verò Conradus hyeme tranſactà Conſtantinopoli, refecto NIOR.
exercitu, Ptolemaïdem claſſe tenuerat, venerátque Solymam, effuſo Chri-
ſtianorum plauſu & gaudio. Inter hæc omnem moræ nexum legatio Balduini Regis abſcidit; orante Fulcherio Patriarchà Legatorum principe, vt Rex nihil ſtatuat, donec vrbem ſanctam inuiſerit, iam præiudicaſſe Imperatoris aduentum; veniat Rex potentiſſimus, eorámque perſpectà re, in quam partem opus bello ſit æſtimet. Rex Legato audito profectionem indicit; nec leuiter in abducendà coniuge laboratum; ea quippe libidinoſo æſtu ſuccenſa, eò impudentiæ venerat, vt Regem ſequi abnueret, inceſtas cum eo profeſſa nuptias, ob affinitatem; Raymundo, haud dubiè neptem confirmante, vt Regi vel aliquam moram iniiceret, vel abeunti ignominiam faceret. Momentum enimverò Ludouico perarduum, & anceps in quam partem ſe verteret; nam vel vxori ſoluendum erat frænum libidinis, vel probrum thalami abdicatione coniugis reuelandum. Abducendam itáque Reginam cenſuit, mediúſque minitantem inter & blandientem, factâ ſpe reditus, auellit impuram feminam, & rebus publicis vltionem præuertens, cum exercitu Ieroſolymam venit. Poſtquam religioni abundè factum eſt, vt in communem rem conſuleretur, & aliquod exiſteret expeditionis operæ pretium, calculis omnibus conſtitutum, vt Damaſcus primùm expugnaretur. Expugnationem haud perdifficilem, glorioſam fore, & vtiliſſimam. Vrbem tametſi validam & munitam, à gemino exercitu, æmulandi aculeo, viribúſque integris, poſſe obtineri; famam victoriæ bello reliquo prærogatiuam fore, & à viſceribus Syriæ ſi Barbari amouerentur, tutam in poſterum atque incolumem Palæſtinam, iter peregrinantibus liberum, vrbéſque cæteras ſponte ruituras.

XXIII. *Damaſci obſidio.*

Eſt Damaſcus Syriæ caput, & orientis opulentiſſima ciuitas, emporium Saracenorum vberrimum & munitiſſimum, mercaturâ celebre, & inſtructiſſimum milite. In apertâ camporum planitie, ad radices Libani ſurgit, irrigata fluuiolo, cui nomen Chryſorrhoas; vnde vrbis opes, ſecuritas atque deliciæ. Nam ab aquis maximè præſtantiſſima temperatura chalybis oritur, vnde Damaſcenienſes, aliáque opera famæ clariſſimæ, & pelles animalium eodem liquore ſubiguntur egregiè, vt concluſus pomœrio amnis cuique ſit ciuium pro fœcundo agro nec emiſſus muris prodeſſe deſinit, deductus in alueolos, hortorumque ſeptis irriguus, tantâ frugum, florum arborúmque copiâ, vt in ea maximè regione Deum primo Homini poſuiſſe ſedem opinio ſit. Et ſecuritatem hîc voluptas præſtat; quippe hortos in ſex milliaria diffuſos, plures Arces dixeris; nam valida ſepimenta, foſſæ, aggeres, riui, turres bitumine illitæ, priuatos agros muniunt, & impediti-ſſimæ variis anfractibus viæ, vt ſe explicant ciuibus atque euoluunt, ſic peregrinis atque extraneis inexplicabile iter obiiciunt. Et verò his munimentis confiſi incolæ, murum ea parte nullum erexerant, in oppoſitam collatâ omni arte & diligentiâ. Nihilominus Chriſtiani in eam partem quæ munitiſſima videbatur conuertunt impetum; ſeu agri amœnitate illecti; ſeu loci

LVDOVICVS IVNIOR.

opportunitate, ponendis per aquas feraciſſimáſque arbores caſtris; ſeu præferoci bellantium animo, ambientium periculorum grauiſſima. Ergo ſtatim in conſeptos hortos vis directa. In agmen tergeminum diſpertitus erat exercitus; agebat primum Balduinus Rex Ieroſolymitanus, Ludouicus alterum, Imperator poſtremum. Ad oppugnationem irrumpitur: nec Saraceni ſe propugnant ignauiter; ſuis tecti munitionibus magnam ſtragem edunt, & ſagittis pugnaciſſimum quemque confodiunt; ita primo agmine quod conſtabat è Syriacis pulſo, ſecundum progreditur: id Franci conflabant, qui maiore audaciâ quàm fortitudine, poſtquam impetum primum exhauſerunt, magnâ itidem clade repelluntur; Antiocheno otio emolliti haud dubiè, & iam ante voluptatibus victi quàm armis. Germani ſupererant, integrum agmen recenſque viribus; ij porrò æmulatione ſuccenſi, vt vno prælio Francos hoſtes veteres, & Saracenos ſimul profligarent, fortiſſimè irruentes, ſub imbre ſagittarum, ad hoſtem euadunt, iam prioribus præliis fatigatum, & abrupto reſpirandi ſpatio, deturbatis aggeribus, occupant hortos, fugatóſque barbaros in vrbem compellunt. Eo facinore nutabat ciuitas, iámque Saraceni fugam cogitabant, capíque poterant, ſi victores inſtitiſſent victoriæ; ſed cùm illis exarmaſſe vrbem ſat foret, & eorum quies trepidationem hoſtium pelleret; barbari pauore diſcuſſo, intercluſo trabibus ſaxíſque aditu, erigunt aggerem, vallúmque pro muro turribúſque obiiciunt. Cætera liuor proſperitatis comes perturbauit. Iam inter Conradum & Ludouicum conuenerat, vt capta vrbs Theodorico Flandrenſi Comiti traderetur, haud dubiè paruo negotio expugnanda. Ideò Syriacos inceſſit inuidia; opulentam prædam Latinis cedere, ſibi præter ignominiam & cladem ſuper nihil eſſe; repellendos ſocios, qui in ſe commodum omne deriuarent, nec ærumnarum conſortes in præmij partem admitterent. Hoc conſilio Damaſcum affirmant inexpugnabilem, ea parte quâ expugnarant propemodùm; longè commodius ab oppoſitâ capi poſſe; murum quidem obiici turreſque in ſpeciem, ſed in aperto omnia poſita; nullum inſidiis locum, non riuos, non foſſas, non aggeres ſuperandos. Cùm hæc Balduinus ingereret, perfecit vt oppugnationis locus mutaretur, & imprudentiſſima ſtoliditate horti iam capti relinquerentur. Et forſitan Francis id gratum accidit, quibus Germanorum laus moleſtiæ eſſet, & ſi parte aliâ vrbs expugnaretur, ſuum elui probrum, ac æmulorum gloriam deteri, haud arduum videbatur: ſaltem capta vrbs vnius Germaniæ trophæum non foret. Ita mora caſtra, & in oppoſitam partem traducta. At breui liuor prauúmque conſilium ſuos fœtus enixa ſunt. Inſpecta propiùs munimenta, arenoſum ſolum & infœcundum, annonæ difficultas in dies grauior, diſſidium inter duces ſerpens; cùm Latini Syros proditionis arguerent, hi Latinos ignauiæ, qui detrectarent oppugnationem; ea ſimul omnia ſpem deiecerunt, ſoluerúntque magno Chriſtianorum probro obſidionem; pulcherrimo ingreſſu, fine turpiſſimo; tantùm intereſt exordium inter & exitum. Conradus paulò poſt in Germaniam ſoluit, deduxítque tanti exercitus vmbram inanem: Ludouicus in Palæſtina annum præterea exegit, in barbaros pugnans, ſed leui-

Obſidio ſoluta.

bus

bus, nulliusque momenti prælijs; donec detritis penitus copiis, Ducibusque expeditionis vanæ pertæsis, coactus est reportare tristes belli reliquias. Eóque euanuit tantæ expeditionis nomen & gloria, vt suâ dumtaxat memorabiles clade, bellicosissimæ orbis gentes, nullo facinore, nullâ laude, domum pro gloriâ probrum retulerint; nempe Deo aliter quàm mortalibus visum, placuítque Syria bustum Christianorum, vt quam ipsi gloriam in terris ambirent, obtinerent in cœlis. Ludouicus dum tranquillo mari nauigat, in Græcos Piratas incidit, iámque abducebatur, cum ab Georgio Rogerij Siciliæ Regis legato, ea maria instructissimâ classe percurrente, receptus & restitutus est libertati; Franciæque redditus, velut à naufragio.

LVDOVICVS IVNIOR.

Rex in Franciam reuertitur.

XXIV. Tot exhaustis periculis, foris pacatis omnibus, intus molesto aculeo pungebatur. Vrebat animum libido coniugis, pudor abiectus, probrum inuectum, & thalami sacra violata; iámque flagitij grauitas patientiam penè absumpserat. Erátque dignum vindictà facinus; nisi Regis animum sua ipsa indoles, & Reginæ vterus mitigassent. Quippe Eleonora prægnans, si marem pareret, fœtu optatissimo & hactenus desiderato, delectura ignominiam, & receptura amorem coniugis videbatur; prono Rege ad veniam, & ambiente momenta vt parceret. Partus itaque qui rem decideret expectatus. At is vbi in deteriorem sexum inflexus est; Deo prouidente, ne Reges Franciæ natalium dubio laborarent in posteris: tunc euanuit spes, excitatus est dolor, & recrudescente probri memoria, vindictæ cupiditas exsurrexit. Qui tamen erat Ludouici animus, in indulgentiam propensissimus, cùm abs se pœnam impetrare non posset flagitio, satis esse censuit, si ipsum amoliretur à thalamo, pudorémque restitueret probro ablegato. Quare tacito crimine, pro soluendo coniugio euocauit Episcopos, edoctósque contractum inter affines coniugium, nullâ Pontificis facultate, haud ægrè impulit vt resoluerent vinculum, quod nullo iure legitimo vinciebat. Nec dissentiebat Eleonora, id Antiochiæ iam' contestata; nec occulebat auersum à Rege animum, querens se haud Regi nupsisse, sed Monacho; in tantam audaciam proruperat scelus, vt castissimus Princeps, & supra omne fastigium positus, pro Monacho impudenti feminæ haberetur. Soluto coniugio, Rex Eleonoram dimittit, dotémque restituit, enimverò ampliss[illegible]mam, Aquitaniam cum Pictonibus; nulla re opulentior, præter duas filias quas ex eâ susceperat. Eo loci prætermittere non possum scriptorum querelas, optimum Principem incusantium, quod vxorem indemnatam dimiserit, & ampliss[illegible]mam hæreditatem à regio fisco absciderit. Nam vt fatear vberrimas illas prouincias fuisse dignas Regis cupiditate, & peccatum politicè dum restituuntur; sanè Ludouici abstinentissimum facinus memorabile est; parcebat pudori thalami famæque regiæ, pœnam dilectæ coniugis extorquere à se non poterat; nec in dotem inuolandum censuit, quæ fuisset nulla nullo coniugio; vnde vno facinore vindictam domuit & cupiditatem; quos hostes pauci admodùm è triumphantibus profligarunt; eóque laudem immortalem promeruit. Sed Christiana laus humanis ingeniis videtur abiectior, quæ id maximè rapit, quod

Eleonora abdicat.

Anno 1150.

Christiano facinore dotem restituit.

LVDOVICVS IVNIOR.

pompam & lucem inuehit; quasi in Principe Christianum esse, minimum sit. Solutis consortibus nouæ statim aduenerunt nuptiæ; Ludouicus Constantiam aut Beatricem Alphonsi Castellæ Regis filiam thalamo adiunxit; Eleonora Henrico nupsit Andium Comiti, in spem proximam regni Anglici iam euecto. Quæ nuptiæ quoniam grauissimas calamitates inuexerunt in Franciam, res tota à fonte primáque origine arcessenda est. Henrico primo Angliæ Regi, cæteris liberis naufragio raptis, vna supererat Mathildis, nupta Henrico Imperatori, quo pariter absque liberis mortuo, ea nupsit iterum Godefredo Andium Comiti; Henrico hunc generum præoptante, vt Normanniæ suæ Andegauos Cænomanósque adiungeret. Eo ex coniugio nati sunt liberi, Henricus & Godefredus, quos auus hæredes instituit, Henricum in regnum Anglicum, Godefredum in Ducatum Normanniæ. Henrico mortuo nouus hæres successorque exoritur. Is Stephanus Comes Bononiæ, qui Henrici Regis ex sorore Alisia nepos, regnum inuadebat, iure quidem infirmior, sed armis & potestate validior. Inde bella ciuilia diuexarunt Angliam diu Stephano potiore & obtinente imperium, donec vnius morte fœdus contractum est. Eustachius Stephani filius, magnâ fortitudinis gloriâ, cui regnum comparauerat pater, cùm repentino morbo raptus esset, haud ægrè Stephanus pacem Angliæ dedit; eâ conditione, vt ipse regno dum viueret potiretur, Henrico Andegauo traderetur Normannia, qui & idem regni hæres diceretur, admittendus in solium post fata Stephani. Huic ergo Henrico Eleonora se in coniugem dedit, Aquitaniâ in dotem adiunctâ; vt iam Henricus maximam Franciæ partem obtineret, eámque regionibus contiguam; Normanniam, Cænomanos, Andegauenses, Turones, Pictauos, Aquitanos; præter Britanniam, quæ & postea Normanniæ stipendiaria fuit; quibus post biennium cùm Angliæ regnum mortuo Stephano accessisset; næ is potentissimus euasit Principum, armauítque hostem Francó terribilem.

Eleonora nubit Henrico.

XXV.

Bellum pro Tolosatibus.

At illi vna Occitania deerat, quam si Aquitaniæ suæ admoueret, summum fastigium adepta potentia, & impleta cupiditas videbatur. Nec iuris species ad eam inuadendam desiderata est; nunquam enim suus ambitioni titulus defuit; ius Eleonora ab maiorum tumulis eruebat. Pontius, nomine III. Comes Tolosanus, duos susceperat liberos Guillelmum & Raimundum; Guillelmo vt maiori natu Tolosa obtigit, Raimundo S. Ægidij Comitatus. Guillelmo liberi præter Philippam filiam nulli; ea porrò Guillelmo Aquitaniæ Duci Eleonoræ auo cùm nupsisset, Tolosates & Occitaniam, hæreditatem paternam in dotem habuit. Verùm Aquitanus cùm aliquot annis vxoris dotem obtinuisset, rei familiaris pressus angustiis, consentiente vxore, Raimundo ipsius patruo, quem appellaui S. Ægidij Comitem, Tolosates & Occitaniam vendidit, emptione vel purâ, vt asserebant hæredes Comitis; vel pigneratitiâ, vt profitebatur Henricus. Quanquam verosimilius affirmant alij, ab ipso Tolosate Guillelmo, fratri Raimundo ab Hispaniâ reduci & opulento pecuniâ, venditos Tolosates, dotémque filiæ numeratam. Raimundo Alphonsus filius fuerat, Alphonso

Raimun

Raimundus, qui tunc temporis regebat Occitaniam ; nec emptionem vnam proferebat in titulum, sed præterea nitebatur possessione, quam septuaginta anni confirmassent. Et verò Ludouicus Rex, ductâ primùm Eleonorâ, in Alphonsum Raimundi patrem eam ob rem contenderat, & cum eo conuenerat, datâ sorore Constantia Raimundo in coniugem : sic ab iure ambiguo, ad arma ventum est. Nec dubitabat Henricus, quin momento Tolosanum exueret; siquidem præter exercitum, quem numerosissimum ex Anglis, Scotis ipsisque Francis instruxerat, detrahebat opem hosti vndecumque. Nam Berengarium Aragoniæ Regem affinitate deuinxerat, & Trincauellum Biterrensem Comitem, atque Guillelmum Toparcham Monspelij ab Raimundo abduxerat, vt is circumseptus omni ope destitueretur. A Franco abesse longius; quin & ipsi apparari quod ageret, Theobaldo Blesensi Comite adornato, vt impeteret Franciam, si Tolosam versus Rex moueret. Iis accuratissimè designatis, Anglus in Cadurcos arma conuertit, & statim Duconam seu Cadurcum primariam vrbem expugnat; promotúsque vlterius, ad Tolosam ipsam castellis circum occupatis copias admouet. Raimundus ad primum classicum implorauerat, quæ vna superarant, Franci subsidiâ, nec surdum appellabat. Ludouicum enim præter publicam regni vtilitatem, ne hostis tam opulentâ prædâ ditaretur, sui etiam stimuli incitabant, odium in Eleonoram, indignatio in Henricum, qui ductâ libidinosâ & turpi coniuge, adipisceretur turpitudinis præmium, & cliens repentè partiretur cum Rege Franciam. Ideò curâ belli studiosè susceptâ ducit ipse in Occitaniam militem, & Tolosam celeritate magnâ contendit. Aduentus fama Henricum conterruit; spésque à Blesensi ceciderat, quem Henricus Bellouacensis Episcopus, & Robertus Drocensis, Regis fratres, in Normanniam cum clade repulerant; quamobrem Anglus abstinendum à prælio ratus, abscedit à Tolosatibus, & Duconâ munitâ præsidio, in Normanniam suam se recipit ; certus belli in Franciam mouendi, vt in fonte & capite Tolosanum conficeret. Ita bellum motum, sed incursione duntaxat & direptione, nullo facinore memorando ; fœdúsque placuit, quo à bello discederent Reges, & contracta affinitas vinculum fœderis, Henrico Regis Angli maiori filio sponsâ Margaretâ Ludouici filiâ, quam è Castellanâ susceperat : eadémque Henrico seniori tradita, quæ Anglicis moribus imbueretur : Vexina prouincia assignata in dotem. Præterea cum Raimundo Tolosate pax icta est ; iuri vxoris Henricus se abiudicauit, eâ conditione, vt Tolosanus Aquitani clientem se profiteretur, & Raimundus quamprimùm Ricardo Henrici minori filio, Aquitaniæ Duci iam renuntiato, fidem clientelarem iuraret. Pacem compositam tertium Regis coniugium hilarauit ; nam alterâ vxore in secundo partu demortuâ, prolis masculæ cupidissimus, tertiam duxit, Adelasiam Theobaldi veteris Campaniæ Comitis filiam; eiúsque fratres strenuissimos duces vt demereretur, iisdem filias ab Eleonorâ susceptas in vxores dedit, Matiam Henrico Campaniæ Comiti, & Alisiam Theobaldo Blesensi, affinitate vtrinque prosperâ. Nam præterquam quod Campani fratres Regi addictissimi fuerunt in posterum, Rex ipse ab Adelasiâ quinto pòst anno suscepit filium, quem

LVDOVICVS IVNIOR.

Anno 1160.

Pax inter Reges.

Philippi natiuitas.

LVDOVICVS IVNIOR.

Philippum dixit; & agnatum infanti Adeodati nomen; quòd multis precibus & obsecrationibus à Deo petitus, ceu cœleste munus implorantibus impertitus esset. Sed id donum posteà. Nunc Pontificis Alexandri III. aduentu in Franciam, pax Reges inter firmari visa est: is quippe cùm à Friderico I. Italiâ pelleretur, more maiorum se recepit in Franciam; & tam humaniter quàm reuerenter exceptus, vtroque Rege pedite, & (quæ religionis veneratio erat) fræno iumentum Pontificis deducente; ille sollicitè ambos ad pacem hortatus, ad restinguendum odij fomitem se impendit.

Anno 1165. *Alexander tertius in Francia.*

XXVI. *Nouum inter Reges bellum.*

Sed radices penetrauerant altiùs. Nouis causis vetus bellum recruduit. Guillelmus Aruerniæ Comes, quem Ducis Aquitani clientem dixi, cùm Henrico detrectaret obsequium, ab eodem armis impetitur: idem ille Ludouicum appellat supremum Dominum, qui de iure & iniuriâ iudicaret. Accessit aliud leue in speciem, sed re grauissimum. Sacra pecunia quæ Ierosolymam mitteretur ad subleuandas Christianorum res in vtroq; regno legebatur; Henricus quod in prouinciis Franciæ lectum esset, Turonibus in Ecclesiâ asseruari præceperat: eam ob rem noua lis; quippe Ludouicus eam pecuniam simul cum suâ deferri Ierosolymam à legatis suis intendebat, quod Ecclesiæ Turonensis patronus esset & conditor; contra obtendebat Henricus, Turonensem se Comitem, lectam è suis pecuniam, & à suis deportandam, nec mutasse dominum, quòd in loco sacro deposita forer. Apparebat quæri nodum in scyrpo; nihilominus arma correpta; agri vtrinque direpti, vastatæ vrbes, ipsa Turonum vrbs capta, incensumque primarium templum; saxis & lignis Regum noxam luentibus. At post varias clades, molestissimas populis, nullius emolumenti Regibus, pax tandem coaluit; vinculum Henricus iunior, Ludouici gener, quem se Angliæ regno allecturum breui pater spopondit; dum ipse filius pro Andegauis atque Cænomanis Franco Regi clientelam iuraret, idémque officium pro Aquitania Ricardus frater præstaret. Et quidem Henricus pollicitis stetit, admisso in consortium regni Henrico filio. Verùm concordia non perstitit diu. Primùm animis pugnatum est, ob Thomam Cantuariensem sanctissimum virum. Is cùm Henrico minus obsequentem se gereret, & iura Ecclesiæ propugnaret, ab eodem vexatus impotentissimo iracundiæ, & ab Anglia pulsus, transmisit in Franciam; vbi commendante Alexandro Pontifice, ab Ludouico exceptus est, ad amicitiam & familiaritatem admotus, & omni defensus solicitudine, ne quid in eum Henrici furor delinqueret. Quâ tutelâ vt exacerbatus Henricus, sic eiusdem Antistitis morte Ludouicus affectus est. Nam vir piissimus cùm reuertisset in Angliam, nec patrocinium rerum sacrarum abiiceret, à percussoribus per summum nefas in Ecclesiâ suâ est cæsus; Henrico, vt vulgò creditum assentiente. Cumulauit occasionem belli Henricus filius, ingratus sanè & impius, sed in paterni sceleris vindictam genitus. Is superbiâ morum & arrogantia tumidus, fastu regij nominis atque consortio ad obtinendum regnum incensus, in Patrem rebellat; aderantque in partibus tam mater Eleonora, infensa coniugi tum ob eius stupra, tum ob sua, quàm fratres Ricardus & Godofredus; imò Ludouicus socer exercitum

Anno 1170.

Pax & nouum bellum

Thomas Cantuariensis.

citum scripserat, vel in gratiam Generi, vel in odium æmuli. Grauissimum idem inter Anglos bellum; cuius seriem perscripserunt Annales Anglici. Ludouicus, vt occasioni incumberet, & infensissimum hostem obrueret, in Normanniam penetrans, Vernolium obsidet, transmisso in Angliam milite, qui hostem distraheret, & in suo percelleret. At Ludouico irrita cecidere consilia: Henricus traiecto freto Vernolium aduolat, submissóque in castrum præsidio, Francum obsidione pellit. Nec felicior in Anglià res; Francis victis, & ad decem millia, si Polydoro credimus, interfectis. Henricus liberato Vernolio, in Armoricam tendit, sibíque vindicat prouinciam rebellantem; ea quippe cum Godofredo minori natu filio in Henrici fratris partes transierat, & Godofredus Constantiam Britanni Comitis vnicam filiam in sponsam duxerat. Eam dum expeditionem obit Henricus; Ludouicus instaurato exercitu, adiunctóque Henrico genero, & Philippo Flandrensi Comite, ad Rhotomagum Normanniæ caput se applicat, vrbíque expugnandæ omnem machinam mouet. At propugnatores pro amplitudine vrbis numerosi, eâ fortitudine hostem repulerunt, vt Henrico spatium datum sit immittendi subsidij, & ipse postmodùm cum toto exercitu in vrbem sit admissus. Desperatâ itaque expugnatione, & bello difficillimo, sequestro Theobaldo Blesensi Comite, pax tertiùm inter Reges sancita, reconciliati cum patre liberi, restituti captiui captáque oppida, & Adelasia Ludouici filia Ricardo Aquitaniæ Duci desponsa; eademque ob ætatem teneram Henrico seniori dum adolesceret tradita. Quo demùm fœdere Ludouicus quieuit, seu senio iam debilitatus, seu odio. Anno 1178
Nec ratio ad renouandum bellum defuerat, ob Henrici patris turpitudinem; quippe dicebatur Adelasiæ postquam adoleuisset pulcherrimæ vim intulisse. At Ludouicus cotumeliam seu ignoraret seu dissimularet, se regno continuit; imò in Angliam religiosus Princeps transmisit, Thomæ Cantuariensis inuisurus cineres sacros: eâdem religione ad S. Iacobi Compostellam antè profectus. Nec omisit institutum à patribus morem coronandi filium; celebrata Rhemis inunctio, ipso Henrico Rege adstante: & Rex sequenti anno vitæ sexagesimo, piè mortem obiit; calamitosus alienâ culpâ, nempe vxoris, quam Furiam Franciæ rectè nuncuparis; à quâ in ipsum bellorum series deuoluta, detractâ parte regni potiore, & in heredes necessitate belli transcriptâ; cœterùm pius, fortis, simplexque animi; quanquam plerumque magna consilia euentu fallente. Anno 1180.
Tot inter bella tum externa, tum domestica, exortæ erant geminæ pestes in Gallia; præter schisma, quod Pontifice Alexandro III. & Friderico I. Imperatore, diu vexauit & laniauit Ecclesiam. Rege in sacram expeditionem absente, Hæresis in Occitania primùm, dein Lugduni spargebatur impunius. Quidam Henricus Monachus, è cœnobio profugus, cuiusdam Petri Brusiani discipulus, noua & impia serebat dogmata; quæ longo post tempore suscitarunt Zuinglius in Heluetia, & Caluinus in Francia. Ingens erat audientium plausus & frequentia; haud pauci asseclæ, qui dicti sunt Henriciani & Petrobrussiani. Profectus in Occitaniam Bernardus, eos argumentis & miraculis profligabat. Lugduni non multò post similis lues enascitur. Anno 1148. Lyon.

Heretici Albigenses.

LVDOVICVS IVNIOR.

Valdo

LVDOVICVS IVNIOR.

Valdo quidam mercator, opulentus, & benignus in pauperes, eos prauè imbutus, corrumpebat prauis sermonibus, doctrina altius per liberalitatem peruadente in animos. Appellati hæretici ab auctore Valdenses, siue Pauperes de Lugduno, qui ignara simplicitate, praua dogmata tuentes pertinacius, ad hoc vsque seculum, abditi in Allobrogum vallibus, perstiterunt. Ii latebant in plebe incondita; sed in Occitania Albigenses capita summa inuaserant, & totam prouinciam vastabat hæresis. Nam cùm in geminas sectas diuiderentur, variis nominibus sunt appellati; Catari, Patarini, Bulgari, Adamitæ, Cataphryges, Turlupini: quippe altera secta, ob libidinosas turpitudines, in odium plebis incurrerat, Manichæis similior: & ea ex imperitis constabat: in altera peritiores, ab ea vitæ licentia saltem in speciem alieni, larua virtutis prætexebant hæresim, eáque potissimùm sentiebant, quæ deinceps Caluinianis nostris placuerunt. At iis omnibus mox adhæsit Albigensium appellatio, quoniam in Albigensibus, superioris Occitaniæ gente, plurimùm inualescebant, & fauore Rogerij Albigensium Comitis promouebantur. Legatus Pontificis cum aliquot Episcopis ad eos missus, qui doctrinam impiam & corruptissimos mores, emendarent vitæ sanctitate, & veritatis luce confunderent. Sed in pertinaciam ea plerunque arma retunduntur; ac deinde ferrum & ignis adhibita sunt, ad putridos artus resecandos. Altera pestis eo tempore grassari cœpit in Francia, quæ mox per plures annos innumeras strages editura erat; Roterij & Coterelli. Ii militiæ nomen adscripserant, conflati ex Aragonia, Nauarra, Biscaia, atque Brabantia; equitibus Roterij nomen, peditibus Cotereaux; causa nescitur. Ii in obuios populos irruentes, rapiebant in prædam omnia, nullo freno licentiæ, cædibus atque incendiis grassantes sæuissimè, donec se cuiuis Principi stipendio ad bellandum addicerent; licentia tamen prædandi & sæuiendi semper vsurpatâ. Ii in posterum innotescent Franciæ, incredibili propemodùm detrimento; bellorum ciuilium tam alimentum, quàm fœtus.

Vaudois.

Albi.

Routiers.

Cotereaux.

XXVI.

PHILIPPVS AVGVSTVS. nomine II.

Philippus viuo Patre futuram magnitudinem iam delibauerat; nam in blasphemos iustas pœnas sanciuerat, & Comœdos scenicos exturbauerat regno, & quosdam Procerum auaritiâ & crudelitate grassantes in subditos armis compescuerat; in quibus numerantur Stephanus Sancerræ Comes; Philippi auunculus, & Humbertus Topartha Bellijoci, abusi Ludouici senio & indulgentiâ. Et superstite patre Isabellam vxorem duxerat, annis quindecim nondum impletis; ea Isabella Hannoniæ Comitis filia, Philippi Flandrensis neptis; cùm enim Flandrensis apud Ludouicum præpolleret gratia, carerétque liberis, eas nepti confecit nuptias, assignata in dotem Artesia, præter spem hereditatis totius. Mox Philippus vnus regni compos in Iudæos scueritatem exeruit. Ij magno numero Franciæ vrbes insederant, fœnoribúsque grauissimis exhauriebant familias; Lutetiæ maximè grassabantur, priuatæ hirudines, & beneficij specie molestissima damna importantes. Ii iubentur toto regno excedere, rebus non mouentibus fisco addictis, solutis debitoribus, modò quintam crediti partem Regi persoluerent; parcitúmque dumtaxat amplectentibus fidem Christianam.

Iudæi pulsi.

nam. Iudæos edictum, Coterellos vis pressit; fæcem populi, immanésque prædones, qui Bituriges diripiebant, rebus sacris & Sacerdotibus infensi maximè; cæsi ad septem millia, cæteri fugâ tecti & latebris. Perpurgato regno, ad incrementum publicum Rex se accingit, & de repetendis Veromanduis cogitat. Ij ab Ludouico dati erant Flandrensi Comiti, in regiminis speciem, reuerâ, vt sperabat Flandrensis, retinendi in posterum; eóque gratiam apud patrem impenderat, & aduersus filium affinitatem; erántque in Veromanduis arces, Sanquintinum & Perona, in Picardiæ finibus, quæ Flandriam tegerent, Franciámque compescerent. At quæ Flandrensi ratio retinendi, ea Philippo repetendi erat. Ideò de restituendo Comes appellatus; *permissum ei regimen, dum liberet Regi; regni bona abalienari non posse; quod diu possedisset, id priuatæ vtilitati adscribat, non iuri aut titulo possidendi.* Reponebat Flandrensis; *sibi in clientelam à Ludouico Veromanduos datos, ob officia in regnum præstita; nec beneficium esse, sed mercedem atque præmium operæ; paratum se clientelam iurare; si Rex ad vim se conuertat, repelli vim posse, seruarique præmium, quod ius, possessio & assidua in regnum officia contulissent.* Verborum pugnam arma excussérunt. Rex conscribit exercitum, scribítque Flandrensis; iámque oppositi erant, cùm Flandrensem sub ipsum discrimen metus absterruit; ideò reposcit colloquium, habitóque sermone cum auunculis Regis, Theobaldo Blesensi Comite & Guillelmo Archiepiscopo Senonensi; ea lege in pacem itum est, vt Flandrensis Regi Veromanduos restitueret, Sanquintino dum viueret & Perona fruiturus: quas tamen postea Philippus recepit, Comitatu Valesio attributo Flandrensi. Ea expeditione parta Regi gloria, cuius augendæ ab Oriente illuxit occasio. Christiani qui Palæstinam insederant, deturbabantur vrbibus suis; ægrè Ierosolyma regni caput stabat; ac ni continuò subueniretur, extrema omnia ingruebant. Missi ergo qui à Latinis, impensiùs à Rege Franciæ, opem flagitarent: & auditi à Philippo legati, & amicissima verba, & præsentissimam opem referebant; numeroso è Francis lecto exercitu, cui præter ducem nihil admodùm deerat. Philippus eum se designabat, cùm ab Anglia turbarum sementis atque belli enascitur. Henricus iunior fato sine liberis fungitur; ideò Margareta vidua Franci soror in Franciam redit. Eius dotem frater Vexinam regionem, quando nulli forent è coniugio liberi, postulat reddi; præterea Ricardum appellat de præstanda pro Pictauis clientela. Cùm Angli cunctarentur, & occuparent temporis commodum, Philippus armatus in Aquitaniam penetrat, captísque aliquot oppidis, ad Rodulphi castrum copias admouet. Nec morantur Angli, ducúntque exercitum, quo solueretur obsidio, aut pugna iniretur; cùm à Pontifice Vrbano III. missi Legati pacem conciliant; ea lege vt de controuersia Curia Franciæ disceptaret: ita se Angli profitebantur clientes, & moderatum animum Francus qui sibi subditos pateretur in Iudices.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Coterelli oppressi.

Veromandui recepti.

Palæstina calamitas.

Primum in Anglos bellū. Anno 1185.

XXVIII.

Dum Reges priuata exercent odia, ingens detrimentum Christiana res patitur.

Rex vouet sacram expeditionem.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

patitur. Saladinus Ægypti Sultanus, magni vir animi, victoriis pluribus reportatis, Palæstinam propemodùm totam inuaserat; expugnauerat Solymam, Guidone Rege capto, & cum immensâ Christianorum turbâ abducto in vincula; quódque propudiosum, Cruce sanctissimâ, adorando humanæ salutis pignore, raptâ, & in Ægyptum post contumelias multas delatâ. Christianos Principes ignominia pupugit, præsertim Francum & Anglum, qui ad Gisortium colloquuti, incensi oratione Archiepiscopi Tyrij, voto ad expeditionem sacram adstricti, iureiurando firmarunt mutuam pacem, & sacrosanctas dum redirent inducias. Ad maiorem religionem in colloquij loco, Crux visa pingi in aëre, eodémque in campo, quem sacrum ideò dixerunt, alia è lapide erecta est; vt ambitio, vindicta, & odium, dignitate mysterij vincerentur. Signati Cruce Regum exemplo quamplurimi; Hugo Burgundiæ Dux, Ricardus Aquitaniæ; Philippus Flandriæ Comes, Theobaldus Blesensis, Roconus Perticensis, cæterique nobiles, quibus Rex pro tubâ foret atque aculeo. Imò assensu Comitiorum, quæ eam in rem Rex euocauerat, in belli sumptus vectigal impositum longè opulentum; vt qui hærerent in patriâ decimam partem prouentuum penderent, itémque decimam bonorum mobilium; immunibus tamen Carthusianis Monachis, Bernardinis, & Nosocomiis; quod ideò vectigal Saladinæ Decimæ dictum est; vt singuli, quà operâ, quà pecuniâ honestissimam societatem belli inirent. Erátque Philippo ad profectionem haud leuis stimulus, quod nuper Ludouicum filium susceperat, lætissimâ populorum gratulatione; nec videretur discrimen tam graue, à quo pars sui melior seruaretur. Cùm in sacrum iter feruerent omnia, tertio post votum sacrosanctum mense, tumultus nouus profectionem excussit. Ricardus Aquitaniæ Dux, qui cum patre iusiurandum præstiterat, repentè in Occitaniam versus, Tolosanum Comitem armis aggreditur. Litem veterem & iam ante diremptam suo vt rebatur tempore instaurabat, cùm Philippus belli sacri curis implicitus, votóque adstrictus, ad alia se conuertere nec vellet nec posset. Verùm Francus superos mortalésque testatus, quod vi à sacrosancto proposito auelleretur, inuadit Aquitaniam, castrísque pluribus expugnatis, Leurosium obsidet; munitam arcem & validam, in qua obsidenda res contigit, quàm miraculo Rigordus adscribit. Summi erant æstus, & aquarum penuria contabescebat exercitus; cùm repente sicco cœlo nullísque imbribus, riuus castris interfluere cœpit, eâ copiâ vt hominibus iumentisque sufficeret, vbérque fluxit dum obsidio tenuit; alueo iterum post arcem captam exarescente. Nec dubitauerim Deum per prodigia blandiri piis Principibus, & futuris gentium dominis, cùm visum fuerit, elementa subiicere. At Philippus dum Ricardum ab Tolosatibus auocat, ipse ab Aquitanis pari modo abducitur; nam Henricus adiuncto Ricardo, è Normannia in Franciam irruens, diripiebat agros & vastabat. Ideò Francus, omissâ Aquitaniâ, arcibúsque firmatis præsidio, regreditur quam celerrimè, cupidissimus pugnæ, capítque Vindocinum sub ipso itinere: at se Rhotomago Henricus recepit, abstinens pugnâ, ratus factum

Campus sacer.

Decima Saladina.

Anno 1187.

Secundum in Anglos bellum.

Aqua cœlitus prabita.

Vandosme.

ctum satis quod Aquitaniam tam incommodo hospite liberasset. Interea breues inducię sub hyemem factæ, afflixítque Anglum magna rerum conuersio. Lues intempestiua ab Ricardi ambitione. Is diuturnam patris vitam pertæsus, moræque impatiens quæ regnum differret, ab Henrico sceptri consortium flagitat: iniquitatem voti prætexebat falsa iuris specie: postulabat sibi desponsam Alisiam Franci sororem in vxorem tradi, cum ea consortium regni reposcebat; vt quâ conditione Henrico fratri nupsisset olim Margareta, eâdem sibi Alisia soror enuberet. Reponebat Henricus, conditionem fratrum diuersam; id promissum fratri non Ricardo; Alisiam vxorem habeat, quando desponsa est; at in regnum Angliæ præcox non inuadat; imò expectet, dum à patris obitu matureſcat cupiditas. Et ius Henricus auctoritate & potentiâ tuebatur. Ideò Ricardus ad Philippum transit, & de patris acerbitate multa conquestus, præsertim quod sponsam in ignominiam Franci retineret, cupientem Regem in Henricum impellit. Mota versus Cœnomanos arma, & captâ Nogento, ad ipsam Cœnomanum traductæ copiæ. Ad famam aduentus, Henricus oppido fugæ propior exiens, festinat ad Turones, vrbem amplam & validam hosti obiecturus. At Philippus expugnatâ Cœnomano, Henricum sequutus, tendit ad Turones, admotúsque ad Ligerim, ingentis animi indolísque fortissimæ indolem præbet. Quippe vrbem regebat Ligeris, detraxerátque Anglus nauigia, ne transmitti posset, & decurrebat præceps amnis vndísque tumidus: cùm Philippus inter primos equitum inuectus in ripam, & cunctandi impatiens, aquas lanceâ explorat, repertóque vado contra spem omnium, equum immittit, amnémque transit omnium primus: ingenti lætitiâ turmæ sequuntur, admissóque tergo equitum pedite, ad vrbem applicatur exercitus. Is gratulantium Regi impetus fuit, vt illicò ad muros Ribaldi Regis successerint, (ita vocabant lectissimos militum & audacissimos, qui primi omnium se committebant periculis) sociísque vrgentibus vrbem expugnarint. Chinonem Henricus confugerat, cladísque nuntio actus in tædium, paucos intra dies vitâ cessit: morte vel suâ, vel illatâ à filio, loris equestribus præfocatus. Sanè cùm primùm Ricardus ad cadauer accessit, vis ingens sanguinis ab mortui ore & naribus in eum prorupit; iustâ patricidij accusatione. Ita Ricardo regnum confectum est, & cum Philippo pax, vrbes captas vltrò donante, & abstinentiâ redimente concordiam.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ricardus in patrem rebellat.

Le Mans.

Rex Ligerim transit.

Ribauds du Roy.

Henrici Anglimors.

Nimirum Philippum implendum votum vrgebat, rebúsque publicis semel compositis; quanquam affligeret priuata calamitas, nam Isabellam charissimam coniugem efferebat, Palæstinam vnam voluebat animo, in eámque intendebat vigilantissimas curas. Sanè expeditionis celeberrimæ in proximos Reges ardor inuaserat. Nam præter Ricardum, qui votum ipsum cum Philippo susceperat, Fridericus Imperator tandem cum Pontifice Vrbano III. contracta pace, forti magnóque exercitu in Asiam properabat; erátque summa expectatio omnium; tergeminæ illæ & bellicosissimæ gentes quam fortitudinis operam ponerent. Apparatis omnibus Richardus Philippum conuenit Parisios, & constituto de via consilio, profectus est Massi-

XXIX.

Regis profectio.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

liam, soluturus inde, classe ab Oceano per Herculeum fretum traducta. Philippus posteaquam regnum Adelasiæ matri, filiúmque vagientem in cunis, & Guillelmo auunculo Rhemensi Archiepiscopo regendum commisit, regendique leges ipse conscripsit, à sancto Dionysio petitis vexillo & baculo, Genua quò classem præmiserat, spei plenus soluit. Et primùm

Anno 1190.

Appulsus in Siciliam.

fœda tempestas iactatam classem cum magno periculo per Tyrrhenum mare disiecisset, tandem ad Siciliam scilicet Messanæ portum applicuit; in quem postea Rex Anglus appulsus est. Nec tenentibus portum procella sua defuit; quæ longè grauior non nauigia modò & vectores, sed ipsos animos afflauit turbine atque agitauit. Tancredus Rex obtinebat Siciliam; eò euectus, non ortu quidem & incunabulis, sed suffragiis populi: nam Guillelmo sine liberis mortuo, postremo è Guiscardorum familia, Tancredum substituerant Siculi, quem & à Rogerio Guillelmi auo quanquam impari matre natum asserebant. At ipsi cum Anglo dirimendum erat quid controuersiæ: nempe Guillelmo Ioanna Ricardi soror enupserat, agebátque in regno Ioanna, dum ipsi Tancredus restitueret dotem. Petitionem Ioannæ aduentus fratris intendit, & Ricardus à Siculo solutionem debiti flagitat. Siculus cùm pecuniæ excusaret inopiam, molestúmque hospitem profecturum breui arbitraretur; Anglus dolo comperto commorari statuit, donec sorori dos persolueretur. Extemplo offensio Principum irrepsit in subditos; rixâ exortâ, Anglis quotquot Messanæ agebant plebis

Turbæ in Siciliâ.

tumultu necatis, Anglus in castris furere, & prorumpere in excidium vrbis. Verùm intercedente Philippo conciliata pax, pernegante Tancredo facinus, & solutionem dotis pollicente. Quam nihilo magis cùm solueret; Anglus, iracundiâ moram omnem vincente, suos è castris eductos Messanæ admouet, tantóque impetu, ferro, igni, scalis, ariete vrbem impugnat, vt vi in eam proruperit, magnâ ciuium cæde, & facultatum direptione. Serius pœnâ Tancredus sapuit, & supra dotem vim magnam pecuniæ Anglo numerauit. Reconciliato Siculo Francum ab Anglo noua res disiunxit. Ricardus Henrico mortuo Adelasiam sibi desponsam intactam dimiserat, causatus virginem violatam à patre, nouúmque coniugium cum Berengariâ Garsiæ Nauarræ Regis filiâ iniuerat; eo rerum articulo Berengaria in Siciliam appellit, ad contrahendum coniugium. Hinc Philippo dolor, eò grauior, quod vetabatur prorumpere, iusto in speciem Ricardi repudio, legitimam sponsam nullius iniuriâ admittentis. E dolore suspicio timor & odium instaurata, eáque animorum orta dissensio, quæ sancta corrupit consilia, spémque intercepit glorioßissimæ expeditionis. Accesserat fraus Tancredi, an perfidia, duos Reges committentis, ne fortè iuncti in se arma conuerterent. Is Richardo Philippi litteras ad se scriptas exhibuit, quibus Francus pollicebatur, se totis viribus ruiturum in Anglum, & ducturum in vincula, nocte quiescentem, si vellet Siculus simul in communem hostem irruere: falsas litteras affirmabat Philippus, veras Ricardus putabat; sic odia mutua exarserunt, prima beneuolentia tam citò exarescente quæ Principes inter, & æmulos gloriæ diu nusquam perstat. Tandem post multam

multam altercationem verborum, Vere appetente, negante Anglo profecturum se nisi confectâ æstate, Rex Messanâ soluit, velis in Syriam datis, Angli moram & contumaciam multùm incusans.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

XXX.

Et quidem deploratis Palæstinæ rebus, subsidia noua expetebantur. Fridericus Imperator, magna in rerum gloria, tam Græcorum victor quàm Saracenorum, traductis per Asiam copiis, non longè Antiochia amne submersus, seu natans, seu lapsi equi præceps, florentissimas res lugendo casu afflixerat. Et tametsi Fridericus filius susceptum exercitum ad Ptolemaidis obsidionem duxisset; quæ vrbs in Phœnicià magni momenti ad expeditionem sacram videbatur; morbis tamen vulgatis, tum ipse interiit, tum Germanorum tantus numerus, vt pauci admodùm superessent. Perstabat tamen in obsidione Guido Rex Ierosolymæ, redemptis auri vi vinculis, cum Henrico Campaniæ Comite, obsesso propior quàm obsidenti, & Saladinus terrori erat, affuturus vrbi magno exercitu; cùm Philippo adueniente, suscitatæ spes, & redintegratus militum animus. Philippus illicò se ad murum admouit, applicitæque machinæ labem intulerunt, quæ capax irrumpentes Francos admitteret. Inhibitus tamen à Philippo Francorum impetus Anglum præstolante, cui communicaret victoriam, & laboris immuni partem præmij traderet. Ille serius postquam Messanâ soluisset, moras etiam viæ in nauigando nexuerat. Primùm tempestate obortâ, in plures Insulas classis disiicitur; deinde ex calamitate regnum nouum enascitur. Cyprum Isaacus Rex obtinebat, Græcus gente, & Manueli Imperatori affinis; ille Anglos quos in Cyprum procella effuderat, pro misericordià in naufragos, auarè & crudeliter habitos, bonisque spoliatos compegit in vincula. Quin & Ioannam & Berengariam, hanc Ricardi sponsam, sororem illam, portu interdixit, permisitque furentibus ventis, nullâ ratione dignitatis aut sexûs. Ricardus quem vel iniuriæ vmbra efferabat, Cor Leonis ob militarem audaciam dictus, collectâ classe Rhodo in quam confugerat soluës, Cyprum inuadit, victum aliquot præliis Isaacum capit, regnóque eiectum ablegat Tripolim, vinctum catenis in ludibrium aureis. Tum potitus regno, impletúsque præda, tandem vela conuertit in Syriam; faustáque nauigatione, naui occurrens, qua Saraceni Francorum habitu, vt custodias fallerent, tecti plures vehebantur, spe auxilij Ptolemaïdem submittendi; in eam irruit, mergítque fluctibus, raptis in vincula Saracenis. Qua auctus gloriâ, ad Christianorum castra appellit. Illicò obsessi, cùm extrema vrgerent omnia, recénsque Anglus muro immineret, vrbem dedunt, redemptâ magnis pecuniis prædâ, & pluribus Christianorum solutis, tum sanctissima Cruce Regibus promissâ. Verùm id lucrum multo Francis stetit; nam morbo aut ferro plures extincti sunt; hoc Albericus Franciæ Marescallus, & Rotrouius Comes Perticensis; illo longè plurimi, Philippus Flandriæ, Theobaldus Blesensis, & Stephanus Sancerræ Comites, cæterique è nobilitate præcipui; morbo inter arma, hoc est in ipsa mortis officina plerumque grassante. Quin oblata seges Ricardi iracundiæ in vsu victoriæ; primùm ab Austriæ Duce Leopoldo, qui palmà

Rex Ptolemaidem venit.

Ricardus Cypri occupat.

Ptolemaïs capta.

Du Perche.

Ricardi ferocia.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

superbior, post vrbem redditam vexillo suo supra turrim erecto, trophæum victoriæ spectante Rege posuerat. Id Anglus cum ignominia deturbari iussit, cæsis aliquot Germanis qui vim repellebant, & iure quidem, quanquam longa haud multò post facinoris pœnitentiâ. Altera bilis causa, victi Saraceni, qui pro verâ Cruce ligneum truncum substituerant; iussu Ricardi septem millia captiuorum cæsa, per impotentiam iræ, non explorantis, an fraudis conscij forent, qui cædebantur.

XXXI. *Inter Francū & Anglum dissensio.*

Ea belli sacri præludia: Saladinus & Ierosolyma, ille vincendus, hæc recipienda, iustum opus erant, Regúmque negotium. Sed quæ animos in Sicilia diremit discordia, eos planè diuulsit in Syria. Plures præter æmulationem causæ accesserant. Ricardus vbi primùm in Phœniciam appulit, ob quæsitam regno Cyprio gloriam, prædámque vberem, summam opinionem concitauerat sui; pleroſque afficiebat illicium nouitatis, & opum splendentium lux præstinguens, Pisanos maximè & Genuenses, quorum amor vtilitate constabat. Contra Francus morbi sæuitiâ imminutus; qui reliqui erant pecuniæ inopes, commeatu absumpto, liberalitatem alterius penuriâ suâ commendabant. Præterea Philippus Conradum Montisferrati Dynastam fouebat studio, Guidonem Lusinianum Ricardus, infensos inuicem odiisque oppositos; vt qui Reges non auderent palam contendere, pro clientibus singuli clam decertarent. A Lusiniano coëmerat Ricardus ius in regnum Ierosolymitanum, quod totum capiebat ambitione amplissima; regnum Cyprium nuper occupatum Guidoni in pretium donans, certum bonum pro spe ambigua. Nec placebat Franco communis laboris præmium vni addici. Quid quod Ricardus constituta ab delegatis vtriusque gentis infringeret, & abusus viribus quibus præpollebat, ad arbitrium omnia regeret. Hæc Philippum vrebant, & à grauissimâ quâ decubuerat ægritudine nondum confirmatum, quando pugnare in æmulum nec vires nec religio patiebantur, cogebant ad necessarium reditum. Et de Flandrensi Dynastia solicitus, mortuo Comite, existimabat in rem suam fore, si coram adesset, & tantam hereditatem in se vel sibi obnoxium deriuaret. Vbi profectionis vox inaudita est; exclamare Ricardus; *ius gentium & iurisiurandi vinculum appellare; eò expeditionem sacram desinere; eò Palæstina recipienda consilia; vt vno oppidulo expugnato, euanescant arma atque dispereant. Per se non stare, quin rapiatur in Saladinum exercitus; comparata arma, milites, animos; corrumpi omnia vnius Franci inuidia, cui fortitudo Anglica molestia esset. At quem lateat eiusdem ambitio atque improbitas, parantis reditum, vt ditiones Anglorum destitutas Rege statim inuadat, & Saladino propemodum fœderatus, Christiani Principis spolia referat.* Opponebat Philippus; *molestissimam ægritudinem, laborantem se morbo tantùm non oppressum, spectari omnium oculis valetudinis imbecillitatem; posse primum à Syriâ regredi qui primus venisset; postquam Ricardus tantùm temporis in expeditione insumpserit, tunc enimuerò de reditu cogitet. Ipsum familiam duntaxat abducere: decem*

De Lusiguã.

Ob Philippi profectionem.

decem millia Francorum peditum supereſſe, quingentos equites, quos Hugoni Burgundiæ Duci committeret, ſtipendio in triennium auctos; nemini ingratum fore, præterquam hoſti Chriſtiani nominis, ſi Princeps Chriſtianus ſaluti conſulat, & cœlo patrio valetudinem inſtauret. Ad ditionem Angli quod ſpectaret, aduocaturum ſe ſuperos teſtes, illibatam fore atque ſacroſanctam. Si quid contentionis fortè oriatur, præſtolaturum ſe quinquageſimum diem, poſtquam Ricardus ſe in regnum receperit. Hoc præſtito iuramento, traditiſque Hugoni copiis, Philippus in Europam ſoluit, & Romæ conſalutato Cæleſtino Pontifice, acerbum iniuriæ ſenſum in Franciam tulit, animúmque in Ricardi ſuperbiam vlceratum.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Rex in Franciam regreditur.

XXXII. *Ricardi fortuna varia.*

Iuriſiurandi religionem abſoluit mox Ricardi calamitas, an abrupit. Ille in Syria, præclara multa ediderat, militari audacia in paucis inſignis, poteratque Saladinus frangi & Ieroſolyma recipi, niſi primùm Hugonis Burgundi obſtitiſſet inuidia, dein ipſius Regis inualetudo; ac poſtremò inconſtantia, bene cœptis infenſa, quæ ſine laboris conſtantia non perficiuntur, adegiſſent Regem ad reditum: Nam inſtauratis quæ iacebant diruta oppidis, ac Saladini profligato exercitu, imminebat Ieroſolymæ; cum repente Hugone Burgundo morte prærepto, iter vertit, ac reditum in Angliam parat. Intempeſtæ profectionis cauſa variè tradita; præter veras quas deſignaui, ſiue auri vis à Saladino recepti, ſiue morbus quo conflictatus eſt; ſiue à Philippo timor, cuius mentem forſitan ex ſua metiens, ſacramenti vinculum intutum admodùm arbitrabatur. Titulo tamen Regis Ieroſolymitani gauiſus eſt, ſpecioſo ſanè at inani; quo vt dixi à Guidone Luſiniano donatus, eidem Cyprum Inſulam regendam permiſit; quam in plures annos Luſinianorum gens, orta è Pictauis, varia ſorte, bella inter domeſtica & externa, non ignauè rexit. Sic tantæ famæ bellum vna vrbe ſtetit; gentéſque fortiſſimæ, quæ perterrefecerant Aſiam, hoc poſuerunt operæ pretium; tam incertus eſt fœderum exitus, & plurium vtilitas omnium damnum eſt. Simul cum Ricardo bellum ab Aſia in Europam vectum eſt; primò ipſius vinculis, mox libertate. In Adriatico procella iactatus, naufragio ad Iſtriæ oram depulſus eſt; cúmque in Normanniam viæ geminæ ducerent, Germanica & Francica; illam ingreſſus eſt, Templarium indutus, ne dignoſceretur. Lynceis tamen odij oculis, ab Auſtriacis agnitus, & Duci Leopoldo traditus, contumeliæ memori, quam impunè Ptolemaïde tulerat, hoſtiliter habitus, tetrum in carcerem ferreóſque nexus coniectus eſt. Nec vnius vindictâ calamitas deſiit; nam poſtquam Leopoldus fecit ſatis iniuriæ ſuæ, Regem vinctum ſeu ferocem belluam Henrico Imperatori pretio vendidit; vt in vno capite graſſaretur plurium vltio; viri fortis quidem ſed arrogantis; ſuperbia, vincula inter, famem & contumelias, quanquam prorſus indignas, tumidiſſimum faſtum deprimente. Regis carcer Angliam in graues ærumnas impulit: ea quippe diuulſa inter Ioannem Ricardi fratrem, & Guillelmum Elienſem Epiſcopum regni Cancellarium; cùm is regimen à Ricardo traditum, ille regium ſanguinem ambitioni prætexerent, ciuilibus turbis laborabat.

Cyprium regnum.

Ricardus in vinculis.

Cùm

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Cùm ecce tertius Philippus in Normanniam penetrat, hostis turbas suum commodum ratus. Iusiurandum excusabat, quod iam diu à Palæstina Ricardus abscesserat, vnde effluxerat quinquagesimus dies: se non appetere aliena, qui repeteret sua, Vexinum Comitatum, Margaretæ sorori dotem. Iámque plura subegerat oppida, cùm quartodecimo mense vinculorum, persoluta immemsa pecunia, ab Imperatore Ricardus dimittitur, quanquam Ioanne fratre obnixè pugnante, oblato maiore pretio si retineretur. Solutam cauea belluam dixeris, collecto furore tandem erumpente. Prima vindictæ pabula, Ioannes frater & Philippus hostis: ac quidem Ioannes impar ad Philippum confugit: in quem ideò belli conuersus impetus. Pax autem inter Reges conuenerat, dum de libertate Ricardi agitur, commodis Franco conditionibus, ne intercederet; sed cum vinculis pax abrupta. Hoc bello quod triennium tenuit, Philippi gloria paulùm imminuta. Vernolium obsidebat, cùm renuntiatâ Ioannis defectione, qui Ebroicense præsidium, milites Francos pleroſque nobiles, specie conuiuij nefariè trucidauerat, & fratri hoc flagitio reconciliatus, Ebroicas tradiderat; cohortes rapiens vt de proditore pœnas repeteret, & vindictæ irritus fuit, & exercitum Ricardo aduenienti obiecit. Nam timore subito miles conterritus, fugam cepit, plurimis ab hoste persequente cæsis. Postea variis hinc inde direptionibus grassati sunt; cùm ad Blesas Ricardus Philippi sarcinas diripuisset; magnâ iacturâ, præter aurum & supellectilem pretiosam instrumentorum, quibus iura regni describebantur; & Philippus Ioannem ad Ruellium castris spoliasset, Diepámque vrbem peruastasset; nullo alio incremento quàm odij. Tandem vtroque Rege legiones ad prælium promouente, sub clangorem tubarum, immutatus repente Ricardus, aures quas obstruxerat hactenus Pontificis Legato præbuit; actúmque de pace ipso in campo, ad vlmum inter acies mediam, solis Regibus sine arbitro colloquentibus. Dum colloquerentur, ab radice vlmi ingens anguis prodiit, erectâ ceruice sibilóque terribilis; sed abstrusit se illicò, postquàm Reges nudo imminent ferro. Nec ideò pax extra periculum fuit; iam inspectis Principum gladiis, vtrinque miles ruebat in prælium; vix repressus illorum dextrâ & clamore: à bello ad pacem tam difficilis transitus. Illâ constitutâ se Philippus recepit Parisios, cuius vt fructus ad subditos pertingeret, multis miseriis conflictatos, frumentum ex horreis, aurum ex ærario effudit tam liberaliter, vt quod parsimonia pluribus annis collegerat, piissimus luxus statim prodegerit. Et varia calamitas afflixerat Franciam, præter bella, fames, orta præsertim ex grandine; quæ superiore anno telorum instar contorta è nubibus, contriuerat segetes, vites arboréſque abscideraat, greges necauerat atque armenta, ædiúmque tecta confregerat, pleriſque tantâ crassitudine globis, vt gallinæ ouum excederent.

Philippus Normanniâ inuadit.

Ricardi libertas.

Bellum inter Reges.

Pax inter Reges.

Anno 1195.

Grando funesta.

XXXIII.

Rex Engelbergam dimittit.

Sanè videbatur delictum Regis multifariam luem exciuisse in subditos; eò grauius quò apertius, & in nouem annos contumaciter perstitit.

tit, occalleſcens in humanas pœnas cœleſtéſque. Odium & amor cauſæ oppoſitæ in effectum vnum confluxerunt. Rex poſtquam è Palæſtinâ reuerterat, æſtu ætatis, (nam agebat annum viceſimum quintum,) ad nouum impulſus coniugium, Iſembergam ſiue Engelbergam, Valdemari Daniæ Regis filiam, multo ardore in vxorem ambiuerat. Illa à Canuto fratre mortuo patre tradita, celeberrimo Aulicorum cœtu Regi nupſit Ambiani. Erat ſpectabilis pulchritudinis flore, ſed neſcitur quo fato, ipſo nuptiarum die, ſic ab ea Regis horruit animus, vt intactam auerſatus dimiſerit; nullâ alienæ voluntatis causâ, niſi fortè veneficij; aut mutabilitatis humanæ, auerſantis illicò quod deperierit; nec Germana virgo, morum Franciæ rudis, ſat inſtructa illecebris ad capiendum Regem credita eſt. Tres proximos annos vterque coniugum cœlebs egit; donec Philippus, tori impatiens, ſoluturus matrimonium vetus vt contraheret nouum, Epiſcopos euocat, & prætextu affinitatis, quanquam gradu haudquaquam vetito, iis iudicantibus, reſoluitur nexus. Rex haud multò poſt Mariam ſiue Agnetem Meraniæ Ducis filiam lecto nuptam admouet, concluſâ cœnobio Engelbergâ. Canutus ſtatim apud Celeſtinum conqueritur, legéſque diuinas atque humanas appellans, Legatos impetrat, qui in Franciâ de totâ re diſceptarent. Sed illi cœtu Præſulum conuocato Pariſiis, fauentibus Regi Præſulibus, nihil promouerunt. Interea Celeſtinus moritur, ſuccedit Innocentius nomine III. qui rem vrgens, coacto Viennam ſiue Diuionem Concilio per Petrum Legatum, Franciam vniuerſam interdicit ſacris; tremendo Sacramentorum iuſtitio, vt Templis omnibus paſſim occluſis, & cadauera inſepulta iacerent, & præter baptiſmum Chriſtiana res nulla obiretur. Tunc excanduit impotens Princeps, & irâ in Clericos, cùm in Pontificem minùs poſſet, efferbuit; quos eiecit templis, & facultatibus ſpoliauit. Inteſtinum eiuſmodi bellum, cum Sacerdotibus an cum Deo contractum, ad annum ſequentis ſeculi primum inualuit, quo Sueſſionem vocato Concilio, Octauiano & Ioanne legatis Pontificiis, cauſa mirum in modum diſceptata eſt & diiudicata. Philippus gregem Canonici iuris peritorum qui cauſam propugnarent ſuam deduxerat; ita per dies quindecim altercatione mutuâ res diſtracta, & Iuſtitia iuris caligine inuoluta. Narratur cùm pro Rege omnes certatim dicerent, nec Reginæ vllus cauſam ſuſciperet; in medio cœtu pulcherrimum Iuuenem conſtitiſſe, tantáque facundiâ pro miſerâ Virgine peroraſſe, vt Rex iniuriæ conſcius, clam vxori conciliauerit animum. Sanè cùm lis diſtaret ab exitu, eam ipſe vt finiret, primo mane, ſalutato nemine Iudicum, equum inſcendit, atque Engelbergam eiuſdem equi tergo impoſitam ſecum abducit, Legatis renuntians litem abſolutam, & pronuntiatum nouo facto iudicium. Ita ſolutus intricatiſſimus nexus; nec alium Iudicem præter ſe Rex nouit; quanquam ab vxore duodecim annis abſti-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Anno 1193. *Nouam Coniugem ducit.*

Sacris interdicitur. Anno 1198.

Engelbergam recipit.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

nuit, perstante alienatione vel veneficio; mirâ Reginæ patientiâ, quæ toto tempore sibi vacans rebúsque cœlestibus, alienam culpam in beneficium vertit. Agnes relicta dolore contabuit; tolerantiâ veram iniustámque coniugem secernente.

XXXIV. *Tertium cum Ricardo bellum.*

Dum hac domi ærumnâ Philippus vexatur, & suâ quidem culpâ, nouo foris bello turbatur, pacatum & stantem conditionibus Anglo lacessente. Nempe Ricardus rixæ immodicus, à Canuto Dano impulsus, & cupiditate agente, commodo rerum articulo, Philippum inter angustias deprehensum, tum interdicti Pontificij, tum dubiæ Francorum fidei, ad extrema agi posse existimabat. Et cœlum calamitatem Franciæ visum portendere; cùm assiduis per duos menses imbribus, eruperunt ripis stagna & fluuij, tantóque spatio campos inundarunt, vt terreret animos primi diluuij metus aut imago; nec restituta est serenitas agris, donec post multas preces ieiunia & supplicationes, tandem signo Crucis compressæ sunt aquæ, atque alueis redditæ. Tempestatem cœli bellum excepit. Ricardus Vierzonum in Bituricibus castrum cepit diruítque; quòd Toparcha, Franciæ Curiam in disceptandâ lite appellasset: tum Andeliam Insulam, circumfluente Sequanâ obiectam Normanniæ, inuadit arce impositâ; quanquam ex pactis neutrius Regum foret, & positus vtríque terminus, & reclamaret in facinus Gualterius Archiepiscopus Rhotomagensis, contorto in operas censuræ fulmine, imò cœleste prodigium minaretur, sanguine in artificum vestes depluente. Nec Philippus hæsit armis repellendis; dum Ricardus tentabat Armoricos, ac nepoti Arturo intercipiendo incumbebat, ipse in Normanniam inuadit, & expugnata Danguto, copiis cingit Aumaliam, verberátque machinis. Anglus Constantiâ Arturi matre captâ, postquam Arturum Armorici tradiderunt Philippo, tutiorem rati extranei fidem quàm patruî, ad liberandam Aumaliam quæ iam altero mense obsidebatur exercitum ducit. Nihil cunctatus Philippus properanti occurrit, prælić que conserto victum fundit fugátque, & memoratur Alani fortitudo, qui Ricardum lanceâ equo excussit, in primâ acie generosè cerrantem, à suis tamen ereptum periculo. Aumalia victoriæ fructus capta & direpta. Intra mensem Ricardus subsidio ab Anglis petito, receptísque tribus millibus Niuicolinorum (ij ab extremâ Vallîâ immanitate supra veteres Normannos barbari) instaurat exercitum, & Gailonem obsessurus, dum ad vrbem munimenta exploraturus accedit, genu grauiter balistâ læditur, & postmodùm ad incrementum doloris, noua illa subsidia internecione delentur. Philippo hactenus suffragata felicitas ad Ricardum vertit, afflixítque calamitas à quo refugerat. Creditur Dei supplicium lacessitum; nam præter Pontificias diras, & depulsos bonis Ecclesiasticos, Iudæos in Franciam reuocauit, quos tanta laude eiecerat; siue pecuniâ donatus, quam donantibus fœnore

Inundationes. Anno 1196.

Vierzon.

Isle d'Andely.

Dangut, Aumale.

Alain de Dinan.

Philippi infortunia.

re

re multo Franci refunderent ; siue vt sacris viris molestiam facesse- PHILIP-
ret. Ita porrò calamitas cœpit. Ricardus in belli socium, Balduinum PVS AV-
Flandriæ Comitem aduocauerat. Ille tametsi omnia Philippo debe- GVSTVS.
bat ; nam eo promouente obtinuerat Flandros, eiusdem neptem vxo-
rem duxerat, & superiore bello impetrauerat pacem ; tamen quod
Arteſiam Regi dedisset, Comitatu Arteſiæ tunc primùm condito, & *Arteſiæ Comitatus.*
in Ludouicum Philippi filium transmisso, vt regionem amplam recipe-
ret, professus se Anglo socium arma adiunxerat. Iam Ricardus San- Saint Valeri.
Valerium impositum Somonæ oppidum, situ opportuno, expugna-
uerat, cùm Balduinus Atrebatum Arteſiæ caput cingit obsidio. Phi- Arras.
lippus ne iacturam grauem pateretur, temerè in Arteſiam penetrat,
& propemodùm in vincula. Nam cùm cœlo vdo imbribus, riui &
amnes agris inundassent, circumquaque disiectis ab Flandro pontibus, lintribúsque distractis, Rex in hostico deprehensus, cùm nec
progredi posset nec regredi, leges pacis quæ libuerunt Flandro admisit. Sic captum Atrebatum, & sequenti anno fanum Andoma- Saint Omer.
ri. Illicò noua temeritas nouum periculum cumulauit ; quippe proiecto in omne discrimen animo, cùm Rex belli munia passim susciperet, Ricardus vt opulentam prædam implicaret, ponebat retia
quoquouersum ; nec incassum collocata Gamacium inter & Vernolium, Rege incauto Anglicis copiis circumcluso. Via ad euadendum
supererat, si Rex festinanter regrederetur, & fugâ se in sua recipe-
ret ; erátque auctor Menesserius, veteranus Centurio claráque militiâ, fugam vt præriperet ; Regi nihil probrosius vinculis ; fugam *Philippi fortitudo.*
honestam, quæ seruaret regnum vnius capite. At ille cui nec os Mortis terrorem incuteret, nec vlli hactenus terga vertisset, discrimen præsens saluti antetulit, certus animam fortitudini debere non
fugæ ; ideò selectis ducentis sexaginta equitibus, paríque numero peditum, in hostem inuadit, viámque ferro in confertissimâ acie explicans, periculo saluus eripitur. Versus Gisortium properabat, cùm
obiicitur in nouum discrimen : Epta amnis ligneo ponte iungebatur,
qui repente festinantium turbâ depressus in amnem corruit ; vix medium Rex equitans prætergressus ruinâ deiicitur, & in subiectas
vndas præcipitatur ; sui tamen compos sub lethi faucibus, equo hærens natanti, in ripam euasit ; suæ post Deum salutis artifex : plures mersi è Ducibus, captiui è nobilitate præcipui, quos ruina
pontis insequenti Anglo obiecerat. Inducíæ postea, promouente Calisto Pontifice, arma hostilia represserunt ; cùm Ricardi mors bellum exciuit. Is cùm Calusium castrum in Lemouicibus expugna- Chalus.
ret, thesauri vt scribitur cupiditate, sagittâ læditur, leui admo- *Ricardi mors.*
dùm vulnere ; at faucius cùm nec vsu mulierum temperasset, erat enim in eas pronior, acerbato vulnere extinctus est ; capto castro, & donatâ percussori vitâ : fortissimus haud dubiè, magní-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

que animi ; nisi superbiâ , libidine & auaritiâ , imperatorias laudes maculasset. † Fertur primus balistarum vsum , quæ arcu armatæ vi maiore sagittas emittunt , in Franciam inuexisse ; Francis ense & lancea hactenus pugnantibus , per quæ cominus ad pugnam ibatur : at autor suo inuento periit , & quo mortem properabat aliis , ipsam inuenit.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER OCTAVVS.

SYNOPSIS.

Philippi bellum cum Ioanne Anglo. Blanca Regina. Bellum secundum cum Ioanne. Pictauium miraculo seruatum. Philippus Normanniam subigit. Balduinus Imperator Constantinopolitanus. Albigensium hæresis. Monfortius dux Crucigerorum. Pugna ad Muretum. Rex Pictones occupat. Parat expeditionem Anglicam. Bellum Flandrense. Otho & fœderati in Philippum. Rex aduersus hostes progreditur. Pugna Bouinensis. Ioannes Anglus victus. Abbatia victoriæ. Ludouicus bellum in Ioannem parat. Ludouicus dictus Rex Angliæ. Ludouici gesta in Anglia. Henricus III. Rex Angliæ. Ludouicus ab Anglia discedit. Regis Philippi mors. Ludouicus VIII. Rex. Balduinus victus in Flandria. Bellum cum Anglo. Rex Rupellam capit. Et Anglos expellit. Rex in Albigenses. Auenio capta. Regis mors. Ludouicus Sanctus Rex. Coniuratio Procerum. Blanca distrahit coniuratos. Coniurati in Campania victi. Regis cum Margarita coniugium. Bellum in Mar-

chiæ Comitem ; veneno tentatus. Rex Taleburgum expugnat ; bellum ſuſcipit pro ſocero. Regis ſancti mores. Vouet bellum ſacrum. Cyprum venit. Damiatam capit. Prima ad Maſſoram pugna. Roberti Arteſij cædes. Altera pugna. Cauſæ calamitatis Francorum. Regis captiuitas. Margarita Damiatam ſeruat. Regis conſtantia, & virtutes cætera. Rex liberatur. Rex perſtat in Syria. Aſſaſſinorum Rex. Paſtorum tumultus in Francia. Blancæ obitus. Rex in Franciam redit. Rex Flandriam pacat. Rex pacem Anglo donat. Regis in Deum amor. Carolus Andegauus Siciliæ Rex. Regis virtutes.

PHILIPPVS AVGVSTVS. I.

Philippi bellum cum Ioãne Angl. Anno 1199.

RICARDVM mors acerrimum Philippo æmulum ſuſtulit, bellum haud extinxit; imò cupido per nouas ſpes recruduit, & diuiſo Anglo opportunitas Franco parabatur. Succeſſores duo Ricardo exurgunt, Arturus nepos & Ioannes frater, nam abſque liberis vita exceſſerat. Arturus patrui tabulis ſcriptus hæres, ius & potentiam obtendebat; ius quidem, quando ex Gaufrido natus, genito ante Ioannem, feudorum lege patrem referebat; potentiam verò, quod iam Britonum Dux, & regnum iniens Philippi voluntate ſupremi Domini, promouentibus Francis contenderet. At Ioannes potentiæ & iuri opponebat ambitionem & fraudem; illa Angliam totámque Franciam abſorbebat, hac eludebat vim, artéſque peſſimas inſtaurabat crudelitatis atque periurij: & Eleonoram matrem conciliauerat, magni ponderis in quam partem ſe daret; Anglos præterea Philippi odio demerebatur. Philippus inter æmulos medius, ſe ad Arturum ſtatim applicuit; vel iuſtitiæ gratiâ, vel charitate in iuuenem, vel odio in Ioannem, vel priuatâ vtilitate; quod ab incauto adoleſcente plura poſſet haurire commoda, quàm à Principe veterano, regnandi & fallendi artibus inſtituto. Eas ob res Arturo auxilium tutelámque pollicitus, re ipsâ præſtat, tradens Andegauos, & in Turones Pictauóſque ius concedens; præterea inſtructo exercitu in Normanniam ſubit, campum verè Martium. Ioannes impar viribus ſe tegebat vrbium muris, miſſóque in Angliam Cantuarienſi Epiſcopo, qui populariũ tentaret animos, præſtolabatur dum Philippi æſtus deferueret. Et is quidem captis Ebroicis, pluribúſque illo in tractu oppidis, ceu confecto bello ad ſancti Dionyſij acturus gratias venerat. Opportunè interea Ioannes freto tranſmiſſo, ab Anglis exceptus, regnum iniuerat, auctúſque viribus, mirâ celeritate repetitâ Normanniâ, imminebat Philippo, iam bellum renouanti, & Lauerdinum caſtrum obſidenti. Promouerat inſuper Ioannis cauſam Guillelmi Rupij ſolers induſtria, qui

Des Roches.

Arturum

Arturum rapuerat, & patruo conciliatum adiunxerat. Res ad pugnam spectabat, cùm Cardinalis Capuani Pontificij Legati intercedentis solicitudine, post inducias breues pax icta est. Cuius vinculum Blanca, Alphonsi Castellæ Regis filia; eadem nata ex Eleonora Ioannis Angli sorore; Ludouico Philippi filio, Eleonora auia pronuba, in vxorem data: donante patruo Comitatum Ebroicensem, & occupata à Rege castella. Et Blanca illa est, quæ Franciæ imò Orbi Ludouicum peperit, instituítque sanctissimum Regem, quem mortales colerent, præferrent altaria, cœlum exornaret; debentibus Francis præclarissimum ornamentum Anglo & Hispano; adeò incertæ sunt res humanæ, vt summum beneficium sit hostium munus. Eâ pace Arturum deferebat Philippus, (tradebátque Ioanni Britones atque Andegauos,) quem modò tanto studio promouebat; ita vtilitas norma Principum est; nec pudori aut amori locus, vbi commodum pollet.

PHILIPPVS AVGVSTVS. Anno 1200. *Blanca Regina.*

II. *Cum Ioanne bellum secundum.*

Nec alius pacis præter Blancam fructus, nam paulò pòst Reges in bellum arserunt. Æmulis & cupidis causæ non deerant. Ioannem accusabat Philippus, quod promissis non staret; & alia obiectans, instaurato cum Arturo fœdere, inducit in Normanniam militem. Arces plures vi expugnat; in quibus memorandum Gornæum, quod situ validum & munimentis, cessit industriæ: nam perfosso lacu, & aquis in subiectos muros effusis, vndarum impetu munimenta collapsa sunt, & aquis torrentibus vrbs ipsa immersa. Ioannes ad diuersa intentus, venabatur Arturum; qui iam Franci ope in spem erectus, cùm Mirebellum in Pictauis obsideret, interceptus à Rochio, patruo traditur; ac ferro grauis per vrbes trophæi instar deductus, tandem Chereburgi vitam claudit. Varia de auctore necis & modo scribuntur; satis constat arcessitam à Ioanne, siue in carcere, siue in maris littore inter ambulandum; & sublatum in iuuene æmulum regni, hostémque domesticum; quando regnantibus, plerumque affinitas arctior, odium maius est. Exhorruit ad impiissimum facinus Gallia; Philippum interfecti mater Constantia vt supremum Dominum appellat, conqueritur de parricidio, pœnásque efflagitat. Nec ille cunctatur; ac parentans Arturo mortuo, quem viuum cupiditati donauerat, de hac cæde, aliísque in Aquitaniâ patratis, reo diem dicit apud Curiam Parium. Cùm se ille non stitisset, solemni iudicio de parricidio damnatur; ditione omni, quam intra Oceanum obtinebat, fisco addictâ, & Coronæ restitutâ. Ad exequendam sententiam, quò se primùm Philippus conuerterit, Normanniam imperens an Aquitaniam, mihi incertum est, laborántque Annales eâ in parte ambagibus; constat in Pictauis Ioannem grassatum, in Normannia Philippum; ergo vtriusque arma seorsum persequar. Ioannes odiis apud Pictauos nobiles deflagrabat, indignum ob flagitium quo Arturi cædem cumulauerat. Vocatus aderat nuptiis Isabellæ Adhemari Enculismensis Comitis filiæ, quibus Hugoni Marchiæ Comiti speciosissima virgo iungebatur; post epulas choreásque cùm ad coniugem sponsa duceretur, ipse interceptam thalamo suo admisit, & pro vxore deinceps habuit, maxima sponsi & omnium offensione, in quos contumelia recidebat. Nuntiato bello

Gournay.

Mirebeau.

Cherbourg.

Arturi cades. Anno 1202.

Ioannes damnatus.

Isabellam rapit.

Comte de la Marche.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

bello, ille vt Aquitanos à Franco auerteret, è Normanniâ progressus in Pictauos, expugnat Turones, incenditque, quod fauissent Arturo propensius; tum Pictauium, Augustoritum veteribus, copiis cingit. Ibi auersis Superis victus & cæsus est. Nam vt ciues narrant, cùm à quodam Clerico proditore noctu in vrbem admittendus foret: ille vrbis claues quas apud Præfectum erat suffuraturus, cùm sollicitè conquisitas non reperisset, fuit inane consilium atque proditio; eluxitque miraculum primo mane, cùm Præfectus templum ingressus Deiparam Virginem precaturus, quam impensè colebat, in eius Simulacri manibus claues inspexit. Imò & ipsâ nocte prodigium auctum; quippe ad portam Angli præstolantes, furore subito tacti diuinitus, versis in se armis, se mutuò conciderunt, donec dies orta furorem discussit: potentissimâ Mariæ tutela, quæ subsidia, vel ab hostibus parat. Ioannes seu miraculo territus, seu clade afflictus, omisit Pictauos, in Normanniam Philippi successibus reuocatus. Etenim ille ampliſſimam prouinciam propè totam subegerat, primùm armis, dein hostis ignauiâ, Cadomo spectantis inter vxoris illecebras vrbes turmatim in Frauciam confluere. Rhotomagus vna superarat, quà munimentis, quà dignitate prouinciæ caput, in quam totus Martis impetus ruit. At ea sicut expugnata fortiter, ita propugnata; ciuibus ingenti animo Principi suo fidem testantibus, quà erumpendo, quà irruentem Francum repellendo; tandem intercisâ spe omni auxilij, cùm & Ioannes obsessorum preces despiceret; illi miseriis & fame enecti vrbem Regi & corpora, immunitates pacti, dediderunt. Sic vberrima regio Anglis erepta, Francis reddita est, annis supra ducentos nonaginta circiter, postquam ab iis auulsa vi fuerat. Iam Philippo metente victorias, & verè Augusto, ab Deo & summo Pontifice reconciliatis.

Pictauium miraculo seruatum.

Philippus Normanniâ subigit.

Caën.

Anno 1204.

III. *Balduinus Imperator Constãtinop.*

Eodem anno ingens conuersio Constantinopoli nouum Principem dedit: qui euentus quando ad Francos plurimùm pertinet, non abs re in eorum Historiam inseretur; paucis tamen, vt abiunctus à Rege, & membri instar diuulsi à corpore. Res vna tentata, quod in humanis solemne est, confecta alterâ, Deo conatus nostros ad consilia sua moderante. Palæstina cùm grauiter premeretur, suásque miserias apud Christianos Principes deploraret, auribus Regum auersis quas suum bellum implebat, concitauerat plerosque Nobilium. In Francià Fulco Nullienſis in Bria Parochus, diuino afflatus spiritu, expeditionem sacram, per vrbes, castella & municipia; insinuabat plebi & Dynastis; imò verba opere fulciens, patratis haud paucis miraculis, auctoritatem comparauerat dictis. Huius impulsu dabant militiæ nomen omnes passim, tum è populo, tum è nobilitate præcipui; maximè in Campania, inter Proceres recensentur Theobaldus Comes Campaniæ, Balduinus Flandriæ, Bonifacius Marchio Montisferrati, Simon Monfortius, Gualterius Briennenſis, Mathæus Mommorantius, aliique familiarum illustrium plures. Summum imperium Campano delatum, eo morte præreptο, id Bonifacio traditum; quo nec tantisper vsus est; Francis Proceribus ductu suo singulis Palæstinam petentibus; & iis qui Venetias ad elocanda nauigia venerant, Venetorum arte traductis

De Nully en Brie.

ad

ad alia. Nam ad obsidendam Zaram deducti sunt, arcem in Dalmatiâ validissimam; & eâ expugnatâ, Constantinopolim adiunctis Venetis nauigarunt; Monfortio iam antè in Franciam regresso. Expeditionis nouæ ea ratio fuit. Cùm ad Zaram pugnarent, aduolauit è Germaniâ Alexius adolescens, aduersus Alexium patruum implorans auxilium. Ille fratrem Alexium Isacium Constantinopolitano potientem Imperio, per nefas deturbauerat, coniectum in vincula orbauerat oculis, quanquam ab eo beneficiis affectus plurimis, ac nuper è Saracenis redemptus, ac nepote compacto in carcerem, thronum conscenderat. Adolescens clam fractis vinculis, ad Philippum Irenes sororis coniugem Germaniæ Imperatorem confugerat, & ipso promouente ad Zaræ castra. Ergo fratricidium & tyrannidem patrui detestatus, Francis & Venetis ostentabat iustissimam causam; facilem affirmabat expeditionem, inermem tyrannum, flagrare omnium odiis, depulsum iri leuissimo motu: & spe mercedis vrgebat animos, vim ingentem auri pollicitus, militem & commeatum ad bellum sacrum; & ad Pontificem demetendum, Ecclesiam Græcam adiungendam Romanæ. His impulsi stimulis Franci, ac maximè Veneti, quorum intererat Constantinopoli præpollere, imponunt nauibus militem, Francorum sex millia, quatuordecim Venetorum. Quis credat hoc milite expugnatam amplissimam ac munitissimam ciuitatem, Orientis Principem, atque tot gentium refertam spoliis; primùm Galata subacta, tum portus inuasus; ac sexto pòst die scalis admotis vrbs capta, quâ parte pugnabant Veneti, Dandulo Duce quamquam oculis capto fortissime omnium præliante. Fugâ tyrannus in tumultu euasit; Isacius è squallore & vinculis throno redditus est, Alexius filius in consortem adlectus; & laus restituta Iustitiæ, pœnâ criminis & Innocentiæ præmio. His admirabiliter perpetratis, fœderati Alexium de promissis appellant, ille cùm implendis non esset; nec enim Græci assentirent Romanis vlla vi, nec tantam pecuniam exhausto ærario inops conficeret; nectere moras & excusare se, & mox nolle peragere quod nequiret. Sic oborta amicos inter dissensio malum domesticum peperit; coniuratunt in Principem ciues, ac duce Alexio dicto Murzuflo, qui solium occupauit, Alexium necant; Isacio sene præ dolore animam agente; & in fœderatos se instruunt. Intermedia hyems bellum continuit; donec vere appetente, alterâ aggressione fœderati vrbem expugnarunt, Murzuflo fugiente, & opulentissimâ prædâ diuisâ victoribus. Prædæ caput Imperium fuit; quod vtriusque gentis suffragiis Balduino Flandrensi Comiti datum est, tunc annum tricesimum secundum agenti, & capaci amplitudinis tantæ; qui præter fortitudinem, participatam ipsi cum aliis, mansuetudine & castimoniâ præclarissimus erat; quæ virtutes illo æuo rarissimæ, & licentiæ Principum odiosæ. Monferratensi Peloponnesus & Thessalonica concessæ, ob modestiam laudatissimo, qui Flandrensi æmulo suffragatus, nec inuidit Imperium, nec contempsit. Quæ sequuta sint, præclarissima Francorum facinora, Imperium per quinquaginta annos obtentum, Græci Annales vel in contumeliam suam perscribunt: mihi ad alia festinanti his vacare non licet, nec versari extra prouinciam meis rebus occupatissimo.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Constantinopolis bis capta.

PHILIPPVS AVGVSTVS. IV.

Et reuocat ipsam in Franciam amplissima res euentuum illustrium parens, quâ dignitas parta Ecclesiæ, & opulentissima ditio Regno tandem asserta est. Ea Albigensium hæresis, orta, propagata, pressa, & euulsa. Lubet autem plurium annorum materiam simul percurrere, ne sæpius falcem in vnam messem iniiciam, & pòst expeditior ad Philippum regrediar. *Hæresis Albigensium.* Quanquam non sit animus singula pro dignitate exponere: sacrorum Annalium id muneris est: delibabo, quantùm in Francicam rem & gentis gloriam contulisse videbitur. Albigensium hæresis orta siue à Manichæis, siue à Valdensibus, vti suprà expositi, siue ab Visigothis Arianis, siue ex omnium colluuie pestilens fœtus, Occitaniam totam inuaserat atque Vasconiam, & iam serpebat in Salyis. Eatenus Ecclesiæ telis hoc est sacris fulminibus depugnatum erat; cùm Raimundus Comes Tolosanus Hæreticorum caput, Petrum Legatum Pontificium è prouinciâ pellit, contumeliosè habitum, cædítque vt creditum est, per vnum è stipatoribus in Occitaniæ finibus. Ob diram cædem visum Innocentio Pontifici auctoritatem potestate armandam, & Tolosanum exercitu compescendum. Vt is è Francia proxima immitteretur, Legatus Pontificis Philippum conuenit, precatúrque ne Ecclesiam indefensam sinat; ducat ipse militem ad offocandam in latibulo Hydram; vel filium ad honestissimum bellum præmittat; id Christianissimi titulo glorioßissimum præludium fore. Philippus testatus nihil sibi religione patrum antiquius; rerum suarum difficultatem obtendit, imminere potentissimos hostes Othonem & Ioannem; nec se nec filium abesse à regni capite sine periculo posse; de cætero nihil omissurum quod foret in Christianæ rei incrementum. Nec intra verba stetit; nam Raimundum dominij iure spoliauit, vberémque prouinciam occupanti concessit; atque adhortatus Proceres vt defensum Ecclesiam irent, bellatorum quindecim millia instruxit, persolutis stipendiis; dedítque facultatem vt palam in Franciâ ad sanctissimam expeditionem haberentur delecti. Ac tanto ardore data sunt nomina, vt Crucigeri ad quingenta millia numerarentur, quorum pectori Crux annexa erat, ad eorum discrimen quibus Palæstina militia erat, humero affixâ Cruce; Præsules Proceréſque quamplurimi sponte conscripti sunt. Tolosanus ad tanti exercitus famam perculsus, Legato Pontificio Valentiæ occurrit, ac demissione & imbecillitate prævalidus, iugum subiens quod imponeretur, iuratus mandata exequuturum, impetrat pacem, ac tempestatem obortam discutit. Enimverò vt absolueretur ab hæresi, reum se ac pœnitentem constituit. Sancti Ægidij quod castrum erat in Arecomicis, ante Ecclesiæ fores, nudus iurauit in Corpus Christi Sacrosanctum, impleturum se quæ iuberetur, tum Legatus stolâ collo supplicis iniectâ, quasi capistro eum ducens, nudatos humeros virgis cædit, dum ad aram procederent, ad quam nexu sacro solutus est, & restitutus Ecclesiæ. His perfectis, inter Crucigeros adscribi voluit, ac susceptâ Cruce, ne qua suspicio de pœnitentiâ oriretur, aduenienti exercitui se adiunxit, simúlque cum ipso Biterras obsedit. Ea vrbs cùm Hæreticos contumacius propugnaret, ipsáque imbibisset luem, capta, direpta, & incensa est; triginta ciuium millibus nullo sexûs

Anno 1208.

S. Gilles.

Beziers.

ætatísve

ætatísve discrimine ferro deletis. Carcasso ne pœnam similem pateretur, pacta conditiones victorem admisit.

PHILIPPVS AVGVSTVS. V.

Tam felici expeditione, placuit Proceribus vnum deligere, penes quem administratio foret victarum vrbium; & recusantibus Burgundo & Niuernensi, Simon Comes Monfortij in Carnutum finibus, quanquam & ipse renitens modestiâ, in id muneris lectus est; hic ab Amalarico Roberti Regis spurio stirpem ducebat, fortitudine bellicâ, & probitate morum commendatus. Et facinoribus expectationem omnium vicit; Volcas Tectosages magnam partem subiiciens, armorúmque terrorem latè circumferens. Verùm & municipia pura ab hæresi cùm occuparet, inuaderet in Aginnates & Cadurcos in dotem ab Anglo traditos Ioannæ Raimundi vxori; Conuenas, Fuxienses, & Bearnenses implicaret belli incommodis, quanquam ipsorum Dynastæ alieni essent ab Albigensium tabe; ideò & ambitionis suspicionem iniecit, & Tolosano metum ne specie religionis exueretur omni ditione. Is maturè damno occurrendum ratus, aduolat Romam, prostratúsque ad Innocentij pedes, condonati sceleris pœnam deprecatur. & versâ ad misericordiam oratione, ab Pontifice veniam omnium impetrat, litteráque ad Legatum commendatitias, nequid è Tolosano decerperetur, dum amplius causa cognoscitur. His munitus litteris in Occitaniam venit; at cùm vrgerent nihilo secius tum Monfortius, tum Legatus, & hic Tolosates sacris prohibuissent, Raimundus inops auxilij externos appellat, Othonem Imperatorem, & Petrum Aragoniæ Regem. Ab hoc tantisper incolumitatem nactus est. Etenim cùm Monspelij Monfortius pro Comitatu Carcassonensi clientelam Petro Aragonio præstare vellet, haud quaquam admissus est; dicente Aragonio, ipsi administrationem duntaxat commissam, non dominium propriúmque mancipium; & præterea Nobiles à Monfortio ad Tolosanum conuertit, tantúmque curâ & auctoritate perfecit, vt breui tempore Monfortium ciuitates propemodùm omnes iam milite vacuum destituerint. Verumtamen cùm Crucigeri examinum instar identidem in eiusdem castra confluerent, palámque Romæ Legatis instigantibus is promoueretur; tandem Raimundus ne videns viuénsque spoliaretur, Tolosam secedit; séque hostem apertum profellus Monfortio, ad defensionem omnia comparat. Nec vocanti Aragonius defuit, iam Monfortio vel ob gloriam inuidens, vel ob ambitionem infensus; præterea Comitum clientelarium, Fuxiensis, Conuenensis, & Bearnensis, causâ susceptâ, quos Monfortius bello & Pontificiis minis agitabat. Ac primùm Aragonius intercessione apud Pontificem, patronum egit miserorum, si quid gratiâ & auctoritate conficeret; at irritâ deprecatione, Monfortio apud Pontificios præpollente, victorem Saracenorum exercitum per Pyrenæos deducit; auctúsque Comitum clientum copiis, ad Murellum tenue ad Garumnam oppidum centum millia militum admouet. Tuebantur oppidum pedites mille, equites octingenti, præda potius quàm præsidium; nisi Dux Monfortius, Deúsque causæ palam propitius, plura millia repræsentassent. Nec eâ temeritate Monfortius erat, vt copiis adeò imparibus decertaret; quamobrem nihil non tentauit vt conditiones æquas impetraret;

Monfortius Dux Crucigerorum.

Muret.

Pugna ad Murellum.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

sed cùm omnes ab superbo hoste repellerentur, vt salutem desperatione, vel honestam mortem consequeretur, toto milite in castra irrumpit dum Rex pransurus mensæ accumberet. Supra fidem est à Monfortio stetisse victoriam; at victus fugatúsque est tantus exercitus; viginti millibus cæsis vel
Anno 1213. demersis; quodque intendit admirationem, vno duntaxat equite, octo peditibus inter victores desideratis; tanti est pugnare Dei auspiciis, cœlique ductu arma tractare. Et ipse Monfortius opima spolia retulit, decus imperatori rarissimum, quippe in pugnæ æstu cum Aragonio congressus, acerrimè præliantem corripit, deiectúmque equo humi affligit; parcebátque generosissimus victor, nisi miles gregarius cæde plurium hostium efferatus, (ducentos Aragonios iam obtruncauerat,) in Regis guttur ferrum immersisset. Ita cæsus fortissimus Princeps, & Catholici titulo insignis, hæreseos victima, quam propugnauit nemo impunè. Ab hac victoriâ Monfortius cæteris prosperis vsus est; & Pontifice & Lateranensi Concilio, & Philippo Rege, à quo in clientelam admissus est; & Ludouico Principe ducente in Hæreticos militem; sed quod caput est, parum prosperè Deo. Nam cùm inposterum sibi militaret non religioni, Tolosæque obsessæ ac tantùm non captæ incumberet, obsessis prorumpentibus lapide ictus occubuit, spesque consepultas tumulo intulit. Rapto Duce solutæ sunt copiæ, Raimundus in ditionem totam receptus, hæresisque conualuit, futura Ludouici Sancti prouincia. Sed ad Philippum interpellata nos reuocant.

VI.

Philippus Pictones occupat.

Et verò Philippus subactâ Normanniâ rem vrgebat, conuersúsque ad Ligerim promouebat victoriam. Iam ducum ope latè circum amnem populos ad se adiunxerat: Guillelmus Rupius Cænomanos Turones atque Andegauos Ioanni ob Arturi cædem infensissimus eripuerat Anglis, Henricus Regis Marescallus, præter vrbes duas Rupellam & Niortum, domuerat Pictones; ij gubernandi Touarsio traditi; Philippo Britones assentiebantur, nuptâ Constantiâ Guidoni Touarsij fratri, & flagrante in vindictam filij. Aquitania vincenda superarat; cùm Ioannes tandem veternum excutiens cum numeroso exercitu Rupellam appellit, & mox inuadit in Pictones, Touarsio & Guidone fratre, summâ beneficiorum obliuione, rebellantibus in Philippum. Ille carpens hostis vestigia arcebat ab arcium oppugnatione: & Ioannes recessit vno dumtaxat castro expugnato, & incenso Andegauo, quâ in vrbe maiores habuerant originem; vt vel in patriam scelus propagaret. Post eius discessum Pictonibus Britonibúsque
Anno 1206. receptis, in biennium induciæ pactæ. At Ioannes reuersus in Angliam nouam bello materiam serit. Monachos Cantuarienses, quòd Archiepiscopum quem ipse auersaretur dixissent, expellit cœnobio, inductísque Canonicis, munere Archiepiscopum interdicit. Innocentius Pontifex eà de iniuriâ appellatus, postquam Ioannem precibus minísque frustra aggreditur, tum demùm Angliam Sacrorum vsu prohibet, & Regem grassantem sæuius ad extremum ab Ecclesia segregat, & aliquantò post fide & obsequio Anglos exoluit. Imò ne vanum fulmen atque irritum foret, Philippo per Legatum Pandulfum suadet, sanctissimum bellum vt moueat, in Angliam inuadat, Tyrannum in ipsa immanitatis officina mactet, hostémque infensissimum,

Vicomte de Touars.

Ioannes diris deuotus.

sissimum, superorum odium atque mortalium, vno semel ictu conficiat. Sponte currenti admouebat calcar, in publicis regni Comitiis Suessione rem proponit Philippus; *Ludouico filio pargri posse regnum amplissimum; adolescentem spei tantæ capacem; tranquillitatem comparatum iri, si Francorum hostes in ipsorum corpus coalescant: imò Anglorum id votum esse, postulantium & flagitantium crudelem belluam amoueri à ceruicibus suis.* Vno consensu decreta expeditio, & designata pecunia. Conscribitur miles, instruuntur nauigia, & iam ad ostium Sequanæ stant quingenta in anchoris. Ioannes apparatu tanto perterritus, in summas adductus angustias, cùm præter externum domesticus hostis timeretur; erat enim apud omnes odio; statuit contumeliæ speciem regni iacturæ præuertere, & appellato Pandulfo Legato Pontificis, qui eâ de re plurimùm adnitebatur, vt res perditas quoquo modo restituat, se & regnum Pontificiæ Sedi profitetur obstrictum, clientelam iurat; ac recipit in singulos annos se sterlinos mille persoluturum. Hac satisfactione placatus Pontifex velificationem immutat, admittit Ioannem in gratiam, nexu sacro soluit, pium Ecclesiæ filium nuncupat, subditos ad obsequium reuocat, & Philippo interdicit, ne quid in Angliam tentet, quæ modò ad Romanam Ecclesiam pertineret. Id tametsi molestissimum videbatur Philippo, hostis perdendi eripi opportunitatem, ipsi obtendi inuiolabilem clypeum, immensam pecuniam in sumptus impensam, impulsu Pontificis susceptum id bellum, & interesse gloriæ suæ, quod tantus exercitus nullo facinore dimittatur: tamen non existimauit irritandum Pontificem in hoc rerum articulo; nec immemor quantùm in vxoris negotio laborasset, à Ioanne abstinuit, & militem instructum in Flandrum conuertit. Sanè Innocentij magna auctoritas, qui præter Raimundum Tolosanum Principem, vt taceam Othonem Imperatorem, potentissimos Reges subiecisset pœnis, eisque extorsisset voluntatem sceleris aut facultatem.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Philippus parat expeditionem in Angliam.

Ioannes absolutus.

VII.

Bellum Flandrense. Renaud Comte de Bologne.

Flandrensi bello Reginaldus Francus facem accendit. Erat hic Dammartini Comes, Philippo charissimus, idémque Comes Bononiensis, Idâ Bononiensi in vxorem ductâ Philippi beneficio. Porrò aduersus superos mortalésque ingratus, cum regni hostibus Othone & Anglo clandestinis agebat consiliis; spretâ vxore concubinarum greges palam ductabat; vexabat acerbissimè subditos, maximè in Clericos immanitate barbarâ sæuiens: quæ ob flagitia sæpiùs diris deuotus, tandem Rege bona in pœnam occupante, regno minarum plenus ad Flandrum profugit, Simone fratre secum abducto, & hospitem lue rebellionis afflauit. Flandriam regebat Ferdinandus Comes, filius Sancij Portugalliæ Regis. Nam cùm Balduino Flandrensi Comiti duæ essent filiæ; postquam is ad Constantinopolitanum thronum euectus est, cura Virginum collocandarum penes Regem fuit; cuius auctoritate Ioanna natu maior nupserat Ferdinando, Comitatu in dotẽ accepto; minor Burcardo Auesnio: at Ferdinandus vt obtineret tam opulentum coniugium, Philippo tradiderat fanum Andomari & Ariam, vrbes Artesiæ, veluti Dynastiæ huius appendices, & semel donatâ Artesiâ dimittendas. Mox Ferdinandum detractæ duæ vrbes afficiebant magis

Ferdinandus Flandriæ Comes.

Sanct Omer. Aire.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

quàm plurimæ comparatæ ; vnde incendente Reginaldo eas vt reciperet, cum Othone & Ioanne fœdus init arcanum, quod latuit, donec Philippo Anglicam expeditionem paranti renuit arma adiungere; nec vllâ conditione, vel reddendis vrbibus, effici potuit quin secederet. Philippus ab Angliâ prohibitus, iniuriæ memor, in Flandriam vertit, & ducto mari terráque exercitu, oppressurus hostem irruit ferox. Yprâ & Cassélio captis, Gandauum obsidet, circumductâ classe ad Suinæ littus Damúmque oppidum. Appellatus interea ab Flandrensi Anglus, Guillelmo Salisberiensi, fratri spurio, Duci egregio tradit classem armatam, qua ille vectus ad easdem Suinæ oras applicuit. Extemplò in Francorum classem impetum facit ; vacuámque milite, quem prædæ cupiditas in proximos agros distraxerat, haud ægrè profligat, pluribus nauium demersis aut captis, tum Damum oppidum fretus proditione ciuium obsidet. Ad hæc nuntia Philippus, omisso Gandauo aduolat Damum, cæsísque hostibus quos egressos classe deprehendit, educto vrbe præsidio, & nauibus commeatu, reliquas quæ in portu stabant, ne prædæ hosti forent, incendi iubet, flammísque pariter Damo iniectis, proditione compertâ, magnâ celeritate Gandauum repetit. Nec diu ciuitas propugnantem exclusit, statim admisit victorem simúlque tota Flandria, fide datâ immunitatum. Philippus acceptâ in sumptus belli pecuniâ, dirutis Insulis, & nudato muris Cassélio, patratâ vltione regressus est. Digresso Rege Ferdinandus qui ad Hollandos confugerat, ex iis Frisiísque lecto exercitu, Reginaldo armorum socio reuersus in Flandriam, passim excipitur, captóque Tornaco Francos expellit. At paulò post maior rerum moles in Philippum incubuit, & à Flandriâ recuperandâ prohibuit tantisper. Plurimi hostes Ioannis consiliis in vnum insurgunt ; omnium caput Otho Imperator, & odio infestissimus. Hic filius Henrici Saxoniæ Ducis, idémque Ioannis è sorore nepos, diu Philippum capitaliter oderat ; quà in auunculum propensione, quà Philippi offensionibus ; quippe Imperio ipsum inter & Philippum Henrici Imperatoris fratrem disceptato, Rex Philippi partes propugnauerat acriter, Othoníque obstiterat. At postquam Philippus ab Ancherafo Palatino Comite cæsus est, & Othoni assensu Pontificis cessit Imperium, ille odium in Regem tandem exeruit. Enimverò nuper Pontificias diras incurrerat, propter Siciliam & Tusciam occupatas ; vt qui hostes Regis, iidem Ecclesiæ forent. Nam Ioannes quamvis in speciem conciliatus Pontifici, inquinabat se omni flagitio ; ac nuper Saracenorum Principi adstringendam fidem obtulerat, vt se clientelâ Pontificis vindicaret. Adsciti in societatem quamplurimi, Ferdinandus Flandrensis, Guillelmus Brabantiæ Dux, Otho Limburgi Dux, Philippus Comes Namurcensis, Reginaldus Bononiensis, Comes Salisberiensis cum Anglis auxiliaribus ; tantúsque exercitus, vt peditum centum quinquaginta millia numerarentur ; Equitum qui iure baltei insignirentur mille quingenti ; præter alios quorum numerus est prætermissus : nam plerique vt ad prædam certam aduolabant : iámque Proceres partiti erant opulentissimum regnum, vt Ferdinando Parisij cum Francica Insula cederent, Veromandui Reginaldo, Anglo trans Ligerim prouinciæ,

Suine & Dam.

Otho & fœderati in Philippum.

prouinciæ, Othoni reliqua; sícque spem optimam vincendi conceperant, vt currus traherent onustos catenis atque compedibus, quibus Rex nobiléſque capti vincirentur. Quin & Mathildis confecta iam ſenio, Ferdinandi amita, nupta quondam Philippo Elſacio Flandrenſi Comiti, vt in ſocietatem belli veniret, & nepoti opitularetur, conſuluerat Magos, à quibus reſponſum tulerat; pugnatum iri, deturbatum Regem conculcandum equorum vngulis, nec ſepeliendum, & partâ victoriâ Ferdinandum ingenti pompâ ingreſſurum Pariſios, quæ verba præclara in ſpeciem inſanam ſpem in Procerum animis excitabant. Quanquam euentus docuit, quæ Dæmonum dictis fides habenda ſit. Nec odio ſuo Ioannes deerat, magno exercitu tranſportato in Aquitaniam, vt eam in partem Philippum diſtraheret, mediúmque inter hoſtes effugio nullo opprimeret. PHILIPPVS AVGVSTVS.

VIII. *Philippus aduerſus hoſtes progreditur.*

Has inter anguſtias Philippus animum non deſpondit; Ludouicum filium mittit ad Ligerim, qui Ioannem retunderet; ipſe Peronæ luſtrato exercitu, quanquam numero admodùm impare, cauſæ præfidens, occurſurus hoſti, educit copias. Otho cum fœderatis agebat Valencenis, conſulens in quam regni partem irrueret, cùm audito Francum mouiſſe, & iam Tornaco imminere, ipſe pariter educit exercitum, & ad Mortauiam caſtra figit, munítque operosè, ne cogeretur ad pugnam inuitus. Vtraque caſtra octo milliaria diſiungebant, aciémque conſerere peroptabat Philippus; ſed erat temeritatis præcipitis ire expugnatum munitiſſima caſtra per anguſta loca, paludoſa atque lutulenta, quorum difficultate miles vinceretur: & verò hæc mens hoſtium erat, aut infringere morâ Francorum impetum, aut ſi ad pugnam inconſultò procurrerent, opportunitate loci cladem inferre. Rex hoſtium perſpecto conſilio, immutat propoſitum, & verſus Hannoniam ad diripiendos agros exercitum mouet. Otho re per ſpeculatores compertâ, ratus metum Philippo iniectum, extemplò moris caſtris toto exercitu abeuntem inſequitur. Eáque inſequentis celeritas fuit, vt nihil propius actum ſit quàm vt incautum Regem obrueret. Guarinus ex Hoſpitalium ordine, ad Siluanectenſes Inſulas deſignatus, militiæ peritiſſimus, quam diu in Palæſtina tractauerat, cum Vicecomite Melodunenſi, percepturus quid hoſtes tentarent, relicto exercitu, collem aſcenderat & ſpeculabatur; cùm repente aduertit quadrato agmine fœderatos incedere; nulláque morâ celerrimè ad Francos inuehitur, commonétque imminere hoſtem, & pugnam inferre. Franci feſſi viâ ſolíſque æſtu, ibant ſolutis ordinibus, in Bouinenſibus campis, (Bouinæ vicus Tornacum inter & Inſulas) cùm vocati in conſilium, an pugnandum foret, an progrediendum, vno propemodùm ore oportere progredi ſtatuunt, *Nunc militem fatigatum æſtu ac labore, ineptum ad pugnam; diſtare propius riuum, quem ſi tranſmittant, foſſam obiecturos ſe hoſtibus, cuius beneficio prælientur & vincant; ij fortunam ſubeant qui aggrediuntur; at laceſſiti ſedulò caueant, & ſe alea ſortis eripiant.* Hæc ſententia inualuit; reclamante Guarino plurimùm, & cladem exercitus nuntiante; ſi hoſtes, quod euenturum foret haud dubiè, deprehenderent diuiſas copias, & tranſmiſſo priore agmine, delerent poſterius. Ergo prima acies iubetur incedere, dum in poſtremâ

Mortague.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

postremâ Rex hæret, armísque exutus ad leuandum æstum recumbit sub fraxino : vixdum pontem, qui ligneus iungebat riuum, primi ordines prætergressi erant, cùm strepitu excitatus Rex, monitúsque hostem incurrisse iam & velitari, ac discrimen esse ne postremum agmen deleatur, si ingruant hostes, agnoscit Guarini prudens consilium, certúsque prælij, iubet extemplò reuocari ordines primos, ædémque fortè proximam ingressus, Petro Ecclesiæ Principi sacram, paucis precatus, & implorato in Ecclesiæ hostes auxilio, mox egressus, lætis oculis ac præsagis victoriæ Duces contuitus, arma afferri, séque indui iubet ; tum ad milites inflammandos nouum & inauditum orationis genus excogitat. Aram spectante exercitu erigi imperat, in ea reponi Coronam & sceptrum, nam tunc cum Regibus gestabantur, tum ipse intecto capite, dextrâ erectâ, vocémque intendens, ita fertur locutus. *Franci Proceres, vósque commilitones fortissimi, qui modò ad huiusce Coronæ propugnationem vestra corpora in discrimen obiecistis ; ecce obtestor vos, si quem digniorem qui illam impleat censeatis, is eam habeat ; vltrò me abdico, ac depono sceptrum ; modò contendatis, ea vt integra & illibata seruetur, nec sinatis ab iis discerpi quos Deus ab piorum cœtu segregauit.* His generosissimis verbis permotus exercitus ; vno simul ore conclamatur : *Viuat, & regnet æternùm Philippus, viuat Augustus, coronam in perpetuum habeat, ad eam seruandam, vitam si millies suppetat, impendemus.* Tum procumbentes in genua, benedici ab eo flagitant : ipse dum Clerici lectos in pugnam concinunt Psalmos fulgentem galeam induit & conscenso equo ad primos pugnantium aduolat. Simul vt visus est, pugnam immutat, partumque victoriam. Etenim hostes cùm ad Regem totum exercitum adesse crederent, vt ipsi & toto exercitu depugnarent ; qui in frontem inuehebantur, inhibito prælio, ad dextram se flectunt, & protensâ longiùs acie, vtrinque alas ad duo millia passuum explicant. Hac temporis mora duo præclarissima commoda Regi parta. Nam fulgorem solis atque æstum tergo excipiens, eadem in hostium oculos vertit ; tum primo agmini regrediendi spatium datum, & Guarino castrorum Præfecto distribuendi militem, quem sic disposuit. Primum agmen ne inuolueretur explicuit ; ducebátque cornu dextrum Eudo Burgundiæ Dux, læuum Petrus Comes Drocensis, postremum agebat Galterius sancti Pauli Comes ; Philippus in media acie refulgebat, Galone Montinio vexillum regium præferente : & Regem inuitum tegebant Proceres obiectu corporum, præter selectissimam Nobilium turmam ad tutelam eius vltrò deuotam. Eodem ordine hostes in primi agminis dextro cornu Ferdinandum locauerant, Reginaldum in læuo, Imperator mediam agebat aciem, totis viribus Philippo ingruens. Calebat maximè, nempe die Iulij vicesima quinta, ac sub meridiem ; & ardor Martius cœli æstu maior bellatorum animos incendebat.

Philippi oratio.

Comte de S. Paul.

Galon de Montigny.

XI. Et ecce bellicum canentibus tubis, Guarinus velites ad deliban-

Pugna Bouinensis.

dam pugnam immittit : ij ab Hannoniis Sagittariis excepti, cæsis magnam partem equis, infunduntur in aciem, pugnántque pedites. Mox

Anno 1214. equites cataphracti directis hastis impetum faciunt, latéque hostem quà grassántur fundunt. Momento temporis miscentur equites peditésque, & stricto

stricto ferro pugna conseritur. Spectabatur in primis Ferdinandus Flander, qui animi corporisque memorabili robore, inter ordines tum suorum tum hostium dimicans, modò ducis modò militis exequens munus, quà voce quà gladio, incitabat suos, hostes feriebat. At in Regem vis tota pugnæ incubuit, vt is se quem professus erat corona dignissimum exhiberet. Siquidem in eum vnum fœderatorum arma collimabant cum odiis: Otho præcipuè tres Germanorum turmas, numero animóque terribiles, quæ in necem Regis iurauerant, seu alas fulminis inuehebat: pro vexillo præferebatur in curru Aquila aurea palo affixa, Draconem vngue gestans; tum in aciem Regis tergeminum illud agmen infunditur. Vires Francis haud pares, Regi superior animus erat; postquam obiecti equites disiecti aut cæsi sunt, ad turmam Nobilium qui propugnabant Regem deuentum est; pauci numero, nam centum admodùm per horæ spatium decem millibus obstiterunt, Rege in primis fortissimè præliante. Verùm vi obruente virtutem, & ipsi cæsi sunt, & Philippus obtruncato equo humi deiectus, vngulisque quadrupedum conculcatus. In tanto discrimine, Montinius vexillum demittebat erigebátque identidem, vt in opem Regis Francos euocaret; at excludebant confertissimi hostes auxilium, & erat Francis coram se singulis quo pugnarent. Regem interea vis diuina eripuit. In iacentem Reginaldus ira frendens ruebat, expedito ferro confossurus, cùm non aspectabili dextra repellitur, torpentibus ueruis, oculisque præstrictis; nec à miraculo distat, quod ille Montinius Petrúsque Tristanus suis corporibus obtexerunt Regem illibati, dum is à Petro Antissiodorensi in recentem equum imponitur. Tunc enimuerò incredibili animi robore in hostem irrumpit; peperítque victoriam, quod eo propemodùm momento Franci dextro cornu profligatis Flandris victores in Germanum agmen inuecti sunt. Siquidem Ferdinandus cùm suos nutare animaduerteret, confirmaturus exemplo dubios, manu pugnans, equo confosso, pluribus ictibus contusus, geminóque vulnere cruentus, à Marellio capitur; captiuo Principe, Flandri reliqui cæsi aut fugati. Victores in aciem de periculo Regis admoniti refunduntur, ferro viam aperiunt & sub Philippi pugnantis oculis præliantur: nec vano conatu, funduntur Germani, Aquila aurea discerpto curru reuellitur, Imperatorem pugnæ impetit furor, tresque è Proceribus in eum irruunt, Malucsinus, Barresius, & Triensis, iámque equo deiectum abducebant, cùm à turma Germanorum eripitur, & equo redditus citatissima fuga se proripit. Vnus admodùm pugnabat obstinatior Reginaldus; is cùm facilè potuisset effugere elabíque victoribus, anteuertens ignominiæ mortem, pugnator acerrimus, quanquam pugnæ vehemens dehortator, agmen peditum cuneatum instruxerat, quo vim repellente prorumpebat ipse, & cædem quoquò se verteret inferebat; donec insequentibus plurimis, & in agmen simul peruadentibus, equo tandem suffosso corruit, armis ita solidis, vt tot inter irruentium ictus nullam plagam acceperit. Tum demùm pulsi planè hostes, & indubitata victoria. Tam numerosi exercitus cæsa pars maxima, in fuga pauciissimi, in ipsa acie plurimi, vt vincentium fortitudini deberetur palma. A me-

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Regis periculum.

Huges de Mareuil.

De Manuoisin, des Barres, de Trie.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

ridie ad occasum solis pugnatum est. Guarinus à pugnâ abstinuit; ab ense Philippus Bellouacensis Episcopus, qui cruori vt parceret, clauâ pugnauit, pluresque hostium ceu victimas mactans, excusauit Præsulem an illusit. Triumphauit Parisiis celeberrimo plausu Philippus, & Ferdinandus elato curru in triumphum ductus, ne veritas oraculo fallacissimo deforet; Reginaldus Peronam ferro onustus in custodiam missus est. Sic gloria genti Francicæ comparata, quam diuino arbitrio, Guarini prudentiæ, Regis fortitudini, suæque debeant. Otho ab fuga Imperio excidit, Friderico æmulo præpollente, & retrusus in Saxoniam, ignominiæ plenus interiit.

X. *Ioannes Anglus à Ludouico victus.*

Hæc Philippus in Flandriâ, dum in Andegauis Ludouicus filius Anglum pellit. Ioannes magnâ classe Rupellam appulsus, adiunctis Comitibus Marchiæ & Lusiniani, Vasconúmque Proceribus, transito Ligeri, inuadit Andegauos, ipsámque vrbem Andegauum quam antè incenderat, situs opportunitate perspectâ, accuratè munit vallatam mœnibus, futurum aduersus hostes propugnaculum, tum nequid progresso vlterius metum à tergo incuteret, excurrit in Britones, Nannetas vrbem primariam inuasurus. Nuper obtinuerat Britones Petrus Drocensis, è stirpe regiâ, ductâ in vxorem Alisiâ, vnicâ Constantiæ & Guidonis Touarsij filiâ; ille cum Roberto fratre Ebroicensi Comite ac selecto milite agebat Nannetibus, hostémque excepturus extra munimenta educit copias, prælio in capite pontis conserto; quo victus & captus est, ipsáque vrbs in potestatem victoris redacta. Ioannes tam felici successu, Andegauos repetit; circúmque infert arma victricia. Quo rerum articulo si perrexisset vlterius, Parisios regni caput aggrediens, vel Regem in Flandria circumcludens, haud dubiè perniciem certam inuehebat. Sed auertit Deus prudentissimam mentem. Ad ripam Ligeris castrum erexerat Guillelmus Rupius clarissimus ille regni Marescallus, & appellauerat Rupem Monachorum: Ioannes eam vt spinam reuelleret, quasi leuem operam patraturus de via, victorem exercitum castro circumfundit. Arci Rupius præsidium imposuerat fortissimos milites, dignos quibus Francia immortales habeat gratias. Cùm à victoribus omni oppugnandi genere premerentur, cùm foris vrgerent balistæ machinæ atque arietes; cùm per sex hebdomadas quiescendi spatium diu noctúque non permitteretur; ij tantâ fortitudine arcem propugnarunt, vt hostium generosissimis interfectis, carceres Anglo posuerint, eosdémque Franco amouerint. Nempe Ludouicus, imparibus admodùm copiis, nondum ausus Anglo frontem obuertere; modò cùm is hæreret ad remoram imminueretur exercitus, primúsque ille terror cum existimatione defluere; tunc aucto milite, ne perirent propugnatores fortissimi, statuit confligendum. Ioannes furore percitus exitium comminatus obsessis, patibula plura erexerat, quibus tandem capti affigerentur, iisque ad spectaculum fossàm vallauerat; cùm audito Ludouicum instructo exercitu aduentare, terrore quodam improuiso perculsus, seu conscientiâ scelerum, seu diffidentia militum, vasa colligi iubet, amnémque transiri; ipséque inter primos festinatione præcipiti trans fluuium euadit. At dum in castris

Nantes. Pierre de Dreux.

La Roche aux Moines.

Ioannes fugatur.

dux

dux miléſque approperat, & per tumultum alius alij moram creat. Ludouicus interuenit, & perturbatos confuſóſque aggrediens, magnam ſtragem edit, pleriſque inter fugam amne demerſis. Ioanni pauor ita mentem mouit, vt quanquam Ligeris hoſtem amoueret, concitatiſſimo equo aufugerit, nouem leucis vno curſu luſtratis. Hæc dies Ludouico Andegauos Britonéſque reſtituit, poterátque donare Pictauos, niſi Patris clementia an moderatio pacem victo donaſſet. Nam Ioannes Parthenij hærens, à Philippo inducias in quinquennium poſtulat impetrátque: libertati aſſertus Petrus Britonum Dux, & Franciæ comparata tranquillitas; Rege ab tot ærumnis ſibi ſuiſque honeſtum otium indulgente, nec Martis aleam prouocante; proſpero iactu locupletatus. Et obſeruanda Ludouici victoria eodem die parta quo Bouinenſis; patrem inter & filium conſenſu mirifico naturæ an fortunæ: ſanè cum Philippus Ptolemaide profluuio ſanguinis laboraret, eodem morbo Ludouicus infans vexatus eſt; eodémque tempore vterque tam diſſitis locis conualuit; conformante natura quod perfecit ſimilitudo victoriæ. Ludouicus filius regno potitus, votum patris abſoluit; nam ad Siluanectum Abbatiam Victoriæ condidit, inductis ſancti Victoris Monachis, in geminatæ palmæ monumentum; íſque locus ſelectus, vt volunt, quod curſores à patre & nato miſſi laureati ibidem occurrerint, felixque nuntium communicauerint; Deo caſus omnes ad incrementum gaudij moderante.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Abbatia Victoria.

At illicò noua turbarum ſeges enata eſt; pax Ioannem defecit in Anglia, cui in Francia hæſerat. Ea res quoniam ad Regem & filium multùm pertinuit, noſtri muneris eſt. Ioannes in Angliam reuerſus, & nulla ſollicitudine belli diſtractus, ſibi continuò hoc eſt vitiis ſuis redditus eſt, auaritiæ & crudelitati. Cùm in facultates omnium & corpora graſſaretur, vrbium & Procerum immunitates omnes extinxiſſet, templa & anathemata diripuiſſet, Sacerdotibus eiectis, ſpoliatis, & cæſis; tandem Angli vno conſenſu iugum excutiunt, & in Principem rebellantes, quem Tyrannum nuncupant, Philippum conueniunt, natúmque Ludouicum in Regem expetunt. Negotium impeditum admodùm erat atque intricatum; quippe erant ſoluendæ inducíæ, iuratæ in quinquennium, nulla Ioannis in Francum iniuria; nouo bello intercedebat Innocentius Pontifex, Ioannem propugnans, qui vt ſe in hoſtes tum externos tum domeſticos communiret, regnum Angliæ, cum annuo vectigali, Romanæ Sedi ſubiecerat; iamque Anglos Proceres ſacro telo percuſſerat Pontifex, & Legatus Pontificius Vvalo aduenerat, qui Regi & filio interminaretur fulmen, ſi conſtitutam pacem infringerent: tum Francis tam diuturno bello fatigatis, quid nouæ ærumnæ & pericula noua arceſſerentur? Contra, odium vetus & recens gloria contendebant. Præclara Philippo occaſio capitalem hoſtem opprimendi, comparandæ gloriæ Ludouico, & regni quærendi. Cùm eam in partem propenderet Rex, & Ludouicus vehementiſſimè bellum flagitaret; iámque patre vel inſcio vel diſſimulante, Coronam Anglicam admiſiſſet, Legatus Vvalo haberi conſilium poſtulat, ac Regem precatur, ne Ioannem vllo modo perturbari ſinat; illum clientem Eccleſiæ conſtitutum,

XI.

Ludouicus iter in Angliam parat.

Anno 1215.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

iure optimo Regem Angliæ esse, & momenti periculosi rem fore, si Principes rebellionem foueant atque promoueant; tum versâ ad Ludouicum oratione, multis deprecatur, ne in Angliam eat, néue Pontifici imò Ecclesiæ bellum nullâ causâ indicat; nihil ipsi cum Angliæ Rege negotij; si gloriâ belli flagraret animus, in Palæstinâ Saracenos, imò ipsâ in Galliâ Albigenses esse, qui profligarentur. Ad hæc Philippus contestatus in Romanam Ecclesiam obsequium, & in Pontificem pietatem, affirmauit nusquam suo consilio, multò minus auxilio Ludouicum filium impugnaturum Ecclesiam; verùm audiri oportere, quid iuris habeat in Anglicum regnum; non continuò impugnare Ecclesiam, qui ius persequatur. Tum vnus Procerum à Ludouico eam in rem designatus orationem eiusmodi habuit. *Molestissimum est Ludouico Principi contendere cum aduersario, quem paterno hactenus affectu coluit, quémque in Iudicem præoptaret, si res pateretur, nec foret arbiter idem qui actor est; Pontificem Innocentium loquor, cuius venerandam & mortalibus cunctis sacrosanctam auctoritatem agnoscimus atque reueremur; ita tamen vt conscribatur terminis suis, & quæ in cœlestibus pollet, à terrenis abstineat, & comparata iura non rapiat. Nam Angliæ regnum iure collatum Ludouico quis neget? Ioannem excidisse ob nepotis eadem Sententiâ Parium iam iudicatum est; ipse mox conscius imbecillitatis id in Pontificis manus deposuit, seque imperio quod pessimè gereret abdicauit; Angli Proceres vno vrbium populique consensu ob immania scelera eiecerunt Principem atque eiurarunt; nunc quid causæ est, cur Pontificis vna auctoritas tot rationibus Tyrannum electum restituere possit atque stabilire? Iubebit infectum auctoritas illa quod factum est? Impediet, ne crudelissimo Arturi parricidio nefarius prædo sese polluerit? vetabit ne spolianerit templa, aras diripuerit, Sacerdotes necauerit, omne flagitij genus patrauerit? prohibebit, ne ipse sceptrum abiecerit, ac coronam exuerit? id enimverò ne Deus quidem. An ergo auctoritas rem perfectam & quæsitum ius immutauerit? At, inquiunt, Ioannes Pontifici ius regni concessit, se clientem constituit, clientelarem Angliam fecit. Enimverò ius gentium appello, & regnorum leges. Quis Regum vnquam, absque Procerum Ordinúmque assensu, eiusmodi nexum regnis imposuit? tu nobis iugum detrectantibus dederis? tibi Sacramento iurauimus, nusquam Pontifici; non in eas leges ius imperandi concessimus; largire quod tuum est, abstine alieno. Ab alienato Ioanne, Ludouico ius partum est: nam & ipse à Proceribus regni electus est, & vxoris iure propinquior; quippe Blanca Eleonora filia, semel eiecto Ioanne cum posteris, vna supersit è stirpe regiâ, ad quam hereditas iusta perueniat. Quid ergo Legatus alienis rebus se immiscet? quid auctoritatem flagitioso prædoni obtendit? quid facultatem peccandi prorogat? quid calamitatibus Anglos inuoluit, in clientelæ præmium & defensionis? quin atrocissima scelera in supplicium vocat, quin iustitiam amat, pietatem atque sanctitatem, sinitque Principem innocentissimum frui iure suo, regnúmque obtinere, quod à naturâ & eligentium voluntate assequitur.* Ad hæc Legato Pontificis diras intonante, solutum est consilium. Mox apud patrem subdubium adhuc atque ancipitem adeò prece Ludouicus contendit, ius vxoris allegans, cui paternum obsequium obesse haud posset, vt eo non abnuente expeditionem susceperit, & Caletio septingentis nauibus fretum transmiserit; spe omnium certâ, florentissimo exercitu, fortissimisque ducibus transportatis.

Legati oratio.

Philippi responsio.

Oratio pro Ludouico.

Tanto

PHILIPPVS AVGVSTVS. XII.

Tanto apparatu Ludouicus ad Tanetum insulam applicat, mox Sanduici portu exceptus, versus Londinum Anglis deducentibus iter instituit. Erántque omnia sub ingressum fausta, nisi militaris culpa infelicem exitum contraxisset. Vna stabat à Ioanne Dubris, celebri ad Oceanum portu, firmáque munimentis; in eam Ioannes confugerat, ceu in asylum perditarum rerum, vnde & Ludouico exscensionem arceret: sed eo Sanduici excepto, veritus ne in arce obsideretur & concluderetur, deductis quas ex Aquitania legerat copiis, procul in Vintoriam se abdit magnis itineribus, arce commendata Huberto Burgensi viro fortissimo. Eam recentis exercitu, integrâ famâ, Angliscque fauentibus, si obsedisset illicò Francus, expugnare haud ægrè poterat, & amoliri obicem, quo intercluſus est rerum cursus; sed cùm prosperitas alliciat, ærumnæ auertant, Londinum ad coronam decursum est, militaris labor prætermissus. Igitur magno plausu Procerum, omniúmque Ordinum, Londini inungitur Ludouicus, ac præstitis mutuò iuramentis, vrbe cum exercitu egressus, Australem Angliam domat ac subigit. Dum latè vagatur per Angliam, admittitque prouincias, increpatur grauiter à Philippo; *quod Dubrim arcem intactam dimittat, hostium portum atque præsidium & propemodùm in visceribus telum; vnde aliquando rebus suis malum mórsque immineat; accingat se ad expugnationem, reuellátque omninò scrupulum, ne is in saxum & molem ineluctabilem crescat.* Culpâ Ludouicus setiùs agnitâ, Dubri exercitus partem admouet, alteram tradit Niuernensi Comiti qui Vindesorium obsideret, castrum alterum quod Ioannis præsidio tenebatur. Verùm vtrobique præfectorum fide & strenuitate, res Angli stetit, Franci vacillauit. Quippe Vindesorium cùm arctissimè premeretur, Ioannes vt Anglos nobiles ab obsidione auerteret, delectis copiis in eorum arces & municipia inuadit, agros diripiens, grassánsque cædibus atque incendiis: illi vt hanc luem amolirentur, factâ spe Niuernensi Ioannis incauti intercipiendi, solutâ obsidione ad Ioannem aduolant; at ille admonitus à Niuernense, vt creditur, quem haud temerè proditionis incusant, euasit incolumis, votum assequutus, Vindesorij libertatem. Nec Dubris commodiorem exitum sortiebatur. Etenim Huberti Præfecti admirabilis fortitudo Ludouicum totúmque exercitum repellebat, ita vt Franci frequentissimâ clade imminuti, desperatâ oppugnatione, amotísque procul tentoriis, ad famem & lentam obsidionem confugerint; extrema omnia comminante obsessis Principe, & castra in vrbis speciem confirmante, vt iam non armis sed patientiâ pugnaretur. Inter has moras Angli sensim à Franco deficiunt: momentum ingens Vualo Pontificius Legatus, qui post Ludouicum in Angliam properans, & ad Ioannem secedens, Ludouicum ipsum interdixerat sacris, Anglos proceres, cæterósque omnes, qui in Regem eum agnoscerent. Accessit Vicecomitis Melodunensis vera aut ficta confessio, qui ad mortem Londini decumbens, affirmauit Ludouicum statuisse Anglos nobiles, quorum ope esset regnum assecutus, de medio tollere, ceu proditores, postquam imperium stabiliuisset. Deinde Ioannis mors præcipitauit nutantes animos, magno humanæ spei ludibrio; quid enim optatius Ludouico, quàm æmulum tolli? portrò inde noui

Ludouicus dictus Rex Angliæ.

Douures.

Humbert de Bourg.

Anno 1216.

Dubrim obsidet.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

regni naufragium. Ioannes iam impleto ſcelerum cumulo, omni crudelitate permiſſa militibus, quibus miſerorum direptio pro ſtipendio foret; ſimul cum iis ſuo ſupplicio plexus eſt. Nynam amnem vado tranſmittebat, plauſtra & currus vehens refertiſſimos ſpoliis, in quos omnes opes è direptis templis congeſſerat; cùm repente vado incerto, vel amne inſurgente diuinitus, plauſtra, currus, milites vno impetu euertuntur, vndiſque nullo incolumi immerguntur; Pharaonicam ſtragem referentes, Ægyptiis iam ſceleribus pares. Ioannes qui in ripa ſtabat, necdum ſe aquis permiſerat, tantæ cladis moleſtia affectus, contrahit febrim, & voratis intemperanter malis perſicis, morbo intenſo, diem vltimum claudit. Quanquam alij venenum à Monacho Ciſtercienſi propinatum ſcribant, in vltionem vaſtati Cœnobij, ipſo Monacho præbibente, & ſimul cum Ioanne inter cruciatus diros expirante: tantus vltionis furor, vel exitio ſuo ſæuientis.

Ioannis mors.

XIII. At Vvalo ſtrenuus miniſter Pontificis, plurimos Procerum atque Epiſcoporum Glouerniam conuocat, ad coronandum Henricum Ioannis demortui filium. Hic decennis puer & trium fratrum maximus natu, ætate & miſeriâ commouebat Anglorum animos; *quid enim in patre puer innoxius deliquiſſet? cur regno tot maioribus deducto ſpoliaretur? pœnas ſcelerum Ioannem dediſſe, eiectum, extorrem, odioſum, & deteſtabilem omnibus; recipiat iura regius puer, nec culpam luat aliena noxa. Sanè alienum Principem ſemper Anglis futurum incommodum, vnis Francis dignitates communicaturum, tum profanas tum ſacras, vetus gentium odium reſtingui non poſſe; malè aptari corpori arceſſitum caput.* Hæc Legatus Pontificius poſtquàm declamarat, in Ludouicum & ſectatores inſtaurabat diras; diebus Dominicis, palam in templo, frequentiſſimo cœtu, contorto fulmine. Ita religione amorem in Principem promouente, plerique Nobiles Glouerniam conueniunt, & Henricum huius nominis III. nuncupant Regem; eúmque poſt Sacramenta tum populo tum Pontifici præſtita, cuſtodiendum Guillelmo Pembrocij Comiti ſupremo regni Mareſcallo tradunt; penes quem eſſet armorum imperium, & depellendi Franci negotium. Verum Ludouicus accepta Ioannis morte, ratus prona omnia imbellémque puerum flocci pendens, Londinum regni caput ne ab hoſtibus occuparetur illicò profecturus, Hubertum Præfectum de Dubri dedenda appellat. *Ioannem fato functum, qui de regno contendat ſupereſſe neminem: quid ipſe ſuorum calamitates vltrà prorogaret, nullo compendio, nulla fidei gloriâ? nam quæ fides hactenus fuerit, modo in rebellionem deficere; nec contumacia ſi ſe obſirmauerit ſpei aliud eſſe, præter ſupplicium atque patibulum.* Tum promiſſorum illecebras ſi flecti ſe ſineret adiungebat. Sed Hubertus fidelitate mirabili in ſpem & metum munitus, & inuictum teſtatus animum, reſpondit; *ſibi non Regem defore, dum ſupereſſet patri Henricus filius; hunc ſe Regem agnoſcere, huic militare, nec arcem dum ſpirauerit animus vlli alij deditum.* Ita Ludouicus ſoluit obſidium, Londinúmque profectus minora circùm caſtella occupat, non ſine prælio multóque ſanguine. Maximè ad Lincolniam Franci ſanguinis multum eſt fuſum. Vrbe capta arci imminebant, vrgebántque admotis machinis, concuſſis ſaxorum mole & impetu muris. Pembrocius vt vrbem reciperet caſtrúmque ſeruaret,

Henricus III. Rex Anglia.

Ludouicus Dubri abſcedit.

Cædes ad Lincolniam.

Henricianis

Henricianis omnibus conuocatis, vim militum instruxerat, aduentabátque ad præbēdam opem. Aderatque in Pembrocij castris Legatus, æstúque solito arma incendens, pridie expeditionis spectante exercitu Ludouicum diris iterum deuouet, suúmque militem impertitâ noxarum veniâ, ad prælium vt ad bellum sacrum dimittit. Apparari subsidia Franci compererant, sed spreto hoste præfidentiâ nimiâ securi agebant, cùm eum adesse iamiam admoniti, diuiso munere partim ad portas vrbis interiori vallo se muniunt, partim ad arcem saxis obruendam sese expediunt. Angli similiter copias diuidunt; partem tradunt Falcasio qui in arcem vi penetret, partem ipse Pembrocius in vrbem immittit. Vtrobique pugnatur acriter; quando Falcasio in arcem admisso, & cum præsidio prorumpente in vrbem, Pembrociō simul effractâ portâ inuadente, vbique pugna, mox strages, tandem victoria. Nam Perticensi Comite Francorum Duce fortiter præliante inter primos cæso, Franci intercepti passim enecantur paucis admodùm fugâ liberatis. Ab eâ pugnâ res Francorum in deterius ruere, Angli ad Henricum transfugere, ciuitates atque prouinciæ ipsum appellare, ac breui præter Londinum Anglia vniuersa deficere. Ludouicus quem animus in calamitate non deficiebat, à Philippo operiebatur subsidia, cùm nuntio tristi percellitur. Instructam à Blancâ classem (quippe pater ne Pontificem offenderet, bello Anglico abstinere se profitebatur) Eustachio Monacho commissam, Angli Proceres nauali prælio profligauerant planè atque demersérant; iámque Pembrocius ingenti exercitu Londino minabatur obsidium. Præterea nuntij Romam missi à Ludouico testabantur, Pontificem vibraturum fulmen Ecclesiæ, nisi ab Anglia abscederet. Ideò Lodouicus aduersis omnibus, nomen pacis à Vvalone iectum admisit, & pax iurata, turpibus Franco conditionibus; qui regressus in Franciam, reportauit ab expeditione tantâ documentum, frustra seri regna in sterili solo, hoc est, alieno; nec facilè noua imperia soboleſcere, cùm veterum radices animis hæserint. Hac pace aliquot annis Franci recreati, donec Philippus vitam impleuit, anno quinquagesimo nono; largâ pecuniâ in bellum sacrum & in pauperes legatâ; dictus Augustus, ob splendorem rerum & robur animi; idémque regni Propagator, quod Normannos, Andegauos Turones, Aruernos, & Aquitaniæ multam partem regno comparasset; excelsis animi dotibus, tum belli tum pacis, supra maiores instructus; pronior ad iracundiam, & propositi, vel in prauum tenax; assiduis exercitus bellis; dignus quem circumstarent pericula, è quibus maior semper emersit.

PHILIPPVS AVGVSTVS.

Ludouicus ab Anglia abscedit.

Philippi mors. Anno 1223.

Ludouicus ob magnitudinem animi Leo dictus, iam natus triginta sex annos, inunctus Rhemis, regnum auspicatur, tranquillis omnibus, nullâ re præter Regem mutatâ. Nam optimus Princeps, aduersus patrem piissimus, & potestatis iam ante particeps, videbatur regnum prorogasse potius quàm incepisse. Tranquillitatem veterator callidus perturbauit. Balduinus Byzantinus Imperator, à Ioannizzo Bulgarorum Rege captus, coniectúsque in vincula, crudelissimos inter cruciatus vitam posuerat: hæc fama constans: iámque Henricus frater Balduino succesſerat, regebátque Imperium cùm repente nouus Balduinus exurgit in Flandria. Hic primùm

XIV.

LVDOVICVS VIII. REX.

Balduinus fictus in Flandria.

LVDOVICVS VIII.

primùm latêre, & paucis admodùm innotescere; tum rumore glisscente, viuere Balduinum charissimum olim, concitato amore & desiderio, prodire è latebris, dare se pluribus, & narrare quæ contigerint sibi aduersa & prospera. Iam ætate senior, plures enim intercesserant anni, quadam oris conformitate fallebat; sícque omnia componebat ad verum, vt Flandris noui Principis cupidis fucum facere procliue admodùm fuerit. Quippe Ferdinando adhuc agente in vinculis, spe tenui libertatis, ipsi muliebris pertæsi imperij, in obiectam fraudem vltrò proruebant. Iam passim pagi, municipia atque ciuitates admittebant Principem, & calamitosissimum senem miserati euehebant ad solium. Ioanna Comitissa rumore percita, hominem in colloquium vocat, ac fraudem egregiè obtegentem, precibus primùm, dein minis agentem, appellantem naturam & iura gentium, ipso naturæ ductu sub Laruâ retegit, depellítque fallacem. Ille accusatâ natæ perfidiâ, omnia quæstibus miscet, tantúmque perficit fraudis textu, vt de patre admittendo, & expellendâ ingratissimâ filiâ Flandri agitarent. Ioanna enimuerò cum patre orba, cum marito vidua, & cum locupletissimo dominatu inops, ad Ludouicum supremum Dominum confugit, appellátque de fraude iudicem. Prudentiæ negotium haud armorum erat. Eamobrem Rex cum Legato Pontificio & Proceribus Peronam profectus, veteratorem euocat, promissâ incolumitate, ac Flandrensi imperio, si Balduinum se probet. Et ille eò promouit audaciam, vt se Regi in conspectu Procerum sisteret; cui percontanti quæ Balduinum haudquaquam laterent, cùm ignorationem obtegens, ad respondendum moram flagitasset, fraude comperta saluus emissus est; sed paulò pòst in Flandria deprehensus, in furcam est actus; iusto doli præmio, nusquam his fraudibus diu fallentibus. Quanquam Ioanna apud Flandros laborauit inuidiâ, ceu parricidio cùm scelus plecteret perpetrato; sic ægrè vulgi sensus expugnatur, & ignaræ plebi error innatus est. Ludouici prudentiam fortitudo excepit; huius materia Anglicum bellum. Philippo mortuo, Henricus Rex Angliæ, adolescentiâ æstu Martio incalescente, in spem venerat recuperandæ Normanniæ, ac ditionum quas Ioanni patri Philippus abstulerat; spei iuris speciem induebat, quod Ludouicus in legibus pacis sancitæ in Anglia, eas prouincias se redditurum iurauerat, si quando regno potiretur. Quare Henricus de conditionibus Francum appellat, nec incertus responsi, exercitum parat, ad obtinenda vi quæ negarentur. Ludouicus de conditionibus compellatus, in eas primùm ab Anglis peccatum affirmat; Anglos nobiles qui stetissent à partibus suis spoliatos vitâ aut facultatibus; addebátque plurima in fœdus delicta, vt ciusmodi inuestiganti non desunt; sibi Anglus imputet, si leges violentur atque infringantur.

Ludouici cum Anglis bellum.

XV.

Sauari de Mauleon.

Eo responso bellicum insonat; primúsque Sauarus Mauleonensis, in Pictonibus nobilis, spectatissimâ in Anglum fide, Pictonum vrbes Anglo adiungit. Ludouicus cum Henrico Imperatore ad Lotharingiæ fines colloquutus, ictóque fœdere, cum legionibus ad Pictones tendit; Sauarúmque campis excluſum, Niorti quò refugerat obsidet; adeóque premit, vt is liberum

liberum egressum cum sarcinis pactus vrbem tradiderit. Eodem impetu Angeriacum captum. Iámque in Pictonibus atque Santonibus vna Rupella supererat, etiam tum magni momenti emporium; quam Sauarus Anglo asserturus valido præsidio instruxerat, & præerat ipse, obstinatissimus propugnandi Regis digna expeditio quam obiret; ideò omnibus machinis & militari totâ industria muri verberantur; quibus tandem cùm ad extrema vrbs ageretur, Sauarus in Angliam misit, qui stipendia præsidiariis posceret; deiectos animos instaurari posse pecuniâ; si repræsentetur, spem fore vrbis defendendæ, donec inuehantur nauali classe auxilia. Anglus auaritiæ incusans militem, importuno scommate cupiditatem lusurus, arcas plures mittit ad Sauarum, nummis vt scribebat, refertas; vnde militi numeraretur stipendium. Iis reseratis nulla pecunia, sed saxorum ingens numerus coram spectatus est: quo intempestiuo ludibrio indignati milites Sauarum ad dedendam vrbem adegerunt; sic hostium ope in munitissimum emporium Francus admissus. Sauarus ab Anglo in proditionis crimen vocatus, admonitúsque de imminente periculo, ad Francum transfugit, deinceps egregiè in eum fidelis. Almericus Touarsius ad partes regias similiter accessit; iámque Lemouices & Petrocorij abdicauerant Anglum, & ad Garumnam omnia Regi obsequebantur. Anglorum interuerterat opem Falcasius Betfordij Comes, qui suscitatus à Ludouico sic Angliam ciuili bello turbauerat, vt de Aquitaniâ cogitandi tolleretur facultas. Verùm post illos motus oppressos, Henricus conuocatis comitiis, ad ditiones Gallicas recuperandas ingenti pecuniâ designatâ, exercitum legit, traditque Ricardo fratri classe deducendum. Ille ad Burdigalam trecentis nauibus applicat, & Sanmacario primo impetu capto, Regulam stringit obsidione. Hic mora properanti obiecta, vrbs fortiter propugnata vim irruentium fregit; & imminebat Ioannes Argentanus Franciæ Marescallus, qui opem ferret. Ideò Ricardus cùm nec vrbem capere, nec honestè posset abscedere, fingit se Argentano occurrere, vt Duranij transiu arceret, & reuera soluit obsidium. Argentanus cùm medius amnis intercederet, vt hostem educeret, ipso spectante Limelium in Petrocoriis castrum capit ac diripit; tum Bergeracum maioris momenti oppidum & ipso immoto expugnat. Ita Ricardus pertæsus molesti spectaculi, & conscius infirmitatis, impetratis in annum induciis, classem in Angliam reuexit, vno dedecore opulentior.

LVDOVICVS VIII.

Ludouicus Rupellam capit.

Et Anglos expellit.

La Reoule.

Limeil.

Rebus ab Anglia tranquillis, Honorius III. Pontifex Ludouicum per Legatum hortatur vti in Albigenses bellum suscipiat. Illi à Simonis Montfortij nece receptis viribus Duce Tolosano Volcas infecerant, & lue latius sparsâ trans Rhodanum virus intulerant. Simoni Amalaricus filius successerat, in ius quidem & pietatem, in existimationem & fortitudinem haud quaquam, (rara enim illarum opum hæreditas) ideò ius suum in Tolosanum Comitatum Regi donauerat, acceptâ Comestabilis dignitate, quam modò Mathæus Mommarancius gesserat; erátque iam ab temporibus illis honorifica, & post abrogatum magnum Senescallum, auctoritatis plurimæ tum in domo regiâ, tum in bellicâ administratione. Ludouicum

XVI.

Rex in Albigenses.

Cõnestabie.

LVDOVICVS VIII.

præter religionem & voluntatem Pontificis, incendebat cupido expungendi dedecoris; nam iterum post Anglicum bellum, viuo etiamnum Philippo, exercitum duxerat in Tolosanum, & Tolosa, plusculos dies obsessa, reuersus in Franciam erat, nullo operæ pretio præter vnius Marmandæ oppugnationem. Nouam itaque expeditionem indicit, & Anglo Pontificiis censuris ne quid moueret prohibito, magno Crucigerorum concursu, adscribit militem, quem ipse duceret. Volcas petenti occurrebat Auenio, vrbs in Cauaribus patenti agrorum planitie, quam situ munitissimam omni opere Albigenses communiuerant, erexerántque validissimum propugnaculum, quo Volcas tegerent & vltra Rhodanum hostem auerterent. Ergo in eam primus ruebat bellantium impetus. Et gnari ciues discriminis, ad Regem miserunt, qui profiterentur obsequium. Sed eo aduentante, concionabundi hæreticorum obstinatissimi concitauerant in pertinaciam ciues: *Ludouicum religioni suæ perinfensum, deleturum omnes internecione, sacra ac profana omnia perditurum; certam spem in fortitudine positam, salutem omnium in singulis esse. Cur tam egregia munimenta, cur in propugnaculis impensa opera atque pecunia, cur tandiu ad oppugnationem se comparant; si armorum ad strepitum lucémque inanem gregum instar inermium se hostibus tradant?* His permoti renuntiant Regi, vrbe admitti præter ipsum atque familiam nullum posse. At ipse deliberatus intromittendi exercitus, vrbem circumsedet, omnique machinarum genere oppugnare aggreditur. Obsessi se tuentur intrepide, pluribúsque irruptionibus fortissimos cædunt; in quibus Guido sancti Pauli Comes, generosissimus & bellicâ arte clarissimus, præter duo militum millia. Nihilo secius vrgebatur obsessio, iámque muris magnam partem labefactatis, ad extrema admoti hæretici vrbem dedunt, admittúntque victorem. Rex ne indulgentia promoueret scelus, ducentos è nobilioribus abducit in obsides, seditione principes suspendio necat; pœna reliqua, quod clementiæ fuit, in saxa & cæmenta effusa est; diruti muri, oppletæ fossæ, & trecentæ è sublimioribus domus euersæ sunt. Hoc vno facinore debellatum erat, nisi hyems proxima, & vulgati per exercitum morbi obstitissent: nam omnes Volcarum vrbes pœnâ exterritæ certatim obsequium suis cum clauibus victori Auenionem deferebant; vnáque supererat mali caput Tolosa; quæ se pabulorum inopiâ iactabatur; quippe Raimundus omnia circum corruperat, pratis etiam aratro vastatis. Dilata in sequentem annum prouincia; Præfecto exercitûs Imberto Belliiocensi Auenione relicto. Rex versus Parisios iter cœpit: sed in mediâ viâ interceptus, Mompensierij, quod castrum est in Aruernis, morbo pestilenti animam edidit: seu veneno propinato à Principe, cuius nomini pepercit historia, delibato vitæ anno quadragesimo; inter coniugis Blancæ amplexus & effusissimas lacrymas. Quanquam & de Blancæ præsentia multi addubitant, qui Regem amore castitatis mortuum asserunt: nam vxore absente, mortem certam præoptauisse flagitio, quod foret ægrotanti remedium. Obsequentissimus filius, maritus amantissimus, & felicissimus pater: nam ad patris nutum, vel ætate grandis se omninò finxit, adamauit coniugem arctissimè, eique regni administrationem commisit,

Auenio obsessa & capta.

Regis mors. Anno 1226.

misit, dum adolescceret filius; numerosam ab ea susceptit sobolem, & omnium instar Ludouicum: Roberto secundo genito legauit Arteſiam, Alfonso Pictones atque Aruernos, Carolo Andegauos atque Cænomanos, & virtuti ne quid deesset, conceptâ morte in religiosâ expeditione. LVDOVICVS VIII.

Blanca susceptо regimine in acerbissimo luctu, nec immemor filij dum maritum deflet, Ludouicum duodenos annos implentem Rhemis inungi curat & coronari. *Extemplo visa Proceribus noua res, regnare feminam, & fortissimis viris imperare: ab Hugone Capetio rem intentatam; filios maturos regimini capessiuisse imperium; si adiutores tantisper habuerint, eos patruos proximósque affines, non è gynæceo mulieres. Vnam primis annis Constantiam Roberti coniugem aspirasse ad regimen, sed abiectam illicò; & meritò, quæ ambitione omnia perderet. Non aliud expectandum à Blanca.* Hæc Procerum animis sensim innasci; mox radices agere atque erumpere, vbi Blanca suo nutu atque arbitrio gerebat omnia; illis nihil impertiebat pecuniæ, aut ditionis, regiminis quantùm libuisset. Maximè omnium Petrus Britanniæ Dux acerbissimum animi sensum testabatur; huic Ludouicus pater quædam castella commiserat; ea reposcebat Blanca, adeò noua non largiebatur; sic conspiratio breui eo annitente coaluit. Principes recensentur, Robertus Britanni frater Comes Drocensis, Theobaldus Campaniæ Comes, Enguerrandus Coucyus; gemini Hugones, alter Marchiæ Comes, alter sancti Pauli; Comites Pontinensis & Niuernensis, & quem primum appellare oportuit, Philippus Bononiensis Comes, Regis patruus, in quem reiectâ Blancâ conferendi regiminis inibatur consilium. In eandem spem vocati erant, Comites Tolosanus & Phocensis Prouinciæ. Primus omnium re nondum matura Tolosanus erupit: ille Raymundus huius nominis VII. & postremus, qui iam ab Monfortio variam belli expertus aleam, nunc ab obitu Ludouici Tolosa egressus, ceu fractis repagulis grassabatur, occupato castro Saraceno. Blanca in primordiis datura specimen sui, gnara vim famæ à principiis nasci; lecta subsidia mittit Imberto Belliiocensi Dynastæ, (sunt Belliiocenses Burgundos inter & Lugdunenses) quibus ille auctus Voltas aggreditur, Raymundo imminet, ac se Tolosam recipientem cingit obsidio. Istud amplarum vrbium fatum est, vt amplitudine sua corruant, totque hostes sæpe includant quot ciues, maximè cùm alimenta deficiunt. Ciue & milite referta Tolosa, frumenti inopiâ laborabat, incuriâ Principis, parum trepidantis qui bellum inferret. Modò cùm immineat fames, & defectionem ciuium metuat, legem accipit à victore, iurátque in conditiones, sibi deterrimas, Franco quam optimas. Earum potissimæ; vt Regi in sumptus pecuniam daret, ditionem traderet quæ trans Rhodanum esset; Hæreticos desereret, pœnis afficeret, ac Hæresim ipse eiuraret; Ioannam filiam quam susceperat vnicam, daret nubendam Alfonso fratri Regis, atque in dotem Tolosanum Comitatum; qui regno annecteretur, si coniuges nullis liberis vitâ excederent. Vt promissa ista, ita perfecta sunt. Abdicauit Raymundus hæresim, nudus caput, pedes & brachia; instituta Tolosæ vniuersitas studiorum ad litteras propagandas, & Inquisitio ad hæ-

XVII. LVDOVICVS SANCTVS REX.

De Coucy. De Pôthieu.

De Prouẽce. *Raymundus Tolosanus à Blancâ subactus.*

Beau-Ieu.

Anno 1227.

LVDOVICVS SANCTVS.

resim reuellendam. Reginæ Ioanna adhuc tenera dum adoleſceret tradita, & Raimundus ipſe Pariſiis turri Luparæ incluſus, dum cætera implerentur. Trincauellus Biterrenſis Comes acceſſit victoriæ, qui tumultuari auſus, breui compreſſus, legem admiſit. Ita ductu feminæ difficillimum bellum concluſum eſt, quod plures annos plurimoſque duces tenuerat; adeò infirmæ ſunt mortalium vires, vt Auguſtis & Monfortiis vna mulier præſtet. Coniuratio Procerum hoc ſucceſſu adeò non intepuit, vt efferbuerit maximè. Marchiæ Comes intonabat omnium auribus, exacerbans dolorem animi. *Quandiu vni feminæ obtemperabimus viri? præſtolamur vt nos in gynæceum ableget, penſa diſtribuat, & ad colum agat, qui arma neſcimus? Nos fortaſſe orti ex Francis illis fortiſſimis, qui Regum imperia vix patiebantur, quibus obſequij merces erat ipſum imperium, qui regebant quæ gererent, tam Principum ſocij quàm miniſtri, & in conſilia euocati prius quàm in caſtra: ſcilicet nos è vulgo promiſcui, plebeij nos atque ignobiles, in nexum nati atque ſeruitutem? At cui feminæ præſtamus obſequium? nempe Hiſpanæ atque extraneæ; quæ maiorum mores vel neſcit vel ſpernit: quæ genio ſuæ gentis res noſtras contaminat; quæ maternâ ſtirpe ad Angliam ſpectat: vt poſteri nos præclariſſimos habeant, dignóſque vnde originem ducant, qui rerum faſtigio impoſuerimus feminam, peregrinæ ſtirpis atque inimicæ. At ſi nos & poſteros negligimus, noſtra nobis ratio flocci erit? Toloſanum reſpicite, cogitate quæ miſero inter vincula mens ſit, quis animus; perpendite imperium, copiam, delicias, libertatem, in ſeruitutem, inopiam, carcerem & vincula defeciſſe: hæc vobis imminent, hæc ſtant in foribus; nec putatote, ſuperbiſſimam feminam quieturam vnquam, dum emineat aliquid, quod metum ipſi vel ſuſpicionem iniiciat.* Eiuſmodi plura Marchiæ Comes; ſpe omnium tacitâ, ſi quiſque adminiſtrationis partem capeſſeret.

Coniuratio Procerum.

XVIII. Blanca diſtrahit coniuratos.

Ea conſilia Regina ſolertiſſima femina cùm aperuiſſet, irrita vt faceret, induſtriam primùm, tum vim adhibuit. Ferdinandum Flandriæ Comitem, diutino carcere maceratum, vinculis ſoluit, gratiæ & dignitati reſtituit: ille oppoſitus coniurantibus clypeus; nam fama, peritia, ſocij, animus in eo paria, & præter memoriam beneficij vindictæ cupiditas ſumma erat. Nam Petrus Britanniæ Dux conatum omnem intenderat, vt ſoluto cum Ferdinando coniugio, Ioannam Flandriæ Dominam vxorem haberet; nec ipſa Ioanna, pertæſa ſolitudinis, repugnabat; niſi Blanca obſtitiſſet, Britanni magnitudinem ſuum damnum rata. Erecto propugnaculo, clam hoſtem aggreditur. Philippus Regis patruus Caletum in Comitatu Bononienſi, pagum adhuc vno portu commodum, cingebat mœnibus & munimentis, vt receptum haberet tutum coniurantibus, & excipiendo Anglo poſticum; eius animum Regina ſuſpicionibus implicat; ſocios fraudi eſſe, inire clam ipſo conſilia, & conſtituiſſe, poſtquam ipſius nomine amouiſſent Reginam, Enguerrando Coucyo regimen tradere: quibus ſuſpicionibus ſolerter iniectis, ſic Philippus permotus eſt, vt repudiatâ coniuratione, ſe Blancæ addixerit, odio in ſocios capitali. Expugnato Philippo, Theobaldum Campaniæ Comitem, opibus & clientelis prævalidum, nouo telo adoritur. Erat illâ pulcritudine formæ conſpicuâ, quæ necdum ætatis anno quadra

quadragesimo defloruerat, tantâ venustate, lepore, & elegantiâ sermonis coniunctâ, vt efficacissimis oris illecebris peruaderet in omnium animos, ac persuasos in omnem partem inflecteret. Eius amore diu flagrauerat Theobaldus, in sinu dum viueret Ludouicus, paulò apertius solutâ Blancâ & liberâ; sed acerbius ab castissimâ feminâ habitus, indignans ad coniuratos accesserat, amore operto potius quàm extincto. Vt eundem in regni commodum susciteret, Regina excipere hominem blandiùs, alloqui suauiùs, allicere oculis, & testari beneuolentiam; tum inflammatum & coniectum in spem nuptiarum, auellere ab sociis, & in regis partes traducere; quippe castissima femina non putauit vel leui culpâ in pudorem delinquere, si cum insano iuxta insaniam ageret, & naturæ donis publicum scelus auerteret. His munita præsidiis arma in reliquos parat, contractóque exercitu suspectos in iudicium vocat. Illi cùm abnuerent se Parisiis sistere, vbi Ferdinandus & inimici cæteri præpollerent; designatum est ad ius dicendum Vindocinum; quam illi vrbem vltrò admiserunt, spe insidiarum, quibus Rex intercipi posset, & gubernaculum ipsi arriperent. Iam Ludouicus se in viam dederat, & Montem Ericum peruenerat, cùm renuntiatur equitatum Stampis & Corbelij collocatum, quo circumclusus abduceretur. Eo loci hærens rescribit ad matrem, de periculo monet, & quid facto opus sit consulit. Blanca in amantissimi nati discrimine, Parisienses quod auxilium proximum vocat, & optimates in conclaue admissos profusâ in lacrymas sic hortatur. *Arcessiui vos in lacrymarum solatium, & opportunum calamitati subsidium; Ludouicum colendissimum Regem coniurati armato milite Monte-Erici obsident; tentatum flagitium, non patratum; vestrum est optimi ciues intercedere, & patrandum nefas excludere. Quid vos moror pluribus? Rex captiuus propemodùm, implorat Parisiensium opem, sperat illorum fide se ereptum iri, hanc vnam fligitat, hac se pascit, hac nititur, huic vni salutem commendatam cupit. Si post vota Regis, amantissimique Principis, dolorem meum lacrymásque consulitis, si afflictissimæ matri attenditis; en fletus, en mœrorem perspicitis, en calamitatis tristissimum metum; obtestor vos per eas lacrymas, per non aspectabilem doloris aculeum, malo occurrite, Regémque supplicem è manibus hostium vindicate.* Hoc sermone Parisienses incensi, arma expediunt, numeroso agmine ad Regem conuolant, reducunt saluum Parisios, optatissimúmque matri restituunt. Sic irritæ coniuratis insidiæ, nec aperta vis processit commodius.

LVDOVICVS SANCTVS.

Montlehery. Estampes. Corbeil.

Regina oratio.

XIX. *Et alios vincit.*

Illa primùm in Theobaldum Campanum erupit. Eum coniurati versari in Aulâ passi hactenus erant, vt exploraret Reginæ consilia, ipsísque propalaret; at Reginæ fidus quæ animo voluerent indicabat, & patefactos dolos opprimebat; quid enim Amor non euoluat & explicet; Re perspectâ conspirantes vt hominem à Regina abducerent, spem faciunt Yolandæ in vxorem ducendæ, quæ sola Petro Britanno in liberis erat, & vorabat hamum incautus, cùm Regina rem discutit, & coniectu oculi Amantem in nexum restituit. Tum coniuratis excitatum odium & vindictæ flamma in Campanum: & commodè is acceptâ contumeliâ ab Roberto Regis fratre, tantùm non puero, quòd amorem aperiret imprudentiùs, in Campaniam

LVDOVICVS SANCTVS.

secesserat, cùm geminato telo à Coniuratis impetitur. Primùm Cypri Reginam Alisiam arcessunt; ea Henrici Campaniæ Comitis filia, quem à liberalitate Largum dixerunt, post Amalarico Cypri Regi nupta, hereditario iure reposcebat Campaniam, excludebatque Theobaldum patruum secundo-genitum, quando in Franciâ Dynastiæ omnes, regno excepto, admitterent imperium feminarum. Præterea ius armis promoturi, in Campaniam penetrant Duces Burgundiæ & Britanniæ, fœderatis adiunctis; diuersisque itineribus, vastata latè regione, Trecas conueniunt, Comitis sedem, vibémque tanto impetu adoriuntur, vt vnâ Ioinuillij fortitudine tantisper seruata sit. In extremis erat, cùm Rex adolescens ducto exercitu in salutem Campani aduolat: ea prima expeditio Regis, & fortissimi animi inuictique in cæteris præiudicium. Castra posuerant fœderati in aperto pratorum æquore, implebántque tentoria effusam planitiem, vallo circum ac fossâ munitam; cùm Rex aduenies ad expugnanda castra se comparat. Illi perculsi tam forti proposito, ad Regem mittunt, qui obsecrarent ne in prælium iret; se in Regem suum bella non gerere; nusquam in regnum arma expedire, multò minus in Principem; se ius vnius feminæ propugnare, quod cùm æquissimum foret, iusta esse arma quæ id defenderent. Ad ea Ludouicus reponit; se venisse in opem socij & clientis, obiecturum in discrimen vitam vt saluus sit: quod ad feminam spectat, de iure suo apud Iudicem agat; se constitutum subditis à Deo arbitrum, si appelletur, ex iustitiâ rem disceptaturum. Post id dictum rem vrget, nec vllam pacis mentionem admittit, dum fœderati in Campania agerent; iis depulsis Reginam Cypriam audit, damnátque patruum in quosdam annuos reditus, ac pecuniam in itineris sumptus; sanciens inter arma iustitiam, & æquitatem tumultui bellico conferens. Blanca interea non oblita solertiæ, à Campano egente pecuniæ vt nepti suæ faceret satis, emerat ditiones Blesensem, Carnutensem, Sancerram, & alia oppida, & coniurationis detexto subtegmine, plerosque à trunco auulserat, hoc est à Britanniæ Duce. Nam Comites Castilionius & Pontinienses ad ipsam concesserant; Drocensis expugnabatur muneribus, Marchiæ Comes spe regiæ affinitatis, quam Blanca ostentabat, Comitis filiâ ab Alfonso ducendâ: ita Britannus abscedentibus sociis solus deseritur, iam aptior recipiendo metui quàm iniiciendo. Igitur in angustiis deprehensus, Henricum appellat Angliæ Regem, dum acerba hyems Francos amoueret. At Ludouicus per sæuitiam frigoris ducto exercitu, vrbem Andegauum rectà tendit, quam Anglis ereptam Ludouicus pater Britanno concesserat; eáque in potestatem redactâ, Bellemium arcem inexpugnabilem creditam, muro perfracto, deditam accipit. Ea inter discussâ hyems erat, & Henricus magno exercitu in Britanniam applicans, exceptus Nannetis; Rege operiente ad Britanniæ fines quò se impetus verteret. Verùm bullæ instar, is breui crepuit atque euanuit. Quippe Angli Proceres in conuiuia & lusum effusi, præeunte Henrico, nulla belli memoria, ceu ad nuptias non in aciem euocati, dies noctésque absumebant potationibus; donec dilapidatâ pecuniâ & omni militari instrumento, nobiles ganeones reuecti sunt in Angliam, vorato

Coniurati in Campanum.

A Rege pelluntur.

Anno 1228.

Britannia Dux in officium redactus.

Bellesme.

quantùm

quantùm licuit hospite; totâ expeditione in aluum congestâ. Petrus destitutus apprecante fratre impetrauit inducias, & postmodùm ope Anglorum iterum euanescente; superbiâ & arrogantiâ positis, clientelam Ludouico Andegaui professus est. Et ille Petrus est, quem Britanni sui *Maucler*, hoc est malum seu imperitum Clericum nuncupant; non quod Regi clientelam iurauerit; præstabat enim Franciæ feudatarium quàm Normanniæ esse; sed quia litteris apprimè eruditus, & Iuris tum ciuilis tum Canonici peritissimus, cum Britannis Ecclesiasticis diu disceptauerit, & in eos doctrinâ nempe ipsorum armis pugnauerit. Sic Blanca coniurationem grauissimam depulit ac dissipauit; solertiam & pulchritudinem, quæ mulierum tela, conferens in compendium regni: adeò imbecillitati & suum robur est; nec colus fususve vna est sors feminæ. Quanquam Blancæ industria in Scholasticis Parisiensibus multùm laborauit; qui ab ciuibus malè affecti cùm vrbe abscederent, perirétque Vniuersitas litterarum parens; fuit contendendum vt reuocarentur; studiosis ægerrimè pacatis; vt ingenij vsus liberrimus est, & Musarum cultus à vi abhorret.

LVDOVICVS SANCTVS.

Petrus Maucler.

Vniuersitas reuocata.

Inter has turbas adolescebat Rex, iámque regni administratione susceptâ, ætatis anno vicesimo, de posteris cogitauit. Raymundo Berengario Prouinciæ Phocensis Comiti quatuor virgines liberi erant, mares nulli: Margaritam natu maximam, institutam eximiè, præclarámque virtutibus, Rex vxorem ducit: par enimverò clarissimum, ac dignum in quod cœlum omnibus donis deplueret. Tum Rex fratribus parauit coniuges; Roberto Comiti Artesio Matildim filium Brabantiæ Ducis, Alfonso Ioannam Tolosanam, iam antè desponsam, Pictauiensi Comitatu in Ducatum erecto. Hæc omnia Blancæ arbitrio gerebantur; quæ regimen deposuerat quidem, sed in optimo filio stabiliuerat inconcussum imperium. Statim ex Alphonsi nuptiis difficillimum bellum erupit. Ioanne Rege Angliæ mortuo, Hugo Marchiæ Comes eius viduam Isabellam Inculismensem in matrimonium duxerat; superbiâ & fastu regio dote præcipuâ. Quippe mulier assueta imperio, quanquam ad minorem traducta coniugem, Reginæ titulum apparatum & speciem præferebat; nec vxor, erat se matrem oblita, cui liberi essent Henricus Rex Angliæ, & Isabella Friderico Imperatori enupta. Et maritus dignus cui Regina nuberet, è gente Lusinianâ, quæ Cypro & Ierosolymæ stirpes Regum ab extremâ Gallià in Orientem longè propagasset. Accedebat Isabellam inter & Blancam, iam conceptum ab Ludouici & Ioannis bello priuatum odium, morúmque diuersitas, cùm hinc plura vitia, hinc virtutes omnes elucerent. Quid quod Alfonsi coniugium contemptum & contumeliam inferebat; abruptâ spe Comiti elocandæ filiæ cum Alfonso; & iunctâ necessitate clientelam apud eum ipsum profitẽdi, quam Comes vni deberi Regi affirmabat. Tot causis exacerbãtibus animam feminæ; his illa vocibus Hugonem coniugem increpat. *Vides nos ludibrio esse, & iactari contumeliam nostram omnium verbis. Affinitatis regia conceperas spem, & meruerat quidem; & id Blanca sanctè promiserat; nunc fallente spe, & illusis promissis, Hispana mulier Tolosanam antetulit; hoc est nobilissimæ virgini Valdensem hæreticam, sæpius ab Catholicorum cœtu segregatam. Nempe hac*

XX.

Regis cum Margaritâ coniugium. Anno 1234. Comte de Prouence.

Bellum cum Marchia Comite & Rege Anglia.

De Lusignã.

Isabella oratio.

LVDOVICVS SANCTVS.

hac iniuriâ me affectam Hispana voluit, & veteres inimicitias tuo damno persequitur. Breui spectabimus raptam illam ab hæresis face, imminere capitibus nostris, iugum imponere, legem ferre; & ego quæ nupsi Regibus, quæ Reges peperi, coram Orbis retrimento & lutulentâ feminâ genuflectam? Id auertat Deus, cuius maximè nutu sceptrum tracto: nam adhuc in Henrico filio Angliam moderor, in Isabellâ filiâ compos sum Germaniæ; nec me ita mei oderint liberi, vt vilissimæ feminæ subiectam velint & supplicem. Quare si tibi seruitutis animus & mancipij est; ad nexum, ad ignominiam propera; mihi statutum est, vel in extremam Angliam fugere, vel hic ad vltimum spiritum depugnare, donec contumeliam grauem depulero. Nec me vel Pictones vel Angli desererent, ducámque ordines femina, latente viro, & turpitudinis labem sustinente. His accensa verbis indignatio Comitis, & deliberatum inter coniuges bellum; cui Guido Lusiniani Comes adiunctus est, pluréſque nobiles, ac missi ad Henricum Legati, qui excitarent in opem matris filium, Regémque ad recipiendas prouincias inflammarent. Ista dum clanculum promouentur, Ludouicus cum aulico comitatu agebat Pictauij, adducto Alfonso, qui Procerum clientelam admitteret; cùm renuntiatur Comitem Marchiæ legere militem, & multis sociis bellum apparare. Inermis propemodùm & imparatus ad vim repellendam, periculum industriâ atque ingenio declinauit. Ad Marchiæ Comitem vltrò se contulit, honorificè inuisurus in speciem, metu dissimulato, beneuolentiam prætulit; tantúmque perfecit, quâ pollicitis, quâ in superbam feminam blandimentis, vt e Pictonibus saluus euaserit, magnis itineribus se Parisios statim recipiens. Hinc periculi memor, & fratri Pictones asserturus, cum valido exercitu versus Ligerim properat. Hugo fœderatis adiunctis, vt Regem procul distineret, Vastiniam inuaserat, & munitas arces Gotofredo Lusiniano tuendas tradiderat. Primus Regis impetus in eum inuectus, captæque arces, præsertim Nouentum, quo se Gotofredus incluserat, non incruentâ dimicatione. Tunc Rex transito Ligeri irrumpit in Pictones, inuisurus hostem an hospitem nouo apparatu.

Ludouicus adit periculum.

Le Gastinois.

XXI. *Rex veneno tentatus.*

Regis celeritas Isabellam in furorem egit: illa in Ioannis scholâ erudita flagitiis, perditissimos adornat homines, qui venenum Regi obiicerent; iique deprehensi sunt, dum puluerem venenatum cibis inspergerent, & confessi crimen, in patibulum acti. Quin rumore sparso sicarios à vesanâ feminâ immissos, qui incautum Regem perimerent, ad custodiam eius designati sunt armati milites, quem multò maximè non aspectabiles Angeli tuebantur. Ille nihilo seciùs progreditur inter pericula, & Fontenæo copias admouet. In hanc vrbem Comes dum Angli expectantur, & infringatur impetus Regius, strenuissimos miserat, duce filio fortissimo iuuene. At Ludouicus obsidionis lentæ impatiens, impressionem in vrbem imperat; primâ Franci repulsi, & Alfonsus saxo læsus; alterâ Rege ipso pugnante, vrbs capta & direpta, in æstu victoriæ milites cæsi, & templis exceptis ædificia diruta. Interea Henricus ab Angliâ exercitum transportauerat, & Comiti adiunctus, postquam matrem consalutauit, & ingentibus promissis erexit, Taleburgum se contulit, munitissimam vrbem,

vnde

vnde bellum, provt ferret commodum administraret. Taleburgum ad Carentonum amnem positum est; nunc mutato vt credibile situ, si tunc trans amnem fuerit, quod euincit Historia, quod cis fluuium modò inspicitur. Ad oppidum amnis ponte iungebatur, quo vno ad vrbem patebat aditus, cætera fluuius aquis torrentibus & profundis, prætaltis ripis & munitis arte defendebat, munimenta Anglo prætexente; ponti imminebat arx, quâ tecti milites atque inoffensi hostem propellerent. Hoc geminо munimento tum naturæ tum artis exclusus Rex, ab animo & fortitudine aditum conficit. Extemplò pontem oppugnari iubet, primúmque agmen immittit; subito impetu vallum in fronte pontis erectum euertitur, & in ipsum pontem inuaditur: verùm postquam miles in arcto conclusus est, patuítque telis & sagittis, quas ab arce & fluuij ripis hostes effundebant; tunc repressus impetus, plures cæsi, plurimi saucij, quíque supererant perturbatissimè recesserunt. Ludouicus verbo parcens, suos castigaturus exemplo, non ignarus periculi, hastile vibrans, sociis octo Equitibus, quos ad latera inter prælíandum semper admittebat; primus omnium in pontem irrumpit, & statim munimentum in medio ponte obiectum expugnat; tum vltrà progressus sub densissimo telorum hostilium imbre decurso ponte ad arcem euadit. Enimuerò in magno salutis discrimine; quippe spissi hostes, non missilibus modò, sed hastis, contis, clauis & gladiis, propiùs inuecti, eò audaciùs, quod vnus propemodùm in plures pugnaret, eum omni parte tundunt & verberant. Ille tot inter ictus intrepidus, quà clypeo impetum retundebat, quà gladio promptissimum quemque feriebat, nam hastam iam hostes infregerant, immotúsque periculo vnus densissimam aciem propulsabat. Etenim numero tandem obruitur, iámque socij equites deficiebant, cùm Franci milites Regis discrimine in furorem acti, desperanter in amnem proruunt; & natatu in oppositam euadentes ripam, per aquas, per tela, per munitiones, per hostes, ad Regem penetrant; animísque aucti tam fortì spectaculo, trepidationem hosti, mox effusam fugam iniiciunt. Henricus à fugientibus raptus peruenit Santonas; eóque ardore insequuti sunt Franci, vt pleríque promiscuè vrbem ingressi, errorem non cauerint, donec ab hoste iam securo prælij capti sunt. Scio hanc pugnam à Parisio Anglo scriptore aliter narrari; sed ideò non est quod Ioinuillio fidem derogemus, Regis coætaneo, cui pro nobili & antiquâ prosapiâ veritas maximè in amore fuit. Ludouicus post victoriam Santonas aduolat, paraturus oppugnationem. Verùm Anglus iam collegerat vasa; nam nocte quæ pugnam excepit, Henricus simulans se in Francos palantes victoriâ prorumpere, vrbe eduxit suos, viáque oppositâ magna celeritate Blauiam aufugit, & Burdegalam inde conscensis nauibus, deserto vitrico; abiectáque spe quam in Anglia ceperat eluendæ paternæ infamiæ. Regem vrbes cæteræ ad Duranium admiserunt; Proceres omnes appellauerunt clementiam Regis; ac Marchiæ Comes ad eandem confugit nulla amplius spe belli instaurandi. Dictæ victo leges, & castris ereptis pluribus ablata occasio rebellandi; præterea Alfonso clientelam præstitit; vxoris superbia mirum in modum depressa; furore & sceleribus frustra

LVDOVICVS SANCTVS.

Taleburgum expugnat. Taillebourg.

Anno 1242.

Xaintes.

Blaye.

LVDOVICVS SANCTVS. XXII.

tentatis, vindictâ, quam non patrauerat, in se receptâ. Anglo flagitanti concessæ induciæ. Regi ad bellum nouum facultas permissa; quod tamen auctoritate potius quam armis gestum est.

Rex socero in Tolosanum auxiliatur.

Nam quod pro vitrico Anglus præstiterat, modò idem Francus pro Berengario præstat, & ipso socero. Ille nempe à Raimundo Tolosano bello vexatus, & fermè à ditione depulsus, generi opem supplex implorabat. Porrò huius motus causa altius retexenda est, quoniam ad Regis dignitatem confert. Fridericus Imperator Ænobarbi ex Henrico filio nepos, auo similis in Pontificibus impugnandis, ab iisdem Ecclesiâ atque Imperio erat interdictus. Istius cùm retineret possessionem, Gregorius IX. Pontifex Ludouicum Regem vocauerat in subsidium; quod vt impetraret commodiùs, Roberto Regis fratri Imperium obtulerat, Friderico impio rapiendum. Id tametsi Rex generoso animo recusasset; haud iustum esse affirmans, Principem Christianum nulla belli causa throno deiicere; & Roberto fore splendidius, quod frater Regi Franciæ esset, quam dignitatem nemo eriperet, quàm si diceretur Imperator, quod à mortalium penderet arbitrio: tamen Fridericus exinde Regi semper infensus, (quòd improborum est eos odisse, vnde pœna timetur scelerum) molestiam quantùm licuerat non desinebat facessere. Nam colloqui cum eo Valcolorij expetiuerat, ea mente, vt incautum interciperet, nisi Rex magno comitatu facultatem sceleris excussisset; & bellum palàm non ausus inferre, Tolosanum incitabat, subministratâ pecuniâ, vt quoquo modo Regem perturbaret. Ideò dum ille bello Anglico distinetur, eundem Tolosanum impulerat, vt Berengario Phocensis Prouinciæ Comiti, vexato à subditis arma inferret; ita persequutus geminum odium, & in Regem, afflicto socero, & in ipsum socerum, quem clientem Imperij, addictum tamen Pontifici, multò peius quàm Regem oderat. Berengario cum Phocensibus subditis diu bellum erat, Massilienſibus præsertim iugum detrectantibus; & anno præterito Tolosanus Berengarium iuuerat; nam cognati erant; & Dominorum interest, in obsequio esse qui subiiciuntur; nunc mutata mente Friderici impulsu, opem præbet Phocensibus, cognatum impetit, & annitentibus Massilienſibus, ejecto Comiti subrogatur. Rex tempestiuè Anglico bello confecto, Berengario venturus in subsidium, copias instruit, & versus Prouincian ducit. Tolosanus perterritus victoris aduentu, derelictis Phocensibus & nouo dominatu, Tolosam secedit. Ita Regi obtemperant omnia; restituitur in ditionem Berengarius; datur Fuxiensi Comiti, vt in posterum vni Regi clientelam iuret, quod à Tolosano defecisset omnium primus; ipsi Tolosano ob filiam factum ignoscitur. Hactenus auctoritas rem confecit; mox pugnatum solerti prudentia. Etenim Berengarius restitutus imperio, cùm Massilienſibus parum se traderet; nec odio quo eum subditi prosequebantur vllum finem speraret, maluit ab eis secedere, quàm alere tumultus fomitem; ita ad Amedæum Sabaudiæ Comitem diuertit, cuius sororem in coniugium duxerat, abductáque filia Beatrice, tranquillum exilium prætulit turbulento imperio. Ex iis quas susceperat filias Beatrix quartò & vltimò genita destinabatur hæres opulenta; nam pater so-

Fridericus Regi infensus.

Berengarius restitutus.

Filiam dat vxorandam Carolo.

roribus

roribus pecuniam in dotem largitus, huic chariſſimæ Phocenſem Prouinciam deſignabat. Toloſanus huius prædæ appetens, patri profugo reconciliatus, filiam in coniugem impetrauerat; vna mora diſpenſationis à Pontifice obtinendæ ob affinitatem. Regi ea res nuntiata, & perſpecta quantùm ſibi obeſſet, mentem mouit obturbandi coniugij. Nam Toloſanus ob hæreſim ſuſpectus admodùm, ſi tanta ditione vires intenderet, augeretur nocendi facultas, prompta ſemper & paratiſſima voluntate; ſi verò liberos ſuſciperet, turbarentur pacta cum Alfonſo, & Ioannæ nuptæ eriperetur hæreditas. Ideò Rex cum Pontifice egit, ne cognationis vinculum ſolueretur; ac vt in fonte riuum occluderet, à Berengario Beatricem fratri Carolo impetrat; nuptiáſque conficit, Phocenſibus in dotem promiſſis; quos & obtinuit, Berengario paulò pòſt vitam amittente. Carolo in patrimonium Andegaui & Cœnomani conceſſi: iſque eſt à quo Regni Neapolis origo profluxit; Ludouici laude ampliſſima, qui fratrum commoda ſua ratus, inacceſſus inuidiæ, infirmitate aliena non fulciebatur; in ſe nactus vnde regiæ dignitati ſufficeret. LVDOVICVS SANCTVS.

XXIII. *Ludouici ſanctitas.*

Pacem regno partam ſanciendis legibus Rex conſtituebat, inducebátque quantùm poterat probitatem morum, expulſis hiſtrionibus & Comœdis, luxu repreſſo, & pœnis in publica vitia promulgatis. Sed idem gnatus, viam præceptorum ſterilem eſſe, exemplo doceri efficaciſſimè, vitam ſuam inſtituit ſpeculum morum atque ſanctitatis; vt quando ipſe omnibus ad ſpectaculum propoſitus foret, omnes in ſe inſpicerent vitæ normam & morum regulam. Verùm Rex ſanctiſſimus ſibi adeò in hac aſperitate indulſit, vt aſſiduis afflictationibus corporis, quod ieiuniis & verberationibus infringebat, & attentis meditationibus, quibus animum intendebat cura indefeſſa, in grauiſſimum morbum inciderit, & deploratus à Medicis, ingenti omnium luctu & dolore, ad lethi fauces admotus ſit. Iam conclamatus, admirabilitate magnâ reuocatur ad vitam, receptáque cum ſenſibus voce, iubet illicò Crucem ad ſe deferri, & audiente Pariſienſi Epiſcopo vouet in loca ſancta expeditionem. Diu ſanctum bellum voluebat animo, & ſtimulante fortitudinem pietate, ardebat ſibi & religioni incumbere. Deſiderium incenderat Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi primo, quo Fridericus diris afflatus eſt, & Chriſtiani Principes, Ludouicus potiſſimùm incitati ad Palæſtinam liberandam. Et verò acerbiſſimæ calamitates illam obruebant. Sultanus Saracenorum Princeps ſede imperij in Ægypto fixâ, vberrimâ illâ prouinciâ, latè in Arabiâ, Palæſtinâ, & Syriâ dominabatur. Nuper Barbacanus Coroſmiorum in Perſide tyrannus à Tartarorum Chamo depulſus, à Saphadino Sultano Ægyptio Palæſtinam & Syriam perdomandas obtinuerat: (nam ab Gualterio Briennenſi & Proceribus Cypriis, tum Ieroſolyma, tum caſtra plurima tenebantur:) & ſtrenuè bello functus, expugnauerat Ieroſolymam, capto Gualterio; Palæſtinam totam ſubegerat, Cyprióſque munitis locis exegerat. Digna omninò Ludouico prouincia. Conuocatis Procerum Comitiis, propoſitóque conſilio, plurimos ſanctæ militiæ ſocios habuit: Præſules haud paucos; Gilbertum Rhemenſem, Philippum Bituricenſem, Robertum Bellouacenſem,

Vouet bellum ſacrum.

Gautier de Bienne.

LVDOVICVS SANCTVS.

censem, Garnerium Laudunensem, & Guillelmum Aurelianensem; in Proceribus, fratres Robertum, Alphonsum & Carolum; Guillelmum Flandriæ Comitem, Arcembaldum Borbonium; Hugones sancti Pauli & Marchiæ Comites; aliósque nobiliores Equites. Scoti etiam plerique adiuncti. Quin & Margarita Regis vxor, fratrúmque coniuges, seu affectu ductæ, seu religione, ablegatis Aulæ deliciis, se ærumnosæ viæ dederunt socias. Omnibus summa diligentia comparatis, Lugduni Pontificem Innocentium Rex salutauerat, & impertitus benedictione Massiliam aduenerat, inde soluturus. Hîc postremum vale colendissimæ matri Blancæ dixit; quæ complexa charissimum supra quàm dici potest filium, auelli ab eo solo animi deliquio potuit; quasi anima in amantissimum natum transeunte, & vitam abdicante, quæ absente filio mors futura esset. Illi procuratio regni à Rege tradita, & institutio liberorum; vt ipsa præsente, non videretur abscessisse Rex integer. Soluentem Aquis mortuis, vigesimo quinto Augusti, qui dies natalis fuit in cœlum eunti; nauigatio prospera in Cyprum detulit, Insulam ad expeditiones sacras opportunam, tum instaurandis viribus, tum commeatu vberrimo deportando. Henricus è Guidone Lusiniano primo Rege ortus, patre Amalarico, tenebat insulam, ac Ludouici sumptibus ingentem copiam cibariorum parauerat, vini præcipuè & frumenti, quorum in agris aceruatim cumuli spectabantur. Exceptus Rex Francus summa lætitia, moráque diutius traxit, fratrem Alfonsum operiens; quem Raymundi soceri obitus in Francia distinuerat, dum Occitaniæ res componeret. Mora ea Cypriis peperit commodum, Francis damnum. Nam hi pestilentia afflicti, sexta parte imminuti sunt; illi cùm partibus laborarent, distraherentur inter Præsules Latinum & Græcum, & ciuilis discordia immineret, grassans incendium Rex oppressit, pacémque inter Præsules conciliauit, Latino in officium reuocato. Per id etiam tempus oratores Chami Tartari Regem conuenerunt, beneuolentiæ testandæ gratia, & iungendi cum eo fœderis, ad Sultanum Ægyptium profligandum; quippe Tartarus nuper Christi cultum imbuerat, Saracenorum hostem se professus; munera hinc inde donata, nullo legationis effectu: siue Chamo distracto ad alia, siue calamitate nostra mutato. Interea mors Saphadini Ægyptij, belli propositum immutauit; etenim cùm in Palæstinam arma collimarent, ad Ierosolymam recipiendam; cuius coronam Alisia Regis Cyprij mater acceperat, iámque antè in Syriam cum exercitu venerat; Sultani interitu visa est Ægyptus bello commodior, sperátisque successibus. In ea, morte Principis, incerta omnia & titubantia; Sultani filium longè abesse; dum Satrapæ inter se dissentiunt, occupari posse discordes, & truncum inermem detracto capite, vinci haud ægrè. Sanè ab Ægypto vt Palæstinis mala profluxissent, sic posse dimanare solatium; in radice arboris ramos & folia simul tolli. Quare Damiata munitissima & opulentissima Ægypti ciuitas in primum impetum designata. Quo constituto Ludouicus Henrico Comite mille octingentis nauibus è Cypro soluit, peruigilio Pentecostes, tranquillo mari serenóque cœlo. Sed illicò procella coorta dissipauit classem ac disiecit; vt ad Limessi caput, qui in eadem Insula pagus est, Rex lustratis nauigiis

Anno 1248. *Cyprum venit.*

compererit

compererit disiecta plurima, duobus Equitum millibus desideratis: nihilominus tenuit cursum institutum, & in via receptis Principe Peloponnesi & Burgundiæ Duce, qui hyemem traduxerant in Syria, Damiatam nauigatione fausta inuectus est. LVDOVICVS SANCTVS.

XXIV. *Rex capit Damiatam.*

Est Damiata, quæ an Pelusium veterum non satis liquet, in secundo Nili ostio posita, aliquot à Mediterraneo milliaribus, ingens ciuitas, opulenta diuitiis, & commoditate situs prævalida; longitudine quàm latitudine amplior, Nili aquis tota propemodùm communitur; nam quà longitudo porrigitur amnis præterfluit; latera quibus in latum patet, idem amnis alluit in fossas admissus, circumseptus geminâ loricâ mœnium; cætera vrbis pars triplici murorum ambitu cingitur; sed in agri planitie munitissimo; ad voluptatem totus circùm ager in hortos diuisus, Nili beneficio spissis arboribus opacatur. Fluuij alueum quà decurrit ingens turris ex cocto latere defendebat; è qua prodibant catenæ ferreæ ad vrbis muros in oppositâ parte annexæ, vnde nauigia portu arcerentur & coërcerentur. Nunc Saraceni Christianorum exploratâ classe, magno numero equites peditésq; portum obuallant, egregiéque dispositi impenetrabilem aciem stantes obiiciunt. Ad illorum conspectum Francorum ardor intepuit, pluribúsque videbatur præstolandum, disiectæ naues donec aduenient, iunctisque viribus irruant plures. At secus Regi visum est, moram omnem generositate animi abrumpente; *nihil ipsis cunctatione periculosius; nullum esse locum in quo sistant, nullum figendis anchoris portum; si procella rursus exurgat, si naues agitet, quod asylum, quem receptum in proximo fore, in quem confugiant? hac prolatione erectum iri hostium animos, suorum infractum; sibi constitutum ad Damiatam excendere, per ipsam quam spectabant hostium aciem, perque portum tam accuratè occlusum, ad muros vrbis captámque vrbem euadere.* Simul excensionem indicit in diem posterum. Sole illucescente ad tubarum sonitum expeditur classis; verùm cùm ob malaciam se loco naues mouere non possent, in lembos & minora nauigia Rex cæteríque inscendunt; tum ad littus inuecti propius, cùm necdum ad solum applicarentur, Rex impos cunctationis primus omnium in vndas prosilit, quibus humerorum tenus immersus est, & scuto dependente ceruicibus, minaxque gladio refulgente, pergit ad hostem intrepidus. Protinus Henricus Cypri Rex, aliíque Proceres & Tribuni exemplo Regis aquis infunduntur: vnóque impetu ad littus proruunt. Rex exceptis hostium iaculis, Francis imperat lanceas solo infigerent, quas valli instar aduolanti hosti prætenderent: nam sex equitum millia proruebant, qui hoc hastilium claustro repressi, mox pauore quodam conterriti, vertunt terga rapiúntque in fugam peditem, portu inuadentibus libero. Sultanus nuper electus tunc aberat, agebátque animam morbo an veneno. Portum tenentibus vrbs expugnanda supererat, illibatis munitionibus; cùm nouus timor propugnantium infregit animos. Dum illi inclusi mœnibus de repellendo hoste deliberant, ecce lamentabili spectaculo deterrentur. Mulieres è suis progressæ domibus ad Curiam aduolant, & infantem quæque læua præferentes, dextra pugionem, minantur patribus necem liberorum, nisi vrbe extemplò excedant, & salutem

Anno 1299.

LVDOVICVS SANCTVS.

omnium præstent; *cunctantibus imminere famem, seruitutem, ignominiam, vim pudoris, cædémque infantium; malle se vno ictu fœtus perimere, quam vorare belluarum instar, vel permittere furori hostium, nam ad se quod spectat, non defuturum ferrum, quo pereant.* Hæc ore iactabant, simul pugiones tenellorum faucibus admouebant. Hoc spectaculo emolliti patres, cùm nihil de Principe renuntiaretur, se vxorum insaniæ dedunt, & pretiosissimis rebus secum deportatis, nocte concubia cum liberis & coniugibus in proximos montes diffugiunt, immissis in ædes ignibus, vt prædam & tecta hosti præriperent; an testati ignauiam, qui patriam quam tueri nollent incenderent. Fulgore ignium Francos excitante, primùm fraudis aut stratagematis inuasit suspicio; dein clara die missus est Comes Artesiæ qui rem exploraret. Ille cum milite postquam ad murum illæsus euasit, portam perfregit, ingressúsque spectauit solitudinem vrbis atque incendium; renuntiauit victoriam; tunc ignes restincti, direptúmque prædæ quod superfluit flammis. Rex nouâ in vrbem pompâ inuectus est; instituta Christiana supplicatione; quâ Cruce prælatâ incedebat ipse humili habitu, aperto capite, nudísque pedibus, religioni non victoriæ litans; oblitúsque se Regem, vt Christianum meminisset. Capta nullo sanguine munitissima ciuitate, consultatum est quid agendum foret. Placuit operiri, dum Alphonsus Pictauiensis conuocatos è Francia Nobiles castris adiũgeret, qui soluisse iam Massilia dicebatur; vt totis viribus hostem impeterent, vincerentque faciliùs. Præterea Nilus ad statutum tempus aquas effuderat, & Ægyptum suam tam propugnans quàm ditans agris quos inundabat, prohibebat hostem. Sed diutius quàm par erat Christianis otium placuit; & pernicioſum consilium fuit, quo instauratæ Saracenorum res, datúmque spatium resurgendi, qui primo illo terrore opprimi poterant: túncque indulta Francis vitiorum commoditas, in mala bonis haud raro traductis. Nam Proceres in voluptates statim immergi; luxu, conuiuiis, scortationibus bona absumere atque prodigere; Tribuni & milites in libidinem omnem sese effundere; corrumpere virgines quas deinde prostituant; ac fuisse nullum Barbaris vitium quod Christiani non obeant; quasi ædes & tecta hospiti turpitudinem inspirarent. Piissimus Rex postquam edictis, propositis pœnis, cura, & exemplo, æstum libidinis coërcere non potuit, iubet militem inauspicata vrbe abscedere, & in castris sub tentorio degere; simul ipse quod imperat præstat. Verùm nec ea industria refractus impetus aut refrænatus: imò occasio nouo flagitio præbita: cùm enim milites, consumptis stipendiis, annona quam dissipauerant laborarent; diripiebant ij mercatores, qui in castra frumentum & alimenta inueherent; ita augebatur penuria, & fames ingruebat, mercatorum absentia; iámque frustra latrocinia erant, cùm nihil rapientibus præberetur; adeò in bello nihil pace ac tranquillitate molestius.

Damiatam vincentium vitia.

XXV. *Ludouici prima ad Massoram pugna.*

Iis incommodis laborantes Alphonsus erexit, qui sub Octobris finem aduenies, aduexit milites & commeatum. Statutum illicò vt ad expugnandam Ægyptiam Babylonem, quæ Cairus est, duceretur exercitus. Inter superiores moras Saraceni, dum Sultani filius expectatur, quem in Orientem

tem dimiserat Pater, Secedinum bellatorem fortissimum regno præfecerant: ille arcessitis ab Syriâ & Arabiâ copiis, ad alterum Nili ramum insederat, hostem transitu prohibiturus. Ludouicus incomperto vado, transitione frustra tentatâ, instituit in amne medio molem erigere, quâ in alteram ripam deductâ, sicco per vndas exercitum transportaret. Secedinus comperto consilio, omnem contra conatum intendere ne perficeretur; operas telis & sagittis conficere, machinis prouoluere saxa ingentia, Græcósque ignes iaculari, quibus obrueretur solum, incenderentur ligna & arbores, & ingratus labor disturbaretur. Sic abrupta moles, & transitûs spes, cùm Beduinus (ij Arabes inter Saracenos Hæretici, tum ipsis tum Christianis infensi, vt lucri fert opportunitas) Regi pecuniam pacto vadum amnis monstrat. Eo Francorum primi postquam in oppositam ripam proruperunt, obuios fundunt, tantóque impetu persequuntur, vt per vrbem Massoram simul cum fugientibus rapti, interuallo longo decurrerint. Agmen ducebat Robertus Artesiæ Comes Regis frater; fortissimo animo, sed audace & viribus præfidente. Hic dum regreditur ouans victoriâ, iter inconsultò per Massoram instituit. At Massorenses recepto ex trepidatione animo, nouum pugnandi genus vsurpabant; nam apertis portis, aditúque permisso, vicos & compita impedimentis obstruxerant; tum è fenestris, proiecturis ædium, planisque tectorum atriis, vim tantam saxorum, telorum, imbrium, trabiúmque proiiciunt, vt subiectos Francos mactauerint; nempe trecentos Equites, totidémque Templarios, ipsúmque Artesium Regis fratrem; & Rodulphum Coucyum, toto orbe gestis & fortitudine celeberrimum iusta temeritatis pœnâ, quæ abusa magnitudine animi, se in cæca pericula induit; sat partum gloriæ rata, si pereat. Interea Saracenorum exercitus in transmittentes Francos euocatus, solutis ingressos vadum ordinibus, plures trucidabat; donec Franci superato amne conscripserunt agminis formam; tunc dimicatum acerrimè, & præbitus fortitudini locus. Spectati in paucis Carolus Dux Andegauorum, Imbertus Belliiocensis Franciæ Comestabilis, Maluesinus, & Ioinuillius; sed spectabilis maximè virtus Regis, cui præ cæteris labor pugnæ & victoriæ laus adscripta. Præfulgebat galea aurea, coruscante dextra acinace, & supra totum agmen supereminens humeris, tum clauâ tum ferro hostes obtruncabat. Dixisses robur inditum cœlitus; committebat se in spississimam aciem, quò vincebant hostes aduolabat, nutantes Francos ope instaurabat; occurrebat in diuersissimis locis, & vbique præsens confidentiam suis, terrorem hostibus inferebat. Semel illum sex è Saracenis incluserant, iámque freno abducebant equum, cùm is ense fulmineo viam aperuit, his depulsis, illis trucidatis. Tot facinoribus inuenta victoria; & postquam Secedinus imperator hostium cæsus est, ipsi fugati sunt, occupata castra, & rapta spolia; quódque Francis gratissimum fuit, ingentes illæ machinæ, & pyrobolariæ fabricæ victoribus cesserunt. Ea iactura Saracenos plurimùm afficiebat; ipsáque nocte irruerunt in castra, vt reciperent machinas, sed repulsi fortiter nouâ ignominiâ primam cumularunt. Nec ideò animum aut spem abiecerunt; sed duce in demortui locum suffecto,

LVDOVICVS SANCTVS.

Roberti Artesij audacia & cades.

Raoul de Coucy.

Rex pugnãs.

LVDOVICVS SANCTVS.

cto, ad nouum prælium instruunt vires. Ille vt arte iam inflammatos accenderet, detractum Roberto Artesio sagum militare, (nam victores rapuerant spolia) sicut erat auto & margaritis illusum, in concione ostentat, affirmátque ereptum Regi interempto; *Trepidare iam Christianos, fugámque instruere; totum illorum robur in Rege positum; vere ipsum caput fuisse, quo resecto, corpus reliquum, vitá & animâ destitutum, in cadauer efflueret. Quare irruant fortes, castra & spolia sua recipiant, & necem sociorum vlciscantur in peremptoribus.* Rex de consilio per speculatores admonitus, aciem vniuersam in octo agmina distribuit, præter turmam quam ipse duceret. Sic per ea pugnatum fortunâ variâ. Primo agmine Carolus frater Saracenorum impetum tulit, ac vacillabat sub onere, nisi Regis ope recreatis incumbens viribus, tandem peruicisset. Pari exitu Guido Crimelinus & Balduinus frater, qui secundum agmen ducebant; Guido Castillionius, qui tertium; Maluesinus & Flandrensis Comes, qui quintum & sextum, Saracenos perfringunt, & in fugam pellunt. In quarto, septimo & octauo aduersam sortem Franci experti sunt. Siquidem Sonnatus Templariorum Magister, qui quartum agmen ex Equitibus suis conflauerat, altero oculo in transitu amnis orbatus, nunc vitam amittit, suis internecione deletis. Nec felicior Iosserandus Ranconius, cui septimum agmen commissum, ob partam gloriam bellique peritiam; qui tricesies septies victor iniitis præliis; nunc deserente fortunâ victus est, cæsusque grandinantibus ictibus. Alphonsum Pictauiensem, quem postrema acies sequebatur, calamitas afflixit propè par; nam interfectis in agmine suo fortissimis, abducebatur ab hostibus, cùm fortè laniorum & mercatorum turbâ occurrente ereptus est; ratis hostibus sepositos in pugnam milites, victisque facilius quòd se victoriæ securos crederent. Nihilominus victoria penes Regem fuit; post acertimam trium horarum dimicationem, terga vertunt hostes, persequente victore, & ingentem stragem inferente. Erárque debellatum hac palmâ, si Franci institissent, perculsis Ægyptiis tum clade tum metu, & passuris iugum quod imponeretur. Sed quoties malum id deplorabunt Annales, & victorem Annibalem in Francis exscribent.

Altera Regis pugna.

Iosserand de Rancon.

XXVI. Omnia hactenus magna fortitudine & felicitate pari processerant, nunc temeritas & imprudentia calamitatem arcessent ac infortunium. Ea primùm ex superbiâ orta & arrogantiâ; cùm duces geminatam victoriam sibi adscribunt, Deique atque humanarum rerum immemores, se inuictos prædicant, hostem spernunt, & pietatis obliti, in delicias & voluptates turpes reuoluuntur. Animaduertit luem piissimus Princeps, admonebátque identidem sibi vt cauerent. *Quid agimus, commilitones charissimi? detne pamus victoriam factis; eóne vicimus, vt in Deum auctorem victoriæ delinquamus? ea gratiarum actio, id beneficij monumentum, vt maleficia & iniurias rependamus? Nimirum hæc nostris armis, nostris viribus parta victoria? non Deo auctore & promotore quæsita est? Præstabat vinci, profligari, & cædi in acie, quàm criminibus victores pollui; intemerati & integri caderemus; nunc scelerum noxarúmque pleni supersumus, Deo infensi, diuinæque Iustitiæ scopus atque materia.*

Causa calamitatis Francorum.

Superbia,

ria. Hæc vniuersis & singulis Ludouicus, sed voluptas altiùs in animos penetrauerat, quàm vt auelli verbis & monitis posset. Mox superbia negligentiam peperit; quasi mediâ in Franciâ tranquilli agerent. Latè agros insternebant cadauera, ea cùm tumulare vel vrere oportuisset, labori vt parceretur, in proximum Nilum coniecta sunt; quo vno facto gemina pestis enata est. Cadauera secundo amne in pontem deuecta, primò quædam lintribus adhæserunt; tum nouis accedentibus emersérunt ex aquis, mox nouum pontem ad ligneum erexerunt; dein putrescentia æstu solis, aërem proximum tetris vaporibus corruperunt. Rex deprehensâ re seriùs, per conductas operas expediuit amnem pontémque, cadaueribus euolutis, & in profluentem eiectis, quæ Saracenorum forent, quæ Christianorum sepulchro conditis. Verùm in iis tractandis & permouendis, tantus erupit fœtor, tanta contagio, vt nullus euaserit contrectantium, quin lue vitam amiserit; & præter operas haud pauci accesserant, vt affines amicósve dignoscerent, & Christiano officio fungerentur. Dein pernicies altera ex iisdem cadaueribus Francos inuasit. Cùm enim quadragesimale ieiunium esset, piscibúsque milites vescerentur, ex alimento pestis incubuit, quippe pisces diu esca è cadaueribus raptâ, & vorati ipsi intemperantius toxicum immedicabile fuere vorantibus; crura ad tibiam exarescebant, cutis nigrescentibus maculis veneni indicibus pungebatur; os vlcere fœtido putrescebat; adnascebatur caro gingiuis quæ cibum arceret; postremáque calamitas, fluens naribus sanguis proximam mortem significabat. Accedebat fames tantis incommodis hoste inualescente, & commeatus intercipiente, vt exercitui præter virus & pestilentiam alimentum non esset. Eas ob res Ludouicus cum Melexala de pace agi patiebatur; is Sultani demortui filius, redux è Perside, vt gratum habuit compellari se de pace, ita in spem debellandi actus, abruptæ paci bellum antetulit. Rex ne hæreret in Libitinæ sacrario, versus Damiatam recessum indicit; & ægrotos nauigiis imponens, adiuncto præsidio, qui secundo amne deferrentur, ipse ponte vltra amnem reduxit exercitum. Et in eo peccatum præfectorum socordiâ, seu præcipiti metu; cùm præfestinantes negleserint pontem abrumpere, vt à Rege imperatum erat; patuítque persequentibus via quæ recedentibus. Ergo Saraceni in postremum agmen inuecti, clamore incondito magnóque impetu, morbis & fame inualidos adurgent. Gualterus Castillionius Eques fortissimus postremam aciem, Rex primam ducebat; qui tumultu percepto pugnantium, quanquam æger valetudine & absumptus curis, è primâ in postremam aciem reuolans, immissúsque pugnantibus, dextrâ & voce firmaturus suos; *Eia*, inquit, *Franci; eia Christiani; macti animis milites; ecce me charissimus vobis paratum commori; Eram incolumis primâ in acie, salutem abieci, vt quemlibet vestrum morti eripiam; certum est vos meo corpore tegere, præstabo saluos, aut vitam impendam: quanquam spes salutis est atque victoriæ; & idem Deus est per quem ter vicimus, hostes ijdem quos vicimus; Dei ope tuti ruamus in prælium, is obtendet scutum impenetrabile, & inexhaustas vires dextris sufficiet.* Simul irruebat in Barbaros, obuiósq; mactabat. Verùm obrutus turbâ periisset, iam

LVDOVICVS SANCTVS.

Negligentia.

Morbi.

Rex in recessu pugnat.

LVDOVICVS SANCTVS.

circa cæsis passim Nobilibus ; nisi duorum Equitum præclaro & immortali facinore raptus neci foret. Godefredus Serginius primus Regem texit obiecto corpore, exceptísque hostium telis, ipsum æstu, labore & ægritudine deiectum, Carelium in proximum vicum ad recipiendas vires abduxit. Alter Gualterius Castillionius, vt Regi tutum præstaret receptum, viam quà erat arctior occupat, vnúsque innumeris Barbarorum telis oppositus, dum vita supereſt irruentes arcet ; illi eminus telis sagittísque, hastis clauis & gladiis cominus premunt atque impellunt ; hic loco immotus infigitur, & accedentibus funestus identidem, sagittis tandem confossus, & cruore mille vulneribus erumpente, animam egit in iisdem viæ angustiis; & hostibus iter etiamnum mortuus præpediuit. Dignus quem Francia Græco Leonidæ, & Horatio Romano comparet ; nec eo infelicior, cùm vitam posuit ; quippe honesta mors, summa vitæ felicitas. Tunc Saraceni perfracto obice Carelium irrumpentes Regem capiunt, eiúsque fratres Alphonsum & Carolum ; & præcone quodam temerè proclamante, iussisse Regem vt arma ponerent, plures qui adhuc fortiter depugnabant, armis abiectis, dedidere se vinculis ; nec sors nauigiorum commodior, quæ in Sultani naues inciderunt ; ægris occisis, sanis in seruitutem seruatis : vt è victore nuper exercitu, ducibúsque fortissimis, nemo vnus nisi ad vincula supereſſet ; ita citò humana gloria defloreſcit, & captiuitatis eadem est quæ triumphi materia.

Godefroy de Sergines. Gautier de Chastillon.

Rex capitur. Anno 1249.

XXVII. *Margarita Damiatam seruat.*

Perditas res sustentabat quadantenus vna Damiata, quam Margarita Regis vxor tenebat ; erátque spes, tum vrbe reddenda, tum soluenda pecunia, quam immensam Regina custodiebat, captiuos nobiles redimi posse ab hostibus. At spem sua calamitas deturbabat. Vrbis præsidium ex Genuensibus & Pisanis constabat, qui auditâ clade, extemplò abscedere, sua committere nauibus, séque fugâ eripere, metu impellente constituunt. Tam præcipiti fugâ patebat vrbs Barbaris, pecunia regia, Reginaque ipsa prædæ erant. Nec eam proprius dolor patiebatur publicæ rei intendere ; nam præter acerbissimum sensum ex Regis vinculis & exercitus clade, imminente partu vexata cruciatibus, iacebat in lectulo, & ægra corpore simul animóque ; infirmum erat nutantibus rebus præsidium. Attamen, quæ in femina admirabilis fortitudo, dolores habuit in potestate, & aduertens salutis cardinem in Damiatâ seruandâ positum, Præfectos præsidij ad se euocauit, lectúmque circumstantes breui hac oratione affata est. *Regem, sponsum colendissimum, Proceréſque captos audiuistis. Ita est, Tribuni fortissimi ; nos hac Deus calamitate afflictos voluit. Quanquam supereſt naufragantibus anchora, & nisi animus simul cum re concidit, est quod fortunæ vulnus percuremus. Damiata supereſt integra, muri supersunt & propugnacula, erecta sunt validissima munimenta, & nisi nos socordia nostra deficimus, tegunt etiamnum. & propellunt impetum hostium. Imo salutem Regis Procerúmque constituunt ; & pretium tot illustrium capitum muri repræsentant. Attamen trepidare militem audio, & fugam instruere ; quasi præter vrbem vlla spes superet, & occurrat nauigiis salus, quam intra munimenta reliquerint. Qua malùm illa amentia, & præposterum salutis studium, deserere instructissimam ciuitatem, arma proijcere, ac in*

Margarita oratio.

ipsam

ipſam mortem irruere ? quaſi Sultani naues non impleuerint Nilum, non occupauerint oſtia, non obſederint mare ; aut aliud ſit hoſtium votum, quàm nos deſerere munimenta, metum concipere, fugam apparare, & in perniciem certam incurrere ? Ego femina, & natura mollitudine ad timorem facta, hic attamen perſto, gnara timori nihil ſecuritate commodius, & periculum quod vltrò arceſſitur, ineptè metui. Potui ad nuntium cladis, prima omnium, deportata mecum pecunia naui aufugere ; potui vos turbatiſſimis rebus deſerere : niſi ſpes in retinenda vrbe effulſiſſet, & veſtris animis plus meſſe roboris credidiſſem quàm nauibus. Quare per acerbiſſimum dolorem apprecor, per animi corporiſque dictos cruciatus, per vincti Regis proximam libertatem, erigite militum animos, inſtaurate ad defenſionem vrbis tutiſſimæ, portas claudant, ſtent intra munitiones, tueantur ſe propugnaculis, muros hoſti obyciant : imo ſomnum ſecuri capiant, ſat ad vincendum ſi ſe incluſerint. Vobis porro quæ gloria, qui fama ſplendor, quæ nominis apud poſteros dignitas, cùm Regem Franciæ raptum è vinculis, regno reſtitutum : cum tot Proceres è telo ſeruatos, veſtræ fortitudini debebit Europa ; cùm vos grauiſſimam fortunæ noxam emendabitis animi robore, laudem æternam conſequuturi in poſteris. Ita Regina Præfectos adhortata ; vt excuſationem omnem abſcinderet, promiſit ſe ſuppeditaturam quidquid annonæ militum opus foret, & largituram Præfectis quantùm repoſcerent. Sic pudore metum profligante, Præfecti ad cuſtodiam vrbis perſuaſi. Præbuitque tam largè Regina quod promiſerat, vt impenſæ in præſidium factæ trecenta ſexaginta librarum millia exhauſerint ; cùm quadringentis millibus capti redempti ſint ; Præfectis æquâ parte cum Barbaris theſauros regios diuidentibus. Sed prudentiſſima mulier haud parcebat pecuniæ ; lucrum tata eam perdere, quæ Regem ſeruaret. Filium in ea calamitatum ſerie peperit, quem Triſtanum quaſi luctus & triſtitiæ partum appellauit. Regem interea calamitas erigebat, & quamvis vinctum, etipiebat victoriæ. Primò ſatis humaniter habitus eſt, dum valetudinem recipit ; deinde barbare & crudeliter tormenta interminante Sultano, quibus conſtantiam viri infringeret ; & Rex immotus, admirationem virtutis peperit. Quam auxit ingenuo contemptu pecuniæ ; cùm enim Sultanus in pretium redemptionis Damiatam vrbem & quingenta librarum millia à Rege poſceret ; ille de tanto pretio haud quaquam litigans, cùm vltrò conditionem admitteret ; demiratus Sultanus in captiuo liberalitatem, & reputans eum ſupra humana eſſe quem cupiditas auri non vinceret, nec ipſe vinci omninò voluit ; *Per Mahometum*, inquit, *verè Francus ſummus eſt, at cùm exiſtimauit dedecere amplitudinem ſuam de tanto pretio litigare, ego quintam partem illi remitto.* Quod & præſtitit. Adeò ſuus virtuti triumphus eſt, & auguſtiſſima inter vincula dignitas : ite auari, & pecuniæ parcite, quæ virtutis in manibus largitionibus creſcit. Hoc pretio fœdus contractum eſt, quo Franci nobiles redimerentur ; nec pretium libertati ſuæ conſtitui Rex vllum paſſus eſt, affirmans ſupra omne pretium Regem Franciæ eſſe. Ad libertatem comparatis omnibus, Sultani cædes prima conſilia perturbauit. Ille Emiris hoc eſt Satrapis ſuis inuiſus, quod eorum munera nouis hominibus impertiret, eorumdem coniuratione, alligatis crimini Mammalucis, ſecuritate ſummâ

Regis conſtantia & virtutes captæ.

LVDOVICVS SANCTVS.

perimitur : captiuo in vinculis tuto, dum victor in solio trucidatur ; tam incerta rerum humanarum est series. Hac mutatione euersum iri fœdus videbatur, quomodo enim Emiri Sultani starent arbitrio, quem è viuis modò sustulerant ? tamen nihilominus rapti admirabilitate virtutum, Regi imperium deferebant ; & hæc sententia valuisset, nisi religioni suæ pertimerent. Ita instauratum fœdus, iuratæ in decennium induciæ ; Réxque cum Proceribus liberatus, Alphonso fratre in obsidem dato : præbitúmque à Rege specimen geminum, tum religionis, tum in barbaros fidei. Nam in iurandâ pace, cùm Saraceni per execranda Sacramenta fidem adstrinxissent, recusauit Rex iusiurandum insolitum vsurpare, quo pietas lædebatur : & numeratâ pecuniâ, redditóque Alphonso, admonitus Barbaros in numerando deceptos, & detracta decem librarum millia, continuò eam pecuniam transmisit, quanquam ipsi ex pactis plurima violassent. Ita Rex Damiatâ redditâ, consensis nauibus cum fratribus Ptolemaïdem vectus est, augustior & admirabilior à calamitate, adeò Christiano fortuna lusus est, & quæ impiis scopulus, piis amplitudinis gradus est ac stabilimentum.

Sultani cades.

Rex liberatur.

XXVIII.

Rex perstat in Syria.

Postquam Rex omnium gratulatione Ptolemaïdem venit, vxorémque charissimam pro amore mutuo salutauit, illicò nouo doloris sensu afficitur. Plerique Proceres vno de reditu cogitant, & longioris pertæsi absentiæ, vnam habent in votis patriam. Iam Comes Flandriæ ac Dux Britanniæ rectà in Galliam soluerant, Regis fratres vrgebant reditum pertinaciter, ipsíque Regi suam sententiam suadebant. *Sat erumnarum & miseriarum perpessos ; sat fortitudini datum & religioni ; dandum spatium instaurandis viribus ; è tanto exercitu quid superst ? pauci admodùm, agri, afflicti, rerum omnium inopes, & agrè nouis vinculis pares ; quid hac infirmitate tentari, nedum confici possit ? an non præstet regredi in patriam, vires reficere, & nouam instruere, si res ferat, expeditionem ?* Iis Rex vnam Christianorum calamitatem opponebat, se in eorum opem bellum suscepisse, plerosque adhuc in vinculis agere, conatum omnem adhibiturum se vt subleuarentur. Preces & obsecrationes adiungebat, quibus cùm fratres ab discessu arcere non posset, vt proficiscerentur honestius, eos in Franciam misit, in speciem vt tranquillitati regni consulerent ; ipsorum culpam prudentiâ suâ & patientiâ imminuens, an augens : cæteros precibus & auctoritate continuit. Illic imminutis copiis cùm nequiret parare ingentia, pietate & liberalitate Christianis plurimùm commodauit. Primùm pecuniam benignè largiendo, Palæstinorum inopiam subleuabat, redimebat captiuos, instaurabat templa sacráque Reliquias inquirebat. Tum à Sultano Damasci appellatus de fœdere in Emiros Ægyptios contrahendo, renuntiauit Emiris, an iuratæ paci stare vellent : illi ne geminum hostem euocarent, stare velle respondent, ac Legato regio quidquid reposcceret largiuntur ; nimirum ducentos Nobiles quos nondum emiserant, & ducenta librarum millia nedum persoluta, ac Christianorum capita, quæ in trophæi speciem Cayri muris affixerant, passi sunt detrahi. Ita lex à victo data vincentibus. Verùm postea conciliato cum Emiris Damasci Sultano, prohibitus Rex promouere arma vlterius, & præter quasdam arces & oppida instaurata, ad prima religionis munera reuocatus.

Quid in Syria egerit.

uocatus. In quibus vnum dignum Historia ; quòd equitando cùm in Christianorum cadauera incurrisset , quos in prælio nuper inito Saraceni peremerant ; piissimus Rex equo exscendens , ad ea tumulanda sese accinxerit , primúsque cadauer regiis humeris imposuerit ; pium facinus hoc verbo commendans ; *fratres mei sitis mihi auxilio , ad Martyres Christi sepeliendos* ; modestiâ simul & charitate prælucens. Et nouo mœrore profligatus est insuper, spectaculo trecentorum Nobilium , quos orbatos oculis Saraceni dimiserant ; iisque postmodùm reuersus in Franciam Nosocomium Parisiis condidit, quod hactenus perstat ; dictum à numero vicies quindecies repetito ; in regiæ pietatis & Christianæ patientiæ monumentum, quanquam causa de excæcatis incerta est , certa tamen regia liberalitate. Sed obseruanda in paucis Assassinorum Principis ad Regem legatio. Ad vrbem Tyrum celeberrimam vetustate, regio est angusta admodùm , excelsis montibus circumsepta ; in præruptis montium iugis castella decem posita sunt, quæ nidos dixeris rupi affixos ; at vbi iuga se in valles demittunt, agri amœnissimi, prata vernantia, limpidi fontes, susurrantes riui, ligna frugifera , cœlúmque mitissimum, locum constituunt ad voluptatem omnem percommodum. Terræ hunc angulum Beduini insederant , Mahometani quidem , sed magno à Saracenis dissensu , ortu Arabes , & appellatione Arsacidæ siue Assassini. Ij Principi vni obtemperabant quem ob prudentiam & auctoritatem nuncupabant Montis Seniorem. Diu ille quantumuis inter angustias illas coniectus , in proximos remotósque Principes imperium siue tyrannidem vsurpauerat , missis cùm libuisset sicariis , qui designatos conficerent ; vnde Europæ vniuersæ terribilis, imperabat regnantibus , exigebat tributa , pro exercitu homulum vnum alterúme immittens. Porrò suos ad omne nefas arte comparabat , nam infantes ad singularum gentium mores, vsum, linguam , vestem , instituebat perquam accuratè ; iam puberes & grandiores ætate in hortos illos ad delicias consitos deducebat, permisso & quæsito quidquid voluptas ad blandiendum sensibus donat ; arcessitis etiam per artem Magicam oculorum ludibriis visísque mendacibus ; præceptoribus identidem in teneros animos insinuantibus , has voluptates vmbras esse tantùm & primam delineationem earum , quas ipsorum Princeps in alteram vitam appararet, si fortè præsentem in obsequio præstando impenderent ; ad quas obtinendas mors gradus foret , & optatissimus aditus. Ita institutos , & in mortis non contemptum modò sed cupiditatem incensos , proiectos alebat in quoduis facinus ; vltrò Sicariis vitam ponentibus , quam crederent transituram in securum & interminabilem voluptatum vsum. Qui tunc imperabat , Ludouicum de quo tam præclara audierat , per Legatos conuenit , minatúrque exitium præsens, nisi tributum cæterorum instar qui sceptra tractarent, exigenti pendat. Rex intrepidus minas minis pro tributo rependit , iubétque Legatos referre Principi , nisi statim ob temerariam legationem excuset se , & commodioribus verbis se expurget, pœnæ comparet se, visurus intra suas arces, qui merita supplicia pro flagitiis exigat. Princeps hac fortitudine animi territus , per Legatos Regi se excusat , additis pretiosissimis donis ; quibus sua

LVDOVICVS SANCTVS.

Hospital des quinzevints.

Rex Assassinorum , eiusque legatio.

LVDOVICVS SANCTVS. XXIX.

etiam Ludouicus rependit; ingenti periculo magnitudine animi superato; adeò vitam nihil custodit intentius quàm eius contemptus. Sed diu est quod Franciam viduatam Rege stylus deseruit.

Pastorum in Francia tumultus.

In ea post auditam Regis captiuitatem, Rusticorum turbæ tumultum difficilem concitauerant. Plurimi in diuersis prouinciis, primùm quidem non improbando consilio, abiecto vomere conueniebant, vt signati Cruce ad liberandum Regem in Orientem proficiscerentur. Tubicen omnium & dux Monachus quidam Apostata, Hongrius nomine qui se missum cœlitus ad id nouum munus prædicabat. Proba quidem voluntas plebis inconditæ, sed statim effectu praua, & in regni detrimentum conuersa: quippe corrupti homines & deteriorum cupidi, quibus Francia haud vsquam caruit, Pastoribus illis immisti, bonam mentem detorquent in pessima, & corruptos etiam veneficiis animos, flagitiis sceleribusque contaminant. Momento Francia intestino flagrat incendio; pagi & municipia à Pastoribus occupantur, prædantium furorem vix vrbes excludunt; in templa maximè & Sacerdotes debacchatur insana rabies; Aureliani præsertim, ministri altarium omnes cæsi, templa direpta, pérque omnes ordines furor grassatus est. Blanca ad compescendam insaniam laborabat; primùm industriâ, si furentes indulgentia sanaret; mox armis, ferro ad insanabilem plagam admoto: quo demùm tumultus oppressus est; octo Rusticorum milibus apud Bituriges cæsis; reliqui vel in supplicium rapti, vel clam dilapsi, & aratro redditi, sociorũ pœnâ sapuerunt in posterum. Alter præterea ingeniorum tumultus Blancam exercuit, Dominicanos inter & Parisiensem Vniuersitatem; illis Doctorũ cathedras in Vniuersitate vt par erat, in doctrinæ sedem & præmium efflagitantibus; quibus tãdem Reginæ gratiâ post plurimam altercationem potiti sunt; Guillelmo de Sancto Amore in Dominicanos acerrimè contendente. Inter has curas Blãca amoris desiderio vitã deposuit; nam cùm accepisset Regem, quod haud verum erat, voto se obstrinxisse diuturnioris moræ in Palæstinâ, amantissima mater dolore ob absentiam filij contabescens, quanquam haberet reduces Alfonsum & Carolum, febrim contraxit, quâ emortua est sexagesimo tertio vitæ anno. Præclarissima regendi artibus mulier, digna quæ sanctitate Regem imbueret; cuius vox illa est, omni apophtegmate clarior. *Vide, fili mi, malim te mortuum, quàm lethali culpâ infectum spectare*; quâ admonitione, in puero peccati odium capitale, & eum amorem excitauit virtutis, vt inde vir postea cõfirmatus sit, qualẽ colit posteritas. Eadem imperij paulò cupidior existimata est; nam & coniugi sic adhærebat, vt vel in castris sub eodem tabernaculo ageret, & Regẽ filium nec cum vxore versari sineret; nisi solliciti amoris hæc fuerint. Sanè imperio tam egregiè vsa est, vt in laudẽ sit, illud ambiuisse. Alfonsus interea regni administrationẽ suscepit. Matris interitus Ludouico reditũ in patriam persuasit, ac tametsi piissimus Princeps ægrè auellebatur ab regione charissima, tamen cura regni sollicitante, quod euocabat Rectorẽ, se lentè cõparauit ad reditũ. Instructis omnibus, magnam copiarũ partem, multámq; pecuniam Godefredo Serginio tradidit, claro fortitudine & prudẽtiâ Duci, qui Christianã rem tueretur, & Saracenum repelleret; ipse in nauim cõscendit, & ad Ieram Prouinciæ Phocẽsis insulã appulit.

Dominicani in Vniuersitatem admissi.

Blãca obitus Anno 1251.

Regis in Franciam reditus.

lit. In nauigando cùm in arenariâ molem nauis impegisset, & carinæ trabe altè perfractâ, Rex transire in aliam vrgeretur, ad vitandum periculum, abscedere renuit; quippe, inquit: *ceteris iuxta ac mihi sua pretio salus est, si hanc nauim deseram quid septingentis vectoribus fiet, qui in eam meis auspicijs inscenderunt? præstat cum eis periclitari, quàm ventis & fluctibus derelictos permittere.* Sic fracta naui incolumes euecti sunt, bis seruati; tum charitate Principis ne desererentur, tum diuinâ in eum curâ, tuti in quassato nauigio. LVDOVICVS SANCTVS.

XXX.

Rex Flandriam pacat. Burcard d'Auesnes.

Regem regno redditum turbæ Flandricæ statim implicarunt, Vnius fœminæ intemperantia causam malo geminatam ediderat. Illa Margareta Ioannæ Comitissæ sine liberis mortuæ soror atque heres, quæ primâ ætate Burcardo Auenensi tutori suo nupta, duos ab eo mares susceperat, Ioannem & Balduinum: verùm cùm Burcardus sacris ordinibus initiatus foret, soluto coniugio iussu Pontificis, Margareta nouum contraxerat cum Guillelmo Dampetrio nobili quodam Campano, à quo pariter tres liberos genuit, Guillelmum, Guidonem, & Ioannem. Dampetrio mortuo continuò lis inter fratres exoritur, & quanquam Rex constitutus Iudex, Flandriam secundò genitis assignasset, matre legitimos vt dicebat spuriis anteferente, & primò natis concessisset Hannoniam, eâ pœnâ vt Leo quem in insignibus præferebant, linguâ & vnguibus truncaretur, quod natu maximus intemperantius matrem meretricem dixisset; attamen primogeniti obnitebantur sententiæ, & Rege in Palæstinam profecto, in vterinos fratres bellum excitarant. Guillelmus vterinorum maximus cum Rege discessérat, in Guidonem fratrem Burcardi filij arma commouerunt, Guillelmo Holandiæ Comite fœderato; cuius ope Guido victus & captus est, & obnoxia victori Flandria. Margareta, noua liberis inter se pugnantibus Iocasta, Reginam regnique Proceres appellauit; quibus auxilia ministrantibus, internecino grauissimóque bello discerpta est Flandria, quandiu Rex in Palæstinâ distentus est. Is nunc regressus Burcardi filiis diem dicit, vt de gesto bello rationem redderent, ac Guidonem captum restituerent libertati. Illi cùm obsequi detrectarent; nempe angebat animos Guillelmus Holandus, nuper Friderico mortuo ad Imperium euectus; Rex Carolo fratri committit exercitum, quo rebelles in officium cogerentur. Et verò victi sunt, ipsáque Hannonia præda victoribus fuit. Nec ideò bellum extinctum est, Guillelmo Imperatore rebelles fouente, & Guidonẽ adhuc in vinculis retinente. Quamobrem Ludouicus rem transacturus beneuolè in Flandriam venit, scripsítque ad Guillelmum amicas litteras eâ de re; quibus ille intumescens, ducto exercitu in Flandriam ruit. Sed continuò mutatâ sententiâ, vertit in Frisios, qui excusso obsequio rebellauerant, à quibus commisso prælio victus & cæsus est; vt qui rebelles fouebat contumaciter, à rebellibus necaretur, & periret ferro quod exacuisset. Eius filius captiuum reddidit; ita Flandriæ restituta pax, & Hannoniam Burcardi liberis clementia Regis redonauit. Exemplum iustitiæ sequutum est illicò temperantiæ specimen. Henricus Rex Angliæ post repressam Vasconiam flagitauerat à Ludouico regressum per Franciam, & Rege indulgente magnâ celebritate excipiebatur. Parisiis præsertim magnificentia Regis exhibita, Anglo per dies plusculos perhonorificè

De Dãpiere.

Rex cum Anglo pacem contrahit.

LVDOVICVS SANCTVS.

norificè habito. Eo loco Ludouici verba adscribit Anglus scriptor Paririus, quæ ego si omiserim, in pietatem Regis præuaricer; nam cùm hic familiariter cum Henrico colloqueretur de expeditione sacrâ quam obiuerat nuper, in has voces prorupit; *Amice mi Rex, quantas ærumnas corpore animóque pertulerim, quandiu pro Christi amore peregrinatus sum, vix vllus sermo exponeret. Omnia mihi aduersa, ipsa etiam prospera, contigerunt: nec minus Deo altissimo gratias retuli. Imò ad meipsum meditatione reuersus, & in mentis penetralia reuocatus, magis gaudeo de patientiâ, quam mihi Deus tot inter mala largitus est, quàm si orbem vniuersum armis profligassem.* Hic sanctissimi Regis admirabilis sermo, triumphantium laureis curribúsque tantò est præstantior; quantò sublimius, terram despicere, cœlum & cœlestia sapere. Ibidem pax ab vtroque Rege sancita est; magnâ Franci gloriâ, Angli compendio. Siquidem Ludouicus cupidus restinguendi belli perpetui, quo duæ gentes ab tanto tempore conflagrabant, & fortassè conscientiæ scrupulo, Henrico prouincias multas largitus est: nempe Lemouices, Cadurcos, & Petrocorios; præterea si Alfonsus sine liberis obiret, Aginnates & Santones. Enimuerò pace in præsentia firmâ & certâ, sed nutante in posterum atque effringendâ; cùm hosti animus ad insurgendum, atque arma ad bellum hinc sufficerentur. Et obseruatum est eâ solâ re optimum Regem discessisse à Consilij sui sententiâ, cui alioquin perlibenter assentiebatur. Hac iacturâ redemptus est honor; quandoquidem Anglus Regi Franco se clientem deditium palam professus est. Instauratum est aliquantò post gaudium publicum, affinitate inter Ludouicum & Iacobum Aragoniæ Regem contractâ, quâ Isabella Aragouij filia Philippo Regis primogenito data est nuptui, & ad pacem conciliandam iura inuicem donata; Aragonio quidquid iuris in Catalauniam Franco esset; huic vicissim, quod Aragonio Nemausi, Carcassone & Biterris competeret. Ita heredi pacem vndecumque Rex stabiliebat, inde maximè vnde bellum difficillimum erat oriturum. Porrò huius semina in fratris Caroli nouo regno iacta, cuius primordia accuratè texenda sunt; cùm hinc bellorum moles incubuerit Franciæ, Neapoli sæpe sub stylum vocandâ.

Regis in Deũ amor.

Anno 1255.

Anno 1262.

XXXI. *Sicilia donata Carolo Andegauo.*

Friderico acerbissimo Pontificum hoste Tarenti mortuo, Conradus filius aditâ hereditate Imperium & Siciliæ regnum appetebat. Deiectus Imperio curâ Pontificum, cùm Siciliæ regnum vsurpasset (in eo recensebatur Neapolis, & quod modò Neapolitanum regnum constituit) à Manfredo fratre spurio, veneno peremptus, vt creditur, Conradino filio etiamnum puero, spem regni bellúmque ingens dimisit. At Manfredus patratâ cæde Neapolim aduolans, rumore sparso de obitu Conradini, regnum in fratricidij præmium comparat; ac statim firmitatem daturus potentiæ, Constantiam maiorem filiam Petro Aragonio Iacobi filio collocat; militémque adscisçit, etiam ab Africâ Saracenos, quibus Luceriam commendat munitissimam vrbem; animúmque, quod peius est, in eorum consuetudinem immersus, penitus tradit. Alexander Pontifex eo nomine IV. successor Innocentij; cùm spectaret Friderico sublato, adeò pestem Ecclesiæ non extinctam, vt exsurgeret noua pernicioſior, & perstare in regno

Sueuæ

Sueuæ gentis ſpurium, hoc eſt teterrimam vomicam, ſtatuit eam omnino perdere, & carcinoma ſerpens reſecare. Eam in rem cùm arma Eccleſiæ non ſatis pollerent, ad regnum Anglicum ſe conuertit, quod iam Pontificis ſtipendiarium erat, atque Edmundo Henrici Regis ſecundò genito regnum Siciliæ donat, quod paternâ ope armiſque Anglicis occuparet, & Manfredo pulſo mancipatum Eccleſiæ obtineret. Verùm Henricus diuexatus bellis ciuilibus, de alieno cogitare non potuit, qui ſuo ſemel iterúmque deiectus, vnâ Ludouici ſolicitudine atque prudentiâ, ſuo tandem ſolio reſtitutus eſt. Vitam interea Alexander amiſerat, ſucceſſerat Vrbanus IV. qui ex humillimâ ſorte ingentes animos in tiaram ferens, ſpe irritâ Angli ſubſidij, ſe ad Francos confert; Francus & ipſe natalibus, ortus in Occitania; visúſque eſt Carolus Regis frater, aptus qui regni voto arduum bellum ſuſciperet; nam ipſum Regem ſtudium tranquillitatis, & ſua ſanctiſſimi animi temperantia, ab eiuſmodi bellis auocabant. Contrâ incitabant Carolum plura. Indoles Martia, quieti infenſa, armorum cupidior; ambitio regno par, quæ Andegauorum anguſtis terminis non concluderetur; Beatrix vxor, Reginæ titulum flagrantiſſimè ambiens, quippe tres ſorores nupſerant Regibus, vrebátque muliebrem animum æmulatio tanti faſtigij, & videbatur Phocenſis Prouincia ad Italicam expeditionem percommoda, mari admota, & portubus frequens, vnde exercitus bellíque inſtrumenta ventorum beneficio facilè tranſportari in hoſticum poſſent. Præterea magna fama gloriæ Maſſilienſes Carolus nuper domuerat. Etenim illi iampridem indomiti, & in Dominum peruicaces, iugo excuſſo præſidium internecione deleuerant, Carolum iuxtà ac Berengarium haberi poſſe ludibrio rati. Sed rebelles Carolus arctâ obſidione quà mari quà terrâ cinctos ad deditionem coëgit, ac ſupplicio principum, metum in poſterum reliquis & ſibi ſecuritatem peperit. Eas igitur ob cauſas appellatus eſt Carolus, facilémque aſſenſum ob eaſdem is præbuit. Rex primùm quidem hærebat ambiguus, ac memor repulſi quondam Imperij, auerſabatur eiuſmodi regnum; at deinde aſſenſit, ne videretur in Pontificem rogantem durior, aut inuidere incremento fratris; quem etiam foras emittere non moleſtè ferret, haſtiludiis & ſimilibus pugnantium ſcenis agitantem Nobiles, & paci infenſum, quam vnicè Rex optimus procurabat. Attamen conſenſu magis quàm ope rem ipſam promouit, vt veram mentem facto aperiret; fratri indulgens quod ipſe renueret; quaſi vaticinaretur ſanctiſſimus Princeps, futuram poſteris ſuis malorum fontem Neapolim, & ſementem calamitatum feracem. Hæc dum Vrbanus ageret, morte præreptus eſt; nec Clemens IV. ſucceſſor omiſit conſilium, imò vrgens vehementius rem tandem confecit. Itaque valido exercitu ex Andegauis & Phocenſibus ſuis contracto, vxore mundum muliebrem ad inſtruendum militem diuendente, mari Carolus Oſtiam appulſus, Romæ Senatoriâ dignitate ornatus, inauguratur Siciliæ Rex, vltra Pharum ac citra patentis, eiuſdémque regni clientelam Pontifici iurat,

LVDOVICVS SANCTVS.

Carolus in regnum vocatus.

La Prouence.

Maſſilienſes domiti à Carolo.

Rex aſſentitur.

Carolus in Italia.

LVDOVICVS SANCTVS.

rat, persoluendis in singulos annos octonis millibus vnciarum auri, & equo candido; pollicitus præterea fore vt abstineret à dignitate Imperatoris, nec vnquam Imperio regnum adiungeret. Tum receptis terrestri itinere legionibus, quas Guido ex Flandris suis conscripserat, ducebátque Gillonius Brunus, Comestabilis Franciæ, veteranus miles à Rege in belli regimen designatus; versus Campaniam tendit. Eum perpetuus felicitatis tenor deduxit; siquidem Lirim amnem, munimenta Casertino Comite deserente, cuius vxori vim Manfredus intulerat, transmisit; castrum sancti Germani, situ, operibus, atque præsidio, longè validissimum, leui operà cæsis propugnatoribus expugnauit: victorémque exercitum ad Manfredi castra in Beneuentanis agris admouit. Manfredus integro milite ac frequenti videbatur superior: attamen Carolus suadente Bruno Comestabili pugnam capessiit. Quippe Brunus peritissimus rei militaris, qui sub tabernaculis incanuerat, affirmabat, *pugnam aggredientium esse; quæri Coronam à Carolo, non expectandum donec ab hoste vltro deferatur, eripiendam esse defendenti, nec eripi posse nisi à pugnante eodémque victore. In hostico pugnare contra Carolum singula, sola cunctatione ipsum periturum, spem non regni modò sed salutis, in prælio positam atque victoria.* Ita confectum prælium, anceps admodùm & periculosum, quo prostratus equo diu de salute laborauit Carolus, ac tandem victor cæso Manfredo reliquos hostes fudit fugauitque. Neapoli exceptus, Neapolitani regni primordia posuit, cui tunc adiuncta Sicilia, mox abrumpenda, & subiit in curarum ingentium molem, postmodùm doctus quanta mala Coronæ orbis includeret. Regnum Ierosolymitanum annexum est Siculo, quoniam Fridericus vtriusque titulum præferebat, quasi vni Regno sat turbarum non foret. Quæ deinceps sequuta sunt, Conradini motum, pugnam, & necem, variósque noui Principis casus, narrant quibus ea Sparta contigit, ego abstineo alieno, meæ Gentis damno aliquantò post in eandem orbitam reuocandus.

Gilon le Brun.

Manfredum vincit.

Anno 1266.

XXXII.

Regis virtutes publicæ & priuatæ.

Iuuat interea in Ludouico tantisper hærere, & virtutes Sanctissimi Principis adumbrare vel leuiter; nec in Historiæ leges peccauero, dum regnandi legem, & regnantibus formam sanctitudinis exemplo describam. Postquam restinxit bella ciuilia, externisque fomitem omnem amouit, ad vnum pacis studium sese adhibuit; porrò ad veram pacem atque sinceram, quam virtutes facerent, non ad spuriam illam & adulterinam, quæ vitiis & voluptatibus sese immergeret. Eam ob rem Iustitiam induxit, vitia relegauit. Ius dicebat ipse accuratè, tam inopi promptus quàm diuiti, explorabat rem diligenter, suauiter attendebat dicentibus, & æquum, nihil cunctatus, pronuntiabat. Parisiis in hortum prodibat, modesto habitu & infra Principem, explicatis insidebat tapetibus, pomeridianis horis causas disceptando: æstate ad Vicennium saltum sæpissimè ibat, & ad quercum familiariter assidens, aduocatis iuxta Proceribus, admittebat singulos quibus negotium esset; ac præconem agens, clamabat, accederet si cui lis foret: in otio, lusu & ambulacro, Themidis solium sacrariúmque constituens. Potentes nullo discrimine si peccassent in pœnam vocabat. Enguer-

Enguerrand de Coucy.

ranus.

ranus Coucyus è stirpe regia, omnibúsque regni proceribus consanguineus, ægerrimè vitâ donatus est, omni Principum cœtu deprecante, constituente supplicium Rege, quod tres adolescentes in venatu deprehensos suspendi iussisset. Idem Rex iustitiam exigebat ab aliis, delectu iudicum exquisito, nullisque curis parcens ne peccarent, & si forte delinquerent vt corrigerentur. Promulgatis legibus radices scelerum resecabat: blasphemas in Deum voces acerbè plexuit; aleam interdixit, ganeas & lupanaria vetuit; duella seu priuata certamina, luem iam inde grassantem in Franciâ, penitus sustulit; tantúmque perfecit solicitudine, vt exterminatis litigantium tricis atque calumniis, æquum iustúmque regnaret, nudáque veritas refulgeret in tribunalibus. Iam erga Deum hominésque magnificus, largiebatur opes impensè: templa, cœnobia, & xenodochia plurima condidit; longam eorum seriem Annales referunt. Sanctam Ædiculam adamauit in paucis, quàm ad Palatium regium ædificauit, locupletauit reditibus; instruxit Lipsanis toto orbe conquisitis immenso pretio, iis maximè quæ ad Christi patientis necem attinerent; nam circa illam afficiebatur mirificè; contraxerátque eum in locum, coronam spineam, spongiam sitienti oblatam, lanceam, crucísque adorandæ fragmentum; quæ Christi Domini mors consecrauerat. Liberalis in milites, quorum fortitudinem auro rependebat; in Comitiis Procerum, Regibus excipiendis, fratrum nepotúmque coniugiis, regiam pompam magnificentissimus exhibebat; gnarus virtutes coniugari inter se, nec priuatæ modestiæ obesse munificentiam publicam. Tametsi erat ad bellicas artes procliui indole; tamen litteras & litteratos homines coluit; Historiæ amantissimus, quæ vera Principum schola, Vincentium Bellouacensem iussit historiam scribere quam tractamus. Parisiensem Vniuersitatem arctè amplexus est, affirmare solitus, se passurum tolli è regno mediam facultatum partem, potius quàm Vniuersitatem Parisiis; debétque totus orbis eius curis Sorbonæ Collegium; quod Robertus Sorbonus instituit, Cameracensis primùm Canonicus, mox Parisiensis, liberalitate Regis, quem confitentem audiebat, opes nactus, quas in præclarissimam rem impenderet. Iam ad Christianas virtutes infra dignitatem regiam longè incubuit; nisi tamen est maximus, qui infra fastigium se dimittit. Grauiori delicto nusquam se implicuit. Zelum in Deum sacra expeditio, vitæque clausula, luculentè docent; semel adstans baptismi ceremoniis, legatis Tunetani Regis spectantibus dixit; *Regi vestro renuntiate, me libenter quod vitæ superest in obscuro carcere acturum, onustum ferro mersúmque tenebris, modo ipse eiúsque subditi lauacro sacro eluerentur.* In pauperes totum se charitate mirificâ profundebat; eorum plures habebat in comitatu quos aleret, maiori numero diebus festis; iis cibos regios manibus regiis ministrabat, nudo plerumque capite; iisdem detergebat lutum è pedibus, curabat vlcera saniosa, & leprosis alimentum in os ingerebat; egenis toto regno latentibus, quos inquirebat sagaciter, submministrabat pecuniam, tanto sumptu, vt consiliarij conquererentur; nescij quantùm in iis largitionibus lucri esset. Tantâ morum innocentiâ

LVDOVICVS SANCTVS.

Sainte Chapelle.

LVDOVICVS SANCTVS.

sæuiebat in se asperrimè ; catenis ferreis vltrò vapulans verberanti humeros subiiciebat, cilicio carnem perdomabat, vexabátque ieiuniis ; vt sanctum diceres, mores si spectares ; reum, si duritiem quâ secum agebat. In curandis strumis seu scrophulis signum Crucis primus adhibuit, præmisitque ieiunia, preces, & Sacramenta sanctissima, ad patrationem miraculi, quod Franciæ Regibus admirabilitate perpetuâ Deus condonauit. Hæc è multis pauca delibasse suffecerit ; quibus sanctitudinem assequebatur Rex optimus, superisque & mortalibus iuxta charissimus, comparabat regnum nusquam desiturum.

HISTO

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER NONVS.

SYNOPSIS.

Ludouicus apparat ſacrum bellum. Expeditio Regis in Africam. Tuneti obſidio. Regis morbus, & mors. Philippus Audax Rex. Caroli in Africam aduentus. Saraceni victi. Pax cum Saracenis. Francorum naufragium. Principum funera. Regis in Franciam reditus. Motus in Aquitania. Concilium Lugdunenſe ſecundum. Nauarræ regnum. Campanus Nauarræ Rex. Pompelo capta. Bellum cum Hiſpano. Broſſij fortuna & calamitas. Veſperas Siculas quæ præceſſerint. Veſperæ Siculæ. Bellum Aragonium. Gerundæ obſidio. Regis in Franciam reditus, & mors. Philippus Pulcher Rex. Bellum Anglicum primum cum Eduardo. Bellum in Aquitania. Bellum cum Flandro. Pugna Furnenſis. Turbæ Regis cum Bonifacio. Bellum renouatum in Flandros. Flandriæ Comes ſe Valeſio tradit. Valeſius in Italia. Brugarum ſeditio. Pariſiorum tumultus. Franci ad Cortracum cæſi. Nouus Regis exercitus. Regis cum Bonifacio controuerſia.

Bellum in Flandros tertium. Pugna ad montem Pabulanum. Clemens V. Pontifex. Templarij extincti. Ioanna Nauarræ Regina. Adulteria in domo Regia. Regis mors. Ludouicus Hutinus Rex. Marinius damnatus. Bellum in Flandros. Regis mors. Philippus Longus Rex, moritur. Philippus Pulcher Rex. Clades in Nauarra. Bellum cum Anglo. Caroli Valesij mors. Spurij Vascones. Pax cum Anglo. Regis obitus.

I.

LVDOVICVS SANCTVS.

ONSENESCEBAT in hoc virtutum studio Ludouicus, cùm Christianorum in Oriente calamitas primos fortitudinis spiritus excitauit. Ea summa erat, & imminebant extrema miseris. In Græcis nulla spes, imò suus metus suáque infortunia; ab Tartaris deserebat auxilium, quos bella ciuilia auocabant, & in perniciem suam continebant, pactæ finiebantur induciæ, Saracenorum potentissimas vires an oppida pauca repellerent? Ideò appellati Christiani Principes, Ludouicus in primis, quem suus in Deum & proximum amor multò ardentius compellabat. Postquã in Consilio suam mentẽ aperuit, repugnare omnes & intercedere.

Ludouicus apparat sacrum bellum.

Quid annis & curis confectus propemodum noua bella tentaret, nouisque arumnis immergeret se? valetudinem abiectam planè atque deploratam, vix ipsum è palatio in sacram ædem sine deliquio progredi, miseria meminisset in Ægypto exhaustæ, quanquam idem sit animus, alius vires, aliud corporis robur existere, tẽtari supremum Numen nullo compendio, cùm pericula quibus opprimimur, prouocamus. Si pium Principem miseret Syriæ, misereat Franciæ, æquam sortem vocantis & retinentis; retinentis ius melius, tam Franciam quàm Palæstinam periclitari absentiâ suâ, quid eriperet se suis, vt se exteris daret? nexum iustitiæ arctiorem esse quàm charitatis, quid alios seruet, si subditos perdit? Hæc præclara in speciem Rex cùm audiret, pugnare contumaciter noluit; erat enim in suos mitissimus; sed operiens opportunitatem, Comitia conuocat, adornátque

Simon de Bric.

Legatum Apostolicum Simonem Brienſem (& is postea Pontifex Martinus IV. tunc Vrbano mortuo Sedes vacabat) qui habitâ de sacro bello oratione, ad expeditionem omnes inflammaret. Rex arreptâ occasione suscipit bellum; se Cruce signat, simúlque tres liberos, Philippum natu maximum, Petrum Alensonium Ducem, & Ioannem Tristanum Comitem Niuernensem. Plurimi Proceres Regem æmulantur, Alfonsus frater, Theobaldus gener, idémque Nauarræ Rex & Campaniæ Comes; Robertus Artesius Regis ex fratre nepos, Guido Flandriæ Comes, Ioannes princeps

D'Alençon.

Guichard de Beau-Ieu. Gui de Laual.

Britanniæ, Guicardus Belliiocensis Mompensierij Dominus, Guido Laullius, & selectus flos nobilitatis. In Hispania simul & Anglia intonabat classicum sacrum, & quidem in Hispania Iacobus Aragoniæ Rex Alfonso Castellæ

Castellæ Rege excitato, comparauit exercitum, insceńditque naues Barcinone, sed tempestate iactatus, retrò flexit. Constantior Eduardus Angliæ princeps, qui mutuatus à Ludouico pecuniam, militem scripsit, deduxítque cum Rege in Africam, vel vt Angli scribunt in Syriam. Carolus Siciliæ Rex, expeditionis magna accessio, qui cùm Ierosolymæ Regem se diceret, fructum belli videbatur lecturus, & alieno labore rem suam quærere, eximiam classem instruebat. Rex profecturus, petitis de more à sancto Dionysio vexillo & baculo; regni regimen dedit Matthæo Vindocinensi sancti Dionysij Abbati, & Simoni Claromontano, Toparchæ Nesslio; quorum fides & prudentia exploratæ. Margarita coniux sponsum charissimum ad nauem sequuta, cùm vetaretur vlterius progredi, recusato regimine, se in Vicenarum castro concluśit, Regis absentiam precibus & solitudine prosequuta. Regem Aquismortuis expedita classis operiebatur; triremes apparauerant Ansaldus Doria, & Philippus Cauoconcius Genuenses; erántque sub signis cataphractorum equitum millia quindecim, ducenta peditum; ingens exercitus, Orientis perdomandi potens, si primordiis rerum humanarum constarent exitus. Cùm in procinctu Rex esset, petendæ Palæstinæ consilium abrupit Carolus, & conuertit in Africam. Negabat Ægyptum profligari posse, nisi primùm Africa subigeretur; in eo littore magnas vrbes positas, vnde Sultanus bello & pace commeatum perciperet; commodorum fonte intercepto, alueum exsiccandum, & destitutam Ægyptum sub iugum ituram. Spem illuceścere, si Tunetum appulerint; cuius vrbis Rex per legatos desiderium in Christi fidem testatus, pollicebatur se eam admissurum, postquam Christiani portum tenuissent, præbiturum vim ad subditos compescendos, si fortè ob mutatum Principem tumultuarentur. Et quidem Tunetanus hanc spem obtulerat, sed Punicâ fide, & in fraudem promptâ. Erat & Carolo emolumentum priuatum; vt Tunetanus victus tributum persolueret, quod olim Siciliæ Regibus appendebat; præterea tegebat Siciliam, orâ illa maritimâ in fœdus & societatem vocatâ. Ea expeditio Regi persuasa; classísque Aquismortuis soluit, Admiralio Florentio Varenio; cladem nostram inuectura in Africam, vt in Asiam primùm.

LVDOVICVS SANCTVS.

De Clermont Seigneur de Nesle.

Aiguesmortes.

Expeditio in Africam.

De Varénes.

Classem nauigantem magna & turbulenta tempestas excepit; scinctæ naues & in diuersas plagas dissipatæ; perfracta pluribus armamenta, plures in scopulos, & Syrtes allisæ; aliquot mersæ naufragio; quasi elementa sanctissimi Principis morti intercederent; sed tertio die in Sardiniâ classis collecta est, & paucis desideratis, post damna instaurata, cœptum iter in Africam instituit. Ad oram Libyæ, quà Mediterraneum mare porrigitur, non procul à celeberrimâ per Romanas clades Carthagine, maris Sinus in medias terras protenditur, quo desinente vrbs Tunetum occurrit: ea muris, fossis, turribúsque præcincta, duplici ad mare munimento defenditur; primùm insulâ ad portum obiectâ, in qua turrim erexerant barbari; tum ipse portus situ munitissimus, & Saracenorum classe instructus. Francorum impetus in Insulam statim conuersus, ipsa occupata, expugnata turris, cæsíque Barbari; eáque est insula, in quâ postmodùm Turcæ Guletam

II.

Tunetum frustra obsessum.

Anno 1270.

arcem

LVDOVICVS SANCTVS.

arcem exædificarunt : tum vniuersa classis in portum inuecta; naualíque prælio classis hostium victa ac demersa, portus inuasus, miléſque ad Tuneti muros expositus. Pugnatum deinceps ne ad vrbem propius Franci accederent, & conformarent obsidium ; prorumpebant sæpius Saraceni, toties repulsi ; donec barbarus Rex decem millibus armatorum in castra irrupit, aspero prælio & cruento, quo tandem victus est, necati plurimi, & vincentibus permissâ obsidio; nam validissima munimenta expugnationem excluserant. Lento igitur famis beneficio Franci confisi, circùm agros vastabant ac diripiebant ; sed ipsi primùm loci incommodis conflictati sunt, in agro sterili, aquâ & pabulo deficientibus ; ita in alieno bellantibus euenit, vt quam hosti calamitatem, inferunt sentiant primi, & famem excipiant ipsi qui faciunt. Aquæ penuria & intemperies cœli æstuantis, haud multò post morbos procrearunt, acutas febres, sanguinis fluxum, & eiusmodi ægritudines, quæ in vulgus militum statim sparsæ, Tribunis postmodùm implicatis, haud paucis lethales erant. Ideò ad commodiorem auram captandam, & procurandam aquarum copiam, Rex soluto ad tempus obsidio, secessit in vallem aliquot milliaribus vrbe distantem, Carthagine haud procul, militémque in castris habuit. Tunetani ob discessum Regis audaciores, ad castra accedere, Francos lacessere, quietem nullam permittere, ac si qui ad pabulandum prodirent, intercipere atque conficere. Hoc belli genere Francorum vires breui afflictæ sunt ; nam conclusis castrorum ambitu cùm deessent plura, morbi instaurati iam serpebant contagio, & in pestilentiam degenerabant. Ludouicus cùm hostis accederet, educebat è castris militem, cupidissimus pugnæ ; sed barbari Numidarum instar, quorum solo insederant, recedebant ; minutis præliis atque improuisis carpere hostem contenti, permissâ nusquam decretoriâ pugnâ. Rex elusus sæpiùs, castris se inclusit, Carolum fratrem operiens, quem instructâ classe breui adfuturum nuntiabatur. Nec ideò tamen hostem exclusit. Contagio iam Proceres attentabat atque perimebat ; Legatus Pontificius eâ absumptus erat, Philippus Regis filius febri corripitur ; Tristanus alter Regis filius vitam morbo finit, tam raptus in paternâ calamitate quàm natus, Réxque ipse ingenti dolore animi affectus, ob natorum totiúsque exercitus luem, laborat tandem cruento effluuio, accedente insuper ardentissimâ febre. Quo morbo prostratus, iámque gnarus admotum se ad peregrinationis humanæ terminum, conuocatos Proceres, & vultu mœstissimo lectum circumstantes, ita alloquitur.

Regis morbus.

Et oratio ad Proceres.

Iam ad vitæ metam, Amici charissimi, me hic morbus tulit, iam sto ad carceres vitæ alterius, gestióque lætitiâ hoc breui limite seiunctus à Domino. Si quid obturbaret gaudium animi, vni vos lætanti inspergeretis mœrorem, quos è Francia commodis, suísque singulos ædibus raptos, in hæc incommoda vitæque periculum euocaui. Quanquam hallucinor, nam Dei causâ bellum suscepistis, & signati Cruce iurastis militiam Deo, conditori omnium & moderatori : qua res mihi ingenti solatio est, cogitanti cui Imperatori sacramenta dicitis, quem sequimini Ducem, Deum nempe Optimum Maximum, cuius bonitas vos seruatos volet, seruabit potentia, cuiúsque auxilium nullâ barbarie, nullâ gente, regione nullâ conscribitur. At rogo vos plurimúmque obsecro, vt quæ cogitatio morienti mihi

mihi ſolatio eſt, eadem ſuperſtitibus vobis ſubſidio ſit, & meo in exitu memineritis Dei, qui me vt ſpero in vitæ alterius præmium euocat. Vetat ille luctum veſtrum ac lacrymas, nec decet lugere vos dum lætitiâ perfluo. Ita eſt chariſſimi, gratulationes non fletus expoſco, cùm nec vobis ipſe eripiar, ſed præcurram, metámque attigero, ad quam ſtadiis omnium curritur. Vos ergo memineritis eſſe in curſu, imò in caſtris, ineundâ non in barbaros pugnâ, ſeâ in ipſum Tartarum, principéſque Tartareos. Id bellum, hæc acies, in quam vos expeditos ſemper optauero; Sacroſanctâ Cruce in baptiſmo ſignati, iuraſtis in virtutum cultum Deique obſequium, nunc ſi deſertores militiæ ad teterrimum hoſtem transfugitis, ſi gulam, auaritiam, impietatem, atque libidinem, quibus armis in Deum pugnatur, capeſſitis; ne vos ignominiam contrahetis, turpiſſimam omnium, quam fortaſſe nulla expungant ſæcula. Auertat Deus hanc à vobis noxam, imò Deum vt feciſtis hactenus colite, immenſis beneficiis amorem rependite, eripiet ille vos ſeruabitque periculis, iam aduentat frater, cuius ope non ſalutem modò ſed amplam victoriam reportetis: interim habetis præſentem filium, hunc vobis trado Regem & parentem, qui ſe maiorum gloriâ dignum exhibeat.

Sic Proceres alloquutus, Philippum filium apprehenſum dextrâ, ad virtutem præclariſſimis monitis adhortatur, quorum ſumma hæc eſt. *Amantiſſime fili, præ cæteris omnibus Deum ama, ſed impensè, & quantùm mortalitas ferat, toto animi niſu; ita ipſi nunquam faceſſes moleſtiam, nec vllam noxam lethalem contrahes, iturus in cruciatus omnes, eam vt non patres. Erga pauperes tenero ſis animo ac benigno; miſeris ſolatio ſis, & quantùm licuerit adiumento. Doma cupiditatem, nec ipſius cauſa vectigal aut tributum exegeris; quæ neceſſitati debentur, non auaritiæ aut effuſioni. Adſciſce in ſocios, qui probi ſint & prudentes, Regum peſtem impios amolire. Audi ſapiſſimè Dei voces qui referunt, eáſque admitte in penitiſſimam mentem. Summo Regum domino preces funde; coram Altiſſimo ſubmitte faſtigium; quantùm enim Deum inter & mortalem diſtat? Stude exiſtimationi veræque gloriæ. Ne ſinas audiente te aliorum fama obtrectari; Dei, Beatæ Virginis, aut Sanctorum cultum, verbo vllo lædi, aut proferri vocem quæ in malum agat. Inopi iuxta ac diuiti ius ſuum tribue. Largire famulis, ſta promiſſis, grauis ſis cum iis, non familiaris. Redde extemplò, ſi quid alienum poſſideas. Pacem compara ſubditis, pretioſiſſimum donum; ipſorum immunitates ne violes. In Chriſtianum Principem bellum ne moueas; ſin coactus moueris, parce inſontibus & ſacris ædibus. Obſerua Iudices, & inquire an iuſtè iudicent.* Tum demùm adiunxit. *Oro te, fili mi, vt me emortuum, Miſſarum, precum, & largitionum ſubſidiis, toto regno proſequaris. Iam tibi benedictionem impertio, vberrimam quam vllus vnquam patrum precatus eſt filio; obſecrans Trinitatem ſanctiſſimam vt te omnibus malis eripiat; maximè ne vitam in peccato mortali amittas, vt ſimul ipſi in æternis tabernaculis immortalem vitam peragamus.* Mox incremento morbi ad extrema applicitus, ſacris religiosè ſuſceptis, iubet ſe humi cineritio ſtrato imponi, ſanctóſque obſecrans, quos ſtudiosè coluerat, Iacobum, Dionyſium, atque Genouefam, brachiis in Crucem collectis, ſanctiſſimama nimam cælo dedit; anno vitæ quinquageſimo quinto. Summus profectò, ac dignus æternâ Franco-

III. *Oratio ad filium.*

Regis obitus.

Anno 1270.

LVDOVICVS SANCTVS.

rum memoriâ ; Christianis Regibus exemplum & norma , qui pietatem & religionem , priuatas vt videbatur virtutes , publicas fecit, dum throno intulit ; docuítque posteros integritatem vitæ cum diademate posse sociari. Eum vicesimo septimo post obitum anno Bonifacius Pontifex sanctis adscripsit ; rarissimum hactenus in regibus decus ; & verissimus triumphus de orbe terrarum , quem nemo vincit efficacius , quàm qui temnit. Et patrata miracula præluserunt Pontifici , imò consequuta quamplurima ; quibus Deus Ludouici gloriam testatam voluit , vitámque impensam , magno laudis fœnore compensare. Nam statim ab obitu mutati oris splendor receptam cœlo animam referebat ; genas macie & ægritudine deformatas rubicundus color minio pinxit, subrisit os suauiter , lætíque oculi iucundos aspectus visi effundere. Ex pluribus quos susceperat liberis , duo lecti diuinitus ad stirpem regiam ; Philippus natu maximus , tunc vicesimo sexto ætatis anno ; & Robertus minimus , Claromonti in Bellouacensibus Comes , à quo Borboniorum familia, longo pòst annorum tractu,in Francorum solium euehenda.Ingens continuò mœror Francos inuasit ; vt plerumque iacturâ raptum bonum agnoscimus : occurrebant animo Regis dotes , periculi facies ; se destitutos omni ope credebant , quos destituisset Rex optimus ; tunc seriò noxas & delicta sua incusabant ; quæ cœlestem iram lacessèrent , tantúmque Principem rapuissent indignis. Nec dubium est , quin Barbari profligassent perterritos , si in hoc articulo castra impugnassent , sed Deus hanc auertit hostibus mentem ; iámque inter superos Rex admissus , inuigilabat suis , opémque præstabat.

IV.

PHILIPPVS III. Dictus Audax.

Etenim ipso die quo vitam posuit , ad oram Libyæ Carolus Siciliæ Rex appulit, annonam vberem validúmque militem vehens classe. Tunc præbitum catastrophes humanæ spectaculum ; cùm ab Italis pompa, gaudium, festiuus tubarum sonitus , vexillorum explicatus fulgor,ab Francis mœror pallens , silentium altum , desperatio belli , ac trahentium fata languor spectarentur. Continuò Carolus ad chariſſimi Regis cadauer , erectum in feretro , postquam lacrymas , gemitus , precésque effudit , traductus ad sollicitudinem belli , languentium animos excitauit ; ac primùm recentes copias, ne læderentur morbi contagio, seiunxit à Francis,mediásque hostes inter & Francos locauit. Nec ab armis diu temperatum,Cùm equitum turma intercepta à barbaris & deleta esset , totum exercitum Carolus ad pugnam eduxit ; (nam Philippus Rex , valetudine æger , iuniórque annis, patruo tot victoriis claro tradebat imperium) nec Saraceni detrectabant prælium , quod tamen nouo more nouáque industriâ commiserunt. Effusos in planitiem campos arena sternebat , qua expassâ in latum , quà in colliculos pressâ ; & commodùm Auster vehemens in Francorum vultus auras perflabat ; eâ opportunitate barbari vsi , memores artis antiquæ , vento commilitone , latioribus palis instructi , ad pugnam procedunt ; quibus sabuleta mouentes gnauiter , vento impellente, tantùm pulueris in ora & oculos , tam caliginosos arenæ nimbos euoluerunt , vt Francis regrediendum in castra fuerit , secum optimè actum reputantibus , quod eo turbine tumulati non fuerint , & viui arenariis molibus conditi. Eo successu Afri elati,

Caroli Regis in Africam aduentus.

Saracenorum Stratagema.

Vincuntur à Carolo.

elati, ad certamen ſeriò ſe accingunt; Chriſtianos ſemel poſſe profligari, morbis abiectos Francos atque imminutos; qui ex Italiâ & Sicilia venerint, tirones admodùm, timidos atque ignauos, in fugam potiùs quàm in pugnam trahi. Ita ingentem exercitum Tunetanus contractis vndique copiis, ad Chriſtianos admouet, telorúmque iactu laceſſit. Carolus vt audaciam aleret, lentè aciem explicans, ſuo ſtratagemate pugnam inſtituit. Nam Italis in agmine medio collocatis, imperat vt primo congreſſu ſimulato metu fugam arripiant, Francos ad alas porrigit, dein ſigno dato ad pugnam emittit. Poſt breuem velitationem, Itali fictâ egregiè trepidatione primùm loco cedere, dein turbari, tandem fugam ſumere, & terga vertere. Illicò barbari clamore incondito, ſolutis ordinibus, ceu victoriæ compotes, perſequi; & hærere fugientium tergis; at ij poſtquam penitus in intimam aciem rapti ſunt; tunc repente os & ferrum conuertunt, & incautos telis gladiiſque excipiunt. Franci qui eatenus de induſtria hæſerant, in latera & terga hoſtium effunduntur, incluſóſque magna cæde ſternunt. Sic victoria erepta victoribus, inſtaurata ars Parthica, Mars dolo armatus, & Numidis ſuus Marius redditus. Hoc conſilij opus, iſtud fortitudinis. Caſtra fixerant barbari Tunetum inter & Francum; munitiſſimo vallo excludebatur Francus; vrbi per lacum annectebantur, quo annonam & cætera commoda deuehebant. Eam vt commoditatem Franci auerterent, triremes compingunt, quarum partes committi facilè ac reſolui poſſint, cáſque diſſolutas ad lacum deferunt; tum inſtauratas conſcendunt, ac paluſtrem locum in lacu occupant; vbi poſito ipsâ eâdem nocte munimento, naues hoſtium prohibent, intercipiúntque commercium vrbis. Tunetanus aggreſſus fruſtra hunc reuellere ſcopulum, tandem ad decretoriam pugnam ſe comparat. Inſtructi vtrinque exercitus ordines explicant; cùm ſolo metu pugnatum & victum eſt. Vbi Franci equites demiſſis lanceis in hoſtes inuecti ſunt; illi periculi facie territi ſaluti vt conſulant, primi quidem in ſecundos ordines ſe recipiunt, illi in tertios; ita momento vniuerſa acies conturbatur, & effuſa in præcipitem fugam, terga impunè cædentibus præbet. Hæc ingens victoria, quæ Tunetum vrbem expugnabat; quarúſque infirmitatis Rex barbarus, hoſtes quos ferro non vinceret, auro aggrediatur. Miſſi de pace caduceatores. Et quidem Francis bellum perplacebat. *Vrbem ad extrema actam vno admodùm conatu capi poſſe; ignominioſum Francicæ gloriæ, rem confectam deſerere, & lucrum pro laude hoc eſt infamiam domum reportare; quàm id turpe ſui Regis memoriæ atque cineribus, quos infectâ expeditione victos potiùs quàm triumphantes reuehebant.* At Carolus pacem appetebat: Francos morbis perditos, iam ægritudinem in Italos ſuos irrepere; Tunetum haud tam facilè expugnari, expugnatum ſeruari difficilius, ab ægro milite, tanto maris ſpatio. Præterea conſequebatur optatum, Tunetano Rege tributum pendente; & Philippus Rex morbi tædio Franciam cogitabat, ne quid noui mutato Principe oriretur. Ideò pax cum Tunetano contracta, iis conditionibus quas victores darent; vt præſentis belli rependeret ſumptus; tributum Carolo aureorum quadraginta mille quotannis ſolueret, captiuos Chriſtianos libertate donaret;

PHILIPPVS AVDAX.

Barbari fugantur.

Anno 1270.

Pax cum Rege Tunetano.

PHILIPPVS AVDAX.

donaret; secutum mercatoribus commercium foret, ac facultas in Tunetano regno Christum prædicandi. Impletæ conditiones, & victores versus Siciliam nauigarunt; ambiguâ gloriâ, his pacem laudantibus, illis arguentibus, quæ victoriam vt putabant certam oppressisset.

V.

Francica classis naufragium.

Reges nauigatio prospera Drepanum intulit; classem reliquam quæ soluerat seriùs dirissima tempestas adorta est. Peruenerat in conspectum Drepani, cùm inhorrescente subitò pelago, procellámque mouentibus ventis, naues reciprocante fluctu inter se concuti, armamenta infringere, diuerberare sese instar arietum, aluum quassare atque dissoluere, mox hauriri vndis atque absorberi. Et in portum atrocitas mali penetrauit, quâ triremes fractis rudentibus solutæ anchoris, ad naues raptæ sunt procellæ turbine, & ad sæuissimum prælium instaurandum actæ. Eminebat in primis

Porte-ioye.

regia, dicta Gaudij nuntia, nunc cladis causa, tristissimæque necis instrumentum: eâ amplitudine alui & materiæ firmitate princeps cæterarum, æstu impellente maximam stragem intulit nauibus; mox illam verberatam prorâ conquassabat, aliam allisâ puppi aperiebat; mox conuersa in latera comminuebat nauigium dextrum, iterum agente fluctu læuum obruebat, animatum scopulum diceres, qui inquirat naues atque persequatur, vehátque naufragium quoquò se verterit. Spectabatur illa summis in fluctibus, remos inter fractos, auulsa gubernacula, vela direpta, comminutos malos, quódque longè funestius, submersorum cadauera, diuulsisque membris partientium funera. Nulli mortalium in tanto numero incolumitas obtigit, præter paucos, quos idem turbo ad Tunetanum portum reuexit, à Rege barbaro amicè habitos, & calamitate naufragij subleuatos. Imò nec Re-

Varia Principum funera.

gibus prosperum iter, nec mœroris expers reditus contigit. Drepani Theobaldus Nauarræ Rex, morbo vitam clausit, præstantissimus iuuenis, nec indignus quem Ludouicus affinitate adiungeret; vxor Isabella Ludouici filia, tergemino defuncta funere, patris, fratris & coniugis, cùm nec liberos vllos suscepisset, in itinere ad Massiliam obiit, intercludente mœrore spiritum, & amore charissima capita reposcente. Et Philippum Regem suus dolor affecit; postquam Monte regali ad Panormum patris viscera direptámque ossibus carnem tumulauit, pergens in Italiam, Calabriámque pertransiens, dum transmittit fluuiolum vado, Isabella coniux equo impingente in saxum prolabitur; lapsúque prægnans iam octauo mense ægritudinem contrahit, quâ viuis rapitur, anno vitæ vicesimo quarto; coniuge raptam lugente, vbi nullus periculi terror, quæ tot ærumnis belli & pelagi superstes fuisset. Quatuor liberos Regi pepererat, quorum duo Philippus & Carolus fastos implebunt. Nec tot funeribus mors quieuit; Alfonsum Regis patruum, suauissimum moribus atque piissimum fratrísque Ludouici indefessum in expeditionibus Comitem, Corneti quod castrum in Tuscia, morbo rapuit; nec Ioanna vxor superuixit, eiusdem socia indiuisa; quibus sine prole mortuis, impleta est conditio à Blanca sancita, & Tolosates cum Occitania regno restituti, præter Pictones quod Alfonsi patrimonium fuerat. Inter hæc Italiam decurrebat Philippus, & Viterbij

Anno 1271.

Regis in Franciam reditus.

adhortatus Cardinales, vt tandem conuenirent ad eligendum Pontificem;

nam

nam iam alterum annum distrahebantur odiis atque sententiis, tum Cremonæ pactis Venetos inter & Genuenses induciis, quos intestina bella consumebant; ac Mediolani exceptus perhonorificè, tandem per Alpes in Franciam venit; ac Parisiis sanctissimi patris Lipsanis mandatis tumulo, quæ suis ipse humeris succollabat, Rhemis solemni more inunctus est, & ad regni regimen se accinxit. PHILIPPVS AVDAX.

VI. *Motus in Aquitania.* Comte d'Armagnac, Seigneur de l'Isle Iourdain. Casaubon.

Verùm diu quieto esse non licuit. Motus ab vltima Vasconia pacem perturbauit. In eâ duo Proceres, Armeniacus Comes, & Girardus Insulæ Iordani Dominus, ob iura quæpiam contendebant: ille viribus atque opibus erat superior, hic animi fortitudine defectum potentiæ cumulabat. Semel cùm Armeniacus ad Casaubonum castrum, quod Girardi erat, magno amicorum & militum comitatu præterueheretur, Girardus id contumeliæ adscribens, Comitem eductis suis assequutus, in eum armatus irruerat, fratrémque Comitis perimens, cæteros in turpem fugam egerat. Armeniacus pudore & dolore arma comparat, & Comite Fruxiensi sororio in subsidium euocato, Girardo interitum ruinámque castri intentat. Ille armis impar, Regem vt supremum Dominum appellat, ipsius tutelæ castrum committit, in id inductis Magistratibus Regiis, emendaturus sententiâ Regis si quid deliquisset. Nihilominus Armeniaci castro admouent militem, vi expugnant, passímque omnes trucidant, Regios etiam Magistratus, Girardo per pseudothyrum elapso. Illicò apud Regem maiestatem violatam sui conqueruntur; vnum præ ceteris Fuxiensem Comitem accusantes, auctorem cædis, & qui in Regem dixerat plurima intemperantiùs. Rex contracto magno exercitu, vt auctoritatem sanciret principiis, versus Aquitaniam copias ducit; ac Tolosæ dum agit, comperto Fuxiensem, quem arma appetebant, se Fuxio castro inclusisse, militem in eum rapit. Nempe Comes Rogerius Bernardus, confisus arcis inexpugnabilis munimentis, abductis secum ex Albigensium fæce facinorosis prædonibus, sperabat posse infringi vltionem Regis; qui more iuuenum tam citò affectus poneret quàm suscepisset. Fuxium erat in vertice montis, circùm abruptis asperrimísque rupibus scopulosi, vno aditu arcto admodùm atque difficili. Montem castris miles circundedit, tantúmque perfecit improbitate laboris, vt per iuga rupium saxorúmque duritiem, tortuosum variis anfractibus iter ad arcis fossam deduxerit. Eâdem viâ timor ad Comitem penetrauit, peruicítque vt se Regi suáque traderet: datus in vincula, Bellocadium ductus est; annuo carcere expians rebellionem: donec deprecatore socero Gastone Moncadio, restitutus in Regis gratiam, vxorem, liberos & ditionem recepit. Et ipsi Moncadio appellandum fuit patrocinium Regis. Eduardo Angliæ Principi ob quædam feuda ille obnoxius, magníque in Aquitaniâ ob nobilitatem & potentiam nominis, eundem comitari in expeditionem sacram detrectauerat, etiam compellatus. Eduardus è Syriâ redux, auctúsque regno Anglico, quod Henrici patris morte adiuerat, memor iniuriæ, Moncadio ad præstandam fidem diem dicit. Ille iniuriam contemptu auget, lictorem Anglum

Foix.

Beaucaire.

PHILIPPVS AVDAX.

in vincula agit, armatúsque obsequium negat. Bearnium, quæ ditio Moncadij erat, Anglus inuadit; Gasto infirmior cùm fide incolumitatis datâ se Regi sisteret, retinetur; ac vix multa pollicitus liberatur. Illicò liber delusam fidem incusans, quæ vi promiserat inficiatur deberi, iterúmque militem ad vim repellendam conscribit. Bello instaurato intercedit Philippus, litémque in Parium curiam euocat, quando sibi ambo clientelam iurassent; in curiâ multa in Eduardum contumelioſa cùm intemperanter effudisset Moncadius, Regémque Anglum singulari certamine prouocaret; eámque ob rem acerbissimè Anglus quereretur; Philippus rem arbitrio disceptans, damnauit Moncadium, vt verbis illatam iniuriam, excusaret verbis & farciret. Sic flexis genibus, collo reste adstricto, ab Eduardo veniam flagitauit supplex: demissione arrogantiam, & contumeliâ suâ alienam obliterans: ditio & iura damnato steterunt integra: fuítque intra verba pœna vt culpa, & Franci intererat, non ditari Anglum Comitis spoliis. Eduardus Rex pro Aquitaniâ præstitit postmodùm clientelam. Ab iis turbis quietis aliquantùm regno indultum est, Regíque ipsi nouum coniugium comparatum. Cœlebs quartum annum agebat, castimoniâ magna, quod Principi in ætatis flore inusitatum, suorum impulsu susceptâ vxoris cogitatione, Mariam selegit sororem Ioannis Brabantiæ Ducis, corporis formâ animíque dotibus claram, eámque Parisiis excepit celebritate quam maximâ; præbitum omnibus Equitibus tum externis tum indigenis hospitium, epulæque solemnes per dies octo, quibus vrbs regia ludis conuiuiísque se tradidit: Francis maximè omnium, in lætitiam Principum se conformantibus. Ab gaudio publico & alacritate ad religionem Philippus transiit. Gregorius X. Pontifex dictus, post longissimam illam Cardinalium altercationem, & ab extrema arcessitus Syriâ, vt & illâ morâ interregnum produceretur, ad instaurandas Ecclesiæ res afflictas magno illo iustitio, locum aptum Concilio Generali à Rege impetrauerat, Lugdunum commodissimam excipiendis & alendis Patribus ciuitatem. Venienti Lugdunum Pontifici Rex occurrit, & honorificè deducto præter vrbem aliquot circum castella tradidit, & corporis stipatores, ad tutelam & securitatem, rediítque Parisios, curâ Nauarrici belli iam à proximo anno susceptâ. Porrò quia res momenti est maximi: tribúsque difficillimis bellis implicuit Franciam, Hispaniam, atque Italiam; ea operosiùs pertractanda. Si tamen semel præfatus fuero, in bellis Franco-Hispanicis, quæ deinceps in nostra secula magno Europæ damno propagata, vix conquieuerunt; me nullo gentis meæ affectu, vel extraneæ odio perscripturum historiam, sed vnâ veritatis luce, quantùm assequi potero, ex vtriusque gentis Annalibus rem indagaturum, gnarus suas cuique populo virtutes esse & vitia, nec vni nationi scribi Historiam, sed Orbi terrarum.

Rex Mariam ducit.
Anno 1274.

Concilium Lugdunense secundum.

VII.

Nauarræ regnum.

Nauarra in Hispaniâ sita est, quà ad Occasum Pyrenæorum iuga porriguntur: pars olim Cantabriæ; fortissimorum militum ferax: postea Vasconum sedes, bellicæ gentis, & supra cæteras ferociſſimæ. Inter Castellam veterem & Aragoniam posita, & per ipsos Pyrenæos prolata intra Galliam, quasi eorundem regnorum vel pars vel particeps, ipsorum Regibus cupiditatem

piditatem obtinendi mouit. A Gothis Regibus, ante Roderici calamitatem, cum Hiſpaniâ cæterâ tenebatur; poſtea inundantibus Mauris & Hiſpaniam inuadentibus, montium beneficio & locorum aſperitate defenſa eſt; donec haud multò pòſt Garſias Ximenes oriundus è Franciâ & Bigerrorum Comes, reportatis è Mauro haud paucis victoriis, regnum inſtituit, quod Sobarbriæ dictum eſt. Alij regni eiuſdem primordia ad Ignatium Ariſtam, hoc eſt martium atque bellatorem, aliquot annis inferiorem adſcribunt, eundémque Bigerrorum Comitem; à quo ad Sanctium Fortem Nauarræ Reges prognati ſunt. Ab Ariſtâ eodem Nauarræ mutata Inſignia, ob victum clade ingenti Miramolium, Viridem nuncupatum: nam cùm agmen hoſtium catenis ferreis circumcinctum abruptis clauſtris perrupiſſet, eam ob rem in ſcutum rubrum catenas ferreas variis inter ſe modis implicatas, auro inſculpſit, & ad depingendum Viridis nomen Smaragdus in medio refulgebat. Porrò Sanctius Blancam ſororem in matrimonium dederat Theobaldo quarto Campaniæ Comiti; è quibus natus Theobaldus poſthumus, in Nauarræ regnum poſt obitum patris flagitatus. Siquidem Sanctio ſine liberis decedente, cùm regni ius ad ſororem ſpectaret, Theobaldus mortui nepos ſolemni legatione ad ſceptrum vocatus, opulentam hereditatem adiit. Iſque eſt Theobaldus, quem Blancæ amoribus ſuauiter inſanientem Annales deſcribunt. Ab eo Theobaldus filius hoc nomine ſecundus, ſpectatâ Regum ſerie, regnum ſuſcepit; idémque deceſſit Drepani, dum ex Africâ domum repeteret. Ipſi Henricus frater ſucceſſerat, ob pinguedinem alui Craſſus dictus; qui ductâ Ioannâ Arteſiâ, Roberti Regis fratris filiâ, vnicam prolem ex eâ ſuſceperat, Ioannam matri cognominem; quam moriens adhuc biennem Reginam dixit, matríque impensè mandauit, vt cùm mors ſibi contigiſſet, filiam in Franciam duceret, eámque Principi Franco collocaret. Rege vitâ caſſo, matrem implendæ voluntatis regiæ cupidiſſimam retinebant Nauarri & ipſi in factiones duas diuiſi. Potior & validior vocabat Petrum Aragoniæ Principem, altera infirmior Alphonſum Caſtellæ Regem; illius duces Sanctius Montacutus comitiorum ſuffragiis dictus regni curator, & Armengandus Pompelonenſis Antiſtes, religione auctoritatem publicam ſanciente; iſtius Garcia Almoranides, multæ inter populares potentiæ. Vterque Principum iuris ſpeciem prætendebat ambitioni; Caſtellanus veterem clientelam, à Nauarrâ Caſtellæ præſtitam, Aragonius adoptionem Sanctij Regis, quâ Iacobo patri ius quæſitum, & quadraginta aureorum millia Theobaldo primo in expeditionem ſacram mutuò data. Ius Principum vt amat fieri arma promouerunt. Primus Alphonſus Ferdinandum filium in Nauarram cum exercitu mittit; qui aliquot oppidis occupatis, ob locorum difficultatem ſeſe continuit. Nec lentior Petrus Aragonius iuri fulciendo & ipſe Soſium ad regni fines cum exercitu progreſſus, cùm Nauarrorum pars maxima ad eum inclinaret, faciles habuit Proceres, qui ipſius filio Reginam virginem deſponderunt, cum regno in dotem; quas ſi nuptias non aſſequeretur, penderentur ipſi centum quadraginta librarum millia, in belli ſumptus, quod in Caſtellanum ſuſciperet, ſtantem in captis oppidis, necdum

PHILIPPVS AVDAX. Comte de Bigorre.

Anno 1234. *Ad Campanos delatum.*

Sanche de Montagut.

PHILIPPVS AVDAX.

necdum regni titulo abstinentem. Interea dum disceptant, præda clabitur; quippe Ioanna vidua neutri partium se credens, clam abductâ filiâ, profugit in Franciam, Regi cognato ac Roberto fratri regnum prolémque committens. Sanè dignum depositum, quod Francia omni ope seruaret; etenim in illâ virgine Ioanna crescebat, tot artium mater, quæ post Regi nupta, Nauarram in Franciâ tot monumentis ornauit Philippus continuò postquam virginem Philippo filio vxorem despondit, vt regno consuleret, ac factiones opprimeret, nobilem Equitem Eustachium Belmarcasium, prudentiâ clarum, Pompelonem mittit, præficitque regimini, Montacuto exauctorato. Regis auctoritas Castellanum continuit, & factiosos aliquantisper coërcuit; donec idem furor cum accessione recruduit. Quippe duces quos antea partes seiungebant, Montacutus & Almorauides, nunc in Francum ceu communem hostem conciliati, communicatis viribus, populum concitant, & intra Pompelonem ipsam Francos securos aggrediuntur. Ij fortè in sepositâ vrbis parte habitabant, quà tecti & muniti factiosos repellunt: eo repagulo prohibitus furor in proximos agros reuoluitur; Francorum villas funditus diruunt, vites reuellunt, arbores ad radicem cædunt, atque vltrà insanientes, nutricum vberibus raptos infantes saxis allidunt; effusi in liberos, cùm patribus arcerentur. Imò in scipsam promota est rabies, dum Montacutum alterum ducem, nobilitate ac potentiâ principem, cùm pertæsus tot cædium inclinaret ad Francos, nefariè peremit; pœnas dantem quas ipse instruxerat.

Ioanna Regina in Franciam delata.

Beaumarche.

Franci cæsi.

Anno 1275.

VIII. Renuntiato furore ciuium, Philippus exercitum parat, tradítque Roberto Artesio præclarissimo iuueni, adiuncto Imberto Bellijocensi Comestabili: ij viginti quinque millibus hominum in expeditionem ductis, Pompeloni se admouent. Breui pugnacissimis aggressionibus rebelles ad extrema acti, quanquam se fortiter propugnarent, spe vnâ Castellani subsidij nitebantur. At ea mox euanuit; postquam Almorauides qui factionem alebat, noctu profugit, miserósque deseruit, ad Hispanum secedens. Tum demùm furor in metum deficiens, vincentium clementiam appellauit; ac ciues dum agitant de conditionibus cum Comestabili, Vascones milites prædæ cupidi & vindictæ, scalis admotis in muros euadunt, vrbémque captam quàm atrocissimè diripiunt; frustra repugnantibus ducibus; in corpora primùm libidine, tum ferro sæuitum, postremò flammis in ædificia; pœna tam insontibus quàm reis illata; adeò malè æqui persequutio bello committitur. Patrato supplicio Robertus Pompelone substitit, tum ad debellandas factionis reliquias, tum Hispano vt inuigilaret; cui extemplò Rex suas belli vices referebat; nec sine merito. Nam Ludouicus, quem in posterum ob virtutes suas nuncupabimus sanctum, Blancam filiam Ferdinando Alphonsi Castellæ Regis maximo filio nuptui dederat; eam maximè legem stipulatus, vt Ferdinando Alphonsus pater regnum illibatum traderet moriens, exclusis liberis cæteris; aut, si fortè filius præmoreretur, eiusdem liberis ex Blanca susceptis regnum auus dimitteret; eámque ob rem Ludouicus ius in Castellam quod ipsi per Blancam matrem obuenerat, Blancæ filiæ, Ferdinando coniugi, & suscipiendæ proli condonabat.

Pompelo capta.

Causa belli cum Hispano.

donabat. Contracto coniugio, Ferdinandus in regni spem & propè consortium ab Alphonso admotus, dum bellum in Mauros comparat, morbo corripitur, vitámque amittit; relictis ex Blancâ duobus filiis, Alphonso & Ferdinando. Iis haud dubiè ex conditione & naturæ lege regnum debebatur; cùm exurgit Sanctius demortui frater, sibíque regnum deberi contendit, qui Alphonsum patrem superstitem proximo sanguinis gradu contingeret, à quo nepotes longiùs amouerentur. Eo consilio bellum in Mauros suscipit, gnauiter gerit, fortiter conficit; tum victor ad demerendos Proceres se impendit, comitate, liberalitate, blanditiis, iisque artibus quas ambitio forti magnóque animo subministrat. Nec frustra laboratum; Procerum studiis sceptro designatur, & ipse Alphonsus volens nolens abducitur à nepotibus, Sanctioque se tradit. At Violanta Alphonsi vxor, miserta impuberum, eos cum Blancâ matre clam ereptos in Aragoniam ducit, Iacobi fratris committendos fidei. Verùm paulò post Iacobo mortuo, Sanctius cum Petro successore tam vehementer contendit, vt miseri adolescentes in Xatiuâ arce concluderentur, ne in Franciam effugerent; matri Blancæ ægrè permissum, vt remigraret in patriam. Sororis lamentis Philippus commotus, regium exercitum instruit, ducítque ad Pyrenæi fauces, promoturus vlteriùs, nisi proditio vetuisset. Alphonsus accedentis potentiâ territus, Robertum Pompelone agentem accersit; vt de ineundâ pace rationem inquirerent; Robertus potestate factâ à Philippo, Castellanum adit; ac primùm commodas impetrat conditiones. At subitò Alphonsus postquam ei redditæ sunt ab ignoto litteræ, mutatus in alium, læto vultu Robertum contuitus; *Mihi*, inquit, *amici sunt in aulâ Francia; en his admoneor litteris, Philippum Regem in Franciam regredi, attritis & imparibus ad bellum copiis; eâ de re certiorem te facio.* Ideò Robertus suspicatus datas à proditore litteras, Pompelonem redit, tum excurrit in Franciam, proditorem in supplicium vocaturus. Is erat Brossius, qui pœnas postquam æquissimas pependit, Philippus denuò de Hispanico bello cogitauit; Blanca vrgebat, nepotes in Aragonicâ arce claudebantur, Sanctius regnum iam capessebat; propterea nouo exercitu ad Bearniæ fines instructus contendit. Res ad arma spectabat, cùm Eduardus Rex Angliæ, qui nuper Eleonoram Alphonsi filiam vxorem duxerat, agens deprecatorem, impetrat vt Reges amicè controuersiam disceptaturi colloquerentur. Eam in rem Philippus continuit copias, ac Marsanum venit, Baionam Alphonsus; sed Sanctij artibus metuentis ne detrimento suo pax coaleseeret, discessérunt Reges infecta re. Mox annitente rursus Eduardo, Tolosam Francus & Aragonius conuenerunt; sed Aragonio adhærente penitus Sanctio, nihil perfectum est; imò nec impetratum, vt captiui iuuenes soluerentur. Hac spe abrupta, tunc demùm belli studia Philippus instaurat, & exercitum versus Hispaniam ducit, exacerbatis Francis Proceribus, & Sanctij artes ferro resecturis. Cùm nouam machinam è cœlo euocat Castellanus: ea Nicolaus III. Pontifex, ex Vrsinorum familia, qui Francis infensus, veritus ne fortè Castellam subigerent, & ferociores euaderent, auctoritate Pontificia bello interceßit, diras

PHILIPPVS AVDAX.

La Brosse.

PHILIPPVS AVDAX.

comminatus Philippo, ni armis abstineret; abstinuítque mitissimus Princeps, maluítque gloriæ quàm religionis facturam facere: quanquam eà integrà suum ius persequi, & alienam iniquitatem premere licuisset. Ita Sanctio fuit impunè flagitium, pupillíque Principes steterunt in custodiâ, Francicæ gloriæ non leui maculâ. Porrò atrocissimum cum Aragoniis bellum imminebat, quod priusquam aggrediar, iuuat fortunæ lusum cum Brossio, diludij instar Tragicis actibus interserere.

IX.

Brossij fortuna & casus. Pierre de la Brosse.

Petrus Brossius vili & plebeiâ origine, Ludouici sancti primùm Chirurgus, Philippo filio, nescitur quâ arte, ita se insinuauerat, vt primùm beneuolentiam, mox summum imperium in eius animum assecutus sit. Ipsius commendatione iam à Ludouico rebus supra suam sortem adhibitus cùm studium & industriam exhibuisset, statim à Philippo mox Rege cubiculo præficitur, animóque auidissimo administrationem capessit omnium. Duobus intendebat potissimum; primùm vt auaritiam per omne nefas impleret, tum ne quis alter in gratiam Regis irreperet; in eam quasi arcem tutissimam recipiens se, vnde in totum regnum vsurparet imperium. Donec cœlebs agebat Philippus, nihil erat pertimescendum magnoperè; at postquam Mariam Brabantiam duxit, & blandimentis vxoriis emollitus est sensim, timere cœpit seriò Brossius, ne vni succumberet feminæ, qui tot viros depulerat; néve amor riualitatis impatiens amicitiam pelleret. Metum eiusmodi incendebat odium; cùm Regina, & ipsa æmuli forsan impatiens, aut miserta regiæ seruitutis, vel indignans in vilissimo capite ali tot scelera, palam obtrectabat potentiæ Brossij, ciúsque crimina Regi deferebat intrepidè. Ille igitur de salute suâ sollicitus, in Reginæ perniciem totus incumbit; gnarúsque nihil nouercæ priuignis odiosius, eam intendit machinam ad patrandum nefas. Erant Regi ex Isabella priore coniuge liberi; sparguntur voces per emissarios Brossij, quibus Reginæ in eos odium declaratur; eam cum familiaribus conqueri, & deplorare miseriam suam; *frustra se nupsisse Regi nisi Regem pariat, se fore pro dimidiata vxore, & concubina propemodùm, quæ primis liberis clientes procreet; sanè filio suo, nam vnum pepererat, ex Rege nato deberi imperium, non aliis quos Philippus priuatus & subditus genuisset:* in eam rem congerebantur exempla, & prauè acta describebantur in legem. Iis rumoribus crimen comparatum aggreditur Brossius, & execrando facinore fulturus potentiam, Ludouico regiæ prolis maximo propinat toxicum. Statim improuisa mors, certáque indicia signabant venenum; in præcipiti morbo, stomachi resolutio, conuulsiones atroces; mox in cadauere punctis liuidis cutis maculata, & corruptio viscerum. Nec de occultando flagitio laborabat Brossius, modò auctor lateret; imò postquam indubitata signa percepta sunt, primùm suspicionem in Reginam mouet, dein adornatis testibus ipsam accusat. Contra Regina parricidium regerit in auctorem, Brossiumque appellat; rapi in quæstionem postulans, qui ministrassent ægroto. Verùm Brossius artibus prauis sic animum Regis implicuit, vt opinio veneficij in Reginam vnam inclinaret. In iis animi angustiis Rex audit, Niuellæ in Flandriâ vnam esse in cœnobio Virginum (Beguinas vocabant) quæ occulta expromeret, ac nuntiaret

Reginam Brossius accusat.

tiaret futura; ad eam consulendam Petrum Baiocensem Episcopum, & Matthæum Abbatem sancti Dionysij legat. At Episcopus Brosilio affinis, occupat primus ad Virginem ire, rogátque postquam audiuit parricidæ nomen, ne id socio proferat; ita aduenienti Abbati nihil certi dictum, & Regi renuntiauit Episcopus, se reum à confitente Virgine accepisse, nec eum prodi sine flagitio posse. Rex indignatus in Præsulem, legatos alios ad Virginem mittit, quibus illa tacito parricidâ, immunem ab eo scelere Reginam affirmat, iubétque Regem ab eâ suspicione liberum agere. Ioannes interea Brabantiæ Dux Parisios aduolat, sororis innocentiam contestatur, & accusantibus duellum intentat. Attamen perstat in his procellis Brosilij gratia, imò in nouum turbinem perseuerat. Robertus Artesius postquam ab Alfonso discessit, & in Nauarram regressus est, audit Regem soluto exercitu rediisse in Franciam, & causas accuratiùs scisciţans, comperit commeatus penuriâ tantum exercitum defecisse, corrupta pabula, detractam annonam, & vastatam Bearniam ne militem alat. Ex quibus signis feram, vt credebat, indagans, Parisios venit, & Brosium proditionis accusat, quod cum Hispanis communicaret consilia, & perdidisset exercitum. Verùm cum testes ad conuincendum deficerent, emergebat reus periculo, & in noua crimina consurgebat; nisi casus, aut prouisor casuum iustissimus Deus argumenta criminis subministrasset. Quidam nuntius Meloduni morbo correptus, Abbatem accersit, eique epistolam tradit, quam vni Regi vt obsignata erat deferret; tum vitam morte subitâ claudit. Abbas, vt rogatus erat, rem præstitit; Rex litteram resignatam Consiliariis legit; nec de eâ rescitum est aliud, nisi quod Brosij sigillum præferret, & ipse statim apprehensus, paulò pòst necatus est suspendio; spectantibus & summoperè lætantibus Ducibus, Burgundiæ, Brabantiæ, & Artesio Comite; quos semper infensos habuerat; seu suo merito plura ob scelera, seu more Procerum nouis hominibus inuidentium, & sibi credentium eripi quod non assequuntur. Nunc ad Aragonium bellum me conuerto, vesperásque Siculas, quæ quanquam celeberrimæ, & omnium intextæ Historiis, prætermitti à me sine incuriæ & negligentiæ notâ non possunt.

PHILIPPVS AVDAX.

X. *Vesperas Siculas quæ præcesserint.*

Huius tantæ cladis originem indaganti, vna occurrit, Caroli Regis cæca prosperitas; ab ea quippe Nicolai metus, Petri Aragonij cupiditas, Francorum licentia, Ioannis Prochytæ vltio, & furor Siculorum, simul orta & propagata sunt. Prospera Carolo in secundissimis rebus fluebant omnia; locupletissimo regno fruebatur; Vicarius Imperij dictus Senatorque Romanus, Romæ ac cæterâ in Italiâ agebat principem auctoritate; ingens erat potentia, fama percelebris; vt vnus in Europâ potentissimus haberetur. Tot fortunæ dona vastum animum nondum impleuerant: ius Ierosolymitani regni assequutus, à Mariâ Friderici Antiocheni Principis filiâ; ambiebat Constantinopolitanum Imperium, (quod obtinebat Michaël Paleologus) quæsito iure à Balduino secundo, cuius filiam Beatrice mortuâ coniugem duxerat. In eam expeditionem, classem ingentem Neapoli & Messanæ instruebat. Nicolaus Pontifex in hoc rerum cursu primus Remora nauiganti fuit: vir summus præclarísque dotibus ornatissimus, diu potétiam

Nicolaus Pontifex.

PHILIPPVS AVDAX.

Regis ſuſpectam habebat; ſiue priuatim affectus iniuriâ, ob repulſam affinitatem, aut nepotem cæſum; ſiue publicis rationibus, ſedi Pontificiæ tantam auctoritatem incommodam ratus, eundem ergo impulit, vt vicariatu Imperij ac Senatoriâ dignitate ſeſe abdicaret, affirmans iam electo Imperatore Rodulpho, fruſtra Vicarium ſupereſſe, ac Romæ Senatorem præſente Pontifice ſuperuacaneum. Ea res Caroli hoſtibus ad eum impetendum viſa opportuna. Illorum capitaliſſimus, quanquam in ſpeciem vilis & aſpernabilis, Ioannes Prochyta, inferendi mali ſtamen contexuit. Ille patriâ Salernitanus, vir ſolerti callidóque ingenio dominus Prochytæ quæ in Puteolano ſinu Inſula eſt, Friderici Regis primum vt ſcribunt Medicus, dein Manfredi atque ipſius Caroli Conſiliarius, conſtupratâ à Francis vxore; exorſus proditionem, & deprehenſus, fugâ ſe eripuerat, facultatibus omnibus ſpoliatus. In Aragoniam profugus, Reginæ Conſtantiæ gratiâ in Aulam admiſſus eſt, ac vindictæ face inflammante ingenium, commentus eſt in Francos & Carolum quid tentaret. Sicilia viſa eſt ſcena furori aptiſſima. Eam Præfectis adminiſtrandam dederat Carolus, quorum auaritiâ & negligentiâ miſeri Siculi opprimebantur: ij maximè procacem Francorum libidinem incuſabant, quibus nullus virginum pudor, nulla caſtimonia matronarum illibata foret aut intentata. Conceptum conſilium Prochyta cum Petro Aragoniæ Rege communicat; ac tametſi ille id primùm reiecerit, tamen impellente Conſtantiâ vxore, & paternum regnum vt affirmabat ab inuaſoribus repetente, in eam penitus mentem ſe induit, parauítque ſedulò quæ neceſſaria forent. Viſum & Prochytæ noua prætet ea arceſſenda præſidia. Viterbij Nicolaum Pontificem conuenit; impetrátque aſſenſum, & Aragonio ius regni Siculi; tum Conſtantinopolim profectus, Michaëlem Imperatorem iam apparatu Caroli perterrefactum, ad conſpirandum cum Aragonio impellit; ita rem partitus, vt pecuniam Græcus, claſſem & militem Hiſpanus ſufficeret. Nec omiſit Siciliam, principes ad defectionem inflammans, modúmque tradens excutiendi imperij. Hæc omnia mirâ calliditate & ſolertiâ obita, Franciſcani veſte operiente perditiſſimum caput, quam de induſtriâ vſurpauerat, vt Francos falleret; alioqui mirabilem in modum improuidos atque diſſolutos & temerè ſupra fortunam ſuam præſidentes. Spectantibus ad exitum ſingulis, improuiſa mors Nicolai turbauit conſilia, non oppreſſit. Martinus IV. in demortui locum ſuffectus eſt, qui natalibus Gallus, parum aptus ad ſuſceptam rem videbatur. Et tentatus ab Aragonio, adeò non facilem aurem præbuerat, vt ab eo vectigal quod Aragonia Sedi Pontificiæ pendebat exigeret. Nec ideò Prochyta deſpondit animum, ſed inſtauratis ad ſcelus Siculis, Conſtantinopolim iterum aduolat, atque ingenti à Michaële pecuniâ ad bellum donatus, eam ad Petrum defert, iam inſtruentem copias & validiſſimam claſſem. Is apparatus cùm vicinis Principibus ſuſpicionem moueret; affirmabat Petrus in Mauros Africanos bellum adornari; eámque in rem, vt à pluribus ſcribitur, à Philippo Rege quadraginta librarum millia mutuò ſumpſit. Attamen cùm vrgeret Pontificius Legatus, quam partem Africæ, quámue Mauricam gentem appeteret, reſpondit ſe internum

Anno 1278.

Ioannes Prochyta.

Sicilia.

Anno 1280.

Nicolao Martinus ſuccedit.

internum induſium flammis traditurum, ſi arcanum ſuum fortè exploraſſet. Et verò ſummâ dignum eſt admiratione, rem propemodùm vulgarem, tot inter capita participatam, tribus annis continuis, latuiſſe Francos, nec vllâ rimâ deprehenſam hanc lucem; adeò cæca eſt confidentia, tecta & oculata cupiditas. Sed iam aderat deſignatus facinori dies; nempe ipſe Paſchatis, vel ab ipſo primus aut ſecundus, religioſiſſimus Chriſtianis, & maximo lætitiæ ſenſu celebratus, cùm à meridie, campanis ad veſpertinas preces pulſatis, furor tam diu compreſſus, ceu ſigno dato, Panormi primùm, & continuò per vniuerſam Inſulam erupit. Duces coniurationis adiunctâ plebe, proclamantes Francorum tyrannidem extirpandam, eos primùm qui in vicis aut compitis occurrebant confodiunt; tum in ſingulorum ædes inuadentes, nullâ ſexus aut ætatis ratione, promiſcuè viros, infantes, ſenes, matronas, virgines, furore inſano conficiunt, miſeratione omni reſtinctâ. Et eo prouecta eſt cædentium rabies, vt ipſas etiam matronas Siculas, quæ Francis nuptæ conceptum vtero fœtum ferrent, ipſi affines inauditâ barbarie ferro mactauerint, vterúmque ad extrahendum partum ſecuerint. Imo in ædes ſacras ac religioſas dira veſania penetrauit; qui Franci miniſtrabant altaribus à collegis ſuis perempti ſunt; religioſi Sanctorum Benedicti, Dominici ac Franciſci adſcripti familiis, à fratribus ſuis interfecti crudeliter; vt iam nullo humanitatis, affinitatis aut religionis vinculo, in odioſam gentem cuncti ſæuierint. Ita duarum horarum ſpatio per Inſulam Franci ad octo millia interfecti, & carnificina ſæuiſſima per ſontes & inſontes graſſata eſt: expunctâ quidem ſanguine fœditate libidinis, ſed maiori crimine, cùm ſcelus infra pœnam foret. Vnus Lothi inſtar, ab dirâ ſtrage ſeruatus eſt, & virtuti ſuæ donatus, Guillelmus Porcelletus in Prouinciâ Phocenſi nobilis, quem Mamertini venerandum morum probitate, ereptum periculo, naui impoſuerunt ſecurum tot inter funera, quem inermis virtus ſtiparet. Quæ hanc cladem ſequuta ſunt, Meſſanæ obſidium, Petti in Siciliam aduentus, ſingulare certamen oblatum Carolo, Petro prouocante, eodémque eludente inane & irritum, Caroli Claudi vincula, ipſiúſque Regis tot inter ærumnas moleſtiſſimum funus; narrant quibus Neapolitanum regnum materia eſt: ego ad Franciam meam me admouco propius. Sicilia in poſterum, vt ab Italiâ quondam mari auulſa fuerat, ita à Neapoli furore cæco diſtrahitur, præmiúmque turbarum Aragonio ſtetit. Sed vnius Dei eſt regna & imperia, vel in præmium tradere vel in pœnam, & in ſeris nepotibus auorum delicta plectere. Sanè Petro Pontificiis diris afflato Sicilia haud læta obtigit, non multò poſt in Aragoniâ ſuâ, imò tantùm non alienâ, pereunti.

PHILIPPVS AVDAX.

Veſpera Sicula.

Anno 1282.

Porcelletus ſeruatus.

XI.

Carolo Rege Siciliæ morte rapto, Martinus Pontifex aliquanto poſt vitam clauſit, cui ſuffectus Honorius IV. pariter odium in Aragonium, & beneuolentiam in Francum ſuſcepit. Ideò inſtauratis in Petrum execrationibus, quem & regno deiectum Martinus ſignificauerat, ne inania forent fulmina ad Philippum legat, & Aragoniæ regnum Carolo ſecundo filio, genito ex Petri ſorore Iſabellâ donat. Euocati Proceres à Philippo admittendum id cenſent, quando Aragonia ſtipendiaria foret Pontificis, ſique

Bellum Aragonium.

PHILIPPVS AVDAX. Anno 1285.

donaret cui ſupremum imperium eſſet. Magnâ celebritate Carolus inauguratur in Francià, cùm iam Philippus frater Nauarræ Rex ductâ Ioannâ virgine diceretur. Ab quæſito iure ad vſurpandam poſſeſſionem vires impenſæ ſunt. Conſcriptis copiis, omnibus Cruce ſignatis, ſeu ad ſacram expeditionem, & præſente Legato Pontificis, Narbo vrbs in extrema Occitania deſignata; ac ſub ſignis conuenerunt peditum millia octoginta, equitum caraphractorum viginti, ſtabántque in anchoris naues ac triremes centum & viginti. Hic apparatus non Aragoniam modò appetebat, ſed Caſtellam ipſam, quæ Ferdinandi liberis reſtitueretur; nam auus Alphonſus diem obierat, ac teſtamento nepotes hæredes ſcripſerat, Sanctio filio exhæredato, & paternis diris deuoto. Ad ea exordia acceſſit Iacobus Aragonius Petri frater, Balearium Rex, qui capitali in fratrem odio, vltrò ad Philippum deſciuit. Petrus interea vt ſe in tantam potentiam communiret nihil prætermiſerat; ideo Francum abducturus, in Nauarram arma intulerat, víque omni Tudelam vrbem impugnauerat. Sed Ioannis Laræ Præfecti virtute ab eâ depulſus, vaſtatâ regione Cæſarauguſtæ ſeſe abdiderat. Inde Principes in auxilium implorabat; Rodulphum Imperatorem, & Sanctium Caſtellæ Regem; iſtum ob commune periculum, quia & ipſe Francorum armis deſignaretur; illum, Gibellinam factionem excitando quæ potentiâ Pontificum exſcinderetur. At ij rogati ſe ſinguli excuſabant; Caſtellanus, quod bello Maurico diſtineretur, nec vellet Francum exacerbare, quem mulcere admodùm cuperet; Germanus & ſuo in Heluetios bello implicabatur, nec iis erat viribus quas in Romanum Pontificem Francorum fultum auctoritate exereret. Ita Aragonius vno ſe in tantam potentiam nitebatur; nec deſpondit animum, aut omiſit quidquam quod fortitudo deſideraret. Ager Ruſcinonenſis primus Marti obiiciebatur, præſidia in oppidis eius impoſuit, tum exercitum vltra Pyrenæos in Catalauniam reuocauit, primum Francorum impetum hoc præclaro aggere repreſſurus. Philippo opportuna primordia contigerunt; Perpinianum Ruſcinonenſium primaria vrbs illicò Iacobo Aragonio tradita, & ab eo Regi in fidei pignus commiſſa; tunc properatum eſt ad oppida cætera expugnanda; nec vllum præter Elnam (quam appellant Gennam alij) repugnare auſum. Eam vir fortis ſpurius Ruſcinonenſis propugnabat; & ſpem fecerat Aragonius immittendi ſubſidij; attamen incumbente toto exercitu, vi capta eſt; & litatum Marti omnium ſanguine. Vnus fato ereptus ſpurius quem dixi, tum ſuæ fortitudini tum clementiæ regiæ ſalutem debuit; quippe in campanariam turrim cùm ſe recepiſſet, pugnabat tam egregiè, vt Rex admiratione virtutis vitam non roganti donauerit. Nec ſe ingratum vir fortis exhibuit. Pyrenæorum fauces atque aditus ſic obſtruxerat Petrus, & defendebat ſelecto milite, vt penetrandi vlterius ſpe ſublatâ, Francus otioſus citra repagulum ageret. Ruſcinonenſis ſeruatus moram abrupit; gnarus locorum Francis nouum iter aperuit, & per rupium anfractus calléſque inuios, eóque ſecuros, quòd pauciſſimis admodùm explorati forent, vltrà montes exercitum fide ſummâ deduxit, obſtupuítque Aragonius imminere hoſtes è montium iugis, quaſi volatu aut Magicâ arte illibatis

I.e Rouſſillon.

Elna capta.

illibatis præsidiis vecti essent. Quare suis iam metu perculsis, præstolari non ausus integros, robore militum in Gerundam iniecto, in interiora regni se recepit, bellum ex occasione capessiturus. Franci ex montibus in Emporitanum agrum effunduntur, subitóque impetu vrbes obiectas in potestatem redigunt, Petramlatam, Figueroam; atque maritimas Empuriam Rhodopénque; in hanc admissa classis commeatum omnem suppeditabat, alebátque exercitum, deportatis è Francia luculenter cibariis. Vna vrbs Gerunda scopuli instar, felicem cursum perturbauit, ac postremò naufragium intulit.

PHILIPPVS AVDAX. Girone. Roses.

XII. *Gerunda obsidio.*

Est Gerunda in colliculo posita, circùm effusâ agri planitie; superiora vrbis templum ornat munitque, turri eminente quæ sit arcis instar, Gerundellam vocant, in decliui priuatorum tecta exurgunt, inferiorem vrbem amnis Thera cingit, ripis præaltis atque arduis transitu; oppidi ambitus validis muris saxeísque turribus communitur; defendebat interiora præter lectum militem Raymundus Cardonæ Vicecomes, peritissimus militiæ dux, & hoc rerum statu Aragoniæ fulcrum. Franci postquam castris positis vrbem obuallarunt, tunc admouent ad murum machinas. Verùm Raymundus crebrò vrbe erumpens conturbabat omnia; incensis plerumque machinis aut euersis, & castris variâ strage confusis. Erumpenti faciebat animum, & parabat opportunitatem Rogerius Comes Fuxiensis, iam Bearnij Dominus socero mortuo; ille Raymundo affinis, & Philippo clam infensus ob priorem noxam, recentiori memoriâ pœnæ quàm veniæ, communicabat cum obsesso consilia, aperiebat per occultos nuntios Francorum commoda atque incommoda; vt nunquam erumperet nisi magno Regis detrimento. Per has moras cùm prolataretur obsidio, Petro Regi erectus est animus, modúsque defendendæ vrbis quæsitus. Selectis peditibus bis mille, quingentis equitibus, loca insidiis opportuna insidens, vrbem inter & portum Rhodopensem, commeatus intercipiebat, & rationem belli disturbabat: virgultis, tectus latebrisque conuallium, vel toto exercitu erat impetendus, ita soluebatur obsidio, vel diuisis agminibus, quæ si infirma erant profligabat; si validiora, continebat se saltu. Rodulphus Neslius Comestabilis tectum latebris frustra eliciebat ad pugnam, nusquam progredientem nisi viribus superiorem. Tandem Comestabilis cautum & callidum intercepturus, trecentos è toto exercitu fortissimos equites seligit, eductósque castris ita alloquitur. *Selegi vos, commilitones fortissimi, ad liberanda castra, profligandum hostem, & ignominiam eluendam. Nec imminuam periculi magnitudinem, trecentos duntaxat in Petrum Aragonium, copiásque ex Aragoniis lectas duco, & prouocaturus. Audistis latronem hanc viam insedisse, grassari in nostros, & commeatu diripere. Rectà in eum tendimus; imus eductum grassatorem è latebris, veteres nouásque iniurias vindicamus. Nam ij sunt Siculi, illi sicarij, qui confoderunt populares nostros & affines. Lugent etiamnum cruenta cadauera, tot insontium funera reposcunt vltorem, vt pudeat nondum eluam nostri nominis maculam. Iam nos circumstant morientium animæ, præstolantur vltionem æquissimam, inflammant iræ iustissimum fomitem, futura nobis in clypeum, sociásque certaminis. Faccssat in numero tam impare metus; pauci quidem pugnabimus, sed*

Petrus Rex pugnat.

Raoul de Nesle.

Oratio Nestij Comestabilis.

PHILIPPVS AVDAX.

sed insontes, & insontium vindices, & Diuinæ instrumenta iustitiæ; in plures pugnabimus, sed in sicario, iam conscientiâ scelerum exagitatos, in reos humanæ diuinæque iustitiæ: atque vtinam quam plurimi adessent; vtinam omnes furiosi illi carnifices è Siciliâ conuolassent, vt vno simul prælio, & pœnas sontibus conficeremus, & parentaremus cæsorum manibus? Post hæc dicta, suos ad prælium ducit, sed incompositos, hostem vt falleret, & confuso de industria agmine. Petrus è speculâ exploratam turmam, prædam ratus, suos disponit ad latera, & in Francos magno clamore infunditur. Illi extemplò contracto agmine, postquam sagittarum grandinem exceperunt, effusis equis inuecti in pedites, clauis & gladiis hostem disiiciunt; tum in equites directis lanceis irruentes, quanquam atroci prælio victoriam parant.

Petrus Saucius fugatur.

Anno 1285. Aragonius Rex præliabatur egregiè, sed ictu lanceæ discerpto ore, equi habenis abducebatur captiuus, cùm repente loris ense abscissis, equum calcaribus præcipitauit in fugam, séque eripuit; cæteri vel in pugnâ cæsi, vel in fugam acti. Eo prælio Gerundæ muri cum propugnantium animis conciderunt; detractâ spe subsidij, & fame miserorum corpora depascente, victor admissus est; nec tamen sine Fuxiensis proditione. Nam in vrbem ad pacta concilianda ab Rege missus, Raymundo quem renitentem plurimùm affirmabat deditionem persuasurus, cùm difficilia omnia fingeret, impetrauit conditiones opulentas deploratissimo militi, quem fames proximo triduo enecabat.

Gerunda capta.

XIII. Gerundâ captâ, Catalaunia patebat victori, & iam Philippus de promouendis armis cogitabat, cùm lustrato exercitu aduertit imminutas copias, desiderari magnum militis numerum, infrequentem in legionibus peditem, tam rarum equitem, iumenta deficere; vno verbo exercitum nouæ expeditioni imparem esse. Quippe morbi, æstu solis, atque soli intemperie contracti, maximam militum partem absumpserant, languentibus qui superstites erant, deformato vultu, & infirmissimis viribus. Illa infortunij noxa, hæc imprudentiæ & temeritatis; qua Rex vltrò classem debilitauit, dimissis Genuensibus & Pisanis, quorum naues stipe conduxerat; vt sumptibus parceret quos hauriebant nauigia, pernicioſa parsimonia reliquias militum rapiente. Nam Rogerius Laurea celeberrimus ille mari victor, Tarento in Brutiis expugnata, Aragonio Regi opem laturus cum classe aduolat, naualique prælio cum Francis commisso, quos auxilia iam destituerant, capto Admiralio Enguerrano Balliolo, cum triremibus quindecim, haud ægrè vincit; aliis duodecim in Rhodopensem portum confugientibus. Nec illarum sors melior, quibus ipsi Franci iniecerunt ignem, ne occuparentur ab hostibus, recepto milite, & Gerundam abducto. Hac clade muratum Regi consilium, statutúmque in præsentia reuertendum in Franciam. Autumnus iam adolescebat, morbi pleroſque Principum affligebant; Rex ipse febri correptus ceperat de se sollicitus esse; ideò Gerunda munita iter per Pyrenæos versus Franciam captum. Scribunt Hispani in sacrilegij pœnam hanc pestem afflatam; quod Franci Diuorum templa violassent, diripuissent donaria, & Narcissi sepulchrum, qui vrbis Tutelaris est, disturbassent. Institutum iter in sua pericula incurrit. Insederant montium

Philippus in Franciam regreditur.

De Balleul.

rium fauces Aragonij, è superiore loco infestabant valles, modò à tergo, mox à fronte, lentos vrgebant, properantes arcebant, nusquam non aliquo in festinatione cursus intercepto. Gestabatur infirmus Rex à lecticariis; hinc rupes inter abruptas, crebras insidias, hostiúmque incursus, agitatione & successu lecticæ, morbo aucto, Perpiniani animam emisit; vitæ anno quadragesimo, tanto apparatu in tristissimum funus desinente. Erat hic natura miti, & pronâ ad hauriendos pietatis sensus; ideò patris studia æmulatus, abstinentiam, castimoniam, & asperitatem in corpus exercuit; sed virtutibus regiis multùm impar, Brossio obnoxius, & indole ad alienum ductum molliore. Audax appellatus est, seu confidens; nullo quod scribatur peculiari facinore, crediderim quòd in eâ naturæ mollitudine, intrepidè in belli pericula sese obiiceret. Extemplò Franci Gerundâ cæterísque oppidis relictis, securitatem cum Aragonio pacti, se in Franciam receperunt, nullo tanti belli operæ pretio, præter Regum funera. Nam mense proximo, Petrus febri ex vulnere conceptâ interiit. Aragoniæ regnum illibatum ad filium Alfonsum peruenit; Iacobus & Fridericus secundò geniti Siciliam deinceps obtinuerunt, propagato in vltimam stirpem imperio. Ita vnus annus præter Pontificem tres Reges extulit, in æstu rerum, dolore, spe & metu, qui vehementissimi sunt affectus, perturbatos atque agitatos. Dixeris apũ examina furore cæco pugnantia, quas iectæ terræ pugillus compescit.

PHILIPPVS AVDAX.

Rex moritur.

Anno 1285.

Le Hardy.

Petri Aragonymors.

Philippus filius, ductâ matrimonio Ioannâ, iam Nauarræ Rex, inunctus est Rhemis, ætatis anno decimo-septimo, vel vicesimo, vt volunt alij; Pulchri nomen ob egregiam oris corporísque formam assecutus, magnâ curâ ab Ægidio Romano optimis litteris institutus. Eo adhortante creditur Regum primus Parlamenti Parisiensis designasse formam: nam cùm Ægidius habitâ oratione, grauiter de litigantium miseriis, & Iudicum iniquitate conquestus esset; Philippus constituit, vt Parlamentum, quod hactenus arbitratium fuerat, constabátque ex Proceribus regni, in posterum fixa Parisiis sede, ius petentibus diceret, appellabátque ipse ex Præsulibus atque Proceribus quotannis Iudices. Ac primùm non toto anni cursu ius pronuntiabant, sed post festos Paschatis dies & Sanctorum omnium celebritatem, binis mensibus in singula tempora designatis; ac postmodùm Palatio Regis ad Sedem concesso. Idque Parlamentum est, seu Iudicum curia, de quo in posterum tam frequens mentio, quodque à Sagatis ad Togatos transiens, à regni curis ad litigantium tricas, tamen dignitatem Senatoribus dignam asseruit, pro regni incolumitate contendit, & sanctissimorum Iudicum ferax, intaminatos Magistratus omni æuo exhibuit. Constituta Iustitia Philippus à bello Aragonico alienus; seu quòd eo fratri Carolo quæreretur regnum, ingenti Franciæ detrimento; satis habuit cura & sedulitate libertatem Caroli Claudi Neapolitani Regis conficere, qua tandem anno tertio post ærumnas multas perfecta; ab Anglia bellum repentè exarsit, quod Flandricum postea, tristissimum fœtum luci dedit. Belli causam gens altera in alteram confert: Anglus Francum accusat, quod duas naues ad Normanni littus delatas diripuissent Normanni, ac constitutam pacẽ primi infregissent: Francus Anglum insimulat, quod Pictonum Santonúmq; oras

XIV.

PHILIPPVS IV. PVLCHER dictus.

Parlamenti Parisiensis institutio.

Bellum Anglicum cum Eduardo primo.

PHILIPPVS PVLCHER.

peruastasset, & Rupellam clandestinis consiliis occupare tentasset, sanè occasio leuissima fuit, & in speciem nullius momenti. Duo Nauicularij, quorum vnus Anglus, alter Normannus, in Aquitania exscenderant, aquandi gratiâ; rixa primùm oritur, dein committitur pugna; mox æmulatio & vltio gentem vtramque committunt. Ego crediderim causam belli vtrinque quæsitam, & cupientibus animis arcessitam. Eduardus Angliæ Rex ob Siciliæ regnum collatum in Francos iam antè flagrabat inuidiâ; accesserat odium, ob Richardi patrbelis necem à Simone Monfortio illatam, Carolo Rege Siciliæ spectante, nec vindicante, haud dubiè captabat opportunitatem bellandi. Hactenus distinebatur variis bellis cum Scotorum Regibus, quibus multâ gloriâ & fructu vbere tandem impletis, nam Regem Scotis dederat, intus partâ securitate se ad externa conuertit; hocque consilio cõtraxit affinitates, quibus vota faciliùs promoueret. Tres filias tribus Principibus nuptui dedit; Eleonoram Henrico Barrij Duci, Margaritam Ioanni Duci Brabantiæ, & Ioannam Gilberto Gloceſtriæ Comiti. Guidonem Flandriæ Comitem pari vinculo nexuit, pactis eius filiæ nuptiis cum Eduardo filio: Præterea vt Germaniam deuinciret, Adolpho Nassouio Imperatori centum librarum millia mutua dat, inito fœdere vt inuaderet Franciam. His instructus opibus, ingentem classem apparauit, in speciem vt in Palæstinam mitteret, & Ptolemaidi à Saracenis obsessæ suppetias iret. Verum captâ Ptolemaïde & cuersâ, cùm instaret nihilominus classi instruendæ, & prætextu amoto pateret consilium, ab eo Franci quasi à certo hoste cauendum putarunt. Inde direptæ in Normanniâ naues, vastata ora Santonum, ac demùm bellum illatum inuicem ac repulsum. Id antequam prorumpat, Philippus ab Anglo Flandrum dirempturus, cum in Aulam arcessit cum filia, vt saltem in speciem, ipsius collocandæ facultatem à Rege posceret. Ille vt commodiùs falleret, in Aulam venit; sed extemplò in custodiam mittitur, nec eâ soluitur, nisi repudiato cum Anglis fœdere; filia in pignus fidei detenta est; alteróque pòst anno dolore contabuit, quod nuptiis & Diademate prohiberetur. Armis etiam iura præluserunt, dictâque Regi Eduardo dies, vt se ad Parlamentum sisteret, ob perfidias patratas in Dominum, & ille Edmundum fratrem Parisios misit, morbum excusans qui nauigationem vetaret. Franciæ Pares excusatione reiecta, cùm ipsum Regem præsentem exposcerent, ille laruâ depositâ reponit ferociter, se ditiones clientelares Franco abdicare, quas breui compararet ferro, suæque fortitudini non vili obsequio acceptas referret. Ideò à Parlamento contumax & rebellis pronuntiatus est, omnísque Aquitania regno adscripta est. Scio scriptores Anglos ingentem victoriam hic referre, quam Robertus Tiptostus suæ classis Præfectus nauali prælio reportasset; cuius nostri Annales cùm non meminerint, crediderim tumultuario prælio Francos victos, cuius vt fieri solet, victores exaggerauerint gloriam, victi imminuerint.

XV. *Bellum in Aquitania.*

Parlamenti sententiam exequutus Comestabilis Nesslius, in Aquitaniam ducto exercitu, simul vt visus est Burdegalam cœpit. Rogerius Bernardus Comes Fuxiensis fomitem prompto incendio apparauerat. Ille seu proditionis ad Gerundam eluendæ cupidus, seu innato in Anglos odio, clam

Burdega-

Burdegalenſium animos ſollicitauerat, vt abiecto Anglorum iugo impotentius dominantium, ſe permitterent Regi. Occupatâ Burdegalâ, tota propemodùm regio ſe vincenti tradit. Angli in duas arces Garumnæ impoſitas, Rionum & Potenſacum ſeſe recipiunt; eáſque omni ſollicitudine muniunt, dum ab ſuo Rege inſtruuntur auxilia. Et ille domi rebellione nouâ perculſus, Vallis Aquitanorum exemplo deficientibus, poſtquam hæſit aliquandiu dubius in vtram partem conuerteret ſe, tandem domeſtica externis præferens, ſubigendos Vallos ſibi ſepoſuit, & Ioannem Britannum cum Tiptoſto claſſis Præfecto in Aquitaniam miſit. Iámque Franco ab Germaniâ deceſſerat metus, Brabantino Duce emortuo, & excitato in Adolphum Imperatorem Alberto Auſtriaco, qui in æmulum odio, & cupidine Francicæ pecuniæ, moleſtiſſimum ac funeſtum bellum comparabat. Rex præterea ad claſſis hoſtilis famam nouum ſcribit exercitum, quem Carolo fratri, Valeſio dicto ob Ducatum Valeſium, tradit. Verùm claſſis Anglica præuertit exercitum. Ea poſtquam Rheam in Santonibus Inſulam impetu primo diripuit, Burdegalam acceſſit; vnde repulſa Neſſij fortitudine, milite expoſito, oppida latè graſſans circùm inuadit, quorum caput Sanſeuerinum ad Laturrum amnem; ac Baionam iam validiſſimam magnique momenti, capto Aſpremontio vrbis Præfecto peragitata cum ciue conſilia occupat. Vaſconiam dum Angli inſident, Carolus Valeſius tranſmittit Garumnam, Neſlióque adiunctus, Anglos vicem ſuam paſſos campis pellit; ac caſtella quæ proximè Burdegalam infeſtabant, Rionum & Pontenſacum, expugnare aggreditur. Ea decimo quinto ſuprà Burdegalam milliari, geminam Garumnæ ripam premebant oppoſita, & immiſſo Vaſconum nouo præſidio exquiſitiſſimam defenſionem inſtruxerant. Franci duces partiti militem, vtramque ſimul arcem impetunt machinis, Rionum Valeſius, Potenſacum Comeſtabilis. Et hic primus caſtro potitus eſt, tunc adiunctus Valeſio, vi Rionum expugnat; Vaſcones trucidati, Angli ad redemptionem ſeruati; arces ſolo dirutæ, monumenta victoriæ ipsâ victoriâ euertente. Dein feſtinatum ad Sanſeuerinum, quod in menſem tertium obſidionem extraxit. Eo capto Baiona vna ſupererat quam Angli tenerent, cùm Carolus Valeſius reuocatur, Roberto Arteſio in eius locum ſuffecto; Edmundo Eduardi fratre pariter in Aquitaniam miſſo: at noui duces quid egerint haud certò conſtat, niſi quod Edmundus diem morbo obiit, & induciæ in aliquot annos contractæ ſunt. Quarum interuallo Rex Comites Fuxienſem & Armaniacum, ſororios, graues inimicitias exercentes, à duello abſtraxit, & litem ab armis traduxit ad iura. Ii Gaſtonis Moncadij Bearnij Domini filias in matrimonio habebant, Margaritam Fuxienſis, Amatam Armaniacus; Gaſto teſtamento Conſtantiam natu maximam quæ nupſerat Regi Aragonum heredem ſcripſerat, eíque ſubſtituerat Margaritam, ſi ſine liberis ſoror moreretur. Impletâ conditione, Fuxienſis Margaritæ coniux hereditatẽ totam adiuerat; Armaniacus eam diuidi poſtulabat, & quoniam obſtabant teſtamenti tabulæ, eas falſas affirmabat, & à Fuxienſi cõfictas. Hac iniuria Fuxienſis vehementer offenſus, in certamen Armaniacũ prouocat, quod Parlamentum

PHILIPPVS PVLCHER.

Rion & Potenſac.

Saint Sever.

Fuxienſis & Armaniacus emciliati.

PHILIPPVS PVLCHER.

aliarum probationum defectu admiserat; iámque Gisortij spectante Rege in arenam descenderant; cùm ipse Rex saluti consulens tam illustrium Procerum, vi pugnam dirimit, inuitósque abducit; publicis litteris à duello prohibitos contestatus, litémque ad tribunal Iudicum reuocat, Comites iram habuerunt in potestate; quanquam ferocissimi animis. Et vera generositas tam affectum domat quàm inimicum.

XVI. *Bellum cum Flandro.*

Pacem interea vnius virginis mors abrupit; Philippa Guidonis Flandrensis Comitis filia, quam dixi retentam Parisiis, ægritudine animi desiit viuere. Tunc pater, sublato pignore ratus fidem liberam, & instaurato in Regem odio, fœdus cum Anglo renouat, spondétque Isabellam alteram filiam iis quibus ante conditionibus, vno fœderis scopo vt iunctis viribus capitali bello Francum impeterent: Et Adolphus in partem belli adscitus, Germanos plurimos conscribebat. Flander his munitus præsidiis, superbiam primùm atque audaciam in Regem armat; nam quod hactenus inauditum erat, perfecialem bellum indicit, nullâ clientis in Dominum reuerentiâ. Rex vehementer hac proteruitate offensus, postquam Rhemensis Archiepiscopus Flandrum anathemate percutit, totámque Flandriam sacris interdixit; primo vere florentissimo exercitu in eam inuadit, copiis inconsultò euocatis ab Aquitaniâ. Flander primum hostis impetum, vt muris frangeret, tribus filiis partitus copias, ad Brugas cum parte maximâ collocat castra è filiis Robertus Insulas, Duacum Guillelmus, Ioannes Cortracum propugnanda suscipiunt. Rex bipertitus exercitum, Roberto Artesio partem tradit, qui agrorum populatione Flandrum comprimeret, dum ipse Insulas obsidione cingit. Ea copiarum diuisio spem Flandro fecit tentandi prælij; subsidia nuper ab Imperatore acceperat, credebátque Artesium incautum, soluto populationibus milite, intercipi posse & deleri. Eo consilio celeriter educit militem, & ad Artesium properat ad Furnas agentem. Artesius intrepidè militem ad prælium sistit. Id atrox conseritur, victúsque Flander in fugam agitur; quàm ferociter sit pugnatum clades ostendit; cæsis Flandrensium sexdecim millibus, Comites Belmortius & Iuliacensis capti sunt; præda ingens penes victorem cum gloria fuit. Ducem Artesium vt victoriæ decus ita doloris sensus affecit; nam Robertum vnicum qui supererat filium ea pugna sustulit; adolescentem fortissimum inter primos ordines tot confossum vulneribus, vt expirauerit, sed partâ victoria; diuiso patre luctum inter & gloriam, dum luget mortuum quem gratulatur victorem. Francorum res promotæ plurimùm eo prælio; quippe Eduardus profectus ab Angliâ, adiungebat se Comiti, virésque magnum in modum augebat. Aquitaniam propè totam receperat, quam Philippus Flandri opprimendi cupidior, Artesio reuocato, inuadenti obiecerat. Idem Turbauillam, Anglum quidem, sed proditorem, & agitantem cum Franco consilia, occupauerat, affecerátque supplicio; generum Ducem Barrensem instructo exercitu immiserat in Campaniam, vastantem agros atque vrentem; haud dubie si aduentantem se Flander expectasset, graue incommodum Franco illaturus. Verùm contraria omnia contigerunt. Nam sub Comitis cladem adueniens, cum eo Gandauum recessit;

Anno 1296.

Pugna Furnensis.

Anno 1297.

ceſſit ; ſtrage conterritum metúque ſtupidum confirmaturus : ſimúlque audit Ducem Barrenſem à Gualtero Crecyo victum & fugatum, magnaque ignominia in ditionem ſuam retruſum. Hic victoriæ fructus ; ſtatim alterum Philippus percepit, redditis Inſulis ; quibus illicò Brugæ, Caſſetum, Cortracum acceſſerunt, & Flandria inferior vniuerſa ; metu quaſi contagio peruadente in oppida, & munitionum clauſtra diruente. Hæc dum aguntur, Bonifacius Pontifex omni contentione ſatagebat, conciliandæ inter Reges paci ; éámque in rem Carolus Claudus Neapolis Rex profectus ad Philippum, adiuncto Sabaudiæ Comite, tantoperè enixus eſt, vt in biennium inducias impetrauerit ; Rege Flandricas vrbes obtinente interea. Ita bello ad tempus ſopito, Regum Legati coram Pontifice, in quem arbitrum ſponte conuenerant, dum ſuam quiſque rem diſceptant, nouæ controuerſiæ & moleſtiſſimæ omnium fons erupit. Quippe Bonifacius ab arbitro deflectens in Iudicem, Legatum in Franciam mittit, qui Regem iuberet inſtaurare inducias, dum amplius Pontifex de iure cognoſcit. Extemplò Franci eo agendi modo & iubendi verbo commoti, Regi auctores ſunt vt Pontifici in hunc ſenſum reſpondeat : *Se promptum eſſe Apoſtolicæ Sedi obtemperare in iis quæ ad animum pertinent ; at quantum ad regni ſui adminiſtrationem ſpectaret, neminem eſſe mortalium quem ſuperiorem agnoſceret ; vnum eſſe Deum, cui ſubiectus foret, ab eo vno ſibi regnum commiſſum, illi vni regni benè aut ſecus geſti rationem conſtare.* Eo reſponſo Bonifacius, vt erat ingentis animi, & concitatior, Pontificias litteras ad Reges ſcribit ; quibus imperabat vt pacem conficerent ; iiſque Philippus quaſi belli auctor deſignatus, reſtituere illicò quæ occupaſſet in Aquitaniâ & Flandriâ iubebatur. Eæ litteræ infenſo animo à Rege acceptæ, & primum odij ſemen, quod poſtea totius orbis offenſione, & vtriuſque Principum damno, prorupit in Bonifacium. Philippus interea, vt Flandro, in quem erat propenſior Pontifex, incumberet totus, pacem cum Anglo fecit, reſtitutis aliquot in Aquitaniâ oppidis, & Margarita ſorore in vxorem datâ. Nec Anglus à Flandro abſcedebat inuitus, poſt ortam Gandaui ſeditionem, qua plures Angli incauti cæſi ſunt, & ipſe in diſcrimen vitæ adductus. Sic amorem Principum odiúmve ſua ipſorum vtilitas agit ac conuertit.

PHILIPPVS PVLCHER.

De Clecy.

Turbæ Regis cum Bonifacio.

Finitis induciis, numeroſum exercitum Carolus Valeſius in Flandriam ducit. Occurrit Robertus liberorum Comitis maximus, victúſque primo impetu regionem totam milite inopem victori obiicit. Eum ciuitates certatim appellant, & infelicem Principem eiurantes, vltrò in poteſtatem vincentis concedunt. Iam Gandauenſes deditionem pacti cum Carolo, occaſioni inuigilabant tradendi Comitis ; eáque res Comitem in extrema quæque impellebat. Ideò propior deſperationi, cùm vndecumque immineret exitium, maluit hoſti quàm ſubditis permittere ſe, & proditionem occupare quam ipſe nullius ſcelere perpetraret. Explorato Valeſij animo, ad eum cum liberis ſupplex accedit, & humili geſtu profeſſus miſeriam, ſic implorat clementiam. *Habes hic, Princeps generoſiſſime, profligatum hoſtem atque debellatum, & patratam victoriæ metu victoriam. Viciſti præſentiâ, quem arma viciſſent, & contumaciam quam tot aduerſa nondum infregerant, domuiſti.*

XVII.

Bellum in Flandros renouatum.

PHILIPPVS PVLCHER.

Audieram Aragonios in Italiâ, Anglos in Aquitaniâ tuis armis victos & ſubactos; nunc famâ nominis Flandros domas; maiori laude; quia in alias palmas admiſiſti ſocios: hac vna tua eſt, & conſortis expers. Ita eſt, Princeps, difficillimum bellum tua dignitas ſtitit, confecit auctoritas, debellauit maieſtas, & animos armis illibatos gloria vicit. Eam ob rem, ſpero, monumentum potentiæ tuæ non aſpernaberis: promouebis clementia quos erigis indulgentia, & apud Regem auctoritate defendes, quos virtute ad Regem adducis. Vide quantùm clementiæ tuæ confidimus, non eam appellamus, non miſerias noſtras obtendimus; ea tibi nota ſunt & perſpecta; & clementia tua nobis innotuit: vnum precamur, vt apud Regem promoueas ſupplices, vt qui ipſe es conformes Principem, vt Dominum places clienti infenſum, & fatenti crimen leuiorem pœnam conficias: nam donari venia, tam ſupra ſpem quàm flagitium eſt; quam cùm ſemel donaueris, ſat miſeris indultum eſt, quibus permiſſum ſit culpam agnoſcere & deprecari, & ad Initionem pœnæ perdurare. Ita alloquutus, ſe, duos filios, & quadraginta optimates, poteſtati victoris tradidit. Valeſius mirum in modum lætus, quod arduum bellum tam parato exitu terminaret, iubet Comitem bono animo eſſe, ſpem veniæ facit, regiam clementiam oſtentat; demiſſione exarmari Reges, quos ferocia atque rebellio in arma egerant. Hac ſpe fultus Comes ad Regem pergit; precéſque ſupplices ad appellandam clementiam fundit. Verùm contra ſpem durum atque impetuum Philippum reperit. Ille poſtquam ſupplici exprobrauit audaciam & obſtinatam perduellionem; ſiue in fratrem Valeſium inuidentiâ, ſeu inueterato in ipſum Comitem odio, ſiue cupiditate tam opulentæ prouinciæ; ſiue gratiâ Enguerrani Marinij, qui vt Regis vnus potiretur expellebat Valeſium; ſiue his ſingulis cauſis conuenientibus; Comitem, cæteróſque dedititios compegit in carcerem; & quod durius viſum atque inhumanius, ſeiunxit patrem à liberis, ſingulis vrbes ſingulas in cuſtodiam deſignans; cæteris abrogatis quæ ſtatuiſſet Valeſius. Præterea anno proximo ipſe in Flandriam pergit, totam captis obſidibus poteſtatis ſubiiciens; vnde abſcedens, vt Valeſio integra contumelia eſſet, Caſtilionium Proregem conſtituit, abducto ſecum Valeſio. Et quidem mirum eſt, fortiſſimum Principem offenſi animi ſenſum continuiſſe, nec vllo conſilio machinatum vindictam; adeò Regum inualeſcebat auctoritas, & ad faſtigium admoti propius, impenſius dimittebantur obſequio. Attamen Valeſius, vt dolorem abſentiâ mitigaret, vocante Bonifacio profectus eſt in Italiam, Conſtantinopolitani Imperij ſpe ſuſceptâ; nam vxorem duxerat Catharinam Balduini filiam, quem Conſtantinopoli eiecerat Palæologus. In eam ſpem dictus à Pontifice Sedis Vicarius, Guelfos armis iuuit à Gibellinis oppreſſos, totáque Etruriâ ad factiones extinguendas contendit; præſertim Florentiæ, Nigrorum atque Alborum partibus ſciſſæ, Albos qui Gibellini erant in exilium egit; in quibus Dantes Aligerius, Poëta clariſſimus, ob exilium Franciæ perinfenſus, & Regum ſtemmati: quanquam ciuibus furore Cadmæo in ſe mutuò ſæuientibus, Princeps vrbe exceſſit, quam exſcinderet citiùs quàm pacaret. Tum Caroli Claudi Neapolitani Regis claſſem in Siciliam duxit, Friderico Aragonium expulſurus; ſed illicò

Comes Flandriæ ſe Valeſio tradit.

Anno 1300.

Valeſius in Italia.

bellum

bellum in pacem desiit, quâ tota Calabria Carolo reddita, seruante Friderico Siciliam, cum nouâ coniuge Eleonorâ Caroli filiâ. Ac postmodùm euanescente Imperij spe, Valesius in Franciam clade Flandrensi turbatam rediit, cumulatus gestarum rerum ingenti gloriâ, & coram sui contemptus pœnam inspecturus. PHILIP. PVS PVLCHER.

XVIII. *Tertiò bellum instauratur in Flandria.*

Eam Castilionij Proregis Flandrensis ferebat asperitas, auaritiæ iuncta, alebat & confirmabat Flandrorum patientia iam in furorem deficiens. Quippe Castilionius ratus perdomandam ipsorum contumaciam, & quorum amorem beneficiis assequi debuisset, eorum odium metu & terrore comparans, exercebat acerbissimas pœnas in peccantes, extinguebat immunitates, euersas Cortraci & Casleti arces instaurabat, excitabat nouas, futuras singulis vrbibus compedes, passimque omnium vel operam vel pecuniam ad molestissimæ rei fabricam exigebat; vt miseri sibi vincula cuderent suo ferro suisque manibus cogerentur. Cùm eam in rem opulenti vt sit grauissimum onus in tenuiores reiicerent; hinc Brugis primùm orta seditio, quâ tota mox exarsit Flandria, bellúmque difficillimum natum est. Artifices quorum Brugis ingens est numerus, de iniquitate vectigalis questi, consurgunt in diuites, vrbísque præfectum illorum fautorem adorti, ædes expilant, famulos obtruncant, ac seditionem vrbe tota propagant. Digni nouæ militiæ duces, quidam Petrus textor, modò effracto carcere solutus vinculis, & Ioannes Bridanus Lanio, vt quam in mactandis pecoribus exercebat artem, eam in Francorum cæde institueret. Iis antesignanis in diuitum lares irrumpitur; & supellex pretiosa in prædam rapitur; tum furoris incremento satietas prædæ in cupiditatem sanguinis versa; Francis maximè ad implendam iram designatis. Nullum iis asylum, locus nullus quem vel religio sacrosancta defenderet. Penetrant vesani in ipsorum domos, raptos è laribus mactant crudeliter, discerpunt in frusta, diripiunt cruentis manibus viscera, letho multiplici perimunt, se contaminant cæsorum sanguine, laudíque est fœdasse vultum tabo & cruore, séque totos miserabili sanie perfudisse. Dein ædibus flammas subiiciunt, inclusósque horrendis comburunt incendiis; hastis excipientes, si qui fenestris prosilirent in atrium. Sub ipsa altaria confodiunt supplices, sacríque parietes atque adeò aræ augustæ sacrificiis inquinantur imbre sanguineo: iam vrbs tota cruore diffluit, passimque cadauera suis artubus trunca, & Nobilium capita hastis affixa, in plebis ludum spectantur, & furoris materiam. Momento eadem rabies per vrbes cæteras dirâ Francorum strage concitatur; vnúmque Gandauum Præfectorum curâ in officio perstitit, multísque Francis pro asylo fugientibus fuit. Guido Comitis filius Iuliaci exul, repentè aduolat, & conscripto milite rabiem insanientium regit, ac seditionem in bellum auertit. Regem inaudito nuntio armabat vindicta, cùm suus etiam tumultus Parisiis grauiter periclitantem continuit. Iam antè Anglico bello, ob noua tributa plebs oppressa expostulauerat; mercium partem primò centesimam, dein quinquagesimam vi adactâ persoluerat; postremò bonorum omnium tam mobilium quàm solidorum quinquagesimam partem; vnde nata vox illa, apud posteros adeò celebris, populorum odio detestante,

Brugarum seditio. Anno 1302.

Parisiis tumultus excitatus.

PHILIPPVS PVLCHER.

stante, Malatoltio, voce Francica *Maletoute*; quasi malè tolleretur, quod contra fas vt dicebant ipsi exigeretur. Modò nouum tributum accesserat, auctore quodam Musciato Florentino, priuato nemini in speciem onerosum, reuerà graue cunctis, & commercio quàm pernicioſum. Nam monetæ materia parte tertia suo pretio minor cudebatur; vnde repentè tanta confusio in emptione rerum exorta est, vt Parisiis plebs furore percita arma rapuerit: Et pax in prouinciis laborabat, ob vectigal aliud nuper impositum, quo mercatores in libras singulas singulos solidos numerabant. Parisiis vt in capite totum regnum commotum est, ac pacatum mox. Primus impetus in Barberam tributi redemptorem prorupit, cuius domus duæ direptæ sunt atque euersæ; tunc vesana plebs, pudore & reuerentia profligatis, ad ædes Regias, quæ in Templo erant, seu Templariorum hospitio, aduolat præceps, clamoribus & minis adeò personans, vt nemini in ædes pateret aditus exitúsve; eáque audacia vt cibos regios à ministris illatos humi proiicerent atque proculcarent. Rex prudenter dato furori spatio, postquam ille aliquantulùm conquieuit, prodit è regia, & qui turbulentissimi erant apprehensos, affigi patibulo ad portas vrbis iubet: lustratâ his iustitiæ victimis Ciuitate, cæteræ prouinciæ exemplo territæ, & recreatæ solatio, tributo in libras singulas abrogato. Hæsit aduersus Templarios in animo Regis offensio, mox illorum pernicie proruptura; quoniam dicebantur tumultus vocibus aluisse, ob ingentes facultates maximè omnium tributis obnoxij.

XIX. *Francorum clades ad Cortracum.*

Pacatâ seditione, conscriptum tanto sumptu tantáque curâ exercitum Roberto Artesio Rex commendat, præclarissimo duci, quem in Flandros odium vetus, & noua ad Furnas victoria, in vilissimæ plebis supplicium propellerent atque incenderent. Erant in exercitu quinquaginta peditum millia, equitum duodecim; præter imperatorem præfecti & tribuni palmis in Italiâ atque in Franciâ inclyti; Proceres magni nominis, Ludouicus Comes Claromontius, Regi affinis; Maioricæ Rex, Neslius Comestabilis, Comites, Eusianus, Marchiæ, Tancaruillæ, Aumalij, Sancti Pauli, Castilionius Prorex, aliique quamplurimi; cuncti ad victoriam vt rebantur certam, reipsa in perniciem & propudiosam necem irruentes. Flandri illicò rebellione incœpta, vt ducem quærerent, miserant ad Ioannem Comitem Namurcensem, rogatum vt Flandriam propugnatam vellet, oblato imperio, & ciuitatum obsequio. Nec ille abnuerat, immensámque turbam collegerat, non tam militum, quàm hominum, plebem inconditam, seditioni aptam haud bello. Ideò vbi primùm Artesius in Flandriam venit, flamma & ferro in mortales agrósque sæuiens; terrore iniecto maxima multitudo hostium effluxit; relictis viginti admodùm millibus, quos metu perculsos Anno 1302. ægrè ad Cortracum Namurcensis retinuit. Ad eos rectà pergit Artesius, habitóque de ratione pugnæ consilio, ipsum inter & Comestabilem contentio oritur. Nam Comestabilis censebat abstinendum pugnâ; hostes metu & periculi facie in desperationem agi non debere; qui etsi vincantur minimam gloriam pro ingenti discrimine comparare victoribus; defatigandos assiduis velitationibus; facilius postea toto exercitu obrui posse & deleri.

Contrà

Contrà Arteſius, cæcus odio, ſuiſque palmis fretus, viliſſimam hoſtium turbam, numerum exiguum, metum & trepidationem ingerebat; Franco probroſum, quod tam diu non viciſſet; poſſe hoſtem vno equorum impetu proculcari, & qui moram afferret, Longobardum ſapere, aut lupinam pellem. Ea verba Comeſtabilem inſimulabant proditionis, qui filiam Guillelmo Comitis Flandrenſis filio collocauerat; iiſque Senex fortiſſimus vehementer offenſus, reſpondit Arteſio; ſe in conflictu penetraturum, quò ipſe non peruaderet; animíſque per eiuſinodi probra inflammatis, tam præcipitanter in pugnam decurſum eſt, vt nec poſtremum agmen expectauerint, quod ſexto adhuc milliari diſtabat. Flandri beneficio loci ſe tuebantur. Ad Cortracum campus eſt Grœninga dictus; in eo foſſa ingens ad bicornis lunæ formam deducta, excipiebat è proximis agris aquas; in Liſam fluuium quas effundebat; nulli in ripa aggeres, nulla munimenta, ſolo æquabili, vtroque margine in ſuperficiem aquæ deſinente; quis credat immunitum locum atque indefenſum ſalutem & victoriam ſuis peperiſſe? Franci magno impetu, loco non explorato, in hoſtem procurrunt, in decem agmina partiti equites, legionibus à tergo locatis. Primus omnium Comeſtabilis contumeliæ memor ſuum agmen ducit, & puluereo turbine inuolutus, nam decima Iulij dies agebatur, citatis equis in patentem foſſam præcipitatur; ſimiliter alterum agmen pari curſu paríque lapſu deuoluitur; ita tertium, ac deinceps reliqua; vt breuiſſimo temporis ſpatio florentiſſimum equitatum hauſerint aquæ, & paludoſum cœnum immerſerit. Etenim ripæ altæ admodùm erant, aquæ lutulentæ & aggeſto limo impeditæ; ita tum equi tum equites primo ingenti lapſu excutiebantur, tum impliciti cœno atque limo, & armorum pondere prægrauati, enatare non poterant, aquíſque merſi necem hauriebant. Adſtabant ad ripam alteram Flandri, otioſi propemodùm ſpectatores, vníſque oculis pugnæ intenti, telis & contis ſi qui fortè eminerent cædebant. Tandem agmen poſtremum perſpecto periculo, retrò ceſſit; Sed tam trepidè & confuſè, vt legiones turbauerit, ordinéſque diſſoluerit. Flandri timore hoſtium deprehenſo, petito quâ incipiebat foſſa circuitu, in perterritos irruerunt, magnámque ſtragem ediderunt; quanquam fuga ſeruauit plurimos, Flandro inſequi vel minus auſo, vel ſpernente. Hæc clades Francis ingenti fuit tum ignominiæ tum iacturæ; nullus è profunda voragine ſaluus emerſit; Proceres omnes Nobileſque præter Comites Claromontanum & Sancti Pauli, aquis abſorpti ſunt, victores ſpolia è cadaueribus rapuerunt, quorum ſpecioſſima, inaurata calcaria octies mille, quæ geſtare nobilitate duntaxat inſignibus fas tunc erat; eorúmque plurima in templo Cortracenſi appenſa; iuſtè quidem, cùm victi calcaribus ſolis depugnaſſent. Arteſius tot bellis ſuperſtes, fato paternæ temeritatis, miſerè periit; aquâ ſpiritum elidente, quem tot enſes, lanceæ, haſtæ, & machinæ fruſtra petierant: ſimiliter Guido Luſinianus Comes interiit, ciuſque teſtamento Rex heres dictus Comitatus obtinuit, Marchiæ, Enculiſmæ, & Luſiniani. Eſtque illa ſtrages tantoperè Flandris celebrata; nullo ſanguine paratâ victoriâ, & ſe ipſum hoſte profligante. Rex tanto damno inflammatus potius quàm terrefactus, nouum

PHILIPPVS PVLCHER.

Nouus Regis exercitus.

PHILIPPVS PVLCHER.

nouum extemplò exercitum contrahit, & numerata intra menſem, ſexaginta peditum millia, equitum decem; adeò Francia ferax militum eſt, ſuóque Regi accommoda. Nihil tamen geſtum tanto exercitu; cùm ſub Autumnum in Flandriam inuaſiſſet, imbres aſſidui amnéſque inundantes vetuerunt progreſſum, & Rex infectâ vltione reuertit; accedente etiam ſuſpicione in Proceres, quam Eduardus Flandris clàm cupiens excitauerat. Mox in annum datæ inducíæ, tantâ Flandri gloriâ, quanto Franci probro. Et Guido Comes ſolutus eſt carcere, ſi Flandros ſubditos in obſequium reuocaret; ſed cùm ij proſperitate tumidi pacem omnem excluderent, Guido Compendij cuſtodiæ ſe reſtituit, obiitque paulò pòſt, octogeſimo vitæ anno; quam longam eſt pallùs potiùs quàm egit, aſſiduis calamitatibus conflictatus. Sed Philippum ne ignominiam citò elueret, prohibebat difficillima cum Bonifacio controuerſia, quæ huic bello media interuenit, raptâ in oppoſitos ſenſus Europâ; eáque diſſenſio ad ſcriptores peruenit, aliis Pontificias, aliis Regias partes tutantibus. Ego Spondano adhærebo potiſſimùm, qui mihi viſus præ cæteris nullo affectu veritatem vnam indagaſſe.

XX. *Regis cum Bonifacio controuerſia.*

Bonifacius Anagniæ in Campaniâ natus, è Caietanorum gente illuſtri, magnas virtutes & aliquot vitia in Pontificatum intulerat. Magni vir animi, diuini humaníque iuris ſcientiâ clarus, multâ rerum experientiâ, per honorum gradus ad ſupremum vectus, iurium Eccleſiæ accuratiſſimus cuſtos, ambitionis & auaritiæ inſimulabatur. Dicebatur per fraudem irrepſiſſe in ſolium, perſuasâ Cœleſtino Pontifici abdicatione; reuera ope Caroli Neapolis Regis, ſpe factâ recuperandæ Siciliæ, thiaram induerat. Sub initia Philippo Regi fauebat admodùm, auo Ludouico in Sanctorum albo deſcripto, eránteque mutua duos inter Principes concordiæ & beneuolentiæ ſigna. Primus diſcordiæ fons, Bonifacij vel ambitio, vel Pontificiæ maieſtatis aſſerendæ cupido. In pace Francum inter atque Anglum ſancienda, cùm leges pro poteſtate dixiſſet, Francorum odium excitauit; quaſi is tentaret dominium temporale, quod vocant, vſurpare in Regnum, Regémque ſuo obſequio & regni regimen mancipare. Ea res vtriuſque ſtudiis agitata atque diſceptata, verborum vt fit aculeis & contumeliis, animos Aulicorum mox Principum diuellit ſenſim, & ad proximam flammam compoſuit. Columnas fratres Cardinales Bonifacius dignitate eiecerat, deturbatos perſequebatur acerrimè, interdicturus orbe terrarum; ij ad Philippum confugerant. Exacerbatis inuicem animis Bernardus Apamienſis Epiſcopus ſubiecit incendium. Is antè ab Bonifacio abnuente Rege, in eas inuectus Infulas, Epiſcopatu tunc primùm condito, nuntius à Pontifice ad Regem miſſus, linguæ intemperantiâ animíque audaciâ, concordiæ, ſi quod erat adhuc, vinculum rupit. Regi obnuntiat, vt omnibus prætermiſſis ad bellum ſacrum ſe conferat, vetat indictas decimas ad alium vſum conuertere, atque incredibili procacitate, Regem à Pontifice deponendum minatur, niſi obtemperet. Indignatus Rex in hominis impudentiam, correptum Narbonenſi Archiepiſcopo in cuſtodiam tradit; alioqui de pluribus noxis accuſatum. Id poſtquam reſciuit Pontifex, nouas ad Regem litteras

litteras asperrimas scribit; quibus testatur, ob eius contumaciam, Franciæ regnum deuolui ad Apostolicam Sedem: eæ litteræ Iacobo Normandio Archidiacono Narbonensi traditæ, eidémque ereptæ sunt, & ab Artesio spectante Rege in ignem coniectæ; attamen solutus est Apamiensis Episcopus, & vna cum Iacobo Archidiacono iussus à Francia procul facessere. Philippvs Pvlcher.

Continuò conuocata Regni comitia; in quibus plura Bonifacio obiecta, vnde Pontificia Sede indignus censeretur; vetitumque ne quis Ecclesiasticorum Romam se conferret, neve vllam pecuniam quavis causâ mitteret; adhibiti præterea custodes ne diplomata Pontificia deferrentur in Franciam, & missus Petrus Flotta Consiliarius Regius, qui hæc Regis nomine significaret Pontifici. Flotta intrepidè legatione defunctus, omnem spem reconciliationis abrupit; siquidem Bonifacius, frequentissimis Cardinalibus acerbissimè de Rege conquestus, Antistites omnes è Francia Romam in Concilium euocat, traditque prolixam Flottæ epistolam, quâ amaritudinem animi demonstrabat. Ea epistola tametsi multa in Regem grauia continebat, tamen quòd plurima etiam mitigaret, Flottæ mollior visa, qui Regi in Pontificem concitando incumbebat totus, ab eodem ob prolixitatem contracta in epitomen, asperrima tantùm cùm referret, Regem & Consilium in acerbissimam iracundiam impulit. Quare vetiti proficisci Romam Antistites, & molestissimæ litteræ ad Pontificem datæ. Quibus ille mirum in modum inflammatus in Regem, ad eum regno deturbandum, præter Flandros, quorum rebellionem incenderat, Eduardum etiam Anglum appellauit, & Albertum Austriacum Imperatorem, regnum Frãciæ inuadenti donans; quæ cum frustra forent, Alberto Regi amico fœdere adstricto, ad sacra fulmina conuersus, Regem anathemate perculit, vniuersam Franciam interdixit sacris, ipsósque Francos Regis obsequio solutos edixit. Ad ea fulmina retundenda, habentur iterum regni comitia; in quibus repetitis in Bonifacium accusationibus, ab eo ad futurum Concilium prouocatur; tum Nogareto significandæ Pontifici appellationis munus impositum. Hactenus concertatio intra verba fuerat, quæ verbis etiam sanari poterant; nunc ad rem atque flagitium peruersitate agẽtium tanta lis incidit. Tres potissimùm viri consilium ineunt euertendi Pontificis; Sarra Columna, Nogaretus, & Plessianus. Columna Cardinalibus expulsis affinis, & flammâ vltionis flagrans, machinabatur necem Pontifici; Guillelmus Nogaretus Aquitanus nobilis, tam scientiâ iuris quàm militiâ clarus, contumeliam vnam comparabat; Plessianus qui in Comitiis accusatorem in Pontificem egerat Nogareto assentiebatur. Ita consilium intra contumeliam stetit. Quâ perficiendâ Columna & Nogaretus profecti in Etruriam, Staggiæ propè Senas tantisper considunt, dum reliqua apparantur. Agebat Bonifacius Anagniæ ad molliorem auram captandam; cùm re totâ ad facinus constitutâ, primâ luce septimo die Septembris, Columna Nogareto comite, cum trecentis equitibus, & phalange peditum, quos è Caroli Valesij copiis collegerat clam, intra Anagniam admittitur, ab aliquot ciuibus quos auro redemerat, & Philippum Regem inclamans, ad Pontificias ædes cum armatis aduolat. Bonifacius de periculo monitus, ingenti animo incursurus vltro De Nogaret.

PHILIPPVS PVLCHER.

in necem, vestes Pontificias induit, ac considens solio, hostem præstolatur. In Palatium coniurati irrumpunt, ac Nogaretus, cui significandæ appellationis munus incumbebat, cùm ad Pontificem accessisset, cui duo adstabant Cardinales, cæteris metu aut consilio dilapsis, & multa ille ad contumeliam & contemptum ingereret; postremò minatus est se Lugdunum cum deducturum, à vt Concilio spoliaretur, qui alium spoliasset; ad quæ respondit Pontifex, animo firmo atque intrepido; se libenter à Paterinis pro Christi fide atque Ecclesiâ mortem subiturum; quibus verbis Nogaretum notabat; nam Albigenses Hæretici dicti Paterini, & auus Nogareti viuus ob hæresim conflagrauerat: eáque voce compressâ Nogareti ferocia. Nullâ aliâ contumeliâ, triduum Pontifex in custodia fuit, direpto interim Palatio, in quod congestæ multa gaza, & luculenta pecunia. Tandem Anagnauienses pudore impulsi, correptis armis Francos inuadunt, & vrbe expellunt, patratâ Bonifacij libertate; quâ ille vsus Romam proficiscitur, grauissimam vindictam meditans. Sed ob animi æstum ac dolorem, in febrim incidit, qua tricesimo quinto post contumeliam die, viuis ereptus est; ardore febris dolorem animi concitante. Illáque est Tragœdia, omnium Historicorum scenis celebrata; quæ funesta Actoribus, tum primarum partium tum secundarum; Pontifice emortuo, Franciæ regno ad nouum ramum traducto, conscisque flagitij supplicium Deo vindici pendentibus. Ita quiddam in humanis sacrum est ac religiosum, quod vltionem mortalem excludit, cuique vnus Deus pœnam debet. Benedictus XI. eodem anno Pontifex dictus, Regem & Regnum exsoluit anathemate, réisque vniuersas in integrum restituit, præter Sarram & Nogaretum, quos percussit iterato ac nouo fulmine.

XXI. *Bellum tertiò infertur in Flandriam.*

Annuæ interim cum Flandris decurrebant induciæ; nec ideò armis cessatum est. Flandri in Comitem Hollandiæ, eodem Namurcensi duce, bellum conuerterant, primùm euentu haud pœnitendo. Verùm Philippus, ne hostis periret hostibus suis, suppetias Hollando veniens, classem tradit Grimaldo Genuensi; cuius ope nauali prælio victi sunt Flandri, capti Namurcensis, aliique duces, & in Franciam ducti, eóque auspicio post elapsum annum maioribus quàm ante copiis Rex in Flandriam penetrat. Flandri præcone publico exciti, ad patriæ defensionem conuenerant immenso numero, atque occurrerant hosti; primores artifices, senes, iuniores, sacri viri, profani, nullo discrimine; vno omnium voto, focos & lares ab exitio præsenti tutari. Rex ad Montem pabulanum castra posuerat, Duacum inter & Insulas; Flandri haud procul, quà se agri demittunt, curribúsque castra circummunierant. Franci nec hostium numero nec munimentis deterriti, castra inuadunt, totáque acie in quatuordecim agmina distributâ, partim in castrorum portas irrumpunt, partim in currus reuulsis palis conscendunt. Atrocissima pugna conseritur; balistarij ab hostium curribus quos insederant, quasi è machina maximam cladem subiectis inferunt; vrgent ad portas selecti milites deleturi ignominiam Cortracensem; nihilominus ea Flandrorum oppugnantium fortitudo fuit, vt post horarum plurium dimicationem Franci recesserint; non tamen absque emolumento, abductis

Flandro

Flandrorum haud paucis curribus,& cibariorum toto commeatu.Hac iacturâ Flandri vehementer affecti, rem ſuſcipiunt furoris plenam, quæ Francos propiùs ruinæ admouit. Opperiuntur dum cœnæ tempus adueniat, (nam tunc militi erant capiendo cibo horæ aſſignatæ) ac ſub veſperam, cùm ipſis quo veſcerentur ſuppeteret nihil, luporum inſtar, quos veſana fames in prædam agit, Guillelmo Iuliacenſi duce, improuiſi in Francorum caſtra inuadunt. Ii armis depoſitis, aurâ frigidiore, quâ pugnæ æſtum diſcuterent;& agebatur Auguſtus menſis, ſecuri inter tentatoria raptos hoſti cibos abſumebant, cùm is repente in caſtra prorumpit. Primo impetu turmæ Equitum Valeſiana & Sampaulina quæ excubabant diſiiciuntur; tum quadrato agmine in tabernaculum Regis inuaditur. Ingens totis caſtris fit conſternatio; primùm occurrit metus & trepidatio, dein periculum præſens quod metum excutit, mox ad arma curritur, & pugna iterum ab armis prohibet; eques ab equo arcetur, à vexillo pedes; turbat hic equitem, hunc eques diſſipat; cibos inter ac merum effunditur cruor; ac paſſim voces intonant Flandrorum,Cortracenſem cladem & præſentem gulam exprobrantium cæſis.In Regem maximè hoſtium furor inuehitur;tabernaculum exploraverant, ſed ſub initium cùm Rex eos latuiſſet, nullâ inſigni notâ deprehenſus, ſpatium fuit tum ipſi, tum paucis cuſtodibus depugnandi.Ille primus omnium vno enſe dimicationem totam exhauſit;circùm Nobiles Pariſienſes,quibus eo tempore Regis cuſtodia committebatur, mirabilia ſub ipſius oculos perpetrarunt; Gencianum maximè Rex laudauit, qui ſuo pectore plurimis plagis exceptis, dum tegebat ipſum, occumbit: Pariſienſibus cæſis noua Nobilium turma,iam inſtauratis animis aduolat, & Regi circumfuſa fortiter dimicat. Francus interim è trepidatione recreatus, iam par pugnæ erat, oſque obuertebat, cùm Iuliacenſis inter primos ordines pugnans occiditur. Ducis lethum Flandros abſterruit, Francos excitauit; ij poſtquam ſe poſſe vincere animaduertunt, ingenti impetu irruentes Flandros loco mouent, recedentes cædunt, & caſtris depulſos magnâ ſtrage conficiunt. Semel inclinata victoria deuoluitur præceps; Flandri vincuntur, amiſſis triginta ſex millibus; cladis reliquiæ Ipram & Inſulas confugiunt. Nec incruenta Francis victoria ſtetit; plurimi è primoribus cæſi, è Nobilibus quingenti; Comes Antiſiodorenſis à Rege ob præclara merita defletus, Sancerræ Comes, Ioannes Comitis Burgundiæ filius, anno decimo tertio nondum impleto, tirocinio primo quo veteranum exſcripſerat; Anſelmus Chevreuſius, qui Oriflammam geſtabat, extincti ſunt. Vno conſenſu laus maxima ad Philippum pertinuit, cuius fortitudine hoſtis repreſſus eſt, & militi ſpatium exſurgendi datum. Rex vt aliquando bellum profligaret, Inſulas obſidione obuallat; cùm iterum Flandri inſtar apum nouum exercitum conflant, ſeptuaginta hominum millibus; & à Rege intrepidè poſcunt pugnam aut pacem. Attonitus Rex vnde tantus exercitus defluxiſſet: *Nunquam eris*, inquit, *belli finis; credo Flandros è cœlo pluere*; ita prudenter admiſit mentionem pacis; guarus fruſtra in Hydram pugnari, cùm exſciſſo capite noua repullulant. Fœdus in has leges contractum eſt; vt Guido Comes Flandris reſtitueretur

PHILIPPVS PVLCHER. Anno 1304.

PHILIPPVS PVLCHER.

nam eius obitum Rex occuluerat) vtque rebellibus parceretur, indictâ in pœnam pecuniariâ multâ; interim Insulæ & Duacum vrbes obsidum loco traderentur. Iis implendis, post Guidonis mortem renuntiatam, Roberto filio Flandria traditur, ac tandem pax constituta est, post varias clades; breui tamen reuellenda post tempore; natiuo quodam gentes inter proximas odio, dum singulæ ius aut dignitatem tuentur; & fortior infirmiori vim infert, repellit infirmior.

XXII. *Clemens V. Pontifex.*

Flandrico bello confecto, Philippi curæ circa Romanum Pontificem incubuerunt. Benedictus post absolutum Regem & Regnum, nono mense ab electione veneno raptus est. Tum Cardinales in factiones diuisi: princeps alterius Caietanus Bonifacij nepos, alterius Vrsinus Cardinalis Pratensis; ille patrui famæ, hic gratiæ Regis dum intenderent, contrariis studiis suffragia cætera dirimebant. Tandem mense vndecimo in hanc pactionem conueniunt, vt Bonifacij nepos tres Gallos nominaret, è quibus Pratensis die quadragesimo quem libuisset ad Pontificatum seligeret. Appellauitque Bonifacianus tergeminos, quos infensissimos Regi existimaret. In iis erat Bertrandus Gout, Aquitanus nobilis, Burdigalensis Archiepiscopus, Regi aduersissimus omnium, quod Aquitaniam obtinente Valesio, tum ipse tum affines, malè habiti & multati essent. Attamen Pratensis eum ante perspectum, agnitúmque dignitatum percupidum, aptum iudicauit qui præponeretur. Itaque clam nuntium ad Philippum mittit, & de pacto certiorem factum, monet vt omninò Burdegalensem concilier. Philippus re susceptâ strenuè, in Santones aduolat, euocatúmque Bertrandum docet modum quo tiaram adipisceretur, si bonâ fide inimicitias deponeret. Bertrandus tam immensæ lucis splendore perstrictus, cùm sponderet omnia, potissimùm ad sex postulata iuramentum adhibuit. Primùm, vt ampliorem ob Bonifacium læsum donaret veniam, vt ea Nogareto & sociis impertiretur; decimas in quinque annos legi permitteret, ad refundendos sumptus Flandrici belli; Cardinales Columnas dignitati restitueret, Bonifacij damnaret memoriam; postremò id concederet quod suo tempore Rex flagitasset. Iis perfectis, Pratensis nuntio clam à Rege accepto, Burdegalensem Antistitem in Pontificem dicit. Consequuta statim ex pactione electio, ac significata Bertrando, qui assumpto Clementis nomine, & erat quintus ea appellatione, Lugdunum venit, ibidémque ab excitis Cardinalibus tiara cinctus est. In æde sancti Iusti obita est celebritas, magnâ Principum Procerúmque frequentiâ; aderant enim Philippus, eius frater, & filij, Duces Burgundiæ, Britanniæ, & Lotharingiæ, Proceréſque plurimi; Rege studiosè Pontificis gratiam ineunte; Angliæ & Aragoniæ Reges appellati non interfuere. At casus improuisus celebritatem funesto omine maculauit. Cùm equitans Pontifex ab sancti Iusti in inferiorem vrbem descenderet, atque eius equum Carolus Valesius & Ioannes Britanniæ Dux freno deducerent (eo munere Rex aliquot passus erat functus) & ad latus adequitaret Rex ipse; murus quà incedebant iam fatiscens vetustate, tunc collabens spectantium numero, ruinâ subitâ in præterseuntes effunditur, & oppressis cladem multiplicem infert. Eâ obtriti

Anno 1305. *Lugduni coronatur.*

Britanniæ

Britanniæ Dux, Gailardus Pontificis frater, aliíque haud pauci; Valesius læsus grauiter, Rex ægrè ereptus; & ipse Pontifex equo deiectus est, tiaráque excussâ carbunculus ingentis pretij periit. Siniſtrum omen calamitates Italiæ ipsiúsque Franciæ impleuerunt: in præsentia Rex sibi admodum gratulans, ob amicum Pontificem; de promissis appellat, habuítque omninò memorem. Nam abundè Clemens donauit omnia, vno excepto quod Bonifacij non damnauit memoriam, ne ab ipso gesta cætera omnia rescinderentur, & Respublica Christiana perturbaretur summoperè. Plura tamen vltra pollicitum præstitit; nam in Gallia fixit Pontificiam sedem, Pictauij primùm, mox Auenione; quæ vrbs Prouinciæ Phocensis ad Neapolitanum Regem pertinebat, in quâ plus septuaginta annis egerunt Pontifices, magno Christianarum rerum detrimento: cùm Roma ac patrimonium Ecclesiæ ab Legatis Cardinalibus administraretur; imò & Franciæ luctuosa vicinitas, serie miseriarum calamitosum regnum obruente. Nempe Dei res malè homini seruiunt; nec æqualitas est sacri & humani, sacro commercio deterente humanum.

PHILIPPVS PVLCHER.

Rex Pontificis compos, rem nouam aggressus est, quæ similiter gentium famâ omniúmque scriptis celeberrima est, Equitum Templariorum perniciem atque exitium. Ii ab nobilibus Francis Hugone Payenio & Godefredo S. Audomaro primùm instituti, Christi anno post millesimum atque centesimum duodecimo, ad peregrinos iuuandos, vestem albam induti quam Crux rubra distingueret, multa præclara in Palæstinæ tutelam, & Saracenorum cladem præstiterant; dicti Templarij, quòd ipsis ad habitandum, ædes Ierosolymæ ad Salomonis templum assignatæ essent. Piorum munificentiâ ingentibus copiis comparatis, lapsu, vt fit, temporis in deterius mutati, rerum copiâ voluptatum matre, primò in luxum, gulam & libidinem effusi, tum in auaritiam & rapinam, vt quod peribat vitiis, instauraretur & vitio; pessimè apud Christianas gentes audierant. Philippi maximè contraxerant odium, quod in tributis pendendis, querulis vocibus & seditiosis concitarent plebem; & in tumultu Parisiensi designati essent turbarum principes. Eas ob causas Rex in eorum perniciem diu incumbebat: nunc implendi desiderij illuxit occasio. Quidam Templarius Montis-falconis ad Tolosam Prior, ab Magistro Equitum ob graues noxas Parisiis coniectus in carcerem, socium eiusdem custodiæ nactus est quendam Nossum Florentinum; qui cum participato consilio ministros Regios appellauerat, iisque retexerat nefanda scelera, quibus vniuersus Templariorum Ordo contaminaretur; Ea erant hæresis, apostasia, idololatria, atque Sodomia. Quibus ad Regem nuntiatis, plurimi Equitum capti sunt, in custodiam traditi, ac de flagitiis requisiti. Rex qui in illos acerbam iram collegerat, pleroſque fatentes vbi comperit reos, accusationem ad Clementem Pontificem defert, vrgétque summoperè vt rei condignis supplicíis plecterentur, atque Ordo tot âc tam grauibus facinoribus implicitus deleretur. Et hoc esse creditur postulatum sextum, quod suo tempore Philippus dixerat enuntiandum; quanquam & id valdè incertum sit; cùm alij ad Romanum Imperium referant; quod Francorum regno peroptabat restitui,

XXIII. *Templariorū destructio.*

PHILIPPVS PVLCHER.

restitui, quódque pòst Alberto Imperatore occiso, incensis votis à Pontifice flagitauit. Pontifex grauitate criminum motus, ea de re ad Christianos Principes scripsit, proposuit capita scelerum, ac iussit in singulis prouinciis, in quibus Templarij agerent, quæstionem haberi, iis interim carceri mancipatis. Ea inquisitio aliquot annos tenuit, ne quis temerè & præcipitanter actum calumnietur, ab anno currentis seculi
Anno 1311. septimo ad vndecimum, quo Concilium Viennense celebratum est à Clemente; eodémque Ordo Templariorum abrogatus penitus atque extinctus est; Equitum bona addicta Hospitalariis, qui iam ante sub Rhodiensium Equitum nomine innotuerant; exceptâ Hispaniâ, in qua eorumdem bona ad bellum Mauricum designata, qui viui Equites superessent, pro grauitate scelerum plecterentur; insontibus vita, & ad eam ducendam sumptus præberentur. Id Concilij decretum à Rege continuò executioni mandatum; plurimique viri tum Parisiis tum in prouinciis igne absumpti; facultates datæ Hospitalariis; quanquam priuatorum plures in eas inuaserint; & momento propemodùm celebertimus Ordo, non in Francia modò, sed in Christiano orbe extinctus est, magno omnium gentium Principúmque consensu. In quibus Scriptorum calumniam arguas, qui Regis auaritiam, & abiectam Pontificis seruiturem, in re tanti momenti accusant, quasi insontes eorúmque criminum incomperti damnati sint. Enimverò tametsi concesserim Regem indignatum in eorum perniciem conspirasse, nec singulos tam horrendis flagitiis inquinatos; quis tamen credat Pontificem pleróſque innoxios, si fuissent ciusmodi, tantæ ignominiæ tantísque pœnis subiecisse, nullo emolumento, vt Regi duntaxat obsequeretur? qui tam fortem atque intrepidum in tuendâ Bonifacij memoriâ se exhibuisset, in perdendis innocentium turbis ignauâ quadam & crudeli indulgentiâ consensisset? quid de auctoritate Concilij, quod vno suffragio extinguendum Ordinem censuit? quid de cæterorum Regum & Principum voluntate, qui refragante nullo in Templariorum perniciem assenserunt? an à Franciæ Rege conciliati? an similiter cupiditate opum illecti? Hæc mihi persuadent calumniam haud dubiè in Regem conflatam; aut à Templariorum affinibus, in quos infamia & iactura tanta redundabat, aut à populo conflagrantium pœnas miserante; aut Scriptorum indole, in peius detorquentium dubia, & regnantibus affingentium crimina; vt quibus nequeunt potestatem detrahere, innocentiam detrahant. Et verò figmentum est, quod de Mola Equitum Magistro, & Guidone fratre Delphini Viennensis scribunt; eos tum Pontifici tum Regi ad Dei tribunal dixisse vadimonium; atque intra quadragesimum diem raptum morte Pontificem, Regem annno vertente; cùm constet Clementem vitam produxisse ad annum seculi decimum quartum; nec verosimile sit Regem vltione flagrantem reorum supplicia in tertium post Concilium annum distulisse. Locum fraudi an fecit, quod eodem anno Rex & Pontifex, mensium plurium interuallo fato concesserunt. Sed de his satis; libuitque tam multa, ad vindicandam innocentiam Principum, vulgi inuidentiæ

Excusati Pontifex & Rex.

tiæ calumniisque obnoxiam. Nunc repetenda series rerum quas prætermiseram.

PHILIPPVS PVLCHER.

XXIV.

Bello Flandrico ad finem vergente dolor grauissimus Regem affecerat. Ioanna coniux charissima prærepta est morte; præclarissima dotibus animi corporisque, pietati doctrinam & fortitudinem iunxerat; in viros sacros supra modum addicta; litterarum amore, quarum peritiam haud vulgarem hauserat, Nauarræ Collegium Parisiis celeberrimum condidit atque ornauit; princeps in consiliis dicebat sententiam, assueta etiam arma induere, & dum consors in castris ageret, copias ducere. Illius obitu Nauarræ regnum ad Ludouicum primò ex se natum deuoluitur, quo is iubente patre inauguratus, in Nauarram se contulit; ac præsentiâ tumultus compescuit, quos longa regnantium absentia concitauerat; regressúsque in Franciam trecentos è prima nobilitate adolescentes obsidum loco deduxit. Tum Lugduni turbæ consopitæ. Eam vrbem vindicabant sibi Archiepiscopi; siue donatam ab Imperatoribus, & Arelatensis regni appendicem; seu in feudum commissam ab Guiscardo Comite Forisiensi. In præsentiâ obtinebat Insulas Petrus è familiâ Sabaudiæ Comitum, vrbémque admotam ad Sabaudiæ limites sibi asserere cupiens, eâ ministros Regios prohibebat; ciues sibi adiunxerat, vel priuatim conciliatos, vel à Rege ob tributa abalienatos. Ludouicus vrbem quà metu quà auctoritate pacauit; & vt radicem semel reuelleret, iura Archiepiscopi redemit pretio, regiisque annexuit, vrbe iam florentissimâ in potestatem Regis traductâ. Ipse Rex Parisiis hastiludia frequentiâ magnâ concelebrabat, sacram admodùm ob causam: nam Pontifex cùm Palæstinum bellum indixisset; Philippus ad eam expeditionem nobilitatem regni exciuerat, susceptque cum tribus filiis sacram Crucem, plurimis Procerum ad pium votum adlectis. Verùm frustra hic conatus fuit; Regi tum motus Flandricus, tum priuatus dolor, mors denique excussérunt expeditionem. Nascebatur bellum in Flandriâ; Roberto Comite promissam pecuniam repræsentare cunctante; & pigneratæ vrbes rebellionem parabant. Ideò missus cum exercitu Valesius ad vim inferendam; & Rex ipse grauibus exactis vectigalibus nouum conscribebat; sed procellam vtramque Flandri auertunt, conciliato magnâ pecuniâ Enguerrano Marinio; qui primùm expeditionem Valesij irritam fecit, regiam mox continuit, interceptis tributis, & in vsus suos conuersis. Et quidem reclamabat vehementer Valesius, & proditionem expostulabat, quanquam incassum, Rege obsequente, & ad Marinij nutus conformato. Bellum præterea domesticus dolor excluserat. Tribus filiis Rex vxores dederat; Ludouico Margaretam Burgundiæ Ducis filiam, Philippo Ioannam filiam Othelini Burgundiæ Comitis, ac Carolo Blancam Ioannæ sororem. Earum duæ quanquam maritos formosissimos Principum nactæ, incendente libidine patiebantur adulteros, adeò procaciter abusæ licentiâ quam sibi fecerant, vt maritis flagitium innotuerit; Ioannâ etiam in suspicionem vocatâ. Ii quæ silentio debuissent obruere retegentes, ad Regem adeunt, de

Ioanna Nauarra Regina.

Ludouicus Rex Nauarræ.

Bellum Flandris ostensum.

De Marigny.

Adulteria in domo regia.

PHILIPPVS PVLCHER.

scelere expostulant, efflagitantque supplicium. Habitâ quæstione, Ioanna innocens, Margarita & Blanca fontes dictæ, & carceri perpetuo mancipatæ; adulteris mors per acerbos cruciatus illata. Vindicta crimen extinxerat, non ignominiam, quâ afflatus Rex, quod in familiam suam tantum flagitium peruasisset, contraxit morbum; quo lentè absumptus, viuere desiit, anno supra quadragesimum octauo postquam inceperat. Ad mortis fauces, agitante conscientiæ morsu, significauit filiis, quantùm angeretur ob vectigalia regno indicta, ea se vt iniusta rescindere, ac rogare filios & iubere pro potestate, ea vt abrogarent atque extinguerent: sed malè exigimus, quod ipsi non præstitimus; facta exemplo sunt, verba dispereunt. Huic fuere plura pro virtutibus vitia, generositate & pietate, quæ Capetiorum virtutes, nulli inferior, alebat ambitionem, nec implebat tamen; designabat plura, pauca efficiebat; addictus Marinio, cuius auaritiæ & gloriam suam addixerat; peccauit in Bonifacium, cupiditate vindictæ, in mortuum etiam suscitatæ; vexauit subditos immensis tributis, nullo fructu, nisi vt quæ malè legerat, malè effunderet. Infelix in posteris, quos breui tempore regnantes deinceps, ceu fulgetra vidit Francia, illucescere & euanescere.

Regis mors. Anno 1313.

XXV.

LVDOVICVS X. HVTINVS dictus.

Ludouicus natu maximus regnum primus suscepit, nec vitæ spatio, nec gestis memorabilis. Continuò in Marinium exarsit Procerum, Valesij maximè odium. Ille Philippi dominus ad nutum administrauerat Franciam, contractísque immensis opibus per fas & nefas, conflagrabat inuidiâ publicâ; priuatim inimicus Valesio, cuius gloriam in Flandricis bellis detriuerat, & in consiliis auctoritatem infregerat. Nec ignarus Marinius quantæ inimicitiæ sibi imminerent, nocte quâ Philippus decesserat, thesauros regios ex castro Luparæ, cui erat Præfectus, in securum locum extulerat; sibi inde amicos & aduersus inimicos præsidium paraturus. Verùm inuigilans vltioni Valesius, Regis fratribus, Philippo Comite Pictauiensi, & Carolo Comite Marchiæ, adductis in sententiam suam, palam in Concilio euocari Marinium iussit. Quem præsentem percontatus, quid regiâ gazâ factum esset, respondente Marinio, se rationes optimè positurum, & instante Valesio, eas in præsentiâ poneret; ille insolenter affirmat, se ipsi Valesio dimidium alterum dedisse, alterum fratri ad alienum æs dissoluendum: quâ audaciâ excandescens Princeps, Mentiris, inquit; tunc impudentissimè Marinius, per Deum, refert, tu ipse es. Enimverò in hæc verba nudo ferro perimebat Valesius hominem, nisi spectantium preces & Regis veneratio tenuissent ruentem. Ille à lictoribus in custodiam datus est, & accusatio sedulò instituta. Ea in saltu Vicenarum apud Regem obita, Hauerio Aduocato accusatoris partes sustinente; multáque ad odium excitandum congesta; Franciæ calamitates, immensa vectigalium onera, bella improuidè & infeliciter gesta, quorum omnium fons arcessebatur Marinius. Dein speciatim crimina designata: immensæ opes quas comparauerat, recensitis reditibus & ædificiis sumptuosis; accepta à

Marinij accusatio & supplicium.

Flandren

Flandrenſibus pecunia, vt ab eis bellum auerteret ; tributa & vectigalia in vſus proprios deriuata ; mercatores plurimi nullo flagitio quam opulentiæ ſpoliati ; peculatus , & plurima aureorum millia plebi impoſita ; reſignatæ & immutatæ regiæ litteræ ; Regis ipſius lacrymæ, conteſtantis ſe à Marinio proditum ; poſtremò epiſtola à Ioanna Reginâ ſub mortem perſcripta , quâ Marinij ſcelera Regi aperiebat. Ad hæc cùm Marinius temporis moram repoſceret ; res tam graues repelli momento ſine quæſtione non poſſe , inſtruendam accuſationem , & audiendum in ſingulis reum ; iámque Rex eò propenderet , quia poſtulatum æquum videbatur ; Valeſius ne reus elaberetur , nouum crimen profert ; nempe vulgari famâ Marinium in ſalutem Regis coniuraſſe , eiúſque vxorem cum quodam venefico & feminâ eiuſdem artis peritiſſimâ conueniſſe , vt Regem perimerent deuotis imaginibus ; quæ ratio perimendi iis temporibus inualuerat plurimùm ; ſeu ipſis veneficiis , ſeu credulâ ſuperſtitione timentium. Rex periculo territus , extemplo Marinium Valeſio dedit ; cuius ſententia aliorúmque Procerum damnatus patibulo , poſtero die ſuſpenſus eſt , affixúſque furcis , quas nuper ipſe inſtauraverat ; neſcius hanc ſibi domum poni , in quâ animum redderet ; mox euerſa ſtatua , quam in Palatio ad pedes Regis erexerat. Eſtque ille vna victimarum , quas identidem humanarum rerum conuerſio mactat , præbétque in exemplum Deus , ad compeſcendas cupiditates mortalium ; quibus plerumque faſtigium ſummum , patibulum eſt. Attamen Marinius in calamitate quàm proſperitate modeſtior, dum ad mortem duceretur , conuerſus ad plebem , clamoribus atque petulantibus verbis inſectantem , id vnum repetebat ; Boni viri , Deum pro me orate.

LVDOVICVS HVTINVS.

XXVI. *Bellum in Flandros.*

Dum hæ turbæ Aulam agitabant , ſibi nouam coniugem Rex conficiebat , Clementiam Caroli Martelli Regis Hungariæ filiam , quæ dum ad regni fines accederet , Margaritam clauſam in carcere offocari linteis iuſſit ; tum cum noua vxore Rhemis inunctus eſt. At curæ illicò in Flandrenſe bellum conuerſæ ſunt. Cùm Flandri multa polliciti pauca præſtarent ; indignatus Rex , & deleturus contumeliam patris , exercitum ſcribit , ducítque in Flandriam , ſed incommodo tempore , menſe Septembri. Nempe hoc anno cœlum frequentibus pluuiis inundauerat, vt nec ſegetes, nec vuæ maturuiſſent, intumuerant amnes; Liſa maximè, & Cortracum petentibus Francis iter occluſerat : præterea ſolum ita penitus aquis immaduerat , campis latè in continuum cœnum conuerſis , vt commeatus vehi nullatenus poſſent , triginta iumentis ægerrimè dolium vini trahentibus. Quò factum vt exercitus quoquò ſe verteret luto immerſus, & paludoſo cœno inuolutus , diu cum ſolo luctatus , ne aquis tandem obrueretur , regreſſum parauerit , ac ſe multo labore in Franciam receperit , ſed prius impedimentis & tabernaculis igne combuſtis : cùm affixa luto ceu aves viſco captæ evelli & explicari nequirent. Sic bellum iſtud vnos in Flandria rogos ſumptibus Francicis excitauit. Metus tamen Ro-

LVDOVICVS HVTINVS.

berto Comiti iniectus, qui Regem conueniens, in nouum fœdus iurauit. Nec eo diu frui permissum est. Rex haud paulò post vitam amisit; veneno præbito tam vehementi, vt pauciſſimis horis animam egerit; nec vnquam parricidij auctor compertus est. Agebat ætatis annum vicesimum quintum, regni secundum; somnij instar ostensus & raptus; qui iam gratiam plebis collegerat, tributis expunctis; quanquam Iudæos admiserat, grauissimum vectigalium. Hutini agnomen habuit, quod linguâ veteri tumultum sonat & seditionem; quia nempe à patre ad tumultus premendos erat designatus; vel quia puer inter æquales ad pugnas & bella aptus videretur. Ex priore coniuge nata est puella, cui Nauarræ regnum proprium fuit, & ea postmodùm Philippo Ebroicensi Comiti, Philippi Audacis nepoti, nupta est; Clementiam coniugem iam quinto mense prægnantem reliquit; quæ quidem marem peperit, cui Ioannes nomen fuit; isque intra octiduum morte ereptus est. Ita cum Rege spes stirpis periit; infante tam ignaro cui nasceretur, quàm cui raperetur.

Regis mors.

Anno 1316.

XXVII.

PHILIPPVS V. dictus LONGVS.

Philippus cum fratre Carolo & Valesio patruo Lugduni agebat; eò à Rege missi vt Cardinales vrgerent ad eligendum Pontificem, iam alterum annum dissentientes, atque contendentes. Repentinâ morte fratris acceptâ, continuò Parisios aduolat, & Parlamenti suffragiis designatur partus Regij tutor, Regníque gubernator, dum Rex annum impleret decimum octauum. Regina fœtum masculum parit, quo statim mortuo, Philippus regnum capessit, Rhemísque solemni ceremoniâ inungitur. In quâ obseruatum, Mathildim Arteſiæ Comitissam, & Philippi socrum, dignitate Paris functam esse, Parésque inter Coronam regiam sustentasse; iis indignantibus manum ad colum natam immiscerí dextris virilibus. Hæc magnâ celeritate, & occlusis templi foribus perfecta, ne quid turbæ oriretur; Valesio & Burgundiæ Duce dissentientibus, atque affirmantibus ad Ioannam Hutini filiam pertinere regnum. Id diuersis causis contendebant Principes; Burgundus vt Agneti matri obtemperaret, quæ Ioannæ puellæ auia, neptem imponi solio vehementer optabat; nec id Burgundi commodis oberat. Valesius rem suam agebat, & priuato studebat emolumento, quod vbi assequutus est à Philippo, haud ægrè regni Comitiis controuersiam permisit. Et iudicatum vno omnium calculo, Philippum legitimum esse Regem; lege Salicâ, & inuiolatâ consuetudine excludi feminas à regno Franciæ; eámque sententiam Proceres omnes scripto & iureiurando firmarunt. Hoc stabilito, Rex vt affinitatibus deuinciret Principes, quas susceperat filias nuptui collocat; Ioannam natu maximam Eudoni IV. Burgundiæ Duci, assignato in dotem Comitatu Burgundiæ: Isabellam Guigoni Delphino Viennensi, & Margaritam despondet Ludouico nepoti Roberti Comitis Flandriæ. His nuptiis sancitum, vt Ludouicus Roberto auo (nam pater decesserat) heres foret, bellúmque diuturnum Francum inter & Flandrum extingueretur; Flandri soluerent Regi intra annos viginti, ducenta librarum millia, darentúrque in pignus arces Insularum Duaci & Betunæ. Pace constitutâ, legati à Roberto

Anno 1317.

Brusio

Brusio Scotorum Rege excepti sunt, fœdúsque antiquum duo inter regna instauratum; adiunctum præterea, vt si fortè in altero regno de futuro Rege controuersia foret, Rex fœderatus comitia ad dicendum illum conuocaret, quíque dictus foret, eum omni ope asserere & stabilire ille contenderet. Rex interea memor expeditionis sacræ quam vouerat, ad eam comparabat omnia diligenter, colligebátque Francorum beneuolentiam, quos vectigalium onere liberos fecerat, cùm à vilissimæ fæce plebeculæ interturbatur regni prosperitas. Primam molestiam faceſſunt pastores, qui, quod sub Ludouico Sancto tentauerant patres, ab impostoribus persuasi, Palæstinam armis agricolarum liberatum iri; ab aratro & vomere ad arma & militiam conuolant, in turmas conueniunt, séque in Syriam duci efflagitant. At cùm illos plerumque alimenta deficerent, Iudæos diripiebant passim atque obtruncabant. Et memoratur Iudæorum furor, quorum quingenti confugientes in turrim, cùm omni telorum genere pastores aliquandiu repulissent, mox telis, saxis & signis deficientibus, suos etiam liberos in expugnantium capita iaculati, tandem se suis manibus confoderunt, prærepto inuadentibus scelere. Nec pastoribus sors commodior obtigit, in quos ciuitates passim consurrexerunt, victósque haud ægrè appendebant arboribus, vt ex agris profecti iisdem restituerentur. Ea lues in Occitania maximè sæuiebat; quam & nuper Leprosorum cum Iudæis coniuratio in periculum graue coniecerat. Dicebantur Leprosi Iudæorum impulsu fontes & puteos veneno infeciſſe, ad luem communicandam potantibus. Ea accusatio vera an falsa plebem extemplò concitauit in miseros; quotquot obuij erant, vrebantur; furórque grassatus est, donec edicto Regis Leprosi Nosocomiis concluſi sunt, & Iudæi regno expulsi. Inter hæc sacræ profectionis impedimenta, Rex quartanâ febri diu vexatus, corrupto iecore vitam clausit; regni anno quinto, vitæ vicesimo octauo; nullis liberis præter feminas relictis, pietate & prudentiâ non vulgari; benignus in subditos; literatorum amans, maximè Poëtarum; moribus facilis commodúsque; & magnâ virtutum spe, si exercendi materia suppetiiſſet. Longus dictus est, quòd staturâ procerior esset, & aliquantò tenuior.

PHILIPPVS LONGVS.

Regis mors. Anno 1321.

XXVIII. CAROLVS IV. PVLCHER dictus.

Carolus Philippi frater refragante nemine auspicatur regnum, imò adiungit Nauarræ titulum, siue administrator pro Ioannâ nepte; seu regio nomine, eandem vt spuriam & natam adulterio, sceptro excludens. Daturus sui specimen, irrogatis in celebres reos suppliciis, sanxit cultum iustitiæ. Totam Vasconiam conturbabat flagitiis Iordanus Insulanus; erat illi ad grauissima scelera facultas & audacia; vir ad omne nefas proiectus, matronis stuprum, vim sacris ædibus, necem opulento cuique inferebat; in priuatos se tutabatur criminibus nouis, in Principes affinitate Comitis Flandrensis, & Ioannis Pontificis, cuius neptem habebat in matrimonio; ipsiúsque gratiâ prædoni teterrimo Philippus condonauerat plura. Vnum tandem scelus cumulauit cætera: lictorem Regio nomine vadimonium denuntiantem cùm mactasset, apprehensus, ductúsque Parisios,

Iourdain de l'Isle.

CAROLVS PVLCHER. De la Guerre.

ſuſpenſus eſt Parlamenti ſententiâ ; fruſtra Pontifice pro iniquiſſimo capite deprecante. Nouam item victimam odio publico Rex parabat, niſi improuiſa mors intercepiſſet infamiam. Ea Gerardus Guetta, Philippi Theſaurarius, qui humili loco in Aruernis natus, Regis compos, publicique ærarij, tum immenſas opes collegerat, tum ampliorum auidus, Regi auctor fuerat, vt tributa vetera reſtitueret, nouúmque grauiſſimum in additamentum apponeret. Annuebat Rex cùm morbo correptus, culpam agnoſcit, diſceditque ab inſtituto conſilio ; at perſeuerauit odium in conſultorem ; ideóque apud Regem nouum accuſatur; & repetuntur pecuniæ publicæ, quas plurimas ille collegiſſet, nullo in publicam rem emolumento. Habetur quæſtio per tormenta ; in quibus inuicta quidem pertinacia animi, at fracta corporis infirmitas ; etenim cum pernegaret in ſua commoda quidquam deriuatum, augerentúrque cruciatus, in febrim incidit, quæ opibus pleno vitam eripuit. Rex vindicata per has pœnas iuſtitiâ, curâ & ſolicitudine Flandros liberat bello inteſtino. Robertus Comes Flandriæ ſenio grauis deceſſerat; huic nati erant Robertus, & Ludouicus ex primogenito nepos ; Robertus ditionem repoſcebat, quòd patri propinquior foret, Ludouicus quòd primogenitum repræſentaret, ipsúmque auus in contrahendo cum Philippi filiâ matrimonio heredem dixiſſet. Controuerſiâ in Parlamento diſceptatâ, Rex Ludouicum Comitem iuſſit ; miſſúmque in Flandriam ab inſidiis & vi patrui tutatus ſæpius, facto firmauit quod verbo ſanxerat. Hæc in ſinu pacis, quam ſtatim bellum geminum infregit. Caſtella primo, Anglia ſecundo materiam præbuit ; quanquam

Clades in Nauarra.

euentu admodùm diuerſo. Cantabri Philippo Longo regnum moderante, Ioanna Regina vagiente in cunis, & Nauarrâ negligentiùs adminiſtratâ, Gorritiam arcem improuiſi occupauerant ; eam ad Guipuſcoæ limites poſitam affirmabant ſui iuris eſſe & ditionis. Poſtea Ca-

De Mortain.

rolo in regnum aſſumpto, Pontius Mortanius Nauarræ Prorex ab eo dictus, vindicaturus iniuriam, atque adeò arcem recepturus, conſcribit copias, (quas Hiſpani ad ſexaginta hominum millia, falsò enumerant) cáſque penitus in Guipuſcoam immittit ; ferro & flammis

Gil d'Ognez.

agros peruaſtans ad Beotibam oppidum. Cantabros Ægidius Onezius dux bello clarus octingentos admodùm ſub ſignis habebat ; quem tam imparem numerum haudquaquam auſus ad pugnam ſiſtere, temeritatem hoſtium in ſubſidium exciuit. Ij ad Beotibam inconſultò in conuallem arctam penetrauerant, quam iuga montium includebant, imminebántque ſupernè ; Onezius extemplo ruſticorum turbâ collectâ, iuga occupat, dolia vinaria ſaxis implet ; tum ea in ſubiectos hoſtes prouolui, vim ingentem telorum & ſagittarum effundi, moléſque lapidum proruere in præceps ruſticos iubet. Id cùm ſtrenuè obiiſſent, & maximam partem iam protritæ eſſent Francorum copiæ, ipſe cum ſelecto milite per fauces irrumpit ; proximáque clade attonitos haud ægrè fundit, delétque penitus ; pauciſſimis fugâ aut latibulis rupium ſeruatis. Et celebrata

brata vulgari carmine apud Hiſpanos victoria, ignominiam victis victoribúſque laudem exaggerat.

CAROLVS PVLCHER. XXIX.

Carolo ad eluendam infamiam non defuit animus, opportunitas defuit. In Occitaniam, conſcripturus copias venerat, cum Anglicum bellum curas à Nauarrâ in Aquitaniam vertit. Ab vnius hominis temeritate duo Reges commiſſi. Dynaſta Montpeſatij Anglo ſubditus arcem ædificabat in Francico ſolo; Regij magiſtratus eam cùm occupaſſent ac Regi addixiſſent, Montpeſatius Angli opem implorat. Eam vt præſtaret Seneſcallus Burdegalenſis immittit milites, arcem inuadit, Francorum præſidium ferro delet, & ad contumeliæ grauitatem, Nobiles quoſdam necat ſuſpendio. Carolus anteaquàm ad arma procurreret, ad Eduardum Regem Angliæ mittit, qui expoſtulent de facinore, & ſatisfieri flagitent; præterea repoſcant Clientelam pro Aquitania. Eduardus vt rem protraheret, Edmundum fratrem ad Regem delegat, dátque palam in mandatis vt ſatisfaciat, clam cunctari, atque diſcedere re infectà iubet. Id egregiè Edmundus præſtitit, multáque Regi pollicitus; ea Eduardus Rex vt exequeretur, Amblæum ſecum abducit, qui in Angliâ ſatisfactionem admitteret. Verùm ipſum Princeps de via remittit, minatus mortem ſi pergeret; tum in Aquitaniam venit, ad repellendum bellum ſe comparans. Carolus geminatis affectus iniuriis, Aquitaniam ob rebellionem Ducis ſibi adiudicat; tum Valeſio patruo ad eam ſubiugandam exercitum tradit. Ille vt quâ prouinciâ bellicas laudes adoleſcens incœperat, eadem ſenior gloriam definiret, primùm in Aginnates conuertitur, & Aginnum verbis compellatam ad deditionem impellit; quippe ciues Edmundo perinfenſi, quod ipſos ſubſidiis diuexaſſet, virginíque ex honeſtâ familiâ vi ſtuprum feciſſet, vltrò iuerunt in poteſtatem Valeſij. Cætera oppida primariam vrbem æmulantur, ac ſe Franco permittunt. Burdegalam ad Garumnæ curſum properanti, obiecit ſe Regula, ſcopulúmque erexit qui vincentium impetum frangeret. Ipſe Edmundus communitam vrbem propugnabat, floréque militum ciui ſtudioſo Angli adiunxerat. Nec ſe intra murum ij concludunt, fatigant Francos eruptionibus; vnâ præcipuè luctuosâ Francis, quâ Dynaſta Sancti Florentini è fortiſſimis ducibus, cum legione tota deletus eſt. Nihilominus Valeſius animum ſupra pericula erigens, muro admouet machinas, & ipſa intra mœnia cladem illaturus, iubet attolli è ligno pegmata, quæ ſupra muros ipſos eminerent; vnde & lapidum moles eructatæ, & effuſi imbres ſagittarum, tandem infregerunt hoſtium robur. Nam cùm tectis protritis ſubruerentur ædificia, ac ruinæ multos opprimerent, & nemo ſe in conſpectum daret, quin pateret telis, deditionem Edmundus pactus eſt; ea lege vt vrbs vincentium foret, ipſe in Angliam proficiſceretur, fratri vt ſatisfaceret perſuaſurus; quod ſi minus perficeret, ſe Valeſio traderet; quatuor Proceribus in obſides datis, prædéſque fidei. Regula capta Valeſius, ad belli fontem caſtrum Montpeſatium copias ducit, capítque obſeſſum, & in pœnam Domini funditus eruit; ciúſque ignominiæ dolore Montpeſatius obiit. Confecto bello redit Pariſios victor.

Bellum cum Anglo.

Sire de Montpeſat.

Anno 1324.

Regula capta.

La Reole.

S. Florent.

CAROLVS PVLCHER.

victor. Fuítque hæc generosissimo Principi postrema laurea ; nam sequenti anno viuis ereptus est. Præclarissimus bello dux, & prudentissimus pace : qui victoriam visus sub signis habere, semper vicit ; prouidente Deo vt à Francorum cladibus semper abfuerit : manſuetudine & comitate omnibus charus ; regno quàm propè admotus, nusquam id tenuit ; nam Regum pater, frater & filius, & dictus Rex Aragoniæ, eius titulum aspernatus, cùm inanis foret, se suâ sorte conscripsit, nec ambitioni quid regium præter laudem permisit. Sub obitum visus est pœnitere cædis Enguerrano illatæ ; nam is quanquam iustè cæsus fuerat, indictâ tamen causâ, & vltionis libidine ad supplicium raptus. Ideò modestissimus Princeps iam extremo morbo suos iussit copiosè stipem largiri pauperibus, atque admonere, vt precarentur Deum, pro Domino Enguerrano Marinio, & pro Domino Valesio ; sibi patibulatum præponens ; adeò Christiana modestia triumphat de victoribus, & admotus ad mortem animus perspicacissimè contuetur mortalia.

Caroli Valesij mors.

XXX.

Spurij Vasconæ.

Dum is erat æger, Aquitaniam noui motus turbauerant. E Vasconiâ tumultuarij prodeunt milites, & in proxima quæque feroces inuadunt. Ij dicti sunt spurij ; credo quia è nobilibus nati, sed impari matre ; iique ipsi ab paternâ hereditate amoti, quæ legitimis deberetur, dum ad paternæ conditionis modum vitam instituunt, nec suppetit vnde sumptus faciant ; eos per malas artes conficiebant. Et primò quidem priuatis latrociniis ; deinde prædis palam raptis, cùm euentus succederet, opésque abundarent, ceu iusto exercitu conuenientes, remotiora corripiunt, & Garumnâ transito, irrumpunt in Santones, vrbémque primariam captam & vastatam flammis subiiciunt. Auctis prædâ plerique Angli sese immiscent ; iámque prædonum cohors vniuerso regno terribilis est. Rex Alfonso Hispanico eos comprimendi munus imponit. Ille Alfonsi Regis Castellæ ex Ferdinando filio nepos, idémque nepos ex Blancâ filia Ludouici Sancti ; cuius causâ dixi à Philippo Audace bellum Sanctio Regi ostentatum ; ísque idem è custodiâ Aragonicâ profugus, se in Franciam vt in asylum receperat, spémque alens regni auiti, vxore ductâ ferebat posteros ; nato iam Carolo, quem Comestabilem pòst Ioannes dixit. Verùm quod infortunium nascenti pro hereditate obtigerat, quódque adulto adhæserat, idem ad exitum Principem calamitosum deduxit ; nam conserto prælio à spuriis victus & profligatus est ; tanto dolore cladis concepto, vt vitam clauserit, ne in metâ quidem prosperitate decerptâ. Eduardus interea Isabellam coniugem ad Carolum constituendæ paci legauerat. Quippe Scotorum bello implicitus, atque Edmundo fratre perurgente, vt se honestè Aquitanico motu expediret, Aquitaniam cum Comitatu Pontini filio Eduardo tradit ; eúmque adhuc duodecennem cum Isabella matre in Franciam mittit, qui clientelam profiteretur, turbasque pacaret beneficio sanguinis & affinitatis. Nec secus quàm intenderet contigit. Isabella pacem à Carolo fratre impetrauit, non tantùm Aquitanis, verùm & spuriis

Alfonsus Hispanicus.

Rex cum Anglo.

CAROLVS PVLCHER.

ſpuriis illis; quibus tot prædationum data eſt venia, modò quieſcerent, ſéque in ſua reciperent. Eduardus Regi clientelam iurauit? iſque ille eſt, qui puer & ſupplex adductus in Franciam, vir & victor illi compedes cudet, fontémque calamitatum in plurimos annos aperiet; modò miſer & fortunæ ludibrium. Etenim cùm mater diutius in Francia cunctaretur, nec marito ſe aut filium vellet committere, in poteſtatem Spenſerorum penitus tradito, apud Carolum vehementer inſtitit Eduardus, vt coniux & filius reducerentur in Angliam; nec Carolus vltrà periculoſos hoſpites retinebat. Quippe non placebat nouum conſilium agitanti renouari bellum cum Anglo, & tædebat ſororis quæ infamiam Mortemarij amore contraxerat; nam hic Anglus nobilis oriundus è Normannia, effracto Londini carcere ad Iſabellam euolauerat, credebatúrque amator pulcherrimæ feminæ ſtuprum inferre. Eas ob res Carolus deſtinabat illis cuſtodes, à quibus reuocherentur in Angliam vel inuiti; cùm admonita de conſilio ab Roberto Arteſio Iſabella, clam cum filio & Mortemario ad Guillelmum Hannoniæ Comitem confugit; Rege haud moleſtè ferente, ſibi hac fugâ neceſſitatem ereptam vel ſorori vel conſiliis ſuis nocendi. Quæ poſtmodùm Iſabellæ contigerint, ſiue in Hannoniâ, ſiue in Angliâ, quàm graue & iuſtum de Spenſeris patre & filio ſupplicium ſumpſerit, vt victum maritum in carcerem egerit, filiúmque Eduardum in ſolium; narrant Angli fuſiùs, quorum codices eæ Tragœdiæ implent. Carolus ad eas immotus ingentem rem voluebat animo, ad Imperium Germanicum aſpirabat. Ioannes XXII. Pontifex graues inimicitias cum Ludouico Bauaro Imperatore ſuſceperat, ipſum interdixerat ſacris, indignum Imperium pronuntiauerat, parémque æmulum ſuſcitans, appellabat Regem ad occupandum Imperium. Nec ille aures appellanti obſtruxerat, ſed lentè feſtinans, inquirebat modos occupandi. Fœdus contraxerat cum Ioanne Bohemiæ Rege, & cum Leopoldo Auſtriæ Duce, & laborabat Pontifex ad conciliandos Germanos Præſules, cùm Rex morbo concepto, altero menſe deſiit viuere, anno dum regnaret ſeptimo, cùm viueret poſt triceſimum quartò. Pius, liberalis, & fortaſſe conſilio quàm bello aptior, dictus eſt Pulcher, quod patrem Philippum ore & corpore totum exſcriberet: Carolum Bohemiæ Principem, qui poſtmodùm ad Imperium euectus eſt, in aulâ educauit puerum atque inſtituit, optimi Regis laudatorem egregium, & in poſterum Franciæ ſtrenuum defenſorem. Primus Regum Decumas Pontifici legendas permiſit, an vt particeps fieret? Ex tribus coniugibus nulli liberi, præter fœtum quem ferebat Ioanna; illíque tutorem Philippum Valeſium patruelem dixit. Ita Philippi Pulchri ramus exaruit, tribus ſtolonibus breuiſſimo tempore marceſcentibus. Nec occurrit Diuinæ vltionis alia ratio; niſi quòd hi Reges ſubditos grauiſſimis tributis vexatos oppreſſerint; & minùs reuerenter in Eccleſiam Romanam ſe geſſerint; cuius dignitatem læſit in Bonifacio pater, maieſtatem fortaſſe filij, dum eam in Franciâ locant,

Iſabella fugat.

Rex de Imperio cogitat.

Caroli mors. Anno 1328.

CAROLVS PVLCHER.

vſúmque rei ſacræ in profanum vertunt. Sed non eſt mortalium in Diuinam mentem inquirere, & forſitan nobis quod in pœnam eſt, Deo eſt in præmium. Sanè nouam Regum ſtirpem exceperunt tot calamitates, vt iis præripi beneficium ſit. Obſeruet interim iſta qui legerit, vt per trium Regum & fratrum funera Valeſiorum ſtirps ad regnum promota eſt, ſic eadem per trium Regum & fratrum funera deſinet, ſtirpe Borbonia ad ſceptrum vocatâ; adeò omnia in humanis intereunt, & quæ ortum præbent, ducunt ad occaſum.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER DECIMVS.

SYNOPSIS.

Europæ ſtatus ſub Philippo Valeſio. Eduardus regnum Franciæ ambit. Anglorum pro Eduardo oratio. Arteſij oratio pro Philippo Valeſio. Philippus Valeſius Rex dictus. Philippus Rex Nauarram dimittit. Suſcipit bellum Flandrenſe. Pugna ad Caſſetum. Contentio contra Eccleſiaſticos. Petrus de Cuneriis. Eduardus Philippo clientelam iurat. Robertus Arteſius ex Francia pulſus. Arteſius Anglum in bellum inducit. Bellum inſtruitur. Admouentur exercitus ſine prælio. Artauella Gandaui tyrannus. Anglus Rex Franciæ dictus. Franci victi pugna nauali. Turnacum ab Anglo obſeſſum. Inducia inter Reges. Bleſenſis & Monfortij contentio. Monfortia Amazon egregia. Rex Proceres necat. Bellum cum Anglo inſtauratum. Artauella occiſus. Eduardus Normanniam vaſtat. Cadomum captum ab Eduardo. Eduardus Lutetiam accedit, & recipit ſe. Ordo ad pugnam Creſſiacam. Pugna Creſſiaca. Noua poſt pugnam clades. Caletum ab Eduardo

obsessum. Ludouicus Malanus Flandriæ Comes. Caletum redditum. Caletensium fortitudo, sex præsertim ciuium. Caletum frustra tentatum. Delphinatus Franciæ accedit. Philippus Blancam ducit, & moritur. Blancæ laus. Ioannes Rex, Comestabilem damnat. Carolus Malus Nauarræ Rex. Carolus Hispanicus occisus. Nauarrus turbans capitur. Apparatus ad pugnam Pictauiensem. Pugna Pictauiensis. Parisienses primò tumultuantur. Occitaniæ in Regem studium. Nauarræ Rex per tumultum liberatus. Idem Parisiis auctoritatem vsurpat. Delphini morbus ex veneno. Seditiosi Marescallos necant. Iaqueria rusticorum tumultus. Delphinus dictus Regens. Delphinus Parisiis excipitur. Bellum cum Anglo. Eduardi exercitus. Pax ad Bretiniacum cum Anglo. Pax patrata prodigio. Ioannes Rex liberatur. Rupellæ fides in Regem. Prædones in Francia. Pugna ad Lugdunum. Burgundia regno annexa. Regis itinera, & mors.

I.

PHILIPPVS VI. VALESIVS dictus.

DIV Franciæ Regnum immotum perstabat, dum vicina Imperia procellæ grauissimæ quatiebant. Anglia bello assiduo cum Scotis attrita, nuper ciuili motu diuulsa, altè cruorem imbiberat necatis Principibus; Germania diuisa pariter & distracta, præda erat Aquilæ verè bicipitis, pluribus de Imperio contendentibus; Italia Guelforum & Gibellinorum factionibus scissa, Germanos, Francos, & Aragonios passa, nunc per absentiam Pontificum Tyrannis inualescentibus, singulis tam præclari corporis membris alebat carnifices; Hispania præter incubantes Mauros & viscera depascentes, Castellanum modò cum Lusitano, modò cum Aragonio committebat: Francia vna ab Ludouico Sancto tranquilla, exercita quidem Flandricis motibus, bellisque Siculis, sed in alieno & de alieno, perseuerabat integra atque illibata, per aliquot missiones sanguinis salute asserta. Nunc calamitatum patietur vices, casque tam graues, vt cogitanti vnde emerserit, videatur opus Diuinæ potentiæ, portum in naufragio, asylum in scopulo, vitam in tumulo, in desperatione salutem præstantis. Lubet intueri quibus gradibus in miseriarum voraginem florentissimum regnum prolapsum sit. Carolo vitâ functo, soror Isabella spem regni Francici concepit animo. Vt ambitiosum est feminarum genus, nec sibi limites potentiæ vllos constituit. Feliciter suis tumultibus expedita, necatis Spensoris, marito è carcere in sepulchrum acto, nam venenum ebiberat, & erecto in

Europæ status.

Eduardus regnum Franciæ petit.

solium

PHILIPPVS VALESIVS.

solium Eduardo filio, Franciæ regnum prædam haud difficilem existimabat. Eduardus eo nomine tertius, ingentis animi iuuenis, quem nec Oceanus definiret, calamitatibus supra spem in sceptrum mutatis, ad Franciæ nomen erigebat se, & capace iam cupiditate opulentissimum regnum hauriebat. Id consequuturus oratores mittit, instructos magnificè, qui Regi suo Caroli mortui ex sorore nepoti coronam poscerent. Habebant Franci de futuro Rege comitia, ac fœtui Regio quem ferebat mater, Philippum Valesium tutorem dixerant; móxque partu in lucem edito, cùm deterioris sexus is esset, de constituendo Rege consultabant. Admissi Oratores Angli, pro Eduardo congerebant multa. *In Merlini vaticiniis vnum celebrari, quo prædicebatur regna Angliæ & Franciæ in vnum corpus coalitura; nunc felicissimum illud tempus illuxisse; æquum esse, vt quæ duo regna ab vno capite propagata forent, in vnum caput rursum conuenirent; Vitichindum Francis, Rodulphum Anglis, vtrumque Normannum, dedisse regnantium fontem atque originem; quàm iustum eodem relabi vnde incepissent. Nec id vtrique genti minùs commodum atque gloriosum, dum fortissimi populi, quibus separatim gens nulla par foret, communicatis viribus atque consiliis, imperium latè prorogabunt: & volentibus leges, nolentibus iugum & seruitutem imponent. Sanè internecinum bellum consopitum iri, quo se mutuis cladibus Angli Francique conficiunt; futurúmque Oceanum non æmulorum limitem, nec repagulum hostium, sed amicorum commercium, & possessionem fratrum indiuisam. Ad ius quod spectaret; esse indubium; naturæ iure transire ad liberos hereditatem paternam, vocari ad successionem qui proximi; & numerari sanguinis gradus, vt qui propiùs ad truncum accesserint, plúsque illius sanguinis hauserint, admittantur ad legendam hereditatem, & remotiores excludant. Isabellam à Philippo Pulchro natam esse, sororem Caroli, nec vllum in Regis stemmate propinquiorem. At, inquiunt, à Diademate Franciæ repelluntur fœminæ? quid ergo eas à regimine regni non excluditis? Blanca Ludouici mater patientibus vobis atque laudantibus semel iterúmque gubernaculum tenuit; Ioanna à Philippo Pulchro Regens scripta erat; cùm rem atque effectum permittitis, quid de inani iure contenditis?* Tum ad Salicam legem eleuandam ingerebant plurima; *Eam incertam & confictam prope modùm; contrariam legi sacræ, omniúmque gentium legibus; abrogatam Francorum vsu, apud quos fœminæ feuda etiam primaria consequebantur. Imo nec in eam peccari, cùm Eduardus Rex foret; in quem non caderet vel legis ratio, vel muliebris sexus infirmitas. Sic Hugonem Capetium in Regem vocatum; quod à filiâ regij stemmatis ortum duceret.* Ad hæc adiungebant promissa ingentia, & argumentum ad persuadendum efficacissimum, spem excitabant, partiendæ cum Proceribus prædæ, & opulenti pretij mercis quam venderent. Postquam copiosè oratores dixerunt; Robertus Artesius & ipse è regia familiâ, & cum Valesio arctâ beneuolentiâ vinctus, contra disseruit. *Vnà lege Salicâ nitebatur oratio, ipsam æquauam Coronæ Francicæ, cum fundamentis simul stabilitam, inconcussam hactenus, nec vnquam euertendam, nisi per ruinam Regni casúmque Procerum. Eam docebat in primâ ac secundâ Regum stirpe inuiolatam, naturæ consentaneam maximè, cùm iniquum foret, viros militares obtemperare fœminæ, ortu atque indole infirmæ admodùm, quæque nata esset vt regeretur. Feuda fœminis*

Anglorum oratio.

PHILIPPVS VALESIVS.

permitti aliquoties, sed Regum indulgentiâ, quanquam Regnum inter & feuda multùm interfit, quando Regnum hereditas non est aut patrimonium, sed ius perpetuum atque immotum, cuius vsufructus ad regnantes pertinet quidem, sed illibato iure & intemerato. Si admitterentur feminæ, atque haberetur ratio sanguinis, quid Isabella cum regno? cùm supereſſent Hutini & Philippi filiæ, & modò è Carolo nata esset puella, num ipsa propinquiores materterâ? At Eduardus ab Isabellâ natus vir cùm sit, infirmitatem sexus excluſit, quasi ipsi exclusâ matre vel vmbra superet, & Reges contingat niſi matris sanguine & beneficio? Friſtra spem iactari & promiſſorum illecebras; Francos haudquaquam mercatores esse, qui se & libertatem diuendant pretio; nec arceſſendum vltra Oceanum Regem, preſente Philippo, quem natura, ius, Regnique leges Regem nuncuparent. In eam ſententiam à comitiis itum eſt, dictúſque Rex Philippus Caroli Valeſij filius, Caroli Pulchri patruelis ob eam rem vulgò Felix nominatus; quòd per trium Regum mortem adhuc iuuenis regnum compararet, quódque è duodecim ſtirpis Regiæ ramis cùm triginta admodùm Principes viuerent, ipſe præ cæteris diademate cinctus eſt. Sed præcocem & præpoſteram appellationem acerbiſſimâ pòſt calamitate corrupit; adeò nemo ante obitum felix dici debet. Rhemis magno Ordinum plauſu inauguratus eſt; Anglo repulſam patienter ferente.

Philippus Valeſius Rex. Anno 1328

II.

Rex Nauarram dimittit.

Philippus ſceptri compos, abſtinentiæ ſpecimen illicò edit, Nauarræ regno à ſe abdicato. Et ipſi Nauarri pertæſi diuturnæ regnantium abſentiæ, regi à præſente volebant; eámque ob rem celebratis comitiis, Ioannæ Hutini filiæ regnum delatum eſt, quæ iam nupſerat Philippo Ebroicenſi; repulſo ſimiliter Eduardo, qui à Franciâ deiectus, Nauarram appetierat, vt Carolo Regi coniunctior. Philippus à nouis Regibus Campaniam & Brigiam habuit; datis in permutationem Comitatibus Marchiæ, Mortauij, Longauillæ, & Enguliſmæ, præter pecuniam annuam; ſua enim intererat à Lutetiæ portis amoueri longius Principes. Tum Petrum Remium Caroli Pulchri Quæſtorem primarium, peculatûs damnatum, ad patibulum miſit, ob arrogantiam & immenſas opes vulgo exoſum; nam in bonis numerabat duodecies centena librarum millia, immenſas iis temporibus opes, quæque Regem æquarent. Iſque ſuſpenſus ad furcas Monfalconias, quas nouas ipſe nuper extruxerat; quartus eo ſeculo, qui pecuniâ ditatus publicâ pœnas dedit; nec aliorum ſupplicio abſtinentiam didicit; adeò picata eſt auri cupiditas, viſcóque ineluctabili animos implicat. Poſt hæc continuò Rex ad Flandrenſe bellum ſe admouit. Flandri Ludouicum Comitem aſſiduis rebellionibus diuexabant; ſeditioſi conſurrexerant Brugis, qui vſurpato regimine, cæſiſque nefarie qui repugnarent, vrbem moderabantur ad nutum: in aliis oppidis Roberto patruo faces ſubmittente plebs exardeſcebat in Comitem, & in diſcrimen vitam ſæpe vocauerant, rebellione per diuerſa fœdera excitatâ potiùs quàm ſopitâ. Comes tandem in Franciam confugerat, extorríſque à patriâ opem Regis calamitate ipsâ implorabat. Proceres ad conſultandũ adhibiti, abſtinẽdum bello cenſebant: *Illo quari haud multùm gloriæ, periculi plurimùm; vilem plebeculam & facem hominum in deſperationem agi, quæ vel in ignauis terribilis ſit; plus nobilis ſanguinis*

Remium in pœnam vocat.

Bellum Flãdrenſe.

in

in Flandriâ fusum his proximis annis, quàm superioribus in Ægypto & Africâ; maioris esse pretij Francum vnum è nobilitate, quàm opulentam in Flandria ciuitatem; ipsi inter se belluarum instar desaeuiant, se inuicem lanient atque dilacerent, abscindantur ab omni commercio, sibique ipsi, quæ acerbissima pœna, relinquantur. Haudquaquam Rex iis mouebatur, flagrabat animus militari laude, ratus regnum frustra comparatum, nisi iuuenile illud incendium magno facinore statim effunderet. Vrgebat itaque, miseriam Comitis contestatus atque Franciæ ignominiam, si diutius calamitosum supplicem pateretur. Cùm nihilominus resisterent Proceres, & affirmarent exhausto ærario expeditionem tantam temerè susci pi; saltem præstolandum opportunius tempus, cùm nunc æstas ad finem vergeret; Rex tantas moras vno verbo abrumpens, ad Gualterium Crecyum conuersus, nutu intendens quod desideraret; Tu, ait, quid censes? cùm ille voluntati Regis obsequutus respondisset; Haud cunctandum vlterius, & amatoribus Martis omne tempus esse opportunum; æquum, inquit Rex, censuisti; tibi assentio, & nemo credo mihi dissentiet. Ita vno verbo nodum Gordium secans, ipse validum exercitum in Flandriam ducit. Rebelles magno numero ad Cassetum, in erecto colle, castra posuerant, hostes patriâ prohibituri; Franci in subiectis campis sua metabantur. Ii cùm sponte impellerentur in pugnam, vt ab tuto loco Flandros educerent, copias diuidunt, iisque in hostium oculis agros populantur. Flandri conspectis villarum incendiis, duci in aciem flagitant, se conuenisse tutandæ patriæ gratiâ, non vt otiosi collem occuparent, solisque oculis prosequerentur perniciem. Duces quorum princeps Nicolaus Rozequinus, arte piscator, cùm nequirent temeritatem compescere, censuerunt fraude & dolo armandam. Ergo pugnam polliciti, ad eam Francos prouocatum mittunt, diémque indicunt ab eo secundum, Sancti Bartolomæi postridie. Tum Rozequinus fallendi certus, piscatorio habitu, in Francorum castra pisces it venditum; admissúsque nullâ suspicione, explorat omnia, militem, præfectum, tabernaculum Regis, ac cætera quæ audax consilium promouerent. Cuncta speculatus, ad suos regreditur, & in ipsum festi diem pugnam tacitus comparat. Franci dolum minimè suspicati, expectata in diem posterum pugnâ, incauti agebant; cùm repente Flandri triplici agmine, è colle nullo strepitu, nullo clamore, aut buccinæ sono exscendentes, in castra inuadunt. Ea in tres partes diuisa. Primam obtinebat Rex ipse, alteram Ioannes Bohemiæ Rex, tertiam Comes Hannoniæ. Primus impetus ac ferociſſimus in tabernaculum Regis effunditur, Rozequino duce, cui nota omnia & perspecta erant. Multi Nobilium ad tabernaculum cæsi, dum Rex armatur; in aliis locis necati aliquot, donec Franci à trepidatione recreati, armis terribiles, ad sua quique signa conuolantes, repellunt impetum; mox Flandri recedunt, agménque instruunt ad iustum prælium. Quod tandem initur acerrimâ dimicatione; illinc fortitudine, hinc desperatione pugnantibus; donec ista oppressa, non victa est, cæsis in loco quem occupauerant Flandris; nemine terga vertente, tela aduerso corpore cunctis excipientibus. Istorum necata sexdecim millia; Franci, nisi id fidem superet,

Regis ad bellum ardor.

Gautier de Ciecy.

Pugna ad Cassetum.

Anno 1328.

PHILIPPVS VALESIVS.

superet, duntaxat septemdecim; splenduitque si vnquam militaris Francorum gloria, quibus nihil ad exaggerandam laudem desideratum est. Eodem cursu victoriæ expugnatum est Castetum; quod deletum ferro & flammis, pœnas dedit irrogatæ Regi contumeliæ; quem repertum Regem nuncupabant, Gallúmque pictum supra muros erexerant, concinentes in ludibrium tunc Regem repertum in sua munimenta subiturum, cùm hic gallus caneret. Ypra, Brugæ, & cæteræ ciuitates Comitem exceperunt supplices; & Rex victor triumphauit Parisiis, primariam Deiparæ Matris Ecclesiam equo vectus & coruscans armis ingrediens; obtulitque orbis Reginæ, instrumenta & monumenta victoriæ, Equum atque Arma; erectá postmodùm in eodem Templo equestri statuâ; vt tam auctor victoriæ Deus, quàm Rex victor illucesceret posteris. Comes Flandrensis iustis in rebelles suppliciis auctoritatem sanxit; & Canuti pœna memoratur, perduellium principis, qui Regi traditus, per acerbos cruciatus necatus est; vt plurimorum quos trucidauerat neces, totidem, quantùm vni corpori licet, suâ penderet.

III. *Contentio contra Ecclesiasticos.*

Regem bello functum contentio ciuilis excepit, eò intricatior, quò periculosiùs alteri parti se traderet. Diu querebantur Iudices Regij, *Ecclesiasticos in alienam iurisdictionem inuadere, nullam esse litem quam non occuparent, immiscere se omnium causis, fontes etiam imò insontes in forum suum vocare; & specie sacri fulminis quod vibrarent, perturbare singulorum res atque familias, & telum quod commissum in sacrarum rerum tutelam foret, in profanas impendi; vsu iustitiæ sus déque euerso.* Ob querelas graues Parlamentum in Vicenarum saltum Rex conuocat; vbi in frequentissimo Antistitum Procerúmque cœtu habet orationem in Præsules Petrus Cunerius Aduocatus Regius, acerbè in sacros Iudices inuectus; quorum immunitates & immensam potentiam infringi penitus flagitabat. Respondit accuratissimè Petrus Bertrandus Episcopus Augustodunensis; & lite ab culpis Iudicum ad dignitatem Ecclesiæ solerter traductâ, multa de Ecclesiæ maiestate dixit, de reuerentiâ religionis, de Francorum Regum pietate, euocauit è superis Carolum Magnum, Ludouicum Pium, Ludouicum Sanctum, eorum opem implorauit, vt quæ tam effusè donassent Ecclesiæ, ea conseruata in posteris vellent, adiunxit beneficia quibus ipsos Deus cumulasset, demùm tantâ eloquentiâ perorauit, vt Regi metum iniecerit immutandi quidpiam, efficacissimo apud pium Principem Diuinæ reuerentiæ argumento. Quare is postquam amicè admonuit Præsules, vt qui irrepserant abusus tollerent, parciúsque sacrum fulmen vibrarent, pronuntiauit; Ecclesiæ iura aucta se potiùs velle, quàm imminuta, sartásque & tectas immunitates iussit esse Præsulibus. Vnde Catholici nomen adeptus est: difficillimâ lite disceptatâ tam prudenter quàm piè. In vnum Cunerium promptum est odium publicum, cuius nomen simulacro informi adscriptum est: idque Parisiis in æde Deiparæ prostat loco obscuro, ad extinguendos cereos designatum, in angulo seu cuneo positum, vt annominatio cuneum inter atque Cunerium, tantum præclaro viro ludibrium esset, quantum statuæ dedecus foret. Expeditâ lite, ad clientelam admissi Proceres:

Anno 1329.

Petrus Cunerius.

De Cugneres.

Proceres : quorum princeps cùm esset Eduardus Rex Angliæ, ad eam præstandam vocatus est. Et verò summa Philippi dignitas erat, vt qui cum ipso contendebat de regno, is clientem & subditum se profiteretur : atque ideò primùm Isabella Eduardi mater negauit filium professurum, nec decere vt Regis filius coram Comitis filio sese submitteret, Eduardus tamen re deliberatâ, æquum peti censuit, & profectus est ad iurandam fidem, siue odio nondum in Philippum concepto, siue adhuc impar illi demonstrando. Ambiani Rex venientem magnâ pompâ excepit; appellauerat Reges Bohemiæ, Nauarræ, atque Maioricæ, Proceres omnes, virósque Nobiles, tum è Franciâ tum è fœderatis, ad maiorem Eduardi honorem an ignominiam, quòd tam multos spectaret testes demissionis atque obsequij. Primò disceptatum, quibus verbis præstaretur id officium, permissum vt generalia Anglus vsurparet, dum domi per otium quid maiores ea in re egissent consideraret, ac deinde specialiter Regi sese obstringeret, quod & postea præstitit. Interea magna vt interpretabatur contumelia ipsi illata est. Cùm enim ad præstandam fidem accederet, Philippo Rege in solio considente, indutus villoso serico in purpuram tincto, pardis aureis vestem illuminantibus, capite Coronam præferens, cincto ense, aureísque calcaribus, iussus est Coronam, ensem & calcaria ipsa deponere, séque ad subditi cultum accommodare, iussúsque paruit, sed altè in generosum pectus penetrauit opprobrium, dedítque fomitem incendio quo conflagrauit mox Francia. Dolorem haud multò post cumulauit, quod Philippus affinitatem contraxit cum Ioanne Bohemiæ Rege, eius filia Bona Ioanni filio in vxorem data, cui sororem Anglus obtulerat, noua repulsa dolorem primæ, & contemptus sensum refricante. Igitur cùm Philippus communicato cum Ioanne Pontifice, & Benedicto successore, huius nominis XII. expeditionis sacræ consilio, omnia in eam comparasset, starétque Massiliæ magna classis in anchoris, par octoginta militum millibus, Regésque Hungariæ, Siciliæ, Cypri atque Maioricæ, socij glorioßimi belli accederent, Rex aduertens Anglum tacitum se continere limitibus, & Europa tota adstrepente vnum conquiescere, ad eum misit, qui rogarent nunquid ipse vellet in expeditionem sacram conferre. Nec vltra dolorem Anglus oppressit, dato Legatis responso, cùm Philippus sua sibi restitueret, quæ vsurpabat iniquius, se tam citò profecturum in Syriam, quàm Philippum ipsum. Qua voce maleuolentia Angli deprehensa, sacrum iter dimisit, ratus sua cuique quàm aliena esse potiora, nec aliis subueniendo prouocandam in se perniciem. Sed iam vrget belli Anglici moles, quod tenuit annos centum sexaginta, & calamitatum caput appetit Franciam. At primùm inquiro, quo fonte, quáque origine hic ærumnarum æstus proruperit.

PHILIPPVS VALESIVS.

Eduardus clientelã iurat.

IV.

Causa belli Anglici.

Ex summa beneuolentia & arctissimo sanguinis vinculo, capitale odium & Vatinianum exortum est. Roberto Artesio cum Philippo, antequam is promoueretur in regnum, iucundissima viræ atque officiorum omnium societas erat, vna voluntatum & sententiarum consensio; ex priuatis commodis commune quoddam efficiebant; imò vt agnationem sanguinis vincirent arctiùs, affinitatem contraxerant, sorore Philippi Artesio in vxorem

PHILIPPVS VALESIVS.

datâ. Ideò de regno dum disceptaretur, Robertus contentionem omnem vt Philippus promoueretur intenderat, idque perfecerat; imò aliquandiu Regem inter & subditum eadem amoris significatio perseuerabat, cùm Philippus Artesij causâ omnia cuperet, & potentiæ quantùm sat ambitioni foret permitteret. Ea res Artesio veteris litis instaurandæ atque obtinendæ votum & spem fecit. Robertus Artesius qui in Cortracensi strage occiderat intestatò moriens, reliquerat liberos, Mathildim filiam, & nepotem ex Philippo filio iam præmortuo, Robertum hunc de quo sermo. Lis inter liberos continuò nata; Roberto Comitatum Artesium reposcente, qui Philippum patrem natu maiorem repræsentaret; Mathildis contra quod propinquor patri quàm nepos foret, & quia Artesiæ consuetudine repræsentatio patris in filio vetaretur, eandem ditionem sibi asserebat. Iuris speciem potentia fulciebat: nam nupta Othelino Burgundiæ Comiti, susceptas ex eo geminas filias, nuptui dederat Philippo & Carolo, Pulchri Philippi liberis; quare controuersiâ in Parium Curiâ disceptatâ, Regis gratiâ & auctoritate, Artesia Mathildi adiudicata est. Et Robertus cum iniquitatem iudicij questus in Artesiam inuasisset, Philippo Longo in regnum euecto, Mathildis genero, ab eâ pulsus est, nouáque iterum perculsus sententiâ, quâ Mathildi sanciebatur Artesia. In præsentiâ Philippo rerum potiente, existimauit Robertus articulum ad repetendam litem percommodum; *Mathildim iam vitâ decessisse, Reges generos quorum gratiâ nitebatur nullos esse, superesse in liberis præter vnam filiam neminem, illibatam in Philippo beneuolentiam, & beneficium nullo præmio repensum, summam sibi apud omnes ordines auctoritatem, iure se niti atque æquitate; fieri non posse quin postulatum tandem obtineret.* Primùm eâ de re cum Philippo Rege verbum facit; porrò eum duriorem expertus, quod constituta à duobus Regibus nollet reuellere, dicerétque Bellomontanum Comitatum in compensationem datum; tertiùm controuersiam in iudicium vocat, dicto die Ioannæ Mathildis nepti, Philippi Longi filiæ, quæ Eudoni Burgundiæ Duci nupserat; simul industriâ Dominæ Betunensis falsas confingit tabulas, quibus ab Roberto auo heres diceretur. Rex auditâ re, rogat Comitem, vt ab iniquâ lite abscedat; malè honorem pro quocunque bono commutari; tabulas premeret, ex quibus nihil aliud nisi falsarij nomen assequeretur. Ad eam vocem Artesius, vt erat præcipitis iracundiæ, negat se falsarium, prouocátque in certamen, qui sibi obiiceret rem tam turpem. Rex eâ prouocatione commotior, quâ peti se existimauit, respondit falsas esse tabulas, id compertum haud dubiè; illarúmque auctores daturos meritissimas pœnas. Exinde amicitiâ deficiente in odium (adeò Regum vitrea est beneuolentia, & summa illa dignitas parem nescit) capitaliter Comitem Rex persequutus est; nam Parlamenti sententiâ damnatus est vt falsarius, non modò à postulatis exclusus; sed & à Franciâ exulare iussus, bonis publicatis, & honore ignominiosè proscripto. Nec odium Regis intra infamiam stetit, pulsi Artesij coniugem liberósque in custodiâ habuit, quamuis coniunctissimos sanguine; ipsúmque Artesium Namurco quò profugerat per Episcopum Leodiensem expellit; ac feminam Betunensem quæ fabricauerat

Robertus Artesius causa belli.

Beaumont.

Dame de Betune.

Anno 1332.

bricauerat tabulas flammis addicit; mirantibus cunctis, quò beneuolentia prima euasisset, & extorrem miserantibus, qui tot beneficia vno facinore ac propè verbo perderet, essétque exemplo, quàm nullis limitibus conscriberetur ira impotens Principum. Namurco pulsus Artesius ad Ioannem Brabantiæ Ducem & affinem suum se recipit; nec tamen in eo perfugio quietem adeptus est. Quippe Rex inflammante satietate vindictam, cùm Brabantino nuntiaret bellum, nisi hospitem odiosum abigeret; ísque Artesium clàm haberet, si fortè ira Regis morâ deferueret; Rex cunctationis intolerans, bellum repente Brabantino mouet, & in eum vicinos concitat, Episcopos Leodiensem & Colonienſem, Duces Iuliacensem & Gelrium; quorum copiæ ductore Eusio Comite Comestabili in Brabantiam ductæ, imparem Ducem spoliatum ibant ditione. Ille tamen quâ erat versus hospitem fide, extrema omnia pati certior, quàm profugum & affinem prodere, peribat victima hospitalitatis, cum Artesius vltrò excessit Brabantiâ, póstque actas Duci immensas gratias, calamitatem suam conquestus, quod nullibi agere quieto liceret, & Regi minas intentans, professus se quem erexerat deiecturum, occultus in Angliam transiniſit, quæsito apud Eduardum asylo, quem sperabat ex inimico benevolum atque amicum, quando in amicissimo acerbissimum hostem nactus esset.

PHILIPPVS VALESIVS.

Artesius pulsus in Angliam fugit.

V.

Eduardus exulem, quem æmulo infensissimum nosceret, lætanti animo & gratulanti excepit, dixítque Richemondiæ Comitem. Nec Artesius obliterauit iniurias, sed tam illarum memor quàm beneficij, Eduardum in bellum Francicum inflammabat. Insinuabat identidem; *iustissimum esse bellum, quo repetuntur per iniuriam rapta, non agi de vrbibus arcibúsque quas Philippus in Aquitaniâ retineret, de toto regno, & quidem Europæ præclarissimo controuersiam esse, iam in iure quæsito plusquàm dimidium actum, quid hæreret, ac fortuna donum cunctatione corrumperet? Sanè contumelia meminisset, qua sibi Ambiani tot illustribus testibus irrogata, cùm potentissimus Rex, spoliatus ornatu regio, æmulo & inferiori non clientelam præstitit, sed indecorem mulctam & probrosam, ferrum modò accingeret quod vi atque iniuriâ discinxisset, coronam reponeret quam rivalis iniquitas detraxisset, quámque donauerat ab proauis Regibus inconcussa successio: imò nouam Philippo detraheret, nato priuatis in laribus, & admodùm nuper illam cingenti. Nec tam arduum atque difficile id præstare, teneram arbusculam radices altas nondum immisisse, euelli posse haud difficulter, nunc Philippum flagrare inuidiâ, ægrè Proceres Regem ferre, quem parem senserant, eóque Dominum iusserant vt regnarent simul, Francos Principem qui nasceretur amare & colere, quem ipsi fecissent inuidiâ prosequi & contemptu. Nauarræ Regem Philippo infensum, ob detractam Campaniam, alienatum Pontificem, Imperatorem hostem acerrimum, iis sociis tentari posse omnia, perfici plurima. Debellatos Scotos, Dauidémque Regem maximâ regni parte multatum, nunc victrices copias ducendas in Franciam, & triumphorum seriem maiori compendio propagandam.* Cùm iis verbis Eduardi dolor, quasi ferro vulnus exacerbaretur, tandem bellum decretum est. Quod vt moueretur validiùs; primò de adsciscendis sociis laboratum, & in Germaniam maximè conuersa studia: nec ægrè in partes Ludouicus

Artesius Anglo bellum insinuat.

Bellum ab Anglo instruitur.

PHILIPPVS VALESIVS.

vocatus, dudum Franciæ hostis, quoniam omnia Pontificum tela quibus impeteretur, à Francis Regibus existimabat emissa, non dubius quin de Imperio tam Carolus quam Philippus ipse cogitassent. Episcopus Lincolnensis orator in Germaniam missus, non modò Ludouicum adiunxit fœderi, sed Duces Brabantiæ, Gelriæ, Iuliaci, & seniorem Hannoniæ Comitem, (nam iunior Franco militabat) atque Colonienſem Antistitem. Ad Flandriam quod spectat, in partes abierat, vrbibus admotis ad Franciam Comiti obsequentibus, cæteris quæ ad Germaniam cuidam Artauellæ Gandauensi addictis, abdicata Principis auctoritate. Eduardus post sancita fœdera, profectus ab Anglia, Cagantiam insulam quæ Flandriæ erat, & præsidio tenebatur, vi primùm occupat, deiicitque præsidium, tum Antuerpiam se confert, vt Germanica fœdera arctiùs stringeret, vbi postquam à Ludouico Imperij Legatus seu Vicarius dictus est, confirmatis sociis, bellum Philippo per Episcopum Lincolnensem indicit, simúlque infert, tum in Aquitania, tum in Morinis. Iam Philippus ad eum repellendum se comparauerat, nec in fœderatis quærendis segnior, Reges Bohemiæ, Nauarræ & Scotiæ, Lotharingiæ & Austriæ Duces, Comitem Palatinum, & Leodiensem Episcopum sibi adiunxerat. Conductis ex Hispania & Genua nauibus, classem ingentem instruxerat, quam Testanerio Genuensi, rei maritimæ peritissimo, gubernandam tradit, Comestabilem in Aquitaniam mittit, qui ope Comitum Fuxiensis & Armaniaci ad Garumnam prouincias contineret, ipse numerosum exercitum conscribit, tanta Francorum alacritate, vt soli Normanni ad profligandam Angliam maiorum instar sese obtulerint, deligendis equitum quatuor millibus, quadraginta peditum; quos stipendiis suis aleret, idque ob initam à Rege gratiam, quod Ioannem filium Normanniæ Ducem dici voluisset. Tanto apparatu cùm Europa scinderetur in partes, primus Anglus mouit, & Cameracum obsidione cingit, ita enim cum Ludouico Imperatore conuenerat, vt ab Imperatoria vrbe belli initium faceret. Illam propugnabat Galesius Baumius Eques Sabaudus, accesserátque Comestabilis ab Aquitania reuocatus, cum tribus equitum millibus, erátque spes Angli opprimendi, si in obsidione perstaret: quare Artesius nono die illius soluendæ auctor est: *non occupandum regnum per vrbes singulas, semel rem vnius pugnæ aleæ committendam, ideò in regni viscera penetrandum, id decere legitimum Regem: nam tentare limites fore extranei.* Hoc consilio soluta obsidio, & ad Capellam Picardiæ vrbem promotus exercitus, ad quam Philippus castra posuerat. Continuò per fæciales diem pugnæ dicit Eduardus, à Franco gratulante accepta est, & fæciales splendidè habiti, donatíque muneribus. Dicta die vtrinque exercitum Præfecti instruunt, in Anglico erant millia equitum quatuordecim, sexaginta peditum; in Franco equitum viginti octo, peditum quinquaginta; erántque sub signis quatuor Reges, Comites triginta sex, vexilla Nobilium insignia viginti supra ducenta; vt Europæ flos in id bellum conuenerit. Verùm Franci Proceres omninò abhorrebant à pugna; seu prudenti consilio, quod vniuersum regnum vno aleæ iactu adducere in discrimen nollent; seu religione quadam deterriti, quod Robertus Neapolis Rex,

Et à Philippo.

Anno 1338. Galois de Beaume.

Admoti exercitus sine prælio.

Rex, curiosus astrorum inspector, affinem Regem admonuisset, ne pugnam præsente Eduardo consereret, astra enim stragem horribilem comminari Francis, si secus agerent; isque erat per vniuersas copias dissipatus rumor. Et Regi Proceres exponebant; malè pro gloriâ regnum in periculum vocari; si vincat, palmam inanem in præmium fore, si vincatur, totum regnum in iacturam. Quibus tametsi generosissimum Principem haud dehortarentur, tamen cunctando & prolatando tantùm perfecerunt, vt inclinante in vesperum die, conseri pugna nequiuerit, eámque in posteram lucem Reges remiserint. Franci interea rumorem spargunt, sibi præliandi haud esse animum, sed aciem instrui duntaxat in speciem, vt facilius Anglum interciperent, & alimenta detraherent. Quo rumore ad Anglos delato, seriò pertimuit Eduardus, ne id hosti consilium foret, eò maximè quod deficiebant cibaria: & ipsa nocte reduxit exercitum, in Hannoniam primùm, tum in Brabantiam, accusans Philippum, quod dicta die aciem non stitisset in prælium. Et Philippus ab eo insequendo precibus suorum monitisque prohibitus, se versus Franciam recepit: Deo adhuc calamitatibus Franci indulgente; nam quid præter Numen infensissimas gentes atque fortissimas, Reges priuatis incensos iniuriis, sub ipsa tela admotos, nullo sanguine, absque vllo obice diremisset? PHILIPPVS VALESIVS.

VI. *Artauella repulsus à Brugis.*

Intercisa spe pugnæ Eduardus retinendis sociis incumbebat prudenter, quos temerè abalienabat Philippus. Flandri præcipuè magno erant momento, in quam partem se darent. Ii iam antè ab quodam artifice Iacobo Artauella prorsus regebantur. Gandaui Artauella diu cereuisiam coxerat; erátque staturâ corporis firmâ & procerâ, valido robore ad staturæ modum, magno animo, præfractâ audaciâ, & ad quoduis nefas intrepidâ; ob quas dotes lato nomine in popularibus comparato, plebi acceptus, & facinorosorum asylum, in Gandauenses tyrannidem vsurpauerat, probo cuicumque terribilis, contrà improbis gratus, quorum vitia fouebat atque alebat. Incedebat sexaginta stipatoribus aut Sicariis cinctus, quorum aliquot ad sæuitiam eius conformati, leuissimo nutu designatum quemlibet perimebant. Sic non Gandaui modò, sed in totâ Flandriâ nefarius vir se Principem gerens, morte damnabat, multabat, exigebat tributa, leges condebat, magistratus dicebat, nemine auso iniquissimis iussis repugnare. Ille ab Eduardo primùm appellatus, vt Flandrorum arma suis adiungeret, quanquam multâ donatus pecuniâ, excusauerat se, tum recenti memoriâ pugnæ Cassetanæ, tum ob pactum cum Benedicto Pontifice initum, quo Flandri promiserant se in Regem Franciæ nunquam bellaturos; si secus agerent, Pontifici in pœnam penderent florenorum bis decies centena millia, & sacris omnibus interdicerentur. Nihilominus Regibus ad pugnam accinctis, conscripserat copias ad Insulas expugnandas, quam ob rem cùm ij infecto prælio discessissent, veritus Artauella ne allaborante Pontifice pacem contraherent, & ipse Philippo in prædam cederet, ad eum mittit, qui pacem peterent, iis conditionibus, vt Flandri abdicato Anglo reciperent Comitem, & Francus vrbes Flandriæ quas tenebat dimitteret. At Philippus

PHILIPPVS VALESIVS.

conditionem aſpernatus, Attauellam reiicit. Is ne ab vtroque Rege deſtitueretur, ad Eduardum Bruxellis agentem ſe confert, deductiſque Flandricarum vrbium Conſulibus, contrahit fœdus; Anglo lucrum ex alienâ ſocordiâ faciente. Erat præterea vnus obex tollendus, ne in Pontificiam pœnam Flandri incurrerent; nodus vt ſolueretur, Attauella auctor eſt Anglo, ſe Regem Franciæ nuncupet; ita pœnam imminentem vitari vel eludi poſſe. Quanquam Eduardo videbatur ridiculum, ſe Regem dicere eius Imperij, cuius nedum minimâ parte potiretur; tamen vt Flandros obtineret, iuriſque auctoritatem palam omnibus faceret, ſe Regem Franciæ dixit, adiunxítque Pardis aurata lilia; quo vano titulo gauiſi ſunt poſteri, quanquem tam poſſeſſione deiecti poſtea, quàm primùm erant iure deſtituti. Sed ambitio ſibi gaudet illudere, & cùm cibo ſolido veſci nequit, fumo ſe paſcit. Eduardus ſtabilito fœdere, in Angliam tranſmittit, cuius oras claſſis Francica populabatur, & in Hantoniæ portum irruperat; relictâ vxore Gandaui, ceu chariſſimo fidei pignore. Nec Flandros ſpes aut metus diſtraxerunt ab Anglo; fruſtra Philippo conditiones optimas offerente, & commodiores quàm quæ antea rogabantur: & Benedicto Pontifice interdicta incaſsúm pronuntiante; quibus primò quidem Flandri perculſi ſunt, ſed conſuetudine ſtuporem vincente, deſierunt timere, quæ nec vitam nec vitæ vſum eriperent. Mox adiuti ab Anglis Sacerdotibus, quos Eduardus miſerat ſpreto interdicto, obeuntes ſacra omnia munia. Philippus, qui ſapere alienatione Flandri debuerat, nouo errore priorem cumulat, Hannoniæ Comite à partibus ſuis diuulſo. Nam cùm Franci Aſpram vrbem contra ius cœpiſſent, ac captam incendiſſent, Comes hactenus in Philippi copiis adſcriptus, excandeſcens iniuriâ, quia Aſpra ſuæ erat ditionis, ad Eduardum defecit; bellíque calamitates tam intulit Francis quàm inuexit Hannoniis. At prohibere non potuit, quin caſtrum Thinepiſcopium, quo Cameracum vinciebatur vt compede, Ioannes Philippi filius expugnauerit. Et memorandum in expugnatione telum, quo tandem capta arx, vincentium arte indecore & propudiosâ. Nam cum æſtu ingenti cœlum efferueret, faciléque ex corruptis corporibus virus contraheret; Franci machinis ſuis plurima equorum cadauera iaculabantur in caſtrum quibus putreſcentibus inualeſcebat contagium, & minabatur teterrimam peſtem. Quo metu arx Ioanni dedita eſt, prius liberato per comitem præſidio. Sed Marti num eſt ſatis, ferro & elementis pugnare; quid ea corrumpit mortalis ambitio, & in naturam ſuam cur peccare cogit?

Anglus Rex Franciæ dictus.

Thin l'Eveque.

VII.

Franci pugnâ nauali victi.

Eduardus interea rebus in Angliâ conſtitutis, ad traiiciendum fretum ſe comparat; claſſi inſtructæ imponit militum quindecim millia, florem nobilitatis, atque militiæ Anglicæ robur; Præfectúmque ſe gerens, ſoluit intrepidè. Et erat omninò quod pertimeſceret; nam claſſis Francica ad Scluſam & Blandebergam littus prætexebat, & ſcopuloſam nauium ſeriem obiiciebat appellenti in Flandriam. Trecenta nauigia Franci numerabant, militum triginta millia, alij ſcribunt quadraginta; Præfecti tres peritiâ maris clariſſimi, Teſtanerius Genuenſis, Keruellius Brito, & Bahucetus Cœnomanus; peritiſſimi equidem, ſed plures pro imperio, quod conſortis

fortis impatiens, tres non capit. Eduardus ad conſpectum claſſis, cùm regredi nec pudor nec animus, nec neceſſitas belli permitterent, ſuos ad pugnam inſtruit, primâ fronte nauium maximas collocat; eâ ſerie, vt quam nauem implerent milites cataphracti, duæ ad latera tegerent Sagittariis plenæ; tum aliud agmen nauigiorum ſeiungit, quod pugnam ſpectaret, promouerétque, vbi opus foret, detractis identidem & in pugnantium opem miſſis nauigiis; fœminas quæ magno numero ad inuiſendam Reginam naues inſcenderant, in poſtremum agmen coniecit; deſtinato ad earum tutelam milite. Mox prudenter aduertens ſuorum ora oriente ſole verberari, pugnam inhibuit, dum ſidus ſe ad occaſum conuerteret: quâ morâ opinionem metus hoſtibus fecit, auxítque forſan audaciam, ſed ſimul temeritatem improuidam, luciſque præſtinguentis incommodum attulit. Poſt pugnandi copiam, ad baliſtæ iactum naues impelluntur, ſtatímque effuſa telorum & ſagittarum grandine, promotæ vlterius vncis impactis ad ſtatariam pugnam ſe admouent. Tunc vtrinque ſtrages horribilis, baliſtis & arcubus certo ictu in ſubiectum hoſtem collimantibus; enimverò miſerabilior facies, cùm milite cataphracto in obiectam nauem traiecto, fluctus inter velut in ſolido, nullâ fugæ ſpe aut ſalutis, ferro brachia & capita detruncantur, oppletur pergula cadaueribus, exundátque ſanguis in fluctus. Aliquot horis acerrimè dimicatum eſt, parique fortunâ; imò viſa victoria Anglo aduerſari, Eduardi femore ſagittâ ſaucio. Verùm cùm is nec pugnam omitteret, nec Angli, quos à fronte gloria, à tergo incitaret pudor, ardore primo decederent; Franci profligatis fortiſſimis, primùm vinci animo; dein nocte apperente, conuerſis proris quibus integrum erat, ad portum confugere. Mali cauſa princeps, quod triremes in quibus militum robur, prohibitæ vento pugnâ abſceſſerant; tum Præfecti claſſem pro numero nauium non inſtruxerant milite; poſtremò Anglis ſub Regis oculis pro gloriâ atque coniugibus præliabantur: Franci pro prædâ; cuius cupiditas creſcit ex facili, ex difficili perit; nec prædoni vnquam, niſi ex infirmitate hoſtis, animus eſt. Nocte ipsâ expugnatæ naues cæteræ; nam æſtu maris Anglos promouente, ventóque valido vela implente, elementis pugnantibus Franci contriti ſunt, & reliquiæ prælij profligatæ. Cæſa Francorum decem millia in ipsâ acie, plures hauſti fluctibus, imò è captis necati plurimi, ſeruatis duntaxat Nobilibus; Bahucetus ducum vnus malo nauis ſuſpenſus eſt quod Huntonem vrbem diripuiſſet immaniùs. Nec incruenta Anglis victoria, quorum occiſa quatuor millia, præter Regis vulnus. Ille victor in Flandriam ſubiens; quanquam moderatè & piè ſe gerens, omnium ſummâ gratulatione exceptus, inſtaurato cum Flandris fœdere, centum viginti millia Tornaco admouet; quorum millia quadraginta Artauella conſcripſerat, educta ex officinis artificum. Porrò Philippus nauali clade nuſquam perterritus, præſidiis vrbes firmauerat, parabátque exercitum quo hoſtem pelleret. Tornacum propugnabant Comes Euſius Comeſtabilis, ac duo Franciæ Mareſcalli, (nam ea vnius viri dignitas, iam admiſerat duos) cum tribus millibus equitum. Cùm ideò protraheretur obſidium, hoſtes pro militum ingenti copia, plurimas turmas ad populandos

PHILIPPVS VALESIVS.

Anno 1340.

Bahucet.

Tornacum obſeſſum.

PHILIPPVS VALESIVS. Atques.

dos agros emittebant. Postquam feliciter Comes Hannoniæ sanctum Amandum expugnasset, Flandros contraria fors afflixit atque disiecit. Dum ij Arcam diripiunt, sancti Andomari præsidiarij milites, facto in palantes impetu, prædationi intentos haud ægrè profligant, & cæsis quinque millibus, prædam recipiunt. Fugâ seruati cùm in Anglorum castra cuaderent, tantum metum popularibus suis iniiciunt, vt repente Flandri omnes, quasi hostis à tergo premeret, relictis castris abscesserint, & in municipia sua confugerint; quippe ineptus ad militiam ciuis, & malè castra permutat laribus, marrisque ærumnas domesticis commodis. Eduardus hac copiarum parte imminutus, rem nouo consilio gerit: ad Philippum scribit, eúmque ad singulare certamen prouocat; sat effusum innoxij sanguinis, priuatam esse contentionem vtrius regnum sit, ab ipsis vnicè disceptandam; si tamen socios pugnæ percuperet, centum sibi adiungeret, aut plures quanto numero vellet. Superscriptum erat epistolæ, Philippo Valesio. Rex prouocationem, vt par erat, ludibrio habuit; respondítque, epistolam non ad se perscriptam, quæ titulum non præferret; se iturum ad pugnam vbi commodum foret; ad duellum quod spectaret, si Eduardus Anglicum regnum in præmium vincenti proponeret, certamen placere; sin minus, haudquaquam par esse, rem certam & possessam in discrimen vocari. Anglus interea angebatur; quia præter defectionem Flandrorum, destituebatur pecuniâ, quam Proceres in Angliâ retinebant; porrò vnde stipem Germanis conficeret, flagitantibus, vímque ni solueretur minantibus? Tornacum excludebat spem deditionis, & quanquam ad diem duntaxat tertium alimenta supperterent, ciues fortitudine supplebant penuriam, quam & Anglus ipse non nouerat. In iis difficultatibus lux pacis illuxit. Ioanna Valesia Philippi soror, eadémque Eduardi socrus, post mariti Guillelmi Hannoniæ Comitis obitum Fontauellam secesserat, in Cœnobium Virginum, vitámque in solitudine agebat sanctissimam; modò miserata belli miserias, & discrimen Regum affinium, progressa Cœnobio, tantùm curâ & auctoritate apud Reges valuit, vt inducias in decem menses impetrauerit, solutâ obsidione Tornaci; laudabili facto mulieris, quæ pietatis otium pio negotio interpunxit, & sanctam solitudinem sanctiori frequentiâ immutauit. His induciis quærebatur Pontifici spatium pacis sarciendæ, quam ab animis infensis minùs obtineret; eæ prorogatæ sunt in tres annos; datúmque odiis, vt mox acerbiùs ex flammâ tectâ erumperent.

Eduardus Philippum prouocat.

Inducia.

Nec ideò bellum quieuit omninò, sed à capite ad membra traductum, in Britanniâ noui Ducis occasione, infensos Reges & regna ipsa commisit.

VIII. *Blesensis & Monfortij cõtentio.*

Ioannes IV. Britanniæ Dux, cùm liberos qui succederent nullos haberet, ad proximos affines adiecit animum. Ij duo erant, Ioanna ex fratre neptis, & Ioannes Monfortij Comes, consanguineus frater; in virginem Ioannes pronior, eam Carolo Blesensi vxorem collocat, simúlque Britonum Comitiis designat heredem, repudiato fratre Monfortio, quem ex incestis nuptiis natum asserebat. Erat Carolus Ludouici Blesensis Comitis frater, haud dubiè à Philippo Rege propugnandus, quando Margaritam

ipsius

ipsius sororem Blesensis habebat in matrimonio. Ioannes à Tornacensi expeditione in Britanniam rediens, Cadomi morbo pressus animam egerat, Ioannâ nepte herede scriptâ; quanquam Monfortius præsens nihil non tentaret, vt à moriente impetraret tabulas. Hac spe deiectus, haud deiecit animum, sed equis incitatis Nannetas aduolans, ciuium assensu Dux appellatur, indicit comitia, & Lemouicum profectus, Ioannis gazas & opulentam pecuniam rapit, quam in eâ vrbe Dux reposuerat gnarus sibi tantum iuris accessurum, quantum pecuniæ. Ea fretus quamplurimas Britanniæ vrbes, quà vi, quà deditione occupat: nec dubius quin Philippus Blesensem promouens, immissurus esset exercitum; huic æmulum parem vti instrueret, transmittit in Angliam, & commendatione Roberti Artesij, cui erat affinis, benevolè ab Eduardo exceptus, & spe subsidiorum erectus, eidem pro Britanniâ clientelam præstat. Blesensis interea Philippum appellat, cuius auctoritate tam ipsi quàm Monfortio dies dicitur, vt in Parium Curiâ de iure disceptent. Monfortius regressus ab Anglià se ad diem sistit, comitatu frequenti Britonum; sed cùm persentiret sibi Regem iratum, veritus ne causâ simul & libertate excideret, mercatoris vestem indutus, clam profugit, séque Nannetas recipit. Mox sententiâ Parium Blesensi adiudicatur Britannia, eiúsque executio à Philippo Ioanni filio commissa. Ille parato exercitu, cui dederant nomina insignes Proceres, Comes Alensonius, Comes Blesensis, Duces Burgundus & Borbonius, Ludouicus Hispanicus, Eusius Comestabilis, aliíque, capto Cantoncæo, Nannetas obsidet. Imparatus à milite Monfortius erat; ideò Britonibus auctoritate Regis deterritis, & Anglicam opem mari dirimente, cùm in arcem recepisset se, à præsidiario milite per proditionem Ioanni traditur. Videbatur bellum confectum in capite; cùm Margarita Monfortij vxor Ludouici Flandrensis filia, Francica verè Semiramis, nisi quòd Babylonicâ castior, pro captiuo coniuge filióque impubere rem suscepit. Ea femineis lamentis abstinens, & erecto supra sexum animo, post acceptum Rhedonibus nuntium, ipsam Rhedonum vrbem cæteráque in officio firmat, ac filium Ioannem in Angliam mittit, quo vel obside vel pignore Anglica subsidia impetraret. Ioannes interea Rhedonas obsidet, capítque, dedentibus ciuibus, qui direptionem metuerent; tum Hennobonum validam arcem oppugnat. Monfortia eam propugnabat, quæ repulso sæpius Francorum impetu, rem aggressa est militari audaciâ & fortitudine singularem: erat enim vt consilio sagax, ita manu audax, ducis partes implens, tam pugnando fortiter, quàm prudenter deliberando. Cùm ex sublimi turri obseruaret Francos impressionem in murum facere, vniuersas copias eò aduolare, & relinqui sine custodibus castra; per oppositam portam trecentos educit equites, castra inuadit, diripit, atque incendit, & excitato tumultu cùm vetaretur in vrbem regressus, equites ad Auræum proximam vrbem agit incolumes, & quinto post die magno absentiæ fructu sexcentos equites, per obiectos hostium cuneos, salua ducit Hennobonum. Inter hæc generositatis specimina, sex Anglorum millia in subsidium Maunæus duxerat, & profligauerat Ludouicum Hispanicum plurium copiarum ductorem; cuius aduentu Blesensis perterri

PHILIPPVS VALESIVS.

Monfortia Amazon egregia.

Rennes.

Hennebon.

PHILIPPVS VALESIVS.

perterritus, pactus est cum Monfortia in aliquot menses inducias. Illa breui hoc interuallo Londinum profecta, maiores copias à Rege impetrat, quibus præficitur Robertus Artesius, & cum iis reuecta in Britanniam Venetiam capit. Verùm relicto Venetiæ Artesio, postquam Rhedones exercitus ductus est, Clissonius & Leo conscriptis militibus Venetiam ipsam aggrediuntur; atque dum in murum irrumpitur, Artesius læditur grauiter, cogitúrque per posticum effugere; plagis obiens transmittendo in Angliam; vir militaris, & ad omne discrimen accinctus; infelix tamen, qui dotes egregias in patriam & Regem conuertens, fortis suo damno & probro fuerit. Eduardus ægerrimè amicissimi viri mortem ferens, ipse magnum exercitum in Britanniam ducit, quam Ioannes non minoribus copiis obtinebat; iámque bellum totis viribus instaurabatur, cum Legati Pontificij inducias in tres proximos annos exorant, fœderatis in eas admissis, & Monfortio liberato. Sed ea malacia non tranquillitas fuit, excitandâ in posterum tum in Francià tum in Britannià tempestate, quæ clauum & armamenta confringet.

De Maunay.

Vannes.

Clisson, de Leon.

IX.

Rex Proceres necat.

Inducias Reges ludis & conuiuiis transigebant, eámque in rem suos quisque Proceres euocauerat; vt diuerso consilio, sic diuerso euentu. Eduardus Comitissæ Salisberiensis amore accensus, ordinem Tibialis fasciæ instituebat; dum Philippus vindictam an metum animo obtegens, hastiludia pacísque lætitiam prætendebat. Hac specie cùm plurimos euocasset è diuersis prouinciis Nobiles; decem è Britonibus, quorum princeps Oliuerius Clissonus, & tres è Normannis, in vincula agit, & proditionis compertos an suspectos capite plectit. Vnus effugit insidias Gotofredus Harcurius, & à Rege expetitus summoperè, ad Eduardum se contulit, inflammauitque præcipitem animum iracundiâ, quia Philippus innoxios Proceres, vnius criminis reos, quod fauere Anglo putarentur, vitâ spoliasset. In locum Artesij admissus Harcurius; sedulò bellum in Anglià comparatum, & ad cæsorum vindictam non tantùm palam Eduardus surrexit, verùm in Francià ipsorum affines dolorem tacitum instigabant. Extemplò missi in Britanniam Monfortius, in Aquitaniam Lancastrius Comes Erbiensis, & ille paulò pòst morbo extinctus, istius verò expeditio celebris. Siquidem obsidione Bergeracum cepit, & comitem Insulanum insigni victoriâ profligauit; mille duntaxat equitibus decem hominum millia sub vesperam aggressus, in fugam egit, captis ducentis è præcipuâ nobilitate, & transito Garumnâ, Aginnates subegit. Imò vlteriùs victoriæ instans Carentono transmisso, Enculismam armis obtinuit. Subito fulmine perculsus Philippus, Ioanni filio generosissimo iuueni repellendi hostis prouinciam tradit, & ille partem exercitus, qui scribebatur amplissimus, illicò rapiens, circa Carentonum omnia oppida & ipsam Enculismam recipiens, Anglum recedentem Aguilonium vsque persequitur, incluſúmque obuallat, centum hominum millibus in exercitu numeratis, vniuersâ penè Normanniâ confluente. Dum regni copiæ ad scopulum hærent, Eduardus spe Flandriæ obtinendæ conceptâ, ex Anglia soluens, Scluſam appulerat, deducto Eduardo filio, agebátque eâ de re cum Flandris. Artauella prouinciæ

De Harcour.

De l'Isle.

Bellum Anglus instaurat.

Aiguillon.

Artauella occisus.

tam

tam opulentæ ſpem fecerat, & ciuitatum Conſules eò loci adduxerat, tacito conſilio, donec in Eduardi conſpectum ventum eſt. Tunc ad eos oratione conuersâ; *Longam intexit miſeriarum ſeriem, quas perpeſſi hactenus bello erant; earum cauſam in Comitem Ludouicum transfert; ipſum Francum affectu mala omnia in ditionem ſuam intuliſſe, ſpoliaſſe pecuniis ciues, exterres depuliſſe è laribus, inſontes necauiſſe quam plurimos; ac demùm Philippo Capitali hoſti obtuliſſe prouinciam totam in direptionem & prædam. Iam abruptum obſequij vinculum & reuerentia; non habendum pro Principe qui prædonem ſe gerit, & abrogaſſe iam diu Comitem, qui Francis adiunctus calamitates tantas intulit patriæ. Ita libertati ſuæ redditis vnum ſupereſſe, vt ſibi nouum Principem adſciſcant, cuius beneuolentiâ atque potentiâ, tam foueantur intus quàm foris tegantur. Adeſſe Eduardum, à quo percepiſſent tam multa commoda, ſperarent longè plurima; præualidum ad infringendam Philippi tyrannidem, futurúmque defenſorem vocarent; atque vt arctiore vinculo ſibi annecterent, Eduardum filium pro poteſtate datâ à populo Comitem dicerent.* Conſules re inexpectatâ attoniti; poſtquam exaggerarunt momentum; poſtulant ſpatium ad deliberandum cum ciuibus, & ſpe factâ reditûs, in ſua quique oppida abeunt. Ciuitates ſingulæ audito Artauellæ conſilio; *exclamant retinendum quem Deus & natura dediſſent Principem; haudquaquam eum qui ſecum natus, educatus foret atque inſtitutus, cum extraneo permutandum; atque auctorem tanti flagitij tollendum è medio, & perniciosum conſilium regerendum in caput.* Artauella diuturnâ felicitate metum reſtinguente, Eduardo pollicitus ſe ſolo aſpectu ciuitates in ſententiam ſuam adducturum, Gandauum vbi regnum incœperat ſe primùm confert. At prouidebat iuſtiſſimè Deus, vt quo in loco nata erat tyrannis, eo occumberet, & qui tot ſcelera promouiſſent, iidem exſcinderent. Subeunti vrbem nemo occurrit; ſpectat ciues conuenire in compitis, ſe ferocibus oculis deſignari; voces audit obſtrepentium, eum eſſe qui Flandriam vt patrimonium donet; quid vltra ipſi patiantur tyrannum? Per eas voces metu penitus admiſſo, domum abſcedit, obſtructiſque foribus ſe in vim communit. At plebs incondita ex alieno metu collectâ audaciâ, ad domum properat, Artauellam poſcit, & vim comminatur. Ille ad feneſtram ſe offert; ſalutem precatur abiectiſſimis verbis, vnumquemque appellat de nomine, atque humiliter ſupplex ſibi veniam flagitat. Poſtquam animaduertit mutatas hominum voluntates, nec locum eſſe precibus lacrymiſve, tentat effugere per poſticum, atque ſibi conſulere. Verùm in effuſam turbam incurrit, & ab iiſdem, cæſus eſt, quos antè vt mancipia ad nutum leuem circumagebat. Iſque exitus fuit homuncionis, ex officinæ quiſquiliis ad imperium euecti, & dantis popularibus pœnas, quas exegerat diu. Eduardus compertâ morte, Flandris iratus, irritam ſpem reuexit in Angliam, & ad belli rationem nouam ſe accinxit.

PHILIPPVS VALESIVS.

X. *Eduardus Normanniâ vaſtat.*

Nam certior factus, Ioannem Aguilonio pertinaciter adhærere, & conſtituiſſe arcem fame opprimere, quam expugnare vi haudquaquam poterat; ipſe ad ſeruandam arcem & præſidiarios milites conſcenſis nauibus exercitum in Aquitaniam ducit. Sed ventorum reflantium vi tertium à curſu diuulſus, coactus eſt ad Britanniæ oram appellere, dum tempeſtas remitteret.

PHILIPPVS VALESIVS.

Ibi otianti nouam mentem inspirat Harcurius. *Dimittendam Aquitaniam, in ipsa regni viscera penetrandum : Normanniam irruptioni valdè obnoxiam ; in eam si inuadat, ingentia spolia, egregia commoda nullo periculo parari posse, ac substerni pontem quo ad Parisios properet. Prouinciam vberem frugibus, refertam ciuitatibus atque opulentam, admotam ad Lutetiæ portas, patere inuadenti ; nullas arces, nulla munita oppida quæ vim excluderent ; ciues & incolas diuturnâ pace emollitos ; si quid roboris sit, id totum cum Duce ad Aquilonium confluxisse ; rem cum imbelli turbâ & feminis fore. Addebat plures sibi affinitate & amicitiâ coniunctos, Philippo infensos, quorum ope loca percommoda & municipia obtineret : Normanniam verum Angliæ patrimonium, imò Regum patriam, quæ naturæ iure compellaret Principes suos ; obsecraret sibi eripi seruitutis iugum, & quem in Guillelmo victorem dederat, in Eduardo reposceret.* Eduardus iis persuasus, cursum obuertit, & ad plagam Constantiensem improuisus applicat. Nauem egredienti omen contigit, quod sinistrum in speciem dexteritate ingenij dextrum effecit ; nam cùm grauiter lapsus ore prono in terram ruisset, & è naribus flueret copia sanguinis, aduertens id videri ominosum adstantibus, verbo fecit auspicium ; annon, inquit, aspicitis, quonam modò me hæc terra alliciat ? scilicet me dominum expetit. Illicò trifariam copias diuidit ; vtque plura per loca populationem & terrorem spargeret, latè grassatores diffundit. Nec municipia modò & inualidas vrbes expugnat, sed quæ maioris nominis, Ariflorum, Cæsaroburgum, Monteburgum, Carentenium, Fanum Lantonis, patuere victori, turbâ agresti intra muros perfugiente, vt defenderentur, non vt defenderent : at qui muri metum propugnare possint ? Iam Normannia inferior penes Anglum erat præter Cadomum ; cùm Philippus tumultu excitatus Rodulphum Guinium Comestabilem & Tancaruillam Comitem, ex Aquitania reuocatos, ad Cadomum defendendum mittit, dum ipse indicit delectum militum, arcessitque ex prouinciis nobiles. Vrbs nullo ambitu mœnium cingebatur, tecta vno latere Orno amne præterfluente, altero arce, quam Blanius Præfectus cum trecentis Genuensibus obtinebat. Implebat vrbem ingens mortalium numerus ; nam præterquam quod populosissima erat, rusticorum turbam è proximis agris exceperat. Qui singuli metuebant, modò præfidentes & temerarij ; adeò facilius in extremum vitium quàm in mediam virtutem itur ; hostem spernunt, expetunt, nullóque ordine aggrediuntur prorumpere. Comestabilis gnarus quantum interesset militem inter turbámque ciuium, statuerat pontem vrbísque portas defendere, nec sinebat petulantes prodire. Sed ij feroces in absentem hostem, cùm duci vim facturi forent, si esse durior pergeret, permisit quod prohibere non poterat ; simul cum Tancaruilla pontis caput occupat, ciues vt reciperet, atque hostem persequentem repelleret. Nec ducem fefellit temeritatis opinio ; vix in conspectum Angli venit Cadomensis, cùm adhuc illibatus à vulnere, proiectis armis fugam versus vrbem effusissimè capit ; nec modò ad pontem, sed per ipsum amnem, qui vadosus fortè erat, in domos suas confugit quisque. At salutis via iter morti atque exitio præbuit. Eodem vado insequuti hostes, in vrbem inuadunt, vicósque strage & cruore implent.

Anno 1346.

Saint Lo.

De Guines Tancaruille.

De Blagny. *Cadomi captum.*

implent. Pugnabant ad pontem Comestabilis & Tancaruilla, ignari vado amnem patere, cùm à tergo spectant captam vrbem, oppressique multitudine, hosti se tradunt, à multis ideò proditionis suspecti. Exin licentiæ militis vrbs permissa. Verùm cùm desperatio ciuium animos inflammaret, ad singulas ædes pugna instauratur; obstructis foribus è supernis locis saxa, tela, trabes ciuis iaculatur, iámque imbelli sexu bellum propagante, vno pro milite inualescit multiplex. Eo pugnæ genere è fortissimis quingenti Angli ceciderant; cùm Eduardus irâ præcipiti abscedere militem, atque vrbi flammas iniici iubet. Enimverò Harcurius misertus popularium, calamitatem proximam deprecatur; suppléxque ab Eduardo impetrat, vt pœnam in misericordiam verteret, vincerétque clementiâ quos desperatio ad extrema impulerat. Sic promulgatâ veniâ victori vrbem asseruit; ciui salus concessa, raptæ opes: ab arce Eduardus abstinuit, & quidem prudenter; ne morâ suorum ardor tepesceret, néve in alias vrbes obsistendi exemplum propagaretur.

PHILIPPVS VALESIVS.

XI.

Postquam Normanniam populationibus atque incendiis peruastauit, ad Lutetiæ portas exercitum victorem admouit, circùm oppida & municipia incendit, domósque regias flammis consumpsit; mox per proditores admonitus, iam Philippum inualescere copiis, & statuisse pugnam conserere, ne ipse in alieno tot circumclusus amnibus interciperetur, receptum indicit; & restituto ad Poissiacum ponte, Sequanâ transito, versus Bellouacum iter capit. Dum regreditur, nouâ calamitate Philippum percellit; Ambianenses submittebant ad Regem turmam Nobilium, quæ cùm in Harcurium incurrisset, oborto certamine, victa & profligata est; mille & ducenti interfecti, equi & impedimenta à victoribus abducta. Nouum vulnus vehementer Regis dolorem auxit; ille intolerabilem contumeliam ratus, si hostis post tot incendia elaberetur impunè; Somonæ, qui vnus amnis recedenti erat transmittendus, pontes subrui, & vada conturbari iubet (adeò pontem aureum non sternebat) magnísque itineribus sequitur regredientem. Eduardus sextâ ab Ambiano leucâ substitit, dátque mandatum Præfectis castrorum vt vadum inquirant; ij cùm decursâ Somonæ ripâ nullum reperissent, & hæreret inops consilij Eduardus, Francus captiuus vadum latens commonstrat, quo admodùm tuto duodeni equites vna fronte procederent; verùm id patebat duas tantùm horas, cùm amnis humilior æstu Oceani non exurgit. Præterea ripam oppositam Godemarus Fayus occupabat, ac sex millia peditum equitésque millenos penetranti vadum obiiciebat. Nihilominus Eduardus opportunis horis vadum ingressus, pugnâ cum Fayo consertâ, in vlteriorem ripam transmisit, & hostili equitatu in fugam acto, proculcauit peditem atque disiecit. Vrgebat Philippus, peruenítque ad vadum vnâ horâ postquam Anglus transmiserat; iámque fluxu amnem implente prohibitus transitu, flexo itinere, Abbauillam venit; & ibidem ipsâ nocte quieuit, dum se legiones cæteræ assequerentur. Eduardus, ad Creciacum qui in Pontiuis pagus est, castrametatus, statuit frontem hosti obiicere, quando terga maiori periculo obuertebat. Eam in rem in colle modico aciem dirigit, tergum expassa

Lutetiam cõcedit, & recipit se.

De Faye.

Crecy.

PHILIPPVS VALESIVS. Anno 1346.

arboribus sylua obuallabat, frontem & latera curribus texit, inani spatio, quò irruere copiæ & se recipere possent. Tum postquam accepit à speculatoribus eo die Francum non venturum, militem ad corpora cibo & somno reficienda dimittit; quanquam, cibi erat magna penuria, iam octauum diem castris solo pane sylueſtriúmque arborum baccis famem pellentibus. Postero die, qui Augusti erat vicesimus sextus, Philippus primo manè, postquam sacro interfuit, copias versus Cressiacum agit tumultuarius, quasi ad certam stragem prædámque indubiam, non ad pugnam iretur. Eques pedésque confusione pari incedebat; modò hæc legio præcurrebat citatiore passu, modò consistebat cursu fessa; mox altera concitabatur in cursum; ita nullo ordine agros impleuerant, cùm Regis speculatores renuntiant, Anglum haud fugere, sed instructa acie pugnam præstolari. Eam ob rem suadebant ducum seniores, vt inhibito in eum diem exercitu metaretur castra; in eâ perturbatione ad pugnam militem haud componi posse, iam instare meridiem, vix luce reliquâ turbam inconditam instrui in agmina posse. Et verò assentiens Rex sisti vexilla, & locum castris designari iubet; verùm cùm signa prima constitissent, quæ proxima erat legio rata primam ad pugnam instrui, vt ipsa prior ad prælium accederet, festinat occupare principem locum; quam festinationem prima legio adscribens contumeliæ, præfestinauit frontem obtinere; sic prauâ æmulatione violata imperia, Réxque ipse nolens ad pugnam inductus; adeò bellum disciplina atque obsequium regit, & vis destituta consilio in furorem transit. At ne prorsus inordinati procurrerent, Rex ægrè à Proceribus impetrauit, vt acies in aliquot agmina distribueretur. In primo designata sex millia Sagittariorum; ij Genuenses stipendiarij ducibus Doria & Grimaldo; ducebátque agmen Ioannes Bohemiæ Rex; & hîc præclarissima in Franciam fide, orbus oculis properauerat Philippo venire suppetias, adduxerátque filium Carolum Romanorum Regem designatum; palam profitens se memoriam beneficiorum quæ acceperat à Francià non amisisse cum oculis, & vel cæcum rectà iturum Parisios. Carolus Regis frater Alensonius Comes, præferuidæ indolis alterum agmen ducebat, erántque in eo cataphractorum quatuor millia, duodecim peditum. Tertium conflatum cataphractorum duodecim millibus, peditum quinquaginta, Rex ipse cum turmâ Procerum deducebat. Et læuo omini quædam accepta sunt; primùm quod pedites hoste nondum viso, cæco impetu simul nudatis mucronibus proclamarunt, *Ad mortem, Ad mortem:* tum quòd ingens coruorum phalanx, iufaustis clamoribus crocitantium, tetrâ nube Francos obumbrabat; sensitque ex crocitibus Bohemiæ Rex impuras aues olere cadauera, mortísque esse prænuntias. Contra Eduardus à pietate sumpto primordio, postquam totus exercitus sacrificio sancto interfuit, & ipse cum Proceribus Christi sanctissimo corpore pastus est; copias similiter partitur in tria agmina; primum Eduardo filio tradit, implenti annum decimumquartum, voluítque adolescentem impuberem in periculi frontem obiicere, vt primo tirocinio vel honestam mortem vel glorioſam victoriam assequeretur; cum eo equites octingenti, & bina Sagittariorum millia. Idem numerus

Ordo ad pugnam Cressiacam.

in

in alterum agmen attributus; tertium ipse ducebat; erántque in exercitu peditum millia vigintiquinque. Iussi omnes hostem silentio præstolari, dum ad quingentesimum passum accederet.

PHILIPPVS VALESIVS. XII.

Diei medium illucebat, cùm Franci æstu, cibi inopiâ, & cursu defessi, ad hostem admoti sunt; & ipsam pugnæ prolusionem molestissimus casus perturbauit. Subitò cœlum nubium velo inhorruit, fulgetrísque tenebras inter splendentibus, minantibúsque fulminis iactum tonitribus, effunditur nubibus torrens imber, eáque copiâ vt funibus arcuum aqua imbutis, Genuenses iaculari abnuerint, excusantes arcus ad pugnam ineptos. Cùm nihilominus vrgerentur, indignantes succidunt funes arcuum & balistarum, & retrò gressum vertunt. Philippus pertæsus ignauiæ, & angente iam ægritudine animi, iubet secundum agmen incedere, proteríque vngulis turbam illam vilissimam. Dicto ocyus Alensonius aduolat; Genuenses oderat capitaliter, & cupidissimus pugnæ quam ij detrectabant, in ipsos irruit, cædítque obuios ferro, quod in hostem debuisset deripere. Nec se ideò ad pugnam expedit; nam illicò equi, peditum fugientium & morientium implicati corporibus, arcuum & balistarum quæ humi iacebant obicibus intricati, cùm inuoluerentur, & prolaberentur frequenter; eques similiter humi procumbebat, & vetabatur ad hostem ingredi. Ita Anglo pediti data facultas progrediendi; ísque tutò ad equitem proserpens, obuium quemque oblongis cultris interficit. Interea Carolus Luxemburgius agmine equestri inuehitur; cùm Angli Sagittarij in fronte collocati, imbre telorum emisso, equos pariter equitésque traiiciunt; tum Eduardus iubet primum equitum agmen incedere, prælióque acerrimum conseritur. Ioannes Boheniæ Rex postquam audit filium inter hostes versari, nec enim præ cæcitate videre poterat, veteri martis incendio susciato, rogauit qui aderant se in confertam aciem ducerent; ij inuiti obsequuntur; & ne inter turbam ac tumultum pugnantium Rex aberraret, eum fasciis ad equorum frena aduinciunt, vnóque impetu in obiectos hostes se abdunt. Ioannes post edita præclarissima facta occubuit; repertúsque est postridie suos inter reuinctus, sociis pariter occumbentibus; dignissimis testibus generosissimæ cæcitatis. Iam tertium agmen Rex ipse inuexerat, vnúsque Eduardus iunior par adhuc erat tot copiis repellendis, cùm discrimen grauissimum ab vna cohortium subit: ea ex gentium validissimis, Francis, Germanis, & Sabaudis, magno impetu rapta, ad Principem penetrat, vrgétque vehementer, cùm Eduardus Rex à pugnâ etiamnum abstinens, & è summo colle spectator omnium, specimen ederet Imperatoris præclari, vnis oculis victoriam delibans, imò verbo laudem augens. Nam cùm ad eum periculum filij referretur, magno animo interrogauit, filius læsus foret, an mortuus? responsóque accepto, Dei beneficio integrum atque incolumem esse: *Ite igitur*, inquit, *volo huius diei tota penes illum sit gloria, redimat calcaria, nomínque Equitis, suis impensis atque laboribus.* Nihilominus decerptos ex altero agmine equites in opem misit, quorum aduentu recreatus Princeps, cùm iam supra ætatem mira perpetrasset, penitus profligauit, hostémque deuicit. Philippus stipantibus perpaucis, peregregiè ducis militísque officio

Pugna Crescia.

Ioannis Bohemi mors.

Eduardi vtriusque facinus.

PHILIPPVS VALESIVS.

officio functus; propè erat vt caperetur, iámque equo deiectus in recentem conscenderat, Ioanne Hannonio sufficiente; cùm ab eodem equum auertente, inuitus & nolens, femur & guttur saucius, pugnæ subripitur, recedítque. Proceribus quinque comitantibus, Hannonio Monmorencio, Belliiocensi, Anbignæo, & Monfortio, Ambianúmque eâ nocte peruenit. Nec eo die concluſa est calamitas Franciæ. Nam postero cùm spississima nebula lucem obscuraret, equitem peditemque Eduardus mittit diuersa in loca, qui hærerent fugientibus, vetaréntque ne conuenirent ad prælium. At eodem die milites è pluribus ciuitatibus lecti, rati nondum consertum prælium, ad Philippi castra properantes, incurrebant in vincentium arma, & appendix victoriæ cædebantur. Ita Rhotomagenses Archiepiscopo cæso à quo ducebantur, Bellouacenses magno Priore Franciæ pariter occumbente, deleti sunt, aliíque plures, vt iactura grauior, maiórque strages quàm pridie fuerit. Tunc Eduardus securus victoriæ, ad ipsius vsum se conuertit, ac primùm requiri inter mortuos qui dignitate præcellerent iubet, inuentique plures quàm par esset deuictæ Franciæ: præcipui Ioannes Bohemiæ Rex, Carolus Alenso, Ludouicus Blesensis Regis ex sorore nepos, Dux Lotharingiæ, Comites Flandrensis, Valdemontius, Antisiodorensis, sancti Pauli, atque Harcurius, præter ingentem Nobilium turbam, numerata cæsorum triginta millia. Procerum funeribus Eduardus ipse interfuit, pullatus cum filio, Christianâ modestiâ palmæ gloriam temperans, testatus hanc lauream adscribendam Deo potius, quàm viribus vincentium. Et Philippum tantâ in strage victoria sua commendauit. Quippe Gotofredus Harcurius, ille nefarius proditor, atque Eduardi in eam expeditionem instigator palmarius, cùm fortè in fratris Harcurij incidisset cadauer, cruore fœdum & puluere; adeò hoc spectaculo immutatus est, ita cædes tot popularium in animum penetrarunt, vt repentè in alium versus, Eduardo relicto præmiísque victoriæ, ad Philippum transierit, supplexque collo fune adstricto, non veniam scelerum, sed meritissimas pœnas popposcerit. At clementissimus Rex indulsit veniam, bonis reo & dignitatibus restitutis; hócque facinore Eduardi palmam forsitan vicit: adeò sua summæ miseriæ victoria est; & illud calamitatibus est solatium, vt etiam in se quod vincant supersit. Sic contigit clades Cressiaca, luctuosissima Franciæ; cuius indaganti causas, non occurrit verior, quàm Philippi Procerúmque temeritas, quos præsidentia contemptrix hostium, arrogantia, atque vindictæ cupiditas, in perniciem induit. Nec memorauerim in causis, quod elegantissimus scriptor cum plerisque scribit, tum primùm machinas æneas ab Eduardo in pugnam inductas, suísque fulminibus patrauisse victoriam. Nam consensu omnium, cùm id inuentum conferatur in seculum quod sequutum est, non est verisimile tantâ festinatione Anglum recedentem ingentes machinas tutò asportasse; quarum multis pòst annis nullus vnquam meminit, nec in Anglorum castris nec Francorum. Porrò res tam noua atque effectus prodigiosi, centum annos in Anglorum cellis non delituisset.

Noua post pugnam clades.

Philippi clementia.

Causa cladis.

XIII. Eduardus postquam deliberauit, quam in partem verteret victrices copias,

pias, & abductus est à visceribus Franciæ, quam Seminarium Martis agnouerat, ad truncanda extrema se addixit; gnarus totum corpus ad tutelam cordis exurgere, secus ad salutem pedis aut digiti. Ergo ad Oceanum ducto exercitu, statuit Caletum occupare, peropportunam ad Francica bella stationem, munitam vrbem, amplo portu & commodo, angusto freto diremptam ab Angliâ; quæ ponte propemodùm vnam alteri iungeret, & ex Insula continentem efficeret. Primùm existimabat prædam haud arduam, nec victori militi occlusuram portas vrbem vnam: verùm Ioanne Viennio propugnante, & frequentiùs erumpente, cùm percepisset eò vim non peruenturam, quò nequaquam metus perueniret, dimissâ oppugnatione, obsidium lentum instituit; sperans quod plerumque contingit, vitos & munimenta fame obtinere. Eam in rem supplementis auxit exercitum; viginti Germanorum millia, quæ Marchio Iuliacensis adduxerat, castris adiunxit; classem oræ littoríque imposuit, ne quid in vrbem ad fraudandam inopiam importaretur: ab coniuge excepit duo equitum millia, vicena Sagittariorum; accessitque Lancastrius vehens ex Aquitaniâ militem, clarúsque victoriâ latè propagatâ. Nam omnia videbantur in Philippum vnum fortunæ tela conjecta. Quippe Ioannes Normanniæ Dux post Cressiacam stragem à patre, vt dicebat, ad defendendum patrimonium vocatus; ab Aquilonij obsidione discesserat, magno animi dolore, quod post tantas ærumnas, tantam hominum, famæ, pecuniæ, temporísque iacturam, iuratus ipse non abscedere nisi arce captâ, cogeretur calamitatis paternæ series, litare suæ gloriæ malo alieno. Eius discessu, metu & compede solutus Lancastrius, adiuncto Galterio Maunyo, qui Aquilonium tantâ laude in Ioannem propugnauerat, per Santones & Pictones vagatus liberrimè, Talleburgo & Pictauio captis & direptis, ad Caletum Eduardum conuenerat. Præterea eodem cursu felicitatis, Philippa vxor ingenti periculo liberauerat Angliam, Dauide Rege Scotiæ, qui in eam cum quinquaginta hominum millibus penetrauerat, ruptis in gratiam Franci induciis, profligato, capto, & in custodiam tradito. Et inconcussa prosperitas naualem victoriam peperit; classe quam Philippus ad Caleti opem instruxerat victâ & deletâ ad Caletensium conspectum. Quin vt spem obsessis omnem interciperet, sibique intercideret mutandi consilij rationem, Eduardus vrbem vrbi oppositi, castris in ædes ligneas conformatis, adiunctísque circa munimentis, beneficio classis recepto abundè ex Anglia commeatu. Attamen in hac mentis obstinatione, mansuetudinis specimen ingens exhibuit: siquidem Viennius cùm superfluam turbam emisisset vrbe, vt cibariis parceret; eam per castra transire Eduardus passus est, recreauit cibis, erogauit singulis geminos sterlinos, erant autem capita mille septingenta, dimisitque incolumes; humanitatis maximo tam sensu quàm laude. At vrbem fames sensim adurgebat, frumento deficiente in dies, nec suffecto nouo; nisi quod aliquoties Maratius & Mestriellus, nauicularij Abbauillæi, forti audaciâ & dolis militaribus per hostium classem importabant annonam. Philippus interim euocabat copias diligenter, vrbisque charissimæ inuigilabat saluti; tot inter infortunia vno

PHILIPPVS VALESIVS.

Calais.

De Vienne.

Lancastrius in Aquitaniâ victor.

De Manny.

Et Regina.

Castra Rex in vrbem formant.

PHILIPPVS VALESIVS.

cuentu commodo sustentatus. Flandri post Cressiacam victoriam Anglo adhærentes, flagitauerant vt Eduardi filia Ludouico Comiti suo nuberet. Erat Ludouici in pugnâ cæsi filius, quem Malensem vel Malanum appellant, quod Malæ in Flandriæ oppido natus esset, adolescens annorum quindecim, paterni affectus vt patrimonij heres, hoc est Franco beneuolus atque amicus. Primùm itaque aspernatus has nuptias, quòd negaret eius filiam se posse ducere, qui parentem suum peremisset; postea vim inferentibus Flandris, assentiri se simulans, desponsâ virgine quam Eduardus ex Angliâ duxerat; solutáque custodiâ vrbe prodiens ad aucupium, in Franciam citatissimo equo perfugit, delusо Eduardo, relictáque Virgine sub spem nuptiarum; magnâ Philippi lætitiâ, qui Comitem Brabantini filiæ iunxit, nouúmque sibi conciliauit clientem. Flandri ob contumeliam efferati, ad expugnandam Ariam conuolant; sed repulsi fortiter, instar fluctuum quos retundit moles, refluxerunt in sua oppida. Philippus tandem conflato exercitu ducenta hominum millia ad Caletum ducit, hostem ab vrbis obsidio reuulsurus, aut nouo prælio commissurus regnum. Patebant duæ ad castra hostium viæ, arctæ admodùm atque difficiles; Prima ad oram Oceani, quà surgunt arenarij aggeres, altera per paludum voragines vno ponte iunctas; vtramque Anglus præmunierat tam accuratè, vt Franci speculatores renunciauerint Regi inexpugnabilem transitum. Philippus nullâ aliâ spe occurrente, Eduardum in pugnam prouocat, si generositatis aculeo extra castra educeret: ille instar testudinis suis arcibus tectus, respondit se Caletum non pugnam quærere; porrò si Francum ageret tantus pugnæ ardor, sibi ad eam patefaceret aditum. Ita Philippus subleuandæ vrbis modo intercluſus, ne spectante se dederetur, cum tanto exercitu ægerrimus animo ad interna recessit: nam præstabat iacturam ferendo minuere, quàm arcendo augere.

Ludouicus Malanus Regem sequitur.

XIV. *Caletum redditum.*

Tunc Caletenses omni ope destituti appellabant clementiam Eduardi; quam ille durissimus pernegat, iubetque ciues deliberatâ omnium nece sine conditione vllâ se dedere; quod iam mensem vndecimum sua arma suasque victorias retardarent. Ad eas voces duces & Tribuni, veriti ne Francus eandem sæuitiam in se aliquando conuerteret, adeò precibus apud Regem suum contendunt, vt ille veniâ cæteris indultâ, sex duntaxat è primoribus tradi petierit, quorum supplicio litaretur victoriæ, metusque iræ regiæ propagaretur in alios. Itaque conuocatis in forum Caletensibus Viennius palàm conditionem proponit; omniumque suffragio sex eligendos, qui publicæ victimæ necarentur pro ciuibus. Aderat promiscua hominum turba, viri, mulieres, seniores, & pueri; simulque ad hanc tristissimam vocem, erumpit mæstissimus omnium gemitus, clamorque deplorantium calamitatem, quasi iam in vrbem hostis peruasisset, omniaque ferro, & flammis perderet. *Lamentabantur id præmium fidei, & fortitudinis fore, vt qui iis virtutibus fuissent principes, caderent ferro hostili, & dignissimi præmio soli deputarentur ad pœnam. An non præstabilius fuisset, prædere patriam, eiurare Regem, quàm tot incommoda pertulisse, quandò virtutem pœna assequitur? Quid Anglus clementiæ specie sæuissimam crudelitatem exercet?*

exercet ? Omnes occidat , singulos perimat , nempè vnius criminis cunctos reos, fidelitatis aduersus Principem. Qua illa inusitata barbaries , cines cogere , vt ipsi meritissimos de patriâ populares , vt affines , vt progenitores de medio tollant ; nam quid aliud designare sex viros , quàm ad cruciatus & mortem rapere ? Nos eos confodiemus suffragiis , quos debuimus obiectu corporum tegere ? proscribemus ad necem , quorum curis , vigiliisque hactenus omnium salus stetit ? Veniat ipse tyrannus dirissimus , grassetur in omnium capita , necabit insontes , nullo adhuc parricidij crimine violatos. Eius generis voces dum sparguntur , passimque forum omnium lamentis & eiulatibus personat ; exurgit Eustachius à Sancto Petro , opulentissimus clarimusque ciuium , & præ reuerentia tumultu sopito , ita concionem alloquitur. *Conquiescite Ciues , lachrymarum, & querelarum desinite ; quam vocatis crudelitatem hostium , clementia est , & factum quod in tot hominum millia grassari poterat , intra sex capita reuocatum, beneficium est , non supplicium. Nec vos conturbet instituendus delectus , aut difficultas designandi ad necem , quos vestris suffragiis ad magistratuum purpuram designastis , erunt qui vestros calculos eam in rem ambient ; qui prehensabunt vos , qui pristinam dignitatem tanto honore cumulatam velint. Et verò qua dignitas maior , quæ fœlicitas optatior , quàm animam pro salute ciuium ponere , mori pro Patriâ , & ad seruandam tot insontium vitam occumbere ? Quis è nobis nuper , dum vrgebat hostis , dum vrgebamus , bellique munera suscipiebamus tam strenuè , quis felicitati non adscriberet mori , & suo sanguine murorum hunc ambitum , hancque ciuitatem ab incursu hostium tegere ? Et reputamus ciuitatem in muris , non in ciuibus positam ; pluris esse ligni , saxorumque congeriem , quàm patrum , coniugum , liberorum , atque affinium animas ; in iisque seruandis parci cruoris erimus , quem toties profudimus ad defendendum fossa , aggerisve perexiguum spatium. Hanc Superi mentem, hanc auertant infamiam. Et verò ne quis existimet , me contra id quod sentiam loqui; ecce me primum omnium designo,qui Eduardo ad vestram salutem obiiciar ; felix , si vno meo capite pro cæteris plectam. Quanquam haud dubito quin plures alij Patriæ gratiâ , hanc mortem ambiant , velintque mecum glorioſissimum fatum oppetere , cui vtinam vnus solusque addicerer.* Vix ea dixerat , cùm alter ciuis , cui nomen Ioannes Aërius , duoque fratres Iacobus & Petrus Visantij , aliique duo , quorum nomina posteritati haud satis gratæ effluxerunt , vltrò ad generosam mortem se offerunt , & statim à Viennio inter suorum gratulationes , lachrymas, laudes,& lamenta, Maunyo Anglo ad vrbis portam traduntur,enarratâ constantiâ,& obeundæ mortis consilio. Ab eo ad Eduardum sistuntur , nudi caput & pedes, reste de collo pendente,claues vrbis tandem oblaturi. Rex haud quaquam eo spectaculo mollior, accersiri carnificem iubet, qui deditorum capita truncaret. Tunc Principes, Procereſque, tantæ virtutis admiratione , Regem apprecantur , vt calamitatis indulgeat , narrant factum , & meritò clarissimum laude exaggerant. Ille iracundiæ tenacissimus nusquam inflectitur ; Legati Pontificij qui adstabant vrgent , adhibentque sanctissimas ad misericordiam preces : induratur pertinacia animi , quasi preces fusæ , noua erigerent munimenta , & vertaretur conceptam iram in Caletenses effundere. Cùm Regina comperto

PHILIPPVS VALESIVS.

Caletensium fortitudo.

D'ait-visant.

PHILIPPVS VALESIVS.

quid in tabernaculo Regis gereretur, ad eius genua procidit supplex, precatúrque per Dei misericordiam, per amorem mutuum, per charissima thalami pignora, per fœtum quem gestabat vtero, vt sibi viros illos miseros condonaret. His precibus fracta est Eduardi durities, datíque coniugi præclarissimi ciues. Et forsitan ea clementiæ merces diuinitùs cessit, quòd Anglis postmodùm à totâ Francia pulsis, Caletum benignitatis trophæum stetit incolume; vixque iis post ducentos annos ereptum est, cùm iam hæresis antiquæ gratiæ corrupisset memoriam. Regina Ciues donatos præter
Anno 1347. libertatem vestibus & pecuniâ dimittit; Rex Caletum ingreditur, Ciuesque omnes vrbe deturbat, euocatis Anglis qui obtinerent coloniam; ratus frustra expugnari vrbium mœnia, nisi & animi ciuium expugnentur. Ad eam calamitatem accesserat in Britanniâ clades, qua Carolus Blesensis cum duobus liberis, Ioanne & Guidone ad Rupem Eriensem, à Monfortiâ capti sunt, & cum multis Britonibus Normannisque Proceribus captiui in
Roche d'Erieu. Angliam transportati.

Capto Caleto faciliorem Eduardus se legatis Pontificiis præbuit. Ij à Clemente VI. ad abrumpendum bellum submissi, cum ab animis efferatis impetrare pacem haud possent, inducias obtinent: quibus aliquando belli furor sopitur in speciem, at reipsa vires instaurat, ad exurgendum validius. Eæ deinceps ad tertium annum productæ; nunc contractæ recens asperrimo
De Charny. Martis insultu interiunguntur. Godofredus Carnius Præfectus Sancti Audomari inscio Rege cum Almerico Ticinensi, Caleti Præfecto consilia agitat clandestina, de Caleto tradendo, aureorum vicenis millibus dandis in pretium. Res non clam adeo fuit, quin innotesceret Eduardo; ille Almericum in Angliam vocat, & præsenti aperta consilia, proditionem retectam, modumque impetrandæ veniæ monstrat, si Carnium prodat, & ruentem vltrò
Caletum frustra tentatū. reti inuoluat. Almericus datâ fide Caletum reuertitur, (mirâ Eduardi confidentiâ, qui bis fidem fallenti fidem haberet) diemque Carnio ad tradendam vrbem indicit. Sub eam diem vtrimque ad fallendum duces se comparant; Eduardus occultè ex Anglia cum trecentis equitibus, & sexcentis Sagittariis Caletum appulsus, in arce delitet; Carnius cum quadringentis equitibus Audomaro profectus, noctu ad vrbem aduenit, Ticinensem appel-
De Renty. lat, aureos numerat, simulque arce admittitur Odoartus Rentius cum equitibus centum, qui eam obtineat. Illicò erecto sublicio ponte in admissos Angli inuadunt, & ad deditionem impares adigunt; nullâ morâ Eduardus in Carnium irrumpit, & tantâ mutatione perculsum armis aggreditur. Carniũ spes defecit non animus; iubet suos equis cursu iam defessis exscendere, & quando necessariò pereũdum esset, perirẽt, sed fortiter, & more Francico. Tunc certamẽ graue conseritur, quòd in primam lucem extractũ est; Eduardo accerrimè
De Ribaumont. & iam pro salute vitæ dimicante. Etenim cum in Eustachium Ribomontium incidisset, bellatorem fortissimum, ipse pugnator strenuissimus, totâ nocte consumptâ prælio, ter aduersarij viribus in genua procubuerat; donec die illucescente, cùm Ribomontius socios omnes, cæsos aut captos animaduerteret, regi quem haud nouerat ense proiecto se captiuum tradit: Fuítque illa Eduardo victoria omnium gratissima, quę non Regem, sed fortitudinem suam

X V.
Inducia inter Reges.

coronaret

coronaret. Carnium cæteroſque captos humaniſſimè habuit, ipſos eo die in cœnam ſuæ menſæ admouit, Principe Valliæ præminiſtrante; ac Ribomontio præter laudem eximiam reportatæ pridiano certamine gloriæ, donauit precariam ex margaritis corollam, eúmque libertati reſtituit; verâ fortitudine hoſtem complectente, à quo potiſſimum habet vt fortis ſit. Per id belli facinus ſteterunt inducíæ, vtque nocte patratum eſt, ita ſilentio tectum; Philippo non auſo conqueri de Præfecto capto, cuius culpa pœnam incurrerat; Eduardo ſimiliter haud expoſtulante, cuius beneficio ſummæque gloriæ res tota ceſſerat. Inter ea Philippi infortunia, duas Prouincias contractu Ciuili lucrata eſt Francia; vt dum bello defloreſceret gloria, aliunde ſarciretur iactura. Iacobus Aragonius Balearium Rex, à Maiorica expulſus à ſubditis, inopſque pecuniæ, Philippo Ruſcinonem, vrbemque Monſpelium vendidit, centum ac viginti aureorum millibus; iuſtaque fuit non pignoratitia emptio. Eo contractu Pyrenæi dati limites Franciæ; altero & commodiore ij prorogati ſunt Alpium tenus. Humbertus eo nomine ſecundus, Delphinus Viennenſis, (vnde Delphini vox mihi incertum eſt, niſi placet, quod probatur Chorerio, Scriptori tam eleganti quam accurato Delphinatus Hiſtoriæ, Guigoni placuiſſe Delphini inſigne, in pugnis & haſtiludiis, picti in clypeo, & in cæteris ornamentis militaribus) partem Allobrogum qui ad Iſaram iacent cum Valentinis, & Dienſibus obtinebat, ſedemque imperij Viennæ fixerat. Is pertæſus diuturni belli, quod Sabaudus Comes inferebat, vt ſe ac ſubditos iis ærumnis ſemel vindicaret, iam antè Delphinatum Philippo quibuſdam conditionibus dederat: poſtea dolore oppreſſus, quod vnicum filium per imprudentiam necauerat, mundum abdicauit, séque ſacræ Dominicanorum familiæ Lugduni addixit. Admiſit renuntiantem Pontifex Clemens, vnoque die per plures ordines Sacerdotem inunxit, vt prauæ pœnitudini modum abrumperet. Portò antè Monachi veſtem quàm induiſſet, Delphinatum quibuſdam conditionibus Philippo donauerat; vt donatæ prouinciæ immunitates ſuæ integræ forent atque illibatæ, vt ea in perpetuum in Coronam Francicam inſereretur nunquam auellenda; & vt Regum Princeps natu filius, futurus regni heres, Delphini nomen & gentilitium Scutum aſſumeret, haberétque Delphinatum peculium ſuum. Ob eam rem à Rege acceperat quadraginta aureorum millia, & in annuos reditus florenorum decem millia. Deinceps placuit Delphinorum appellatio; fuítque Principibus ſpes certa & præiudicium regni. Accenſere an iis proſperis debeam nouum Regis connubium hæreo; ſanè vt læta & iucunda primordia, ita luctuoſus exitus, à thalamo ad feretrum breui interuallo. Ioannam Philippi coniugem peſtis rapuerat; quæ lues ab Aſiâ in Europam ſæuiſſimè propagata, in Græciâ maximè atque Italiâ, ſpiſſiſſima funera cumulans, in Francia prima diù capita demetebat; cum Philippus ſubitum amorem concipit. Erat Blanca, Philippi Nauarri Regis filia, Caroli ſoror, dotibus animi, formaque corporis tam inſignis, vt vulgò *Pulchra Sapientia* diceretur. Ea Ioanni Duci Normanniæ ſponſa, poſtquam in Franciam ducta eſt, ac ſpectata, tam vehementi igne Rex inflammatus eſt, vt quam deſponderat

PHILIPPVS VALESIVS.

Delphinatus Franciæ accedit.

Anno 1349.

Philippus Blancam ducit.

PHILIPPVS VALESIVS.

filio vxorem suam fecerit; atque adeò in tanto ætatis discrimine, conquerente filio sed in sinu, Virginem tenero ætatis flore iam senior duxit. Mors per eas nuptias ad ipsum irrepsit, ac mense septimo thalamo raptum tumulo intulit; frequentiori vt scribitur connubij vsu; cùm etiam licitorum sit intemperantia,& calor Virginis senile frigus extinguat. Blanca paulò post luci Puellam dedit;& ipsa toto vitæ cursu vidua perstitit,magnâ castitatis & temperantiæ laude; dicere solita, *Reginas Francia nunquam bis nubere*; innuens credo, indecorum esse & turpe feminæ à prima dignitate amore tori decedere. Philippus extinctus est anno vitæ quinquagesimo septimo, calamitatibus clarus, si quis alius Regum; quibus videbatur & fœderatos suos inficere, quasque cum Regno ad hæredes seros transmisit. Quanquam eas non meruisse est visus, in Deum pius, liberalis in homines, in periculis fortis, domi grauis atque mansuetus, vt paucas è Regum dotibus desideraret. Attamen ob tributa grauia quæ Francis imposuit, suorum amore passim exciderat, primúsque traditur Salarium vectigal instituisse, quod Gabellam vocant, (vnde Eduardi iocus Regem Salicum appellantis Philippum) quo sal vnum solis atque maris opus pretio distrahitur, venítque beneficium naturæ in rapinæ commercium. Præterea suspicionibus nimis obnoxius, vindictæ cupidior, & cùm iram admisisset, sui parum compos: sanè ingrati in Artesium animi, & obstinatæ contumaciæ pœnas, magno Franciæ damno, propagauit in seros posteros. Et Francorum intemperantissimi mores, quibus procacitas, libido, luxus, proximúsque luxus fœtus auaritia, corruperant procerum plebisque animos, tot infortunia, vt vitiorum pœnas, prouocabant; nam vicissim vt delicta Regum luit plebecula, ob noxas populi Reges plectuntur; reciproco membra inter caputque, mali atque pœnæ contagio. Et verò Philippus nihil pietatis in Deum omisit, vnde prosperitatem eliceret, nisi aliorum culpæ beneficij fontem obstruxissent. Litteras & litteratos odisse dicitur; & si eas non inuiderit filio, quem accuratè erudiri voluit atque instituí; credo conscius sibi quantum malum esset ignorantia Principis.

Et moritur. Anno 1350.

XVI. IOANNES REX.

Ioannes Philippi filius capessit Regnum, secundo post quadragesimum ætatis anno decurso, iam ante in regiminis partem admissus, expeditionibus belli plurimis obitis, susceptáque ex Bonâ coniuge prole multiplici, præter indolem ad suauitatem & probitatem morum conformatam, magnâ omnium spe, vectus in solium. Verùm hæres Paterni infortunij, temeritate quadam præcipiti tot bona perdidit, claro documento, si desit prudentia, virtutes omnes in extrema vitia flectere. Perfectis inunctionis ceremoniis malo omine Regnum à sanguine auspicatus est, & quidem clarissimo. Rodulphus Comes Guinensis & Comestabilis Franciæ, quem ab Eduardo captum dixi, Cadomo expugnato, tandem ab Anglo libertatem redemerat, octoginta nummorum millibus, quos si minus repræsentaret, Guinam vrbem Eduardo traderet. Ea altera pacti conditio clam cæteris erat, negabátque Rodulphus à se initam; sed iam antea suspectus, & Ioanni haud dubiè minus gratus, in carcerem mittitur, tertióque post die nullâ iudicij formâ eodem in carcere capite plectitur, proditionis cogitatæ reus,

quam

quam cum confessum, ad minuendam necis tam subitæ inuidiam, Consiliarij Regis affirmabant. At Reges inter perstabant inducie saltem in speciem, nam in Santonibus & in Britannia se Præfecti mutuò lacessebant; nupérque Nesslius Marescallus in Santonibus captus, idemque post in Britannia cæsus cum tribus hominum millibus fuerat; cùm ipse Eduardus Guinam occupat, in Bononiensi Comitatu vrbem Caleto haud procul. Fraudem sine dubio eam in rem impendit; siue Præfecti fidem auro mercatus; siue captiui Angli proditione, qui popularibus, suis viam commodam fecit; vrbs noctu inuasa atque direpta; & Franci cùm eam tentarent recipere, malè mulctati repulsi sunt. Appellatus ob violatas inducias Eduardus, excusauit se Philippi exemplo Caletum tentantis; præterea Guinam redemptionis pretium esse, promissum à Comestabile; se non delinquere, qui in suum inuaderet. Hoc doli successu Eduardus illectus, eandem artem vrbibus sancti Audomari & Nannetensium frustrà adhibuit: imò ad Audomarum Emericus ille Papiensis famosus proditor à Carnio captus est, & iustè in supplicium vocatus. Inter hæc resurgentis belli præludia, nouus Franciæ hostis & quidem permolestus exoritur, Carolus Nauarræ Rex cum Philippo fratre. Hic natus ex Philippo Ebroicensi Comite & Ioannâ Hutini filiâ, ita è regio vtrinque sanguine, Regis præterea gener; idémque ob morum improbitatem & peruersitatem Malus dictus; iam omni vitio deprauatis Procerum atque Nobilium animis; sibi Franciæ regnum affirmabat deberi, Salicam legem quæ excludat feminas nullam esse; natum se ex Ioannâ; amouendam stirpem Valesiam, quæ patrimonium alienum inuaderet. In id consilium iam plurimis conspirantibus, immiserat in Regem sicarios, à quibus nefariè confoderetur; sed retectum consilium frustra fuit; imò in salutem Principis cessit; qui eam ob rem stipatores corporis & custodes Prætorij, tum equites tum pedites sibi adhibuit. Prohibitus eo scelere Carolus, aliud nouum aggressus est; Comestabilem Regi carissimum de medio tollere. Is erat Carolus Hispanicus, Alphonsi filius, Ferdinandi nepos, qui cum Ioanne puero educatus, præclarisque ornatus virtutibus, sibi vnicè beneuolentiam Principis conciliauerat, dictus post Rodulphi mortem Comestabilis, Enculismensi Comitatu donatus, Regiæque auctoritatis Minister vnus & magister. Collimabat in eum vnum Nauarri inuidia, tum quod Regi charissimus foret, tum quod vnus praua consilia fide & sedulitate auerteret, tum quod olim Enculisma penes Nauarrum fuisset. Concepto facinore dum executioni intendit, versatúrque in Normannia in conspirantium cœtu, audit Comestabilem Aquilæ in oppido proximo agere; eò missum, sibi vt inuigilet suisque consiliis; nihilque cunctatus, secum raptis sicariis, sub auroram Aquilam ingressus, iacentem in lectulo Comestabilem confodit, patratóque flagitio Ebroicas, mox Meduntum fugit. Rex audito scelere, quatriduum solus præ dolore delituit, augebatque ægritudinem quòd reo scelus impune foret; nam is erat conspirantium numerus cáque dignitas, vt vocari in pœnam haud possent, nec deberent, ne in maius flagitium impellerentur. Ij erant Harcurij fratres, Normanni Proceres omnes

Ioannes.

De Nesle.

Carolus Rex Nauarra Franciam vexat.

Charles d'Espagne.

Comestabilem necat.

Anno 1354.

Harcour.

IOANNES. omnes propemodùm, & ex ipsâ Aulâ haud pauci, qui si vrgerentur, Anglum excirent, & ad Lutetiæ portas admouerent. Quare Rex dissimulatâ vltione ad Nauarrum mittit Cardinalem Bononiensem, aliósque Proceres, qui infractam concordiam vtcunque sarcirent. Ille quasi innoxius præmium criminis impetrat, nec ad Regem pergit, nisi Comite Andegauensi altero Regis filio in obsidem dato. Sic abstersо metu coram Rege sistitur, & ad quandam iudicij simulationem excusatâ nece, quam patratam ob iustas causas diceret, non vt Regi molestiam vllam faceſſeret; Iacobus Borbonius in perempti locum Comestabilis dictus, in eum manum leuiter iniicit, ac Reginæ, Ioanna Pulchri vxor, & Blanca Philippi vidua deprecantes ad genua Regis, veniam reo exorant, pœnâ in pecuniariam mulctam conuersâ, quâ pro necati animâ institutæ preces & sacrificia: magno Regis dolore, quando nihil acerbius, quam cui iustè pœnam debeas, iniustè parcere.

XVII. *Nauarrus iterum turbans capitur.*

Carolus pœnâ solutus, & metu, quod in facinoroso deterius, profectus in Nauarram, Rebellionis instrumenta colligit, pecuniam & militem; iisque instructus duo Nauarrorum millia nauigiis imposita in Normanniam ducit, & Chereburgum appulsus, fœdè loca vicina diripit. Erat in Normanniâ Carolus Regis primogenitus, quem deinceps Delphinum appellabo, idemque dictus Normanniæ Dux; qui iam animi solertiâ præditus, quâ deinde Principum clarissimus euasit, Nauarrum ita prudentiâ flexit atque mitigauit, vt ad Regem deduxerit, impetratâ rursum petenti veniâ. Nec is erat prouocandus hostis, finitis induciis, & bellum Anglo instaurante ferocius. Quippe Eduardus Valliæ princeps, qui Burdegalæ commorabatur, vastabat Occitaniam, & Narbonem vsque, & Carcassonem prædas impune abegerat, Francísque ducibus inter se discordibus, intactus per eorum copias recesserat in Aquitaniam. Rex Eduardus similiter Caleto in Morinos populationem intulerat, & post tentatum Hesdinum, Ioanne frustra in duellum aut prælium prouocante, prædæ plenus se Caletum receperat. Ergo Ioannes vtrimque appetitus, vt potentissimè vim tandem retunderet, euocat Regni Comitia, & belli necessitate ostensâ, pecuniam in necessarios sumptus efflagitat. Franci in tergeminum diuisi ordinem, omnia benignè & liberaliter spondent: Oratores pro Cleri ordine, Ioannes Cranensis Rhemorum Antistes, pro Nobilitate Briennius Athenarum Dux, pro Populo Marcellus Parisiis Mercatorum Præpositus; omnium facultates, atque ipsas adeo animas ad Regni salutem & tutelam deferunt, statimque in tributum consentiunt, quo triginta hominum millia alerentur. Dum id exigitur, & pendentibus singulis paulò grauius est, quod promittentibus cunctis videbatur leue, Nauarrus occasione vsus repetebat prima consilia, & rebellionem suboffensis animis inspirabat. *Quod*, inquiebat, *deliramentum, exsugi ab hirudinibus Aulicis, & auaritiæ patere prædantium, ne nos Anglus diripiat? Anglus si irruat, muris vrbium, munimentis, machinis, armis, viribúsque nostris repellitur, & plerumque prædæ est dum prædatur; at Regi per publicanos & redemptores suos sauienti, penetranti in munitissimas vrbes impunè, in omnium tecta & penitissimas arcus inuadenti, quis obstiterit? nunc palam esse, tam Ioannem quàm Eduardum in regnum Francia ve-*

IOANNES.

in alienum irruere : qui diripiant prouincias atque populentur ; alter palam & aperto bello ; clam alter & pacis ſpecie ; vt hinc inde calamitoſum imperium diſtractum in diuerſa, verum legitimúmque Principem vocet. Eum ſe eſſe, ad quem iure ſanguinis & hereditatis pertineret Francia ; qui ſi regno iam anteà potiretur, auertiſſet calamitates quibus id obruitur ; nec Eduardus tot Francis ad Creſſiacum caſis Caletum occupaſſet ; nec Ioannes tributi nomine pauperiem omnibus feciſſet : ſe tamen quanquam affectum iniuriâ, publicas curas haud depoſuiſſe ; paratum ſe ad ſanciendam populi libertatem ; ſi qui ſeruari ac defendi vellent, ad ſe confugerent, experturi patriæ patrem, quem iniuſtè Regem repuliſſent. Iis ſermonibus cùm Normanniam atque Picardiam ab Rege plurimùm abalienaret, Delphinus ad eum profectus, ſingulari virum deuincit induſtriâ, multáque pollicitus deducit Rhotomagum, vt de conditionibus pacis conuenirent. Tunc Rex à Delphino admonitus, ſimulatâ venatione Rhotomagum aduolat improuiſus, admiſſúſque pſeudothyro in caſtrum, Nauarrum deprehendit cum Delphino prandentem, & ſocios conſpirationis. Simul omnes captos in cuſtodiam mittit ; & quibuſdam ipſo die, plauſtro vectis in apertum campum, truncata ſunt capita, Comiti Harcurio, Grauillæ, Mambuæo, & Dombleto : iuſtâ quidem pœnâ, ſed præcoce, vt euentu patuit, & animos auertente potius quàm terrente. At Nauarri frater, in eandem caueam impingendus, ad nocendi facultatem liber, iura gentium violata conqueritur, Regi per pacis ſpeciem vim illatam ; deinde reliquos coniuratos euocat, atque Angli opem efflagitat. Ita repentè bellum exardeſcit. Franci inſtant, & municipia Nauarro eripiunt ; primum Ebroicas, vrbem miſeram, ferrum toties & flammas perpeſſam ; & impugnabant Pontellum maritimum ; cùm Dux Lancaſtrius adductis quatuor Anglorum millibus, eos viciſſim ad receptum cogit. At is ingruente cum exercitu Rege, retro cedit, quærítque effugium ; cùm repentè Rex in Aquitaniam euocatur, & in nouum hoſtem imò calamitatem nouam abripitur.

Ponteau de mer.

XVIII.

Apparatus ad pugnam Pictauienſem. Cran & Bouciquant.

Eduardus Valliæ Princeps, poſt lætas Occitaniæ populationes, in alteram Franciæ partem conuerſus, Aruernos atque Bituriges diripiebat ; iámque prædas abegerat ad Auarici mœnia ; deleuerat trecentos equites, quos in eum Cranenſis & Boucicautus conuerterant, & in Bleſenſes deflectens Romorantium vrbem & caſtrum expugnauerat machinis ; cùm audito Regem cum exercitu aduentare, prædam ferens magnis itineribus per Pictones in Aquitaniam redit. Etenim Ioannes contractis copiis, Procerum atque Nobilium magnâ frequentiâ aduolabat ad Ligerim, cupidus prædatores intercipiendi, & exigendæ ob tot rapinas vindictæ. Tantâ celeritate Ligerim ac Vigennam tranſmittit, vt properantem Eduardum vno die anteceſſerit, & ipſe Eduardus de conſilio Regis certior factus, circumſpiciénſque concluſum exitum, niſi victoria faceret, regreditur verſus Pictauium, & milliari ab vrbe tertio locum ſeligit commodum, cui nomen *Maupertuis*, in quo caſtra ponit, ſeque communit ſitu loci atque induſtriâ. Surgebat tumulus, bis mille paſſus complexus ambitu ; dumeta circùm horrebant, ſepéſque denſiſſimæ ; hinc ſilua cædua, inde vinera intricata ſarmentis ; via paulò demiſſior ad ſummum tumulum deducebat,

IOANNES. sed ita angusta, vt tres duntaxat homines simul admitteret, & hinc inde dumo altissimo texebatur. Eo in tumulo collocat milites Eduardus; si qua spatia minus sepe spissantur, curribus implicat, fossam circumducit, in fronte Sagittarios disponit, & quâ media via incedebat; iubétque equites ad summum tumulum præstolari, pedibus quidem, sed apparatis ad manum equis, quos in omnem euentum conscenderent. Ribomontius ad explorandum hostem à Ioanne missus, obseruata sedulò omnia Regi renuntiat, ac rogatus sententiam, quid agendum foret; censet, amouendos equos, equitem pedibus deducendum ad pugnam, prælongas lanceas decurtandas ad quintum pedem; quoniam, affirmabat, densa inter virgulta longa hastilia magis detrimento essent quàm vsui. Ribomontio ab Eduardi sub Caletum pugnâ erat fama ingens, & celeberrima gloria; quamquam hoc consilio sat demonstrauerit, quantùm ducem inter & pugnatorem interfit. Aliquot alij suadebant abstinendum à prælio, circumcludendum hostem, pabula & cibaria detrahenda; necessariò intra diem tertium confecturam famem nullo periculo, quod nunc aleâ dubiâ tentaretur. Ad peiorem sententiam Rex accessit, & quadrato agmine ad Maupertusium contendit. Verùm cùm aciem ad prælium expediret, aduolat Talerandus Petrocorius Cardinalis, ab Innocentio VI. Pontifice ad conciliandam pacem Legatus; ac tametsi ab Rege sæpius antè reiectus, nunc primis signis sese obiiciens, Regem per Deum orat, ne pugnatum eat in eos qui se cupiant dedere, nullo periculo suam victoriam fore, leges tantùm dicat. Ægerrimè ad hæc verba se Ioannes suósque continuit, diemque Cardinali permisit, vt hostem ad deditionem adduceret. Porrò Eduardus in eas venerat conditiones; vt iuratus septennio ab armis in Franciam abstineret, prædam captiuos atque vrbes restitueret; demùm Burdegalam abiret viâ quæ Regi placeret. Eæ conditiones ab Rege repulsæ; nulláque placuit, nisi vt Eduardus cum centum selectis Equitibus se captiuum omninò traderet. Erat Regi indubitata victoria, & incendebant militarem animum, vindictâ iam flagrantem, tum Ribomontius, tum Cauuæus Catalaunensis Episcopus, inglorium & ignominiosum affirmans, si Rex ipse, tota Nobilitas, tantúsque exercitus, nihil aliud præter æqualem pacem conficiant. Ita Cardinalis repulsus, & quidem cum probro, quasi in Anglos propensior, lugens & calamitatem præsagiens, secessit Pictauium. Iámque illucebat funestissimus Franciæ dies, decimus nonus Septembris, cum vtrinque ad pugnam instruuntur exercitus. In Francico omnia, ad amplitudinem, ad pompam, fastum tumidum, & ad victoriæ speciem comparata; quinquaginta hominum millia, centum & viginti vexilla, ipse Rex, eius quatuor filij, Proceres, ac totius penè regni Nobilitas; arma specioſa, aurum, gemmæ, purpura; quæ per lata camporum æquora, iucundissimum oculis præberent spectaculum. Contra in Anglico, octo hominum millia, virgulta inter sepésque latentium, sed tumore nullo, paratis in omnem euentum animis. Protinus ex Ribomontij sententiâ, equites relictis equis, abiectísque calcaribus, cum pedite in tria agmina diuiduntur: primum ducebat Dux Aurelianensis Regis frater, alterum Delphinus, in quo tres eius fratres; tertium ipse Rex, selecti equites

Ribomontij error.

Chauveau.

Anno 1356.

equites trecenti, quos Mareſcalli ante peditatum educerent. Rex adequitans ordines, inſinuabat; *iam adeſſe hoſtem, quem ipſi toties voto & deſiderio precepiſſent, ſpectari coram predatores illos, qui nullo iuſto bello, nuſquam acie iuſtâ contenderent; ſed vilem plebeculam diuexarent, fortes in timidos, in fortes ignaui; iam retruſas in latibulum ſuum vulpeculas, haud agrè extrahi ac deleri poſſe: meminerint ipſi ſe pugnare ſub Regis oculis; qui non exigeret, quin ipſe præſtaret.* Nec Eduardus rem obibat inſtrenuè. Sagittariis ad vim repellendam compoſitis, egregius animi & militaris roboris iuuenis, pugnam Creſſiacam ſingulis memorans, duces & milites inflammabat verbis. *Iam præiudicari victoriam, quod irruerent Franci, nec ſe obſidione ad extrema adigerent; quid fortibus optatius quàm pugnare, & à dextrâ victoriam non à ventre conficere? Non perterreantur hoſtium numero, eoſdem eſſe qui ad Creſſiacum immensâ multitudine profligati eſſent, palma memoriam nondum effluxiſſe, quamplurimos ſub ſignis eſſe qui viciſſent; ipſum ſe reportaſſe victoriam, & ſi ex præteritis futura colligimus, deprehendere in animo ea victoriæ ſigna, quæ tunc percepiſſet. Spectarent aurum, purpuram, gemmas, & inaurata quibus Franci collucerent arma, ea ſibi conceſſa ſpolia; opes Franciæ in hoſtilia caſtra confluxiſſe vt diriperentur; vno prælio, prædam, gloriam, & ſalutem referrent; atque arbitrarentur ſibi vel honeſtam mortem obeundam, vel in vitam reliquam immenſas diuitias, laudem incomparabilem, & honeſtum otium comparandum.*

IOANNES.

Delibata primùm per Francos pugna eſt, iuſſique trecenti equites ſe in viam quà patebat tumulus abdere, & ad ſuperna per obſtantem hoſtem irrumpere. Hinc prima mali cauſa, totiúſque fons cladis. Angli Sagittarij vtroque latere dumis tecti, prægrandes ſagittas, & aculeis aſperas in obiectos equos eiaculantur (nam equites ſat arma grauia protegebant) eóſque tranſadigunt: Saucij equi doloris impatientiâ agmen omne confundunt; alij in poſteriores pedes ſe erigunt, alij retro cum impetu vertunt, quidam occumbunt afflictis humi ſeſſoribus, plerique in proximam aciem rapiuntur, pedites proterunt, locóque ſubmouent. Ita impeditum primum agmen, dum retrò cedit, ſpatiúmque ad reſtituendos ordines quærit, in ſecundum infunditur, illudque pari modo permiſcet ac turbat. Tunc erumpentes extra vallum Angli, quà equites, quà ſagittarij, haud ægrè perturbatas acies aggreſſi per latera, fundunt atque diſſiciunt. Et verò fuga fit & conſternatio; è Francis plurimi in proximos equos inſiliunt, ſéque ſtragi proripiunt: ipſi Regij adoleſcentes, Delphinus & fratres, Præfectis educationi ducentibus, inſcenſis equis abducuntur à prælio; vnus Philippus natu minimus, vixdum pubes, ad patrem inſtauraturus pugnam receſſit; ita diſceſſu Principum acies reliqua profligatur, vnúmque fugæ ſtudium ſupereſt. Contemplabatur è ſummo tumulo Eduardus, ad quem eo momento conuerſus Ioannes Chandoſius, dux militari peritiâ clarus; *Eamus*, inquit, *mi Princeps, nunc victoriæ tempus eſt, ea nos vocat; Regem Franciæ aggrediamur, capietur haud dubiè; noui animum viri, nunquam terga vertet.* Eduardus continuò cum ſelectis ducibus, & grauiori equitatu, in confuſa agmina impetum facit; iiſque nullo negotio diſiectis & fuſis, tertium etiamnum integrum aggreditur. Enimverò præ-

XIX.

Pugna Pictauienſis.

Chandos.

IOANNES.

lium instauratur denuò, Francis sub oculos Regis generosissimè dimicantibus. Et memorantur in ptimis Athenarum Dux Comestabilis, & Borbonius Dux, qui ad Regis latera sub extremum spiritum depugnarunt; imò spectabatur ipse Rex liliato paludamento refulgens, fortissimè omnium prælians, Philippúsque filius, nouus Franciæ Scipio, tenero corpusculo quantùm licebat obtegens patrem. Verùm cùm iniqua foret pugnæ conditio, pedibus omnes Franci certarent, paterèntque Anglis equitibus irrumpentibus, tandem agmen tertium victum ac fusum est. Deturbatum erat vexillum Franciæ, cæsúsque signifer Gotofredus Carnyus; iámque hostis victor in Regem & filium irruebat. Vnus filius propugnabat patrem, ac tametsi grauiter saucius, neglectâ salute, de vno patre erat solicitus, cùm à Rege iubetur se dedere; eóque facinore Audacis siue Imperterriti nomen adeptus est. Nihilominus Rex inuictus animo confertam turbam dissiciebat; audiebantur acclamantium voces, vti se dederet; imò comminantium mortem, si cunctatur; ille intrepidus versabat huc illuc gladium, séque admirabiliter tutabatur; tandem accedenti propius Morebequio equiti Atrebatensi, séque Francum dicenti, cæstu contradito, Rex dedidit se; nec sine periculo, irruente turba; detractúsque est digito pretiosus carbunculus, quem gestabat, eo se inuictum fore existimans; malè à lapillo securitate quæsita, quam à prudentiâ suâ non præstaret. Post Regem captum, fuga & cædes Francos obtriuit. In ipsâ acie cæsa sex millia, octingenti nobilitate præcipui, è proceribus multi, Dux Borbonius, Comestabilis, Clermontius Marescallus, Carnyus, Guillelmus Barrensis, Cauuæus Episcopus pugnæ tuba, Rupifocaldius, Sancerra, Lauallius; aliíque plurimi. Nec ipso cædes campo stetit; victores insequuti fugientes ad portas Pictauij plures ceciderunt; occludentibus Pictauiensibus portas, ne simul victor admitteretur cum victis; videntúrque qui scribunt occisa decem Francorum millia, numerum vtriusque stragis meminisse. Captiuorum numerus propè immensus: in iis præter Regem & filium eminebant, Pontiui Comes, Comites Eusius & Longauilla fratres, Comites Tancaruillæ, Dammartini, Vindocini, Iuinuillæ, Andreghenus Marescallus, & Sintræus eques celeberrimus; cæteri tam frequentes, vt Anglorum singulis quinque séxve fuerint; pluréque dimissi sunt à victoribus, redemptionem polliciti. Spoliorum opulentia supra fidem est; cùm Franci certatim quidquid domi pretiosum foret secum detulissent; derelicta à victoribus multa; vnæ gemmæ aurum & supellex argentea in prædam cesserunt. Estque illa clades post Cortracensem Francis ignominiosissima, temeritatis atque audaciæ proles; vt prodigio sit Francorum cæcitas, & supra omnem fidem; tam recenti Cressiacæ cladis memoriâ, (nam decem anni duntaxat intercesserant) eodem modo, eâdem amentiâ dimicatum, proiectámque victoriam, quam vnius diei cunctatio reportallet. At quam diuturnâ & lugendâ serie calamitatum, suam proteruiam atque insaniam luent! Rex ab Eduardo summâ humanitate & reuerentiâ exceptus, Burdegalam ductus est, & aliquot post menses Londinum; Eduardo pariter humanissimè & amicissimè Regem veluti hospitem accipiente; sed vt est honestissima

Regis fortitudo. Et Philippi filij.

De Charny.

triumphi

triumphi ſpecies victum Principem magna pompa deducere; ita eſt victo luctuoſum ſolatium præbere pompæ materiam, & aliena gloria ſuam ornare miſeriam. Verùm hoc euentu par eximium fortuna compoſuit, Principes duos moderatione certantes; quippe Ioannes aduerſitatem egregiè tulit, altiſſimo animo, & ad calamitatis ſenſum impenetrabili; Anglis mirantibus victam in trophæo ſuo fortunam: & Eduardus ſupra votum felix, ita proſperitatem habuit in poteſtate, vt nec verbis nec factis elatior, vllatenus modeſtiam læſerit; imò annitente Petrocorio Cardinale, in biennium conceſſit inducias, quaſi nouæ victoriæ ſementem ſereret, & prolapſum hoſtem nollet obruere. Præterea Dauidem Scotiæ Regem, iam nono anno captiuum libertate donauit: an ratus ſupra mortalitatis faſtigium eſſe, duos ſimul Reges habere in cuſtodia. IOANNES.

XX.

Pariſienſes primò tumultuantur.

Delphinus & fratres erepti Pictauienſis cladis periculo, ſe receperant Pariſios regni caput, vnde in corpus reliquum ordo & regimen propagarentur. Porrò Delphinus in procella ſæuiſſima clauo ſe admouens, rerum adminiſtrationem ſuſcipit, titulo Gubernatoris regni aſſumpto; nam Regentis nomen viſum inuidioſius. Primùm duo erant momenti maximi procuranda, Regis capti libertas, & difficillimi belli gerendi ratio. Earum rerum quia pecunia inſtrumentum & machina erat, regni Comitia indicit Pariſiis; ratus in tanta calamitate neminem eſſe, quin priuatis incommodis ſubleuatam rempublicam & ruina vindicatam vellet. Verùm ſecus quàm exiſtimauerat contigit. Legati ex ſingulis vrbibus lecti, poſtquam Pariſios conuenerunt; à ſeditioſis & turbulentiſſimis viris in contraria ſtudia impelluntur. Duo præcipuè flammam ventilabant, Robertus Coccius Epiſcopus Laudunenſis, & Stephanus Marcellus vrbi Pariſienſi Præfectus, quem dicunt Mercatorum Præpoſitum: ij ſiue à Nauarri aſſeclis corrupti pecunia, ſiue ambitione & cupiditate regiminis, pertraxerunt Comitia ad quædam poſtulata quæ Delphino facerent; antequàm de ſubſidiis in regnum & bellum agerent. Erant ea; primùm vt Conſiliarios omnes & miniſtros amoueret, ac vocatos in iudicium condemnaret; deinde vt Nauarræ Regem libertati aſſereret, regij ſanguinis Principem, aptiſſimúmque, qui vt tempora perturbata erant, cura & induſtria regnum ſubleuaret; poſtremò vt abrogato prorſus concilio, ſubſtitueret triginta ſex alios, quos ipſi ex ſingulis ordinibus dicerent, iique vni de rebus publicis conſulerentur. Delphinus ad eam tempeſtatem clauum inflectendum ratus, moram flagitat ad reſpondendum; variiſque cunctationibus rem procraſtinando Comitia ſoluit, reſponſo in commodius tempus dilato. At quia vrgebat neceſſitas præſens, ſibi fidos reique publicæ peramantes in ſingulas prouincias mittit, qui opem flagitarent, & auxilium in præſentem miſeriam. Qui gnauiter functi officio, pecuniam impetrant, quæ triginta hominum millibus ſtipendio eſſet, dum de libertate Regis amplius conſultaretur. Et Occitaniæ ea in re memorabile in Principem ſtudium, cuius priuatis Comitiis, Armaniaco Comite moderante, decretum eſt, vt ad bellum nouem Equitum millia publica Ordinum ſtipe alerentur; néve dum Rex in cuſtodia ageret, vir vllus aut mulier, aurum, argentum, margaritas,

Le Coq.

Occitania in Regem ſtudium.

IOANNES. garitas, aut gemmas vesti adhiberet, iisve se ornaret; néve læto colore sese indueret, aut vestimenta ad ornatum incideret; Comœdis præterea & tibicinibus interdictis; rati lætitiæ sensum pro peccato esse, dum Rex suus lugeret in carcere; nec adeò priuatam esse calamitatem Principis, quin ad bonos subditos deriuaretur. Eam portò laudem sibi Campani etiam vindicant. Delphinus post eas res vtcunque stabilitas, Metas profectus est, ad inuisendum Carolum Imperatorem, auunculum suum, vt a sapientissimo & amantissimo Principe admodùm iuuenis consilium atque opem exposceret. Et quidem in spem certam subleuatus est; verùm per absentiam eius inualescit Parisiis factio, cogitúrque Dux Andegauensis Delphini frater edictum abrogare, quod de monetâ nouâ propositum erat; & ipse Delphinus ad tumultum regressus, adigitur à seditiosis ad instauranda Comitia. Quibus euocatis, cum eadem de Ministris Regiis flagitarentur, & in ipsum Delphini palatium seditiosi fecissent impetum, iisdem Coccio & Marcello instigatoribus, amouentur veteres Consiliarij, & de republicâ meritissimi; Petrus Forestius Cãcellarius Archiepiscopus Rothomagensis, Simon Bussius in Parlamento Præses primarius; aliique, quibus fides & in regnum amor, fuit noxæ & pœnæ. Ex ipso etiam Parlamento plerique electi, subrogatis in eorum locum, qui maximè omnium nouis rebus & Nauarro studerent. Dum Francia laborabat in capite, sua etiam lues membra diuexabat. Nam in Normannia Philippus Nauarri frater, adiuncto Gotofredo Harcurio, proditore illo percelebri, agros incendebat; & in Britannià Lancastrius expugnabat Rhedones; atque prouincias cæteras prædones diripiebant atrociter. Vnus famosissimus Arnulphus Cernolus è Phocensi Prouinciâ in proximas terras irrumpens, ac præcipuè in Cauares, quos populatus, Pontificem Innocentium Auenione obsidet, eóque audaciam vir nefarius promouet, vt receptis à Pontifice quadraginta nummorum millibus, Auenionem admitti voluerit, ad Innocentij mensam accumbere, atque instar Principis à ciue excipi; non tantùm impunitate partâ flagitio, sed pompâ & plausu. Harcurius interea proditionis geminæ pœnas luit, qui prælio fortè conserto, suis profligatis, cùm nec fugere vellet nec dedere se, post cæsos plurimos, securi quàm fortissimè dimicans, confossus lanceis, in trophæum suum incubuit. Et Lancastrius obsidionem Rhedonum soluit, siue inducijs, siue Bertrandi Guesclini præclarâ fortitudine; quem Delphino Deus pugnatorem egregium instruebat, gente Britonem, Roberti Guesclini filium, adhuc adolescentem, primóque tirocinio efformantem, in quem mox euasit, Imperatorem clarissimum.

Tumultus renouatus.

De la Forest.

De Bussi.

Cernolus prædo.

Harcurius cæsus.

Du Guesclin.

XXI. Eas inter turbas factiosi Parisienses nondum quieuerant; duo adhuc ipsis erant conficienda, libertas Nauarri, vtque Cocius Antistes in consilium Regis adscisceretur. Primum fraus perfecit, Ioanne Pequinio Gubernatore Arteſiæ in suas partes abducto, qui falsis indiciis ab arce Artesiâ Nauarrum Regem eripuit, deduxítque Ambianum; alterum audacia ipsius Antistitis, qui suffragante Marcello Delphinum adegit ad euocanda tertium regni comitia. In iis cùm seditiosè, sed ad sensum populi accommodatè, de regni miseriis peroraſſet, conquerens eas omnes ab iis qui ad consilia regia adhibe-

Nauarra Rex liberatus.

adhiberentur fluxisse, prouinciarum Legatis poscentibus, admissus est in Delphini consilium, ac statim pro audaciâ principem locum inuasit. Prouecta in cupitum verticem ambitione; eam vt stabiliret, agit de reuocando in Aulam Nauarro; obtinétque haud ægrè Reginis deprecantibus, vt ipsi fide publicâ ad veniendum Parisios caueretur. Venit igitur magno fautorum atque Nobilium comitatu, & in sancti Germani diuersans, iusso erigi pegmate; vnde quondam Regibus erat consuetudo spectandi duella publica, euocat populum ad concionem. Erat ille natura ad dicendum factus, imbutúsque à puero eloquentiæ facultate, lubricam artem parauerat flectendi animos, & ad nutus suos conuertendi. Iis subsidiis, & miseratione ex calamitate carceris implente exordium, immensam quæ couolauerat plebem ad suam mentem pertraxit. Parisios summis commendauit encomiis, miserias carceris exaggerauit, causam demonstrauit, quod publici boni studiosus, Ioannis Regis administrationi intercessisset; tum fusè Franciæ calamitates, tributa, cæteráque ex bellis infortunia ad molliendos animos enarrauit; contumeliosè de Ioanne & Eduardo loquutus, quos asseruit iniustè inuasisse in regnum, quod suum foret, se tamen iure suo decedere, ne nouo bello populares obrueret, satis sibi esse, si cum ipsis vnà contenderet, ad instaurandam publicam felicitatem, calamitatum causas abigendas, & liberandam Franciam tyrannis sæuissimis. Hæc grata in vulgus, magno omnium plausu excepta, nouum regnum Nauarro conficiunt, singuli in tutelam eius confugiunt, iurántque se in potestatem ipsius venturos. Nec mora, Marcellus conuenit Delphinum, exposcítque vt Nauarro Regi postulata concedat, atque illicò Laudunensis Delphini responsum occupans, dicit, ipsum paratum ad excipiendum Nauarrum. Ita Delphinus, inops opis atque consilij, intus prodentibus qui Nauarro fauebant, foris vrgente Marcello, & tumultu Parisiensium, pluribúsque iactatus iniuriis, inuitus postulatis Nauarri annuit. Primùm vt sociorum cadauera quæ etiamnum pendebant Rhotomagi, refigerentur patibulo, & honestè tumularentur, restitutis bonis quæ fiscus rapuerat, tum vt vrbes & castra quæ in Normanniâ obtinuerat sibi redderentur, tertiùm vt pro iacturâ & incommodis grauibus numeraretur ingens pecunia, postremum vt quidquid egisset litteris publicis aboleretur. Iis impetratis, Rhotomagum Nauarrus contendit, vt vrbes reciperet, ac patibulatos sepulchro conderet. Et quidem postremum id celebritate magnâ exequitur, habitâ oratione ad populum, quâ proditores nefarios dicebat Martyres, qui mortem boni publici causâ obiissent: verùm alterũ haud perficiebat, Præfectis vrbium recusantibus eum admittere, dum Rex apud hostes captiuus ageret. Ea Præfectorum seu fides, seu contumacia necem propemodùm Delphino conciuit, quippe Nauarrus Præfectorum duritiam Delphini voluntatem interpretatus, eum veneno aggreditur, è quo vita quidem incolumis, sed diu perstitit inualetudo, pilis & vnguibus decidentibus, & toto corpore adeò macrescente, vt sceleto propius videretur. Submissus à Carolo auunculo Medicus natione Germanus, inusto in brachium cauterio sanauit Principem, monuítque vbi fluere desineret, mortem affuturam. Nauarrus postquam animaduertit conualescere Principem, prohibitúmque

IOANNES.

Parisios venit.

Auctoritatẽ summam vsurpat.

Delphini ex veneno morbus.

IOANNES.

túmque succeſſum criminis, ad primam artem verſus; Pariſienſes flabellis incitat, de violata fide conqueritur, Normannicas vrbes nullas reſtitui; palámque Delphinum ſignat, qui promiſſis haud ſtaret. Iam Pariſiis gliſcebat eam ob rem ſeditio, quam Marcellus vt incenderet, iubet omnem populum inſignia noua induere; vt capitia colore cæruleo rubróque diſtinguerent; nam cæruleus Franciæ, ruber Nauarræ conueniebat; hoc quaſi vexillo furorem ad cædes proximas inſtruente. Nec vnam plebem agebat inſania, Vniuerſitatem ipſam inuadit, cœtum illum doctrina & & pietate percelebrem; à qua legati ad Delphinum miſſi, qui procaciter Nauarro promiſſa repræſentari expoſcerent, additæque minæ, ſi cunctaretur. Mox conceptam veſaniam vnius hominis cædes luci dedit. Quidam Macæus Ioannem Bailletum Quæſtorem Franciæ cùm necaſſet palam, in ædem ſancti Iacobi confugerat. Delphinus ratus originem mali comprimendam, mandat Roberto Claromontano Mareſcallo Normanniæ, & Ioanni Catalaunenſi Seneſcallo Campaniæ, vt noctu ſicarium è templo rapiant, pœnáque iuſta afficiant, illi obſequuti ipſa nocte hominem ad patibulum adigunt. Poſtero die, viſo cadauere, increſcit veſania: exclamat populus, violatam immunitatem Eccleſiæ, mortem inſonti oblatam, vindicandam in auctores, qui Nauarri petitis iuſtiſſimis refragarentur. Marcellus arreptâ occaſione, ſe ducem præſtat, agítq; populum in Delphini palatium. Prima plebis victima Petrus Dacyus Aduocatus Regius, qui in viâ occurrens diſcerpitur; tum furioſi in Palatium Regis inuadunt. Conuenerat Delphinus cum pleriſque Proceribus in conclaue quod ſancti Ludouici dicitur, agebátque de rebus ad Patrem in præſentia conſcribendis, cùm Marcellus ſelecta ſicariorum turba in conclaue penetrat, & Mareſcallos duos Clermontium & Catalaunenſem ad Delphini pedes obtruncat; cruore Clermontij in Delphini os redundante. Quo furore Princeps perterritus; *Ecquid*, ait, *Sanguinem Francia vultis effundere?* negauit Marcellus iuſſitque ſecuro animo eſſe; tum caputium bicolor capiti ſuo detractum Delphino tradit; quódque Delphinum tegebat, tinctum in roſeum obſoletum, & auro diſtinctum, capiti ſuo imponit, totúmque diem in trophæum violatæ maieſtatis geſtat. Cæſorum cadauera triduum plebi fuerunt ludibrio; fideſque in Principem eum exitum nacta eſt; adeò caſus humanitatis incerti, vt virtuti aſylum vel in amplexu amantis Principis non ſit. Delphinus paulò poſt negotia prætexens, Compendium venit, ſéque tantiſper furentibus rapuit; incredibili altitudine animi, qui ad clauum ſtaret tot inter procellas; nec abiiceret ſe, quem eiicerent ſui.

Seditio renouatur.

De Clermont.

De Chaalons.

D'Acy.

Mareſcalli caſi.

XXII. *Iaquerie Ruſticorum tumultus.*

Portò agitantem pœnas in rebelles nouus tumultus diſtinuit, ſua lue campos deuaſtante, ne calamitate rura vrbibus cederent. Ad vrbem Belloiacum, die feſto aliquot ruſtici poſt quam incaluerant mero, de publicis rebus colloquentes, vt vulgò aſſolet, deplorata miſeria Franciæ, accerſunt infortunij cauſas à Nobilitate, qua inſignes Regem ſuum in pugna Pictauienſi turpi ſocordia prodidiſſent, & adhuc voluptatibus domi indulgerent, in addictos ruſticos exercerent ſæua imperia, dum Ioannes in cuſtodia eſſet; expertes publicæ calamitatis; niſi quod ſinguli Interreges forent,

&

& vſurparet ſua quiſque in ditione tyrannidem. Ad has voces ſubita correpti inſania, exclamant, delendàm eſſe Nobilitatis illam progeniem, auerruncandam luem à Franciâ, hominéſque perdendos, qui nemini commodi, cunctis eſſent pernicioſi & deteſtabiles. Nullâ dictis morâ, quæ ad manum erant arma corripiunt, fuſtes, furcas, falces; atque in Nobilis domum, quæ fortè occurrit, impetum faciunt, (Franci Nobiles rure in caſtellis habitant) herum, coniugem, & liberos mactant. Confluunt ruſtici è proximo pago, & in aliud caſtrum irrumpunt ſimiliter; ſtatímque inſtar niuium accumulatâ prædantium multitudine, terribilis factio in omnia caſtra peruadit. Ea dicta laqueria, ab eo quem ſibi impoſuerant ducem, cui Iacobus Bonhomius erat nomen; vnde & Iacobi & Boni homines appellati; ac breui furor adeò inualuit, vt iam in Picardiâ, Arteſia, & Briâ; Nobiles omnes caſtellis pulſi ſint, caſtella incenſa, facultates direptæ, necati quamplurimi, ingenti ſæuitiâ & immanitate. Memoratur abominanda crudelitas; cùm ſemel caſtro expugnato, captum Dominum induerunt in veru, ad ignem aſſarunt, ſpectante coniuge, quæ poſt ſtuprum illatum, adacta eſt cocti mariti deguſtare carnes; tum in fruſta conciſa, proiecta eſt canibus pabulum. Atrociſſima eiuſmodi facta Nobiles omnes atque adeò Proceres ad exſcindendam teterrimam vomicam concitarant; prima Meldis ſtrages præluſit cæteris. Eam in vrbem Dux Aurelianenſis Regis frater cum vxore ſeceſſerat, & in eam confugerant aliæ matronæ nobiles, circiter quadringentæ, tutæ vt rebantur munimentis vrbis, & Principis dignitate. Duodecim Iacobeorum millia circa Pariſios prædabantur, ſéque iis multi è plebe cupiditate prædæ adiunxerant, cùm audito Meldis Nobiles feminas agere, continuò ad vrbem ſpolia rapturi aduolant. Pleræque vrbium magno in Nobiles odio fauebant Ruſticis; Meldenſes accedentibus portas aperiunt, excipiúntque ædibus turbam irruentem: forum ibidem vrbe in mediâ eſt admodùm tutum, ædificia Matronâ amne circùm ambiente; eum in locum ſe abdunt feminæ, propugnantibus Fuxio Comite, & Boatum Principe, quæ regio eſt in Aquitaniâ. Commodùm ij reuertebantur è Pruſſia, equitibus ſexaginta ſtipantibus, compertóque in via Nobilium feminarum periculo, digreſſi Meldas, ſe ſuámque operam ad vim repellendam obtulerant. Nec paſſi à viliſſimâ turbâ forum oppugnari, per apertas portas erumpunt; & armorum fulgore primùm perculſos, mox fortitudine militari fractos, mactant, proterunt, fundunt, cæſíſque aut fluuio merſis plus ſeptem millibus, cæteros in fugam agunt; ipſique vrbi flammas ſubiiciunt, quæ tam diros hoſpites excepiſſet. Adeò ſuam cuique Natura artem ingenuit: bellum Nobilibus atque imperium, agriculturam Ruſticis atque obſequium. In Picardia Delphinus eoſdem greges facinoroſorum mactabat, cæſis viginti millibus, vno die ſacro Ioanni Baptiſtæ; Dominúſque Coucyus inſtitutâ per ditionem ſuam venatione, belluas teterrimas ferro & ſuſpendio perimebat. Tandem eodem anno quo exorta lues compreſſa eſt; poſtquam Deo ob Nobilium noxas ſat pœnæ datum eſt, & noua tortorum crimina ſuis etiam pœnis ſunt obruta. Delphinus interea Regentem ſe dixerat, ſuóque ſigillo litteras publicas munichat, hac inſcriptione;

Ioannes.

Anno 1358.

Bonhoms.

Crudele facinus.

Ruſticorum cades varia.

Captal de Buch.

Sire de Coucy.

IOANNES. *Carolus Primogenitus Regis Francorum, regni Regens*; Eiúsque custodiam Ioanni Dormantio dederat; quanquam adhuc penes Laudunensem tota

Delphinus dictus Regens. auctoritas foret. Oppressis Rusticis, plurimos Nobiles qui ad se confugerant sub signis retinens, adiunctóque ex Germaniâ milite, validum conflat exercitum, in quo triginta hominum millia recensita; & ad delendam Parisiensem iniuriam, ac Nauarrum sede imperij deturbandum, copias omnes versus Parisios ducit. Nauarrus per Delphini absentiam vrbem amplissimam, Marcello fautore, ad nutum flectebat; dictus erat populi comitiis totius Regni Dux, machinis muros vrbis instruxerat; Anglos euocauerat, quos commodis vrbis locis imposuit; eductísque quatuor militum millibus, in Campaniam bellum intulerat. Delphino admoto, arcessitur à Parisiensibus, quorum villæ conflagrabant incendiis, instabátque iam fa-

Charenton. mes propior, pago Carentonio ab Regiis capto, & impositio ponte quo gemini amnes frenarentur: ideò celeriter cum suis aduolat, turbámque pauidam studiosè confirmat. Verùm cùm aliquoties erumpendo, per suorum stragem repelleretur, aduerterétque iam beneuolentiam vulgi senescere, seque ob illata incommoda iam odiosum, Sandionysium recessit; vrbi pacem aut auxilia valida curaturus. Illam nolens perfecit, modo quem minimè omnium intendebat.

XXIII. *Delphinus Parisiis excipitur.* Nam præter infortunium prius, nouo facto Parisiensium odium concitat. Cum Delphino fœdus tandem contraxerat, suis quidem rebus percommodum, pollicente multa Delphino, sed euentu difficile, cùm recepisset effecturum se, vt Parisienses trecenta nummorum millia ad redemptionem Regis conferrent. Eam pecuniam vbi à ciuibus flagitat, vulgò fremere atque indignari; *Eam esse Regis Nauarræ in bonum publicum solicitudinem: illum patrem patriæ, Parisiensium defensorem; eò curas, studia, & præclara promissa vertere; vt ipse sibi pararet conditiones pingues atque opulentas; at permolestas Parisiensibus, quibus facultatum flos diriperetur, haud placere pacem bello tristiorem; nec captis euenire posse acerbius, quàm bonis spoliari.* Ita Nauarri postulata reiecta, & ipse plenus tædij præsidium Anglicum Sandionysium euocat. Eorum trecenti in vrbe substiterant, cùm rixâ ortâ inuaduntur à populo, cæduntúrque multitudini impares; iámque sexaginta necatis, propagabatur cædes in reliquos, nisi Marcellus aduolans ad tumultum sedandum, cæteros Anglos plebi obsequuturus condidisset in carcerem. At nocte proximâ ab eodem emissi, arcessitis Sandionysio sociis, Parisinos, quàm multi extra muros occurrunt, obtruncat in vindictæ solatium. Excandescunt ciues, instántque Marcello vt se ducat in grassatores, cunctanti minantur, & nolentem in Anglos propellunt. Ille tandem prodit, ac solerter ducit in locum diuersum, reducítque nullo hostium viso. Agmen regrediebatur perturbatum nullóque ordine; cùm Angli à Marcello admoniti aggrediuntur extremos, vincúntque haud ægrè, necatis sexcentis. Ideò in vrbe tumultus increscit; Marcellum ciues proditionis insimulant; iámque palam ad reuocandum Delphinum conspirant: accedunt viri probi, ac boni publici studiosi, proscindunt Nauarrum: quantum in periculum vrbem coniiceret, cæteráque damna exaggerant; sunt que auctores,

vt

vt appellent Delphini clementiam, eiúsque obsequio se addicant. Placet consilium, & deprecantibus Ioannâ Reginâ, Legato Pontificis, atque Episcopo Parisiensi, impetratur venia à Delphino; & præter duodenos qui poscerentur ad pœnam, vrbi toti condonatum flagitium. Marcellus interea haud ignarus suo capite sancitum iri cum Delphino fœdus, agit cum Nauarro, prodendæ ac perdendæ vrbis hoc consilium init; vt nocte designatâ, portas sancti Antonij & sancti Honorati ipse recluderet; Anglos Nauarrósque admitteret; tum simul in inimicorum cædes decurrerent, obtruncarent incautos, & nemine iam repugnante, Nauarrum Regem Franciæ dicerent. Conspiratio cùm emanaret ad plures, quibusdam bonarum partium viris innotuit. In iis tres sempiternâ digni memoriâ, Ioannes Maillardus & Simon frater, ac Pepinus Essartius, vindicauerunt vrbem pernicie, magnámque gloriam magno periculo compararunt. Ipsâ flagitij nocte, Ioannes Maillardus, comperto Marcellum horâ duodecimâ iturum ad portam sancti Antonij, quâ Nauarros admitteret, is selectâ amicorum turbâ venturum occupat, & postmodùm in accedentem rixâ commotâ, securi obtruncat; iustè difficilo capite quod tam praua consilia parturiebat; dein consortes disiicit; & continuò equo insenso vexillum explicat liliatum; signum faustum Francis inclamans, quo sancti Dionysij nomine in pugnam aguntur. Ciues eo clamore exciti, arma corripiunt, se duci adiungunt, nullâque morâ Maillardo præeunte ad portam sancti Honorati conuolant; alteram turmam à Marcello designatam vt Anglos exciperet similiter inuadunt, necant aliquos, cæteros capiunt, vrbíque salutem & securitatem præstant. Primâ luce Maillardus conuocatos ciues docet quid proximâ nocte actum sit, omniúmque consensu qui capti erant damnatos, variis per vrbem suppliciis necat. Tum bini Senatores ad Delphinum missi, qui orarent vrbi vt parceret, expiatæ proditorum cæde, atque ipsi flagitanti plurimùm se restitueret. Eóque die ingenti omnium gratulatione vrbe exceptus est, & in Luparæ castro diuersatus, mutatis animis, & ad sanam mentem conuersis; adeò plebi nihil certum est, sed voluntas mutabilis, nullâ boni malíve constantiâ. At Nauarrus spe regni depositâ, in vindictam exarsit, auctisque per fautores copiis, postquam agros vastauit crudeliter; castra atque vrbes quæ Matronam, Sequanam atque Oesiam amnes coërcebant, vi occupat aut proditione, stringítque Parisios lento obsidio. Et furorem auxit, quod aliquanto pòst Parisienses Thomam Laditum ipsius Cancellarium, dum ab vno carcere in alium traducitur, humi prostritum, nudum per cœnosos vicos extraxerant, & in amnem proiecerant. Sed dum Nauarrus sæuam perniciem regno infert, mox nouo repentè consilio, atque iniecto propè diuinitus cum Delphino reconciliatur.

IOANNES.

Marcelli mors.

Des Essars.

Mont-joye S. Denis.

Anno 1358.

Appetebat inducíarum cum Anglo exitus, paxque bello deterior imminebat. Siquidem Ioannes Rex postquam Eduardo flagitanti in Franciam summum imperium obstitit diu: dixítque sæpius, *non tanti esse libertatem Regis, vt Regni seruitus eius pretium foret, paratúmque se mori in vinculis, vt in libertate Francia ageret*, tandem diutinæ captiuitatis pertæsus, in nouas conditiones consenserat, quibus non tota quidem Francia clientelaris Eduardo

XXIV. *Bellum cum Anglo.*

IOANNES. esset; sed ipsi tot prouinciæ detraherentur, vt in membra discerptæ tenuis admodùm spes salutis foret. Nam cum summo imperio tradebantur Normanni, Cœnomani, Andegaui, Turonenses, Pictones, Santones, Aquitani, & Vascones; in Picardia præter Caletum, Pontinium, Bononia, & Guinæ; vt reliqua Francia interdicta Oceano, ceu ab vbere infans raptus, expiratura breui videretur. Delphinus conuocatis comitiis eas fœderis leges perlegit, & in exordio fœderis obseruatum, indignati omnes maximè, quod Eduardus Francorum se Regem appellaret, Ioannem verò Regem Francum; reiectúmque omnium calculis instrumentum turpissimum; bellum præoptatum, atque vltrò oblatæ omnium facultates, ad asserendam Regni maiestatem. Ea Francorum constantia fortissimúmque consilium immutauit Nauarrum; isque professus est ad procurandam patriæ gloriam se commoda sua abiicere; atque adeò pacem cum Delphino ferit; iustis conditionibus; vt sibi vrbes quas ante bellum obtinuisset restituerentur, admirantibus multis peruersitatem animi repentè conuersam, & diuino consilio rem assignantibus; aliis timori, cùm Anglo se haud vellet permittere, & Melodunum Regens obsideret, in quo tres Reginæ, Ioanna Nauarri matertera, Blanca soror, & Ioanna coniux, captiuitate haud procul aberant: imò haud paucis existimantibus bonam mentem à pessimo Principe simulatam, animúmque vitiis tam altè imbutum, haudquaquam posse virtuti patere. Eduardus postquam à Francis repudiatum est fœdus, constituit in eos deportare exercitum, tam numerosum, vt Regnum quod infringere pace non poterat, Marte obtineret. Ingentes eum in euentum instruxerat copias, excitáque omni Anglicâ nobilitate, vt quod obseruat Froissardus, mulieres duntaxat & senes dimitterentur in Insulâ, paucíque milites quibus arcium portuúmque custodia traderetur, ipse mille supra centum nauibus Dubri soluit, & Caletum appellit integris copiis; scribítque Villanius recensita in exercitu centum millia militum. Atque is adulto iam Autumno, sub hyemem imminentem, non Franciam modò sed ipsum cœlum expugnaturus atque elementa, Caleto educit exercitum, & versus Campaniam mouet. In tria agmina dispertiuerat copias; primum agebat Comestabilis Marchiæ Dominus, medium ipse Rex; postremum Princeps Valliæ, cum tribus fratribus, & selecto iuuentutis flore; medium inter & postremum impedimenta & commeatus sex mille curribus vehebantur; obtinente immensum spatium tanto apparatu, & ante prælium iam agente pompam victoriæ. Etenim Delphinus, cùm ad eas vires repellendas deficeret miles, quidquid armatorum erat in munitas vrbes coniecerat; imitatúsque Fabium seruatorem patriæ post Cannensem pugnam, calamitates Cressiacam & Pictauiensem prudenti formidine persanabat: nec fuit agris inferenda vastatio, ita direptis superiore bello per Nauarrum, vt ad iumentorum pabulum ne herbula quidem superesset. Eduardus institutum iter Rhemos vertit, eo consilio vt capta vrbe inauguraretur cœlesti chrismate, nuncupatúsque Rex Franciæ, iam venerandus in cæteras vrbes admitteretur. Rhemos obtinebant Ioannes Cranus Archiepiscopus, Comes Porcianus, eius frater Hugo, aliíque Nobiles, cùm præsidio

Eduardi exercitus.

Anno 1359.

Eduardi expeditio.

De Porcieu.

sidio valido ; quorum fortitudine post repressum primum Anglorum impetum , cætera hyems confecit , atque acerbitas tempestatis. Nam sub initium imbres assidui ; tum niues frigidæ , mox pruinæ, gelu , & cæteræ hyemis asperitates , sic adstrinxerant milites , continebántque in tabernaculis , nullis campis alimenta præbentibus , vt post alterum mensem Eduardus , obsesso quàm obsidenti propior , post temporis & iumentorum iacturam soluerit castra. Tum lustrauit Campaniam , si quam vrbem indefensam corriperet : ita Catalaunum , Darum , Trecas , & Antisiodorum prætergressus, nullibi ausus intentare obsidium , Temodurum expugnat , deflectitque ad Burgundiam , prædas quæsiturus ; quas postquam Burgundiæ Dux redemit ducentis librarum millibus , versus Parisios retrò iter flectit. Iam Nauarræ Rex nullâ causâ quàm improbitatis infracto fœdere bellum agitabat , oppriménsque Normanniam , Delphinum & Parisienses premebat admodùm ; cùm Eduardus exercitum ad vrbem admouet , lacessito ad pugnam Delphino. Ille se continens munimentis , nec quid Martis aleæ permittens , retundebat hostem immotus ; iam Francis suo magno malo prudentibus. Quamobrem Eduardus , cùm eum nec ad pugnam cogere , nec vrbem expugnare imminuto exercitu posset , recessit in Britanniam , militem instauraturus ; initóque nouo belli consilio , vt quando totam Franciam præter vrbes aliquot obtineret , iisdem alimenta eriperet , constituto ad singulas milite , qui obstructas agris excluderet , famèque vinceret , quæ pugnam negarent.

IOANNES.

Tonnerre.

XXV.

Pax cũ Anglo ad Britiniacum.

Verùm postquam abscessit Parisiis , Delphinus præsenti defunctus periculo, passus est Legatos Pontificios, quorum princeps Andromus Roquius Abbas Cluniacensis , ipsum Eduardum de concilianda pace conuenire. Et primùm repulsi asperrimè , mox Lancastrio Duce in sententiam suam perducto , ipsius sermone induratam Regis mentem emolliunt. Quippe Lancastrius ætate , affinitate , & sapientiâ ex rebus gestis collectâ , apud Principem potens , incertos belli insinuabat euentus. *Nihil periculosius quàm hostem victum ad extrema impellere ; seipse doceret , quis ad Cressiacum Pictauiúmque vicisset ; ingentes exercitus ab exiguis profligatos ; quod illos temeritas, arrogantia & præsumptio agerent ; istos calamitas prudentiaque mater necessitas continerent sub signis ; iam stare à Francis victrices illas virtutes , transiuisse ad Anglos vitia ; vt si contumacia accedat , in easdem clades haud difficulter incurrant. At qua spes , quàm incerta , quàm supra modum immensa , expugnandi singulas tot munitas vrbes ! cúmque recens validúsque exercitus , vnâ Rhemorum vrbe frustra tentatâ , penè conciderit ; quantùm temporis, quantùm copiarum opus ad cæteras perdomandas erit ? Iam gloriæ satis tot victoriæ partum , recederet dum tot adhuc laudes integræ starent , nec se amplius inuidenti fortunæ committeret ; securâ pace stabiliret parta , tumulóque iam propior futuris heredibus, certam & iustam hereditatem pararet.* Eius generis prudentissimis monitis Lancastrius Regis animum sensim inflectebat, repugnantem tamen , ambitione perstante , quæ Franciæ regnum voto iam hauserat. Sed Deus consiliorum auctor , motórque mentium , nouo prodigio cunctantem Eduardum impellit in pacem. Agebat tunc in agro Carnutensi , diripiente cir-

IOANNES. cùm pagos milite ; cùm repente sæua tempestas exoritur. Venti vehementissimus turbo terram perflat, caliginosæ nubes cœlum condunt, prægnantésque fulminibus tum inuectam noctem fulgetris pellunt, tum horrendis tonitribus tetram necem in momenta intentant, & ecce nubibus prodigiosa grando effunditur, quâ tentoria excussa, iumenta cæsa quamplurima, saucij homines, perturbatus totus exercitus, putatúsque dies imminere orbi postremus. Et in animos grando penetrauit ; ita cunctos terror & malorum ingentium perculit metus. Eduardus ipse peruicacissimus omnium conceptâ formidine, humi supplex procumbit ; ac conuersus ad templum Deiparæ Carnutensis, cuius apex longè refulgebat, pacem vouet, si procella desæuiat, superstitque incolumis : Sanè immensâ ipsius gloriâ, ad quem vincendum euocanda fuit è cœlo machina ; nec minore Franciæ, ad cuius salutem infirmis mortalibus exurgeret Deus. Extemplò ad constituendam pacem dies dictus, locúsque Bretiniacum, pagus Carnutibus haud procul ; missique à Delphino Ioannes Dormannus Cancellarius, Ioannes Melodunensis Comes Tancarvillæ, Bouciquaurus Marescallus, & periti forensium rerum, quales Simo Bussius primarius Parlamenti Præses, & Ioannes Marasius Aduocatus : legati ab Anglo Lancastrius, Comites Norantonius, Varuicius, Suffolcius, & Ioannes Boatum Princeps. Intra octiduum conuentum est de conditionibus : quarum præcipuæ ; vt Anglus Aquitaniam latissimis finibus & summo imperio obtineret, clientelari iure prorsus abolito ; porrò in iis finibus continebantur Santones, Pictones, Enculismenses, Petrocorij, Cadurci, Lemouices, & Bigerri ; præterea idem Rex Caletum, Pontinium, Guinam, cum adiunctis ditionibus iure supremo possideret, & ad Regis redemptionem, aureorum tricies centena millia Delphinus penderet, in præsentiâ sexcenta millia, cætera designatis temporibus. Contra Anglus iure cederet, quod vindicabat in regnum Franciæ, præcipuè in Normannos, Andegauos, atque Cœnomanos. Addita pleraque alia, in monumentis Francicis porrecta fusiùs ; in quibus obseruanda Delphini solertia, qui cùm animaduerteret ad iniquas conditiones se adigi ; in instrumentum fœderis asperfit scrupulos, vocúmque formulas ; vnde postea commodiori fortunâ resilirent Franci à fœdere, illibatâ fide. Postquam vtrinque ea in pacta iuratum est, Eduardus reducto exercitu, profectúsque Londinum, Ioannem Caletum misit ; vnde solutâ pecuniâ donaretur plenâ libertate. Porrò in tantâ regni miseriâ, exhausto ærario, agris iam tertium annum deuastatis, vrbibúsque fame propè enectis, cùm id auri colligi haudquaquam posset, Rex affinitatem cum Galeatio Vicecomite, Mediolanensi Duce contrahi passus est. Ille opulentissimus Principum, & affinitatis regiæ cupidissimus, sexcenta nummorum millia obtulit Regi, si filiam Isabellam Ioanni Vicecomiti primogenito filio dare nuptam vellet. Eáque est calamitas, quam Villanius illius æui scriptor clarissimus, & ipse Italus, acerbissimam dicit, ac fenestissimam omnium cladium ; qua Regius sanguis, & illustrissimus orbe vniuerso, in nouam familiam miscebatur ; paternâ miseriâ pudorem virginis licitante. Dictados puellæ, Comitatus Virtutum, exilis in Belgica secunda ditio,

Pax patrata prodigio.

De Chartres.

Bretigny.

Conditiones pacis.

Anno 1360.

Regis affinitas cum Galeatio.

Des Vertus.

quasi

quasi suppuderet cognationem fateri, & dote imminutâ demeretur de probro. IOANNES.

Pecunia persoluta, datísque obsidibus, Rex liber emissus est; obsidum magnus numerus, præcellentium dignitate; in iis Philippus Dux Aurelianensis, Duces Biturix & Borbonius, Comites Andegauensis & Alensonius; è Proceribus præterea lecti, atque ex Franciæ primariis vrbibus clari ciues. Eduardus qui Caletum eam in rem venerat, postquam Ioannem opiparo excepit conuiuio, abeunti postero die Edmundum Principem duósque filios Edmundum & Lionetum honoris causa viæ comites dedit; iíque pedites peditem Regem Bononiam vsque deduxerunt; piam voto concepto peregrinationem ad Deiparam Virginem obeuntem. Rex postliminio in solium reuocatus, recepto Nauarro in gratiam, Parisiis lætitiâ summâ excipitur, donatus ab ciuibus, mille pondo argenti, fabrefacti in vasa. Exinde fœdere implendo actum est; multæ prouinciæ detrectabant in potestatem Angli transire; Marchiani, Petrocorij, & Armaniaci, profitebantur se ornatos priuilegio à Carolo Magno, ne vnquam à regno Francico auellerentur, & vehementer instabant ne id contingeret; verùm Rege contra obnitente, se Anglo dederunt. Rupellensium fides in paucis enituit, qui nullo studio, nullis precibus, nullâ contentione prætermissâ, ne à regno Franciæ abiungerentur, tandem perstante in sententiâ Rege, anno vertente Anglum admiserunt, ante testati se vi ad transitionem eiusmodi cogi, futuros Anglici iuris labiorum tenus, at mente intimâ Francici; insculptáque in animis lilia nunquam expungenda. Hæc Ioannes ingenuè & fide magnâ exequebatur, cùm Eduardus lentè & moliter occupatas arces dimitteret. Imò noua lues ex illorum præsidiis inuasit Franciam. Etenim dimissi milites cùm plerumque sine stipendiis mitterentur, rapto viuere atque alieno assueti, in cohortes conueniunt, mox in legiones, & illatâ in proxima loca vastatione, iam exercitum conflant, & recensentur hominum sexdecim millia. Ij se Societates dixerunt, siue Tardiores, quod serius ad diripiendam Franciam, tot calamitatibus perditam venissent: nihilominus decursis Campaniâ, Burgundiâ, Niuernensibus, & Bellijocensibus; & vndique prædâ pro miseriâ temporum raptâ, in Lugdunensi agro hæserunt, incumbentes amplæ ciuitati, proximásque prouincias deuastantes. Ioannes ad rescindendam hanc luem, postquam sæpius Anglum compellauit, vt qui ipsi stipendia meruissent eos haberet in potestate, & ex lege fœderis pacatas ditiones contraderet; saltem ad prædones opprimendos sumptus diuideret, militémque sufficeret; ad quæ postulata Anglo obsurdescente, ipse tandem Iacobo Borbonio mandat, conscribere militem, ac vomicam illam abscindere. Borbonius euocatâ nobilitate, è Burgundiâ, Delphinatu, ac Phocensi Prouinciâ, noũem hominum millia pleroſque equites sub signa mittit, ducítque in prædonum turbam. Illi diuturnæ periti militiæ, artísque memores quâ sub Eduardo bis vicerant, ad pagum Brignæum, nono ab Lugduno vrbe milliari, castra ponunt in colliculo, eáque ratione copias collocant, vt inspectantibus partem dimidiam duntaxat obiicerent. Ea ars hostibus fraudem primùm, mox stragem intulit.

XXVI. *Regis libertas.*

Rupella fides.

Tard-venus Prædones vastât Franciam.

Brignais.

Ioannes. tulit. Quippe Franci nobiles, indignati in prædonum turbam ceu in iustum hostem depugnare, speculati ipsos negligenter ac dimidiâ parte conspectâ, pauciſſimos esse renuntiarunt; eáque mente incuriosè & socorditer eos aggressi sunt. Verùm ij fossâ & munimentis quæ deduxerant tecti, primò in accedentes vim maximam telorum & saxorum effundunt; quibus posteaquam primum agmen protritum est atque perturbatum; ex auersa tumuli parte selectum equitatum immittunt, qui incautos hostes à tergo adortus, magnâ strage cædit, & in fugam agit. Necati plurimi Nobiles; Borbonius ciusque filius grauiter saucij, vix è pugnâ educti, Lugduni postridiè expirarunt. Hac victoriâ sæuiſſimis grassatoribus ianua in omnes prouincias patefacta, & verò egregiè functi sunt munere; viris passim peremptis, stupratis per vim feminis, templis violatis, spoliatis altaribus, pagis oppidisque succensis; vt iam Anglicum bellum præ hac miseriâ lusus foret. Sed vt suam luem in plures prouincias spargerent, pluréſque simul diriperent, in duas turmas sese dispertiunt; altera minor numero, conflata ex tribus Vasconum millibus, duce Simone Batefole, Ansam occupat caAnse. stellum ad Ararim, quartâ Lugduno leucâ, atque inde cis vtraque fluuium, in Bellijocenses, Matiſconenses, Hæduos, & Niuernenses, latè grassatur; altera amplior, se ad Rhodanum applicat, & duce Belgerante, Auenionem, Pontificem Innocentium, totámque Pontificiam Curiam, in prædam designat. Verùm Auenionem iam tertium prædatorum agmen stringebat: nam plurimi aliorum opulentiâ illecti, nomen in eandem militiam dederant, ductore quodam, qui se Amicum Dei, & inimicum omnium nuncupabat, & appellationem posteriorem implebat, obuios quosque per diros cruciatus interimens. Iis Pontifex hostibus circumcinctus, frustra promulgatâ Crucigerorum militiâ, Marchionem Monferratensem famâ celebrem euocat; nec ille prædones ausus ferro aggredi; sed postquam duces conciliauit pecuniâ, reliquam turbam, ingentis prædæ factâ spe, in Italiam duxit; iisque copiis Vicecomitem Mediolanensem, infensum Pontifici profligauit. Batefoles ad bellum vsque Hispanicum in statione inuictus perstitit.

XXVIII. Regno ita turbido, Ioanni hereditas vel lucrum obtigit. Philippus Burgundiæ Dux, ætate iunior, ductâ Margaritâ Ludouici Flandrensis filiâ, nullis liberis vitam amittit; postremus primæ illius stirpis Ducum Burgundiæ, à Roberto Roberti Regis filio per annos trecentos & triginta ad ipsum deductæ. Obtinebat præter Ducatum Burgundiæ, eiusdem Prouinciæ Comitatum, aliósque geminos Bononiæ atque Arteſiæ. Ioannes statim Burgundiæ Ducatum inuadit veluti vacuum, affirmans eum regni Francici feudum, quod deficientibus liberis, regno vnde erat profectum restitueretur; cæteros Comitatus proximis heredibus tradit; Bononiam Ioanni Bononiensi Philippi Ducis auunculo; Arteſiam & Comitatum Burgundiæ Ludouico Frandriæ Comiti, nató ex Margaritâ Philippi Longi filia. Ita videbatur Ioannes heredum iura cumulasse & vota, nisi Nauarro Regi in Burgundiam iuris speciem cederet. Nam Eudo IV. Philippi demortui auus tres sorores in matrimonium dederat, Margaritam natu maximam Ludouico

Hutino.

Hutino, Blancam Carolo qui dictus est Pulcher, Ioannam minimam Philippo Valesio; ex Margaritâ nata Ioanna Nauarri mater, ex Ioannâ natu minimâ Ioannes Rex; quamobrem Nauarrus ex maiori natus, totam hereditatem adibat, quam iniquè occupari à Rege assereret. At nunc sensus iniuriæ intra verba stetit, mox in apertum bellum prorupturus. Rex postquam Burgundiam regno adiunxit, Auenionem proficiscitur, acturus cum Innocentio; egitque diutius, donec eo defuncto Vrbanus V. dictus est Pontifex. Venerat simul Auenionem Petrus Cypri Rex & Ierosolymæ, Attaliâ Ciliciæ vrbe nuper captâ clarus, & flagitabat à Christianis Principibus in Saracenos subsidia. Appellatus Ioannes, parum attentus in regni sui miserias, profitetur expeditionem; ac die quo Christi Domini morientis defletur memoria, Crucem ab Vrbano suscipit, cum Voldemaro Daniæ Rege, ad Pontificem salutandum adueniente. Sed cogitanti Palæstinam nouum iter & tumultus nouus se obtulit. Principes quos Anglo datos obsides dixi, Aurelianensis, Biturix, Andegauensis, & Borbonius, quanquam liberâ in custodiâ haberentur, pertæsi diuturnæ à Francia absentiæ, nouum fœdus cum Eduardo compegerant; vt à Rege secundas tabulas impetrarent, quibus abdicaret se imperio summo Aquitaniæ; tum vt Rex Eduardum liberum faceret de damnis à prædonibus regno illatis. Cæterum Principes eam ob rem ducti, fœdus Ioanni oblatum, & discussum in concilio. Id autem obnitente Delphino reiectum ab omnibus, quamquam Rex pro inditâ bonitate id comprobaret; ac statutum nullas tabulas nouas conficiendas, cùm priores, Angli culpâ, non essent admissæ; porrò damna obtigisse ipsius etiam culpâ, qui ex fœdere milites suos non continuisset. Hæc dum aguntur, Andegauensis se fugâ proripit, venitque Parisios. Et quidem Rex pater acerbè succensuit, quod fidem publicam violasset, & ad regressum vrgebat, quem cùm ab adolescente libertatem omni officio præponente haud impetraret, nec vi optimus pater vellet conficere, ipse pro filio suum offerre caput constituit, & in Angliam proficisci, vt ab Eduardo nouas conditiones exoraret, bellique consilium, si quod inde exurgeret, interciperet præsentiâ. Et hæc vera itineris causa; publicum bonum, paterna indulgentia, amor pacis, studiúmque belli restinguendi; non conceptus in feminam amor; quod in bonum Principem excogitauit calumnia. Nec ab eo consilio vllis suorum monitis, aut Delphini precibus amoueri se passus est; desiderio expeditionis sacræ admodùm flagrans, quam belli Anglici metus conturbabat. Ergo in Angliam delatus, comitante Petro Cypri Rege, lectísque Francorum Nobilibus, perhonorificè ab Eduardo excipitur. Sed mox pompa gaudij in luctum desiit; postquam Ioannes morbo inter festos plausus concepto cessauit viuere; anno ætatis quinquagesimo sexto; calamitate ad extremum spiritum insequente, vt in alieno animam poneret. Eduardus summâ magnificentiâ funus prosequutus est, reuectúmque est in Franciam corpus, quieturum tandem in sepulchro. Erant Ioanni virtutes plurimæ, indolis bonitas, simplex & apertus animus, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis ageret; summa fides, & quædam in promissis præstandis religio; plerumque dicebat; *quando fides*

IOANNES.

Ioannis itinera.

Ioannis mors.

Anno 1364.

IOANNES.

& promissi securitas ab orbe exularent, ab ore & mente Principum nunquam ablegandas; summa generositas, fortitudo imperterrita in adeundis periculis, in ferendis aduersis inuicta; in Deum pietas, in patrem obsequium, in suos amor; liberalitas in viros fortes & litteratos, in inimicos clementia, & quidem præclarissima singula; nisi Prudentia defuisset; cuius defectu tot tantæque dotes, vel irritæ, vel degeneres in opposita vitia, calamitates magnas importarunt. Sanè graui detrimento fuit; quod leuior in proponendo, in exequendo constantior foret; mirâ mentis intemperantiâ, vt suscepta leuiter vrgeret fortiter, nec admitteret aliorum consilium quod suum regeret. Quid, quod nocuit aperta illa simplicitas; quando Regum pectus, quantumvis candidum & sincerum, Sacrarij instar passim patere non debet; estque consiliorum Principis vt personæ veneratio, quæ spectantes absterreat. Felicior in liberis quàm in gestis fuit; nam præter Carolum Regem, cœlitus datum ad paternos lapsus emendandos; duo filij clarissimis Principum truncis stirpem posuerunt, Ludouicus Dux Andegauensis, Andegauensem familiam, Regésque Siculos propagauit; Philippus patri charissimus, Burgundiæ Duces progenuit: quanquam iste in posteris infensissimam patriæ luem dedit. Ioannes Biturigum Dux, liberis suis superstes, æuo diuturno orbitatem solatus, bonitate morum patri consimilis, senectutem vltimam ad nouas Franciæ calamitates prouexit.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER VNDECIMVS.

SYNOPSIS.

Carolus quintus, ſapiens dictus. Pugna ad Coquerellum. Bleſenſis à Monfortio cæſus. Gueſdinus in Hiſpania. Malandrini prædones. Cauſæ noui belli in Anglum. Apparatus ad bellum. Bellum cum Anglo. Gueſdini facta; Idem Comeſtabilis. Lemouicum captum & euerſum. Angli nauali prælio victi ab Hiſpanis. Rupella à Francis capitur. Touarſium captum. Dux Britanniæ pulſus. Exercitus Anglicus perit. Eduardi mors, filij, & patris. Bellum inſtauratur. Bellum in Nauarrum. Monſpelij pœna mitigata. Carolus Imperator in Franciam venit. Res in Britannia variæ. Gueſclini mors. Angli in Francia nouus exercitus. Caroli Regis mors. Carolus VI. Rex. Dux Britanniæ reconciliatus. Seditio Pariſienſis. Bellum in Flandria. Pugna ad Roſebeccam. Malleatores Pariſienſes. Mareſius vocatus in pœnam. Pariſienſium pœna. Angli è Flandria pulſi. Schiſma Vrbanum inter & Clementem. Ludouicus Andegauenſis in

Italia moritur. Rex Isabellam ducit. Belli Flandrici finis. In Anglicum bellum apparatus. Apparatus irritus. Biturigis cunctatio. Clissonius à Britanno captus, & liberatus. Caroli Nauarri mors. Bellum cum Gelrio & pax. Rex regnum administrat. Gasto Phœbus Comes Fuxiensis. Borbonij in Africam expeditio. Canis castrorum custos. Armaniacus in Italia. Comestabilis à Cranẽsi cæsus. Factiones Aurelianenſis, & Burgunda oriuntur. Regis sonticus morbus. Regis morbus incurabilis. Philippus Burgundus Regens. Rex ad tempus sanatus. Pax cum Anglo. Hungarica expeditio in Turcam. Rex Angliæ necatus. Dissidium inter Aurelianensem, & Burgundum. Aurelianensis Regens. Philippi Burgundi mors. Ioannes Burgundus Philippo succedit. Burgundus necat Aurelianensem. Burgundus fugit. Burgundus Parisios venit. Ioannis Parui pro Burgundo oratio. Concordia inter Burgundum, & Aurelianensem. Genua Francos pellit.

I.

CAROLVS V. SAPIENS dictus.

CAROLVS postquam patris corpus Mausolæo maiorum condidit, nunc regiminis compos, quod gerebat antè precariò, nouam administrandi rationem init. Quippe gnarus quas calamitates aui patrísque temeritas importasset Franciæ, statuit viâ contrariâ afflictam rem publicam subleuare, & solerti prudentiâ mederi vulneribus, quæ cæca generositas intulisset; verè Fabius Francicus, qui publicam rem cunctando restituit, & consilio fortunam subiecit. Nam regni sui mens, in conclaui abditus, per fratres & legatos, seu per manus & ministrantia membra conficiebat pugnas & bella; & periculo subductus, nusquam committebat aleæ rem vniuersam. Ac statim regni primordia insigniuit victoriâ Deus. Ioannis obitu Carolus Nauarræ Rex in spem Burgundiæ experrectus, cùm Regem Carolum despicaretur, atque vt rebatur consilio inferiorem atque prudentiâ, quam fraude, dolo & simulatione metiebatur, sanè sibi audaciâ imparem duceret; palam arma parat, tumultúque Normanniam miscet. Rex instituto suo vim oppressurus, diem Proceribus indicit, sanctissimæ Trinitati sacrum, quo se Rhemis sisterent, ad inaugurationem obeundam; interim silentio militem euocat, tradítque Guesselino & Bauciquautio. Duo oppida ad Sequanam obtinebat Nauarrus, Meduntam & Meulancum; iisque amnem, vber alterum Parisiorum, ceu clauibus habebat in potestate. Ea duces Regij inuadunt, ac nullo strepitu, dolo militari, Meduntam primùm

Pugna ad Coquerellũ.

Anno 1364.

Mante, & Meulan.

mùm, dein Meulancum, leui periculo nullóque damno ſecuri occupant. Nauarrus eâ iacturâ perculſus, copias contrahit, veniúntque in ſubſidium commodè Ioannes Grallius, Capitalis Bucchius, dux magni nominis, cum quadringentis equitibus, & Iouellus Anglus cum trecentis. Copiarum Dux Grallius dictus, iuſſúſque ad hoſtem pergere. Nec is longè inquirendus fuit; aduolabat eodem voto Gueſclinus, occurrítque Grallio ad pagum Cocherellum, Ebroicis haud procul. Grallius Capitalis explorato hoſte, & numeroſiore perſpecto, in tumulo virgultis atque arbuſculis conſito recipit militem, & præiudicatâ victoriâ, beneficio loci ſe tutatur, tota acie in tria agmina diſtributâ; ac primum Iouellus, alterum ipſe, tertium Maruellius nothus continebant. Eodem ordine diſtributos milites Gueſclinus ducit, primum agebat agmen ipſe, conflatum ex Pictonibus, alterum ex Francis Comes Antiſiodorenſis, tertium Robertus Canolus, prædo ille inſignis; erátque à tergo Vaſconum legio bellicoſiſſimæ gentis, ductore Perdicca Albretio; quos ſtudiosè ad ſigna Carolus euocauerat: ij militari audaciâ, centum ex ſuis deſignauerant, qui Capitalis vexillum per tela atque enſes eriperent, aliósque triginta, qui Capitalem ipſum vi caperent atque abducerent. Vbi ad radices collis deuentum eſt, noua belli facies vtrinque ſpectatur. Gueſclinus ſuos inſtructos in aciem ſub ſignis continet, nuſquam paſſus in tumulum inuadere; mirâ in iuuene moderatione, qui conſilio ſub æſtum prælij Martem ſubiiceret; nec ſecus Capitalis ſe concludit ſepto, hoſtíque eliciendo, direptos enſes fulgentéſque haſtas oſtentat. Poſtquam diutius in conſpectu hæſerunt, iámque Francos ardor ſolis perureret, receptu ſimulato Gueſclinus militem iubet abſcedere, præmiſſiſque impedimentis & lixis, poſtremum agmen ordinem ſoluere. Tunc Iouellus haud dubiè ratus Gueſclinum fugere, impetu raptus, dehortante multùm Capitale, decurrit in planitiem; cæteráque agmina ſimul in prælium trahit. Enimverò Gueſclinus voti compos, acie haud ægrè inſtauratâ, in hoſtem conuertitur, ac pugnam conſerit. Eâ tempeſtate magnum Anglorum robur in Sagittariis erat, quorum grandes Sagittæ arcubus miſſæ, plerúmque milites tranſuerberabant; eam in perniciem oblonga ſcuta Gueſclinus parauerat, quibus agminis principes tecti, exceptâ grandine, integri ad hoſtem euadunt, miſcetúrque prælium atrox. Vaſcones ſui conſilij memores, Capitalis vexillum primò eripiunt, tum ipſum non incruenti inter hoſtium tela præliantem egregiè capiunt atque abducunt; ac demùm poſt plurimam internecionem Gueſclinus vincit. Nullus hoſtium fugam capeſſiuit; cæſi omnes aut capti, pugnatúmque dextrâ non pedibus. In captis præcipui, Capitalis, Grauilla, Iouellus, Rouſſillonius. Saquevilla, aliíque; ſed Grauillam Rex truncauit capite, ob maieſtatis violatæ crimen; Iouellus vulneribus paulò poſt obiit. E Francis haud pauci extincti ſunt, in iis Belmontius Vicecomes, & Annequinus baliſtariorum præfectus, dignitate primi. Ea victoria, relata pridie inaugurationis regiæ, quâ Rex cum Ioannâ Borbonià coniuge, magnâ Procerum frequentia, inunctus eſt chriſmate; & nuntiata poſtridie palma omnium animos felici augurio hilarauit, cogitantium iam mutatam

CAROLVS V.

De Gralli, Captal de Buch.

Cocherel.

Sagittarij Angli.

De Beaumont. Annequin.

CAROLVS V.

sortem cœlóque auspice illucere Franciæ prosperitatem. Carolus reuersus Parisios, Ducatum Burgundiæ Philippo fratri, vt designauerat pater constituit; Burgundis omninò postulantibus Principem, à quo regerentur; iuuenémque fortissimum ad profligandos prædones, qui ferocissimi incubabant Franciæ legatum dicit. Porrò dum ille labore multo sparsam luem contendit opprimere, & Charitatem munitam ad Ligerim vrbem obuallat, capítque; tandem in Britanniâ lis illa ingens, Blesensem inter atque Monfortium, atrocissimâ pugnâ disceptatur & diiudicatur.

Philippus Dux Burgundiæ.

La Charité.

II.

Blesensis à Monfortio casus.

Iam anno post vicesimum tertio, quà armis, quà induciis, variè promota, & sopita controuersia, ambitione Ioannæ Blesensis ad finem vergebat. Ea fœdus à marito ictum de diuidendâ Britanniâ rescindens; belli tuba, coniugem ad decretoriam pugnam impulerat: isque accuratè contractis viribus, ad Monfortium Auræum oppidum obsidentem, exercitum ducit. Bretiniaco fœdere excipiebatur Britannia, fásque erat Regibus pace illibata vtrinque opitulari clientibus; & Anglus Monfortio, cui filiam vxorem dederat; selectas copias duce Ioanne Chandosio celeberrimo victore submittit; Francus Blesensi affini suo Guesclinum & militem, quantùm bellum Nauarricum patiebatur; Britanni Nobiles suo quique addicti Principum, pars Monfortium pars Blesensem fouebant. Aduentanti Blesensi occurrit Monfortius, aciémque ad pugnam instruit, sed Belmanegrio Nobili Britone intercedente, alterum diem arma repressa sunt, dum ille conciliandæ paci incumbebat; cuius spem abrupit vel Chandosij malignitas, vel Blesensis vxorij nimis cupiditas. Vtrinque acies tripartitò dispositæ; Monfortianam Chandosio, Blesensem Guesclino, admiratione mutuâ instruentibus, præter sepositas ad subsidium cohortes, extemplò ad dimicationem aguntur. Atrocissima fuit, horísque octo per cædes mutuas incertâ victoriâ prorogata; demùm ad Blesenses clades conuersa est. Alterum agmen quod ab Antisiodorensi Comite ducebatur, vrgentibus Chandosio atque Clissonio postquam apertum & dissolutum est, vincentium impetus in Blesensem totus incubuit, qui & ipse fortissimè dimicans cæsus est; quem tamen cæsum à suis haud pauci affirmant: quippè Britones Nobiles pertæsi belli tam diuturni, clam inter se conuenerant, vt eum qui vinceretur occiderent; tum Guesclino omni vi ad restaurandam aciem connitenti hostis vndique circumfusus, consummat victoriam; accedénsque Chandosius Guesclinum excipit se dedentem, simúlque victi cæteri se in fugam agunt, sequuntúrque victores. Cæsa Blesensium quinque millia; in iisque Britanni Proceres, Rupefortius, Rieusius, Dinanus, Tornemina, & Pontius; capti cum Guesclino Antisiodorensis, Begus siue Blaisus Villanius, Raixius, Rohanius, & Leo. Victoriam duo potissimùm pepererunt; primum, quod Angli Sagittarij, post emissa tela, proiectis arcubus, arreptis securibus, in media hostium agmina se abdentes, equis crura abscindebant, obtruncabant deiectos equites, & lignatorum instar siluam hominum decutiebant: alterum victoriæ momentum, Hugo Caurelæus, qui turmas ad pugnandum sepositas, tam aptè & commodè immittebat in prælium, tam peritè & fortiter erigebat oppressos, vt ad eum maximè palmæ honor spectaue-

Beaumanoir.

Chandos.

Begues de Villaines.

Raix.

De Rohans.

De Leo.

Caurelé.

CAROLVS V.

ſpectauerit. Ita cæſus eſt Carolus Bleſenſis, vir ſummè pius, eáque ſanctitudine morum, vt Vrbanus Pontifex de eo in ſanctorum album adſcribendo ſæpius egerit, (nec enim adſcriptum ſatis mihi conſtat) iſque per vitæ atque imperij quod ambiebat iacturam, ad immortalem vitam æternúmque regnum traductus eſt. Ioanna coniux, vbi mariti fatum edocta eſt, ſuóque dolori & afflictæ ambitioni obſequuta eſt diu, per generum Ludouicum Andegauenſem Regem appellat, orátque ſuppliciter vt viduæ orphaniſque liberis opituletur. Et Rex ad ſubmittendam opem propendebat; verùm re in conſilium miſſa, cùm dehortarentur Conſiliarij, atque affirmarent; *Anglum haud dubiè in generi opem venturum, & Anglicum bellum è calido cinere ſurrecturum; nondum Franciæ perſanatas plagas grauiſſimas; hærere in viſceribus prædones, incultos agros, vacua oppida; dandum ſaluti ſpatium, nec nouo bello, eóque difficillimo calamitates primas inſtaurandas: impetrari pacem à Monfortio poſſe; maiori emolumento adiunctum iri ipſum ad Franciam, quàm nouo neceſſitatis vinculo Anglo adſtringendum.* Eam in ſententiam perductus Carolus, Carnenſi Archiepiſcopo Rhemenſi & Bouciquauto Mareſcallo imponit munus adeundi Monfortij; eorúmque prudentiâ pax conuenit; iis legibus vt penes Monfortium tota eſſet Britannia Ioanna ſe omni iure prorſus abdicaret; ea conſequeretur Pontini Comitatum & Vicecomitatum Lemouicum; contenderet Monfortius ad libertatem Ioannæ liberis impetrandam, qui ab Anglo cuſtodiebantur; ipſorúmque primogenitus Ioannam Monfortij ſororem haberet coniugem. Sic pacata prouincia, reſtituta concordia; & in appendicem Britones duo viri præſtantiſſimi Regi adhæſerunt, Tanneguius Caſtellus, & Oliuerius Cliſſonius, Oliuerij à Philippo Valeſio interempti filius; cui Rex facultates patri raptas donauit; in eam præcipuè capturam intentus, vt viros eximios vndecumque alliceret, séque communiret eiuſmodi propugnaculis. Monfortius Regi ob Britanniam clientem ſe præſtitit: atque poſtmodùm cum Nauarro bellum ſopitum eſt, paxque ſancita, curante Grallio Capitale. Supererántque vni prædones amouendi à Franciâ, ea vt reſpiraret, ac ſubleuata miſeriis conquieſceret; quam luem Gueſclinus in bonum patriæ natus, in Hiſpaniæ commodum nouo bello traduxit.

Bleſenſis ſanctitas.

Tannoguy du Chaſtel. Cliſſon.

III. *Gueſclinus in Hiſpania.*

Ille à Chandoſio libertati nuper reſtitutus, promiſſis in pretium centum librarum millibus, quarum prædem ſe Rex conſtituerat, & eodem iubente ſuſceperat bellum Hiſpanicum, Henrici gratiâ, quem Petrus Caſtellæ Rex, idémque immaniſſimus tortor, perſequebatur ad necem. Vterque ex Alphonſo XI. natus, vt diuerſis natalibus, ita quàm diuerſis moribus erant. Petrus ex iuſto coniugio natus, quanquam poſtea ſuſpicio fuit permutatum in cunis, & à Iudæa matri ſubſtitutũ, regio infante morte præcepto; ſceptro potitus, immanem tyrãnidem exercebat in ſuos, graſſans in Proceres, & promiſcua Nobilium ſtrage ſeſe contaminans; inde Crudelis appellationem triſtem conſequutus. Huic Blanca nupſerat, Borbonij Ducis filia Ioannæ Reginæ ſoror, virgo formæ ſpecie & virtutibus animi perinſignis, quæ fœuiſſimo Principi tradita, ab ipsâ nuptiarum celebritate ſponſo odioſa, & in cuſtodiam poſtmodùm data, tandem eodem venenum præbẽte vitam amiſerat;

ſummo

CAROLVS V.

summo Hispanorum dolore, quibus feminę virtus admirationi & amori erat; at Mariæ Padiliæ magnâ lætitiâ, quæ prauo amore Regem implicauerat, susceptis ex eo pluribus liberis. Ex publico odio nata Henrico spes, priuatas publicásque iniurias vlciscendi, & vindicandi paterni solij; nam tametsi ex impare matre Eleonorâ Gusmaniâ natus esset; tamen eximiè à naturâ ad virtutes regias comparatus, erat vulgò acceptus, & si facultas accederet, haud inuitis populis regnum obtineret. Primùm ad Petrum Aragoniæ Regem confugerat, dictúsque ab eo Comes Transtamaræ, bello fratrem Petrum vexabat: quod cùm lentius promoueretur, adiuerat Vrbanum Pontificem, deinde ad Carolum Regem; à quo in eius opem destinatus Guesclinus, qui prædones sæuissimos, tristes belli reliquias in Hispaniam duceret, ac Franciam teterrimâ lue liberaret. Nam in Francia, præter societates illas prædonum, quas ad Lugdunum cæterásque prouincias dixi incumbere, finito bello Britannico nouæ accesserant, maiori numero, robore & crudelitate, quæ Regi ipsi pertimescendæ, impunè per omnia scelera prædabantur; eos populus Malandrinos vocabat, qui se ipsi magnas Societates dicebant. Guesclinus post statutam expeditionem, commeatu à prædonum ducibus impetrato, Belnam inter, & Cabilonem in Burgundia vrbes eosdem conuenit: erant præcipui, & superioribus bellis clarissimi, Hugo Caurelæus, Eques viridis, Matthæus Gournæus, Hugo Varennius, Gualterus, Huetus, è nobili orti prosapiâ, sed à cunabulis innutriti armis; quibus pax funus, bellum vita & deliciæ forent. Iis vt erat magnæ inter viros fortes auctoritatis, persuadet Hispanicam expeditionem; non quidem mouendam in Hispanos, sed in Saracenos; ostentatâ prædâ ingenti, cuius luce præstingueretur cupiditas. Deliberatâ profectione ductorum præcipuos Lutetiam ducit; qui à Rege excepti opiparè, donatíque præterea ducentis librarum millibus, mox regressi ad suos, terribilem illam prædonum copiam versus Hispaniam agunt. Guesclinus summum imperium obtinebat, Andreghenus Marescallus Franciæ deducebat ad limites regni, noménque dederant plurimi Nobiles, amore gloriæ, & studio perdiscendæ militiæ. Vtrùm Ioannes Borbonius Blancæ frater profectus sit, incertum admodùm; mihi non videtur in Hispaniam penetrasse.

Malandrini.

Anno 1366. Institutum iter à Burgundiâ per Occitaniam; quòd cùm ad Auenionis muros deduceret, prædonum duces à Pontifice stipis nomine pecuniam flagitarunt; quando ipsi in Saracenos irent pugnatum, hostes Christianæ religionis; dedítque Pontifex ducenta librarum millia: an sponte, vt quam ocyssimè molesti hospites ditione sua facesserent; an vi, vt plures scribunt, ambiguum; sanè haud verisimile est, quod iidem affirmant, à Guesclino vim illatam Pontifici, cuius partim impulsu expeditionem susceperat, quíque in cæteris pietatem multam exhibuit. Iam peruentum erat ad fines Franciæ, erántque sub signis quadraginta militum millia; quibus tunc belli causam exponit Guesclinus, atque haud ægrè in sententiam suam adductos, occurrente Henrico, per Aragoniam in Castellam ducit. Quæ consequuta sunt, bellíque sortem variam, Hispanorum est enarrare, quibus maximè hac expeditione consultum est. Quo modo primùm Petrus expulsus

pulsus sit, Henricúsque vectus in solium ; vt ad Eduardum Aquitaniæ Ducem Petrus confugerit, ipsóque cum exercitu reducente, victo & capto Gueselino, rursum in regnum & scelera sua restitutus sit; postremùm vt deferente Eduardo, & liberato Gueselino, ab eo victus & profligatus sit Petrus, & ab Henrico fratre obtruncatus. Ea sunt Hispanicæ scenæ argumenta ; nostra nos distinent, nec sinunt in alieno vagari. Tædet tamen egregia Gueselini tum capti tum pugnantis facinora externis committere, quæ monumentis nostris dignissima sunt ; sed supersunt, tanta est copia, quæ scribamus ; & iam Carolus ad Anglicum bellum ducem suum euocat. CAROLVS V.

IV.

Causæ belli flagrantis frigido nondum cinere non latent : vnam potissimam arbitror, iniquitatem conditionum, quas Breteniaci Francus promiserat ; quas cùm vi potius quam voluntate vllâ admisisset, vi cessante interibat quod eas malè compegerat. Carolus in eum finem, postquam Angli Brugis dictâ die non comparuerant, ad excipiendum instrumentum quo Franci summum imperium in Aquitaniam abdicabant, contestatus erat per ipsos stare, quò minus ea conditio impleretur ; nec postea instrumentum concesserat, quamuis Eduardus id vehementer reposceret. Tum ob prædonum Societates, Anglo sæpe ad sarcienda damna compellato, violatam legem fœderis Francus accusabat. Sic affectis Regibus, pace incertâ & vacillante, duo bellum videbantur differre, momentum occasionis, & miseria Franciæ. Ista dum tempore & curâ Principis subleuatur, occasio citius quàm Rex cuperet data est. Eduardus Princeps Valliæ, post Breteniacam pacem, donatus erat à Patre Aquitaniâ, Gallicísque prouinciis, séque Burdegalam cum vxore & liberis contulerat, Aulámque instruxerat, vt magnanimus erat atque magnificus, quæ non saperet Principem, sed potentissimum atque opulentissimum Regem : nam præter sublimem animi indolem, tot partæ victoriæ exaggerabant superbiam, vt quos armis vicisset, eos & sumptu vinceret. Eam ob rem plurima cùm exigeret vectigalia, vno tandem Vascones penitus à se abalienauit. Regressus ab Hispanicâ expeditione, quod Petrus auri penuriâ stipem militi non suffeciset, imponit vectigal ingens in Aquitaniæ prouincias, quo familiæ singulæ nummum dimidium penderent. Cæteris prouinciis assentientibus, vni Vascones, gens Garumnam inter atque Pyrenæos, assuera libertati, & vectigalium plerumque immunis ; primùm morâ ad deliberandum petita, dein Proceribus instigantibus cunctatione abruptâ, denegant tributum, & palam defectionem adornant. E Proceribus, quibus odiosum erat Anglorum imperium, Albretius, Armaniacus, Petrocorius, Conuena, & Carmanius Comites, susciabant flammam ; moxque auctores sunt, vt Vascones Regem Franciæ appellent, ceu supremum Aquitaniæ Dominum, ob iniurias sibi ab Duce illatas. Eo constituto Lutetiam veniunt, Regíque supplicant, vt admissâ appellatione, quæ ab Eduardo Principe gesta essent, ea rescinderet atque abrogaret. Se ab Ioanne Anglis tradi haud potuisse ; vltrò maiores concessisse in Caroli magni potestatem, eâ lege vt à Franciâ nunquam abscederent, in præsentia nullo gentis consensu Anglum admissum ; se penitus coaluisse in Franciæ corpus, & ab eo abscindi sine assensu suo nequi-

Causa belli in Anglum moti.

Vascones ab Anglo deficiunt.

Contes de Perigueux, de Comminges, & de Carmain.

CAROLVS V. Anno 1368.

uisse ; postremo minabantur , si excluderentur à Francia , appellaturos se Regem Aragoniæ , nec amplius tyrannidem Angli perpessuros. Gratissima Carolo ea legatio fuit. Sed quoniam admissâ appellatione bellum ingruebat , adhuc imparato nec ad rem tantam satis communito , Comites dum amplius deliberatur benignè acceptos , Parisiis suo sumptu alit , spe auctos promissisque egregiis. Intendit lætitiam Caroli Delphini ortus ; quamvis vt res humanæ sunt , diutius ad Franciæ detrimentum is vixerit. Rex interea Proceres conuocat , iisque assentientibus admissa est Vasconum prouocatio, scriptúmque est ea de re instrumẽtum,quod à singulis Rex subscribi voluit : tum ad pecuniam obtinendam indicta Comitia ; quæ oblata liberaliter. Rex iis prouisis , antequam apertum bellum prorumperet , res instruebat sagaciter. Clam Abauillam & Pontini Comitatus oppida conciliat , vt indicto bello Anglum eiiciant ; fœdus instaurat cum Castellæ & Scotiæ Regibus ; Germaniæ Principes sibi adiungit quamplurimos , Margaritam Ludouici Flandrensis filiam , vnicam atque heredem , Philippo fratri vxorem impetrat , quanquam Eduardo Eduardi filio antè desponsam ; Societates prædonum promissis expugnat;Nauarro vrbem Monspelium tradit, connitens sollicitè sibi vt vnus hostis Anglus superforet. Ac iuuabat propositum , quod clarissimi obsidum , liberratem pecuniâ pacti , in Franciam venerant , Duces Aurelianensis atque Borbonius, & Guido Blesensis , præterea frater Biturigum Dux , & Alensonius dimissi erant, vt conficerent pretium. Postremò ad implorandam opem diuinam conuersus , preces toto regno , sacrificia & supplicationes instituit , præit exemplo cæteris religione atque pietate , frequens in supplicationibus cum Reginâ , nudis vterque pedibus , munus imponit oratoribus sacris inflammandi populum ad necessarium bellum , doceant iustissimè susceptum à Rege,belli iusti spem præclaram esse;Anglos violatores iurati fœderis plectendos haud dubiè à Deo periurij vindice.Et ij strenuè functi sunt munere, religione validissimo ad populum telo : ac memoratur Archiepiscopus Tolosanus qui Occitaniam opera Concionatorum continuit , peragránsque Aquitaniæ limites , vnis Religiosis sub signa euocatis , atque vna sermonis tuba pugnantibus , vrbem Cadurcum & plurima oppida Regi adiunxit. Ita Rex postquam omnia comparauit sedulò in Parlamenti Curiâ Vasconum prouocationem admisit , legauítque qui eam Eduardo Burdegalæ significarent , Pelotum Iudicem Tolosanum , & Caponellum Equitem , diémque dicerent , vt se Regi supremo Domino sisteret.Ad quas voces respondit indignans , se iturum Parisios , sed indutum galeâ, & stipatum sexaginta hominum millibus. Missus postea in Angliam non fœcialis , sed Regis famulus,qui Eduardo Regi bellum denuntiaret ; eodémque tempore , vt erat constitutum , Abbauillæi ac Pontiuenses , eiecto præsidio Anglico , Francum admittunt ; Comitibus Sanpaulo & Castillionio ciuium animos conciliantibus.

Apparatus ad bellum.

V.

Bellum cum Anglo.

Belli obnuntiatio non improuisa Eduardo fuit ; sed inexpectata Abbauillæ & Pontiui defectio ; collectúmque rem cum temerariis Francis non ampliùs fore ; sed cùm iis quos prudens calliditas iam armaret : ideò ab Eduardo

Eduardo conuocata Comitia, & ad bellum gerendum curæ adhibitæ. Verùm vt noua bellandi ratio repentè extitit, & noui Imperatores, ita noua propemodùm fata. Eduardus pater tot ærumnis fractus se Insulâ suâ continebat; filius ab expeditione Hispanicâ morbo contracto, in hydropem vergente, corporis malo vigorem animi relaxabat; quamobrem pater alterum filium Cambrigiæ Comitem in Aquitaniam miserat. Et quidem Chandosius clarissimus ducum, victórque perpetuus, Vasconiam premebat, vrbésque singulas impugnabat; verùm paucis captis, repulsus à pluribus, cùm ad Pictones arma conuertisset, in leui & fortuito prælio cæsus est; adeò incerti sunt exitus Martis: nec securitatem vlla vnquam gloria vel facinora præstant. Interea Rex Cambrigiæ Comiti in Andibus grassanti fratrem Andegauensem obiecerat, Burgundum Lencastrio Caletum cum exercitu aduenienti. Sed vtrobique ostentatum bellum non gestum, Francis pugnâ abstinentibus, Anglis se in sua oppida recipientibus. At per eas moras Carolus Guesclinum exciuerat ab Hispaniâ, hyémsque effluxerat; cùm Andegauensis & Biturigum Dux gemino exercitu in Aquitaniam penetrant; eo consilio vt ad Enculismam iungerent copias, & Eduardum morbo vexatum, qui in eam vrbem secesserat, simul obsiderent. Guesclinus se Andegauensi adiunxit, benefactori suo, & ob militarem indolem chariori; vrbésque nullo negotio & in viâ pergens plurimas cœpit, Moissacum, Aginnum, Tonnesium munitum & populosum municipium, & quarto die Aquilonium, inexpugnabilem Ioannis contumaciæ arcem; adeò in Imperatore stat bellum, vnúmque caput pro machinis & munimentis est. Inde copias soluit Andegauensis, reuocatúsque Lutetiam Guesclinus, dum iter per Lemouices habet, vrbem Lemouicum quam Biturigum Dux obsidebat; ad fœdus perduxit, ciues atque Episcopum alloquutus, Francósque intra muros constituit; nam in eo mens æquè prompta ac manus, & sæpe quiescente ferro linguam armabat. Tunc admodùm properabat, & erat in Picardia, quod eum præsentem expeteret. Robertus Knolus dux bello præclarus, ab Anglia transportato exercitu, Bononiensem agrum, Artesiam, & Picardiam vrebat impunè, & ad Parisios vetante nullo admotus, prædis atque incendiis grassabatur. Quippe Carolus in proposito constans, abstinere pugnâ, hostemque mora & cunctatione conficere, capitali pœnâ vetuerat, ne quis extra vrbium portas prorumperet; aquis torrentibus campos expassos obiectans, non aggeres; imò cum fumantia villarum incendia Parisienses ipsi commonstrarent, immotus respondit; *Angli fumum dumtaxat excitant, at is citò euanescet.* Præstolabatur ducem cui militem atque arma committeret; isque mox aduenit arcessitus Guesclinus, & illicò Comestabilis dictus est, Moræo Fiennio sponte abdicante ob graue senium, & profitente regni Ensem, fortiorem suâ dextram appetere. Ac memoranda Guesclini modestia, qui recusatâ dignatate excusabat insciti am, sed à Rege iussus hanc demùm admittit; vnum Regi supplicans, vt quãdo tam celso in apice omnium procerũ pateret inuidiæ, ne quid de se Rex delatoribus crederet, donec ipsum audiret; Rexque affirmauit, alienari se ab virtute tam cognitâ nunquam posse:

CAROLVS V. Anno 1369.

Guesclini facta.

Aiguillon.

Guesclinus Comestabilis.

CAROLVS V.

mox huic copias dat, quibus exercitum Anglum retunderet. Nec fefellit Regem viri virtus; nam Knollium Gueſclinus ad Pictones accedentem, vt Anglis principibus ſeſe coniungeret, per eadem hoſpitia ſequebatur; nec ſe pugnæ committens, venabatur pugnandi opportunitatem. Ea ſe in Cænomanis obtulit, cùm Anglus ſpretâ Gueſclini patientiâ, quam timiditatem interpretabatur, latiùs atque ſecuriùs poſitis caſtris, quietem caperet; primo mane metatos longiùs Gueſclinus excipit; cædítque octingentos. Exin reliquum exercitum ita vexauit, carpendo, incurrendo, cibos detrahendo, vt paucis diebus inſtar niuis effluxerit, Knollio reliquias ægrè in Britanniam deducente. Dum is arte pugnat, Eduardus iracundiam in Lemouicum vrbem effundit: nam excandeſcens quod ea vrbs, munita admodùm, Francos voluntate ſua excepiſſet, excitis fratrum copiis, vrbem inuadit, vímque omnem admouens, poſtquam ducto cuniculo pars muri euerſa eſt, per eius labem irrumpit, permiſsámque vrbem furori militum, præda, cæde atque incendio perdit: cæſa ciuium quatuor millia, feminis atque infantibus haud vſquam parcitum; vni Epiſcopo ægrè indultum eſt; nihílque prætermiſſum, quo intenderetur vrbis calamitas. Hæc poſtrema Eduardi prouincia; nam in momenta morbus inualeſcens, exhauriénſque artem medicorum, adegit principem Angliam petere; ſi forte natiuo cœlo afflictæ vires reſtituerentur. Simul morbo Londini raptus Gualterius Maunyus celeberrimus bello dux; vt iam deficere fortuna Anglica, imò fortitudo fortunæ domina videretur. Nec rem erexit, quod Lancaſtrius Petri crudelis filiam natu maximam vxorem duxit; ſpe Regni Caſtellæ in dotem allata; quippe Henricus Caſtellæ Rex in nouum hoſtem vt ſe communiret, arctius fœdus cum Francis pepigit, omnéſque vires in opem intendit, gnarus in Franci victoria ſecuritatem ſuam collocatam, nec ſe Anglo incolumi ſtare poſſe.

Lemouicum captum & euerſum.

VI.

Hactenus bellum lentè & per gradus inceſſerat, ceu deliberante fortuna in vtram partem conuerteret ſe; mox verſus Franciam curſu inuecta eſt, ac Eduardum deſeruit; neminem vnquam mortalium conſtanter amplexa, abceſſitque eodem gradu quo antè acceſſerat, nauali prælio. Poſtquam Eduardus iunior in Angliam venit, fratérque Lancaſtrius cum noua coniuge pariter in eam ſoluit, Aquitania in præfectos plures diuiſa, patebat Franco inuadenti, atque oppida plurima expugnanti. Huic malo Eduardus vt mederetur, Comitem Pembrotium generum ſuum deſignauit in eam cum imperio mittere, ſimúlque claſſem inſtructam quam Guichardus Anglius deduceret, vir bello præclarus, reíque nauticæ peritiſſimus. Gnatus huius conſilij Carolus, nam in Eduardi arcana ſagacitate maxima penetrabat, claſſem quam ab Hiſpano Rege acceperat, conflatam ex magnis nauibus quadraginta, deſtinauit ad Anglicam repellendam, iuſſitque in anchoris ad Rupellam ſtare. Huic Præfectus Buccanigra erat, Hiſpanus vir felici audacia, naualibuſque prælíis illuſtris. Is cùm primùm Anglica claſſis ſpectata eſt, ſecundo venti flatu intercepto, improuiſus in hoſtiles naues inuadit. Teli iactum repente occupat, propiúſque accedens, longurios f rreos, globos, & quadra, inductíſque machinis ſaxa ingentia

Anglí nauali prælio ab Hiſpanis victi.

D'Angle.

tanto

tanto impetu, támque ſpiſſo infundit, vt ruptis armamentis, malis fractis, obrutis tabulatis, armis, armatiſque perfoſſis, vim reſiſtendi Anglo excuſſerit. Nec hoſti proderat vnco naues affigere; nam præcelſa Hiſpanorum nauigia natantium inſtar ſcopulorum vecta in Anglica, ea demergebant partim, partim diffringebant; ita in noctem pugna protracta eſt. Prima luce cùm elabi Angli non poſſent, nec Rupellenſibus perſuaderent, vt ſua ad inſtaurandum prælium ſubirent nauigia, fortiter renouant dimicationem, qua tamen victi penitùs & profligati; cæſi omnes aut capti; captus ipſe Pembrocius, vnus in ſuâ naui pugnæ ſuperſtes; octo millia militum capta, & cum nauibus ad Caſtellæ Regem deducta. Ea clarus victoriâ Carolus ad ſubigendos Pictones animum appulit, & quando Rupella totius Regionis caput eſſet, & propugnaculum, ad eam ſe adiicit, auocátque Yuanum Valliæ Principem, iuſſum ad Caſtellam ire, & nouam claſſem diligenter inſtruere. Erat Yuanus Aimonis filius, Valliæ Principis, ab Eduardo ditione pulſus; patre ab eodem per ambitionem interempto, profugúſque in Franciam, atque ab Rege, pecuniâ, milite, & exiguâ claſſe donatus, benefactori gratus, ſimul vindictam in infenſiſſimum hoſtem exerebat. Iſta dum mari patrantur feliciter, Gueſclinus Comeſtabilis haudquaquam ceſſabat, poſt Lemouices & Rutenos Regi adiunctos, dum incumbit Pictonibus, vt conſilium Regis promoueret à Pictauienſibus appellatur, oblatâ ſpe occupandæ Vrbis, ſi approperaret. Decurſis intra vnum diem ac noctem leucis triginta, cum ſelectis turmis primo mane adſtat ad portas, admiſſúſque ab appellantibus, vrbem magnâ lætitiâ occupat. Quæ multùm eſt aucta, cum poſt horam Capitalis Buſchius ad muros ſpectatus eſt, ab ciuibus pariter qui fauebant Anglo exçitus, ſed illi fruſtrà celeritas fuit, anteuertente Gueſclino, & curſus præmium occupante. Capto Pictauio plurimæ in Pictonibus vrbes Franco adhæſerunt: Subiſium oppidum vtrique partium cladis & triumphi materia fuit. Id impugnabant à Gueſclino miſſi Pontij duo, quorum alter Brito, Picto alter; vrgebantque plurimùm; cùm Grallius Capitalis ad opem aduolat, & nocte concubiâ in obſidentium caſtra inuectus, militem cædit, capit, diſiicit; ipſóſque Pontios in vincula agit. Yuanus quem dixi Valliæ principem, iam ab Caſtella, cum inſtructa claſſe reuerterat, auditáque obſidione Subiſij, non dubitauit quin ad opem Capitalis accurreret. Ergo ſiue militari peritiâ rem ſuſpicatus, ſiue à ſpeculatore admonitus, eadem nocte qua Capitalis prorumpit, ipſe quadringentos educit equites, Carentonum amnem cimbis tranſmittit, prælatiſque facibus, quas magno numero lixæ accenderant, repentinus Capitalem aggreditur; vtque victores in prædando fuſi & palantes erant, haud ægrè vincuntur; capti Pontij recipiuntur, & ipſe Capitalis vicem ſuam paſſus à captiuis ſuis abducitur. Eæ belli ſunt vices, quo nec ipſum pelagus mutabilius eſt. Tanti viri captiuitas moleſtiſſima Eduardo fuit; eo enim res Anglica iis in prouinciis nitebatur, obtulítque ad redimendum, captiuos quatuor etiam principes; ſed Carolus virum liberari neutiquam paſſus eſt, à quo vno metuebat, laudabiliſque fortiſſimi viri in Principem fides, qui poſtquam nullis Caroli conditionibus ab Anglo abſtractus

CAROLVS V.

CAROLVS V.

est, quinquennio custodia maceratus, tandem tædio captiuitatis emisit animum; æquè gloriosè & fortiter, ac si confossus vulneribus in patrandâ victoriâ cecidisset. Continuò vrbes Pictonum & Santonum, præter Rupellam atque Touartium in potestate Franci concesserunt.

VII. *Rupella capta.*

Rupellæ Yvanus Vallius imminebat. Ille celeriter ab Henrico Rege impetrata classe, mari vectus naves Hispanicas quatuordecim & triremes octo, pluribus adiunctis nauigiis, Præfecto Rodericio Rufo, ad Rupellæ oram admouerat. Insidebat ostium, quo mare arctiori alueo in portum peruadit, missisque anchoris, occludebat obsessis exitum. Rupellensibus prona erat voluntas Franci admittendi, sed erecta arx intra vrbem ipsam, Anglicúmque præsidium, intercedebant tacitis votis. Attamen vt cupientibus nihil arduum est, Ioannes Chandorerius Vrbis Consul primarius, dolo militari in arcem penetrat, Anglicum præsidium capit, & vetante nemine Francum appellat; Porrò dolus eiusmodi fuit. Centum dumtaxat Angli arcem obtinebant Præfecto Philippo Mancello, viro quidem forti, sed feroce, & literaturæ omnis experte. Eum vocat Consul ad prandium, simúlque optimates vrbis, consilij sui participes; exceptóque oppipare, diploma exhibet ab Eduardo profectum, quo tam ciues quam prætidiarij milites, iubebantur lustratione publicâ recenseri; erat diploma munitum sigillo regio, quod Mancellus agnouit, at cùm legendi imperitus esset, non aduertit fraudem, idque mandatum haud inscriptum litteris, sed fictum à Consule ad dolum texendum. Ergo postero die suos ex arce educit, præter duodecim, civesque omnes Consul aliique conscij instruunt armis; nec iis arduum fuit, Anglos & Præfectum capere, ipsámque arcem inuadere; capti incolumes dimittuntur Burdegalam; civésque liberi pacisceuntur deditionem cum Franco, honestâ conditione, vt arx euerteretur, ciuitásque in posterum, nullo fœdere tradi extraneo; aut à Franciæ corpore auelli posset; quam eximiam fidem eorum posteri longâ perduellione fœdabunt. Ex quibus miror, venisse Anglis in mentem scribere, curâ atque industriâ Lancastrij; seruatam Rupellam, nec in Francorum manus peruenisse, ipso facto arguente mendacium, & in cæteris scribentium fidem eleuante. Sed diu est quod ferri furor peruadit in calamos, vt stilum exerant, qui ensem nequeunt; magno Historiæ & fidei publicæ detrimento. Guesclinus Rupellâ deditâ, Benonum Castrum expugnat: cuius Præfectus in odium Rupellensium postquam Anglum expulerant, sex adolescentes ex popularibus eorum suisque præsidiariis, auribus naribúsque truncatos, Rupellam miserat. Atque is vim repellebat strenuè, donec fossâ æquatâ Franci ad murum admoti, cum scutis protecti eruerunt ligonibus, & per apertam labem irrumpentes, Præfectum & milites in crudelitatis pœnam obtruncarunt. Tum vires omnes in Touartium conuersæ. Eam in vrbem Vicecomes cum primâ Pictonum nobilitate, Anglicisque præsidiis defensurus patrimonium sese receperat, eratque spes auxilij ab Anglià submittendi; verùm ita machinis muros & munimenta quassabat Guesclinus, vt obsessi deditionem pepigerint, intrà tres proximos menses, nisi eo tempore Eduardus, aut vnus filiorum cum exercitu regio opem vrbi inferret. Eo fœdere

Touartium captum.

haud

haud dubia pugna indicebatur: nam erat spatium ad copias vndique contrahendas, ac tametsi Carolus ab eiusmodi prœliis abhorreret, tamen postquam Comestabili bellum permiserat; idem eius felicitati atque prudentiæ relinquebat. Nec Eduardus in parando prœlio segnior, qui collecto ex vniuersa Anglia milite, cum filio Eduardo octingentis nauibus Dubri soluit; professus se ire vt perdita reciperet, aut relicta perderet. Verùm & in eo sortem aduersam expertus est, ventis obstinatè reflantibus, & appulsum in Franciam prohibentibus; vt plurimos dies ad Normanniæ, Britanniæque oras classem iactatam, soloque semper interdictam, tandem in Angliam suam reduxerit; elementis infensis, quibus diu ita propitiis vtebatur; adeò vitæ nostræ vel exigua breuitas ingentibus conuersionibus patet; dixitque in reditu, nullum regem minùs arma induisse quàm Carolum, nec vllum sibi facessiuisse plus negotij atque ærumnarum. Nempe eâ procellâ atrociſſimam pugnam auerterat Deus, qui Christiano parcebat sanguini; nam condictâ die, tres Regis fratres, Comestabilis, cunctíque principes, cum sexaginta hominum millibus, instruxerant aciem, hostem operientes; quo non comparente, Touartium nobiléſque Pictones Franco addicti sunt. Chiræum supererat validissimum castrum, quod obsidio Guesclinus cinxerat, vrgebátque summoperè Touartio reddito; cùm è proximis vrbibus Angli Præsidiarij ad liberandam arcem conueniunt, & Guesclinum aggrediuntur; ille primùm se intra aggeres suos continuit; nec dubius quin eodem tempore ciuis è castro erumperet, cohortes lectas in insidiis collocat, quæ ciuem, vt collegerat, erumpentem interceptum à tergo conficerent haud ægrè; tum ipse ex aggeribus prodiens, Anglos aggressus est, perculítque tam fortiter, vt nullo incolumi cæsi omnes aut capti sint. Hoc facinore subacti Pictones & ex singulis oppidis vi Angli aut sponte deiecti. Ioanni Biturigum Duci dati à Rege Pictones; iam lætitiâ in Franciam reuocatâ, & miseriarum sensum abstergente.

CAROLVS V.

Chiray.

VIII. *Britannia Dux pulsus.*

Mox à Pictonibus in Britanniam bellum traductum est. Ioannes Monfortius Britanniæ Dux, Eduardo socero, præter affinitatem, sponte & gratâ beneficiorum memoriâ addictissimus, Franci successus ferebat impatientius, sæpè tentauerat bellum persuadere Britonibus; se Anglo fortunam, atque imperium debere, participandam cum eo calamitatem, cuius prosperitate modo felix esset; ingrati animi fore, pro beneficiis obliuionem opponere. At surdis clamabat; nam Proceres cuncti, vel censu annuo à Rege donati, vel tranquillam pacem bello præoptantes, excusabant, pacta cum Rege fœdera, nec vllâ causâ passuros se vt violarentur. Monfortius vt vi perficeret, quod verabatur consilio, Anglos euocat, plurimos præsidij loco in vrbibus atque arcibus locat, iisque nititur Procerum potentiam atque autoritatem conuellere. Verùm isti palàm rebellantes, in Anglos irrumpunt, pellunt, atque obtruncant; ad Regem vt ad supremum Dominum querelas deferunt, Ducémque accusant, quod Franciæ hostem in ditionem suam euocasset. Eam ob rem dies Monfortio dicta; moxque imperatum vt ab Anglo deficiat, Regíque Franciæ Domino suo pugnatum veniat. Cùm is cunctaretur, iubetur Comestabilis in Britanniam irrumpere,

CAROLVS V.

pere, & prouinciam reo Duci detrahere. Nec mora; tota Britannia in venientis potestatem tradita; ac præter Brestum arcem, & Auræum vrbem, cætera omnia nullo sanguine obtenta. Monfortius ad flagitanda auxilia in Angliam fugit, ac ea Eduardus validissima comparabat. Quippe Comitem Salisberiensem cum octoginta nauibus in Britanniam mittit; simúlque ad Francum à Britannia auertendum Lancastrium cum eo quem instruxerat antè exercitu Caletum destinat. Primus Salisberiensis Brestum appellitur, & in arcem admissus, quam tenebat præsidium Anglicum, vrbem inferiorem, quia Francum exceperat, ferro vastat & flammis. Comestabilis qui in Insulam Gersæam transmiserat, ad eam cladem reuocatus, Britanniam repetit, Anglisque imminens, castris tectos premit. Cum repentè à Rege arcessitur, Lancastrio cum Monfortio quadraginta hominum millia deducente, & terrorem quoquò se verteret inferente. Erat illi animus rem pugnæ committere, & fortunam Angliæ suscitare; sed cùm Guesclinus nusquam copiam faceret, torrentis instar per vastatos campos effluxit. Nam inundans in Artesiâ primùm, mox in Veromanduos, inuasit Campaniam, tum Burgundiam impetens, vnóque tractu Bellijocenses & Forisienses corripiens; mox pertranssitis Aruernis & Lemouicibus, tandem Burdegala seu Oceani sinu exceptus est. Hærebat assiduus Comestabilis; modò latera modo terga carpens, detrahebat cibaria, viæ diuortia prohibebat, erectisque hinc inde molibus, furentibusque vndis constrictis alueo; amoliebatur pestem ab vrbibus. Ita tantus exercitus viam quidem signauit ruinis atque incendiis, sed nullâ vrbium captâ, nullâ arce, imminutus potissimâ sui parte, cùm hominum sex duntaxat millia supersessent, ceu durissimâ procellâ iactatus, naufragium tandem in portum intulit; adeò sine ferro profligantur bella, & plerumque efficacissima pugna est, abstinere pugnâ. Discussâ eiusmodi tempestate in ipsam Aquitaniam Rex peruasit, missúsque in superiorem Vasconiam Dux Andegauensis cum Comestabile & quindecim peditum millibus, partim spontaneas deditiones excepit, partim armis obnitentes confecit. Sponte concessérunt, Condomum, Sammacarius, Monsmarsanus, aliæque vrbes. Vi adactus est Comes Fuxiensis, qui Andegauensem conuenit, ac Bearnium cæteráque ditiones clientelæ Caroli subdidit. Interea Gregorio XI. Pontifice qui Vrbano successerat contendente, pactæ induciæ aliquantisper arma continebant, dum vtrinque viri illustres Brugas conueniunt, ad pacem duos inter Reges conciliandam. Verùm is erat animorum ardor, cùm hinc Eduardus tot victoriarum fructu orbari, iacturam & grauissimam quidem existimaret; illinc Carolus reducem prosperitatem sine fructu omittere, stoliditatem putaret; vt à bello amoueri nequiuerint; cardine contentionis circa imperium vertente, quod summum Carolus in concessas vrbes vindicabat, Eduardus prorsus abnuebat, indignans se subiici ei, quem toties profligasset. Induciæ tamen in biennium proximum prorogatæ, quo tempore Coucyus vacuas militum legiones in Germaniam duxit, Austriam inuasurus, sibi hereditate materna quæsitam; at iuri arma extitere imparia; penuriâ & locorum difficultatibus exercitus, sponte solutus est, spesque expeditionis euanuit. Et per easdem

Exercitus Anglicus perit.

Carolus V.

De Coucy.

eaſdem inducias acerbiſſimam cladem Anglia paſſa eſt, in Principum fato. Primus morbo hydrope aſſumptus eſt, Eduardus filius, Aquitaniæ Dux, clariſſimus in Europâ victor, & Franciæ triumphator perpetuus; virtutes eximias vno ſuperbiæ næuo diſpungens. Nec ſuperfuit diu pater Eduardus, aliquot poſt menſes morte ſubita correptus; magnus haud dubiè, dignúſque quem Anglia cum præclariſſimis Imperatorum componat; vitæ media feliciſſima nactus, dura exordium exitúmque; vnus mortalium quibus vita longior miſeriæ fuit; felices, ſi vitam felicitatis fundum contraxiſſent. Succeſſorem dixit Ricardum Burdegalæ natum ex Eduardo filio vndecim annorum puerum; patruo Lancaſtrio Regnum gubernante, Regem Guiſcardo Anglico, Veterano Duce, prudentiâ claro. CAROLVS V. *Eduardi mors filij & patris.*

Poſt elapſas inducias, magno animo bellum in Anglos inſtaurat Carolus; ſublato Eduardo, prona omnia & ſecunda votis videbantur. Claſſem ingentem quam adornauerat, Ioanni Viennio Admiralio tradit; adiunctiſque Hiſpanis nauibus, iubet oram Angliæ legere, & vaſtare; Quod egregiè præſtitum, capto Plimontio, & orâ illâ quæ Franciam ſpectat, direptâ impunè atque incenſâ. Tum ad Ardras admotus exercitus; (nam ſic Ardeam appello;) quarum præſidium toti Picardiæ atque Arteſiæ moleſtiſſimum erat. Copiarum Dux Philippus Burgundus, qui vexatam vrbem ſaxorum grandine immiſsâ machinis, nec ſatis pro momento munitam, adegit breui ad deditionem, & viam Caletenſibus arctiorem effecit, qua in Franciam ibant. Inde belli moles in Aquitaniam verſa. Hanc pro rege Angliæ obtinebat Thomas Felletonius milite parum inſtructus, quod Anglia in Lancaſtrium iam turbas coquebat, & nuper odium nobilium graue contraxerat, nece Aimonis Pommerij, ſuæ genti chariſſimi, quem palam capite truncauerat, ſuſpectum ſuper amicitiâ Franciæ. Dux Andegauenſis & Comeſtabilis ducto exercitu, in quem conuenerant Proceres, Coucyus Sancerra, Armaniacus, Albretus, & Yuanus Valliæ, ſinguli cum equeſtribus turmis; Bergeracum obuallant. Ea vrbs ad Duranium munitiſſima, Burdegalenſis regionis clauis, cuius beneficio in Aquitaniam clauderetur aditus ac pateret. Felletonius vt obſeſſis opitularetur, exiguâ ſpe Anglici ſubſidij, Vaſcones appellat, quorum aliquot fidi adhuc perſtiterant; ij Mucidantius, Roſemius, Duraſſius, & Langoiranus, nam Dominum Eſparræ in Angliam miſerat: eorum ope trecentis lanceariis congregatis, Yureti ſupra Regulam hæret, atque ad inſidias pugnæ impotens verſus, obſidentibus magna incommoda inferebat. Erat Regulæ machina bellica quam Porcam appellabant; ea ex ingentibus tignis compacta, quæ facilè inſeri, & diſſolui poſſent, centum armatos capiebat, quos per rotulas ad hoſtilem murum admota, arcaníſque machinulis ſupra pinnas erecta, hoſti propugnanti obiiciebat; iniquitate loci ſuperatâ, & marte quaſi ex nubibus prorumpente. Miſſi Regulam trecenti lanceariij qui machinam ad caſtra deferrent, & reditum Felletonius operiebatur, vt machinam ſimul & perductores diriperet. At fortè contigit, vt ducenti Lanceariij in aliam rem à Comeſtabile miſſi, incompertis inſidiis ſe ad trecentos adiunxerint; ita conſerto in reditu prælio validiores Franci vicerunt

IX. *Bellum inſtauratum.* Anno 1377.

Ardres.

Felleton.

De Pommiers.

Bergerac.

CAROLVS V.

Vascones; capti Felletonius, & ij quatuor quos dixi Proceres; ac postmodum Bergeracum deditionem pacisciturr. Ita Rex Carolus victorias propagabat foris, dum intus vitæ grauissimum discrimen subiit. Rex Nauarræ aliquot ante annis pacem Vernoni iurauerat, & sæpe in perfidiâ deprehensus vt fidem faceret, liberos duos in obsides dederat. Nihil hactenus in fœdus peccauerat, cùm repentè execrabili flagitio coalitam pacem diuellit. Prosperitati Regis infensissimus, quam in dies stabiliri inspiceret, inuidiâ odium primum & naturæ peruersitatem vehementius inflammante, veneno tollere Regem aggreditur. Id vt perficiat, duos è domesticis donis illectos, in nefas immittit, persuadétque vt missi ad Regem specie famulandi liberis suis, qui obsides in Franciâ erant, Regi toxicum præberent; eorum alter Sacerdos, alter Nobilis; de industriâ lecti, vt dignitas originis & conditionis suspicionem omnem amoueret. Ij in consilio deprehensi, & equuleo torti, fatentur parricidium, authorem accusant, ac testantur Nauarri in Regem odium nullo vnquam pacto mitigari aut restingui posse. Pœnis rei affecti, & in Nauarrum bellum extemplò tergeminum motum. Comestabili assignata Normannia, Monspelium Duci Andegauensi, Nauarra ipsa Henrico Castellæ Regi. Et quidem Comestabilis Ebroicensem Comitatum inuadit fœliciter, vrbes omnes expugnat; præter Ebroicas, quas postmodum Coucyus capit, Nauarrúmque tota regione victor deturbat. Similiter Andegauensis Monspelium occupat, & ditionem vrbi adiectam & depulsis Nauarri Magistratibus, vexillum Franciæ erigit. Verùm aliquantò post cùm à ciuibus pecuniam grandem exigeret, ij seditione commotâ, à Nauarris forsan inflammati, Magistratus à Duce constitutos obtruncant, ipsius Cancellarium, & Amanuensem, Præfectum vrbis, aliósque Regiarum partium octoginta, eorúmque cadauera in puteos proiiciunt. Andegauensis alioquin ferocioris iræ, atque impotentis, tunc ad dirum facinus excandescens, reducto exercitu vrbem serò pœnitentem ingreditur, dignúmque pro flagitio meditatur supplicium; miserabilium spectaculo nusquam emollitus, (nam Consules reste de collo pendente claues afferebant, fœminæ & pueri lugubri habitu, ac voce supplici misericordiam inclamabant) iubet singulos in palatium suum arma deferre. Id vbi est præstitum, imperat se in foro sistant, in quo theatrum erigitur, miléſque dispositus, turbam ciuium accedentem, & terribili mortis facie trepidantem, ne quis effugiat circumambit, mox in theatrum Dux scandit, dixítque sententiam, qua vrbs Monspelium omnibus ornamentis & priuilegiis spoliatur, in aureorum centum & viginti millia, & stipendia militum damnatur, muri, turres & portæ maiores euertuntur; sexcenti è ciuibus trucidantur, ducenti capite, totidem suspendio, ignibus cæteri; omnium bona dimidia parte fisco addicuntur. Ad damnationem acerbam Cardinalis Luna opponebat preces; is orabat, Clementis nomine, qui post Gregorij mortem Pontificatu in partes distracto, agebat Auenione; vt si reis minus ignoscere vellet, saltem vno die differret supplicium, breui hac morâ vires nec sibi deperituras, nec reis addendas, eo Pontificis precibus commodaret, vt nocte vna pœnam prolararet. Rem tam leuem non ausus dene-

Bellum in Nauarrum.

Monspelij pœna.

Anno 1378.

gare

gare Princeps, reos in posterum diem dimittit, ambiguos an spem tenuem in tempore tanto conciperent. Ipsa nocte, Principis ira deferbuit, primóque mane pœnam commutauit, indictâ leui pecuniâ, & seditionis capitibus in mortem raptis, vrbi cæteræ indulsit. Ita generosis animis ira tempestas est, quam si mora excutiat, serenitas redit; gaudétque animus indemnis aliis, sibi restitui. CAROLVS V.

X.

Bellum in Nauarra.

Interim in Nauarra graue bellum exoriebatur. Henricus Castellæ Rex ab Franco impulsus bellum indicit; nec causa deerat; quod Nauarrus ex superiori fœdere pecuniam pactus, Hispano adulteratam dederat, pro indole fraudulentâ, & nunquam non fallente, etiam per ipsam pacem & candoris commercium. Ille Petrum Mauricum Lugronij Præfectum inuitabat pretio, vt arcem proderet, finxítque permittente Henrico Martinus, vt Nauarrum se dantem in retia tandem apprehenderet; sed cum is mœnibus abstinuisset; cæsi quos immiserat equites, ipse fugâ elabitur; tunc promotum bellum; & Ioannes Henrici filius Pompelonem cum exercitu venit, Guardiâ, Vcanáque arcibus captis. Illico obsidio Pompeloni admota, quæ protracta longius bellum extinxit. Nam Nauarrus profectus Burdegalam, obtentísque subsidiis vrbem communiuit; præterea Henricus Rex vitam amittit, reuocatúsque Ioannes filius ad nouum regnum cõstituendum, pacem cum Nauarro sancit, redítque in Castellam. Eos inter motus turbásque Europæ, Carolus Imperator in Franciam venit; id summoperè ambierat, siue conciliaturus inter Reges concordiam, siue Franciam sibi alteram patriam, nepotémque charissimum inuisurus; siue filio Venceslao cui vnicè studebat comparaturus Francorum beneuolentiam. Magnificè ac regiè exceptus infectâ pace in Germaniam rediit, memoratúrque ipsius donum, quo duo in Delphinatibus castra Delphino concessit. Abruptâ spe pacis, in bella grauius Reges incumbunt. Anglum premebat Britanniæ Ducis calamitas, qui patria extorris, deiectúsque imperio, in Flandria agebat; eum vt reduceret Lancastrius, cum valido exercitu, in Britanniam penetrat, fanúmque sancti Maclouij oppugnat. Ad vrbem seruandam Comestabilis cum exercitu aduolat, & castris locatis, ad alteram Rencij ripam, conturbat hostem velitationibus, pugnæ facultate semper interdicta. Præterea cùm Maclouienses se egregiè defenderent, hyémsque instaret; Lancastrius soluit obsidium, copiásque multùm imminutas imponit nauibus, reuertítque in Angliam; Monfortio ad Flandrum veterem hospitem diuertente. Mox Auræum quod vnum ex eius partibus stabat, ad Regem accessit. Ergo Rex totius Britanniæ compos, vt victoriæ fastigium adderet, rem instituit, quæ & ipsam euertit victoriam, & euersum Ducem amplitudini primæ restituit; adeò fallax est humanæ mentis prudentia. Nam Rex sententia Patium ob perduellionem Ducem damnat, Britanniámque Regno adiungit. Eo iudicio alienati Britonum animi, paucísque exceptis quibus annuos sumptus Rex pendebat, vnanimi consensu Monfortius reuocatur: *Ab omni memoriâ prouinciam suam Duces habuisse, imò olim Regio titulo gubernatam; non ferendum in alienum imperium traducatur; perstandum ac moriendum in antiquissimi iuris tuitione, & ducendâ ad nepotes vltimos per-*

Caroli Imperatoris in Franciam aduentus.

Res varia in Britannia.

S. Maclou.

CAROLVS V.

petuitate. Missus ad Monfortium Rohanius, datúsque ab Anglo Huo Caurelæus, veteranus miles, lectæque copiæ, quarum ope momento in totam Britanniam Dux admissus, præter vrbes paucas quas Franci tenebant, & copiosum exercitum instruebat in Anglia Buquingamius Regis patruus, quem in Franciam duceret, auerteretque à Britanniâ vindicem. Ille dum paratur; Guesclinus aduolauerat in Britanniam, & Diuano expugnato, contendebat bellum propagare, cùm euocante Rege in Aquitaniam properat. Angli Duce Neouilla plures vrbes receperant, & inualescebant in dies. Testanerius prædo famosus multas prouincias diripiebat, valida castra obtinebat in singulis, in Aruernis, Ruthenis, Lemouicibus, Cadurcis, Gabalitis, Aginnatibus, & Bigerris; Ventadoreum ceperat in Lemouicum finibus castrum, & ab eo Burdegalam vsque, sexaginta occupabat, tum arces, tum oppida, campos latè opprimens, & pecuniarum pactionibus vexans, vt iam non prædo, sed tyrannus foret; Anglo fauente, atque subsidia ministrante. Ad eum deturbandum vrgente Andegauensi, delignatus Guesclinus, qui iam multis castris inuasis, Castrum nouum obsidebat, arcem Mimates inter atque Anicium. Iurauerat, se non discessurum quin castrum caperet; cum repentino morbo correptus, paucis diebus interit, eodémque die obsessi deditionem pacti, claues in mortui feretrum deferunt, credo vt fides mortuo staret, quæ viuo semper integra fuerat. In matris scholâ natus propemodum atque eruditus, erat tamen prudentiâ ciuili & moderatione clarissimus, ad nutum Principis altitudinem animi temperans; à militaribus noxis alienus, sæuitiam & auaritiam ignorabat; imò & gloriam communicabat cum aliis, non tantum Principibus, sed & militibus, testatus eam seu cætera spolia in partes cedere; at præter eam, nullas opes accumulabat, solitus dona, & beneficia Regia partiri in socios; ideò passim cunctis charissimus, in summo gratiæ & potentiæ apice, quod rarissimum, sic inuidiam restinxerat, vt amori viuus, mortuus luctui singulis fuerit. Rex acerbo dolore mortem prosequutus, illi indixit solemne funus, ac Regium, in sancti Dionysij inter Regum Mausolæa, ad tumulum quem sibi ipse erexerat. Nec Procerum vllus Comestabilis dignitatem admisit, quanquam à Rege appellati essent, & Coucyus stirpi Regiæ affinis, & Sancerra Marescallus; affirmantibus cunctis, tam recenti Guesclini memoriâ, extinctum iri gesta cæterorum, & plus gloriæ forè in eo admirando, quam in æmulando.

Testanerius prædo.

Ventadour.

Guesclini mors.

Anno 1380.

IX. *Angli in Francia.*

Interea exercitus à Buquingamio scriptus Caletum aduenerat, & ducebant signa, veterani Duces Knollius, Persius, & Caurelæus tot victoriis inclyti. Destinauerat Buquingamius, in Britanniam applicare, vt Francorum reliquias, ab eâ prouinciâ prorsus depelleret; tum in Franciæ caput victor inuaderet. Sed magnâ classe, quam Ioannes Castellæ Rex miserat, à Britanniâ prohibitus, tuto & angusto freto Caletum transiuerat. Inde constituit in Britanniam transgredi, pugnam conserere si se occasio daret, latè grassari, prouinciásque totas deurere. Carolus primi consilij tenax, eo maximè quod rapto Guesclino mancus esset propemodum, truncúsque dexterâ, iubet Duces continere in vrbibus militem, viam decurrenti

currenti hosti permittere, ac demùm tergo instare, lentos carpere, & cibaria intercipere. Aderant in exercitu Regio Duces, Burgundus, Borbonius, Barrensis, Lotharingus, & Viennius Admiralius; & ex iussu Regis tecti erant muris. Angli postquam Artesios, & Campanos vastauerant, Icauna transito penetrant in Cœnomanos, vnde in Britanniam facilè transgrederentur. Sartha amnis transcurrit Cœnomanos, ripámque alteram Clissonius munierat, ad hostem arcendum quà vadum fluuius patitur, palos infixerat, vallo & fossâ ripam abscideratt, & ipse cum nobilibus è prouinciis proximis munitiones ductas propugnabat. Quà iter erat Angli ad vadum accedunt, mediíque inter hostium copias, nam à fronte Clissonius, à tergo Principes cum exercitu sequebantur, consilium à fortitudine ineunt. Quippe in amnis alueum vltrò præcipites, palos quà vncis refigunt, qua brachiis, & sagittas inter, quas balistarij Franci effundebant, intrepidi ad munimenta decurrunt. Ea audacia Francis stuporem primùm, dein trepidationem, mox fugam iniecit; ipsíque transitum tutum per relicta vada confecit: Accessit ad eorum salutem constituendam, quod Principes, procerésque deserentes exercitum, celeriter Parisios conuolarunt, ad Regem inuisendum, qui grauissimo morbo decumbebat. Etenim is postquam effluuium brachij sponte exaruit, memor fati proximi, quod olim eo signo Germanus medicus præsagierat, se ad mortem seriò comparat, & febri correptus, ad regnum, & se quæ spectarent, diligenter componit, fratres arcessit, Duces Biturigum & Burgundiæ, atque Borbonium Ducem sororium, Andegauensi omisso, quod præferuidam indolem non amaret, rebúsque Neapolitanis implicito haud fidendum crederet; arcessitis dat mandata consiliáque egregia, duo præsertim accuratè commendans, primum vt Delphino in Germania coniugem quærerent, ne Rex Anglus præriperet, eamque nationem adsciscerent; alterum vt Oliuerium Clissonium Comestabilem dicerent, quem ipse exploraverat, dignúmque censebat tanto fastigio. Hæc Rex prudentissimus, nescius per eas portas prorupturam calamitatem in Franciam; quas felicitati patefaciebat. Tum ducto Regni Regente Philippo Burgundo, Regis Borbonio, datísque in stipem pauperum centum sexaginta millibus florenorum; anno ætatis quadragesimo quarto, piè & Christianè animam posuit; eodem anno quo Gueselinus obierat; vt simul Francia columnis firmissimis destituta, propiùs ad præcipitium vergeret. Ille est Carolus merito Sapiens nuncupatus, tantúmque nomen impleuit meritis, consilio optimus, quod exigebat frequenter ab aliis, nulli mancipatus, quàm rationi atque iustitiæ. Habebat equites quos togatos & legum vocabat, quibus non pauciora quam armatis debere Regnum affirmabat. Præclaras leges condidit; quarum vna intemerata iuit ad posteros, vt Reges anno decimo quarto, dicerentur maiores, & regnum ipsi administrarent; existimans Regi & Regno perniciosissimam luem esse, tutelam alterius. Idem appellatus est Diues; quod prudenti parsimonia, tot inter bellorum sumptus, ædificia priuata, & publica, quæ multa erexit; præter erogatas liberaliter pecunias, in Nobiles, milites, atque egenos, duodecuicies centum millia aureorum,

CAROLVS V.

Regis mors.

Anno 1380.

CAROLVS V.

in ærario reliquerit, nulla Regni vexatione collecta. Erat illi mira affabilitas, qua conciliabat omnium animos, sagacitas in penetrandis aliorum consiliis, suis obtegendis, litterarum amans & studiosus, ad eloquentiam à naturâ factus, religionis cultor atque pietatis; vt nullum tot inter virtutes nævum deprehendas. Elugenda vitæ breuitas, quæ felicitatem Franciæ tam citò rapuit: & obseruandum quàm æquâ sorte cum vtroque Regno à Deo actum sit; nam Eduardus in Anglia rapto primo filio, puero regnum dimiserat, tribus patruis clauum occupantibus; in Francia similiter Carolus, Gueselino præmortuo, quem Eduardo principi opponebat, filio annorum duodecim, sub tuum patruorum tutelâ, an prædâ, sceptrum committebat, æquâ sanè lance, quam illicò calamitates Franciæ deprimerent. Inuestigabat Nobiles studiosè, quos inopia premeret, iisque clam pecuniam largam submittebat, qua æs alienum persoluerent, suásque filias collocarent; ne nobilitatis stirps illa deficeret, quam ornamentum & fulcrum Franciæ nuncupabat.

XII.

CAROLVS VI. DILECTVS dictus.

Rectè à Sapiente Carolo constituta, Ludouici Andegauensis præceps ambitio conturbauit. Etenim & non vocatus adfuit morienti, & mortui supremum reuellens arbitrium, Carolum Sauoisium ærario præfectum corripuit, coëgítque pecuniam Regiam sibi tradere, tùm palam in regimen regni aspirauit; sibi debitum affirmans, quod è Regis patruis natu maximus foret. Contra Burgundus atque Borbonius obiiciebant tabulas Regis, quibus ipsi designabantur tum Regis tum Regni tutores; iamque contentio ad arma spectabat, euocato vtrinque milite, cùm Ioannes Maresius Aduocatus Regius rem proponit ad sopiendam litem percommodam. Est auctor, vt quando Rex ab decimo quarto anno distaret propius, regni administrationem ipse susciperet; nullo Regente, ac ipsius nomine & sigillo tabulæ regiæ munirentur. Contra vir grauis, magnæque in Parlamento authoritatis, *voluntatem mortui Regis opponit, sapientiam viri exaggerat, quid tam repentè violetur quod prudentia summâ constituit? standum scriptis tabulis, operiendum designatum tempus, rebúsque præponendos quos Rex appellasset.* Cùm dissensio iam inter togatos propagaretur, imminerétque ciuile bellum grauissimum; tandem Burgundo & Borbonio in publicum bonum de iure suo patientibus detrahi; Andegauensi Regni, armorum, atque ærarij administratio cessit, Regis institutio Burgundo & Borbonio; Duci Biturigum Occitania & Aquitania traditæ. Tum Oliuerius Clissonus Comestabilis dictus. Ita turbæ consopitæ, & Rex ductus Rhemos. Nec obita sine motu inauguratio; Duce Andegauensi principem inter Pares locum ambiente, quem tamen ipse Rex Burgundo assignauit, quia Princeps inter Pares esset, & id munus Parium esset, non Ducum. Imò in conuiuio cùm Andegauensis aliquo interuallo à Rege proximus consideret, Burgundus in interuallo sedile apposuit, vt vndecumque staret integra dignitas. Festam ceremoniam gratissima populis res excepit; cùm Regis liberalitate ab omni tributo vectigali atque subsidio plebs liberata est; Reique omnes læsæ Maiestatis donati veniâ. Eam ob rem Rex Dilectus vulgò nuncupatus, & studia plebis vehementer incensa; ad priuatum commodum respicientis;

Sauoisy.

Des Marests.

cientis; nec cogitantis bonum publicum sine priuato incommodo stare, non posse. Et euentus docuit præpostera liberalitate datum, quod extemplò reposcendum fuit. Læta primordia Britanniæ Ducem ad sinceram concordiam impulerunt: suadebant Britones nobiles, in primis Rohanius, Rieusius & Rupefortius, bello tandem desineret, & pacem subditis optatissimam daret; *Regis adolescentis obtineri gratiam posse; sepulta odia & inimicitias cum Rege Carolo; rationem habendam Britanniæ, quæ tot miseriis vexata & discerpta, efflagitaret pacem & quietem; chariorem patriam esse quam Eduardi memoriam; sat Anglorum beneficiis hactenus datum; det cætera sibi, suis & patriæ, ferátque posteros, quibus beneficiorum memoriam hereditariam linquat.* Ad eas voces legati ab Rege missi accedunt, Episcopus Carnutensis, Chevreusius, & præses Cabiensis, fœdúsque obtinent; quo Dux Regem conueniret, flagitaret veniam, clientelam profiteretur, amicitiam Anglicam eiuraret, ac pecuniam indictam solueret. Tum Rex ipsi vrbes in Britannia restitueret, & Monfortiam ditionem, aliásque terras quas Regio fisco pater addixisset, Mox Angli nouo cum Britone fœdere abscesserunt; Duxque Monfortius pacatâ Britanniâ tandem potitus est; reuocatâ post annos plurimos tranquillitate atque concordiâ. Dein ad cumulandam lætitiam, Anglus in biennium inducias pactus est; eùm seditione domesticâ laboraret; quæ statim contagio quodam porrecta in Franciam, primum calamitati fontem aperuit. Andegauensis cùm in regni regimine vnum intenderet, immensam vndique pecuniam cumulare, vnde expeditioni Italicæ foret satis, post exhaustum ærarium, prima vectigalia restituebat, nouáque adiunxerat. Ea res cùm acerbissima populo foret; recens beneficium tantæ fontem lætitiæ, obliterari illicò atque expungi; ostensam spem quasi infantibus, atque illusis ficto splendore, imponi vera onera, pristináque miserias. Hæc cogitantibus Gandauensium occurrit exemplum, qui felici rebellione Comitem expulerant, séque ipsi magnâ criminum impunitate regebant. Parisiis primùm à vilissimis capitum orta seditio. Veteramentarius in forum prodit & facta concione plebem inflammat in vectigalium redemptores, agítque in ipsos, quorum ædes aliquot direptæ sunt, atque incensæ. Accedit tumultui Muliercula propola olerum; quæ vrgente publicano vt duodecim denarios in tributum solueret; sibi vim fieri exclamat, excitátque turbam operariorum atque baiulorum, à quibus miser ille occiditur. Et ij statim delibato sanguine furorem concipiunt; aliúmque mancipem in ædæ Sancti Iacobi obtruncant; tum Hugonem Aubrietum reum carcere effracto liberant, Ducémque ad insaniam regendam constituunt. Cùm ad alias vrbes iam propagaretur amentia; Rex Coucyum prudentiâ & authoritate insignem clam mittit Parisios; qui solertiâ suâ plebem ab insania ad obsequium reuocet: Ille sagaciter in plebis consilia atque cœtus, sese insinuans, pœnitentiam impetrat, promissáque vectigalium liberatione, Regem vrbi restituit. Nocte proximâ quatuordecim è seditiosis in amnem proiecti, & pœna vltrà inhibita ne malum rectudesceret; maximè cùm vrgeret Rhotomagensium seditio, qui mercatorem vi Regem dixerant & coronauerant; ciúsque nomine edicta scripserant; quibus

CAROLVS VI.

Dux Britanniæ restitutus.

Anno 1381.

Seditio Parisiensis.

CAROLVS VI.

bus tributa omnia extinguebantur. At Rege accedente, seditiosis animus excidit; rogata venia & concessa, aliquot reorum in exemplum iusto supplicio datis. Ita prælusum domesticis malis, tirocinium miseriarum sequentium Francis ponentibus.

XIII. *Bellum in Flandros.*

Ea seditio potissimum ab exemplo Flandriæ grassabatur, ad quam subleuandam Rex se armis cinxit. Dum bella Carolum inter & Eduardum Franciam atque Angliam acerbissimè diuellebant, pacata Flandria, atque omni bonorum copiâ diffluens, in voluptatum vt fit voraginem cæcam immergitur. Ludouicus Comes præit exemplo cæteris, luxu, conuiuiis & hastiludiis otium terit; adeóque Flandri ad Principis instar se fingunt, vt paucis annis intra ganeas & lupanaria, priuatis iurgiis, cæsa numerentur Flandrorum quatuordecim millia, adeò voluptatum pernicioſus est vsus; per ea qua placent interimentium, & punientium quæ iubent scelera. Deinceps in corruptos flagitiis animos inualit rebellio, apex criminum atque insania popularis. Non est animus hic vniuersam seriem mali perscribere; quomodo origo à Gandauensibus cœpta; primùm quatuor viris, seditionis Tribunis, Boulæo, Boisio, Clerico, & Nuitæo, tum Philippo Arteuella Iacobi illius ab Eduardo celeberrimi filio in Præfectum electo, atque immanitatem Patris suscitante, malum inualuerit; donec tandem victo Comite, atque profligato, Brugenses corripuerit, totam propemodùm Flandriam hauserit. Ludouicus Comes in Franciam profugus, Sapientem appellauerat, ope imploratâ, ad rebelles domandos; sed frustra, cùm Sapiens causatus bellum Anglicum, gauderet calamitate Comitis, quem habuisset infensum vtentem prosperis, quique nuper vetante se Monfortium profugum excepisset. Post obitum Sapientis Artauella conscriptis centum hominum millibus Aldenardam munitissimam vrbem obsidebat, cúmque protractâ obsidione, rebelles in proximos agros excurrerent, & Nobilium castra euerterent, aliquot imprudenter in agrum Tornacensem, qui erat Franciæ, inuadunt, prædamque hinc agunt. Philippus Flandri gener, occasionem diu captatam arripiens, audaciâ rebellium exaggerata, Regi autor est & vehementer suadet, vt facinorosam amentiam plectat. Perducto in sententiam suam Bituricense, nam aberat Andegauensis, haud ægrè Regem in bellum impellit. Erat adolescenti iam à teneris martia indoles, olim à patre tentata iam atque demonstrata; quippe infans; obiectis simul coronâ & galeâ, illâ neglectâ hanc ardenter rapuerat, & arma ad corpusculi modum fabrefacta induebat libenter. Quare persuasus Parlamentum Compendium vocat, & cùm difficilius Proceres assentirentur, atque incommoda multa obiicerent; refutabat obiecta Rex ipse, reponebátque hæc verba; *ita ita, qui audet nihil, comparat nihil.* Sic bellum decretum est,

Anno 1381.

Regémque incendit, oblatus in somnis Ceruus alatus, quo ipse vectus, præclarum in aëre exerceret aucupium, vnde Ceruus volans huic in tessèram fuit, scutóque Franciæ Ceruos alatos in fulcra adiunxit; appictis tribus duntaxat liliis, cùm anteà plura incerto numero sparsa essent. Venatu etiam ceruum ingentem ceperat, magna bruti admiratione, cuius collum vinciebat torquis ex inaurato ære, cum hac epigraphe; *Hoc me Cesar donauit*

Ad

Ad famã exercitus Artauella haudquaquam territus, Lisâ amne se muniens, cœlique atque soli intemperie; iam enim Nouember mensis incœperat; abrumpi pontes præter duos iubet, ad oppida Cominium atque Varnestonum, quibus validum immittit præsidium; & mox eosdem aduentantibus Francis effringi imperat. Regius exercitus in paludosum solum luctatus, tandem ad custoditos pontes euasit, quos Comestabilis cùm abruptos videt, tumidúmque amnem intercipere transitum, hæret ambiguus, in quam partem se vertat, tam intercluso aditu, quàm probroso reditu. Versantem in ancipiti Procerum quorundam expediuit temeritas. Sancyus, Ioannes Royus, & Henricus Maunius, dimidiâ infra pontem Cominæum leucâ, suâ quisque cymbulâ in oppositam ripam occulti transmittunt, séque abdunt in alnetum proximum, opportunitatem operientes; iámque sexaginta nobilitate illustres transierant, cùm Comestabilis de re admonitus, mittit Rieusium affinem suum exploratum, quidnam audaces illi cogitarent. At Rieusius militari gloriâ rapiente consilium, eâdem cymbulâ amnem transit, eiúsque exemplo clarissimi proceres, Rhoanius, Lauallius Longauilla, Touartius, Belmanerius, aliíque, & ipse Sancerra Maresçallus, præpollente impetu, Francis adeò proprio atque innato. Comestabilis renuntiato Procerum transitu, vt promoueret audaciam, quam vetare non integrum erat, iubet ad pontis exitum distrahi hostem, telis, saxis, globísque igneis, dum cymbis quibus arbitrium esset transmitterent. Petrus Boisius Artauellæ Præfectus, pontem & Cominæum defendebat, nec eum transitus Francorum latuit; sed cùm immineret nox, præstolatus est lucem, qua Francos nocturno frigore adstrictos facilè profligaret. Et verò ipsam noctem Franci magnis incommodis peregerunt, luto & aquis magnam partem immersi, nullo cibo recreati aut somno, aura noctis frigidiore vexati, perstiterunt vigiles, & sub primam lucem Boisium notis viarum compendiis decurrentem inspiciunt. Committitur prælium, Flandríque quanquam è cohortibus lecti vincuntur, Boisius saucius ægrè à suis pugnæ eripitur, & Brugas defertur; cæsa quatuor hostium millia, via Francis permissa, ac refecto ponte, Rex cum toto exercitu amnem transmittit. Mox captum Cominæum, & præda miles oppletus. Cæteræ vrbes, Ypra, Cassetum, Furnæ, Donquerca, Grauelinga, Regi vltrò delatis in castra clauibus patuerunt.

CAROLVS VI.

XIV. *Pugna ad Rosebeccam.*

Artauella hoc exemplo nusquam perterritus confirmat audaciam, palámque exultans, quod Nobiles cunctos è totâ Francià optata sors in sua retia induisset, indicto per omnes vrbes delectu, Harsellam legatum cum parte copiarum ad Aldenardam dimittit; ipse cum sexaginta hominum millibus, ad Francos properat ad Rosebeccam oppidum, dimidiâ Brugis leuca, inter aquas, imbres & frigora, castris positis incommodissimè affixos. Franci in spem pugnæ erecti, solutis castris hosti occurrunt, pugnáque ad Aureum-montem conseritur, inflammatis vtrinque animis. Petrus Villerius Oriflammam ferebat; primam aciem ex Britonibus, & Normannis conflatam ducebat Comestabilis; aderántque Maresçalli duo Sancerra & Blainuilla; tegebátque alas Comes Flandriæ cum sexdecim hominum millibus; agebat agmen medium Rex ipse, anno decimoquarto nondum impleto, comi

De Villers.

CAROLVS VI.

comitantibus patruis Burgundo & Biturige,& Borbonio auunculo,Coucyo, Albretio cæteríſq; Proceribus,in agmine poſtremo Comites Bleſenſis,Sancti Pauli,Harcurius,Caſtilionius,& Fera;ij equum imperiũ obtinebãt,militúmque omniũ numerum implebant ſexaginta equitum millia,præter peditem. Et conſtitutum vt cùm primum agmen inueheretur, ad latera ſecundum & tertiũ inuolarent ſimul,vt obrutum hoſtem omni ex parte conciderẽt.Fuítque bono omini acceptum;primùm quod vbi ad pugnam explicata eſt Oriflamma,diſiectæ ſunt nebulæ, & aëri parta mira ſerenitas ; tum quod albus columbus poſtquam diutius ſuper agmina imperterritus volitauit, alteri è vexillis regiis inſedit , tumultu tanto nuſquam efferatus.Contra Artauella, memor palmæ Brugenſis, pari modo aciem in vnicum agmen inſtruit ; militéſque allocutus , ſpe ingenti factâ victoriæ , iubet Nobiles omnes proceréſque interimi , ſalute nemini præter Regem permiſsâ , cui ob iuniorem Anno 1382. ætatem parcitum vellet , quemque Gandaui ſuo more poſt inſtitueret.Hæc ſtultâ audaciâ poſtquam effudit , ita Flandros componit , vt denſis ordinibus pugnam inirent , altero brachio adſtricti inuicem , altero expediti ad prælium. Ita diſpoſiti è Monte-aureo ſe in plana demittunt , graui errore, cùm tuto loco expectare hoſtem poſſent atque depellere. Primo impetu acerrimè dimicatur , ſtatímque ad lanceas atque enſes ventum , Francis ſagittarios Genuenſes amouentibus , & tela inter hoſtilia procurrentibus. Nec diu Flandrorum audacia fortitudini Francorum par fuit ; à fronte & ad latera ferro decerpti ; cùm primi ordines regrederentur in poſteriores; ſic tota acies in arctum redacta eſt , vt omnes immoti in eodem veſtigio, manibus pedibúſque propemodùm alligatis , hoſtium ferro duntaxat patuerint ; imò ſibi præ anguſtiâ ſpatij pernicioſi , ſe aggeſti in cumulos ſuffocabant , & ſpiritum illibati ferro præcludebant. Ita pugna breui tempore in cladem verſa , maximè vbi poſtremi ordines ſe in fugam dederunt, tunc cæteri à Franco pedite nullo negotio , vel obtriti clauis , vel ferro deleti. Cæſa ſcribuntur quadraginta Flandrorum millia , in quibus nouem Gandauenſium millia.Ipſe Artauella ſuorum turba oppreſſus interiit , & in foſsâ repertus eſt, accumulatâ ſuper cohorte Gandauenſium ; vt Gigantum inſtar pugnantium in Deos , quâ ſcandebat mole , eâ oppreſſus ſit. Rex quæſitum cadauer arbori affigi iuſſit. E Francis quadraginta deſiderati ſunt; vt profectos in lanienam potius quam prælium dicas. Poſtero die Cortracum inuaſit victor exercitus ; captúmque extemplò oppidum , atque direptum ; imò incenſum , præclaræque ædes verſæ in cineres. Rex audito aſſeruari in maiori æde calcaria aurea , Cortracenſis cladis monumenta, & quot annis magno plauſu à ciuibus memoriam celebrari , iuſſit ciuitatem flammis aboleri, ne ſuæ gentis in poſteris extaret opprobrium ; quanquam inutiliter ſaxa inflammantur , cùm memoria perſtat , & poſt eruras moles in mentibus hominum trophæum ſupereſt. Aldenardæ illicò ſoluta obſidio ; Boiſius & perduelles qui ſuperfuerant Gandauum ſe receperunt, (Brugæ vrbéſque aliæ in deditionem acceptæ ,) quod perſeuerauit in ſcelere , nec à Rege expugnari iam adultâ hyeme potuit , præterquam quod auocabatur Pariſios Francus,nata domi peſte,dum alienã exſcinderet.

Reſtituta

Restituta erant in Francia vectigalia, & exigebantur paulò acerbiùs; Nobilibus profectis cum Rege in Flandricum bellum, plebs duntaxat civésque in vrbibus agrísque hæserant, qui maximè, nobilitate immuni, tributorum onere premebantur. Ij memores calamitatum quas sub Philippo & Ioanne Regibus exhausérant, & reuocato in Nobiles odio, quorum auaritiam & superbiam incusabant, statuunt iugum excutere, amoliri atque extinguere infensas illas nobilium stirpes, atque inducere nouum regiminis genus, quo optimates administrarent res publicas, suásque fortunas procurarent ipsi atque promouerent. Id consilium Parisiis natum, subito in proximas Vrbes propagatum est, Rhotomagum, Rhemos, Aureliam, Trecas, Senones, Antisiodorum, serpebátque vlteriùs, magno publici boni illicio; iámque Parisienses in communem, vt dicebant, libertatem intenti, palam omnia comparabant ad rebellionem. Primùm omne armorum genus redimunt atque accumulant, loricas, lanceas, enses, sarissas; ac præcipuè ingentem malleorum ex ferro numerum, (quadraginta millia scribunt fabricata,) quibus equitum galeas perfringerent ac comminuerent; cúmque iis armis gloriarentur potissimùm, hinc nuncupati sunt Malleatores. Dein arces regias euertere statuunt, Pulchritudinem in saltu Vicennarum, Luparam & Bastillam, quæ suæ vrbi compedes ponerent; Et Castelleto in ipsa vrbe diruto, festinabant ad alia, nisi à ciue, cui Flamandus nomen, pressius furor esset, dum certiora de Flandrensi bello renuntiarentur. Nam cum Gandauensibus communicabant consilia, natiuámque insaniam spe alebant, fouebántque literis. Iamque vt prodiret malum, præter vnum ducem nihil deerat, adeò vel in anarchia monarchia regnat, & pluribus regnum abolentibus semper Rege opus est. Ea post deuictos Flandros Regem in Franciam reuocant; ideò parte copiarum relictà in Belgio, partem adducit, & in magno comitatu Procerum Compendium venit. Dùm Parisios accedit propius, ciues vt metum aduentanti incuterent, prodeunt armati triginta millia, in speciem pompæ, atque honoris, reuera terribiles & minarum pleni. At Rex Burgeti substitit, nec eos passus in conspectum venire, quatuor Proceres mittit, qui rogarent quam ob causam armati prodirent, iuberéntque in sua quemque tecta abscedere. Obtemperant ciues, nemine turbam inconditam ad perducendum scelus regente, & maiestate Regiâ iam frangente audaciam; postquam repressi sunt, & conceptum metum intulerunt vrbi; Rex cum Ducibus, Patruis, Proceribus, & cataphractis equitibus vrbi succedit; incedebant equites pedibus, pars Regem antecedebat, pars subsequebatur, incœpítque pœna ad S. Dionysij portam, quam Rex subiens iubet tolli cardinibus, euelli septa, idémque effici in portis cæteris; vt spoliata ciuitas portarum claustris, pateret omnibus, iamque esset pagi instar ignobilis. Pergenti Regi mercatorum Præpositus, Consuléque occurrunt, gratulaturi victoriam; iis inauditis, & contemptim repulsis, ad Deiparæ ædem Carolus tendit, suppléxque gratiis ob victoriam actis, vexillum regium Virgini donat, quod ad pugnam explicauerat. Dein se Luparam recipit. Patrui interea Dúxque Borbonius, vicos singulos decurrunt, catenas ferreas quibus claudebantur

CAROLVS VI. XV.

Malleatorum Parisiensium seditio.

Mallotins. Beauté. Chatelet.

CAROLVS VI.

vicorum capita, asportari curant, publica arma inuadunt, ciuibus singulis, quæ domi habebant deferre in armamentarium iussis. Inuaserat omnium animos ingens terror, & magnitudo sceleris iam quanta erat obuersans mentibus, grauitatem supplicij suo vno modo metiebatur. Deliberatum an ciuitas permittenda esset rapinæ militum, & ad prædam tam opulentam anhelabant Britones maximè; sed ne pœna redundaret in iudicem, sibique Rex vehementer officeret, primariam vrbem, & tot diuitiarum fontem euertendo; præterea ne sontium pœnâ inuoluerentur insontes, vrbi parcitum est; at ciuium villæ, rusticæque deliciæ, traditæ sunt rapinæ militum; vnâ voluptate vocatâ in supplicium. Postea tributa omnia & vectigalia restituta, eáque palam locata redemptoribus; suppressâ dignitas Præpositi vrbis & Consulum, trecenti è seditiosis ad necem delecti, atque in plateâ truncati capite; in quibus magno omnium stupore, Ioannes Maresius Aduocatus Regius, alienæ culpæ supplicium luit. Ille venerandus canitie, rebúsque in togâ gestis clarissimus, iam inde à Philippo Valesio notus, initiatus ordinibus sacris, dicendi arte in paucis peritus, in mortem rapitur, Patruorum Regis inuidia; quod pronior in Andegauensem, ipsius rebus accuratiùs studuisset, vnóque fratrum promoto amouisset alios; potentiore ad perdendum odio, quam beneuolentiâ ad seruandum. Et morti propior, compellatus vt à Rege veniam peteret; professus est, *se in maiestatem Regiam non peccasse, Regis patri, auo, & abauo se fidem atque obsequium præstitisse; nunc si Regi ætas & peritia foret, alium sibi futurum exitum, & nauata toties operæ præmium; se à Deo noxarum veniam flagitare, quem pro infirmitate hominis offendisset, & sperare propitium pro infinitâ misericordiâ.* Istæ singulos pœnæ, mox vniuersos ingens metus corripuit. Regis præconio ciuitas omnis in palatij aream conuocatur, atque conueniunt viri, mulieres, pueri, famuli, regio milite per singulos aditus excubante, & reis supplicij faciem intentante. Tum in theatrum Rex scandit, stipatus Proceribus, sedétque in solio; dum Petrus Orgemontius Cancellarius, ille Maresij extincti æmulus, turbam alloquitur. Longâ oratione Parisiensium crimen exaggerat, immemorem tot beneficiorum animum arguit; peccatum in capite, quod exemplo cæteris esse debuisset; statuisse Regem metiri pœnam flagitio, & quando vniuersa ciuitas scelus contraxisset, in vniuersam propagare supplicium. Vbi perorauit, & miseri operiebantur sententiam Regis, iamque enses militum intentatos iugulis, mente præciperent; Ecce Duces Biturigum atque Borbonius, ad genua Regis prouoluti, appellant clementiam; matronæ simul crinibus ad miserationem effusis, totúsque populus in humum prostratus, misericordiam lamentabili voce inclamant, postquam diu metu & terrore puniti sunt miseri, id enim de industria intendebatur, Rex dedit veniam, & vni Diuites multati pecuniâ, quæ multa exacta est, Procerum emolumento, à Rege flagitantium quod iam publicum erat. In cæteras vrbes conscias criminis, par pœna sancita, & regendi cupiditas sanguine plexa, aut facultatibus.

Des Mareſts.

Pariſienſium pœna.

XVI.

Angli è Fl. Adria pulſi.

Vindicatam domi maiestatem Gandauenses rursum violabant. Ij post Artauellæ necem, receptis Ducibus, Boisio, Mitrio, & Atremenio, instauratâ

ſtaurată inſaniâ, Flandriam diripiebant, atque Ardemburgum vi expugnabant; imo clam cum Anglo communicatis conſiliis, eum exciuerunt in Belgium, quem quaſi Clypeum Francorum enſi obtenderent. Noruicenſis Epiſcopus tranſmiſſum exercitum Caleti habebat; quem improuiſus in Flandriam duxit, ac bello neutiquam denuntiato Graueliugam cepit. Comes hac procellâ attonitus, quam minùs cauerat, cum duodecim pugnatorum millibus ad Dunquercam ſe Anglo obiicit; ſed magnâ clade fuſus fugatuſque Philippum generum appellat, opémque Francicam. Rex rogante Patruo, ſcribit exercitum, in quo tradit Froiſſartus numerata Equitum trecenta millia; eóque ſtipatus ad Anglum tendit; qui pluribus vrbibus occupatis Ypram obſidebat. Verùm is ad copiarum famam dilabitur, nec Hugo Caurelæus veteranus miles ſe Bergæ munimentis tutum exiſtimat; nam ſpectato è muris exercitu metúque concepto, nocte cum ſociis proripit ſe. Mox tantas copias Rex domum reduxit, expeditione terrore confectâ; multâ quidem gloriâ ob depulſum Anglum, ſed tacitâ ignominiâ, quod adhuc Gandauenſibus impunita tot ſcelera forent; quibus eædem atque Anglis permiſſæ induciæ. Aliquantò pòſt obit Ludouicus Comes, Malanus dictus, vtrámque fortunam dum vixit expertus, ac Philippus gener, Burgundiæ Flandriam, Arteſiam, alterámque Burgundiam adiunxit; cui regiæ potentiæ nihil præter titulum defuit. Porrò ea expeditio quoniam Vrbani Pontificis vno impulſu, ab Anglis tentata eſt, iſque Vrbanus Francicis rebus plurimùm obfuit, poſtulat locus vt graue vulnus Eccleſiæ retractem, & paulò altiùs repetam. Poſtquam Gregorius XI. traductâ Romam Pontificis Sede; Romæ mortem obiit; Et Cardinales ad eligendum Pontificem conclaui clauſi ſunt; Romani tum magiſtratus tum populus, minis intentatis, víque illatâ, coëgerunt Patres ad eligendum Pontificem, qui Italus foret; ipſíque vim inter ſe teſtati, vt ſe periculo mortis eriperent, Bartholomæum Barrenſem Archiepiſcopum nominant, Romaníſque iterum vim afferentibus, tiara coronant; iſque ſtatim ſe Vrbanum dixit eo nomine VI. Perfectâ coronatione; ex ſexdecim Cardinalibus, duodecim Vltramontani, ſpecie captandi cœli commodioris, Anagniam recedunt; & libertatis iam compotes excuſant vim Romæ illatam; ac teſtati nullam Bartholomæi electionem; poſtea Fundos ſecedunt, quæ Neapolitani Regni ciuitas eſt, fauente Ioannâ Reginâ, atque ex iuris recepti formulis, Robertum ex Comitibus Gebennenſibus Pontificem dicunt, qui nomine Clementis VII. ſe extemplò pro germano Pontifice geſſit; ac mox Auenionem pro maiorum inſtituto ſe cum Pontificia curiâ contulit. Ita exorto in Eccleſia ſchiſmate, ambiguíſque in vtram partem ſe verterent Chriſtianis, vterque Pontifex ſibi quiſque Principes conciliabat; & quidem Carolus Regis pater Clementi Franciam ſtatim addixit, tracto in partes Ioanne Caſtellæ Rege; contra Vrbano adhæſit Anglia; iam religione diſtrahente infenſos animos: Nec Vrbanus parcebat curis, vt propagaret imperium, dicebatúrque Anglum inflammaſſe, vt in Regem Caſtellæ, Comitémque Flandrenſem exercitus mitteret, pronuntiata eam in rem ſacra militia, collectáque ingenti pecunia ad ſtipendium militis. Copiis bipartitis; partem in

Schiſma Vrbanum inter & Clementē. Anno 1378.

CAROLVS VI.

Castellam Dux Lancastrius duxerat, partem in Flandriam Episcopus dictus, sed & Franciam nouo fulmine Vrbanus percutit, Duce Andegauensi in Italica expeditione extincto. Cuius mali origo ab eodem fonte est arcessenda. Etenim Ioanna Roberti Regis ex filio neptis Neapolitanum Regnum obtinebat, iam annis grauior, & quartum nupta Ottoni Comiti Brunsuicensi. Ea primùm vxor Andreæ Regis Hungariæ sui affinis, nam Hungariæ Reges ab Carolo claudo ducebant originem; dicebatur ipsi ob mores asperiores mortem intulisse; ideò Vrbanus ipsi infensissimus, quod Clementem foueret, machinam adornat, quâ feminam odiosam opprimeret. Ludouicum Regem Hungariæ Andreæ perempti fratrem vehementer vrget, vt sopitam de fratre vindictam exigat, gratiam spondet atque auxilium; flagitat Carolum Dyrrachinum mitti, ex eâdem stirpe Caroli Claudi, cuius quartus filius Ioannes Dux Dyrrachinus, Caroli abauus erat, iúsque regni in hæredes transmiserat. Persuasus Ludouicus cum exercitu Dyrrachinum mittit, qui Romæ ab Vrbano Rex Neapolis coronatus, Neapoli vrbibúsque cæteris, victo & capto Brunsuicensi, exceptus est. Ioanna interim in castro obsessa, omni humanâ ope destituta, spem in Franciam adiicit, ac Ludouicum Andegauensem, quando maiores sui ab eâ domo profecti in Italiam essent, adoptat in filium, scribítque hæredem. Ea adoptio Ludouici consilia in Italiam vertit, eamque ob rem Andegauensis à Sapiente Carolo amotus ab regimine regni, eâdem de causâ tanto studio in id aspirauit, gazam regiam rapuit, Franciámque quam regeret, totam in Italia spem vir ambitiosus, impenderat. At Ioannæ malum prohibere non potuit, quin illa à Dyrrachino caperetur, & aliquanto post in sacello dum orat laqueo extingueretur, iustâ forsitan primi flagitij pœnâ; sed ingrato Carolo & beneficiorum immemore, quibus cumulatus primâ adolescentiâ à Ioanna fuerat, habitúsque pro filio patrabat iam parricidium. Ergo Ludouicus vt necem indignam, sin minus arceret, saltem vindicaret; simúlque regnum relictum tabulis occuparet, validum scribit exercitum, numero viribúsque terribilem, nam quinquaginta millia pugnatorum erant, ex veterano milite; adscito Amedeo Sabaudiæ Comite, quem Viridem dicunt, præclaro & magni nominis Principe; ducítque primò in Phocensem prouinciam, in quam admissus in Italiam pergit. Sanè euentu infelicissimo, nam cùm Dyrrachinus se vrbibus contineret, nec pugnæ, quæ potior Francis ratio belli est, facultatem daret; tantus exercitus fame, ærumnis, morbis, imo & veneno infectis fontibus profligatus & victus; morbo Amedeus Comes è viuis raptus est; & ipse Ludouicus ex dolore animi febri correptus paucis diebus extinctus est; Franciæ magnâ iacturâ, militum, atque existimationis. Eò inopiæ in ea expeditione venerat, vt è raptis è tota Francia tam immensis opibus, supereresset è tela picta vna admodùm chlamys ad obeundam militiam, & ad mensam poculum vnum argenteum adeò diuitiæ, vel ipsis Regibus fluxæ & incertæ sunt. Tres genuerat liberos, quorum natu maximus Ludouicus, Neapolitanum regnum spe & nomine adiit, reipsâ Phocensem prouinciam; Clemente Pontifice & Carolo Rege expugnantibus Aquensium & Tarasconensium

Ludouicus Andegauẽsis moritur in Italia.

Anno 1384.

nensium voluntatem, detrectantium obsequium Ludouici. At ea spes traducta in posteros, graues calamitates Italiæ pariet, imò ipsi Franciæ; cui semper Italia, vel victa & domita, damno fuit atque dedecori. CAROLVS VI.

XVII.

Francia sub eam cladem exultabat lætitiâ, & gratulatione festa personabat. Cameraci Rex Philippo Burgundo aderat duplici coniugio sibi Albertum Hannoniæ Comitem vincienti; nam Ioannes & Margarita Burgundi liberi, cum Guillelmo & Margarita ex Hannonio natis iniuerunt connubium; imò Rex ipse Isabellam Stephani Bauariæ Ducis filiam, ex paterno voto & Patruorum assensu vxorem ducit; excepta sponsa Ambiani, ingenti Regis, omniúmque Principum celebritate; ignorantium vt humana sunt gaudia, adduci Helenam quæ Franciam vreret, & ad ruinam propè admoueret. Pompa hæc non diu tenuit; finitis induciis, & Rege ad Flandricum bellum aspirante. Iam ante ad vexandos Anglos Viennium Admiralium cum copiis in Scotiam miserat, vt adiunctus Scotis in Angliam ipsam inuaderet, suísque rebus prorsus addictam, ab Aquitania prohiberet. At nullus huius consilij extitit fructus; alienati sunt inuicem animi; Scotis incusantibus Francos, quod tam fœderatos quam hostes diriperent; iis contrà, Scotorum iniurias inhumanitatem atque barbariem insimulantibus; víxque temperatum ab armis, reiectis Francis, captiuóque Viennio, dum pro damnis, Scoto pecunia penderetur. Ergo ne simul spes domandæ Flandriæ euaneseeret, in eam arma versa, ardórque militum. Erant in exercitu octoginta millia; nam Rex quadam animi vel altitudine vel immensitate, summa cuncta appetebat & exaggerata, nihil mediocre nihil vulgare passus; magna haud dubiè patraturus, si hos animos prudentia regeret, & paternum aliquid in auitas dotes infunderet. Vni in Flandriâ Gandauenses supererant; quorum perduellio tot indurata sceleribus frangeretur. Ii nuper Damnonam ad Oceanum vrbem ex insidiis ceperant, magno ad commercium emolumento, & loco ad excipiendos Anglos opportuno. In eam primum ductus exercitus, circúmque positus, sed ambiguum quo tandem modo expugnata vrbs est; aliis longam obsidionem, & acceptam deditionem scribentibus; aliis vim extemplò allatam, captam vrbem, direptam, & flammis vastatam. Intercepto mari atque commercio, nihil Gandauensibus præter agrum & pertinaciam suam supererat; ea vt calamitate dometur, in agrum Carolus immittit copias; ferro, & flammâ villas, pagos, sacras etiam ædes perdit, eruit, atque incendit; steriles arbores atque frugiferas euellit radicitus, nullâ relictâ re vnde alimentum peti aut hospitium posset; mox cùm hiems immineret, redit in Franciam; proximo Vere aggressurus vrbem iam spoliatam, suísque mœnibus clausam, vt carcere. Sed ipsâ hieme bellum feliciter quod cruore tanto constabat, prudentiâ & sagacitate confectum est. Gandauenses haud dubiè fracti miseriis, detractâ Damnonâ, vastatísque agris, iam nullâ spe opum, commercio aut culturâ ruris parandarum, sponte ad meliorem frugem propensi, pacem exoptabant, quæ tot calamitates depelleret. Obstabat vnus quem dixi Boisius, tum potestatis asserendæ quam inuaserat cupidus, tum pœnæ metuens, quam contraxerat tot patratis sceleribus: & adscitis consortibus

Rex Isabellam ducit.

Anno 1385.

Belli Flandrici finis.

Dam-

tam

CAROLVS VI.

tam potentiæ quam metus, obtruncabat crudeliter, si qui pacis verbum vsurparent. Attamen ciues duo, quibus bonum publicum sua salute foret antiquius, surgunt, Rogerius Crominus, & Iacobus Ardemburgius; ille lanius, hic nauiculator; vt quod ex plebe malum ortum erat, in ipsâ plebe remedium haberet: primúmque ciues latenter conciliant, dein prudenter à Philippo Comite præteritorum veniam impetrant, atque immunitates in posterum; tum demùm palam & fortiter vexillum Comitis statuunt in foro medio; bonísque ciuibus in opem conuolantibus, nullo sanguine ciuitatem suo Principi asserunt. Nam Boisius terrore perculsus, cum Anglis abscessit, confugítque in Angliam, tuto receptu; ciuibus voto potientibus, atque in tyranni fugâ palmam collocantibus. Philippus in Flandriam totam admissus est; datúmque Franciæ in vnum hostem incumbere.

XVIII. *In bellũ Anglicum apparatus.*

Is Anglus erat, & proluserat Borbonius aliquot oppidis in Santonibus captis, & in Castella ac Lusitaniâ auxiliarij Franci atque Angli pugnauerant. Siquidem Ioannes Castellæ Rex, & iure vxoris, Lusitaniæ Regem se professus; cùm in Ioannem eiusdem regni inuasorem arma conuerteret; Lusitanus appellauerat Lancastrium, Francum Castellanus; pugnatúmque semel profligatis Francis & Hispanis; donec pax duos inter æmulos coaluit, & Ioannes Nothus Lusitaniam tenuit. Hæc dum aguntur, & Leo Armeniæ Rex depositâ spe subsidiorum in Franciâ hæret; Carolus Parlamento Procerum conuocato, de ratione belli Anglici consultabat. Variæ deliberantes distrahebant sententiæ, Clissonij, Coucij, Comitis sancti Pauli, Vienij Admiralij, & plurium id consilium erat, vt magno exercitu bellum transportaretur, in Angliam, semélque monstrum enecaretur in capite. Eam in rem dicebat Viennius; *aliter debellari Anglum haud posse. Eos transmittere opportunitate captâ in Franciam, nullo incommodo deligere militem, quem ad prædam mittant; Aquitanos fortissimam gentem se iis adiungere, prædæ cupiditate, & gloriæ desiderio, pugnare illos pro aris & focis, vnosque hactenus qui Anglis tot palmas confecerint; quieturos tandem si bellum è prouinciis suis vltra Oceanum traducatur, & spectatores otiosos fore alieni periculi; Nunc Angliam intestinis malis laborare; Regem & Patruos suspectos inuicem; in Lancastrium Ducem passim Ordines fremere, quod pecuniam totam ad Hispanicam expeditionem corraderet; suisque intentus, publica negligeret;* Tum addebat *eam initam belli rationem, ad domandum hostem pernicacem; ita Græcos in Persidem immisisse exercitum, sic Romanos à visceribus suis auulsisse Annibalem, & sub ipsam Carthaginem Cannas vindicasse. Affirmabat sibi perspectam atque exploratam penitus Angliam, propugnaculis, & propugnatoribus vrbes destitutas, ineptem bello ciuem, pauciisque exceptis, qui olim in Franciam transmississent, cæteros otio & voluptatibus emarcuisse.* Accedebant Scoti ad eas rationes momentum haud leue; excusantes noxam priorem, pollicebantur se valido exercitu peruasuros in meditullium Angliæ. Ad ea Proceres assentiebantur, & ipse Rex magno animi impetu ferebatur; vnus contra Biturigum Dux repugnabat præfractè; *affirmabat eius generis expeditiones Francorum genti semper infensas; eos suis in finibus depugnare egregiè, hostem fortiter arcere, submouere*

submouere & pellere; verùm in alieno, vbi prudentia & patientia fortitudini non socia modò, sed duces sunt, imparem bello Francorum impatientiam, vnóque momento multa & præclara facinora depranari. Retexebat expeditiones Italicas, quam sæpe aberrassent à scopo; nuper quid Andegauensi contigerat, ipsámque Angliam quàm parùm fœliciter Ludouicus VIII. inuasisset armis. Quid ingentem classem magno sumptu instruerent? num præstaret totas vires in Aquitaniam vertere, Anglos disicere, ac primos Francia restituere limites, vasta æquora interfusúmque Oceanum? Addebat suspicionem, imò periculum imminere à Britanniæ Duce, cuius litteræ ad Regem Angliæ interceptæ retegebant clandestina consilia. Hæc Regis Patruus, siue quia ad Regni bonum ita sentiret, siue in Clissonium æmulatione, quem auctorem transmissionis agnouerat; siue potestatis saruandæ cupidus, quam pace commodiùs tueretur, quam bello, ab Comestabili administrando; siue quietis & voluptatum amans, quas negotium martis opprimebat. Sanè Britanniæ Dux, confictas litteras affirmauit; atque ad restinguendam suspicionem Bresti arcem obsedit, quam Angli ex pacto fœderis nondum dimiserant, & consilium belli tantisper dèferbuit, dum in Hispaniâ de Lusitaniâ decertatur. Verùm postquam Hispaniæ pax restituta est, & Dux Lancastrius Ioanni filiâ in matrimonium datâ, omnia iura in Castellæ regnum concessit; rediitque in Angliam; tunc rursus de Anglicâ expeditione deliberatum, & inflammata in bellum studia.

CAROLVS VI.

Ad eam rem numerosissimam classem instruit Carolus, apparatæ mille & trecentæ naues, & ab vltimâ Hispali ad extremam Prussiam conductæ, quot in Oceano nauigabant; Proceres omnésque nobiles ad delectum vocati; sexaginta millia, ex infinito numero lecta. Fremebant viæ plaustrorum strepitu, vehebatur annona, atque omnis generis commeatus; tela & machinæ apparabantur, instruebantur nauigia, & arcessito ad pompam ornatu, pictis coloribus, imò & auro illuminabantur; vno verbo videbatur Francia in nouas sedes migrare. Comestabilis classem suam ex septuaginta duabus nauibus adornauerat, nouóque inuento ligneam vrbem fabricauerat. Ex prægrandibus tignis validísque asseribus, ingentem ædificiorum molem extruxerat; quæ instar vrbis compacta inter se atque diuisa, regium exercitum in hostico tegeret, atque propugnaret. Huic turres adiunxerat, muros, munimenta, tectísque singulis sua conclauia ad vsum distinxerat, vt cuique suæ ædes suaque commoda in solitudine forent. Tantæ molis trabes claui ferrei compingebant, atque committebant, quibus detractis soluta machina imponebatur in naues plusculas, & vehebatur nullo incommodo. Scluſa Flandriæ vrbs classem excipiebat, atque apparatum, hínecque in Angliam transmittendus exercitus erat. Iam Brugas Rex venerat, dixerátque Regentem Ludouicum fratrem, Turonum Ducem, adiuncto Cancellario, cuius consilio regnum administraret; ora Flandriæ nauibus curribusque feruebat, & expectabatur ad profectionem, classis Comestabilis, quæ iam ex Britannia soluerat, & Biturigum Dux à Rege arcessitus. Sed vnius hominis cunctatione, terribilis ille apparatus somnij instar euanuit. Ac primùm cœlum & pelagus interturbare consilium visa; ventis

XIX. *Apparatus irritus.*

CAROLVS VI.

totâ æstate reflantibus, procelloso mari, & præter solitum intumescente. Et Comestabilem è Britannia soluentem tempestas excepit; tam atrox & fœda, vt classem disiectam in varias oras effuderit; septem ad Zelandiæ littora impulsæ; quinque impactæ in scopulos; maximè diuulsæ, quæ vrbem ligneam deportabant; quarum vna vi procellæ in Angliam acta, atque in Tamisis ostium pulsa, partem abruptæ molis hostibus intulit; quasi cœlo indignante vim naturæ factam, elementorum vsum mutatum, imponíque vrbes Oceano, quæ terræ debentur. Euadit Sclusam cum reliquis nauibus Comestabilis, Regémque ad profectionem vrget vehementer, & is sponte ad eam ruebat; tenebátque vniuersam classem vnica remora Biturigum Dux. Ille primi consilij tenax, Auarici Biturigum nectebat moras, & assiduis tametsi nuntiis à Rege compellatus, vt properè in Flandriam se conferret, classem apparatam, instructum exercitum, vnum ipsum expectationi esse & moræ, aduolaret extemplò, nec diutius afflantibus ventis vela subtraheret; tamen loco haud se mouebat. Verba quidem Regi per nuntios dabat, se affuturum prope diem, nunc se proficiscí; mox leuem morbum, negotia publica modo prætexebat; tandem Auarico profectus, paruis itineribus, Parisios venit, hæsitque mensem integrum cunctando de industria, theatralibus Comœdorum ludis atque spectaculis tempus terens; donec voti compos sub Septembrem medium se in viam dedit, atque expectatissimus mense exeunte Sclusam venit. Eius aduentus mirâ lætitiâ celebratus, plausu militum amotam remoram gratulantium, votísque incensis discessum optantium. At Biturix vocato consilio, nodum expeditioni nouum innectit; *negat Regi suscipiendam nauigationem, sacrosanctum caput non committendum ventis ac procellis; iam nimium quod toties obiuisset terræ discrimina, non oportere Principem vnde pendeant cæterorum fata, mitti ad pelagi scopulos atque tempestates; profecturum se cum Burgundiæ Duce, quicum bellum in bonum publicum administraret.* Aderat Carolus dum consulebatur, & affirmabat identidem profecturum se, & vel solum, si cæteri omnes deficerent, transmissurum Oceanum. Quâ re perspectâ, cum iam opportunum nauigationi tempus effluxisset; communi calculo omissa est expeditio, & in proximum annum prolata. Tunc enimverò Francorum lætitia in tædium & mœrorem conuersa; nobiles, militésque facultates ad se instruendum impenderant, nunc bonis & spe casti, inopes, atque propemodum nullâ mercede, quasi exauctorati in tecta dimittuntur. Cæteri immensa tributa pecuniamque ingentem, ad militem classem atque annonam subministrauerant, rati oppresso tandem diuturno bello fore vt exaresceret, fons ille perpetuus vectigalium; nunc spem interuersam, frustratam pecuniam, vectigalia perdita, & proximo vere grauiora imminere querebantur. At Flandri gaudebant immodicè, quod hospites tam molesti facessérent, & qui cunctarentur eiicibant molestius. Ad Anglos quod spectat, haud dubium est, quin classis, si commodo tempore nauigasset, imparatos atque attonitos deprehensura, rem prosperè gessisset: Verùm dato spatio ad obfirmandos animos; oram muniendam, portúsque claudendos, quo ij accuratè vsi & prouidè; stultæ erat temeritatis, sub hyemem, mari intempesto,

Biturigis cunctatio.

intempesto, tam arduam expeditionem suscipere. Ita vastissima illa belli moles leuissimo momento diffluxit, tantamque machinam vnius hominis dissensus afflixit.

CAROLVS VI.

XX. *Clissonius à Duce Britãniæ captus.*

Nec ideò Regi nouæ profectionis voluntas excussa, in ver proximum indicta profectio; ac munus datum Coucyo, vt in Normannia classem appararet; Comestabili in Britannia alteram. Quam cùm is curaret, improuisus scopulus spem totam nauigationis infregit. Erat Comestabilis Proceribus multis odiosus; Guesclini dignitatem non virtutes obiuerat; morum superbia, cumulandarum opum cupiditas, & multa in dictis factísque arrogantia, abalienauerant Principum animos; ac tametsi militari virtute atque peritiâ Princeps omnium esset, tamen vanus gloriæ tumor, defectúsque modestiæ, vnam illam dotem opprimebant; maximè eum inter & Britanniæ Ducem acerbissima odia erant. Et quidem ille à Ducis partibus olim stabat, in pugnâ Auræensi oculo altero orbatus; verùm postea à Carolo Sapiente abstractus à Duce, ipsi omne molestiæ genus facessebat, non tantum armis dum vigebat bellum, sed pace ipsa se Domino suo professus æmulum. Noua res Ducem inflammauit penitus, atque in perniciem aduersarij impulit. Comestabilis Ioannem Caroli Blesensis filium magnâ pecuniâ ab Anglo redemerat, illíque Margaritam alteram filiam collocatam optabat; nam maiorem Rhoanio Vicecomiti dederat; hinc Ducis animo timor oboritur, ne homo superbus, & ambitiosus, litem veterem de Ducatu Britanniæ suscitaret, Ioannem Blesensem sibi opponeret, ac Regis gratiâ atque potentiâ in imperium tandem eueheret. Nec temerè suspicionem commouerat, quare vt perpetuum suis votis obicem amoliretur, statuit hominem de medio tollere. Eo consilio nobilium Comitia indicit Venetiæ, qua in vrbe versabatur plurimùm, scribítque amicè ad Comestabilem, vt dignaretur accedere. Ille accessit magnâ nobilium cateruâ stipatus, aptior ad faciendum metum quam excipiendum. Solutis Comitiis, in quibus Dux egregiè iram atque odium dissimulauit; Barones Clissonius excepit conuiuio, rogatúsque Dux, adfuit sub prandij finem, & cibis familiariter degustatis, conuiuas inuitat, ad inuisendam Herminiam domum, quam ad Oceani littus vrbe haud procul magno sumptu exædificabat: & speciatim Clissonium, quando ædificandi peritus foret atque studiósus, noua tecta obseruaret, errorésque carperet. In eam Clissonius, aliíque haud pauci se conferunt, Dux per singula conclauia spectantes deducit; ac cùm ad præcelsam turrim peruenisset, lassitudine simulatâ, rogat Clissonium vt ascendat, & accuratè munimenta omnia speculetur. Ille nihil suspicatus, postquam aliquot gradus scandit, foribus repente obstructis, ab armatis capitur, ferreísque compedibus grauis, in obscurum carcerem conditur. Lauallius Clissonij sororius ac Belmanerius eidem charissimus, qui cum Duce colloquebantur, ad strepitum pessulorum, sinistrum quidpiam suspicati, Ducem orant suppliciter, vt ad ipsum accedant; at ille fractis erumpenti furori repagulis, Lauallium dimittit, Belmanerium necem comminatus, in carcerem impingit; atque arcessito Baualano imperat, vt nocte mediâ Comestabilem culeo insutum, in subie-

La Val. Beaumanoir.

CAROLVS VI.

ctum mare præcipitet. Erat prudentiâ in paucis præditus Baualanus, amantissimus Principis, fide grauissimis in rebus probatâ; is posteaquam irrita monita atque preces adhibuit, vt Ducem ab sententiâ dimoueret, recepit se impleturum quod imperabatur; verùm apud se statuit, hac nocte rem intentatam omittere, vt pœnitentiæ, si pœniteret Principem, locus foret; sin perseueraret, pauculas horas haud defuturas, quin heri imperium exequeretur. Ita sapienti consilio se ad somnum recipit. Similiter Princeps it cubitum; cùm illicò curæ animíque angores soporem excutiunt. Super Comestabilis imperatâ nece, conscientiam morsus acerbè vexant atque dilaniant; Primùm quidem vltionis suauitas, explendíque odij licentia, voluptate mentem diffundebat; mala, iniuriæ, contumeliæ, occurrebant, quibus Clissonius ipsum affecisset, erátque gratissimum dolori iustissimo tandem parentare. At retractanti iniurias irrepebat memoria beneficiorum, & vel inuito extorquebat miserationem, tum patratæ cædis inuidia, odium publicum, à Rege Franciæ bellum & vindicta implacabilis, ceu facto agmine irrumpebant in animum; dein deflagrante vltionis libidine, incendebat hominem facinoris probrum atque infamia, fidem publicam violatam; necatum virum amplissimæ dignitatis, inauditum atque indemnatum, tot scelera vt priuato odio fieret satis; humanas diuinásque pœnas impendere; iamque cœlitus in caput suum fulmen intentari. Inter eas angustias nocte transactâ, nec delibato vel leuiter somno, primâ luce accersit Baualanum, & quærit nunquid iussum suum impleuerit. Postquam is impleuisse respondit, Princeps mali quod præceperat impatientia, palmis stragulas pectúsque percutiens. *Heu me miserum*; exclamat, *ah Deus mi, in quam miseriam me conieci! heu Britones meos! heu Sponsam charissimam.* Inter hæc lamenta Baualanus abscedit, & ad confirmandam Ducis pœnitudinem, totum diem dolori permittit; quem miser reiecto omni cibo, & amicorum colloquio, in acerbissimo luctu consumpsit; donec sub vesperum Baualanus rediens, & Duci calamitatem suam deploranti, affirmauit Comestabilem saluum, vitámque seruatam, dum tranquilla mens ab furore præcipiti sese reciperet. Tunc enimuerò virum Dux amplecti, gratulari prudentissimæ cunctationi, & se seruatum inobedientiâ famuli. Mox decem millia aureorum data in præmium tam felicis contumaciæ; admissúsque Lauallius, qui de libertate Comestabilis ageret; scriptæ illico conditiones, nihil Lauallio recusante; numerata Duci centum libratum mllia, arces plures commissæ, fatente Clissonio se iustè captum, ob plura scelera patrata in Dominum. Quibus perfectis is liberatus est; veritúmque flagitium ingens Baualani prudentiâ; tanti est affectibus moderari, non suis modo, sed alienis, & iuuat in potestate haberi, qui se non habet.

XXI. *Comestabilis liberatus.*

Solutum ergastulo Comestabilem sui vicissim affectus incendunt, contumeliæ grauitas, pacti iniquitas, carceris squallor, probrúmque compedum, proximum tetterimæ mortis periculum, superbæ atque altissimæ menti subiiciebant vltionis faces. Ergo liberatus, altero die veredariis equis Parisios venit; atque ad genua Regis prouolutus, deplorat iniuriam, Regi potius quam sibi illatam, æquissimámque vindictam flagitat. Vocatâ re in consilium,

filium, cum plerique omnes graue supplicium exaggerarent, censerentque repetendas à Britanno pœnas; vni Regis patrui Bituricensis & Burgundus, inuidiâ & maleuolentiâ in Comestabilem, iniuriam eleuant; *Priuatum esse, Ducem inter suumque hominem, iurgium, Clissonium temeritatis & inconsiderantiæ luisse pœnas; quid imprudenter inimico suo committeret se? persequendum publicum hostem armis publicis, non priuatas inimicitias; permittendas eas dolori ac sensui singulorum.* Ea sententia, quamuis indignante Rege & repugnante, obtinuit; ac demùm statutum vt Legati ad Britannum Ducem mitterentur. At Comestabilis doloris impatiens, quem adaugeret obex oppositus, reddito Regi Comestabilis gladio, in priuatam domum secessit; statimque filiam Ioanni Blesensi in vxorem tradit. Grauis tamen tempestas oriebatur, atque Britanniæ imminebat. Primùm legiones quas in Britannia Clissonius scribebat, audito eius carcere, signis raptis, rectâ viâ Erminiam ad eruendam arcem aduolabant; ac tametsi in viâ libertatem viri audiuerant, tamen castra ipsius multa receperant, expugnato in primis S. Maclouij fano. Nec erat dubium quin reuocaret Comestabilem Carolus; nam habebat chariſſimum, & armorum cupidus, militarem virum armisque clarissimum, complectebatur arctissimè. Nihilominus legatis adeuntibus, Episcopis Lingonensi & Bellouacensi, & Viennio Admiralio; & petentibus satisfactionem, Dux respondit arrogantiùs; se clienti iustè pœnam indixisse; satis ipsi esse quod à morte reus eriperetur; non fuisse animum Regi obesse regiisve consiliis; quem nunc adire sibi per negotia sua non liceret. Móxque haud ignarus eo responso Bellonæ facem inflammatum iri; vt se comparet; nouum fœdus cum Anglo contrahit; filiam Caroli Mali Regis Nauarræ secundo coniugio in vxorem ducit, & Gelrium Ducem, temerarium iuuenem atque improuidum, ad bellum Franco indicendum impellit: ita bello in plura loca dispositio, sperat procellam à se dispellere & in hostem reiicere. Interea ingens ille ad Anglicum bellum apparatus secundùm euanuit, qui maximè vno Comestabile nitebatur. At verò dum Rex dolorem ob interuentum consilium alit; expeditque in Nauarrum atque Gelrium militem, tandem à Nauarro iustas scelerum pœnas exigit Deus. Carolus ille Nauarræ Rex, Malus dictus, mitiori pro tot flagitiis appellatione, ob frequentem libidinem contractâ inualetudine, natiuum calorem penè extinxerat, frigidissimo gelu per intimas venas inhorrescente; cutémque extimam peruadente; medici vt calorem illum suscitarent, præscripserant eum inuolui linteo, aquâ vitali imbuto. Rege inuolutò, & intra culeum insuto, cubicularius filum vt abrumperet, forficum defectu, id candelæ lumini admouet, cùm repente flamma decurso filo, fomite haud dubie rapiente, inuadit in linteum, & momento vniuersum incendit. Ita Rex impius conflagrauit incendio, vitam tamen in septimum diem protraxit in acerbissimis cruciatibus, inter eiulatus & insanas desperantis voces; suppare vitæ stadio exitu, (nam & exarserat libidinis flammis, & belli facem Europâ totâ incenderat atque aluerat; & venenato puluiſculo, viscera incendio subito corrodente, plures interemerat;) donec viuus flammis

CAROLVS VI.

Caroli Nauarri mors.

CAROLVS VI.

sepultus est. Eâ morte molestissimus hostis Franciæ periit; imò & nouus detractus, Britanniæ Dux. Etenim Carolo Malo filius alter Carolus successit, ab patris indole planè alienus atque consiliis, qui pace contractâ cum Franciâ, spem Britanni afflixit. Ille igitur partim metu, partim animi leuitate quâ in diuersa sæpe ferebatur, persuasus à Regis patruis Blesas accedentibus, Parisios venit, & controuersiam cum Clissonio Parlamento permisit; cuius sententiâ pacta prius inita rescissa sunt atque abrogata, imperatúmque vt à Duce pecuniam datam atque inuasa castra Clissonius reciperet. Eo iudicio sibi factum satis Comestabilis ratus, Anlæ se ac dignitati restituit; occlusit se Auglis Britannia, & in vnum Gelrium arma conuersa sunt; quanquam inter Ducem & Comestabilem odium perseuerauit; Duce haud restituente quod erat iussus, & Comestabile generum impellente, vt Britanniæ nomen atque insignia vsurparet. Ad Gelrium quod spectat; Guillelmi Ducis amens superbia eò intumuerat, vt Regi per Fecialem bellum indiceret; & dolorem iniuriæ Rex dissimulauerat, Feciale donato pecuniâ & dimisso; verum exacturus pœnam iniuriæ, ingentem exercitum scribit, ducítque in Gelrium. Erant in eo centum hominum millia, tantúsque apparatus, vt in immensum diffusus spatium, quatuordecim leucas obtineret. Ad Venceslaum Imperatorem legatos miserat; excusatum quod in ditionem Imperij penetraret, atque affirmum nihil se contra dignitatem eiusdem Imperij moliturum. Properanti occurrit Dux Iuliacensis Gelrij pater, qui conciliantibus Colonienſi & Leodiensi Præsulibus, admissus ad Regem, veniam filio supplex implorat, insanam iuuenis arrogantiam culpat, satisfactionem & demissionem humillimam pollicetur; se postremò Regi suaque omnia in vadimonium tradit. Cùm Regium consilium paternis precibus annuisset; ille ad filium conuolat, deductis iisdem Præsulibus, nec parùm laborauit, in frangenda iuuenis contumaciâ, qui auiditate belli flagrabat, & sperabat hyemis iam imminentis sæuitiâ, perditum iri tantum exercitum; at patris minis absterritus, se vinci passus est, ducique ad Regem; à quo veniam temeritatis petiit atque impetrauit; totâ Franciâ in bellum excitâ, ad rem tam leuem; vt verè apologum parturientis montis exscripserit.

Pax cum Gelrio.

XXII. *Rex regnum administrat.*

Huius tamen expeditionis extitit fructus, quod Rex administrationem regni suscepit, Auctores huius consilij Comestabilis, & Orgemontius Cancellarius, quibus Patruorum Regis auctoritas atque potentia erat dudum grauissimum onus & molestissimum. Iis adiunxerat se Ludouicus Regis vnicus frater, Dux ante Turonum, mox Aurelianensis, Duce Aurelianensi Regis Ioannis fratre sine liberis mortuo, & quidem Ludouicus Valentinam Ioannis Galeacij Vicecomitis filiam vxorem duxerat; dato in dotem Comitatu Astensi, præter ingentem pecuniam, gemmas, & summi pretij mundum muliebrem, ac stipulante Galeacio, vt absque prole masculâ si decederet; omnis ditio ad Valentinam filiam eiusque liberos perueniret; eóque pacto in Mediolanum Aurelianensi stirpi ius quæsitum, quo in Franciam calamitates tantæ inuectæ sunt. Ergo in reditu, Rhemis habito Procerum Concilio, actum est de Regni regimine, primúsque rogatus sententiam,

sententiam, Asselinus Episcopus Laudunensis, & postmodùm Cardinalis, vir probæ pietatis, & integritatis; dixit, Regi tradendum sceptri regimen; iam impleuisse annum vicesimum, dotes animi atque corporis supra ætatem, omnibus admirationi esse & gaudio; non supersedendum, quin is vocaretur ad gubernandum, cuius maximè saluam esse nauem interesset. Ea sententia apud singulos tenuit; nec Regis Patrui dissentire ausi, ne apertè sibi imperium prorogarent; hæsit tamen in animo stimulus, mox in consultores exerendus; primúsque omnium Asselinus, haud multo post propinato veneno periit. Dimissi Patrui recesserunt, Burgundus in Flandriam, Bituricensis in Occitaniam, sibi pridem traditam ad gubernandum; in quam euocauit aliquantò post Regem ipsum; etenim cùm Prouinciam acerbè vexaret atque diriperet, vrbes plurimæ apud Regem de Proregis peculatu conquestæ, Comestabile querelas promouente, eum impulerunt ad nouum iter aggrediendum. Itaque Carolus venit Auenionem, à Clemente summâ exceptus magnificentiâ, & Ludouico Andegauensi patruele in Neapolis Regem coronato, expostulationibus Occitanorum intendit. Comperto quadraginta mille familias Proregis auaritiâ & rapinis familiarium, deturbatas bonis & laribus, in sylvas & antra ad euitandam sæuitiam confugisse, tutiúsque lupos inter & feras degere, quàm in mediis vrbibus, sub Redemptorum & Publicanorum immanitate; ad subleuandam Prouinciam, Tolosam profectus est. Illic Biturige iusso facessere, ac quodam Betisaco, qui Proregis potentiam ad sua flagitia detorquebat in pœnam vocato, audiebat querimonias, & damnum quantùm fas erat miseris sarciebat. Post constitutam Prouinciam, incitatis equis Parisios venit, iuuenili lusu atque proteruiâ cum fratre Aurelianensi sponsione factâ; vter velociùs Monspelio Parisios veredariis equis decurreret; ac quinto die pauciissimis horis anteuertit Dux Regi. Porro libet antequam auoleo, tantisper cum eo in Occitania demorari, & Comitem Fuxiensem aduentantem, vt clientem se dicat, paulo attentiùs contemplari. Is Gasto nomine, ob eximiam corporis pulchritudinem Phœbus nuncupatus, ornamenta corporis animíque assequutus quamplurima, totâ Europâ celebrabatur omnium ore, Membris ad dignitatem Principis conformatis, vultu, staturâ, flauo capillitio, vigentibus oculis, mirâ dexteritate, firmoque robore dignissimus imperio videbatur. Nunquam caput vllo tegumento inuoluerat, semper eo nudo incedens, primum vt admirabilem comam ostentaret, mox vt se in cœli intemperiem æstus & frigora indurares. Generosissimus atque fortissimus in Anglos affinésque Principes, multa bella gessit, victórque in omnibus famâ egregiâ, ac terrore iusto inuidiam oppressit, odiumque restinxit. Ditissimus ac magnificentissimus Principum habitus. Ædificia sacra & profana ingentia erexit, & plurima; illustrem atque amplissimam è nobilibus familiam alens, dona in meritos luculentissimè cumulabat: nec ideò subditos quibus charissimus erat diuexauit vnquam, sed ab honestâ parcimoniâ annuos reditus, & vectigalia iusta geminabat. Musicam ardentiore studio prosequebatur; siue quæ vocibus, siue quæ fidibus canit, ac perpetuo gratis concentibus aures & conclauia personabant. Litteras & litteratos

Rex in Occitaniam venit.

Gasto Phœbus Comes Fuxiensis.

CAROLVS VI.

ratos diligebat impensè ; eos potissimum domis ornans & beneficiis. Verùm vt indoles militaris erat, impotenti animo ad venationem atque aucupium ferebatur, atque alebat duo millia canum, & volucres ducentas doctas ad venandum ; vt per ea felicissimus ac felicitate dignissimus haberetur. Duo tamen, vt est vita mortalium, grauissima infortunia passus est, quæ prosperitatis sensum infecerunt ; alterum quod sine legitimo hærede, alterum quod inimico herede obiit. Erat illi filius Gasto nomine, ab sorore Caroli Nauarræ Regis susceptus, in spem patrimonij tanti educatus ; ille ab Patruo pessimo bipedum quem inuiserat, donatus puluisculo quem patri porrigeret ; vt cum ipso matrem reconciliaret, nam inter se dissidebant ; forte in iurgio cum fratre Notho oborto, detectus is puluisculus est, & ad patrem delatus ; eóque iubente cani in frustulo panis oblatus, vorantem extinxit illicò : Quamobrem Pater in furorem actus, postquam didicit donum à Nauarro profectum, non dubitauit quin Nauarrus filium ad parricidium instituisset. Eum itaque ægrè à Domesticis è manibus suis ereptum carceri mancipat, & conuocatis Comitiis ignominiosæ neci destinabat ; cùm adolescens miser atque innoxius repertus est in carcere animam egisse ; seu dolore, infamia parricidij cum innocentia depugnante ; seu sponte, alimentis abstinens, ne infortunio ignominia mortis accederet ; aut forsitan, patris nutu immisso carnifice, sibi ipsi ignominiam & dolorem nouum indulgentis. Sanè hæc labes fœlicitatem Principis contaminauit ; erántque in præclarâ indole turpiores næui ; quod suspicax atque iracundus, ad sæuitiam atque vindictam vltrà æqui metas agebatur haud rarò. Eo animo exercebat inimicitias cum Vicecomite Castelbono Patruele suo ; erátque molestissimum quod cæso filio eum hæredem habiturus foret. Quam molestiam vt auerteret, Regem conuenit, ac de sua ditione clientelam professus, cùm filium spurium heredem vetantibus legibus non posset instituere, Regis liberalitati vltrò confisus ipsum heredem scripsit. Nec fefellit scribentis spem magnificentia heredis ; etenim totam ditionem Rex in spurium refudit, & illi Fuxienses addixit in patrimonium. Fuit autem mortis ratio vt vita cætera singularis. Cùm sub æstum caniculæ ætatis anno post septuagesimum secundo, sed senectâ robustâ & viridi, Saluaterra Orthas profectus, in vrsum incurrisset, eum vt venationis erat amantissimus, persecutus venatusque ; cœli intenso corporisque ardore, ad sumendum cibum in conclaue subit, quod à domesticis ad captandum frigus, vernantibus arborum ramis conuestitum, & ad subleuandum æstum instructum accuratè, tanto frigore incalescentem Principem afflauit ; vt infusa ad accumbendum manibus frigida, exanimis procubuerit ; ea duntaxat voce vsurpata ; ah parce Deus mi ; sic mors inter charissimæ & suauissimæ voluptatis vsum irrepsit ; vt frustra pericula, bella, & naufragia vitentur, cùm in ipso asylo vitæ atque alimento, quæ per ea cauentur occurrant. Hæc de Gastone Phœbo fortasse fusius, sed non pigebit hoc diuerticulo aliquantisper viæ regiæ tædium mitigasse.

XXIII. *Varia expeditiones.*

Interea cum Anglis pactæ in plures annos induciæ, domesticam quietem Franciæ & aliquot foris expeditiones pepererunt. Primùm in Aruernis

&

& Lemouicibus graſſatores extincti ; quorum Duces Marcellus & Teſtanerius , famoſiſſimus ille tot rapinis prædo , à Biturigum Duce capti , arcibus euerſis in quas confugerant , Pariſiis ſupplicio palam necati ſunt ; affixis in arborum ramos ſcelerum ſociis. Tum in Africam , ac poſtmodùm in Italiam deductæ copiæ. Expeditionis primæ ea ratio fuit ; Genuenſes internecinis cum Venetis bellis fracti & obtriti , ab Mauris Africæ toto mari interdicebantur. Moleſtiſſimum erat iis quibus antea pelagus regnum atque adeò luculentiſſimum fuerat , ab gentè viliſſimâ deiici , ſuóque portu ſeu cuſtodiâ clauſos , gloriâ Imperij & commercij fructu ſpoliari. Eam ob rem auditis Francum inter atque Anglum induciis , erecti in ſpem hoſtem perdomandi , legatos mittunt ad Regem vtrumque qui auxilia flagitent ; maximè ad Regem Franciæ , qui ſuæ ſtirpis Principem in expeditionis Ducem deſignet. Excepta in Francia ſummo plauſu legatio ; extemplò militares nobilium animi ſtimulo gemino religionis & gloriæ concitati , paſſim dant nomina ; opúſque fuit ad impetum continendum Edicto , quo vetabatur ne quis ſine Regis conceſſu in delectum ſe daret. Maior in dicendo Duce controuerſia fuit ; cùm Regis frater Aurelianenſis , ad belli gloriam anhelans iuuenis , eam Prouinciam ſibi depoſceret ; obſtarent Patrui Burgundus & Biturix , prætexentes imperitam Principis adoleſcentiam ; reipſa iam æmuli , & generoſam indolem oppreſſuri , detractâ laudis atque honoris materiâ. Ita eorum ſententia deſignatus Dux Borbonius, veteranus iam Imperator , quique in Africâ , non ita pridem pugnaſſet. Adiuncti Proceres,cum Regis veniâ,Philippus Arteſius,Euſius Comes, Beralduſ Comes Claromontanus,Viennius Admiralius, Coucyus,Trimollius, Harcurius , Sancerra , Sullius , aliíque ; quibus Angli magno numero acceſſeruut , multíque Bauari. Genua trecentis triremibus & centum nauibus ſoluit exercitus , in quo triginta militum millia , magna pars nobiles , Europæ flos delibatus. Procellâ iactati in Africam applicant , ipſámque vrbem cui Africa nomen aggrediuntur. Eſt Africa vrbs , veteribus Aphrodiſium ſeu Phanum Veneris , poſita in arcto ad Mediterraneum promontorio , quod vtrinque mari alluitur , & erectis munimentis defenditur ; eam Rex Tunetanus , expeditione compertâ , egregiè inſtruxerat , dum cæterum exercitum Tunetum contrahit. Producta obſidio ad menſem alterum , quo poſtquam vrbs in poteſtatem conceſſit ; ij ad Tunetum duxerunt copias. Verùm Tunetanus Rex ad priores artes ſe conuertens , quibus ſui maiores Ludouicum ſanctum profligauerant ; ereptâ pugnæ facultate, quam ardenter Franci appetebant , cepit velitationibus , incurſionibus , nocturnis & improuiſis aggreſſionibus , hoſtes fatigare , vexare , atque opprimere ; vt frangerentur belli laboribus , & nullâ victoriâ recrearentur. In eiuſmodi impreſſionibus duo maximè Francis ſaluti fuerunt,quæ Dei tutelæ calculo omnium debebantur.Primum quod canis nullum herum proprium ab Europa ſequutus, Chriſtianis hæſit,ac Mauros quodam inſtinctu vel diuino,vel naturæ,odorans ſagaciter,cùm accederent ſignificabat latratu;vt iam pro vigilantiſſimo excubitore & ſonorâ tubâ caſtris eſſet. Alterũ fatentibus Mauris,fuit indubitatum diuini præſidij ſignum.Nam Franci

In Africam expeditio.

Anno 1390.

CAROLVS VI.

cum totum diem sub signis stetissent, æstu & armorum pondere defessi plurimùm, nocte proximâ alto somno se dederant; & ecce Mauri toto exercitu irrupturi aduenium. Tam arctè sopor fessos artus adstrinxerat, vt latratu canis nusquam excitati, in magnam cladem incursuri forent; quando Mauris spectaculum improuisum obiicitur; primùm ingenti lumine perstringuntur; tum apparet Matronarum cohors, specie venerabilium & fulgore miro lucentium, quarum princeps dextrâ vexillum præferens, colore candido roscóque distinctum, excellebat præ cæteris, vestium luce, & totius corporis dignitate. Quo spectaculo hostes perterriti terga illicò vertunt, & se in sua castra recipiunt. Franci interim æstu, & grassantibus malis imminuti, spe obtinendi Tuneti depositâ Genuensibus pacem fecerunt; quâ soluti captiui mari parta libertas, commercij securitas asserta; & classi omnes redditi, pars in Europam, pars in Palæstinam Religionis causâ nauigauit. Eam expeditionem excepit missus in Italiam nouus exercitus, vnde noua Burgundum inter, & Aurelianensem causa dissidij. Barnabus Vicecomes Mediolanensis in vxorem duxerat Ioannis an Iacobi Armaniaci Comitis sororem; ille à Galeatio patruele, & socero Aurelianensis Mediolanensi ditione expulsus, Armaniaci sororij opem implorabat; fouebatque Armaniacum Philippus, vt Aurelianensem deprimeret; contra hic rem soceri promoturus, suámque, quando vxori illucebat spes hæreditatis, contendebat ne Barnabo mitterentur auxilia; atque optabat vt patruelium pugnantium armis res permitteretur. Obtinuit tamen Burgundi auctoritas, vt Regis voluntate & stipe legeret exercitum Armaniacus; quem triginta millibus militum conflatum in Insubres duxit. Sub initium fausta omnia, pluréque vrbes aduenientem excipiunt. Alexandria vincentem stitit, eripuitque victoriam. Vrbem expugnare aggressus, & soluto licentiâ milite, cùm hostilis exercitus nullus timeretur, perniciem sibi suisque confecit. Quippe Vermius peritus Galeatij Dux, captatâ occasione quam offerebat vberrimam effusus ad prædam miles & securè diripiens; in Francos inuadit; consertóque prælio in fugam agit: ipse Comes septem vulneribus saucius inter fugam, dum siti oppressus, fonti se applicat, in ipso potu deliquio correptus procumbit, & ab hoste captus paulo post expirat; cæsa sex Francorum millia, reliquos fuga dissecit. Galeatius sensum victoriæ in clementiam vertit; nam Comitis corpus conditum aromatibus ad affines misit; captiuos milites donatos pecuniâ liberos fecit, ac fugientibus fugæ facultatem; vindictam honestissimam ratus, quæ hosti parcendo, diligendi se necessitatem imponeret.

Armaniacus in Italia.

XXIV. *Comestabilis casus.* De Craon.

In iis incommodis leuibus admodum, tranquillum & securum Franciæ otium nouus & inexpectatus casus, vnius hominis furore abrupit. Petrus Cranensis Ludouico Aurelianensi familiaris admodùm erat, & in eius consuetudinem se penitissimè insinuauerat. Is malè passim audiebat ob vitia, idémque Ludouicum Andegauensem Dominum suum ad necessitatem mortis deduxerat; nam ab eo in Franciam missus dum ageret in Italiâ, vt pecuniam conficeret, afflictúmque exercitum subleuaret, ab vxore Ducis muliebri mundo diuendito; dum iter Venetiis habet, in vrbe peraccommoda

moda voluptatibus hæret, luxu & ganeis stipem militum absumens, dum exercitus inopiâ atque miseriâ soluitur, & ipse Andegauensis dolore animi vitam agit. Ille igitur eos mores ad Aurelianensem applicat, iuuenem in amorem mulierum proniorem; atque auctoritate, aureo imbre, & flore ætatis, machinis in imbellem sexum validissimis, pudorem virginum, & nuptarum thalamos expugnantem. Ille aliquando amores Principis Valentinæ vxori aperuit; quam rem demum ab ipsâ coniuge Princeps comperiens, Cranensem aulâ pellit, causâ indictâ, tamque acerbè auctoritate Regis persequitur, vt in Andegauis patriâ suâ intuto, vnum Britannia asylum patuerit, vnúsque hospes Monfortius; eorum perfugium qui in offensionem Regis incurrissent. Extemplò ab Rege querelæ ad Monfortium deferuntur, quod extorrem & Regi parum gratum excepisset, eamque ob rem Rex ac Britannus Turones conuenerunt; vbi mutuis expostulationibus incitati potius, quam pacati, recesserunt; nouo tamen fœdere illigati, & Cranensi facultate datâ hærendi in Britanniâ. At ille infortunij ferendi impatiens, dum auctorem vestigat animo, in quem vindictam exerat, præter Comestabilem nemo occurrit, quem, quòd ipse se insinuaret in Principis gratiam, actum inuidiâ suspicatur. Monfortius suspicionis particeps factus, eam auget, & Comestabili infensissimus, Cranensem ad vltionem incendit. Concepto facinore, diem ac modum Cranensis disponit, Custodem ædium quas habebat Parisiis, iubet clam comparare loricas, atque alia arma, quibus quadraginta viri induantur; tum delectos ad cædem Sicarios singulos deinceps ad easdem ædes quadraginta mittit; & ipse ad designatum diem; qui erat sacro-sancto Christi Corpori festus, mense Iunio se in ædes suas abdit ignotus. Eo die Rex Proceres omnes cœnâ exceperat; nocte concubiâ, cùm in sua redirent singuli, & fortè postremus omnium Comestabilis in palatium suum recederet, octo domesticis comitantibus; ecce Cranensis cum quadraginta sicariis in eum irruit, facibusque restinctis se Cranensem professus, qui ad petendam vindictam venisset, quadragenis ensibus solum, diffugientibus famulis, impetit. Et se Comestabilis breuiori quem gestabat ense aliquandiu texit; donec ferro in caput impacto, ex equo dejectus, in pistoris fores nondum occlusas prolabitur, omniúmque confossus ictibus, pro exanimi habitus iacet, sicariis fugâ se proripientibus, nondum redditis ciuitati portis, postquam in seditionis pœnam raptæ erant. Interea discurrentium strepitu ciuem excitante, spargitur rumor Comestabilem cæsum; quo perculsus Rex in locum aduolat, saucium inspicit, solatur amicissimis verbis, & Chirurgos iubet mederi vulneribus. Illi renuntiant quanquam plurima essent & grauia, lethale nullum esse, & Deo moderante nullum eiusmodi erat. Nam postquam saucius in pistoris fores deiectus est, percussores equo nusquam exscenso, ne tardarent fugam, ictus in iacentem infirmiores intulerant, & is loricam hamatam gestabat sub vestibus, qua ferri prius retusus impetus, & vetita mors ad viscera penetrare. Continuò patrata in sicarios quantùm licuit vltio; duo è fugâ retracti; truncantur dextra & capite; Cranensis ædes diruuntur funditus, Custos furcæ suspenditur; in Cranen-

CAROLVS VI.

CAROLVS VI.

sem absentem mors pronuntiatur, facultates fisco addicuntur, & arces curante Viennio euertuntur. Hæc pœnæ præludia; Cranense incolumi, imperfecta duntaxat & inchoata leuiter videbantur: is verò à Britanno exceptus vnâ re infortunium suum accusabat, quod superesset inimicus, suis curis periculisque fruſtrà impensis. Et ad eum tradendum compellatus à Feciale Regis Monfortius, insolenter responderat; se Cranensem haud excepisse; ignorare vbinam gentium esset, eamque curam ad se minimè pertinere; séque flocci habere, quid iurgij inter Cranensem & Clissonium foret. Eo responso Rex exacerbatus, bellum parat Monfortio, & Italicæ expeditionis immemor, quam instruebat vt Clementem Pontificem, expulso Bonifacio, qui Vrbano successerat, toti Italiæ obseruandum ingereret, vna vltionis cupiditate flagrabat.

XXV. *Aurelianensis & Burgunda factio.*

Erat tamen quod voluntati pronæ obniteretur; nam in Comestabilem duo Regis Patrui, Burgundus & Biturix, dudum odium alebant, se ab eo dolebant administratione rerum deturbari; antea illarum regníque compotes, nunc auctoritate precariâ, atque occluso cupiditatibus suis ærario, se à gradu pulsos patiebantur ægerrimè, Proceréſque & Nobiles conciliabant ad creandam sibi factionem. Contra Comestabilis tametsi Regem in potestate haberet, tamen quoniam apud Francos sanguis Regius magni momenti est, Aurelianensem opponebat, quem blandimentis, Regiis donis, magnâ in suos munificentiâ sibi allexerat atque adiunxerat; adeo vt iuxta illi gratus ac Regi foret. Et ab iis cunis duas inter familias, Aurelianensem & Burgundam inimicitiæ ortæ sunt, quæ deinde Franciam discinderunt, & admouerunt ad perniciem vltimam. Ideò in decernendo in Britannum bello discrepabant sententiæ, distrahebantque consilium. Aurelianensis bellicum insonat; *atrox facinus sub aspectum Regis perpetratum, violatam maiestatem regni in Principe Magistratu, Regem inter & Comestabilem neminem esse medium, vt qui impunè Comestabilem perimit, iam gradu proximo Regi immineat, quid tutum, quid securum Principibus? Si in vrbe primariâ, ad fores regias, sacrosancto die, religiosis initiato mysteriis, in conuocatis palam nobilibus, grassatores, impunè virum innoxium, dignitate & perpetuis in regnum meritis, Regi regnóque toti charissimum, ad arbitrium mactent? quæ causa iustior belli decernendi, quam vt puniatur atrocissimum scelus, sanciatur iustitia, & ipsi Regi comparetur securitas.* Biturícensis in eas machinas obiiciebat omnem industriam; primùm auctor fuerat vt compellaretur Britannus; dein affirmabat inimicitias Clissonium inter & Cranensem priuatas; eius quidem grauissimum facinus; sed indictas pœnas, quantùm ad iustitiam & terrorem satis; quid Britannum bello aggredi opus; cùm illicò Anglicum oriturum esset, quod tantis ærumnis curísque sollicitis nuper ipse Rex petitis induciis oppressisset? Verùm iis potentior Regis in Comestabilem amor, quo vrgente bellum in Britannum decretum est ac paratum. At paulò post nouus intercedit obex, Burgundiæ Dux, qui conquestus inconsulto se bellum indici, nec vocatis eam in rem comitiis, omnem artem adhibuit, ad profectionem Regis inhibendam; nam adornauit medicos, qui Regi valetudinem obnuntiarent; eum proximo morbo nondum recreatum,

recreatum, etenim Ambiani ardentissimâ febri cum discrimine salutis vexatus, infirmo adhuc corpore erat, & cœli magno æstu, periculum esse ne recrudesceret. Reclamabat populus, negabátque Regem inualidum debere pro vno Clissonio agi in bellum; Antistites atque Vniuersitas Parisiensis grauibus admonitionibus dehortari Regem à bello conati; Biturix peritissimus ille morarum Artifex, omnia excogitabat vt impedimenta bello annecteret. Nec Regis ideò deferuebat ardor; imò Clissonio insinuante, nouis suspicionibus mentem implicabat; sibi iam non obtemperari, coqui arcana in Regnum consilia, & proditionem iis moris texi; visúsque est aliquoties atrâ bili cerebellum mouente, aliqua dicere quæ minus sanum hominem saperent. Eâ corporis animíque imbecillitate, cunctationem omnem abrumpens expediri copias iubet; ac paulo post Carnutum, dein Cœnomanum venit. In eâ vrbe, Patruorum arte moratus otiduum, tandem impatientiæ plenus & tædij, die quintâ Augusti, ex vrbe versus Britanniam tendit. Erat intensissimus caloris æstus, quo equitabat Rex, capucium indutus, & pallium ex heteromallo serico, panni spissitate ardorem cœli adaugente; ibátque silentio, anxio animo, ac reuoluente quas ante conceperat molestias & suspiciones; cùm duo casus mentem bili afflatam in sonticum morbum impulerunt. Prima res creditur à Burgundo Duce adornata, altera plane fortuita, & diuino consilio, ad Franciæ scelera ægritudine Regis punienda. Itaque cùm Rex iter per syluam haberet, repente inter arbores vir rusticus prodit, staturâ supra modum procerâ, cute æstu incoctâ, capillis hispidis squalidísque, membra nudus, præter centones quibus medium corpus tegebatur; tum equum habenis sistens, Regi terrificâ voce inclamat; *quò tendis Rex miser, regredere, proderis*; mox ægrè ab equo adstantium concursu abstractus, se in densissimam syluam immittit; euanuítque ab oculis. Ea res melancholiam concitauit; at quæ consecuta est concitatam sparsit, & rationem planè deturbauit. Postquam Rex syluâ egressus est, elabentibus cæteris, ne commotus puluis officeret, equitabat solus, duobus ephebis ponè sequentibus; alter Regis galeam induerat; alter lanceam demissam gestabat, porrò hic postremus sopore oppressus, forte lanceam in galeam socij præcedentis impegit; cùm ex illisu sonitus ederetur, ad eum Rex conuersus, & quâ perstrictus fulgore galeæ, quâ demissâ perterritus lanceâ, ratus sibi parari insidias, furore corripitur, & tumultu cogitationum ad repentinum spectaculum adhærente, in phrenesim momento agitur. Tunc quasi inter medios hostes versaretur, vt erat generosi fortissimíque in periculis animi, districto ense in Ephebos ruit, illi diffugiunt, & clamoribus proximos euocant: Aduolat Aurelianensis, statimque in eum Rex mucrone stricto inuehitur; necabátque ni se fugâ celeri proripuisset. Affluit vndique Aulicorum turba, & passim obuios furiosus Rex ferro tundit, iamque tres quatuorve mactauerat, cùm omnibus fugientibus, tandem cursu, æstu & labore fessus, simul cum equo in fossam decidit, vnde eductus, Cœnomanum fertur. Hicque est morbus quo non modo Rex, sed misera Francia laborauit, tantis calamitatibus domi forísque vexata, vt diuinæ opis illustrissimum sit monumentum, quod superfuerit.

CAROLVS VI.

Regis sonticus morbus.

Anno 1392.

CAROLVS VI.

XXVI.

Regis morbus incurabilis.

Continuò ad ægrotum adhibentur medici atque remedia; adstant Principes & beneuolentiâ grati, per vniuersas prouincias preces & supplicationes instituuntur; viæ ac templa feruent virorum & mulierum piè peregrinantium precibus, qui nudis pedibus misericordiam Dei compellarent. Verùm perseuerabat contumax morbus, exhauriebat medicorum artem atque remedia; Proceres omnes affines & charissimos respuebat æger; Deus precantium vocibus obduruerat; Réxque miserandus iacebat in lectulo, mente deturbatâ; & furore identidem irrumpente, se regi passus à nemine, præter Valentinam Aurelianensis coniugem, cui vtcunque ad capiendum cibum obsequebatur. Postquam inspectum est, morbum supra remedia furere, deliberatum est de Regente Regni designando; túncque primùm ambitus, mox discordia, postremò grauissima odia, Proceres & miserum Regnum discinderunt. Ambiebat regimen Dux Aurelianensis, vt Regi propinquior, eúmque promouebat Comestabilis, cum totâ factione, iisque qui incolumi Rege res administrabant; & ipse Rex per lucida interualla, eam sibi voluntatem esse declarabat. Burgundus contrà, immaturam oneri ætatem Aurelianensis, imperitiam rerum, mores etiam & consuetudinem vitæ obtendebat; isque accedente Biturige, & magnâ Procerum parte, quibus Comestabilis potentia foret odiosa, Regni Regens dictus est Regísque curator, dum valetudini restitueretur. Primum Regentis facinus, (tu cætera à principiis collige) vltio fuit & peritus sanguis. Potestas in Comestabilem & sectatores eius conuersa; initúmque consilium ipsius damnandi ob peculatum. Et ille gnarus quæ inimici intenderent, saluâ pecuniâ, primùm montem Ericum se recepit, dein Iosselinum validam in Britannia arcem. Burgundus cum nequiret in truncum sæuire, vltionem in ramos deprompsit; nam Comestabilis summam præfecturam ereptam Clissonio, dedit Philippo Artesio Eusio Comiti, viro qui è Regio sanguine, & indole, vt Artesij erat, præferoci, intrepidè concessum munus tueretur. Tum rapti in carcerem sectatores Clissonij, Nouiantus & Riuerius; & Beguius Villanius; Montacutus diligentior Auenionem cum gaza se proripuerat; sed Villanius haud multo post, amicis contendentibus, & conciliante fortitudine bellica, quâ insignis erat missus est carcere; alij duo suâ pecuniâ, & Iuuenalis Vrsini gratiâ, vitam & libertatem mox assequuti sunt. Vnus Clissonius sibi vni salutem pristinámque amplitudinem debuit: Etenim tuto in Britannia receptu, suis in Ducem copiis depugnauit triennium; móxque pace conditionibus æquis perpetratâ, Ducem ipsum generositate animi expugnauit. Quippe eius filium cùm in obsidem tradi & paternæ fidei pignus postulasset, ipsum traditum ad patrem remisit, & omni suspicione abstersâ, Ducem Venetiam conuenit, restinxítque eo facinore odium insanabile, quæsitâ in posterum amicitiâ firmâ & inuiolatâ, atque ita Clissonius in facultatum vsu, suæque amplitudinis perstitit, fremente Burgundo; longè aduersis clarior; vnde veram & securam prosperitatem adeptus est. Interea vnius medici curâ; cui nomen Guillelmus Herselæus, Laudunum patria, Regi restituta est valetudo; Deo actæ ingentes gratiæ, & ipse Rex religiosè in S. Dionysij

Philippus Burgundus regens.

profectus,

profectus, dona plurima obtulit, pietatem testatus. Nec vt vulgo creditur, in morbum recidit, tristi ludicræ saltationis euentu, quâ quinque ex charissimis aulicis; lanâ & stupis pice telæ adstrictis, in speciem agrestium hominum tecti; Rege ipso simili habitu deducente, admota iussu Aurelianensis face, flammis correpti sunt, & viui combusti; nam & Rex seruatus est à Ducissâ Bituricensi, stolâ fœminea in ipsum iniecta; & aliquanto post mentis compos Abbauillam venit, vt quæ res tum agebatur, pacem cum Anglo firmam contraheret. Verùm eâ in vrbe recrudescit morbus, nec sanandi spes occurrit; Herselæo medico vitâ functo, cæterisque ignaris, quo remedio Regi is consuluisset. Ergo Burgundo Regni regimen capessente, reuocantur cum Anglo inducię, atque vt pax stabiliretur, Ricardo Isabellam Regis filiam in vxorem poscenti, impellente Arnaldo Corbiensi Cancellario, viro politicarum rerum peritissimo, pactæ sunt nuptiæ. Moxque ipse Ricardus magnâ Procerum vtriusque regni frequentiâ, Caleti Isabellam vxorem despondet, & postmodum in Angliam abduxit; quanquam illibatam ob teneram ætatem; nam octauum annum decurrebat, pace inter Reges firma & sancita; ingenti Franciæ gaudio, cui tandem liceret ab Anglico bello respirare; & Carolo feliciter conualescente ex ægritudine diuturnâ. Verùm ea felicitas pro somnio fuit; & obiectum dormienti ludibrium; tam citò euanuit, & in tristissimum luctum repente desiit. Et delibata in Hungaricâ expeditione calamitas; quam in Turcas susceperant pro Sigismundo Rege Hungariæ, pleríque Franciæ Nobiles; quorum Principes Ioannes Comes Niuernensis Burgundi filius, Philippus Artesius Comestabilis, Coucyus, Viennius Admiralius, & Comes Marchiæ. Primò quidem re prosperè gestâ, & quindecim Turcarum millibus deletis à Coucyo; sed postmodum orto Comestabilem inter & eundem Coucyum graui dissidio; Comestabilis culpa, pugna ad Nicopolin in Baiazetem Turcarum Imperatorem conserta improuidè, Franci deleti sunt, fugati Hungari; cæsi in acie Guillelmus Trimollius, Philippus Barrensis, & Ioannes Viennius, clarissimus bello Dux; qui vitam illustrem digna morte clausit; repertus exanimis, vexillum Imperatorium ambabus manibus tenere, in quo Deiparæ virginis picta imago. Comestabilis, Coucyus, & Guido Tremollius. vinculorum tædio lucem amiserunt; redempti ex vinculis Comes Niuernensis, Comes Marchiæ, Barrensis, & Boucicautus; reuersique in Franciam, luctum ex sociorum clade in multas familias reportarunt. Fuitque is Baiazetes, qui plurimas palmas vno prælio fregit, à Tamerlane Tartaro victus, actus in caueam belluæ instar, verè monstrum humanæ inconstantiæ, quod mortalium oculis proponebatur, è summo potentiæ fastigio deiectus in miseriæ barathrum.

CAROLVS VI.

Pax cum Anglo.

Hungarica expeditio.

Anno 1396.

Eo infortunio prælusum sequentibus, quorum initium ab Angliæ casu. Richardus quem dixi, benеuolo in Franciam animo, studuisse paci, & Isabellam in coniugem adduxisse, repente Throno deiicitur, vitaque orbatur. Diræ tragœdiæ auctor, Henricus Lancastrij filius, Regis patruelis, qui ab exilio reuocatus, Ricardum vicit, cepit, ac necauit; atque occupato solio in Regem se gessit; Henricus dictus eâ appellatione IV. rei gestæ

XXVII. *Rex Angliæ casus.*

CAROLVS VI.

gestæ seriem Angli narrant. Necis tristissimæ nuntius Regem iteratò in morbum impulit, iterúmque Burgundus vocante nemine susceпit regimen; Isabella firmatis induciis dimissa in Franciam, dotalis pecunia & gemmæ seruatæ; quando Tyrannorum nusquam integra beneficia sunt. At Burgundo regni regimen haud tranquillum erat; Aurelianensi ad locum principem aspirante, & secundum spernente, atque accedebat vxoris ambitio, Valentinæ, superbæ admodùm, nesciæ cedere; quæ inflammabat coniugis animum, arteſque varias ad conciliandam aulam vsurpabat. Contentionem incendit mors Ioannis Britanniæ Ducis, quodque est consequutum. Illi quatuor liberi erant; Ioannes successor, Arturus Comes Riquemontius, Ricardus Comes Stampensis, & Ægidius. Eos Carolus vt haberet in potestate, fratrem in Britanniam miserat, qui pupillos abduceret; verum Proceres Britones intercedunt, sibique impuberum custodiam poscunt atque conficiunt. Aliquantò post eorum mater, Henrico Angliæ Regi patrueli, atque interfectori fratris, cùm nuberet; iidem Barones ne pupilli in Angliam deferrentur, Carolum appellant, ac venienti Burgundo Principes suos vltro permittunt. Id Aurelianensis inuidiam atque odium suscitat; cui molestissimum erat, Burgundo cum pupillis permissam Britanniam prouinciam opulentissimam. Iamque odia accusationibus palam gliscebant, seque mutuò proscindebant, regiique morbi auctores dicebant; & eam in rem Aurelianensis, Iudicum sententia, flammis subiecerat quendam Ioannem Barrensem è Burgundi familiâ, Magiæ postulatum, quasi ea arte morbum Regi fecisset: paritérque Burgundus duos Augustinianos necauerat suspendio, qui ab Aurelianensi ad curandum Regem admoti, inciso capite propè necauerant. Imo ex ciuili contentione ad bellum odia inclinabant, nam Aurelianensis ad Guillelmum Geltriæ Ducem accesserat, turbulentum virum; & turmis equestribus comitatus, in Franciam venerat; & Burgundus armabat quos obiiceret; cùm à Regina, & Biturice ac Borbonio Ducibus, aliquatenus reconciliantur. Interea Carolus è morbo respirans, auditâ Principum lite, iubet vt si in ægritudinem relaberetur, Aurelianensis pro Regente esset. Ac paulò post eo relabente, Aurelianensis administrationem susceпit; nec tamen in ea diutius hæsit; à Burgundo deiectus decreto Ordinum, quibus molestum Aurelianensis exhibebat se; tum importunè ingerendo Ecclesiasticis Benedictum Pontificem, qui successerat Clementi VII. vir Hispanus, minúsque passim gratus; Bonifacio nono vero Pontifice iam in Francorum animis præpollente; tum quod tributa plùrima indicebat plebi iniucundus. Deiecto vis atque arma supererant; quæ vtrinque sumpta, ciuili bello implicabant regnum; iamque ad Parisios plurima equitum millia conuenerant, cùm curâ Principum & studio Arnaldi Cancellarij & & Iuuenalis Vrsini, decernitur; vt neutri permissa administratio Reginæ esset ac cæterorum Principum, quorum suffragiis pluribus Regnum regeretur. Ad eam pacem stabiliendam, desponsa sunt eos inter coniugia; vt Carolus Aurelianensis natu maximus filius, Isabellam ab Anglia reducem duceret; Ioannes Britanniæ Dux, Ioannam Regis filiam; Ludouicus Delphinus

Dissidium Aurelianensem inter & Burgũdum.

Aurelianensis Regens.

Anno 1400.

Delphinus Margaritam Burgundi ex Ioanne filio neptem ; nam Ludouicus Carolo iam natu erat primus ; duobus fratribus natu maioribus, quibus Carolus nomen erat, morte præreptis. Ea pacis larua infensos animos vtcunque inhibuit, donec Philippi Burgundi morte, noua & grauiora dissidia orta sunt. Is morbo extinctus est, dum è Flandria in Franciam venit, commodioris cœli captandi gratiâ ; atque in publico diuersorio inter hospitum turbam emisit animam, frustra palatiis tam multis erectis. Princeps haud dubiè magni animi atque intrepidi, cuique Francia haud parum debeat ; sed regendi cupidine, longè plurima bona interuertit, atque in filio hærede præterita beneficia omnino corrupit.

CAROLVS VI.

Burgundi mors.

Is Ioannes dictus, ante Comes Niuernensis, qui cum duobus fratribus ad Regem obsequij præstandi causâ se conferens, existimauit dimidiatam hæreditatem patris se cernere, nisi ad Franciæ regimen eueheretur. Eò itaque contentionem omnem intendit, instátque vt pactum Delphini cum Margaritâ filiâ matrimonium impleatur. Aurelianensis indignans nouum obicem potestati suæ exsurgere, ad eum amoliendum studium admouet, atque optato Delphini coniugio moras nectit, & in Flandriam profectum Burgundum, mox Caletensem obsidionem parantem, vltra progredi vetat. Iam ante Burgundus molestiam Aurelianensi facesserat ; Etenim cum is capessito regimine nouum subsidium Regis nomine plebi imponeret, Burgundus obstitit, beneuolentiam plebis colligens, simulato boni publici studio : In præsentia iratus, quod Caletensi obsidione prohibitus foret, statuit vi in consilio principem locum inuadere ; daturúsque indolis specimen trucis ac ferocis, cui præ ambitione, perleue esset omne flagitium, octingentos equites armatos sub sagulis, Atrebate versus Parisios ducit : atque aduentans, audit, Aurelianensem cum Reginâ Delphinum rapuisse, & in Germaniam tendere. Etenim Aurelianensis percepto rumore de Burgundi aduentu, & de Parisiensium fide subdubius, Reginâ consiliorum consorte & comite, Delphino persuaserat vrbe egredi, in quâ salus in periculum vocaretur ; præibant Corbelium versus Regina & Aurelianensis, dum Ludouicus Bauarus Reginæ frater, armatis stipantibus Delphinum lecticâ vectum deduceret. At Burgundus profectione auditâ, equis incitatis Parisios venit ; vrbémque nullâ morâ pertransiens, Delphinum haud Corbelio procul assequitur, & reuerenter precatur Parisios redeat ; esse res tractandas, quæ præsentem ipsum reposcant. Intercedit Bauarus & Delphinum hortatur, vt Reginam matrem & Patruum consequatur ; vetátque præterea ne quis in lecticam Principis manum iniiciat. Postquam altercati sunt aliquandiu, tandem præpollente Burgundo, conuersis lecticariis equis reductus est Delphinus ; nec ab eo Bauarus abesse voluit ; Reginâ & Aurelianensi ad rem nuntiatam, Melodunum tutam in vrbem celeriter euadentibus. Exceptus à Parisiensibus Burgundus instar triumphantis, egítque gratias ob rem gestam Vniuersitas, cuius tunc temporis ingens auctoritas, magnúmque momentm in quam partem se verteret. Et verò Burgundus, vt Parisios populosam vrbem atque regni caput sibi totam addiceret ; obtinuit vt catenæ ferreæ redderentur, quas

XXVIII.

Ioannes Burgundus patri succedit.

CAROLVS VI.

olim Rex ob seditionem admoueat, atque arma erepta restituerentur prauo consilio, quo furenti gladius, furor belluæ, atque impotenti plebi nocendi vis permitteretur. Nec seminùs foris in Aurelianensem communiebat; quà libellis scriptis administrationem eius carpendo; quà delectu militum, ad vim opprimendam. Quippe Aurelianensis postquam acerbè de Burgundi tyrannide publicato scripto expostulauit, amicos & socios euocauit sub signa; iámque ciuile imminebat bellum; erátque Aurelianensis insigne in vexillis pictum, stipes nodosus cum Epigrammate *Inuideo*; Burgundi rutrum, cum voce *Teneo*; scilicet innuens, se hoc rutro læuigaturum nodos stipitis, séque obtinere quod æmulus frustra percuperet. Ruentes in bellum, Procerum intercursantium cura continuit, effecítque vt totius controuersiæ disceptationem committerent Regibus Neapolis ac Nauarræ ac Ducibus Bituricensi atque Borbonio; iisque satagentibus reconciliati sunt, obliteratà eorum quæ gesta erant memoriâ. Imo ne odia nondum extincta recrudescerent, visum est consilio non absre fore, si in aliquod tempus seiungerentur. Quare designata Picardia Burgundo regenda, Aquitania Aurelianensi, & quando Anglus vtrobique solutis induciis bellum inferret, vtrique datæ ad bellum gerendum copiæ. Enimverò à prudenti consilio noua odiorum seges enascitur; Aurelianensis in Aquitaniam ducto exercitu, Blauiam obsidet, fractámque machinis, ad deditionem impellit; sed conditione iniquâ, vt deditionem exequatur, vbi Burgum captum; sic admotæ illico ad Burgum copiæ; sed vrbe prævalidâ, & egregio defensâ milite, iam Franco deficiente, abscedendum fuit Aurelianensi; neutrà vrbe captà, atque vt plerumque fit, spe incertà certum lucrum perdente. Burgundus ad expugnationem Caleti, exercitum validum, ingentésque magno numero machinas comparauerat; cùm instructis omnibus vetatur à consilio Regis vltra conniti; fuitque id molestissimum obsequenti; quod iterum materia gloriæ detrahebatur; idque inuidiæ æmuli assignauit, qui sibi laudem fomitémque laudis præriperet.

XXIX. *Burgundus Aurelianensem necat.*

Eo aculeo stimulatus Parisios venit, dolorémque immoderatè auget, quod per interualla morbo remittente, Rex Aurelianensem complecteretur amantiùs, atque exciperet magnâ testificatione amoris; accedebat mulierum impotens æmulatio, cùm Burgunda senior, nobilitate & opulentia longè illustrior Valentinam Aurelianensem sperneret, & contemptu inflammaret superbiam; quare Ioannes constituit semel vno ictu, tam importunum obicem tollere, atque Aurelianensem per occultas insidias obtruncare. Furore egregiè dissimulato, pridie quàm parraretur flagitium, ad faciendam concordiæ fidem, cum Aurelianensi interfuerat sactis mysteriis, simúlque cum eo se Christi sacrosancto corpore pauerat; laruam religionis terribilisque mysterij prætendens crimini, vt iam sacrilegium caput sceleris esset, & fratricidium appendix. Igitur ad nefas instructis omnibus, sub Nouembris finem, horâ de meridie septimâ, cùm Aurelianensis Reginæ adesset, ex puerperio decumbenti, vocatur Regis nomine à submisso ab Burgundo sicario; Rex autem longiùs ab Reginæ ædibus habitabat; tum Aurelianensis salutatâ Reginâ vt conueniat Regem egreditur,

nullo

nullo comitatu, præter ephebos aliquot qui facem præferrent, duos domesticos qui vno equo inuecti, ac scutarium equitem, natione Germanum; ipse mulâ nihil suspicatus vectus incedit; domesticis aliis negligentiùs & per vicorum compendia cõsequutis. At cùm ad Barbetæ portam peruenit, ad quam collocati sicarij erant, equus quo domestici duo vehebantur, odoratus quidpiam, hinnire vehementius cœpit; seque vltro in præcipitem cursum effudit, frustra sessoribus lora adducentibus. Mox in Ducem sicarij impetum faciunt, facibúsque restinctis, ipsum mulâ deiectum, gladiis securibúsque mactant, atque confodiunt. Ad primos ictus exclamauit miser, se esse Aurelianensem, cúmque illi geminatis ictibus dicerent, eum esse quem cuperent, impactâ securi in caput, effuso cerebro vicum sternit, alio ictu dextrâ manu truncatur; plurimísque perfossus vulneribus, nam octodecim percussores erant, emittit animam. Eques scutarius simili fato occumbit; is præclaro in herum amore, deiectum toto corpore texit, eo solatio se morientem sustentans, quod vitam domino vel morienti impenderet. Patrato scelere sicarij, quorum Dux erat Roletus Haquetonuilla Normannus, à quodam munere quo malè fungeretur ab Aurelianensi amotus, vt conuentum erat in domum proximam flammas iniiciunt, viam quà fugiebant muricibus sternunt, ac securi se in Atrebatenses ædes recipiunt, quæ Burgundi palatium erant. Ita Aurelianensis in luto & sanguine, inultus iacuit, ac die consequenti in Cælestinorum æde sepultus est; cæsus ingenti quidem flagitio, sed non sine diuino numine, qui contumaciter partes Benedicti Pontificis tueretur, quique magna vitæ offensione, & bonorum morum pernicie, impune se adulteriis virginúmque stupris macúlaret. Agebat annum tricesimum sextum, ac tres reliquit masculos è legitimâ coniuge; quorum maximus Carolus, natus annos sexdecim, Philippus Virtutum Comes, Ioannes Comes Inculismensis; è primo Ludouicus, è tertio Franciscus nati, qui magna laude & gloria sceptrum Franciæ obtinuerunt. Eidem natus ex vxore Auberti Cannij, Ioannes Aurelianensis, Dunensis Comes, insignis ille bellator, spes Franciæ, decus & columna; vt paternæ noxæ, tam egregius filius, sin minus laus saltem venia sit, viuus adhuc in posteris; stirpe Longauillæa, quam propagauit, charissima Franciæ, & per egregia facta percelebri. Perfectis exequiis actum est de inquirendis sicariis, mandatúmque Tribuno capitali, vt diligenter inquireret. Is comperto seruum coquinarium adhibitum à sicariis, vt egressum Principis exploraret, diuertisse in Burgundi ædes, facultatem à Burgundo petit, penetrandi in ædes ad hominem rapiendum. Conueniebant Proceres ad consultandum, ac Burgundus cum Siciliæ Rege patruele, & Bituricensi Patruo colloquebatur, cùm ad Tribuni vocem expalleſcit conscientiæ stimulo, hærétque ambiguus; Rex Siciliæ deprehenso pallore, ipsum seducit, orátque vt fateatur nunquid foret criminis conscius. Ille suo agitatus scelere, & terrore maleficij, prorumpit in lacrymas, & fatetur flagitium; quod aiebat prauus Dæmon in suum animum immisisset. Ad hæc Bituricensis cùm accederet, & rursum fatentem audiret, præ dolore exclamat, *hei mihi duos hodie nepotes amitto.*

Burgundus fugit.

CAROLVS VI.

Quibus verbis Burgundus, horrore criminis in metum pœnæ iam defle-ctente, ex ſtupore reuocatus; dum duo Principes colloquuntur, ex conclaui ſe ſubducit, equíſque celerrimè incitatis, fugâ ſe proripit, & ponte Sanctæ Maxentiæ abrupto, nullibi conſtitit, donec ad Arteſiæ fines ſaluus euaſit. Ea fuga auctor ſceleris patuit, pluréſque ſuſpicione graui liberati. Continuò Valentina interfecti vxor ad Regem aduolat; miſeróſque liberos in ſquallore & luctu oſtentans, vindictam iuſtitiámque efflagitat. Rex ingenti affectus dolore, nam fratrem diligebat ex animo, lugentibus liberis vindictam ſpondet. Verùm in eâ perficiendâ labor & opus eſt. Conſultati eâ de re Proceres cenſent diſſimulandum ſenſum iniuriæ; non agendum ad extrema reum, qui ſi veniam deſperaret, ſeque Anglo adiungeret, vt pollebat viribus, opibus, ditione, & plurimâ apud ipſos Francos autoritate, & vindictam repelleret, atque in regnum grauiſſima damna importaret. Ideò ſtatutum, vt dilatâ in commodius tempus vindictâ, mitigaretur animus ferox, nec impelleretur in neceſſitatem noui flagitij.

XXX. *Burgundus Pariſios venit.*

Ad eam rem legati, Rex Siciliæ ac Bituricenſis, qui animum eius explorarent. At ille iam conſcientiæ callum obduxerat, & gnauiter impudens, affirmabat ſe dignum præmio patraſſe facinus, quod Tyrannum immanem & odioſum cunctis ſuſtuliſſet. Legati Principes ad eas voces, cùm exhorreſcerent, rogarentque, imo Regis nomine vetarent, ne Pariſios ſe conferret; ille confirmatâ ad quoduis ſcelus audaciâ, ſe iturum reſpondet; ac magno comitatu Nobilium proficiſcitur. Adſunt ad ſanctum Dionyſium Proceres, orántque vehementer, ne parricidio tam recenti, cruore Aurelianenſis etiam tepente, in Aulam veniat, ac triumphum inulti ſceleris coram inſtituat. Aſpernatus monentes pergit vlterius, & à Pariſienſibus ingenti plauſu lætitiáque excipitur; nam Aurelianenſem ob vectigalia oderant, atque occulta de cæde odia, modò palam, & ſecuro riſu expromebant, & diſcurrebant per vicos pueri, lætis vocibus Noëllum ingeminantes: quæ vox Chriſti Domini natalitium ortum ſignificat, in magnis gaudiis vſurpata. Ductus hac pompâ in Atrebatenſes ædes Burgundus, eaſque contra vim muniens, prodiénſque in publicum magnâ frequentiâ ſtipatorum, audiri ſe à Rege poſtulat; nec vllo in contrariam partem hiſcere auſo, Delphino, Proceribus, turbáque populi audientibus, oratorem inducit, qui pro ſe orationem haberet. Is Ioannes Patuus, Theologiæ doctor, gente Normannus, quem Franciſcanum plurimi ſcribunt, negat Iuuenalis; vir quidem doctus & celebris eloquentiæ, eóque ad fucum verbis faciendum lectus, ſed præclaras dotes aſſentationis ſtudio in prauum detorquens, priuati commodi ſtudioſus, linguam & animum licitans, pretio, tutelámque criminis propudioſâ nundinatione ſuſcipiens. Oratione Burgundum defendit; ac quando cædem inficiari non poſſet, iuſtam eſſe contendit, pluráque in Aurelianenſem impegit crimina, falſa pleraque & ad inuidiam ficta; quod inuadere regnum affectaſſet, ſtuduiſſet conſiliare Benedictum Lunenſem, vt Rege ob impotentiam mentis amoto, eueheretur in ſolium; cum Anglo eam ob rem communicaſſet conſilia; magos & veneficos adhibuiſſet, ad Regem extinguendum; vectigalia grauia indixiſſet, vt pecuniâ

Noël.

Iean Petit.

fretus

fretus voto potiretur; quod eâ arte multas illustres fœminas violasset; aliáque addidit orator proteruus ac mendacissimus, quibus necati Principis, tam dirè oblæderetur memoria, quàm crudeliter vita esset erepta. Tandem post deblateratas multas ineptias conclusit, gratias pro tanto facinore Burgundo agendas, qui Rempublicam tyranno, & graui pernicie vindicasset; indignantibus bonis, & in sinu lugentibus, eò impunitatis prouectam audaciam, vt parricidium iam laudi verteret, ac doctrina Theologiæ iret in patrocinium sceleris. Eâ oratione Regina percipiens quæ Burgundi proteruia foret, cum fratre Bauaro Delphinum abducens Melodunum secedit; ac Regem potestati dominantis tradit. Ita Rex breui interuallo morbi, petenti Burgundo scelus condonat, scribítque tabulas suâ manu ac sigillo munitas, eâ verborum formulâ quæ reo placuit. Verùm hic dum ad nutum Regem moderatur & factionis contrariæ viros à dignitatibus mouet, subito Leodium euocatur, aduolátque ad Ciues in officium redigendos, qui Episcopum suum ipsi affinem expulerant. Eo absente inimica factio statim exurgit; nouíque actores in scenam subeunt. Valentina cum liberis, dato consilio, pullata & in mœstissimum habitum conformata, Burgundum accusat, nec vllum ad grauitatem facinoris adhibet oratorem; ipsa denarratâ re quam aduersarius fatebatur, perorantibus lacrymis, scriptum offert, quo mariti innocentiam comprobabat. Delphinus Regem ægrum referens, Proceribus adstantibus, respondet de cæsi innocentia constare admodùm, ad satisfactionem iniuriæ pœnámque criminis quod spectaret, consilium breui curaturum. Probata innocentia, dum de satisfactione deliberant, Burgundus subactis Leodiensibus, à Parisiensibus de inimicorum consilio certior factus, copias quibus Leodium vicerat, ducit Parisios. Continuò metu in Aurelianenses iniecto, ipsi, Regina, Delphinus, Rege simul abducto vrbe egressi, quam ocyssimè Turones fugiunt, locúmque æmulo vacuum deserunt. Ille ingenti ciuium gaudio admissus Parisios, Guillelmo Duci Bauariæ aures præbet, compellanti de concordia reuocanda. Et erat Bauarus affinis vtrique partium, Turonésque profectus, tantùm contendit, vt ad deponendas inimicitias cuncti consenserint. Conducibile plurimum ad pacem fuit, quod colloquia dum habebantur, Valentina morbo extincta est; quippe vltionis impotens fœmina, cùm eò rem deduci spectaret, vt impunè parricidæ esset, inulti manes lugerent, atque sibi & liberis pro hereditate contemptus, inopia, & lacrymæ supererent, dolori succubuit, vitámque dedit Burgundi, non ferro quidem, sed auctoritati. Ita destituti defensoribus liberi, iubente Rege, conuentis à Bauaro pactis assenserunt, & in vrbe Carnuto, ea iurata sunt, & concordia inita. In maiori templo, erecto pegmate, & circumcluso, admissisque vnis Proceribus, Burgundus nitens genibus, per Dolangium Aduocatum suum veniam à Rege petiit; ob cædem Ducis Aurelianensis, eam tamen affirmans patratam in Regis regníque commodum; idémque Aduocatus præsentes Aurelianensis liberos rogauit, vt omnem vindictæ cupidinem ex animis tollerent, adiungente duntaxat Burgundo, *idque vos rogo.* Eaque satisfactione, quæ noua potius & acerba iniuria erat, in Euangelij codices pacem & concordiam mutuam Principes sanciuerunt, ani-

Cõcordia inter Burgundum & Aurelianenses.

CAROLVS VI.

mis malè cohæsuris, quos necteret vinculum tam infirmum. At lætitiam eâ de pace conceptam fœdauit rebellio Genuensium. Ij septimo antè anno seditionibus turbísque domesticis fessi, à Rege impetrauerant Bucicautium, Maresealli filium, digni patris dignissimum fœtum, à quo regerentur. Et ille præclarus belli pacísque artibus, primo pœnis ac seueritate, deinde mansuetudine ac liberalitate, ita Genuenses perdomuerat, & conciliabat, vt ij per legatos, à Rege petierint Boucicauti præfecturam perpetuam. Eam dum exercet vnius hominis pœnâ, abalienat ciuium animos. Gabrielem Vicecomitem, Ioannis Galeatij spurium ob noua consilia suspectum, capite plectit, qui pecuniam multam à Florentinis promissam suo nomine caue-rat. Ideo malè audiens quasi creditorem innoxium arcessita noxa sustu-lisset, & Mediolanum paulo post euocatus, existimatione deperdita, perdit & Genuam. Quippe Ciues in absentem rebellant, Francos perimunt, sé-que tradunt Marchioni Monferratensi. Aduolat quidem ad reprimendum motum Boucicautus, sed repulsus in Franciam redit; beneuolentiæ Po-pularis exemplum, eum deprimentis, quem paulo antè efferebat ad sidera.

Genua rebellat.
Bucicaut.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER DVODECIMVS.

SYNOPSIS.

Burgundus Montacutum damnat. Nouæ turbæ in Aula. Seditio Parisiensis. Aurelianenses Parisiis excepti. Burgundus Atrebate obsessus. Pax Atrebatensis. Bellum Anglicum. Ariflorum captum. Henrici Angli pietas. Pugna Azincurtia. Burgundus Parisiis exclusus. Ludouici Delphini mors. Sigismundus Imperator Parisiis. Ioannis Delphini mors, & Bituricensis. Armaniaci odiosi. Regina aulâ pulsa. Regina libera. Armaniaci dirè necati Parisiis. Capelucæ furor. Carolus Delphinus pacem Burgundo negat. Anglus Normanniam occupat. Rhotomagum capit. Delphini pax cum Burgundo. Delphinus Burgundum occidit. Franci & Angli in Delphinum. Delphini cura in hostes. Henricus ex Anglia redux. Henrici mors, & Caroli Regis. Carolus VII. Rex. Pugna ad Grauellam. Franci ad Creuantum victi. Pugna ad Vernolium. Regis angustiæ. Rex ad Britannum se vertit. Burgundi cum Anglo iurgium. Arturus Comestabilis. Regi caros pellit. Montargium liberatum.

Angli

Angli Aureliam obsident. Pugna Halecum. Puella Aurelianensis; Aureliam liberat. Puellæ & posteris concessa insignia. Rex Rhemos ducitur. Puella capitur, & damnatur innocens. Variæ vrbes captæ. Trimollius pulsus. Borbonius cum Burgundo reconciliatus. Legati pro pace Atrebati conueniunt. Pax cum Burgundo. Reginæ & Betfortij mors. Parisij recepti à Rege. Burgundus Caleto pulsus. Caroli Aurelianensis libertas. Rex exceptus Parisiis. Delphinus Aulâ missus. Franciæ calamitas. Bituricensis conuentus pro Eugenio. Bellum cum Anglo renouatum. Rieusij Marescalli mors, & Raisij. Meldæ captæ. Agitur de pace. Proceres in Regem coniurant. Reconciliantur cum Rege. Pontizara capta. Bellum in Vasconia. Margarita Conuenarum Comitissa. Dieppa à Delphino seruata. Delphinus Armaniacum subigit. Delphinus in Heluetios. Rex Metim obsidet. Bellum Anglicum instauratur. Causæ belli. Normannia expugnata. Rhotomagum captum. Normannia subacta. Cadomum captum. Agnetis mors. Aquitania subacta. Baiona capta. Aquitania rebellis iterum domita. Talbotij mors. Burdegala reddita.

CAROLVS VI. I.

Burgundus Montacutum damnat.

ONCORDIAM inter Principes initam Burgundi impotentia paulò post rupit. Erant tandem impletæ Delphini cum Margareta filia nuptiæ, & nouo vinculo Regiam affinitatem contraxerat, Michaëlia Regis filia Philippo filio Caroleſij Comiti in vxorem data. Sic totius auctoritatis compos, quasi fortunam lecto excepisset, euehi supra omnium capita, regnum ad arbitrium moderari, suos promouere atque Aurelianenses studiosè deprimere. Potestas illicò in Tribunos ærarij versa, seu ad plebem arctius demerendam, cui ſusmodi homines semper odio sunt, siue ex eorum spoliis, vt priuatam opulentiam publico plausu conficeret. Ergo in eos ob pecuniam Regiam instituta quæstio, & ipse Burgundus sibi Ioannem Montacutum damnandum sepoſuit. Is primarius ærarij Præfectus, merito suo, & gratiâ Aurelianensis, ad id munus euectus; opes ingentes, plurimam auctoritatem, & potentes affinitates parauerat. E duobus fratribus alter ad Insulas Senonenses, ad Parisienses alter prouecti erant; tres filias totidem Proceribus nuptui dederat, ac nuper filio Albresij Comestabilis filiam magno sumptu effusóque luxu vxorem adiunxerat. De peculatu

Anno 1409.

apud

apud Iudices postulatus, quod optimatum vel innocentium crimen est, & postremum fortunæ os vertentis telum, rem vrgente Burgundo damnatus est, & capite palam truncatus. Probus quisque ob supplicium innocentis ingemuit, & paratas opes accusauit; quæ dominum perderent, atque hospiti suo crearent perniciem. Triennio post veritas patuit; & laudandi Cœlestini Patres, qui beneficij memores, quo Montacutus ipsis cœnobium Marcussij condiderat, lite instauratâ, & deflagrante inuidiâ damnati memoriam absolui curarunt; restitutus in perempti bona Carolus filius, & cadaueri exequiæ honorificè præstitæ. Burgundus interea cæteros Aurelianensium partium pergit fortunæ suæ subiicere. Albretius Comestabilis dignitate deiicitur; Cluquetius Admiralius deturbatur, cæteríque omnes, quibus Aurelianensis gratia nunc flagitio est, bonis spoliantur & dignitatibus. Principes ad eam Burgundi tyrannidem conuersis animis, ne aliorum malis inuoluerentur, egressi Parisiis, Giani quæ ad Ligerim vrbs est, conueniunt, Duces Bituricensis, Aurelianensis, Borbonius, & Britannus; Comites Alençonius, Armaniacus, Richemontius, Albretius, plurimíque: & ad societatem stabiliendam, Armaniacus filiam, quæ Bituricensis neptis erat ex filiâ, Aurelianensi in coniugem locat, mox arma & militem legunt; & inde Aurelianensis factio quasi in contemptum ab aduersariis Armaniaca dicta est. Nec fuit Burgundus in legendo segnior; cùm Regis Nauarræ & Brabantini Ducis interceſſione, ad Biceſtrum propè Parisios castrum de pace conueniunt; ea conditione, vt Principes quique ab Aulâ abessent, & se in sua reciperent, donec à Rege arcesserentur, interea res à designatis viris administrarentur; & regeretur à Bituricensi Delphinus. Sed altius in animum Aurelianensis iniuria penetrauerat, quam vt verbis vllis scriptísve fœderibus deleri posset; reposcebat sanguinem sanguis, & magno quidem fœnore ab vtraque parte refundendum. Primus Aurelianensis fœdus infregit; ac conquestus quod in viris designandis, qui res publicas gererent, plures è Burgundi partibus quam è suis appellati essent; Croyum nobilem, Burgundo chariſſimum, & ab eo missum ad Bituricensem intercipit; & per acerbos cruciatus inquirit de interfectoribus patris, & de Burgundi consiliis, nihil fatentem reposcit Burgundus, retinet Aurelianensis. Ita recalescentibus animis, post mutuas prouocationes, ad arma & sociorum opem recurritur; atque duodecim Equitum millia Aurelianensem sequuntur, Burgundum quinquaginta millia bellatorum. Hic vt viribus præpollebat, plures vrbes in Veromanduis capit; cúmque Mondiderij agit, à Flandris repentè deseritur. Ij affirmabant elapsum tempus quo receperant se militaturos; nec vllis ducis obtestationibus precibúsve, imò nec lacrymis prohibiri sunt quin abirent; ita cùm maximam exercitus partem conflarent, Burgundus seu in sicco destitutus, similiter abscessit. Eo discessu Aurelianenses iam superiores, ad Parisios cupiditatem admouent copiásque, cùm ea in vrbe Rex & Delphinus simul capi possent; & quidquid potestatem prætextu armaret, sed Petrus Essartius Burgundo fidissimus eos occupauit. Ille ante Præpositus Mercatorum, permittente Burgundo eiectus erat Parisiis, nunc vrbe

CAROLVS VI.

Gien.

Biceſtre.

De Crouy.

Des Essarts.

CAROLVS VI. Caboche.

exceptus, in Aurelianenſes vt fœdifragos declamat, populum concitat, armátque ad publicam defenſionem; accedit ad furorem plebis inflammandum quidam Caboquius, arte lanius, qui fautores Aurelianenſium rapit in carcerem, ducem Biturícenſem, effractis palatij foribus vrbe expellit; Rege inſtar pinnulæ ad proximum flatum ſe verſante, & Delphino Burgundi ſoceri partes propugnante. At Biturícenſis ad Aurelianenſes tranſit; cúmque Burgundus validum exercitum inſtauraſſet, ac Pariſios redux Clodouæi fanum expugnaſſet, cepiſſetque Stampas Delphinus; Aurelianenſes iam inferiores, publico fœdere Anglum appellant, clientelámque vt domino præſtant. Verùm eo fœdere arma inimicis, ſibi opem nullam confecerunt: Nam Burgundus ceu in perduelles inflammato Rege, ſcriptóque exercitu centum millium hominum, rectà Auaricum Biturigum tendit, quo fœderati receperant ſe, Anglicis auxiliis nondum ſubmiſſis. Et ad eam vrbem inter armorum ſtrepitum pax audita. Quippe egregiè propugnabant ſe obſeſſi, nec vnquam vrbis occluſerunt portas; aſſiduis eruptionibus hoſtem infringendo; imò & morbi quaſi ſubſidiarij milites in Burgundi copiis ſæuiebant; tam multis intemperie cœli extinctis, vt opinio quamvis falſa increbuerit, fontes & puteos ab Aurelianenſibus veneno imbutos. Tandem cùm Clarentiæ Dux iam phalanges Anglicas admoueret; Delphinus Burgundo plurimùm renitente, pacem præoptauit; cuius pacta erant, vt principes veniam à Rege poſcerent; arces & viri vltrò citróque capti, redderentur; obliteraretur factioſa Burgundi & Armaniaci nomina, & Anglo communi ſumptu daretur pecunia. Dataque ſunt iam vaſtanti Cænomanos ducenta quadraginta nummorum millia, & promiſſa plura; & ipſe paulò pòſt morte Henrici Regis reuocatus, properauit in Angliam.

Anno 1411.

II. *Burgundi ſcelus.*

Iam tertium fœdus ininicitiis Principum laruam obtenderat, ipſas adeo non pacauerat, vt mox ferociores ceu collecto impetu foras proruperint. Tunc à Burgundo cogitatum crimen, & ſeditio Pariſienſium, res vtcumque tranquillas iterum perturbarunt. Delphinus à Burgundo defecerat, & Auarici obſidione explorato Burgundi animo, compertóque ob bonum priuatum non publicum agi, pellique vno ambitionis momento, in factionem oppoſitam conuerterat ſtudium. Ideo Burgundus, ne Rex cum Delphino deficeret, ſimúlque euaneſceret cupiditatis prætextus, vir audaciæ roboratæ, ſtatuit tres fratres Aurelianenſes de medio tollere, vno ictu triplicem nodum ſcindere, tergeminúmque Geryonem ſemel exſcindere. Id conſilium Petro Eſſartio fidiſſimo capiti aperit, locuſque delectus Antiſiodorum, quò conuenire debebant Principes, ad priuatas cuiuſque res amicè tractandas. Verùm Eſſartius atrocitate tam horrendi criminis territus, potiorem æquitatem amicitiâ ratus, imo & veram amicitiam quæ vetaret flagitium, conſilium declarat Principibus, & liberi Aurelianenſes Delphinum conueniunt, arctiúſque fœdus cum eo colligant. Burgundus facinore deiectus, vt ſe & factionem penitus ſtabiliret, regni Comitia Pariſios vocat, auditque Vniuerſitatem grauiter in Adminiſtros regni conquerentem. Delphinus ſimiliter in vrbe agebat, conatus animos à Burgundo diuidere,

nidere, sibique pro potestate adsciscere. In eâ contentione Essartius qui in Normanniam ante confugerat, sperauit se tutò posse versari Parisiis, imò non leue mòmentum Delphini rationibus fore: nam à Burgundo detectum crimen abduxerat; itaque se in ciuitatem suam restituit. Illicò Burgundus irâ & vindictæ face incensus, quòd sibi infensissimum coram agere impunè, cerneret, in vulgus per emissarios nuntiat, venisse Essartium, vrbem vt proderet, conuenisse ipsum cum Delphino, vt prætextu hastiludij, admitterentur quingenti equites, quorum ope vrbem diriperet atque incenderet. Accedit Iacauilla in Bituricensis locum Prorex constitutus; iámque seditionis tubicen & antesignanus, populi fæcem ad tumultum vocat; nec desunt duces, Caboquius ille lanius, Ioannes Trecensis Chirurgus, & Denisotus Caluomontanus. Per eiusmodi furoris ministros, Burgundus aggreditur potestatem Delphino pulso inuadere. Ac primùm cùm flamma vltionis impotentius vreret, Essartium in Bastillam confugientem vim minatus sibi reddi curat, afficitque supplicio, capite in platea abscisso, & trunco corpore furcis affixo. Tum seditiosos caputiis albis indutos vt se dignoscerent, in Delphini ædes impellit, qui sibi quosdam Procerum dedi efflagitent, quos in supplicium rapiant. Delphino de proteruia ac vi expostulanti, Burgundus interuenit, atque comminanti, postquam is reponit, melius consulturum, cum ira deferbuerit, seditiosi impetu facto irrumpunt in conclauia, reuulsisque foribus Proceres quosdam, & Delphini domesticos rapiunt in custodiam; in iis Eduardus Barrensis Dux, & Priuerius, quorum ille emissus, hic in carcere cæsus causâ dictâ, multique alij per vim necati sunt, proiectis in profluentem corporibus. Móxque amentia eò promota est, vt turbulenti Delphinum ipsum inuaserint, capto custodes dederint, deiectúmque regimine, vt incapacem, & consiliis prauis, nimis obnoxium, decreto suo dixerint. Tum Regem adeunt, & per Monachum Carmelitam, monita quidem in speciem; sed re ipsa opprobria plurestque contumelias in ipsum congerunt; cogúntque Corbiensem Cancellarium, præclarissimæ fidei virum exauctorare. Ac quoniam vna Reginæ domus adhuc integra ab vesania erat, in eam inuadunt similiter, Ludouicum Bauarum Reginæ fratrem corripiunt, matronásque nobiles quindecim, compingúntque in carcerem. Ea res pleróque ciuium à Burgundo auertit; erántque haud pauci qui meliores partes tuebantur, quorum principes, Henricus Marlius primarius Præses Senatus, & Ioannes Iuuenalis Vrsinus, magnæ apud probum quémque auctoritatis. Nec Vrsinus sine elogio appellandus, qui ex illustri Vrsinorum familia Neapoli orta, ducens originem, è maiorum sago sponte ad togam transiens, diu in Curia Parisiensi Causidicum egerat; mox ob fidem atque eloquentiam celebris Regi innotuerat, à quo Præfecturâ Parisiensi donatus, incorruptâ morum integritate, & prudentiâ singulari, tantùm auctoritatis comparauerat, vt ciuium animos, cùm abesset furor, ad nutum flecteret, nusquam potentiâ nisi in bonum vsus. Ille igitur vnà cum Marlio tantùm industria & solertia contendit, vt annuente Burgundo, cum Aurelianensibus quiarmati concurrerant, Pontisaræ, nouum.

CAROLVS VI.

Seditio Parisiensium.

Iaqueville.

Anno 1412.

De Marle. *Iuuenalis Vrsinus.*

Anno 1413.

CAROLVS VI.

nouum fœdus pangeret, quo quidquid patratum esset, condonaretur, solu-
uerentur capti, passimque Principes vtriusque factionis admitterentur ad
regimen. Id fœdus Parisiensium effusis gaudiis celebratum; simul campanæ
omnes pulsatæ; biduo ludi festæque epulæ plebem tenuerunt; vt illa facilè
ad extrema transit, & immoderatiùs quæ placent arripit. Corbiensis Can-
cellarius restitutus, statimque is ob graue senium, vltrò magistratu cùm se
abdicasset, suffectus est Marlius; pacis auctor & tranquillitatis, quanquam
incertæ admodum & nutantis.

III. *Aurelianenses Parisiis excepti.*

Etenim seditionis principes eâ haud satis fisi, clam Parisiis in tutiores
sedes confugerant, & Burgundus sensum iniuriæ à Delphino veritus, co-
gitabat secessum; sed gnarus quantùm vel in vmbrâ Regis auctoritatis
apud Francos esset, statuit Carolum in Flandriam secum abducere. Eam
in rem Carolum Saueusum conciliauerat, Regi charum, qui ipsum ad vena-
tionem vrbe educeret, equis dispositis in Flandriam recipiendum. Omniá-
que ad compactum conuenerant, nisi Bituricensis magnâ Procerum cate-
ruâ simul cum Rege prodiens, siue suspicatus consilium, siue Francorum
more Regem comitantium, excussisset proditionem; sic tacitus atque in-
comitatus Burgundus elapsus est. Illius absentia euocati extemplò Aurelia-
nenses atque vrbe excepti; Delphinus exultat, compedem fractam; resci-
nduntur edicta Regia per Burgundum extorta; suas vices patiuntur fau-
tores; ensis Comestabilis Albretio restituitur, atque Ludouicus Siciliæ
Rex, iam totus Aurelianensium partium, Catharinam desponsam filio,
patri Burgundo cum ignominiâ remittit; affinitatem eiurans, odiúmque
facto atrocissimum nuntians. At breuem serenitatem timor procellæ sta-
tim interturbat. Duces inter Britannum & Aurelianensem, orta contentio
vter præcederet, alienauit Britannum; quippe Regis sententiâ Aurelia-
nensi postpositus, ratione Regij sanguinis habita, molestiæ plenus dis-
cessit in Britanniam. Et Delphinus in quo auctoritatis cardo & momentum,
in Burgundi partes propè abductus. Is vtebatur familiariter quatuor viris
Burgundo addictissimis, eosque adhibebat in colloquium frequenter; ea
res cùm Aurelianensibus suspecta admodùm esset, Regina vt suspicionem
omnem amoueret, vi in Delphini ædes inuadi iubet virósque abduci, &
in carcerem condi. Enimverò Delphinus acerbè conqueri, se in nouam ser-
uitutem prolapsum, & appellabat Parisienses ad vim repellendam, &
quanquam Aurelianensium precibus placatus in speciem, tribus tamen
epistolis ad Burgundum scripsit, se captiuum, opem ad libertatem implo-
rans. Burgundus acceptis litteris, occasionem arripiens, copias quas ante
diligenter instruxerat, Parisios ducit, ad Regem domúmque Regiam à
seruitute hostium vindicandam. Aurelianenses interea, conciliato Delphi-
no, & in contrariam mentem perducto, octo equitum millibus vrbe excep-
tis, eiectis qui ciuium suspecti erant, vel in carcerem trusis, sic se intra vrbem
muniuerant, vt Burgundus adiens, sperato & expectato frustra tumultu, ina-
ni operâ post aliquot dies regressus sit. Aduersarij læto rerum successu elati,
vt Auarici obsidionem rependerent, regiis edictis Burgundum proscri-
bunt, legunt exercitum in quo armaturæ grauis octodecim millia equitum,

mouent

mouéntque in Burgundum, Rege simul & Delphino ductis; Parisiensibus ante exarmatis, & vicorum catenis in castra Luparæ & Bastillæ delaris. Primùm in Picardiam ductus exercitus, & post Suessionem captam, direptam, atque incensam, quæ Regi obsistere ausa esset; in Atrebates promotæ copiæ. Attonitus perculsusque Burgundus Attrebato se communiebat, erátque spes feram aliquando in latibulo posse oppugnari. Nam Flandri quandiu Rex abstineret Flandriâ, opem denegabant; Niuernensis frater Regi adiunxerat se; vnáque ciuitas validum ac numerosum exercitum frustra excluderet. Iam hebdomade septimâ producebatur obsidio, rerúmque penuriâ laborabant obsessi, paucis diebus in potestatem venturi hostium; cùm intercedentibus Duce Brabantiæ & Comitissa Hannoniæ, de pace agitur. Fremebant Aurelianenses eripi palmam sibi è manibus, comprimi atque extingui vindictæ incendium, belluámque inductam in retia ad furorem nouum expediri, sed assensus accommodandus fuit Delphino, qui omnino pacem appetiit, nec Burgundum prorsus perditum voluit. Arbitror, generosus iuuenis cùm administrare regnum ipse vellet, duásque inter factiones positus, potestatem alterutrius pertimescseret: libratam vtramque lance æquâ voluit, ne præpollenti obnoxius foret; faciliùs clauum inter æquales moderaturus, quàm si alteram opprimendus attolleret. Ita pax contracta, reuocatis conditionibus quæ Carnuti conuenerant; Réxque admissus Atrebatum, Burgundi clientelam excepit; soluti mox exercitus, atque Aula Parisiis reddita. Et statim Delphinus propositum vrgens, perorante Episcopo Carnutensi suo Cancellario, administrationem regni capessiuit, tum ærarij, tum rerum quæ ad pacem bellúmque spectarent; quamuis Bituricensis aliíque Principes intercederent; quibus iam diuturnum regimen pro patrimonio erat. Hactenus Franciam miseriæ singulæ appetebant, dato identidem ad respirandum spatio; nunc turmatim faciunt impetum, ardore tanto atque frequentiâ, domestica mala extraneis cumulantibus, vt videantur omnia infortunia conspirasse in vnam, quibus diuino tantùm numine seruari potuit.

CAROLVS VI.

Burgundus Atrebate obsessus.

Pax Atrebatensis.

Angliæ Regi Henrico IV. Henricus filius eius nominis V. successerat, qui stabiliendo nouo imperio, postquam inducias cùm Francis aliquoties protraxit, firmam vt pacem constitueret, Catharinam Caroli filiam, formâ pulcherrimam, geminâ legatione in vxorem petierat. Et primâ quidem repulsam passus, generoso Francorum consilio, qui patricidæ filium affinitate regiâ indignum rati, nuptiarum spem interciderant; secundâ legatione petebat eadem nuptias, sed armatus propemodum, & victoris more. Nam expeditus proditione domesticâ, atque ad supplicium raptis auctoribus, ardens animi, gloriæque cupidior, sponsam quidem ambiebat in coniugem, sed maximam partem Franciæ optabat dotem, eadem prouincias ac eodem iure quas Bretiniaco fœdere Eduardus tenuerat. Cùm eæ conditiones grauissimæ Francis viderentur, Legatos honorificè exceptos infectâ re dimiserunt. Quamobrem Henricus, quo die cessabant inducia eo exercitum iam paratum, nauibúsque mille & quingentis impositum, Sutantonensi portu versùs Franciam ducit: in eo erant grauium Equitum sex millia, sagittariorum vigiuti quatuor. Directa in oram Normanniæ classis, & Ari-

IV.

Bellum Anglicum.

CAROLVS VI.

florum in Sequanæ ostio vrbs obsessa; ita vltioni & opportunitati bellum patrabatur; expugnandà vrbe, in quam Piratæ se recipiebant, Angliæ spoliis dudum opulenti, & claudendo amnis ostio; quo Rhotomagum totámque in Franciam quam plurimæ merces importabantur. Etouteuilla Præfectus, vrbem propugnabat. Datum Duci Glocestrensi Regis fratri munus oppugnandi oppidi, dum Rex in proximo cliuo castris positis subsidia, si qua inducerentur, repellit; tegítque obsidentes. Et Glocestrensis primo machinarum impetu, tum ad muros actis cuniculis, vrbem die tricesimo septimo ad deditionem adegit; tam duris conditionibus, vt præsidio duntaxat emisso, ciues direpti sint, & magnam partem Caletum traducti. Enimvero propugnantium fortitudine imminutus erat Angli exercitus, vt præter morbos passim vulgatos, imminente iam hyeme, Caletum recedere ad instaurandas copias Henricus statuerit. Verùm, vt erat ingentis animi atque intrepidi, ne crederetur victi instar aut fugientis abscedere, placuit dimissis nauibus terrestri itinere per Normanniam, Picardiámque militari agmine ingredi. Consilium erat aleæ plenum atque discriminis; nam tota Francia delectu feruebat, aduolabant Proceres, Nobilésque, ingensque exercitus imminebat ad Somonam, quem amnem omninò oportebat traiicere, & vastati agri commeatum omnem abscindebant: Henricus nihilominus pergit, & Eduardi abaui hærens vestigiis, eiusdem etiam felicitatem consequitur. Magnis incedebat itineribus, accurata in milites disciplina, lege propositâ, vt si quis ædem sacram violasset, capitale foret. Et obseruatur religiosi animi Principísque quem ambiret victoria factum eximium, quippe cùm audisset raptum esse de templo vasculum, in quo Sacrosanctus Christianorum cibus seruabatur, iussit exercitum totum eò loci consistere, nec se inde mouit, qui festinabat tantopere, donec repertus Sacrilegus, redditum vas, & de reo sumptum supplicium. Accedenti ad Somonam patuit vadum antea incolis inexploratum, transmisitque amnem, Peronam inter & Corbiam; iam securus & Caletum properans. Sed Franci celeritate quam maxima iter occluserant, atque in Morinis castra posuerant, Taruannam inter, atque Hesdinium, ad pagum cui Azincurtio nomen, antè ignobilem, mox Francorum clade longè celeberrimum. Francicum exercitum regebat Albretius Comestabilis & Bucicautus Marescallus, viri peritissimi rei militaris; erántque sub signis Principes, Aurelianensis, & Borbonius, Duces Barrensis, Alençonius, & Brabantiæ; Comites Eusius, Richemontius, Niuernensis, & selecta ex vniuerso regno nobilitas. Quin ardebat ipse Rex copias ducere, pugnámque conserere, ab ea prohibitus ægerrimè à Bituricensi, qui memor cladis Pictauiensis, cuius pars fuerat, cùm Francos à prælio dimouere rationum momentis haud posset, Regem Delphinúmque Rhotomagi inhibuit; affirmans minorem cladem futuram, si periret exercitus, quam si Rex ipse cum Delphino in necem aut vincula raperetur. At vero prudens animus præsagiebat quod accidit. Contra Franci ruentes in perniciem, crepabant arma atque victoriam. Iam Henricus hosti insequenti; & prouocanti ad certamen responderat, se suo non hostium arbitrio bellum gerere, venturum in prælium, vbi commodum foret; Caletum se

Harfleur. *Ariflorũ captum.*

Henrici Angli pietas.

ire;

ire; si Francis tantus sit præliandi ardor, se euntem ad certandum cogant. In præsentiâ postquam animaduertit, nullum saluti nisi vincat locum superesse, in id incumbens, prælium comparat. Nocte quæ diem Octobris vicesimum quintum quo pugnatum est anteceſſit, gemino subsidio confirmat militem, religione & confidentiâ. Indicit omnibus peccatorum exomologesim, eam ipse primus cum Tribunis & Centurionibus obit, imò militum plurimi, quod ea ætate sub discrimen vitæ haud infrequens erat, sibi pugillum terræ inuicem porrigunt, ad ceremoniam sacræ Eucharistiæ referendam. Quod postquam religiosè perfectum est, reliquâ nocte securos iussit saltare & canere, instrumentis musicis, tubis & tympanis, ad faciendam hilaritatem adhibitis.

V. *Pugna Azincuriæ.*

Vbi sol illuxit, copias disponit multùm imminutas; erant duntaxat tria armatorum millia, sagittariorum tredecim. Ideò ne immenso hostium numero obrueretur, vires arte & peritiâ supplendas censuit. A tergo erat colliculus siluestri arbore vepretisque densis conuestitus, qui muri instar ab hoste tegeret atque defenderet; præterea iussit palos aptari, senos pedes oblongos vtrinque ferro indutos, quod singuli pedites præ se ferrent, atque in loco pugnæ infigerent, vt iis circumclusus & obuallatus exercitus, in hostium equites muniretur, eorúmque maximum robur infringeret. Tum vnum agmen ex vniuerso milite componit; in fronte Sagittarios collocat, atque ad alas, duas prævalidas equitum turmas. Suum militem Franci in agmen triplex partiuntur; primum ducebat flos Procerum & Nobilitatis, Comestabilis, Boucicautus, Aurelianensis atque Borbonius; alterum Duces Barrensis & Alensonius, tertium plurimi æquo imperio Proceres. Non initur pugnantium à Scriptoribus numerus, fatentibus cunctis, nobilitatem, omnem è regno excitam, atque vni Anglo sex septémve opponi. Aberat Burgundiæ Dux, qui se Belgio suo continuit, intutum ratus ad exercitum accedere, cuius imperium penes Aurelianenses totum erat; eámque ob causam prohibuit ne Philippus filius se ad hunc conferret, quanquam cupidissimus pugnæ adolescens, id vehementer arderet. Britanniæ Dux aliíque multi die quæ pugnam secuta est, aduenere. Ita dispositi promouentur vtrinque exercitus; at prima Franci pernicies, quod ante in Creciaca & Pictauiensi pugna contigerat, ab Anglis Sagittariis. Anno 1415. Ij in Francos equites qui proruebant temerè & incomposite, primùm eiaculantur sagittas, equos sauciant atque transuerberant; tum in disiectos & solutis ordinibus palantes inuadunt; proiectis arcubus, gladios secureſque corripiunt, & magnâ celeritate interfusi vagantibus, passim equos equitésque mactant & fodiunt. Postquam eo facto nutare cœpit Francorum acies; Henricus cum armatis equitibus in eos irrumpit, & loco pulsos in agmen alterum disiicit: sic perturbatis confusisque agminibus, Proceribus Tribunisque frustra pugnantibus, vtrumque agmen profligatur, & tertium vix direpto ense in fugam agitur. Locus Franco difficilis erat, atque incommodus, angustus admodùm prohibebat ne se equitatus explicaret in latera, néve turmæ expediri commodè in aciem possent; vt plurimi turbâ oppressi sint, ne dato quidem ad ferrum exerendum spatio; tum in pratis

CAROLVS VI.

pratis humido solo & vliginoso pugnatum est, in quo vix stare equi possent, & firmare vestigia. Ita partim quà loci difficultate, quà sua temeritate atque audaciâ, Franci victi, cæsi, & in fugam acti sunt. Cæsi in acie quinquies mille, fermè omnes Nobiles, quorum Principes, Comestabilis, Dux Brabantiæ, & Comes Niuernensis, Ducis Burgundiæ fratres, Robertus Dux Barrensis, Comites Martius & Vaudemontius; Boucicautus captus, dum in Angliam ducitur, expirauit ob vulnera; & cæsus Dux Alensonius, qui instaurato fortiter prælio, sibi ferro in Anglico agmine viam patefaciens, ad Regem ipsum penetrauit, eius fratrem Ducem Eboracensem occidit, ictúque in Regis caput impacto, coronæ partem deiecit, tandémque ab irruente turbâ necatus est. In captiuis quatuordecim millia numerata; in quibus Duces Aurelianensis atque Borbonius, Comites Eusius, Vindocinensis, & Riquemontius; Domini Harcurius, Cranensis, Humerius, Caunius, aliique. Angli è suis præter saucios plurimos, mille sexcentos numerabant in cæsis. At Francorum adauxit perniciem, Bournouillæ facinus, qui in castra hostium indefensa irruens, ea diripuit, cæsis calonibus & lixarum turba. Nam Henricus fugientium spectaculo motus, veritúsque ne victus hostis instauraret prælium, suique seruandis captiuis & repellendis hostibus essent impares, necari captos iussit, plurimique perempti sunt. Sic patrata ad Azincurtium victoria, quæ Anglis monumento gloriæ perillustri fuit, Francis temeritatis atque ignominiæ. Henricus flexo genu, Deo victori gratias egit; tum suos tum hostes, qui occubuerant nullo delectu, tumulari iussit; ducénsque captiuos Caletum, mox in Angliam venit; nullâ re post victoriam tentatâ; Quippè copiæ infirmæ admodùm erant; & præter salutem contra spem partam, tam insignis palma, & consequuta laus, pro pluribus prouinciis erat, vrbibúsque obtentis.

VI. *Burgundus Parisiis excluſus.*

Regi Parisios redeunti dubia erant omnia & suspecta; imminebat Burgundus, calamitatis pondus non leuamentum, qui periculum Franciæ immotus spectauerat, nunc in eam deiectam incumbens, adducit exercitum, æmulisque iam captis aut cæsis, non dubitat quin sibi prædæ futurum regnum sit. Bituricensis quanquam annis grauior, publicam rem tutatur egregiè; Parisienses compescit, Regi auctor est vt nouum Comestabilem dicat, cuius fortitudine & fidelitate fulciatur regnum; & arcessitus Ioannes Comes Armaniacus, socer Aurelianensis, cui commissus ensis; isque adduxit è Vasconiâ Nobiles, pro genio gentis, militares viros atque intrepidos, celebrísque prosapiæ; quales, Fimmarco, Castera, Goularsius, Flammarensius, Casaubonus, Eusius, Termæsius, Arnæus, Negrepelisseus, & Terrida, qui in officio ciues continerent, & muris hostem generosè arcerent. His munitus præsidiis Rex vetuit Burgundo Lutetiam versus accedere; & pergenti nihilominus sic Parisiensium portas animósque occluserat, vt is pluribus frustra tentatis, quanquam Latiniaco capto, consumptâ sub spem inanem hyeme, tandem in Flandriam voti cassus abscesserit. Mox attamen visus spem suscitasse, Ludouici Delphini obitu, qui vicesimum annum delibans, morte raptus est, non sine veneni suspicione. Ille

Lagny.

ab

ab Burgundo prorsus alienus, cuius fraudes perspexerat, & spretâ vxore, nouis amoribus inescatus, Aurelianensium erat, quanquam medius partium aspirabat ipse ad regimen, quod iam capessebat, vtrique imperaturus, non seruiturus alterutri. Ioannes proximus frater Delphini nomen & spem regni susceptit, totus ipse Burgundo addictus; siue vt fratri factionem opponeret, siue indole ad deteriora; & vxorem duxerat Hannonij Comitis filiam, Burgundi ex sorore neptem; agebátque in Hannonia, cum frater obiit. Statim igitur tacitum fœdus cum Burgundo & Hannonio contrahit, quo ad eorum partes adstringebat se, tum Parisios venit. At Bituricensis, vt aggerem venienti opponeret, curat Carolum Delphini fratrem dici Gubernatorem Lutetiæ, ipsique in Consiliarios & custodes assignat Armaniacum Comestabilem, & Taneguyum Castellium, qui Burgundo infensissimi erant; præterquam quod Carolus Mariam Regis Siciliæ filiam duxerat, implacabili in Burgundum odio dissidentis. Ita Francia suorum ipsa malorum artifex, præter causas veteres calamitatum, nouas attexebat, & prudentiâ cæca nectebat sibi laqueum. Et verò Burgundus postquam animaduertit Ioannem Delphinum minùs pollere Parisiis, clam adornat coniurationem, quâ non modò Armaniaci, sed ipse Rex, tollendi essent è medio, & iam ad exitum perducebatur flagitium, ipso Paschatis die; cùm à mulierculâ declaratur, & diligentiâ Cancellarij atque Taneguyj coniurati opprimuntur, atque in supplicium rapiuntur; ipsorum Caput Almenius Orgemontij Cancellarij filius, perpetuo carceri mancipatur, vir Ecclesiasticus, opúmque ingentium; vnà ambitione ad crimen impulsus, cùm alia omnia tam abundè supperterent. Inter has procellas illuxit quædam spes serenitatis, Sigismundus Imperator exceptus Parisiis. Ille ex Aragonia redux frustra tentatâ Petri Lunensis contumaciâ, vt ad Concilium Constantiense profectus, depositâ tiara, Christianæ reipublicæ bono consuleret; iter per Franciam habet, perrecturus in Angliam, si Reges posset conciliare, & ad tollendum schisma, & subleuandam Ecclesiam, curas omnes Regum & Principum, in id vnum opus simul traducere. Verùm nihil ab Franco Anglove, quod componeret pacem, impetrauit. Imo Franco offensioni fuit; quod honoris causâ deductus in Curiam, & lite coram disceptatâ, litigantium alterum cui ad causam impetrandam nobilitas deerat, ad se acciuit, & dato insigni Equitem dixit; quod à Rege & Francis malè exceptum est, quasi Imperator ius sibi in Franciam arrogaret: atque ideo cùm in reditu Amedæum VIII. Sabaudiæ Comitem, Ducem vellet dicere, prohibitus est ceremoniam Lugduni obire, & in ipsam Sabaudiam remissus. Breui hoc interuallo sopita discordia, mox recruduit. Bello in Anglum perseuerante, cum eodem Burgundus priuatas inducias pactus erat quod Regi atque Consilio permolestum fuit; subditum absque Regis permissu cum hoste paciscí. Et postmodùm detrimentum in Bituricensis morte Francia patitur, hic suo fato obiit, senectute ad annos septuagenos senos perductâ; extremum ruentis patriæ fulcrum; cui præter auaritiam rara vitia erant, moderata ambitio, cæteríque affectus; paci & otio quam labori & bello aptior; ideò istis infensus, illa promouebat; decessit sine prole mas-

Ludouici Delphini mors.

Sigismundus exceptus Parisiis. Anno 1416.

Bituricensis mors.

culâ;

CAROLVS VI.

culâ; vir magnificus, atque ædificandi percupidus, extántque pro liberis egregia profanæ magnificentiæ monumenta. Nec multò pòst Ioannes Delphinus impronisâ morte extinctus est, siue, vt rumor inualuit, veneno à matre præbito, difficilem nati indolem verita, aut à Rege Siciliæ, spem regni in Carolum generum deriuante; siue vt similius vero, vitæ intemperantia, vsuque libidinum, quibus indulgebat immoderatiùs; nec enim toxicum vllum perniciosius.

Et Ioannis Delphini. Anno 1417.

VII.

Armaniaci vulgo odiosi.

Carolus postremus Regis filius, natus annos quindecim, cum Delphini appellatione regni regimen ad Armaniacos totũ abduxit. Discordia tandem ablegatâ, & omni spe Burgundo abscissa, videbatur regnum subleuari, atque in Anglum vires verti posse, communem hostem, resque in Normannia non mediocriter promouentem. Penes Comestabilem administratio erat, & Consiliarios sibi adsciuerat viros præclaros, Martinum Cancellarium, Taneguyum vrbis Præpositum, Dammartinum, & Cambiensem, quorum consensu vnanimi regebat rempublicam. Verùm idem qui tenebat clauum Comestabilis, is nauem, séque ipsum in scopulum & naufragium impulit. Præclaras dotes tria potissimum vitia inficiebant; parsimonia quæ auaritiam saperet, seueritas quæ accederet ad superbiam; atque amor imperij, qui nimius ambitionem exscriberet; ita odium colligebat in vulgus, tributa plurima indicendo, morum fastu dignitatem tutando, & præfecturas tum ciuiles tum militares sectatoribus suis assignando. Excusabat quidem se & virtutum speciem prætexebat vitiis, inopiæ ærarij parsimoniam tribuens, superbiam dignitatis curæ & tutelæ, & præfecturas suorum temporis necessitati, ne quis oppositæ factionis turbaret rempublicam; sed malè populo per has laruas imponitur, & optimatum vitia sub personâ patent. Porrò eorum ambitio molestissima postremò regnum pessumdedit. Regina, immoderatæ potentiæ Comestabilis, vna obex erat; illa iam ab Regis morbo assueta interesse consiliis, regimen vel totum vel in partem capessere, quia tunc Burgundo infensa admodum erat, Comestabilem patiebatur, & loco principe exclusâ, ambiebat secundum. Enimverò ille Reginæ præsentiam ferebat impatientius, & ne impotentis feminæ ambitionem subueritus, siue omnem scrupulum amoliturus, statuit Reginam ab consilio amouere, & penitus deturbare. Ideò contumelias per gradus promouens, primùm Regis nomine abstinere à consilio iussit; dein per Delphinum gemmas aurúmque factum abripuit, mox vnum è domesticis ipsi percarum, rapi ex Aulâ, & fluuio mergi imperauit; postremò Aula pulsam Blesam, dein Turones cum Catharina filia ablegat, orbatam domesticis, datísque custodibus, quorum acerbitas augeret miseriam, carcerémque efficeret quod assignatum erat hospitio. Subita & improuisa conuersio tam altum odium in Reginæ mente ingenuit, vt in posterum inexpiabile, vel vindictâ patratâ, fuerit. Non in vnos Armaniacos conceptum est, sed in regnum, ipsúmque Delphinum, vt Isabella se Reginam matrémque oblita, regno & filio grauissimas ærumnas inuexerit, ad extremum spiritum odij pertinax atque vltionis. At quoniam muliebre ingenium ad vindictam acutissimum & celerrimum est; illa, extincto vetere odio, se ad Burgundum

Regina aulâ pellitur.

dum applicuit, statuitque Catharinam filiam calamitatis suæ participem, Anglo tradere, ipsisque regnum, Delphino raptum conficere. Telam orditur primùm à Burgundo. Is Reginæ litteris compellatus, arma & consilia in Armaniacos instruit. Sic plures vrbes ad seditionem commouet, Rhotomagum maximè; illis expeditis Parisios properat, captisque haud paucis oppidis, triginta hominum millia ad eos admouet. Verùm strenuitate & diligentia Comestabilis, tam oppressis intus seditiosis, quàm vi foris repulsâ, discessit ab obsidio, & ad proximas vrbes se conuertit; iámque Carnutum, Monsericum, Siluanectum, Pontisaram expugnauerat, cùm Turones celeriter aduolans Reginam opportunitatem parantem, dum ad Diui Martini ædem proficiscitur, excipit, potitur vrbe, & Carnutum prædam spontaneam, ducit. Regina extemplò testata scriptis, attineri Regem captiuum ab Armaniacis, gerit se pro Regente, Parisiensem Curiam abrogat, geminásque instituit, Ambiani alteram, alteram Trecis; Lotharingiæ Ducem Comestabilem dicit, nouósque ad arbitrium regni administros. Interea Armaniaci seditionem Rhotomagensem compresserant, & Castelli ope magnam vrbem reuocauerant ab insaniâ, iis in pœnam raptis, qui necauerant Regios Magistratus. Contrà soluerant Siluanectensem obsidionem, erátque in visceribus regni bellum intestinum; Burgundis decussatam crucem colore miniato pro insigni ferentibus, Armaniacis rectam & candidam. Eos inter motus Martinus V. oppresso schismate creatus Pontifex, legatos Cardinales in Franciam misit, quorum curâ & diligentiâ pax Delphinum inter & Burgundum Ducem sancita est; eâ conditione vt præteritarum rerum obliti, simul regnum concordibus animis administrarent. Idque fœdus præconio publico Parisiis magno populi gaudio enuntiatum est. Atque ita scribenti Iuuenali Vrsino assentior potiùs, quàm Monstreleto Burgundarum partium sectatori, atque affirmanti reiectam pacem ab Armaniacis, credo vt Parisiensium immanem sæuitiam quæ consecuta est excusaret, culpamque in Armaniacos verteret.

CAROLVS VI.

Regina libera.

VIII.

Armaniaci dirè Parisiis necantur.

Villiers Seigneur de l'Isle Adam.

Pace promulgata, dum securius Armaniaci agerent, tetrâ proditione Parisiis in sede imperij opprimuntur. Erat Pontisaræ cum præsidio valido Villerius Insulæ Adami Dominus, nuper ab Armaniaco ad Burgundum transgressus; ille clam adornatâ conspiratione, per vrbis portam quam referabat Perrinus Clericus Consulis filius, è puluinari dormientis patris claues suffuratus, noctu cum octingentis equitibus admissus, iusto agmine ad Castelletum incedit, adiunctisque quadringentis è conspirantibus, ciuem per vicos ad res nouas concitat, repetitis clamoribus, *viuat Rex & Dux Burgundiæ.* Ad eas voces vniuersus populus conuenit, armísque raptis quæ sub manum erant, furcis, malleis, verubus, fustibúsque; nam alia detraxerat Comestabilis; ad quodvis facinus se accingit. Eo affluxu Burgundi factio iam vrbis potens, in duo agmina copias diuidit, alterum tendit ad Sancti Pauli palatium, fractísque foribus Regem somno excitat, atque equo impositum per vrbem deducit, vt ea auctoritatis Regiæ specie vim atque amentiam suam obsignarent. Alterum agmen longè maiore insaniâ grassabatur; in Armaniacos conuersa rabies, violatæ ædes, atque

CAROLVS VI.

heri interempti, crudeliter. Festinatum in palatia Comestabilis, Cancellarij, nobilium & Magistratuum; & quotquot occurrunt trucidati nefariè. Primo tumultu Comestabilis è Palatio suo profugus in vicini inopis obscuras ædes abdiderat se; Taneguyus Castellius, immemor sui curam omnem in Delphini salutem impenderat; aduolánsque in Palatium raptum è somno, & sicut erat linteo inuolutum, Bastillam detulerat; mox Melodunum transmiserat, substituerátque Bastillæ, socios qui è strage euaderent, excepturus. At crudelissima laniena vrbem implebat; audiebantur passim clamantium voces, *viuat Burgundus*, *Armaniacus pereat*, & promiscuè mactabantur viri, matronæ, pueri, quot suspecti Armaniacarum partium erant. Ita Marlius Cancellarius, Guerrius, Curiæ Magistratus, Conciliarij pecudum instar contrucidantur, & ipse Comestabilis ab hospite proditus educitur è tugurio, & in carcerem conditur. Agebat paulò mitiùs Regium agmen, temperánsque à cædibus, omnis generis homines rapiebat in carcerem, iisque Parisienses custodiæ omnes oppletæ sunt. Sed non ideo popularis furor desæuiit, die consequenti nouo œstro perculsi, carcerem custodiásque perfringunt, Comestabilem necant, aliósque omnis generis ad duo millia, in iis Præsules Constantiensem, Ebroicensem, Baiocensem, Siluanectensem & Santonum; aliósque Abbates haud paucos, nullâ religionis reuerentiâ; atque cadauera promiscuè carris plaustrísque imposita, extra vrbem deferunt, & insepulta vel in profluentem coniiciunt, vel feris vulturibúsque in prædam deserunt. Tria ad contumeliam seruata, Comestabilis, Cancellarij, & Guerrij, quæ postquam in palatio ad ludibrium omnibus patuerant, à fæce populi per lutum & vicos raptata sunt triduum, & proiecta inter putrescentia animalium corpora. Et Villerij obseruata crudelis proteruia, qui è mortui Comestabilis tergo duas corrigias decussatas, dereptâ ferro cute, detraxit; vt Burgundi notâ insigniretur vel mortuus. Taneguyus tentauerat quidem à Bastilla in ciuitatem irrumpere, & comitantibus Rieusio & Barbasano cum armatis mille sexcentis, pugnam in ipsa vrbe miscuerat; sed oppressus numero repulsúsque, quadringentis amissis, Bastillam primùm, dein Melodunum ad Delphinum confugerat. Extemplò Burgundus Diuione Parisios venit, adducítque Reginam, incredibili Parisiensium plausu exceptus, capessítque cum ea regni administrationem, nouis Magistratibus & Præfectis ad nutum suum constitutis. Nec ideo in vrbe cessabatur à cædibus, aut conscribebatur suam intra materiam furor. Nam plebs rapinis vexata, cruorémque intemperantiùs sitiens, Duce Capeluca carnifice, lanienam instaurat, carcerem infringit, vinctos interficit, & opulentum quemque, Armaniacarum partium specie, impunè cædit, ædésque diripit. Equo inuectus Capeluca princeps incedebat purpuream è serico indutus clamydem, versóque pollice confodiebat quemque ad libitum. Nec cædium erat finis, ciuésque plurimi clam vrbe excedebant; cùm Burgundus tandem tot miseriarum pertæsus, veritúsque ne furor ad se aliquando proserperet; prætextu expugnandi Montis-Erici, seditiosam turbam educit, mox Capelucam correptum suspendio necat, atque vrbi tranquillitatem

Anno 1418.

Capeluca furor.

quillitatem restituit ; post immensa flagitia, & patratam insontium sanguine vltionem. Pœnas ab aliis interfectoribus repetiit Deus ; nam pestis sæuissima inuasit Lutetiam ; quæ à Iunio mense, quo laniena patrata est, ad Octobris finem grassata, hominum millia quadraginta confecit, plerosque omnes ex infima plebe, qui se innoxio cruore polluerant ; & vt scribit Monstreletus, impia admodùm morte, nullâ criminum pœnitentiâ, aut veniâ, desperationem inter & furorem, & ipse Burgundus, cui per tot flagitia parabatur regnum, eodem fato aliquantò post cadet. CAROLVS VI.

IX. *Delphinus pacem Burgundo negat.*

Ille postquam Regem & Parisienses habuit in potestate, ad Delphinum conciliandum incumbit. Aderant Delphino viri armis & consilio optimi. In bellis militarem artem collegerant, Rieusius Marescallus, Torsæus Baliftariorum Præfectus, Aquila, & Barbasanus ; erántque iuniores, sed egregio animo præditi, Stephanus Vignolius Hira dictus, Xantralij fratres, Petrus & Potonius, Vascones nobiles ; Comes Dunensis Ludouici Aurelianensis filius, quorum in sequentibus præclara memorabuntur facinora. Promouebant arma consilio, Taneguyus Castellius, Vicecomes Narbonensis, Petrus Loria, Ioannes an Thomas Louuetius in Prouincià Phocensi Præses, & Robertus Massonius. Iis Delphinus instructus Præsidiis, se in Burgundi dolos & vim propugnabat. Burgundus castrum Coucyum Delphino eripuerat, cæso Præfecto Petro Xantrallio, meretricis quâ vtebatur, proditione : Contra Potonius Petri frater Burgundi turmas in fugam egerat & profligauerat ; verùm cùm alterutro, & victore, semper Francia detrimentum pateretur ; Legati Pontificis, qui post tumultum Parisiensem ad Sancti Mauri, vrbe haud procul, secessérant, tantoperè contenderunt, vt pax iterum Delphinum inter & Burgundum conuenerit, vtroque in regni administrationem adscito. Annuebat Delphinus, nisi à suis in diuersum consilium raptus foret. Docent *Burgundo summam esse perfidiam, nullam fidem, affectum eum pactorum illecebris lethales obuelare insidias ; nociturum minùs apertum hostem quàm tectum.* Ita reiiciendæ pacis auctores sunt. Cùm Anglus interea occupatâ Normanniâ, regni intima carperet, & suas res per Francorum turbas promoueret mirificè. Etenim Henricus sublimis animi, atque illustrem gloriam appetentis, ne elaberetur occasio, cum ingenti exercitu ex Anglia in Normanniam venerat. Sub signis erant quinquaginta hominum millia ; nobilitatis flos, Duces Clarentiæ, & Gloceſtriæ Regis fratres ; Duces Exceſter, Varuicius, Sombresſetus, aliique. Rex quarto aduentus die Tucham arcem cœpit ; breuíque tempore inferiorem Normanniam quà terrore quà vi, cum plurimis vrbibus sub iugum misit. Nempe Comestabilis vt se & Parisios in Burgundum muniret, ex vrbibus præsidia euocauerat, atque inuadenti prouinciam nudam obiecerat. Præter Rhotomagum regionis caput, duo erant oppida Cadomum & Larca quæ tenebantur præsidio & vim repellebant, nam Chereburgum iam Anglorum erat, turpi Ioannis Engennij proditione, qui acceptâ pecuniâ arcem tradiderat. Ergo Cadomum

La Hire, Xaintrailles.

Anglus Normanniam occupat.

Touques.

d'Engennes.

Caën.

CAROLVS VI.

munitum cum arce oppidum Henricus aggreditur ; vi vrbs expugnatur; miseréque diripitur ; arcem Fayeta & Montenæus Franci Nobiles duos propè menses propugnarant ; quo exacto tempore cùm auxilij spes nulla illuceret, vitam suorum pacti incolumem, deditionem faciunt. Et memorabilis Henrici pietas, qui vota sacra ex auro atque argento plurima, quæ in arcem Normanni ex vicinis oppidis custodiæ causa detulerant, suis quæque templis curauit restitui, ne minimo quidem delibato ; quâ abstinentiâ non Dei modò, sed hominum gratiam conciliauit summoperè. Capto Cadomo, antequam Rhotomagum aggrederetur Larcam impugnat. Est Larca oppidum situm ad Sequanam, quem ponte iungit, octo milliaribus Rhotomago distans, & magni momenti ad immittenda vel excludenda subsidia; erátque in oppido Ioannes Grauillius, qui præclarè hostem exceptum, ab ponte capitis fortiter repulit. Nec Henricus ad pontem expugnandum pertinaciter institit, sed amne noctu è superiore loco, clam transmisso, oppido militem admouet, deditúmque obtinet, cum è Franciâ nihil submitteretur auxilij. Tunc Henricus subactâ Normanniâ, Rhotomagum tandem totis copiis obsidet. Erant in vrbe armatorum quindecim millia, quà ciues, quà Præsidiarij milites, expediti ad defensionem, certíque extrema omnia pati, antequam Anglum admittant. Nec Henricus ausus est armis consilium exequi, sed lentæ fami committendam rem censuit, qua fortissima quæque deiiciuntur, & illibatis propugnaculis vrbes euertuntur. Eo consilio ciuitatem amne & solo excludit, tribus catenis ferreis ab vnâ ripâ in alteram ductis, spatio inæquali in fluuium mersis ; issque omnia nauigia prohibet ; tum vallum prælatum latámque fossam castra inter atque vrbem obtendit, quibus tutus & tectus, tum ab vrbe commeatum omnem arcebat, tum se ab crebris eruptionibus muniebat. Et quidem breui in obsessam vrbem fames penetrauit, nec ideo præclarissimi ciues deiecti sunt animis. Sanè Rhotomagenses nemo satis pro dignitate laudauerit, tantum fidei, animi, patientiæ, & inuictæ ad extrema constantiæ, ne detraherentur Franciæ exhibuerunt, postquam erumpendo frequentiùs hostem non amouent, famésque iam grassari incipit ; duodecim mortalium millia, qui ætate bello impares forent, vrbe emittunt, ac patiuntur miserè in fossis perire, Anglo transitum pernegante. Tum admoti ad extrema, Regem, Delphinum, Burgundum, de subsidiis mittendis compellant ; supplices addictissimis precibus se seruari orant, & spe à Burgundo oblatâ, luctantur in miserias, famemque intimam, iam cibo ad coria traducto, & egregiâ fidelitate se gloriâ suâ & laude pascente ; Ac iam fame extincta erant quinquaginta hominum millia, ab Rege & Burgundo perierat tandem auxilij spes ; cùm inopes omnium & ægrè afflictum trahentes spiritum, Anglum de deditione appellant. Ille haud ignarus quàm extrema vrbis calamitas esset, eam sibi reddi nullâ conditione postulat, habendam arbitratu suo. Ciues egregij hoc responso audito, perditum animum desperatione armantes, statuunt tecta incendere, quæ tueri non poterant, armisque correptis vnà cum vxoribus atque liberis vrbe prorumpere, in hostium castra irruere, sibique vel honestam mortem, vel salutem certam comparare. Henricus eo consilio

Pont de l'Arche.

Rhotomagum capitur.

Anno 1419.

filio per proditores comperto, iram mitigauit, & meliores conditiones concessit, per quas in vrbem admissus est, octauo mense postquam aggressus obsidium erat; anno supra ducentesimum vicesimo quinto, quo Anglis Philippus Augustus eam detraxerat. Subeunti vrbem Henrico prælata est cauda vulpeculæ pendens è lancea, credo ad retundendam Francorum ignominiam qui veteri scommate caudaros Anglos solebant appellare. Normanni derelicti à Francis, Anglo in posterum conuersis animis adhæserunt donec iterum pristinam fidem cum victoribus Francis recipiant. At Burgundus cùm armis coërcere Anglum haud posset, pacem obiecit, habuitque cum Henrico colloquium, ad quod Regina & Catharina deductæ sunt; si forte spectatâ pulcherrimâ Virgine Angli ferocitas mitigaretur, & ille admisit quidem amoris flammam, sed excandescens quod illicò Virgo iussu matris fuisset subducta, nec quidpiam à postulatis remittens, quibus Aquitaniam & Normanniam summo iure exposceret; solutum est colloquium; Anglo etiam interminante; obtenturum se, vbi libuisset, & regnum & Virginem, & depulsurum à Franciâ tam Burgundum quàm ipsius Regem; adeò prosperitate intumescebat superbia, & futura ex præteritorum cursu metiebatur.

X. *Delphini pax cum Burgundo.*

Deiectus spe pacis ineundæ cum Anglo, ad Delphinum se Burgundus conuertit. Et quidem Delphinus in eam propendebat voluntatis inclinatione; nam intus foríque dilapidari patrimonium suum permolestum erat, atque hoste gemino ingruente, alterum sanè conciliari oportuit. Igitur incumbit in concordiam, atque vt superbam Burgundi indolem ad æquiores conditiones perduceret, Gyaci nobilis coniugem adhibet, quæ apud Burgundum muliebri potentiâ præpollebat; quippe femina cui permiserit corpus, eius animum regit. Ipsius operâ perfectum est tandem, vt primùm ad Possiacum, deinde ad Melodunum Delphinus cum Burgundo conuenerit, contractis pactis, quæ ab vtriusque partis proceribus subscripta sunt; indictóque Monterigoli ad Septembrem proximum nouo colloquio, recesserunt, Burgundus osculatus Delphini dexteram, & Delphinus Burgundum amplexus. Res vrgebat, etènim Henricus promouens felicitatem, Gisortium expugnauerat, atque Pontisaram, magno Parisiensium metu; quo factum vt Burgundus Regem, Reginam & Catharinam Trecas in fidam vrbem deduceret. Hinc bellum atrox & à Delphino coquebatur atrociùs. Etenim ipsius familiares concordiam cum Burgundo initam veriti, ad eam abrumpendam enitebantur summoperè. Hi olim Aurelianensi charissimi, & quà futuri domini sui vindices, quà vindictæ metu, ob iniurias Burgundo illatas, vt saluti suæ consulerent, in alienam conspirant. Auctores præcipui noui consilij Taneguyus & Louuetus, qui apud Delphinum pollebant plus cæteris. Primùm iniquitatem contentionis obtendunt. *Quid cum Principe subditus partiatur imperium? consortem potestatis tuæ Burgundum pateris? quasi tu vnus sis impar regimini, aut monarchia Francie duos Reges admiserit? Ignoras quam lati ambitioni sint limites? vt qui contentus suo gradu non sit, qui Regi proximus, par esse cupiat; mox superiorem locum ambiturum, & amoliturum vnum illud caput per quod stat ne regnet. Sanè ea Burgundi virtus modestia*

De Gyac.

Montereau.

CAROLVS VI.

destia & temperantia fuit, quas in suspicionem vocare non possis? Scilicet qui fratrem Regis peremit nefarius parricida, qui fratres tuos Delphinos geminos veneno sustulit, qui adhuc Regem & Reginam vt vilia capita in potestate habet, qui regnum præ regnandi libidine sudéque miseuit; qui Comestabilem, Cancellarium, caterósque dignitatis tuæ studiosos immanissimâ nece extinxit; ille alium vel superiorem vel æqualem feret; nec reuocabit priora crimina ad obicem nouum amouendum? Cane tibi Princeps, per eas artes tibi paratur pernicies, ferrum aut venenum iamiam instruitur, & noua victima ad cultros ornatur: Nam de nobis non contendimus admodùm, peribimus quidem, & vltionem Burgundi quid vincat? sed tuæ necis vel prolusio vel appendix; hoc miseri quod dominum seruare nece nostrâ non possumus. Eiusmodi sermonibus postquam Delphini mentem conturbarunt, aggrediuntur quod caput erat peragere; suadéntque vt regni pestem semel extinguat: nec bellum nec pacem eo incolumi tutam esse posse, iustè ferro cædi, qui tam multos necasset, penes Delphinum Dei, & Iudicum esse potestatem; quem per Iudices iustè damnaret atque morte afficeret, eum per milites tot criminum reum in pœnam vocaret, ac quando Monterigoli se ille sisteret, præteritis sceleribus tolleretur impunitas, & futuris occasio. Ita Delphino Burgundi cædem persuadent; quæ vt patraretur tam tutò, quam secretò instituta esset, animi sensum altâ simulatione prætexunt: quanquam assentiar libenter aliis, affirmantibus Delphinum tam pernicioſi flagitij fuisse prorsus ignarum. Aderat tempus constitutum colloquio, & Burgundus hærebat, excusans locum rei gerendæ incommodum, & faciliùs Trecis amplâ in vrbe conueniri posse. Contra Delphinus vt rem perageret, primùm per Gyaci coniugem suspicionem omnem amolitur, mox misso Taneguyo; tandem cunctantem & nescio quo naturæ sensu subtimidum, misso Episcopo Valentino, expugnat, & ad lanienam adducit. Monterigolum oppidum est in Senonibus ad Icaunam positum, quà in Sequanam is amnis influit; tunc pons castrum ab oppido seiungebat; concessum Burgundo castrum, Delphinus exceptus oppido; in ponte medio exstructum cubiculum in quo Principes colloquerentur; ligneis clausstris hinc inde erectis. Burgundus cum cohorte armatâ castrum ingressus, stipatus decem Proceribus ad pontem incedit. Operiebatur in cubiculo Delphinus, totidémque Proceres, coniurationis participes; quorum Duces Taneguyus, Louuetus, & Vicecomes Narbonensis. Ad primos cancellos venienti Burgundo occurrit Taneguyus, Delphini nomine salutem ferens: At Burgundus hæret clausstris inspectis, consulítque suos an pergeret; affirmantibus cunctis, nihil esse periculi, vltra pergit, & iam ad tertios cancellos peruenerat, cùm aduertens alios ponè claudi, cœpit pertimescere seriò: attamen regressu vetito, metum dissimulans ad Delphinum accedit, flexo genu summâ corporis inclinatione. Delphinus loricâ indutus, gladióque accinctus, pro salute, cum acrem vituperationem rependeret; Lorius Ducem apprehensum brachio iubet exurgere; Tunc Burgundus haudquaquam dubitans, quin foret proditus, manum ad ensis capulum admouet; iterúmque Lorius eo momento increpitans; *Etenim*, inquit,

Burgundus à Delphino cæsus.

Anno 1419.

in

in Dominum meum ferrum ſtringis ? & extemplo Taneguyus oculis in coniuratos coniectis, *nunc*, ait, *tempus eſt*, vocémque facto vrgens, ſecuriculam in Burgundum impingit, abſciſſóque mento humi ſternit. Ille conatur direpto enſe exſurgere, ſed coniuratorum gladiis ſecuribúſque perimitur, iacétque exanimis. E decem ſociis, vnus occiditur, Nouallius, qui vt Ducem defenderet ſtrinxerat ferrum; vnus Montacutus ſuper clauſtra inſiliens fuga ſe proripit, cæteri octo captiui ſeruantur. Cæſi cadauer in ponte iacuit, ſpoliatum præter thoracem cruore infectum & ocreas, mox ad piſtrinum ſicut erat delatum, & ſequenti die abſque feretro, & ſyndone in ſacrâ æde terrâ obrutum eſt; è tantis opibus ne ſyndone quidem reportatâ; quam vnam ad exemplum humanæ inopiæ Saladinus ille ingerebat mortalibus. Ita cæſus Princeps multipliciter reus, & diuinis humaniſque pœnis obnoxius, ſed iniuſtâ & importunâ planè ratione; inimicis Delphini adoleſcentiâ ad vltionem priuatam abuſis (nam is agebat annum decimum ſeptimum) & immenſis calamitatibus inuoluentibus Franciam. Sanè ferro Deus nuſquam parcit, & diuturnam facti pœnitentiam ab auctoribus petet.

CAROLVS VI.

Nouailles.

Delphinus patratâ cæde litteras in prouincias ſcribit, quibus ſcelus excuſat, culpam in Burgundum vertit, ſe tentatum inſidiis, vim à cæſo illatam eámque inferentis malo repulſam. At Montacutus fidem litteris tollit, quo res geſta ſit modo palam omnibus facit, & vt ſit miſeriâ miſericordiam concitante, in Delphinum, eiúſque aſſeclas ciuitates fremunt. Regina imprimis nullis finibus furorem continens, ſublato Burgundo, cùm ſe inopem, deſtitutam & aduerſariis traditam crederet, quod vnum ſupererat Regiam auctoritatem armat in filium, vt parricidam proſcribit, exheredatum & deiectum paterno ſolio. Pariſienſes ſimiliter haud leuiore furentes inſania, Moruillerium Senatus Præſidem ad Philippum Burgundi necati filium legant, cui ſe ſuáque omnia offerant, & ad vindictam ob iniquiſſimam cædem patris inflamment. Et ipſe ſuo conflagrabat incendio; necatum per inſidias patrem, per fidem publicam, per Sacroſanctum iurantium vinculum, per violata tùm humana, tum diuina iura, exaggerabat ſenſum iniuriæ; turpitudine ſceleris vltioni laudem conformante. Ergo Atrebatum conuocatis comitiis, cunctíſque certatim opem pollicentibus, vt de Delphino, quem Comitem Pontiuenſem dicebant, vindictam exigeret; ipſe Trecas aduolat, ſéque Regi ac Reginæ optatiſſimum ſiſtit, moxque in flagitium erumpente vindictâ, ne huic Anglus moram obiiceret, cum Henrico Rege pacem ſancit. Conditiones non iniquæ modò, ſed propudioſæ: Catharina Henrico data in coniugem, dos ipſum regnum Franciæ; vt viuo Carolo Regentis nomine Henricus regnum adminiſtraret, ipſo demortuo Rex diceretur. Ita Franciæ corona clariſſima, quæ ab condito regno imbecillem ſexum depulerat, eo ne in minimam quidem partem admiſſo, modò vnius feminæ impotentiâ, in dotalem fundum conuertitur, furoris in vindictam ruentis appendix. Anglus Rex ſuâ ſorte lætiſſimus, Trecas raptim venit, ſponſam ducit, & Regens nuncupatus versùs Pariſios cum Philippo tendit. Hique vt aliquo facinore inclareſcerent, vrbes in itinere poſitas

XI.

Franci & Angli in Delphinum.

Moruilliers.

CAROLVS VI.

quæ obtemperabant Delphino, expugnare statuunt. Prima illarum partium ciuitas Senonum occurrebat, quæ vltrò deditionem pacisceitur; tum Monterigolum, desertum oppidum, castrum captum, ac Ioannis corpus à filio refossum, missúmque Diuionem in Carthusiensium ædem; Melodunum deinceps & Meldæ captæ sunt; Melodunum quidem multo labore, & quinto pòst mense, fortitudine Preausij & Barbasani; quæ alimentorum inopiâ tandem fracta est; atque penuria eadem postmodùm Meldas aperuit; Præfecti Chisæi incuriâ; qui captiuus, vt & Barbasanus abductus est. Iis insignes victoriis Parisios expectatissimi veniunt; scribi non potest quàm effuso omnium ordinum gaudio excepti; nempe amentiâ à capite in membra transfusâ. Ingressi sunt equites Carolus atque Henricus, ille dextram occupans, hic sinistram, magnóque comitatu Nobilium ex vtraque gente, post actas in Deiparæ gratias, in ædes Sancti Pauli recessit Carolus, Anglus in Luparam. Mox ne iniqua possessio tituli specie destitueretur, ob Burgundi cædem solemne iudicium instituitur. In atrio Palatij Regij cœtus institutus; consedebant in vno subsellio Rex vterque; tum Ioannes Clericus Cancellarius & Moruillerius; in medio atrio inter Angli fratres Clarencium & Betfortium sedebat Philippus Burgundiæ Dux; deinceps, Episcopi, Proceres, & Consiliarij. Tum exurgit Nicolaus Rolinus, qui pro cæsi viduâ & Philippo filio perorauit; consequutus Petrus Marinius Aduocatus Regius pro infligendis in reos pœnis habuit orationem, & Cancellarius susceptο in vicem Regis sermone pollicetur iustitiam. Nec multo post ad marmoream mensam Delphino & conscriis vadimoniũ dicitur; iisque non comparentibus, Parlamenti iudicio, Delphinus perpetuò à Franciâ exulare iussus, indignus coronâ & exheres dictus; criminisque participes ignominiosâ morte damnati. Nemine ad iniquissimam sententiam refragante, ne naturâ quidem matrem appellante; adeo vindicta in vesaniam induruerat; nam patrem excusabat morbus, suáque potestate deiectus animus. Henricus posteaquam ad nutum omnia fausta eueniunt, vt se victorem Anglis ostentaret, cum nouâ sponsâ in Angliam soluit; Clarentio fratre Gubernatore Parisiis dicto, atque impositο in captas vrbes præsidio, maximè Luparæ & Bastillæ arcibus. Ita Francia quod tot antè annis horruerat, se Anglicam vidit, quódque funestius suâ sponte, vltrò ceruicibus in iugum insertis.

Preaux & Barbasam.

Le Clerc.

XII. *Delphini cura in hostes.*

At Delphinus postquam animaduertit praui consilij quàm diuersus à proposito esset effectus, seriúsque pœnituit effusi sanguinis, cùm se peri tam inflammatis odiis cerneret, regnum, suámque animam in exitium rapi, contendendum omnino censuit, vt se propugnaret. In tot regni prouinciis paucas admodùm suarum partium numerabat; eásque vltra Ligerim, præter Andegauos; vt ad regni fines pulsus videretur; crántque illæ, Andegaui, Turones, Pictones, Aruerni, Biturices, & Occitani; obsequij quidem in legitimum Principem studiosi, sed multùm inopes, & ob priora ciuilis belli incommoda, exhausti propemodùm, & ad nouos sumptus parum apti. Occitani præcipuè incorrupta fide illi adhæserant; ad eos seruandos curæ statim traductæ, & quia Princeps Orangius à Burgundo missus,

sus, Aquis mortuis, Sancti Spiritus Fano, & Nemauso captis, incumbebat Prouinciæ, Delphinus Comitem Fuxiensem Proregem dicit; ratus ob viciniam atque potentiam opportunum qui Orangium pelleret. Verùm Occitanis geminata per eum molestia; quippe à Fuxiensi tributis supra modum grauati, cùm remedium morbo esset deterius, Delphinum appellant. Et ille obiuit expeditionem feliciter, Fuxiensi pulso, & receptis vrbibus, Nemauso & fano spiritus; inde pacatam prouinciam Carolo Borbonio Comiti Claromontio regendam tradidit. Aquas mortuas cogitabat, cum indidem ciues Burgundicum præsidium impositum ab Orangio aggrediuntur, vincunt, ac cædunt, eorumque corpora in lapideis cupis condiunt sale; alludente pœnâ ad vulgare dicterium, quo Burgundi iam olim saliti dicuntur. Auditâ postmodùm Parlamenti sententiâ, ad Deum supremum omnium Iudicem, suúmque ipsius gladium prouocans, Parlamentum Parisiense, & Vniuersitatem Pictauium euocat, vim Regi ab hostibus illatam expostulans. Ita dum fulcra solerter inquirit, Britanniæ Ducem alienat, & suâ culpâ. Margaritæ Clissonij filiæ ex Ioanne Pontiuensi Comite, erant liberi quatuor; eorum natu maximus Oliuerius, à matre Monfortiorum familiæ infensissimâ impulsus, cum Delphino conuenit, vt Ioannem Britanniæ Ducem interceptum per insidias, Delphino ipsi traderet, pacto ob proditionem mutuo præmio. Cogitatum scelus inceptum est, Dux captus, in vincula raptus atque in carcerem; sed Pontiuensi ad consummandum crimen deficiente, Dux quæ peterentur, pollicitus, suis restitutus est. Sic Delphino nouus hostis exurgit, à quo deinde grauia incommoda inferentur. Huius auctor consilij, qui omnium propè, Louuetus ille Præses, importunè quidem atque iniquè; nec Delphinum excuset, quod Britanniæ Dux vel in Anglum propenderet, vel neutri partium se addictum vellet; nam erat beneuolentia illicienda beneficiis, non odium graui facinore concitandum. Sed hæc illorum temporum calamitas erat, & vna Louueti ciuilis prudentia, vt per insidias venena & cædes grassaretur ambitio, & pro iure vis esset, arteſque perfidiæ. Ad iacturam illam sarciendam noui fœderati se Delphino adiungunt. Ludouicus Barrensis Dux, idemque Presbyter Cardinalis, interclusâ spe liberorum, Renatum vnum è liberis Ludouici Siciliæ Regis adoptat in filium atque heredem, eidémque nuptias conficit Isabellæ Caroli Lotharingiæ Ducis vnicæ filiæ: porrò familia Ludouici Regis Delphino erat prorsùs addicta. Præterea Orangius à Burgundo desciuit, quod Anglus ab eo pro Principatu clientelam exigeret. Tum etiam Scoti magno numero transmisso mari ad Delphinum accesserant; ducibus Ioanne Stuarto Comestabile Scotiæ, Comite Bonxentio, Thomæ Setone, & Guillelmo Hamiltone; nam quanquam Iacobus Rex, ab Anglo nuper eam ob rem è custodia missus foret, vt Scotorum subsidia interdiceret Francis; tamen vetus societas præpollebat Regis imperio, erátque obsequio fides antiquior. Et eæ copiæ Delphino victoriam pepererunt. Dux Clarentius Angli frater Vindocinos atque Andegauos peruastabat; cùm audito Delphini exercitum Baugæi agere, Andegauo haud procul, & numero inferiorem; ad eum profligandum continuò tendit; nec Delphiniani detrectant

CAROLVS VI.

Anno 1421.

CAROLVS VI.

detrectant prælium. Atrox id conſeritur, quo Angli victi, cæſi in acie bis mille,& capti plures; ipſe Clarentius fortiter dimicans cæſus eſt,cum Comitibus Kentio & Suffoltio. Scotorum eo in prælio laus præcipua fuit, & Comiti Bonxentio datus à Delphino Comeſtabilis gladius.

Angli victi.

XIII.

Henricus ex Anglia reducx.

Ea clades Henricum ab Anglià properanter exciuit; eo maximè quod Delphinus Carnutum vrbem obſidione cingebat. Nec tranſmiſit incomitatus, ducebat in ſupplementum exercitus, ſex equitum millia, viginti quatuor ſagittariorum; primóque aduentu Carnutes ſoluit; Delphino impare copiis recedente. Tum partitus bellum cum Burgundo, illi Picardiam, ſibi Vindocinenſes attribuit. Et quidem Burgundus Delphini Duces graui clade afficit, cæſis equitum ſexcentis, & capto Xantrallio qui mox redemptus eſt, reddito Sanriquerio oppido; ediditque Burgundus quantumuis iunior fortitudinis bellicæ ſpecimen. At Henricus cùm Vindocinum oppugnaret, crebrò & cum ſtrage à propugnantibus repulſus, poſt amiſſa quatuor millia, receſſit inglorius. Nec ideò minus ſuperbè atque arroganter cum Francis agebat. Nam redditas vrbes diripiebat crudeliter, violatâ quam iurauerat fide; captiuos plerunque enecabat fame, fœno illis in cibum oblato; amicas tributis grauiſſimis vexabat, vnúmque impoſuerat nuper, quod pondo aureum dictum eſt; adactis ditioribus ob argentum factum, aliámque ſupellectilem, pecuniam immenſam pendere. Præterea Proceres ceu vilia capita aſpernabatur; & ſemel Villerium Mareſcallum, increpitum quod inter colloquendum auderet in os ſuum oculos tollere, & liberiùs reſpondentem, in Baſtillam truſit, rapiebátque ad mortem, niſi multis precibus interceſſiſſet Burgundus. Nuper effuſo gaudio, vxoris reditum celebrauerat, ortúmque pueri, cui patris nomen Henricus datum eſt, cùm euocatus Delphini ſucceſſibus, ad pellendum eum exercitum ducit. Quippe Delphinus cum viginti hominum millibus, Charitate oppido expugnato, Coſnum ad Ligerim impugnabat, & impetrauerat deditionem, niſi dicto die ſubmitterentur auxilia. Id Burgundum premebat, admodùm, cuius ditionis erat vtraque vrbs; Ideo ab Henrico militem flagitat: Henricus quanquam leui febriculâ tentaretur, exercitum ipſe voluit ducere, at morbo increſcente Meloduni ſubſiſtit, tradítque exercitum fratribus Betfortio & Gloceſtrio: verum Delphinus prudente conſilio declinans à decretoriâ pugnâ, parcénſque militi, quem ægerrimè repararet, relictâ vrbe, ad Bituriges ſe recepit; Nec eum Angli perſecuti ſunt, graui Regis morbo inhibiti. Is cùm ingraueſceret ægritudo, ad Vincennatum nemus delatus, euocatis fratribus, regimen vtriuſque regni conſtituit. Adhortatus ad concordiam, petiit vt filio ſuo loco Patrum eſſent; Franciæ regimen offerrent Burgundo, ſi recuſaret, id capeſſeret Betfortius, Gloceſtrius Angliam adminiſtraret;nec in pugnâ Azincurtiâ captiuos Principes liberaret, donec per ætatem Henricus filius regni capax eſſet; Carolum Valeſium toto niſu depellerent; ac ſi tandem pax conttaheretur, Normanniam & Aquitaniam ſummo iure haberent. Poſt ea monita, piè ac religiosè animam egit ætatis anno triceſimo ſexto, in flore ætatis & proſperitatis. Plures in morbo variant; Monſtreleto aſſentior ſcribenti,

Saint Riquier.

Coſne.

Henrici mors.

ſacro

sacro igne periisse, anum corripiente, & ad viscera peruadente. Virtutibus regiis summus Princeps, magnanimitate, prudentiâ, fortitudine, & militari peritia, superbiâ tamen & arrogantiâ morum incommodus; quam excusant labem vota toties faustis euentibus cumulata. Betfortius frater suscepit regimen, recusante Burgundo, proclamato postea in Regem Henrico pupulo, qui erat in Anglia, decimo vitæ mense vix decurso. Is regnandi obex Delphino sublatus, & alter secundo post mense pariter tollitur. Carolus pater, post multas demùm calamitates, quartanâ febri extinctus est, ætatis anno quinquagesimo secundo; regni potius alieni quàm sui, anno post quadragesimum altero: si quis vnquam Regum, corpore & animo calamitosus. Dotes egregias à naturâ acceperat, probam indolem, mali expertem animum, humanitatem morum & facilitatem; tam insigne præterea, corporis robur, vt clauâ impactâ equitem ipsumque equum humi prosterneret, & spissam lanceam ad genu infringeret; sed ea dona corruperunt primùm Aulici, quibus à primis annis obnoxius fuit; tum Sonticus morbus; vt semper alienæ potestatis fuerit, tum æger, tum sanus. Is morbi erat furor, vt ad permutanda lintea cogi, nisi adhibitâ vi non posset fœdore squallidus, & animalculorum turpium pabulum; donec inducerentur laruati homines qui renitentem spoliarent, nouásque vestes induerent; aliquando repertus est *cæcum* lateri ferrum infixisse, graui vlcere inde enato. Viginti sex annos morbo laborauit; quos regnanti adeo non imputes, vt ne viuenti quidem annumeres. Nam quæ mors tam funestâ vitâ non optatior sit: aut quale regnum, seruire, non subditis modò, sed hostibus, atque in tyrannum furorem suum alere?

CAROLVS VI.

Et Regis Caroli.

Anno 1422.

XIII.

CAROLVS VII. Victor dictus.

Delphino Carolo patris interitus Regis titulum contulit, sed inanem, & nisi aliunde opes suppeterent, perniciosum. Tunc Espallij agebat, quod in Aruernis castrum est; vnóque die lugubrem vestem indutus, consequenti splendens purpurâ: postquam in ædicula castelli sacro interfuit, erectum est vexillum Franciæ, ipsique vt Regi ab adstantibus faustè acclamatum. Mox vt aliqua celebritate innotesceret suis, quando Rhemi in potestate hostium erant, Pictauij coronatus est, quam in vrbem Senatum exciuerat, admisitque Procerum aliquot clientelam. Verùm Regis titulo, nulla vtilitas solida inerat; nam ætas adhuc tenera, vicesimo anno nondum expleto; addictæ raræ prouinciæ, eæque adeo exhaustæ, vt in Regem desiderium & vota duntaxat conferrent; adhærentes Proceres, sed priuati compendij causâ, vt sua quisque in ditione regnaret; Regem infirmum quàm potentem mallet, & ad arbitrium commissas sibi gentes diriperet. Carolo in iis angustiis vna spes erant præclarissimi Duces, quorum animo & fortitudine recreatus, statuit, si pereundum esset, armatus perire, & regni spem ad extremum spiritum ducere. Vbi coronatus est, Rupellam extemplò proficiscitur; periculum erat, ne ea ciuitas arcanis Britanniæ Ducis consiliis cum adiunctâ prouinciâ eriperetur. In ea dum agit opprimitque insidias, nouis insidiis regnum propemodùm cum vitâ amittit. Etenim proditorum dolo, cum in amplo atrio haberet consilium, resectis

CAROLVS VI.

clam trabibus quibus pauimentum innitebatur, atrium ruinam traxit, eáque inuoluti Consiliarij in discrimen præsens adducti sunt; Iacobus Preausij Dominus extinctus, Rex ægrè suorum ope seruatus, & saucius quidem; futuræ felicitatis præsagio, vt post graues ærumnas plurimáque discrimina, saluus tandem è ruinâ regni emergeret. Enimverò magnæ constantiæ & pertinacis patientiæ opus. Et res primò permittenda aleæ Martis fuit, qui admodùm incertus, modo has, modo illas partes promouebat, Regem tandem vt infirmissimum obruturus, nisi è cœlo subministratum esset auxilium. Ioannes Grauillius Meulancum expugnauerat, illicò ipse à Betfortio expugnatus, atque vrbe deiectus; cùm ad Grauellam pugna Regis obscurum nomen illustrauit. Angli bis mille hominibus è præsidiis proximis collectis, deuastabant Cœnomanos; cùm Ioannes Harcurius Comes Aumalius, cohortibus aliquot raptim contractis, hostes assequitur, ad Grauellam pagum in Cœnomanorum Britonúmque confinio, eosque aggressus post grauem dimicationem profligat; cæsis mille ducentis, & capto Polo Suffolcij fratre. Victoriæ laus Ioanni Hayo debita, Baroni Coulonchio, qui à tergo Anglos tam opportunè tunc inuasit, vt perturbatos in fugam egerit. Recepta ingens præda, & præter greges cæteros, duodecim boum millia. Et accessit ad victoriam, ortus Ludouici Delphini, Regis lætitiâ geminatâ; quanquam is postea patri damno erit, gaudiúmque præproperum longâ molestiâ compẽsabit. Interea Betfortius, postquam Henricum sextum dici Regem curauit Parisiis, ipse agens Regentem; ad expellendum perdendúmque Carolum vires intendens, nouam concordiam cum Burgundo & Britanno init. Atque vt fœdus per matrimonia vinciret arctiùs, ipse Annam ducit Philippi Burgundi sororem, & quoniam Britanniæ Duci vxor erat Caroli soror, fratri eius Arturo Richemondiæ Comiti datur Margarita, & Philippi soror, quæ prius Ludouico Delphino nupserat. Portò Arturus postquam in Azincurtia pugna captus erat ab Henrico sub fidem suam libertati precariæ restitutus, eo demortuo, ceu solutâ fide, liber perstiterat; vir ingentis animi, peritus militiæ, & vulgo militi charus probatúsque. Minuta prælia recensere, quibus inuicem partes attollebantur & deprimebantur, vt leuis sunt ad historiam momenti, nec scribenti animus est, nec legenti fructus. Iis itaque prætermissis ad illustriora conferam stylum. Et quidem Carolus geminam cladem postmodùm passus, molestissima regni rudimenta expertus est, cùm Betfortius Campaniam totam subigeret, missumque à Rege Tanneguyum depulisset; Stuartus Comestabilis ad tutandam prouinciam missus repentè ex itinere Creuantum diuertit; Audito id oppidum ab Anglis captum, Francicumque præsidium perfugisse in turrim, vnde hostem excluderet. Sed turri ad ipsius aduentum deditâ, Anglos atque oppidum oppugnat, omissâ curâ Campaniæ, excipítque à Rege nouum subsidium militum. Contra Betfortius ad seruandum oppidum copias ducit, & Icauna transito conserit pugnam; inflammante partes æmulatione laudis & gloriæ; cùm hinc Franci & Scoti; illinc Angli & Burgundi pugnarent; gentes ab æuo vltimo æmulæ, odiisque mutuis nobiles. Dimicatum acerrimè, ac tandem

Pugna ad Grauellam.

Anno 1423.

De Poole.

De la Haye.

Franci ad Creuantum victi.

Scoti

Scoti in fronte pugnantes victi, & erumpente ex vrbe milite, Franci à tergo cæsi; illorum mille ducenti, ferro necati Comestabilis Ventadurius Comes, Ducesque plurimi. Id detrimentum solabatur Carolus supplemento militum ab Galeacio Mediolanensi Duce submisso, tum ab Arcambaldo Comite Douglasio Scotis bis mille exceptis; datúsque Douglasio Ducatus Turonum, & in præmium fidei Scotorum cohors ad custodiam Regis designata; quæ postea ad nostra tempora perstitit. Et Tolongone in Bellijocensibus capto, eo permutato Comestabilis Regi & libertati est redditus. Verùm ad Vernolium in Normannia, noua grauique strage obruitur. CAROLVS VII. Douglas.

XIV. *Pugna ad Vernolium.*

Gerardus Pallerius Vasco cum Yuriacum in Normannia oppidum expugnasset, continuò ab Anglis obsessus, deditionem paciscitur, nisi dictâ die mitterentur subsidia; quæ ratio propugnandi vrbes ea ætate inualuerat, vt alienâ celeritate non sua fortitudine starent. Rex vt oppidum conseruaret, omnes contrahit copias quas conflabant octodecim hominum millia, traditque Comestabili, expeditionis sociis Douglasio, Fayeta Marescallo, Vicecomite Narbonensi, aliisque Proceribus. Ii vt erant fortitudine quàm prudentiâ clariores, dum iter faciunt, Vernolium obuium impugnant & quidem capiunt; attamen eo interuallo præstituta dies elabitur, atque Yuriacum Anglos admittit. Tum eâ curâ solutus Betfortius, vt Vernolium eriperet, legiones proximas euocat, octo millia sagittariorum, & grauis armaturæ equites mille octingentos, adiunctis Comitibus Salisberiensi atque Suffolcio; sed oppido iam capto, constituit pugnam Franco offerre, quando is aleæ iactus cedebat Anglis tam prosperè. Habito consilio Franci & Scoti Duces abstinendum à prælio censebant, præter vnum Vicecomitem Narbonensem, qui affirmabat, prælio repudiato, infractum iri fœderatos, confirmatum hostes, nec Anglos posse à Francia pelli, nisi victos. Nec dicto contentus, factum adiunxit, & cunctantes Duces sua temeritate in pugnam adegit, nam quas ducebat, raptis cohortibus in hostem mouit, Ducesque cæteri renitentes sequuti sunt, iam cùm integrum non esset absistere. Pugna committitur, atrox quidem; victoriâ per quatuor horas ancipiti, quæ demùm ad Anglos flexit, victis Francis. Longobardi in primo conflictu in fugam acti sunt; ij cum alas tegerent, reliquam aciem nudam atque apertam hosti obiecerunt, & sepositi à Betfortio bis mille sagittarij, tam opportunè in defessos Francos recentes inducti sunt, vt pugnam profligauerint, iámque nox inuoluebat lucem, & pudorem fugæ detrahebat. E Francis ad quinque millia occisi, in iis Bouxentius Comestabilis, Comes Douglasius, Aumalius Harcurij filius, Ventadurius, Tonnera, & Vicecomes Narbonensis: Capti Dux Alensonius, Fayeta, Gaucurius, plureſque alij. Nec Anglis leui pretio stetit victoria; eorum cæsis duobus millibus; sæuitum in Narbonensis cadauer, & Burgundi cædes vindicata; discerptum in partes est, pluribúsque patibulis affixum. Ramburius alimentorum inopiâ Vernolium reddidit; séque adiunxit Santralio exercitum naufragum colligenti. Eâ clade in summas angustias Rex adductus, iam oppidis pluribus certatim deficientibus, pecuniæ, spei, atque

Anno 1424.

Yuri.

Ramburius.

Regis angustia.

CAROLVS VII. Roy de Bourges.

atque consilij inops erat. Iam per ludibrium ab Anglo Rex Auarici seu Biturigum dicebatur, quod ea in vrbe plerumque ageret, erátque tanta pecuniæ difficultas, vt palam cibum capere non ausus, ne innotesceret paupertas, foribus clausis prandaret, semélque est deprehensus ab Hira & Xantralio Castelloduni prandere, appositâ duntaxat caudâ veruecinâ, pulliſque geminis; eò luxu regio decidente, depressóque fastigio; adeò calamitas magistra est temperantiæ, bonósque mores vel à Regibus exigit. Tot inter aduersa constituto Carolo, tabula vna supererat, si Burgundi aut Britanni opem imploraret; & quoniam Burgundus tam recenti vulnere inexpugnabilis foret, ad Britannum conuersa sunt studia, qui leuiore affectus iniuriâ, quique maximè necessarius ad Cœnomanos atque Andegauos propugnandos, ipsámque Normanniam, si faueret Deus expugnandam. Ad Arturum fratrem, Richemondiæ Comitem adiecti sunt oculi, quando & bello Dux egregius foret, multi apud Britones nominis; & commodùm exorto ipsum inter & Betfortium iurgio, secessérat in Britanniam. Igitur ad Britanniæ Ducem Louuetus mittitur, qui fratri Arturo Comestabilis dignitatem offerat, & Ducis cum Rege beneuolentiam nectat. Negotium ab ipso limine prope afflictum est, quippe Britannus Louueto infensissimus, quem sui carceris grauissimíque periculi auctorem nouerat, ægrè ab eo violentas manus abstinuit; datúmque fidei publicæ, vt incolumis abscederet; moxque Rex Reginæ Siciliæ rem permisit, cuius industria pacati animi, profectúsque Arturus ad Carolum. Verùm is duras conditiones efflagitat; primùm vt Ducum Sabaudiæ atque Burgundiæ consensus accederet; tum vt qui Regi Britanni vincula persuaserant, ab aulâ facesserent; quando ipse inimicorum fidei permissum se nollet. Postulata enimuerò ardua & difficilia; sed necessitas perrumpit omnia, obicésque ferreos amolitur. Sabaudus consensum haud ægrè præbuit; Burgundus similiter contra spem omnem, Arturum sororium ad consilium nouum inflammauit. Et ipsi erat cum Anglis contentio, quam nisi Betfortius sagaci prudentiâ oppressisset, vel detrimento fratris, erumpebat in odium atque dissidium. Ex vnius intemperantiâ feminæ iurgium ortum. Ea Iacobina Hollandiæ & Hannoniæ Comitis filia, hæréque vnica; quæ primùm Ioanni Delphino nupserat, secundò Ioanni Brabantiæ Duci, annorum sexdecim adolescenti. At illicò mox mulier impotentis libidinis, mariti infirmioris pertæsa causata affinitatem, impetratâ à Benedicto pseudopontifice facultate, tertias nuptias cum Gloceſtrio contrahit. Brabantius non inuitus dimittebat coniugem, sed dotem retinebat, Hannoniam atque Hollandiam; & Philippus patruelis promouebat consilium, opem pollicitus. Contra Gloceſtrius dotem appetebat, bellúmque inferebat, minis etiam tentato Burgundo. Porrò in ea contentione, Philippus auerso ab Anglis animo, non difficulter in Arturi dignitatem consensit. Eo impetrato admisit quidem Arturus Comestabilis gladium, quem ei Rex ad Chinonem in conspectu totius exercitus tradidit, sed alterum implendum erat, vt designati aula excederent; nec Britanniæ Dux è Britannia legi militem sineret, quandiu ij cum Rege agerent. Ergo ad truncum admouenda securis, & dimittendi

Rex ad Britannum se vertit.

Burgundi cum Anglo iurgium.

Tanne

Tanneguyus Castellius, Louuetus Præses, Massonius, Auaugourius, aliique necis Burgundi participes. Verùm nec id sine graui ærumna perfectum est. Ægrè permittebat Rex diuelli à se Tanneguyum, quem patrem appellabat, cuique salutem à Parisiensi tumultu debitam profitebatur; & Louuetius haudquaquam se pelli patiebatur; collocatam in Regem operam referebat, indignum fidos, veteres, tótque ærumnis probatos, vnius ob nutum, pelli munere, ac loco quem tam egregiè tuebantur. Ambitionem fulciebat auctoritate Dunensis Comitis & Ioyeusij quibus suas filias in matrimonium dederat. Et iis explicandis laborabat Rex, cùm mors illinc, hinc moderatio, expediuit nodum & secuit. Tanneguyus vltro ab aula discessit, multísque precibus quasi beneficium posceret, discessu à lachrymante Rege impetrato, boni publici quam priuati amantior, *Bellocadium* secessit, Senescallus eius oppidi dictus, atque ibi vitam reliquam tranquillè exegit, felici naufragio vectus in portum. At Louuetium filiæ mors quæ nupserat Dunensi afflixit, nam soluto vinculo Dunensis discessit ab socero, qui hoc fulcro orbatus Auenionem se contulit, cassæ ambitionis fomes & pabulum, quam in secessu quasi Erictheus seipso pascceret.

CAROLVS VII.

Auaugour.

Beau caire.

Aulâ expurgatâ, sibique vt Comestabilis affirmabat, Rege restituto, Britanniæ Dux eum Salmurij conuenit, clientelámque pro Britannia præstat, tum Britonibus Regi dare nomen permissum; legítque Comestabilis validas copias. Atenim ipsum ampla cogitantem, & Martis operæ pretium meditantem, ambitio aulica statim distraxit. Quippe vt alti animi erat; ingenuâ indole, bellatrice, atque adeò feroce, cum ius & æquum iuxta ab aliis quam à se coli vellet, Aulicos illos Regi gratiosos ferre non poterat: qui voluptatum plerumque ministri, aut ludicrarum rerum, vel à rebus seriis dominum amouent, vel administrationem ipsi capessentes, conturbant omnia, prauísque consiliis benè constitutas res perditum eunt. Et erat Carolus, tum propter ætatem, tum suâ indole obnoxius aliis, proniórque ad eiusmodi homines amplectendos. Eam ob rem amoto Louuetio, nec persanatâ infirmitate, nouus morbus nouáque beneuolentia Regi incubuit. Nam Gyacus admissus in gratiam, tum suis artibus, tum vxoris solertiâ, tum Louueti recedentis commendatione, & vltorem in Riquemontium componentis. Ea Insulæ Iordanis Domina, (Catharina erat nomen) olim apud Ioannem Burgundiæ Ducem potens, mox ob ipsum proditum Regi accepta, nequaquam se intra colum & fusum continens, immiscebat se negotiis publicis, prouexerátque ad summam gratiam coniugem; qua is vsus inconsideratius, non modo Regem ad nutum flectebat, sed ærarium spoliabat, pecuniæ publicæ molestus auersor. Ea res maximè Comestabilem pupugit, quod in tantâ pecuniæ inopia, circumflueret ad voluptuarios sumptus Gyacus, deficerétque stipendium militi, tanto publicæ rei incommodo. Ergo quod ab Rege nequibat impetrare, à fortitudine vel audaciâ suâ impetrat, Gyacum domi suæ Vxelloduni agentem aggreditur, cubili detrahit, raptúmque Regis-duni in amnem mergit, saxo ad collum adstricto. Id facinus tam impune fuit quàm immane; nam Carolus

XV.

Arturus Comestabilis.

Regi charos pellit.

Issoudun.

Dun le Roy.

CAROLVS VII.

quanquam id moleſtè tulit ; auctorem dignitate atque auctoritate pollentem vocare in pœnam haud voluit ; & mox alter Camuſius Beauliæus dictus, Gyaci malo nuſquam perterritus, ſucceſſit in eius locum & gratiam, eundemque vitæ modum inſtituit. Quapropter in eandem pœnam mox incurrit, Pictauij iuſſu Comeſtabilis confoſſus à Petro Bouſſaco Franciæ Mareſcallo, in Palatij Regij limine. Poſt eam cædem reconciliatus cum Rege, neceſſitate, doloris & vindictæ ſenſum, expugnante, vt ſe in eiuſmodi tela communiret, Trimollium nobilem adoleſcentem, cuius amicitiæ fidebat plurimùm, Regi inſinuat, qui gratiam occuparet, nullo vt rebatur, ſuo detrimento vel reipublicæ. Sed malè adoleſcenti potentia & fauor creditur. Poſt aulicas turbas Comeſtabilis bello ſe accingit, & Pontorſone expugnato, quod in Britanniæ & Normanniæ finibus oppidum eſt ; ad fanum Iamæ, in eâdem Normanniâ copias admouet, erántque in iis viginti hominum millia. Tutabatur oppidum Edmundus Sommerſeti Dux, quod ante diruтum inſtauraverat, atque muniverat, erátque Anglorum præſidium admodùm validum. Ij ex oppido erumpentes Francos inuadunt, & multa cæde in caſtra expellunt, adeo ſubito metu perterritos, vt proxima nocte fugam inceperint, in ſua quique dilapſi oppida, Comeſtabile fruſtra minas & preces ad coërcendos eos adhibente. Poſtmodùm Varuicius Pontorſonem recepit, coactúſque Dux Britanniæ pacem ab Anglo redimere ; ſed nec Comeſtabili diuturna cum Rege concordia fuit ; nam Tremollio in intimam gratiam ſtatim recepto, prior indignatio atque contentio illicò natæ ſunt. Quippe moleſtum Comeſtabili erat, eum quem ipſe Regi inſinuauerat, ſibi præpollere, iamque ſuo nutu omnia regere ; Trimollius contra, quando ambitioni nihil modicum placet, Regis ſtudio in ſe vnum conuerſo, aliorum fortunam veritus, ſe in Comeſtabilem munichat, & quoniam amor Regis vnum ſibi munimentum foret, ab eo Comeſtabilem deturbabat ; ferociam indolis quæ in tyrannidem flecteret, verbis exaggerans, & in culpam vocatâ poſtremæ expeditionis fortunâ. Ideo Comeſtabilis Aulâ excluſus, fœdus cum Proceribus contrahit, cum Claromontio & Marchiæ Comitibus, Bouſſaco Mareſcallo, pluribúſque, ad Trimollium expellendum, gratiâ Regis detrimento regni abutentem. Nec ſegnior Trimollius ad ſe defendendum, fretus voluntate Regis copias inſtruit ; ſic in Francia alterum bellum enaſcitur, quaſi non ſatis hoſtium aliunde eſſet, & regnum lentiùs in ruinam iret. Ita dum inter ſe Rex & Comeſtabilis in mutuam perniciem graſſantur, variiſque præliis atque vrbium direptionibus litant cupiditati atque amentiæ ; Angli proferebant limites, capto Lauallio, & recepto Cænomano, turpi Francorum ſocordiâ, qui poſtquam vrbem ceperant, arce in Anglorum potentia perſeuerante, ſomno & quieti altè indulgebant, cùm Talbotius per arcem exceptus in ſupitos ruit, cædit, ac capit, vrbémque validam vno die captam, nocte proxima recipit. Ad Montargium ſucceſſus felicior Francos iuuit. Eam vrbem Ricardus Valuicenſis Comes tribus hominum millibus obſidebat, erántque caſtra amne Lupia interfluente, in tres ſtationes diuiſa : miſſi ab Rege erant, ad inducendum vrbi commeatum armati ſupra mille quingenti, impar numerus,

Le Camus.
De Beaulieu.
De Bouſſac.
La Trimouille.

Pontorſon.
Sainte Iame.

Montargium liberatum.

Loing.

merus, sed egregij Duces Comes Dunensis Hira, Gaucurius, atque Orcuallius. Ij infra castra amnem aggressi, erectis in profluentem aggeribus; aquas refluentes in fontem, & pontibus, quibus castra committebantur infusas, tandiu à cursu prohibent, dum ipsi singulas hostium stationes inuadunt, primam & alteram fundunt, & tutò commeatum in vrbem perferunt. Ex Anglis quà necati quà mersi mille & quingenti; cæteros Varuicensis solutâ obsidione reduxit Parisios. Sed ea lucis vmbra calamitatum nocte statim euanuit. CAROLVS VII.

XVI.

Quippe Angli leuiorum certaminum pertæsi, vt semel vltra Ligerim penetrarent, Regémque Carolum, suo vel cubili vel arce depellerent, Aureliam vrbem expugnare aggrediuntur. Est Aurelia vrbs in Belsia, ampla & munita, affluentem Ligerim ponte iungit, & Secalauniam obiectam prouinciam beneficio pontis opportunam suis commodis habet. Duo hactenus illibatam Anglis eam præstiterant; tum egregia munimenta quibus cingebatur, tum Aurelianensi Principi Londini captiuo fides data, ditionis eius dum captiuus esset nusquam inuadendæ; sed istum obicem amouebat cupiditas, & immensum violatæ fidei præmium; alterum Comitis Sarisburij fortitudo amoliri atque infringere connitebatur. Erat Thomas Montacutus Sarisberius Comes, ad militiæ munera paratissimus Dux; ad pericula adeunda audaci confidentiâ, inter ipsa prudenti consilio; nullo labore, nullâ vigiliâ frangi corpus, nullâ difficultate animus vinci; vt militum amor, spes, & fulcrum esset, eóque ductore nihil arduum admodum, inexpugnabile nihil videretur. Illi Guillelmus Comes Suffolcius, ac Ioannes Talbotius, Fomambergius, Glacidas, & Lancellotus, & ipsi præclarissimi adiuncti socij, decémque pugnatorum millia tradita, quibus vim vrbi inferret. Primùm proxima circum oppidula capiuntur; dein ad exitum pontis castra posita, ad Secalauniam excludendam; tum postremò miles vltra amnem deductus fossa & aggere circumuallatur, erectis inter spatia Castellis, tormentisque dispositis, vrbis pomœrium circumclauditur. Octobri medio cœpta obsidio, inopportuna quidem tempestate; verùm obsessis claudebantur omnia, quæ obsidentibus procliuia erant. Propugnabant vrbem armati mille & ducenti; præter ciues ad repellendum hostem promptissimos, & cum imperio eminebant, Dunensis Comes, patrimonium fratris defensurus, Bousiacus Marescallus, Hira, Santrallius, Gaucurius, Grauilla, & Vaucurius; atque haud multò post, traiecto Ligeri, cum ducentis equitibus, Ludouicus Culanus Admiralius Franciæ per obiectos Anglos in vrbem saluus peruaserat. Nullibi acriùs huius belli decursu pugnatum est; erumpebant Franci frequentius, & stragem plurimam hosti inferebant; vicissim hostium quà tormentis æneis, quà sagittis obruti sæpius & repulsi. Exposcebant tamen subsidia, casuri in potestatem hostium ni submitterentur. Nec Carolus à se impetrabat, vt amoto Trimollio admitteret Comestabilem, magnâ parte copiarum fultum; sed inani adhærens beneuolentiæ, ægrè quatuor hominum millia cõscripserat, quæ tradit Ludouico Borbonio Claromontio Comiti (is nuper à Comestabile ad Regem trãsiuerat) in obsessam vrbem inducenda. In itinere audit amplũ cõmeatum Anglos Parisiis

Angli Aurelian obsidẽt.

Sologne.

Anno 1428.

De Culan.

Borbonius.

CAROLVS VII.

in castra vehere, futurúmque ipsis magno incommodo, si præripiantur cibaria. Euocato igitur ex vrbe Dunensi, cum milite præsidiario in partem prædæ & gloriæ, ad Rouuræum pagum Anglos inuadit. Commeatum militúmque præsidium Ioannes Fassolus Anglus perducebat; is repente curribus iussis consistere, equites relictis equis pediti admiscet, curribusque in coronæ modum circumfundit, Sagittariis in fronte dispositis. Franci postquam eos explorauerunt, in diuersas sententias ibant; nam Scoti eundum pedibus in hostem dicebant, Franci equis; atque in disceptando primi omnium Scoti exscensis equis inuehuntur in prælium, Franci nullo ordine quà equis quà pedibus insequuntur. Sed discordiam illicò sua pœna excepit; Scoti dum temerè accedunt sternuntur à Sagittariis; quingenti circiter cæsi. In iis Ioannes Stuartus, eiúsque filius; è Francis cæsi nobiles aliquot, Oruallius, Diuræus, Graua, atque alij Vascones; Dunensis grauiter saucius ægrè seruatus est. Id prælium Halecum dictum est, quod ex iis maximè commeatus constaret; sacra quinquagesima ineunte. Claromõtius reliquum militem in vrbem inuexit, clade perculsum; egressúsque paulò post ad Regem perrexit. Leuamentum obsessis aliquantum fuit, Sarisberij mors; hic sexagesimo die obsidionem dum vrget, prospectátque è fenestrâ hospitij in subiectam vrbem, tormento in fenestram explosо, fragmentis lapidum læditur, atque altero die emittit animam, grauissimâ haud dubiè iacturâ, quam Angli postea magno suo detrimento ferent. Interea Neuyllus, vir impiger strenuúsque militiæ, in eius locum suffectus, vrgénsque ex consilio mortui institutam oppugnationem, ciuitatem ad extrema egit. Nec iam amplius spes vlla obsessis in Carolo erat, cum ex calamitate sua solatium elicere enituntur. Legatos mittunt ad Burgundiæ Ducem; qui enixè precantur, vt suorum patruelium causam suscipiat; *nullâ eum iniuriâ affectum à Principibus Aurelianensibus; eos paterna necis haudquaquam conscios; nam pluribus annis attineri captiuos in Anglia, qui pro salute regni depugnassent; quid libertate orbatos, contrà fas Angli spoliarent bonis? meminissent pacti & iurisiurandi, & captiuis permitterent, vnde aliquando conficeretur pretium libertatis; nec armis opprimerentur innoxij; obiecti duntaxat iniuriæ, quia captiui & calamitosi. Ipse Burgundus misereatur sanguinis sui, vrbem excipiat quæ se ipsi dederet, iustisque Dominis conseruaret, dum se redimerent.* Placuit Burgundo legatio, rémque æquissimam à Betfordio flagitauit. Ille postulatum in consilium vocat; assensu omnium repudiatum, negantibus Anglis se tantoperè in Burgundi commodum contendisse; nec venatori post cursum & sudores eripiendam prædam è manibus. Ita hæc calamitosis occlusa ianua; nihílque Carolo præter desperationem relictum. Deliberabat quid agendum foret; consulentibus plurimis, vt de salute sollicitus, extemplò se in Delphinatum reciperet; ibidem Lugdunum vrbem, Aruernos, & Occitaniam defensurus; atque operiretur dum dutities fortunæ sese inflecteret. Ibátque in eam sententiam; nisi Maria vxor, ornatissima corporis animíque dotibus femina, interfuisset. Ea desperatis rebus spem fortissimo pectore faciebat; *tam præclaras fidásque prouincias nusquam deserendas; id esse tantæ fidei præmium, vt Regi addictissimæ hosti prodantur? quid infensis atque*

Pugna Halecum.
Rouuray.

atque inimicis accidere moleſtius poſſet, quàm vt tyrannidi Anglica obiiciantur? an non Lugduno atque Delphinatu mox pelleretur, qui præ metu vberrimum Francie ſolum deſereret? perſtandum in loco ad extremum ſpiritum; nec ſaluti parcendum, qua ſubditi ſeruarentur. An Chriſtiano Principi inter anguſtias vllas deſperandum? quoties præſto cœleſte auxilium implorantibus fuit? quoties adfuit calamitati propitius Deus? orarent ipſum impenſius, ac ſperarent ſubmiſſum iri vel è cœlo ſubſidium. Iis vocibus confirmatus Rex, preces & ſupplicationes paſſim indicit. Et plerumque ipſe in conclaue ſe abdens, perfuſus lacrymis, Deum vehementiùs precabatur; miſero adeſſet, ſubleuaret calamitatem extremam, & quod naſcenti contuliſſet regnum, adulto ſeruaret. CAROLVS VII.

XVII. *Puella Aurelianenſis.*

Et verò Franciâ vnâ ope ſeruari poterat; & quemadmodum in theatralibus ſcenis, quando res ita inuolutæ ſunt & perplexæ, vt explicari humanâ induſtriâ nequeant, euocatur Deus è machina; Ita hoc tempore ad euoluendam Franciam malis, arceſſendus fuit è ſuperis Deus. Nec ipſe regno amantiſſimo defuit; præſtitítque auxilium, verum, vt amat facere, ab re infirmiſſimâ atque in ſpeciem deſpicatiſſimâ. Ea Virgo nata annos octodecim, è parentibus ruſticis, ex Caulâ & paſcuis ad militiam atque victoriam repentè euecta. Tam inſignem euentum, quoniam ad laudem Franciæ ſupra cæteros eximius eſt, diuinámque opem conteſtatur ac præſens deploratis rebus auxilium, delibare paucis Scriptorem haud decet. Ioanna (Id Virgini nomen) nata erat Dam-remij, in pago ad Moſam fluuium in Tullenſi agro; pater Iacobus Darcius, Iſabella Gualteria mater, ex agrorum cultu vitam ſuſtentantes, morumque integritate conſolantes inopiam. Ioannæ à primâ infantiâ paſcendæ oues traditæ ſunt; ſimulque in virginis animum irrepebat Deus, erudiebat ad pietatem, immittebátque frequentiùs cœlites, maximè ſanctas Catharinam atque Margaritam, Virginitate & martyrio celebres, quarum conſortio caſtimoniam & fortitudinem in futuros euentus hauriret. Iam accedebat ad annum decimum octauum, cùm inſuper viſo cœleſti nuntio, quem piè Michaëlem Angelum interpretamur, iubetur ad Franciæ Regem proficiſci, arma induere, liberare obſidione Aureliam, Regémque Rhemos ad inaugurationem perducere; diuinâ ope ea in facinora largè promiſsâ. Eo ſpectaculo ſæpiùs repetito, tantùm apud parentes contendit, vt eam duxerint ad Robertum Baudricurtium, qui pro Rege Præfectus, Vallis-colorem proximum oppidum obtinebat. Is puellam primò deridiculo habitam, mox conſtantem in iis quæ viſa affirmabat; imo antè vaticinantem quod in Halecum prælio contigit; tandem honeſto cultu inſtructam, tribus ipſius fratribus comitantibus, ad Regem mittit. Tunc Chinone in Turonibus verſabatur Carolus, mœrore ſe conficiens, cùm lectis Baudricurtij litteris, admittit virginem immiſtus Proceribus, puráque veſte quæ Regem regeret; at illa nuſquam ante perſpectum ſecernit ab aliis, orationem modeſtam & prudentem habet; atque affirmat ſe immiſſam cœlitus ad liberandam Aureliam. Rex ne temere tam inuſitatæ rei fidem haberet, iubet puellæ mentem atque conſilium explorari, primùm à Proceribus, mox à doctis

Ioanne Darc.

Vau-couleur.

Anno 1429.

CAROLVS VII.

viris, dein à senatoribus Parlamenti; postremò à Reginâ probatâ virginis castimoniâ, in spem Diuinæ opis adductus, iubet illam armis cæterisque rebus ad bellum instrui. At illa postulat sibi ensem inquiri, locúmque designat, ædiculam sanctæ Catharinæ de Fera-siluâ in iisdem Turonibus, & inuentum iri appensum de tholo. Et is quidem repertus rubigine obsitus, cùm ad incrementum miraculi, repentè ferrum detersâ rubigine in tractantium manibus splenduit; visæque sunt Cruces quinque insculptæ in laminâ, & signata vtrinque lilia. Vexillum armis adiunxit puella, in colore candido sacrosanctis Iesu & Mariæ nominibus auro inscriptis; appicta ex vna parte Christi è Cruce pendentis icone, ex altera Angeli Mariam Virginem salutantis, albo lilio in vtriusque manu refulgente. Sic adornata cum modicâ militum manu pergit Aureliam, expeditionis sociis Culano Admiralio, Brienfio Marescallo, & Dunensi Comite. Admota ad Anglos, eos per fecialem hortatur ab obsidione abscedere, se à Deo missam vt Carolum in possessionem regni induceret. Angli indignati, fecialem in vincula agunt, & contumelias in puellam iactantes, flammas comminantur, si in ipsam manus vnquam iniiciant. At illa primùm adhortata Francos ad pœnitentiam criminum, expulsisque feminis quæ ad libidinem ducebantur; cum ducentis equitibus viâ per hostes patratâ in vrbem inuasit; tum post confirmatos ciues spe ingentis subsidij, Blesiam per eosdem hostes regressa, vberrimum rerum omnium commeatum, atque septem hominum millia recipit, nauigiisque imposita post acerrimum prælium in vrbem immittit. Effusâ omnium ducum, militum, ciuiumque lætitia Virgo excipitur, colitur que pro cœlesti miraculo. Illa in Diuinam potentiam omnia referens, cuius viribus sua infirmitas niteretur, vti vrbem prorsus liberaret, post indictas adeóque obitas publicas preces, militem vrbe educit. Validissima hostium munimenta vltra amnem erant, tum quia eâ ex parte immittebantur in vrbem subsidia, tum quia prouinciæ ex oppositâ parte obiectæ, Anglorum Imperio tenebantur. Præter continuam fossam, munitam aggere, per interualla Castella erexerant, valido defensa præsidio, quæ bastillas vocabant. In primam quæ Sancti Lupi dicebatur directus impetus, atque amne transito, ductu Virginis, profligati ad bastillam Angli, quadringenti cæsi, peruenítque Castellum in potestatem Francorum; deinceps festinatum ad proximam, eademque fortitudine erepta est hosti. Consequenti die pugna instauratur, ducit Virgo ad bastillam pontis delectum ducum & copiarum. Castellum hostes in faucibus pontis posuerant, instruxerantque turribus, atque accuratè muniuerât, proximis aquis in fossam inductis; in eo spe capiêdæ vrbis collocatâ, quod arcem castrorum & propugnaculum constituerant, fortissimis militum ad præsidium vocatis. Eam ob rem cruenta dimicatio ab horâ decimâ ad nonam vespertinâ pugnantes tenuit; at flagrâte quam maxime prælio, Virgo sagitta collum inter & humerum sauciatur; penetrante altius vulnere; quo Francorum animi cùm infringerentur, iubebat Comes Dunensis receptui cani. At illa profligato dolore, & ne vulnere quidem obligato, precata Comitem vt tantisper consisteret, dum ipsa Deum orat; instaurato diuinitus per preces robore, aggressionem renouat, atque

De Fierbois.

atque tandem irrumpit in Castellum, magnâ hostium internecione, submerso Glacida, ruina ponticuli, dum recedit. Ita pons vrbi restitutus, atque aperta ingens prouincia. Angli continuis stragibus perculsi, octo suorum millibus imminuti, cùm inspicerent vrbem milite & commeatu instructam, obsidionem soluunt, & in proxima oppida se recipiunt. Liberata Aurelia erexit postea eodem in ponte victoriæ monumentum, quod hodie perstat; positis ex ære seruatoribus suis, simulacris; Christo Cruci affixo, Regi Carolo, & Puellæ; quæ deinceps dicta est Aurelianensis; quasi in eam ciuitatem transcripta, quam virtute suâ seruasset; imo velut in eâ ortum duxisset, in qua sua primùm laus nata atque adulta mirificè foret. Rex tum illam tum fratres & posteros nobilitate donauit, adiunxitque futuræ Illustrissimæ genti Insignia; Impressum Scuto Cæruleo ensem argenteum, Capulo & Cruce aureis; cuius mucroni inniteretur Corona aurea, geminis liliis hinc inde appictis. Atque appositè, vt Imago assertæ Franciæ iret in posteros, isque ensis futuris seculis præluceret, qui depulsâ caligine, securitatem regno induxisset.

CAROLVS VII.

Puella insignia.

Puella post primam sui muneris partem impletam, Regem ad alteram adhortata, vt Rhemos ad inaugurationem iret, expeditioni præficitur, adiunctis in socios Alençonio & Dunensi. Sed prius oppida circa Aureliam recipere oportebat, ne vicinia incommodo foret. Et Iargæum quidem aggressione altera captum, Suffolcio Comite capto, & quadringentis Anglis necatis; plus ærumnarum Balgenciaci impensum, recipiente se in arcem Anglo, tribusque hebdomadis vim propulsante. Id dum expugnatur, parum abfuit quin Rex in nouas turbas sese inuolueret. Nam Comestabilis gratulaturus faustum euentum, cùm ad Regem accederet, ab ipso prohibitus, nihilominus pergebat, Rexque iusserat, instigante Trimollio & riualem procul amouente, vt in accedentem quasi in hostem impetus fieret, enimverò aderat, ducebatque mille ducentos equites, eratque tumultus in proximo; cùm Puellæ precibus procerumque, iracundia Regis deuicta est, admissusque Comestabilis; sed eâ conditione vt ab Aulâ abscederet, bellumque in Normanniæ finibus administaret; inexpugnabili ambitione Trimollij; quæ permetuebat consortem; nec Comestabilis postea vllis precibus perficere potuit, vt inaugurationi Regis pro dignitatis munere interesset. At Betfortius vt Balgenciacum eriperet, selecta quatuor hominum millia claris ducibus tradit; Talbotio, Scalæ, & Fastolo; qui in via deditione arcis audita, cùm regrederentur; Puellâ hortante & ducente, Franci Duces ad insequendos eos impelluntur. Erat opera celeritatis, imo discriminis; nam Angli Patæo quod Belsiæ oppidulum est, receperant se; nec Ij erant, qui tuti mœnibus vincerentur facilè. Verùm ea fuit Francorum celeritas atque fortitudo, vt nullo permisso ad muniendum se spatio, in oppidum irruperint, hostem vicerint; ac post mille octingentos cæsos, mille ducentos in captiuis habuerint: ad Virginis latus præliabantur Comestabilis, Bousacius, Ricusius, Alensonius, Dunensis, Hira, Santralius; isque postremus cum Talbotum haberet captiuum, generosè virum pretio nullo dimisit, libertate pariter ab eo donatus postmodum; ita viris fortibus victoriæ

XVIII.

Rex Rhemos ducitur.

Iargeau.

Baugency.

Paray.

CAROLVS VII.

riæ præmium erat ipsa victoriâ. Mox Rhemos instituitur iter, ac Trecis puellæ industriâ patefactus aditus, quem cùm Regi Trecenses negarent, nec sine tormentis aperiri posset, quæ Rex in festinato itinere haud deducebat; Virgo vt imponeret ciuibus, moles ad locanda tormenta erigi ac parari iussit, quâ legitimâ fraude concepto metu, Trecenses Regem exceperunt. Continuò Catalaunum venienti patuit, ipsique Rhemenses, excusatis prioribus, admittunt Regem; & inauguratio celebritate magnâ perficitur. Exin res Caroli semper increscere, quamquam incremento admodum lento, & prosperitate ærumnis redemptâ: Contra Angli felicitas retro labi, & per interualla vltra Oceanum pelli. Nunc plures vrbes exclusso Anglo Regi patuerant, Laudunum, Suessio, Compendium, atque Bellouacum; cùm Betfordius recepto ex Anglia supplemento, exercitum educit, Regique occurrit, in campis ad Siluanectum expassis. Post aliquot velitationes, neutro decretoriam pugnam ambiente, vtrinque discessum est; profecto Betfordio in Normanniam, ad Comestabilem repellendum, qui prouinciam deuastabat; & Carolo Parisios verso. Clam cum Burgundo actum erat de conciliatione, isque promiserat se Parisios Regi traditurum; at spe pacis abruptâ, tentare vrbem voluit, vimque adhibere, repugnante Puella; Franci cum strage depulsi sunt, plerisque sub ipsa mœnia interfectis; Virgo ipsa in femore grauiter saucia, ægrè ab Alensonio à pugnâ abducta est. Quare Rex adactus receptui canere, Meloduno & Senonibus in solatium receptis. Verùm haud multò post grauiorem molestiam ob infortunium Virginis traxit. Ea quod postea fatebatur, vocata cœlitus vt Aureliam liberaret, Regemque ad inaugurationem perduceret; perfecto vtroque, impleraque prouincia, arma tamen tractabat, cœlestis iussi fines prætergressa. Nec Deus vltra tutari miraculo Virginem voluit, & quæ fortè præsideret sibi, infirmitati suæ deseruit. Nempe Dux Burgundiæ post institutum aurei velleris Ordinem, (qui Ordo magno incremento peruenit ad Hispaniæ Reges, confertur delectu eximio, in summo etiam nunc gloriæ pretio) Compendium obsidebat, vrbem propugnante Puella, atque Santralio. Ea semel cùm in hostes ductis sexcentis hominibus prorupisset, repulsa fortiter cùm in vrbem suos reciperet, tergaque tegeret inter vltimos pugnans, occluso fraude Flauij Præfecti repagulo, inuidentis famæ & laudi Virginis, hosti obiecta est. Spurio Vindocinensi capiendam se tradit, & postea Ioanne Luxemburgio redimente turpissimoque commercio diuendente, ad Anglos peruenit, præda optatissima, & furoris noui materia. Ij quasi Troiæ Palladium eripuissent, atque extinxissent spem surgentem Franciæ, festis ignibus sibi gratulati, in puellæ innoxiæ vitam conspirant; tum ne fortè libertati reddita noceret iterum, tum vt ignominiæ suæ fontem quantùm licebat obstruerent. At cùm belli legibus captiuæ mors vetaretur, prætexunt odium nouâ fraude, tradúntque insontem, postulante vniuersitate Parisiensi, Petro Cochonio Bellouacensi Episcopo, Burgundiæ Ducis sectatori; à quo per nefas vt conuicta hæresis & veneficij, perpetuo carceri mancipatur, nullo alimento præter panem & frigidam. Verùm nec eâ pœnâ hostium vesaniæ factum

Puella capitur.

Puella mors.

Anno 1430.

est

est satis; atque iis vrgentibus iniquissimi Iudices retractatâ causâ, quod Puella virilem vestem nondum depositsset, quasi hæreticam relapsam flammis addicunt, tradúntque laïco Iudici confecturo supplicium. Nec mora, palam Rhotomagi integerrima virgo igne extinguitur; eâ tum animi constantiâ, tum Christianâ demissione, & vitæ contemptu, vt spectantibus admirationem adauxerit, congeminatâ fortitudinis laude; vt quæ tam præclara egerat, dura non minus fortiter toleraret. Et Deus prodigiis morientem dicitur prosequutus. Nam proximè cùm rogo succederet, vultus admirabili lumine coruscauit; & cùm afflata incendio emisit animam, euolauit è busto columba candida, ad cœlum vecta alarum remigio; & carnifice combustæ cineres in amnem spargente, cor illibatum flammis repertum est: etenim virgo pura postquam leuem culpam purgauit ignibus, illicò vt creditur rapta in cœlum est; nec incendio cor obnoxium fuit, quod impurâ flammâ nunquam flagrauerat. Iudices cœlitus in pœnam vocati, vel repentinâ morte, vel acerbis morbis extincti sunt; atque post restitutam Regi Normanniam, delegati à Calliſto III. Pontifice integri viri, reuocato iudicio, pronuntiarunt innoxiam virginem, ac per summum nefas damnatam. Ita fama, quod vnum deerat, restituta, vt memoria quacunque integerrima in posteros iret. Ibítque haud dubiè; quam nuper Capellani præclarissimum Poëma excitatam Phœnicis instar è busti cineribus rediuiuam præstat; & sempiterno, si quid æternum in mortalibus est, monumento consignat.

CAROLVS VII.

XIX. *Varia vrbes captæ.*

Interea haudquaquam belli ardor deflagrabat; magno animo Franci Duces incumbebant operæ, Alensonius, Rieusius, Culanus, Dunensis & Villaud-Casius Tribunus Hispanus; nec torpebant Angli ignauiâ, Betfortio, Talbotio, & Arondello, omni ope nitentibus fortunam ruentem sistere. Eámque in rem Betfordius Henricum Regem ex Angliâ exciuerat, & palam Parisiis redimitum coronâ, ostentabat populis, magnâ liberalitatis iactantiâ. Nec animus est sigillatim leues pugnas, aut captas receptasque vrbes recensere, leuia ad Historiam & documentum momenta, nullaque re præter fortitudinem Ducum insignia; quæ frequenter summa in minimis, & se totam in paruis exhibet. Sed ea sors est mortalium rerum, vt in memoriam eant splendentia & inusitata, quanquam sæpe inania; solidâ & verâ laude prægnantia præterfluant cito atque euanescant. Tamen lentè res Francis procedebat, quandiu staret cum Anglo Burgundus, abduci autem quando non poterat nisi ægerrimè, rem totam Deus per incrementa lentè disposuit. Ac primum fuit maximúmque momentum, quod Trimollius tandem gratiâ Regis deiectus est. Ille cùm ad nutum omnia regeret, amoueret suspectos studiis suis Proceres, atque in vnam intentus rem, vt gratiam Regis sibi assereret, cætera omnia magno regni damno posthaberet, Regis tandem studio paululum deflagrante, inimico priuato in eum grassándi opportunitas data est. Beulius ipsius ex sorore nepos, alij coniugem materteræ dicunt, nescio quâ ab eo affectus iniuriâ, vltione flagrans, viginti sociis coniurantibus, noctu in cubiculum eius irrumpit, Chinone intra Regis ædes hospitantis, & gladio in ven-

Trimollius gratiâ Regis excedit.

Du Beuil.

CAROLVS VII.

trem adacto, è lecto rapit nudum & saucium, & Montresorij sua in arce in custodiam tradit; nec soluit, nisi datis sex nummorum millibus, & liberata Touarsio, quam occupabat Trimollius. Rex tantâ audaciâ inflammatus magnoperè, reum & Trimollium reposcebat; nullam admittens excusationem, grauisque procella regno imminebat; nisi Regina suauissimis monitis sponsum aggressa malum depulisset. *Demonstrabat quanta incommoda Trimollius inuexisset publicis rebus; vti odio in Comestabilem regnum propemodum perdidisset, vti Regis animum suspicionibus in optimum quemque implicabat; sigillatim enuntiabat prauа consilia, artesque improbas, quibus Proceres ab animo & amore Regis excluderet, euoluebat modos quibus exaggerabat potentiam suam, dominumque pra impotentiâ gratiæ flocci haberet; tum modestè hortabatur, regendum ipse clauum susciperet; datum esse à Deo Franciæ Regem, eam vt regeret, non vt regeretur; nihil esse infirmius, nihil abiectius Rege seruiente; subditos nihil molestius ferre quam eum cui parerent non tractare Imperium; indignum existimare qui regeret, quando ipse qui regit nec se dignum existimat; peccare in prouidentiam Numinis, qui regno natus duci se patitur, atque ipsi summam potestatem tradit, quem mancipatum obsequio Deus nasci iussit. Si placeret frui amicitiæ bono, aptiorem seligeret, è Proceribus aliquem, suoque ipsius sanguine principem, quicum sortis inæqualitas minor, ac subditorum maior veneratio.* Ita Carolum Andegauensem subiiciebat Comitem Cœnomanorum, iam Regi gratum & commendatum suauissimis moribus. Sic Regis placatus animus, obliteratus Trimollius, & Carolus Andegauensis admissus in gratiam. Nec leue commodum eam conuersionem excepit. Nam statim Comestabilis in Aulam vocatus, datâ exercendi amplissimi muneris facultate. Imò, quod contumaciter prohibebat Trimollius, seriò de abducendo ab Anglis Burgundo, curæ susceptæ. Iam solutum erat vinculum affinitatis demortuâ coniuge Betfordiensis, & nascentia discordiæ semina erumpebant, æqua vtrinque potentiâ, ideo ad leues offensiunculas irritandâ. Priuata contentio Duces Burgundum atque Borbonium exagitauerat, sæpiusque Borbonius in Burgundiam penetrans, agros diripuerat, aliquotque vrbes vastauerat. Placuit tandem amicorum communium operâ in concordiam ire, nam cognati erant atque sororij; & Niuernum ad componenda pacta conueniunt. Dum initâ pace, magno cœtu nobilium, omnia lætâ gratulatione personant; aduenium Comestabilis, & ipse Burgundi sororius, & Reginaldus Carnutensis, Rhemensis Episcopus, & Cancellarius Franciæ; li à Rege submissi, vt pacem Burgundo insinuarent, postquam amicè & honorificè sunt excepti, sensim cum Borbonio & Nobilibus, mox cum ipso Burgundo de ineunda pace verba faciunt. Erat Philippus indole admodum commoda, à paternis vitiis planè alienus, compos ambitionis, humanitate ab sæuitiâ omni abhorrente, auctoritatis atque opum plenus; quique veteri probitate, affines amaret ac patriam. Iam deferbuerat sensus iniuriæ; quâ temporis lapsu, quo non saxa modo, sed animorum affectus mollescunt; quâ ipsâ indole, humanitate vindictam pellente, quâ mentis altitudine reputantis, patratam sat vindictam, vbi reus

pœnitens

pœnitens supplicaret, & accedebat Anglorum fastus, supra æqualitatem iam eminens, nomenque Francicum pro hostili habens. Iis itaque mitigatus admodùm Burgundus, pacis vocem non auersatus, Comestabilem audit. Præterea legati missi à Concilio Basileensi, Cardinales Cyprius & Arelatensis, ad suadendam Christianis Principibus pacem, commode aduenientes, à Duce impetrant, vt Franci atque Angli Attrebatum Augusto proximo, ad contrahendam pacem conueniant. CAROLVS VII.

XX. *Legati pro pace Attrebatum conueniunt.*

Die dictâ ingens Legatorum factus est concursus: erant magno numero Ecclesiastici, ab Eugenio Pontifice, & Felice Pseudo-Pontifice, & à Concilio Basileensi; (nam miserè in partes discindebatur Ecclesia) Antistites multi præterea, & obseruatus est Leodiensis Episcopus, ducentis equis candidis comitatum vehens, & ipsum colore niueo candicantem. Ab singulis Christianis Principibus Legati accesserant, tum ad concordiam restituendam Ecclesiæ, tum ad Francos Angloscque potentissimas gentes abducendas à bello; nam spectabantur à Sigismondo Imperatore, ab Regibus Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Nauarræ, Neapolis, Siciliæ, Cyprij, Daniæ, atque Poloniæ. Ipse Burgundiæ Dux, cum sponsâ, pluribusque Proceribus coram adfuit præsens. Ab Carolo missi sunt, duo è Borbonia stirpe Principes, Borbonius & Vindocinensis, Comestabilis, Cancellarius, Marescalli Rieusius, & Fayeta, Adamus Cameracensis, Parlamenti primarius Præses, pluresque alij. Ab Henrico Anglo Cardinalis Vincestrius, Regis propatruus Archiepiscopus Eboracensis, Comites Suffolcius & Varuicensis, multique peritissimi ciuilium rerum, ad eo vt hospitibus ad decem millia tectum & mensam Burgundus magnificentiâ summâ præbuerit. Totâ interea Franciâ preces ad Deum & supplicationes institutæ, vt Cœlestis flexanimus Principum mentes ad pacem flecteret. Primùm actum in Legatorum Comitiis, de conciliandis Francis atque Anglis, & quidem offerebant Franci Normanniam & Aquitaniam Anglo dimittere, sed onere clientelæ, ex maiorum more Franco præstandæ. Contra Angli iuri fictitio, quod ab Eduardo primo repetebant; affingentes pondus, & Caroli VI. nuper mortui supremas tabulas obtendentes, vniuersam Franciam reposcebant; attamen ob pacis & tranquillitatis Christianæ bonum, passuros se regni diuisionem, vt prouinciis quæ eis Ligerim essent ipsi imperarent; quæ trans amnem Carolus, clientem ob eas se Anglo professus: qua in re Angli non absimiles erant mulierculæ illi apud Salomonem de puero disceptanti, vt hinc facilè vter Rex foret legitimus colligeretur, falsâ matre alieni fœtus partitionem optante. Ad ea tam diuersa tamque opposita, cùm Legati reliqui intercederent, conati medium quid elicere; Angli indignantes, postulata non vltrò concedi, minis plurimis in Carolum iactis, repente & cum omnium offensione, dimisso Concilio recedunt Parisios. At Burgundus perstabat; quodque Franco optatissimum, iam ab Anglo diuulsus oratorum discessu, eorumque superbiâ multum offensus. Ergo Legati se ad eum accingunt, nec difficulter de conditionibus conuenitur, cùm ad omnia Burgundi postulata Rex annueret. Ita pax tandem cum Burgundo icta, pactis Franco molestis in speciem, sed ipsa

CAROLVS VII.

re vtiliſſimis, cùm regni ſalus inde emergeret, & bona ſolida ſpecioſâ gloriâ redimerentur. Eorum præcipua erant; vt Rex fateretur, iniquè & perfidè cædem Ioannis Burgundiæ Ducis eſſe patratam; is ob eam, veniam poſceret, conteſtatus eam ſe prohibiturum ſi per ætatem, grauitatem flagitij licuiſſet perſpicere. Monteræi ædiculam conderet, in qua ſacrum pro cæſi animâ celebraretur, præterea Rex Carthuſienſibus monaſterium poneret. Plurimas terras præter quinquaginta nummorum millia Duci Rex traderet; in quibus Matiſco in Heduis, Perona, Fanum Quintini, Abbauilla, multæque in Picardiâ vrbes; Dux quandiu viueret à clientela Regi præſtanda immunis foret; ſucceſſores præſtarent poſt eius obitum; Rex Ducis ſubſidio veniret, ſi eum Angli aggrederentur; nec Dux Regi in bello Anglico opitularetur; ſed medium inter vtrumque ſe gereret. His compoſitis, Legati Ducem Sacramenti vinculo exſoluerunt, quo ſe Anglis ante obſtrinxerat; tum Franci Proceres, Dux Borbonius, Comeſtabilis, Rieuſius, & Fayeta, Regis nomine Ioannis cæſi innocentiam teſtati, veniam à Duce flagitant; mox proclamata pax; Rege omnibus pactis aſſentiente; ad quæ firmanda, Catharinam filiam Carolo Ducis filio in vxorem ſpopondit. Quanto Francorum gaudio, tanto Anglorum dolore pax excepta eſt. Et ipſi damnum inconſultâ arrogantiâ adaugebant, & Burgundum penitus alienabant. Nam cùm hic ſtatuiſſet neutram in partem moueri, Legatos ad Anglum mittit, qui nouam cum Carolo pacem Henrico Regi nuntiarent, atque excuſarent, Sanctiſſimæ Sedis & Principum plurimorum votis contractam; ad quæ Henricus præ dolore non temperauit à lacrymis, & ipſum Anglorum conſilium graues in Burgundum effudit minas & contumelias; moxque à verbis ad facta Angli progreſſi, Burgundi ſubditos deturbant ex Anglia, eorum plurimis à tumultuante plebe necatis. Quo facto prorſus Burgundus deſciuit; ſeque totum ad Francos contulit. Porrò eam in culpam Angli impegerant, deſtituti Betfordio, prudentiâ & rerum experientiâ præcellente, qui Rhotomagi æger animam egerat. Nec Iſabella ſuperuixerat diu, quæ audito Burgundi fœdere, & præuisâ Anglorum ruinâ, morbo indignatione contracto, intra biduum extincta eſt. Quamuis ſcribat Carterius, dolorem quo vita extincta eſt, conceptum ob vexationes quas ab Anglis patiebatur, nullo honore de ſe tam bene meritam proſequentibus, Carolumque ſpurium opprobrantibus; eo dolore contractum morbum lentum crediderim, nouo mortem citò feſtinatam; cùm haudquaquam ferret impotens femina, fruſtra naturæ ius violatum, eiuratam matrem, natúmque abdicatum, ad vltionis libidinem, opprimendæ illicò atque ſuffocandæ.

Anno 1435.

Betfordij & Iſabellæ mors.

XXI. *Pariſij à Rege recepti.*

Nec falſa morientis coniectura erat, paſſimque oppida confluebant ad Carolum. Iam in Normannia Dieppam Rieuſius, Ariflorum Santrailius, aliáque minoris nominis ceperant; iam Corbelium, Pontiſara, & Caſtrum Vicenarum Francos admiſerant; cùm ad Lutetiam adiunctum votum & ſtudium; quippe auctoritatis Anglicæ ea ciuitas fundamentum & caput, totique Franciæ in exemplum futura. Eam in rem Franci & Burgundi Duces coniungunt copias, Comeſtabilis, Dunenſis, Loheacius Mareſcallus,

Loheac

ex

ex Lauailliorum familia, Lalanius, & Villerius Insulæ Adami; atque à ciuibus bonarum partium moniti, destitutam vrbem præsidio; primum Sanctum Dionysium occupant, vnamque turrim quam tenebant Angli impugnant. Thomas Belmontius præsidij Anglici quod Parisiis permodicum erat Præfectus, ausus ad seruandam turrim ex vrbe progredi, ab veteranis Ducibus interceptus, pluribus cæsis victus & fugatus est, turrisque postmodum capta est. Ad ea nuntia, probi ciues, quorum princeps Michaël Lulerius, in spem erecti, in Anglos exurgunt, arma corripiunt, & Comestabili vrbem addicunt, si præteritorum veniam Rex condonat, extemplò à Rege diploma conficitur, quo eorum quæ Parisienses patrauerant aboleretur memoria, ipsique in gratiam reciperentur. Eoque obice sic amoto, Comes Dunensis cum Villerio scalis in vrbem admittitur, eodemque Villerio qui plebi erat gratissimus, Liliatum explicante vexillum, conuolat populus, portam Sancti Michaëlis perfringit, per quam Comestabilis subiens quadrato agmine, Regi vrbem asserit, cæsis Anglorum plusculis, & Bastilla postridie reddita, in quam Henricus Lucemburgius Cancellarius Angliæ fugerat. Cum eo Angli cæteri pulsi Parisiis, caudam acclamante ad ludibrium populo; quæ contumelia molestissima genti ad depulsionis sensum accedebat. Eam mox Parisiensibus lætitiam subitus casus in partem excussit; nam Pontisaram Anglus occupauit, validumque immisit præsidium, quod amnem infra clauderet & continuò Parisiorum portis immineret; imò ad Burgundum pars etiam infortunij pertigit. Contraxerat ingentem exercitum, Flandrosque ad vindictam impulerat, quorum populares in Angliâ plures bonis deiecti fuerant, & vitâ haud pauci; & facturus operæ pretium bello, Caletum terrâ marique obsidebat, classe inductâ quæ portum subsidio excluderet; verùm hinc illata in exercitum totum pernicies. Etenim Classis præfecti; cum per imperitiam naues vehente fluctu immisissent in terram penitus, eæ pelago refluente in sicco hærentes, relictæ sunt in hostium potestate, atque ab iis erumpentibus flammis incensæ. Et eo casu Flandri absterriti, cùm diceretur Dux Gloceſtrius iam soluisse ex Anglia, affuturus cum delectis copiis, repente collectis sarcinis, castra turpiter Ducemque deserunt, regressi sua quique in oppida; tertia hebdomada postquam accesserant, affuitque mox vt præuisus erat Gloceſtrius, hærensque fugientium tergo, in Flandriam penetrat, peruastátque campos vetante nemine; adeò metus atque ignominia Flandros abiecerat; rediitque prædâ vberrimâ locupletatus, quam carrucis mille ducentis ceu instrumentum triumphi abduxit. Nec in eos Philippo licebat educere, quem Gandauensium, Brugensiumque rebellio distrahebat; patrum animo in nepotibus excitato, nouisque cædibus instaurato, per quas interfecti Hornius, & Villerius, Insulæ Adami dominus; ille Parisiensis in Armaniacos stragis auctor & artifex, ipsique Ducis cum matre liberi magno periculo in custodiam dati. Perstitit que duodecim annos terra perduellio, multo cruore pasta identidem, atque omnis generis calamitatum ingens materia. Burgundus interim animaduertens, dum bellum Anglicum perseueraret; se haudquaquam rebelles posse perdomare, de pace inter vtramque

CAROLVS VII.

Lalain.

Anno 1436.

Burgundus Caleto pulsus.

CAROLVS VII.

gentem contrahenda sollicitus, colloquium impetrat ad Grauelingam. Delegati vtrimque eam in rem viri cùm nihil perficerent, Anglis obstinatè clientelam negantibus, Francis poscentibus, antequam discederetur, actum est de Ducis Aurelianensis libertate, qui iam annum vicesimum quintum Londini in custodia erat. Et in eam Angli consenserunt, spe discordiæ instaurandæ Aurelianensem inter & Burgundum, & Franciæ vt olim in contrarias partes discindendæ; quamquam diuerso plane exitu res successit, & ex vtriusque amicitia noua discordia orta. Burgundum Anglorum animus non latuerat, atque ideò malo occursurus, tum pronâ ad humanitatem & inimicitias restinguendas indole, cum Aurelianensi captiuo conuenerat, vt suam ipsius ex sorore neptem Cliuensis filiam vxorem duceret, dein redemptionis partem multo maximam de suo soluit, sibi Principem amicum & benevolum pro infensissimo hoste paraturus. Nec Aurelianensis diuerso animo in beneficio fuit, liber continuò ad Burgundum tendit, gratias agit, sponsum matrimonium contrahit; iuratque sanctum amicitiæ fœdus, odiorum causis vtrinque restinctis: verùm ea grati animi benevolentia nouum Franciæ malum pœnè parturiit. Regi durum visum est, quod Aurelianensis ad Burgundum prius quam ad se venisset, & vinculum affinitatis se inconsulto contractum vocabat in suspicionem; atque eam gratiosi aulici fouebant, concepto metu, ne Aurelianensis quondam Regi charissimus, animo regiminis belli & amplarum rerum capace, ipsos aliquando è Regis gratiâ atque aulâ deiiceret. Ergo Regem impellunt, Aurelianensem frequenti Procerum Comitatu accedentem ad se, misso nuntio iuberet solis stipatum familiaribus in aulam venire. Quod iussum Aurelianensis in contumeliam vertens, insalutato Rege diuertit Aureliam; mox Hesdinum ad Burgundiæ Ducem profectus, & vincto arctius fœdere, Duces Britanniæ & Alensonium colligant sibi. Tum dictâ die Niuernum cuncti conueniunt; multisque Procerum in eandem dissensionem consentientibus, scripto quasdam conditiones exposcunt à Rege, præclaras in speciem & in bonum publicum constitutas; ipsâ re, vt amotis qui grati Principi erant, ipsi in gratiam & administrationem succederent. Regi opportunius visum est arte malum discutere, quàm vi opprimere: ita singulis Procerum multa pollicitus, Aurelianensem præcipuè ab iis diuulsit, donatum pecunia, & commoda in singulos annos pensione. Isque in posterum egit tranquillus, tutum otium turbulento negotio sapienter anteferens. Ea quanquam diuersis gesta temporibus, narrando coniunxi; nunc quæ omiseram, repetitis superius annis, retexenda.

Caroli Aurelianensis libertas.

Anno 1440.

XXII. *Rex Parisiis excepsus.*

Dum Comestabilis recipiebat Parisios, Carolus procul Aruernos, Lugdunenses, & Delphinates constituebat; è quibus euocatus, vt Parisiensibus iucundior aduentus suus accideret, statuit vicina circum oppida Anglis eripere. Iam contractum exercitum septemdecim hominum millia conficiebant, conuenetatque flos ducum. Post oppidula quædam expugnata, Monterigolum ductæ sunt copiæ: quod validum munimentis spisso præsidio Angli firmauerant. Per sex hebdomadas crebris aggressionibus tentatum,

tentatum, propugnantium fortitudine municipium ſtabat; eratque in exercitu Ludouicus Delphinus, tredecennis adoleſcens, cui pater militaribus muniis imbuendo, impugnationis curam commiſerat. Is innatæ indolis forti præludio, qua vehementiſſimè ad ea quæ cuperet ferebatur, tandem vrbem aggreſſione inuadit, cúmque pluribus Anglorum cæſis, ſe in arcem aliquot recepiſſent, deditionem poſtmodùm pacti ſunt liberis Anglis, transfugis Francis in patibulum actis. Idque facinus, quemadmodum Delphino primùm laudi & gloriæ fuit, ita prima moleſtiæ cauſa, & origo ſeceſſionis à patre. Etenim cùm Angli duces arce emiſſi in diſcedendo Regi gratias agerent, magnis laudibus extulerunt Delphinum, quod acerrimus vrbem expugnaſſet; at Rex aduertit tum ob eas laudes, tum ob geſtam rem, increuiſſe iuueni animum, quem ſupra modum dominandi cupidum iam explorauerat; ideóque ambitionis ſuſpectum à ſe amandat, datóque quaſi puero morum Præfecto, Aulâ procul in Turonenſem agrum relegat. Ita patri domeſticus hoſtis parabatur, qui impleret Anglos, Regemque perderet poſt receptum regnum. Carolus ruptis Pariſiorum compedibus, vrbem ingenti ciuium gratulatione ingreditur, obliteratâ priorum memoriâ, & præpollente præſentium ſenſu, quanquam haud multò pòſt regreſſus eſt Turones, & prouincias vltra Ligerim amabat impenſiùs, ſeu charas ob præſtitum calamitoſo aſylum, ſeu ob ſitus amœnitatem cœlique mollitiem gratas; ſeu conceptum primâ ætate Pariſienſium odium quanquam mitigatum mondum extinxerat, & ab oculis monumentum iniuriæ placeret tollere. Eo in ſeceſſu, vt Scotos arctius necteret, Margaritam Iacobi Regis filiam Delphino in vxorem tradit, quem nihilominus præfecto morum ſubeſſe voluit; dein quoniam bellum deferbuerat, & cum Anglo agebatur de pace, ad militiam conſtituendam intendit animum. Tunc erat Francia calamitatum omnium fomes; præter Anglicum bellum, quo deurebantur prouinciæ, Franci etiam milites ſi quid pacatum erat deuaſtabant; cùm ſanciri diſciplina tam diuturno bello non poſſet, ipſique Duces licentiam militum alerent, raro in ſtipendium nummo; ruſtici inſtar hoſtium rapiebantur, oppida & municipia exhauriebantur, agri inculti exhorreſcebant ſpinis & ſentibus; breuíque fames paſſim inualuit, tum atrociſſima peſtis, quæ decurſis campis, in vrbes peruadens, immenſas ſtrues cadauerum cumulabat. Pariſij maximè internecinâ lue vexati, opulentâ ſua in funera ciuitate, & quinquaginta hominum millia ſeſquimenſe rapta, cæteris diffugientibus, eóque ſolitudinis frequentiſſima vrbium venit, vt in ampliſſimis vicis vix duo triave capita incedenti occurrerent, lupíque in eam ad voranda cadauera penetrarent; nec ſolum noctu prædam inter tenebras raperent, ſed ipſa luce etiam viuos inuaderent; adeo omnia ad incrementum mali conſenſerant. Ibatque in vaſtitatem miſeram ciuitas, niſi quoſdam ciuium Adamus Cameracenſis, Præſes ſenatus, & Ambroſius Loræus vrbi Præpoſitus, tum exemplo tum imminenti vitæ periculo, confirmaſſent, nuſquam muris egreſſi; & ſalute in omne diſcrimen vltrò coniectâ. Præterea ceſſante bello

CAROLVS VII. Anno 1437.

Delphinus aulâ emiſſus.

Francia Calamitas.

De Loré.

CAROLVS VII.

bello belli miseriæ non cessabant. Plerique Ducum in prædones versi, tam addictas vrbes quam hostiles crudeliter diuexabant. In iis spurius Borbonius, & Antonius Chabanius, Picardiam atque Campaniam sepositerant in prædam; Rodericius Villandrasius ille Hispanus Aquitaniam premebat. Eorum quidam se dicebant Excoriatores, alij Retonsores; digna flagitiorum appellatione; cùm illi sin minus miseris cutem detraherent, sanè facultates omnes eriperent; Ij retonderent si quid forte miseris boni accreuisset, & spoliatos iterum per sæuitiam summam spoliarent. Ergo iis incommodis Carolus vt mederetur, primùm equitum turmas componit. Equitibus singulis erant decem equi ad vehenda impedimenta, totidem quà sagittarij, quà calones, eaque Capita plus mali hospiti inferebant quam hosti. Ergo iussi equites, tres ad summum equos ad bellum ducere, totidem sagittarios, reliqua turbâ vt pernicioſâ prorsus abscisâ. Mox in Villandrasium. cuius insignis erat in prædando barbaries, immissæ copiæ, ad insaniam hominis comprimendam; qui vt pristinam fidem recuperaret, ducto in Anglum milite, in Burdegalensi agro multa egregia præstitit, sed eâ immanitate & supra humanitatem omnem sæuitiâ, vt videretur non tam bellum alere quam furorem, iisque locis pessimi Roderici memoria perstet etiamnum; viuaciore longè miseriæ sensu quam beneficij.

Ecorcheurs. Retondeurs.

XXIII. *Bituricensis conuentus pro Eugenio.*

In eadem conceptæ cum Anglo pacis tranquillitate, res momenti maximi acta est Bituricibus. Aliquot ante annos Ecclesiam sæua discordia agitabat; successerat Martino V. Pontifici Eugenius IV. ac quoniam Martinus Constantiensis Concilij erat partus, tribus Pontificibus abrogatis; visum erat Ecclesiæ rebus opportunum, nouum Concilium Basileæ indicere, quod hæreret Constantiensis vestigiis, & speratam Græcæ Ecclesiæ vnionem tandem perficeret. Nec Eugenius primùm dissensérat, sperans consilium sui regiminis fore, quod per Legatos suos moderaretur. Verùm re in diuersum flectente, & Basileensibus auctoritatem Consilij supra Pontificiam attollentibus, Eugenius nouum Concilium Ferratiæ indicit, & Basileense quasi spurium damnat. Efferatâ per iniurias mutuas controuersiâ, eò audaciæ Basileenses deueniunt, vt Eugenium abrogent, nouumque Pontificem dicant Amedæum VIII. Sabaudiæ Ducem, qui relictâ filio ditione Ripalliam secessérat, villam ad Geneuensem lacum delicatam, & voluptarium otium pietati interserens, solutus curis sibi admodum viuebat, eremitæ cultum indutus. Is Felix eo nomine V. dictus est. Continuò scissus in factiones geminas Orbis Christianus; Principibus quà Eugenium, quà Felicem diuersis studiis asserentibus. Vtriusque summa cura in Carolo alliciendo enituit; missi vtrimque Legati, & designata Biturigum vrbs ad rem disceptandam. Felicis causam duo promouebant; primum quod hactenus Rex totaque Francia fouisset Basileense Concilium, atque ibidem Auarici anno seculi tricesimo secundo habita fuerat Antistitum Synodus, qua Concilium pro legitimo admissum fuerat; eaque de causa Regis permissu, ad Eugenium missi Antistites; tum Amedæo Rex ipse affinitate atque amicitiâ, imò & pluribus beneficiis erat coniunctior; ac

ac videbatur emolumento fore non modico, si Pontifex haberetur, tot de causis Regi & regno addictus. Eam ergo in spem ad Conuentum Præsulum Galliæ, oratores miserant, tum Felix, tum Concilium, Ioannem Segouiensem Hispanum, & Thomam Courcellium Francum, infensissimum Eugenij inimicum; Eugenius verò Cardinalem Turrecrematam & ipsum Hispanum, magni nominis, & doctrinæ amplissimæ virum. Præter Antistites, quorum Principes Patriarcha Antiochenus, Archiepiscopus Viennensis, Carnutensis Cancellarius, ab Eugenio nuper Cardinalis dictus, Proceres plurimos Rex vna secum adduxerat. Post multam ac diuturnam altercationem, tandem Regi placuit adhærere Eugenio, eum habere pro summo Pontifice, itaque habendum vniuersæ Franciæ designare, qua in re gratia Martini Gongæ Claromontensis Episcopi plurimùm valuit; is enim administrationi rerum cùm præesset, Regem ad sanam partem haud difficulter inflexit, & Cancellarium pilei fulgor ad iustam sententiam allectabat. Duo tamen Eugenius Regem exorare non valuit; primum vt ab Basileensi Concilio planè deficeret, alterum sanctione pragmaticâ ne vteretur; quippe ea sanctio ex decretis Constantiensis & Basileensis Concilij ad disponenda Ecclesiastica beneficia constituta, cùm Pontificiæ potestati multùm detraheret; atque haud parum priuatorum commodis consuleret, Francis erat gratissima; nec Concilium deserendi Regi animus erat, quod antè comprobasset tantoperè, quodque maximè ex Francis constabat. Additum præterea ne qua iniuria domino Sabaudio (ita Felicem vocabat,) inferretur, ob contractam cum ipso Rege affinitatem. Et ea quidem eo Conuentu sancita; quibus non extinctum quidem Schisma Ecclesiæ; sed potestas legitima stabilita, & assertæ suæ partes iustitiæ. Imò & aliquot post annos, tantùm Rex contendit apud Amedæum, vt ipse pacis publicæ cupidus, vltrò se abdicauerit dignitate, Ecclesiæ vnione in Nicolao V. successore Eugenij, coalescente. Interea, ante bellum cum Anglo quàm recrudesceret, Franci Comitem Eusium ab Artesiorum stirpe regij sanguinis, receperant, Sommersetum Angli, mutua permutatione; iique statim in Normannia suæ quisque gentis rem promouet. Etenim resurgente bello rursum ferro miscentur omnia. Franci primùm malè ad Crotoium multantur. Vrbem oppugnabant, & Burgundiæ Dux, nuper traditâ filio Catharinâ Francicâ in vxorem, gratum animum testaturus, copias è Flandria duxerat; cùm Talbotius Rhotomago vrbe educto præsidio, obsidentes aggrediens, castris pellit; atque vrbi plenum commeatum infert; imò & metu Flandri diffugiunt, restitutâ Caletensis fugæ ignominiâ. Eam Franci cladem ad Areflorum compensant postmodùm. Obsidebant Angli munitum oppidum, cùm Rieusius Maresçallus tam opportunè in eos inuadit, vt ab obsidione depulerit; moxque totâ Picardiâ passim exigebat; cùm vir magnus periit proditione pessimi capitis. Etenim cùm transiret Compendio; Flauius vrbis præfectus, captiuitate Aurelianensis Virginis iam infamis, virum Comestabili ob virtutem gratissimum, in vincula agit, exigitque in redemptionem quatuor millia aureorum, quæ sibi erepta à Comestabile querebatur, & Rieusius postmodùm Neslam traductus, pestilentiâ quæ

CAROLVS VII.

De Courcelles.

Anno 1440.

Genge.

D'Eu.

Bellum cum Anglo restitutum.

Rieusius Mareschallus.

CAROLVS VII.

grassabatur sæuissimè extinctus est; meritissimus de Regno Franciæ; idem manu promptus, optimusque consilio, antiquâ morum probitate, & disciplinæ restituendæ percupidus. Flauius arcis beneficio ab mortalium pœnis euasit, donec in Diuinam incidit, ab vxore intra ipsa munimenta, imo inter blanditias & amplexus in cubili suo suffocatus. Ægidij Raisij Marescalli planè diuersa sors, vt diuersi mores, qui Magiæ & veneficij postulatus, compertusque plures infantium cædes perpetrasse, ab Duce Britanniæ damnatus est, & post elisas fauces igne succensus. Ea inter Regi molestissimum erat Meldas obtineri ab hoste, Matronamque amnem occludi. Ideò datum Comestabili munus vrbis expugnandæ; quod & egregiè præstitit; nec vllibi toto hoc bello Martis munia obita sunt generosiùs. Angli tertiâ hebdomade, vrbe captâ, se in forum recipiunt, & propugnant egregiè; imò & Talbotius cum Fustembergio Francos aggressus, expugnato Castello ligneo, Meldas penetrans, obsessos milite & commeatu iuuit, ac securus se Rhotomagum recepit. Nihilominus cùm Comestabilis nulli labori, nulli industriæ parceret, Angli vitam pacti forum tradiderunt. Infelicius ad Abrincas pugnauit Comestabilis, quas cùm obsideret, ab eodem Talbotio, inuadente pulsus est, multa strage; atque idem Talbotius Sommersetо Duce Ariforum aggreditur, tamque validè castra in Francos munit, vt illorum conatibus omninò irritis, vrbem tandem obtinuerit deditione, quarto mense postquam oppugnabat: adeò vir vnus pro exercitu est, & qui ducat, quam qui ducatur, multo pluris refert.

De Raix.

Melda capta.

Auranches.

XXIV. *Agitur de pace.*

Decurrebat bellum, cùm iterum interpellatur de pace, Burgundo Anglum appellante, & Rex Comitia Aureliam conuocauerat, consulturus de pace Proceres quod statutum vellent. Porro ij cùm in diuersa secederent, placuit sex potissimum eligi, quorum suffragiis cæteri accederent. Ii Comes Vindocinensis, summus familiæ regiæ Præfectus, Iacobus Iuuenalis Vrsinus Pictauiensis Episcopus, Comes Dunensis, Fayeta Marescallus, Rabateau. Rabatæus Parlamenti Præses, & sextus Regis Consiliarius; at cùm ij aliquandiu dissensissent, tandem sententiæ omnium in pacem versæ, si impetrari conditiones commodæ possent. Populi calamitas, inopia ærarij, & exhaustæ tum fame tum pestilentia ciuitates, pacis solatium reposcebant. Verùm ea nedum confici potuit, pactis tantum in aliquot menses induciis. Cùm erupit dudum inita ab aliquot Principum conspiratio. Etenim ipsis videbatur durissimum, perpetuò Regem addici Aulicis, frustra expelli qui præpollerent, cùm euulso vno enascceretur alter repente, & fluctuum instar tunderet alterum alter; at ipsi Proceres, è stirpe Regia, quorum maximè regnum optimè regi intererat, amouebantur procul, nec ipsi quid administrationis decerpebant, ad iacturam vnam atque perniciem relegati. Equidem iis verbis Harcurium & Claromontanum Episcopum designabant, qui tunc temporis gratiosissimi apud Regem, sedebant ad clauum: at Carolum Andegauensem nemo perstringebat, quanquam gratiâ floreret maximè, quippe is supra inuidiam, & Regi tam propinquus excludebat querendi speciem. Ergo in Castro Blesensi ad eos deturbandos clam fœdus contrahunt, Duces Borbonij, duo ij erant, Alensonius, Dunensis, Bucicautus

Grand Maistre de France.

Proceruum in Regem conspiratio.

Anno 1440.

cicautus, Trimollius, Tria & Nothus Borbonius, recusante Burgundo se iis adiungere; & ad factionem honestiori causa prætexendam, statuunt Delphinum in suas partes adducere. Id fœdus dictum Pragueria; nec causa nominis mihi explorata. Tunc Niorti in Pictonibus agebat Delphinus, sub regimine Comitis Marchiæ, quem Præfectum morum Rex constituerat; diuturnæ absentiæ quam vocabat exilium haud parum pertæsus; ad quem missus à coniuratis Nothus Borbonius, non contendit multùm vt rem suaderet. Statim itaque in eam adductus sententiam, ad Alensonium Niorto profugit, frustra Marchiæ Comite renitente; & verbis iuuenilem audaciam mitigante. Delphino abducto arma palam Proceres concitant, & designati Pictones Martis Campus. Delphinus Alensonio adiunctus Sanmaxentium inuadit adhæretque Nobilitas; sequuta Barbesium, præpollentem auctoritate: agebant Molinis cæteri Principes, quæ Boiorum caput; confinesque prouincias sollicitabant. Is motus Regem atque adeo Aulicos grauiter perculit, omnisque impensa cura vt dum per Anglicas licebat inducias, opprimeretur ortum incendium. Et firmamentum causæ haud modicum Comestabilis, qui Trimollio hostis Capitalis, ad Regis partes accesserat; Rexque ad Alensonium misit, qui Delphinum reposcerent, iuberentque patri natum restitui. At Rex cùm Alensonius aculeatis verbis rescripsisset, minas celeritate præuertens, in Pictones aduolat, & Sanmaxentium recipit. Tum recedentem Alensonium persequutus, per vrbes singulas, compellit tandem in Boios, exceptum Molinis à Proceribus. Interim Dux Burgundiæ & Comes Eusius, boni publici gratiâ, pacem conciliabant. Regi subiiciunt; *Belli ciuilis certum detrimentum, nullo lucro aut valdè inani; expirare cum Anglo inducias: an simul cum hoste gemino bellum susciperet, tantum periculi à Proceribus victis imminere, quantum à victoribus; nam spe deiecti si ad Anglum confugiant, quanta malorum enascetur seges, & quam atrox procella regnum inuoluet? eam secessionem, domesticam potiùs litem esse quàm bellum; filium atque affines stare in partibus, reuocandos eos clementia, expugnata paterno affectu breui amentia, patri pro graui delicto leui pœna sat fieri.* Tum versi ad Proceres, *crimen perduellionis exaggerant, amorem patriæ laborantis excusitant; quid eam patrimonium suum perditum irent? beneuolentiam Regis vi non obtineri, eam ipsi obsequio atque officiis demererentur; properarent appellare clementiam, atque crimen nondum adultum extinguere, festinari pœnam, armatum Regem & prepotentem incumbere, & nisi primum demissione vincatur, omni ope vacuos profligaturum.* His admonitionibus, conuersi animi, in concordiam assentiunt, Proceribus veniam flagitantibus, Rege condonante. Eum Delphinus & Borbonius Cusseti quod in Aruernis est oppidum, inuisunt supplices; Alensonius procul veniam petiit, suamque in ditionem secessit. Continuo Delphino domestici omnes amoti, præter Confessarium & Coquum, & noui inducti; quasi recens culpa familiarium esset, non heri, honori Principum hac pœnâ parcente; vt noxæ administri pro auctoribus sint. Nec quidquam ea in re indulsit Rex Delphini precibus, imò interminanti se ad Principes rediturum, prudenter respondit; *Ito Ludouice, foras patent, si arctiora sunt, decem muri stadia iubebo dirui; sunt*

CAROLVS VII. Praguerie.

De Barbesieux. Moulins.

CAROLVS VII.

Francia Principes, qui eius dignitatem & amplitudinem iuxta ac tu promoueant. Aliquantò post Nothus Borbonius, qui accerrimè omnium tumultum instruxerat, in pœnam vocatus ob noua scelera, culeo insutus in amnem proiicitur; reus multiplicium criminum; togæ sacræ primùm destinatus, quam exuerat & militari sago mutauerat, licentiâ atque flagitiis quàm fortitudine clarior.

XXV.

Pontisara capta. Creil.

Rex eo functus periculo, finitisque induciis, per Campaniam profectus Parisios, eam vrbem vt in libertatem assereret, atque amnem Æsiam expurgaret, Crelium atque Pontisaram eripere Anglis constituit. Crelium quod diu impugnabat Cotinius, Comestabili redditum; Pontisara difficilius opus & grauioris periculi. Rex ipse ducto exercitu, magnâ Principum Ducumque frequentiâ, obsidium ponit, premitque arctius. Non erat animus vi aut machinis vrbem expugnare; nam cupiebat ereptam hosti non perditam; tamque muris parcebat, quam incolis, qui magnam partem ciues innoxij, vel rustici in asylum profugi, misericordiâ potius digni erant quàm pœnâ. Ideò lentè promouebat obsidium; sed Regis clementiam hostis excussit. Talbotius celeberrimus ille defensor vrbium, bis in eam commeatum militémque induxerat, nec videbatur aditus posse intercludi; nisi oppidum cingeretur arctissimè, visque tandem ipsi inferretur, ad quam necessitatem Rex versus, tribus locis aggressionem instituit, militique immissus, pugnans egregiè, armatâ dexterâ incendit prælium. Agger horâ alterâ post atrocem dimicationem

Anno 1441.

inuaditur; Rex primos inter in vrbem penetrat, & flammâ pugnæ momento extinctâ, eques per vrbem discurrit ad furorem militum compescendum; ipsius solicitudine, direptio à templis prohibita, saluus Matronarum Virginumque pudor, & plerique miseri neci erepti: quingenti Angli necati, Franci trecenti; donatique tres à Rege præmio, qui primi omnium in aggerem vrbis euaserant; Guillelmus Delmasius, Rutenus Nobilis, Ioannes Bequetus, & Stephanus Guillerius, plebeij; istis attributa nobilitas, cum insignibus propriis; illi concessum vt gentilitio scuto coronam muralem apponeret; tunc honore, optatissimo virtutis

Bellum in Vasconia. Tartas.

præmio. Dum hæc ad Parisios agebantur, Capitaneus Buchius, Anglicarum partium cupidissimus, Tartasium apud Albretios oppugnabat, & ad conditionem adegerat, vt se dederet, nisi intra mensem quartum Franci exercitum ad soluendam obsidionem adducerent. Hæc conditio pacta Ianuario, quo Rex ad seruandam vrbem copias contrahit, multisque Pro-

Anno 1442.

cerum Comitantibus, Delphino, Carolo Andegauensi, Eusio Comite, Comestabile, Maresçallis, viam in Pictones vertit; nam erat apud eos

Sire de Ponts.

quod gereret. Pontium Dominus, & Trimollius, castris aliquot occupatis, agros deuastabant, & prædonibus receptum præbebant; eratque Taleburgum ipsorum arx & munimentum. At Pontium Dominus Regem inflectere demissione festinat; Taleburgum vi captum, præsidiarij ad furcas suspensi, & Præfectus truncatus capite. Tum Lemouici Rex aliquandiu substitit, eaque in vrbe excepto Duce Aurelianensi, lætò vultu & animo, Tolosam pergit cum copiis; adiuncto è nobilitate Vasconum supplemento.

Qui

Qui acceſſerant Comes Fuxienſis, Conuenenſis, Perdiacus, Lomanius Armaniaci filius, Tancaruilla, Albretius, Vicecomes Narbonenſis, & Barones maioribus vexillis inſignes centum & triginta. Recenſebantur in exercitu viginti hominum millia; quem ad Tartaſium Rex cùm deduxiſſet, nullo hoſtium comparente, vrbs ſeruata eſt, dati obſides à Cognatio reſtituti. Rex deinde, vt ſelecti exercitus aliquod opus extaret, in Aquitaniam penetrans, Fanum Seueri inuadit; propugnabat oppidum Thomas Rameſtonius Aquitaniæ Seneſcallus, cum cataphractis centum, & bis mille Sagittariis: iique propemodum omnes primo impetu cæſi. In defendendis ſuburbiis captus Seneſcallus, ipſumque oppidum illicò deditum. Tum ad Aquas Anguſtas ductus exercitus, vrbem munimentis & præſidio validam, pugnatumque ad eam ſeſquimenſe, donec Delphinus, diuturnæ moræ impatiens, legit ipſe milites, inſtruitque ad caput pontis oppugnationem, quam ipſe præſens verbo & exemplo adurget tam fortiter, vt turri captà quæ tegebat pontem, extemplò à ciuibus deditionem extorſerit; verùm Aquenſes, dum ad alia municipia contendit exercitus, euocatum Anglum admittunt; & Præfectum arcis quarto die excluſum à ſubſidiis pellunt. Hyems interceſſit, quominus rex vrbem reciperet; licuitque per otium Margaritæ litem cognoſcere. Illa Raimundi II. Conuenarum Comitis filia, atque heres tribus nupta maritis, tot propemodum inimicos ſibi parauerat. Primùm Ioanni III. Comiti Armaniaco nupſerat, è quo duas ſuſcepit filias; ſecundùm Ioanni Armaniaco prioris affini à quo ſtatim diſceſſit; tertiùm Matthæo Comitis Fuxienſis fratri, vnde patiter filiam peperit. Hic poſtremus, cum opulentam hæreditatem cupiditate voraret, nec precibus coniugem ad donanda bona poſſet inducere, vim expertus, in ea inuadit, & partitus cum Armaniaco ſpolia, illi feminam tradit, iam prouectam ſenio, propiúſque vt rebatur fato admotam. Ea iam annos plurimos calamitatem carceris paſſa, Armaniaco miſeram è caſtro in caſtrum abducente; Regem audit iis in terris agere; & conceptâ ſpe libertatis, eum clam hæredem ſcriptum, appellat iudicem, & de Comitum immanitate conqueritur. Iuſſi Armaniacus & Fuxienſis coram Rege ſe ſiſtere, & Comitiſſam adducere; tandem obtemperant; & Toloſani Parlamenti ſententiâ Comitiſſæ libertas reſtituitur, tabulæ quibus Rex heres ſcriptus pronuntiantur legitimæ, ac permiſſus Matthæo coniugi dum vitam ageret vſusfructus. Ita femina octogenaria ſeruituti erepta eſt, Regem in Pictones abeuntem ſequuta, vitaque longæua tam ſolatio fuit, quam miſeriæ hactenus fuerat.

CAROLVS VII.

Salat Seuer.

Acqs.

Margarita Conuenarũ.

Dum Rex Pictauium peruenit, de Dieppæ diſcrimine admonetur. Eam Talbotius copiis validis oppugnabat, & quamquam Dunenſis commeatum in vrbem iteratò inuexiſſet, ita caſtra Anglus, vallo & turribus muniebat, vt ſeruandæ vrbis ſpem omnem Dunenſis excuteret. Id nuntium cùm dolorem Regi multum afferret; Delphinus ſeruandæ vrbis prouinciam à Rege depoſcit; qua exorata, concitatis equis ſe in Picardiam confert, & copias celeriter ex nobilitate præſidiiſque vrbium contrahit. Opus erat magni arduique periculi, nam Talbotius accuratè caſtra vallo &

XXVI.

Dieppa à Delphino ſeruata.

CAROLVS VII.

propugnaculis cinxerat, veteranum militem sub signis habebat, & ipse pro exercitu erat. Eam ob rem aggredientes excepit fortiter, sæpiusque eum clade repulit, vincebatque, si quid peruicacem animum Delphini vinceret; quippe ille semper in obices inflammatior, impressiones iterari curabat impetu tanto atque ardore, vt compressa hostis ferocia, in amplissimum castrum peruaserit, quingentis Anglorum primo impetu cæsis; nec à dimicatione quieuerit, donec iidem omninò perculsi à castris abscesserunt, seque in proximas naues receperunt: mirante Talbotio, veteranam illam & probatissimam virtutem suam vnius adolescentis vel fortitudine, vel audaciâ adeò contra spem profligatam. Feliciter Dieppam Delphinus soluerat, cùm ad expeditionem nouam euocatur. Comitissa Conuenarum Pictauij diem extremum obierat, & calamitates inter viuacior, expirauerat in tranquillitate; illicò Ioannes Armaniaci Comes Conuenas occupat, & Regis vel potentiam contemnens, vel gratiam sperans, illusis testamenti tabulis, tam appellat gratiam, quàm se contra vim munit. Ea audacia regem irâ incendit, & accedebant aliæ odij causæ; quod Armaniacus veluti supremum vsurpans dominium, se Comitem Dei gratiâ diceret, quod vnis fas est supremis Principibus; tum quod filiam suam Rege inconsulto Henrico Regi Angliæ in vxorem spoponderat; quod regni legibus nefas est. Mira celeritate ab extrema Picardia in Vasconiam Delphinus aduolans, bellum exoriens illicò opprimit. Salesarium Ducem Hispanum, cui fidebat plurimum Armaniacus, cum legionibus ad repellendum Delphinum, locauerat in prouinciæ finibus, dùm ipse auxilia ex amicis contraheret. Verùm Delphinus futuram indolem auspicatus, postquam Salesarium pecuniâ victum ad suas partes adduxit, imparatum aggressus Comitem, ad extrema agit, & in Castrum insulæ Iordani perfugientem, cinctum copiis obsidet. Mox ipsum ad conciliandum fœdus castro temerè egressum, apprehendit, mittitque in custodiam cum vxore & liberis; iam tirocinio suarum artium præbito. Egit quadriennium in custodiâ Comes, donec exorantibus Aragoniæ & Nauarræ Regibus, libertati & ditioni restitutus est à Rege, Fuxiensi prædem pro eo se constituente. Nec Delphino ab armis diu otium fuit. In plures menses inducias Anglus pepigerat, & fruiturus commodo pacis, Regi Henrico vxorem parabat, Margaritam Renati Andegauensis Siciliæ Regis filiam, formâ corporis atque ingenij dotibus ornatissimam. Sponso matrimonio & intercedente duos Reges inter affinitate, nam Maria Regina soror Renati erat, ne quid turbæ à solutis militibus conflaretur, placuit eos in expeditionem externam ducere. Exercitus duo ex vtraque gente conflati; cuique adhibita triginta hominum millia; alter, quorum decem millia Angli erant, Delphino datus, ne alimentum turbulentæ indoli deforet, domandos Heluetios. Eos enim huius belli scopum designatos puto; euocante Sigismundo Austriaco, in quem Heluetij rebellauerant. In itinere Montem Pelicardi expugnat, penetránsque in Heluetiam, Basileam vsque & Argentoratum agros impunè vastat. Heluetij ex trepidatione prima recreati, quanquam impare numero, nam quatuor millia sub signis erant Francis intrepidè occurrunt, & conserto prælio obstinatissimè

Anno 1443.

Delphinus Armaniacũ subigit.

Cominges.

Salesar.

Delphinus in Heluetios.

Mõtbeliard. Basle. Strasbourg. Anno 1444.

ſtinatiſſimè pugnant ; donec omnes, centum admodum fuga lapſis, in fruſta conciſi, victi quidem, ſed Francorum plurimis enecatis. Nec Delphinus victoriam vltra promouit, ſeu penuriâ militum, pugnaciſſimis ſuorum occiſis, ſeu ſpecie belli iam euaneſcente ; Sigiſmundo negante ſuo impulſu ipſum in Germaniam excitum. Eoque primo facinore gens Heluetica Francis innotuit, ipſis in poſterum neſcio an detrimento maiore quam vſu, vel cladibus, quas intulit, vel ope quam præbuit. Alterum exercitum in Lotharingiam rex ipſe duxerat ; poſtea in Campaniam quam prædonibus liberauit, qui Excoriatorum nomen & crudelitatem ſuſcitantes, infeſtabant agros, ad obſidendam Metim ſe contulit. Id precabatur ſororius Renatus Andegauenſis, qui potitus Lotharingiæ Ducatu, vrbem Mediomatricum ſibi vindicabat, opemque ad eam ſubigendam efflagitauerat ; iamque quintum menſem vrbs obſeſſa in extremis erat ; cùm ciues, ſpe omni decoctâ, ad Petrum Brezæum confugiunt, qui eo tempore apud Regem plurimum omnium poterat ; eiuſque ope impetratis conditionibus quam optimis, ſoluta obſidione, dimittuntur priſtinæ libertati ; auro duntaxat Regi impenſo, tam infecto quam facto. Ita reductus vterque exercitus, & in quinquennium cum Anglo iuratæ induciæ, in celebritatem nuptiarum, quas cum ipſo Margarita contraxit. Dimiſſæque legiones, ne paci mediæ bellum inferrent, præter equites cataphractos mille & quingentos, & quater mille Sagittarios ; quos Rex habere promptos ſub ſignis voluit, & limitaneos in præſidiis vrbium habuit. Tum conſtituit vt in ſingulis Regni vniuerſi pagis & municipiis, ſinguli homines deſignarentur, qui prompti eſſent ad militiam obeundam vbi vocarentur, iique quoniam pedites erant & ab tributis omnibus immunes, liberi Sagittarij dicebantur : prudenti inſtituto ; nec enim vt res humanæ ſunt, belli conſilia pax excutere debet ; nec pax vlla ſecurior quam armata.

CAROLVS VII.

Rex Metim obſidet.

Mets.

De Brezé.

Franc-Archers.

Et verò pactæ decurrebant induciæ ; cùm in medio curſu repente corruunt. Iam aliquantùm fides Anglica laborauerat ; cum enim Henricus Carolo Andegauenſi reſtituere Cænomanum debuiſſet ; eam vrbem pro facultate, operibus & præſidio communiit, nec reddidit, niſi vi adactus, quam exercitus regius inferebat. Mox interceptæ Filiceræ pacem prorſus infringunt. Erant Filiceræ vrbs in Britonibus ad Normanniæ limites, diues, populoſa, & mercimoniis frequens ; ſecuri ciues induciarum beneficio fruebantur ; cùm extemplò Franciſcus Suriennius, dictus Aragonenſis, quod indidem natus eſſet, atque Angli ſtipendiarius, lecto milite Filiceras inuadit, incautas occupat, fœdat direptione atque omni genere immanitatis, atque agrum proximum depopulatur. Franciſcus Britanniæ Dux, nam Ioanni patri ſucceſſerat, ad eam iacturam & contumeliam inflammatus, ad Ducem Sommerſetum qui pro Anglo prouincias Francicas adminiſtrabat, fecialem mittit, qui res raptas repoſcat, & ſarciri iniuriam ; ille ſuo iuſſu factum inficiatur, Suriennium Anglo non eſſe ſubditum, motúque proprio impulſum ad facinus. Ea verba cladem haud reparabant. Ideò Britannus ad Regem mittit Cancellarium & Epiſcopum Rhedonenſem, qui de iniuria expoſtularent, atque vltionem efflagitarent, quando

XXVII. *Bellum Anglicum inſtauratur.*

Fougeres.

De Surienes.

Anno 1448.

CAROLVS VII.

quando illatum scelus in odium fœderis & amicitiæ foret. Rex dolorẽ quem conceperat animo contestatus, ne temerè in arma rueret, viros graues tum ad Sommersetum, tum ad Regem in Angliam legat; quibus nec aliud responsum redditum, quam inficiatio criminis; adiuncti tamen Oratores ab Anglo, qui pluribus rem apud Carolum excusarent, peterentque vt perstarent inducię, nihilque vrbibus ex parte alterutra periculi esset. At cardo is neutiquam erat, flagitabat Britannus ingentem pecuniam, Anglus pernegabat, respondetque Carolus Oratoribus, se non vadem esse, quin Britannus par pari redderet, & quando de occupandis per insidias vrbibus agebatur, quisque sibi caueret, suaque oppida custodiret. Iis verbis veluti bellum clam indiceretur; Anglo plura oppida vno propè momento eripiuntur; Pons Arcarum à Brezæo, Conchæ à Flouquetio, aliaque in diuersis prouinciis; exclamat Sommersetus, accusatque violatum ius pacis, at Filiceræ obiiciuntur, malumque vltro suorum facinore arcessitum. Interea Carolus serio de ratione belli deliberat. Videbantur omnia ad illud instaurandum impellere; iam Anglos consilium & fortitudo pristina deserebat; infrequentes erant in vrbibus milites, plerique stipendiis cassi, defluxerant; qui supererant, disciplinam obliti rapto & latrociniis alebantur; ipsam Angliam rerum caput lacerabat atrox discordia. Margarita Henrici coniux, ampli ingenij femina, nec contenta sui sexus sorte, regimen regni ambiuerat; nec obstabat maritus; miti indole atque ad otium flexâ, regi potius aptus quàm regere; vt in coniugum vtroque videretur dotes mutasse natura. Obex erat ad cupiditatem Gloceſtrius Dux, patruus Regis, qui plurimis iam annis magnâ cum prudentiæ laude & felicitatis Angliam moderabatur. In eum mulier intendit machinas, tamque peritè & sagaciter admouet, vt vertente anno, clauo depulsum in ordinem redegerit, mox odio Regis in miserum inflammato, apprehensum indictâ causâ, de vitâ sustulit, pressis laqueo faucibus. Tunc enimverò veluti mole & aggere ruptis, discordia in Angliam, omniumque calamitatum series incubuerant. Iis accedebat quod Scoti nuper duobus prœliis victoriam reportarant, cæsis Anglorum viginti quatuor millibus. Contrà Francis cuncta ad bellum integra erant atque composita; Duces egregij, perfrequens miles, tormenta bellica ingenti numero, puluis & globi studiosè parati, & pacis otio instrumenta Martis diligenter curata. Imò indignatio accendebat vindictam; nam Dieppenses & Rupellani Anglos accusabant, quod commercium perderent, suasque naues vel in asylo portuum raperent; Parisienses, quod præsidia Anglica militares vias circuminfestarent, & Ambianum vsque atque Aureliam in viatores passim grassarentur; expostulabant Nobiles quod Angli iidem laruati noctu per agros discurrerent, Nobilium castra inuaderent, heros occiderent, prædonesque publici quæuis incommoda rusticis & mercatoribus per insidias inferrent. Ergo iure & potentiâ conuenientibus, bellum capessitur; ac Normannia scopus designatur. Tres exercitus in eam immissi; primum Britanniæ Dux per ditionem suam agebat; alterum Comes Dunensis per Vexinum & Perticenses, tertium Rex ipse, duos priores vt confirmaret atque sustentaret. Et mirum quidem

Pont de l'Arche.

Causa belli repetiti.

Normannia expugnata.

quidem est, tam amplam munitámque prouinciam, in qua trecenta admodùm oppida, spatio mensium tredecim, vniuersam Anglis esse ereptam, & campum tot Anglorum sudoribus, ærumnis, imò sanguine madidum, ad Francos interuallo venisse tam breui; adeò in rebus humanis occasio Deus est, imò occasionis moderator Deus, qui regnis fines propagat & carpit; suoque nutu in immensum res prouehit. Vernolium in Perticensibus primùm Francos admisit, ab vno molitore indignante se vapulasse ab Anglis, per pistrinũ ad muros vrbis admotum, Franci introducti, & Angli in turrim munitam confugiẽtes obsessi sunt. Tum cæteræ vrbes quà sponte, quà vi, quà pretio, propemodum certatim in Regem confluunt; Filiceræ expugnanti Britanno redditæ, Alensonio Duci sua vrbs patuit. At parum admodùm actum videbatur, quandiù penes Anglum Rhotomagum esset. Regi haud dubium erat, quin Rhotomagenses in se magnopere propenderent, eamobrem eorum vt studia promoueret, diuisas copias contrahit, & tabernacula ad vrbem figit, ostentatâ potentiâ, & ciuium prouocatis consiliis. Et illi extemplo maiore studio quàm prudentia, & consilio nondum maturato, muri parte quà curabant excubias Francos accersunt; verùm Talbotius aduolans, inuadentes pellit, receptoque muro, Francos cædit. Ciues suo malo prudentiores effecti, imo fortiores, vno cuncti animo arma corripiunt, Anglos inuadunt, pulsosque turrium mœniumque procinctu, in palarium atque arcem trudunt: tum Archiepiscopum ad Regem legant, à quo impetratis conditionibus commodis, Dunensem excipiunt; edicto proclamato, vti omnes vesti aut capucio Crucem albam affigerent, & obtemperatum tam pronis animis, vt intra tres horas, nemo esset in amplissima ciuitate, ne infantes quidem in cunis, quin candicantem Crucem præferret. Biduo post Sommersetus, militum inops & cibariorum, proprias pepigit conditiones, admodum duras; quibus aliquot oppida restituebat, multam pecuniam tum Regi dabat, tum ciuibus; per quæ libero abire licuit, Talbotio tamen aliisque ducibus in obsides & fidei pignus traditis. Rex aliquantò post triumphantis more vrbem ingressus est.

CAROLVS VII.

Anno 1449.

Rhotomagum receptum.

Eodem cursu ad cætera oppida properatum. Iuliobona & Belesima deditionem admittunt, nisi die quinto & decimo ab exercitu Anglico seruarentur. Nec is, quæ turbæ in Anglia erant, addictas seruauit. Verùm tria Anglorum millia, Duce Hyriello Chereburgum appulsa, res perditas instaurabant quadantenus; maximè postquam Valloquiam Abeli Rouantio eripuerunt; aliisque accedentibus, sex hominum millia iam terrori erant. Ad eorum famam Comestabilis, quas habebat copias extemplo rapiens, ne mora numerus hostium nimis excresceret, ad eos aduolat; simul Cotinius Admiralius, Comites Claromõtius & Perdriacus, & Brezæus Pictonum Senescallus, equos inscendunt, hostemq; ad Baiocas ad Forminiacum pagum assequuntur. Tria hominum millia Comestabilis duxerat, nec prohibuit inæqualitas, quin generosè hostem impeteret. Anglo animus aut prudentia defuit. Nam terga fluuiolo tegit, tum minora duo tormenta inter sepes locat, pugnaq; incepta alterum cornu displosione machinarum turbat. At Brezæus equitem iussum equis exscendere in dumeta ducit, inter fulminantium tormentorum glo-

XXVIII. Honfleur & Beleſme. *Normannia ſubacta.*

Fourmigny.

CAROLVS VII.

bos, & in sepem peruadens, machinas occupat, Angloſque diſpellit; tum Franci omni ex parte inſtant perterritis, & vi ad fluuiolum retroactis, tandem fugam inferunt, & promiſcuam cædem. Necati hoſtium ſupra quatuor millia ſeptingenti, capti mille & quadringenti, è Francis ſex deſiderati, & creditus auctor victoriæ Deus, actæque Pariſiis in ſupplicatione ſolemni gratiæ; inſtituentibus pueris duodecies mille, infirmitate infantium vincentium gloriam fulciente. Ab eâ victoriâ copiarum partem Comeſtabilis ad Britannum ducit, alteram ad Regem Brezæus; & ille poſt

Cadomum capitur.

Abrincas captas, hic Baiocas, ſimul ad Cadomum adiungunt copias, atque obſidione validiſſimam ciuitatem cingunt, quam & Sommerſetus ipſe tutabatur. Deſignata oppugnantibus ſtatio propria, Comeſtabili ſua, tum Dunenſi; atque amne poſtmodùm iuncto, Comitibus Euſio & Niuernenſi aſſignatæ ſedes; poſtremò Regi ſtatiua poſita. Poſtquam caſtra locata ſunt variiſque prælijs & velitationibus Angli erumpentes, intra murorum ambitum acti ſunt; ad ipſos muros Franci admoti propiùs, tum machinis tum operibus vrbem impugnant. Dunenſis poſtquam tormentis in aggeres ſæuit, quos Ornus Fluuius alluebat, ducto milite in eos inuadit, & ſede fixa vrbi imminet: Ex oppoſita parte Comeſtabilis, ſubſtructis cuniculis, muri partem turriumque euerterat; iam nuda ciuitas atque indefenſa patebat irrumpentibus, cùm deditionem flagitat, & à Rege excipitur, Caſtro adhuc integro atque illibato. Permiſſum obſeſſis tempus, ſi auxilio iuuarentur; quo neutiquam miſſo, vrbs Regi dedita, & Sommerſetus cum Anglis cæteris nauibus Francicis in Angliam vectus. Comes Dunenſis vrbi & Caſtro dictus eſt præfectus; vt Faleſiæ poſtmodum captæ Santralius, Cheroburgum in tota Normannia vnum ſupererat, validiſſimum oppidum, munitumque forti præſidio, datum Comeſtabili expugnandi munus; qui tormentis bellicis rem aggreſſus, in littore etiam erectis molibus, machiniſque impoſitis, tam frequenti fulmine vrbem continuo menſe impetiit, vt ad deditionem impulerit; quanquam non

Anno 1450.

ſine damno, Admirale Cotinio ab hoſtibus cæſo: ita nemo Anglus in ampliſſima prouincia, non vrbem, non arcem, ſed ne tectum quidem ad habitandum retinuit. Nec legentibus iniucundum erit, quando facinora ſingula recenſeri nequeunt, nomina Procerum perluſtrare, quorum maxime operâ ea patrata ſunt. Porrò celebrantur Renatus Siciliæ Rex, Carolus Cœnomanorum Comes, Dux Alenſonius, Comites Euſius, ſancti Pauli, Claromontius, & Niuernenſis, Franciſcus Britanniæ Dux, Petrus eius frater; Comeſtabilis, & Comes Dunenſis, qui duo maximè immortalitatis famâ dignandi ſunt; Loheacius & Culantius Mareſcalli, Cotinius Admiralius, Santralius toties memoratus (Hira iam in Aquitanis deceſſerat) Blainvila Baliſtariorum præfectus; Brezæus Pictonum Seneſcallus, Valpurius Lugdunenſis Præfectus, aliique quos Annales ſignant. Sed præ omnibus Rex ipſe memorabilis; qui militari fortitudine regiaque clementiâ, quam multa oppida expugnauit. Sanè in iis domandis patrem potiùs quàm victorem agebat; adeò pronus ad donandam veniam non hominibus modò, ſed muris etiam & ſaxis ignoſcens, imo ipſis Anglis,

glis, quibus vitam & libertatem vltrò permittebat, detractis tamen sarcinis; ne fortè alieno ditarentur, atque vt subditis res suæ forent integræ atque intactæ. Ab expeditione Dux Burgundiæ abfuit, Flandrensium rebellionibus domandis affixus. Quanquam & Regem inter affluentia gaudia summus dolor affecit; nec enim vlla sine luctu lætitia; dum Iuliobonæ deditionem operitur, eum Agnes conuenit formosissima illa sui seculi mulier; in speciem vt quid arcanæ conspirationis retegeret, reuerâ vt amantem instauratis illecebris, ceu recusâ compede reuinciret. Nam verebatur sagacissima femina, ne gloriæ atque victoriæ forma Rex captus, voluptatem veterem aspernaretur, bellique amor turpis otij votum restingueret; verùm veneno præbito, vt creditur ab quopiam Delphini cupido, placere simul & viuere desiit. Dicebatur pulchritudinis domina, tum quod formâ corporis prædita esset, quæ imperium vsurparet in animos; tum quod à Rege villâ pulcherrimâ, quæ & Castrum Pulchritudinis dicta est, præter immensa alia munera, fuisset donata. Villequeria neptis eius locum impleuit, Regisque amorem ceu hereditatem adiuit: Nec ad Franciscum Britanniæ Ducem victoriæ fructus peruenit; Febri lentâ extinctus est, transiuitque ditio ad Petrum fratrem, quanquam duæ filiæ superstites essent; nam ante Comitiis prouinciæ statutum erat ne Ducatus ad feminas iret. Comestabili totius Normanniæ administratio cessit; ac meritò, vt idem præmij monumentum esset, quod laboris.

CAROLVS VII.

Agnetis mors.

De Beauté.

Dum Angli à Normanniâ exiguntur, titubant in Aquitaniâ, & pelluntur in ruinæ principia. Nobiles Vascones, Comites Fuxiensis atque Astaracus, & Lautrecus, conscriptis Lancearijs septingentis, & decem mille Sagittarijs, Mauleoneum obsident, castrum ad Pyrenæotum radices, Aquas inter & Baionam situm. Id Angli, Regis Nauarri tutelæ subiecerant, iam conscij infirmitatis; nec ipse Rex cessauit, adductis sex millibus hominum ad arcem seruandam. Verùm ad vim impar, rem in colloquium tulit; & Fuxiensem copiarum Ducem eundemque generum suum, amicè monuit atque orauit, *ab expugnatione vti excederet; arcem suam potiusquàm Anglorum esse, haud decere qui tam arctè affines sunt, alieno commodo depugnare. Id vnum rogare se, vt quando alia arces sint, in quas belli furor vertatur, ab ea temperet filius quæ sit patri commissa:* ad hæc Fuxiensis excusatâ belli necessitate, vnum reponit, *interesse gloriæ suæ & dignitatis, ne ab incepto desisteret; se Franciæ Regi fidem addixisse, quam nulla re violatam vellet; in cæteris se Regem socerum patris loco semper habiturum; nunc orare ne velit generi fidem atque honorem in perfidiam atque ignominiam vertere.* Sic Nauarrus regreditur, & castrum redditur. Pari ardore Guichium castrum Fuxiensis capit quartâ supra Baionam leucâ, & Nauarræ Comestabilem suppetias ferentem victum prælio in fugam disiicit. Ita Rex in Aquitaniæ spem erectus, post receptam Normanniam, cùm annus vergeret in autumnum, ne per hyemem ardor refrigesceret, iubet Pontini Comitem, eundémque Petrocorium & Lemouicensem, Bergeraco obsidionem inducere; simulque Culantios fratres, Oruallum Albretij filium & Santralium cum copiis desi-

XXIX.

Aquitania subacta.

Mauleon.

Guiche.

CAROLVS VII.

gnatis mittit. Bergeracenſes poſt conſtitutam obſidionem, petito colló-
quio deditionem conficiunt, Anglis expulſis. Mox hyeme incumbente in
varias partes dimittuntur copiæ; atque Oruallio egregio adoleſcenti Va-
ſates obueniunt. Is otij impatiens, dum bellum circumfert in agros proxi-
Medoc. mos, excurrit in Medulos, ac reportat prædam copioſam, ſeque recipiens
Burdegalenſes magnâ clade afficit, quippe vrbis præfectus, oſtentari ſuo-
rum prædam indignatus, ciues ad arma excitos decies millia contra Orual-
lium ducit, ac temerè prælium conſerit; & vertente Oruallio, fœdè ex-
pulſus, atque profligatus; potuitque vrbs eo facinore capi, ſi victori tam
ad ſeruandum quam ad capiendum miles ſuffeciſſet. Vere appetente Rex
ne ſpem tam præclaram deſereret, Comitem Dunenſem ſummum Franci-
carum copiarum Præfectum, cum exercitu in Aquitaniam mittit; nec
multùm laboris in ea ſubigenda impenſum eſt. Blauia, Burgum, & Libur-
num armis capta, cætera pactis ſponte initis reddita. Nam Aquitani, per-
cepta infirmitate Anglorum, ne regio penitus vaſtaretur, pacta cum Du-
nenſi ſcripto ſtipulantur; vt ſe ipſi, Burdegalam, cæteraque oppida de-
derent, niſi intra diem viceſimum quintum ad Fronſacum Angli ſe ſiſte-
rent, eo numero qui par eſſet Francis repellendis; immunitates Burdegalæ
Mont-ferrand. atque prouinciæ illibatæ eſſent. Monferrandius ſua pacta priuatim con-
ſcripſit; Gaſto Boatum Capitaneus Anglo addictior quam vt ab eo diſce-
deret, pro nepote etiamnum infante cum Franco conuenit. Die dicta ad
Fronſacum Franci Proceres, Comites Fuxienſis, Armaniacus, Claromon-
tius, Vindocinenſis, Pontinius, cæterique ex Pictonibus, Sanctonibus,
Occitanis, & Vaſconibus nobiles, cum triginta militum millibus, ab exor-
to ſole ad occumbentem ſub armis ſteterunt; atque adeò conditione im-
Anno 1451. pletâ, Dunenſi Fronſacum, Burdegala, cæteræque vrbes, præter Baio-
nam vnam patefactæ. Ad eam igitur militem Dunenſis admouet, vixque
moles ad locanda tormenta erexerat, cùm ciues admitti ſe dedititios flagi-
tant. Nempe Angli, quod vnum erat in calamitate votum, cùm nequirent
tueri prouinciam atque conſeruare, ſaltem tabulas ſcriptas quibus multa-
rum vrbium iura continebantur, penes ſe habere, atque inanibus titulis
ſolari miſeriam atque inopiam paſcere, vehementer optauerant. Eas porrò
Baiona capta. tabulas poſtquam Baionâ in Angliam detulerunt, paſſi ſunt æquiùs ſibi vr-
bem eripi, papyraceis chartis opulenti, eæque hactenus Londini diligen-
ter ſeruantur, ad vnius hiſtoriæ damnum, cui multa lux conferretur his
tabulis. Nec omittendum fauentis cœli prodigium; quo picta in nubibus
Crux candicans, quæ Francorum ſignum, ſupra vrbem per dimidiatam
horam fulgere viſa eſt; poſtridiè quam deditio facta ſit; Deo pingente
cœlitus, quod in terris ipſe perfecerat; nam quis præter numen, tam
vberem, tantam, tam militarem, ſic addictam Anglo prouinciam, nullo
prope ſanguine, nullo Marte, multis poſt annis, reſtitueret Franciæ;
tot ſtudiis, bellis, cædibus, præliis, eam in rem antè fruſtra collocatis.
Sanè Dei vnius eſt, vt magna difflare; ſic minima promouere; ſpéſque hu-
manas vel extinguere nimias, vel implere extinctas.

XXX. Verùm & Deus nouo facinore, ac Francorum gloria, Aquitaniam redem-
ptam.

pram voluit. Eam pro Rege Comes Claromontius Borbonij filius administrabat, cùm repente rebellione percellitur, vrbibusq; primariis spoliatur. Aquitani Nobiles crimen incipiunt, Monferrandus, Esparrus, Rosanus, Durasius, & Langladius; eorum nepotes, qui olim rebellauerant in Carolum V. Hi dum regionem Anglus obtinebat, tyrannicam licentiam vsurpantes, clientes ad arbitrium spoliabant potius quam regebant; nunc in officium redacti, necessitatem virtutis pro iniuriâ reputantes, clam simul conspirant, missóque in Angliam Esparro, Talbotium cum septingentis armatis impetrant, miscentque arcana cum Burdegalensibus de proditione consilia. Talbotius ad Medulos applicans, regionem momento subigit, móxque Burdegala ciuium proditione exceptus, Oliuerium Cotinium Senescallum, aliosque Francos insidiarum incautos, apprehendit, traditque in custodiam. Felicem euentum mox Insula Talbotij filius promouet; qui octoginta nauibus commeatum ingentem & quatuor militum millia Burdegalam inuehens, magnam conuersionem animorum & rerum efficit. His copiis succinctus Talbotius, primo Castillonem, tum Fronsacum capit, validissimas prouinciæ arces, vt Regi in Aquitania præter ignominiam & inualida oppida nihil esset super. Nihilominus Rex, vt negligentiam Præfectorum emendaret diligentiâ, præmissum itineribus magnis exercitum sequebatur. Eum Chabannius deducebat, domus regiæ præfectus; & accesserant Proceres, Montalbanus, Hunaldeya, Petrus Beluaus, Comites Castrensis & Armaniacus; qui Marescallis adiuncti, Castillonium Duranio amni impositum obuallant. Eriguntur machinarum moles, & locantur statiua militum, quæ nouo ea ætate consilio, sed arcessito à Romanis more, Gaspar & Ioannes Burelli, latâ fossâ obductisque palis munierunt; ij fratres quorum opera toto Anglico bello vtilissima fuerat, & alter administrabat machinas, alter ærarium. Talbotius ad nuntium obsidionis, qui tot vrbes seruauerat, de Castillonio sollicitus, educit Burdegalâ equites mille ducentos, & quatuor peditum millia, magnáque celeritate incedit, vt Francos incautos noctu inuadat. Primò fortuna promouit consilium; occurrit in aliquot Sagittariorum cohortes, quæ in proxima castra mittebantur; eásque aggressus haud ægrè fundit ac disiicit. Post delibatam ea strage victoriam, ad ipsa castra lætus inuehitur, quæ tam accuratè munita inspectans, nec vllum vel noctis, vel repentinæ aggressionis beneficium esse, peditatum silentio operitur; quem postquam aduenit adhortatus ad prælium, ad perrumpenda castra immittit. Equites vt præessent exemplo peditibus, relictis equis pugnam principes ineunt, & fulminantium inter machinarum globos propius se vallo inferunt. Eo loco accerrimè dimicatur; Angli fossam per suorum cadauera transmittentes, vallum conscendunt, & qua repentes manibus, quà pugnantes, mortem & terrorem Franco obiiciunt. Franci contra sagittarum grandine depluentes, postquam audaciissima capita non repellunt, hastis, contis, gladiis, securibusque aggressi, lacertos & manus detruncant ac metunt. Verum Anglos incendente successu, & inflammante victoria iam admota

CAROLVS VII.

Aquitania rebellis iterùm domita.

De Coytini.

De l'Isle.

Hunaudaye. Beauueau.

Bureau.

CAROLVS VII.

sub manibus, laborabant Franci inceperántque metuere; cùm Hunaldaya & Montalbanus, quorum statio erat remotior, Britones suos è castris educunt, magnoque animo se in hostem infundunt. Noua pugnæ facies oritur,

Talbotij mors.

Angli vallo auulsi, à lateribus cæli atque à tergo, perturbantur atque permiscentur, eò magis, quod ipsi pedites equitum incursibus patebant obnoxij. In ea trepidatione Talbotius sibi semper constans, equulo vectus quando per senium pugnare manu non poterat, dum suos ad pugnam incitat, ictus minori tormento deiicitur, suoque casu militum animos sternit. Dicitur præclarissimus senex, cùm desperatam spectaret victoriam, contendisse à filio, vt se morti eriperet, spem Angliæ iuuenis ad meliora seruaret, nec morientem senem curare cui vitam inglorie ponendam in lectulo, honestè Deus patriæ causa adimeret; at verò filium tanto patre dignissimum, quem æmulari diuturna vita & laudatissima neutiquam posset, voluisse glorioßissima morte æmulari, & in patris conspectu fortissimè pugnantem, abiectâ spe vitæ cæsum esse. Sanè Talbotij mors, & fugauit Anglos, & extemplò Castillonium dedidit; atque mox Aquitaniam totam; quem vt Græci Philopœmenem, ita Angli vltimum suæ gentis dicerent, nemine Anglo post illustrem Talbotium præclarâ atque eximiâ laude, suum in Franciâ nomen consignante. Interea Comes Claromontius, Aquitaniæ Prorex, cum Fuxiensi, Albretio Santralio, atque Valpurnio, subigebat Medulos; & Fronsacum obsidione cinctum post Talbotij mortem expugnauerat; iamque vacuo Anglis Garumnâ, præter Cadillacum,

Gaillardet.

id arctius premit. Propugnabat arcem Gallardetus, turpissimus proditor, quanquam Francus, qui à Fuxiensi ad eam Regi seruandam impositus, ad Anglos defecerat, ipsique Fuxiensi necem molitus per insidias erat. Ille ergo desperatâ prorsus salute, desperatissimè pro Castro pugnabat; donec ab Anglico præsidio ad deditionem coactus, nullâ conditione, pro

Burdegala redu ta.

merito, ad Castri portam arbori appensus est. Tunc Rex in Aquitaniam venit, collectisque omnibus copiis, ad premendam Burdegalam se accingit. Visum est potius rem fame quam armis conficere. Erat classis in anchoris, quæ portum clauderet, Claromontius proximum agrum vastauerat,

Anno 1451. vel 1452.

exercitus Garumnam atque vrbes impositas obtinebat. Ita Burdegala ciuitas populosa breui ad inopiam acta est; præsidio quod quatuor Anglorum millia, Vasconum totidem constituerant, absumente cibaria, nullo facinore, ne tentato quidem. Eam ob rem appellata Regis clementia & exorata est; Anglis data libertas, Burdegalensibus immunitates detractæ, parcitum Nobilibus, viginti exceptis, quibus iussum regno exulare. Inter eos Esparrius erat, qui aliquanto post in Santonibus interceptus, dum conspirationem nouam moliretur, capite truncatus est; quod tamdiu tam iniquas res concipiebat. Et ipsi Burdegalæ frænum an compedes imponi Rex voluit, geminis Castellis hinc inde erectis, ad continendam animorum volubilitatem; alterum Ha dictum, ad occasum solis; in agros

Trompete.

proximos dominatur; alterum Tropeta, qua sidus oritur, amni imminet, portumque infrænat. Idque prudenter institutum à Rege sequentium

temporum

temporum experientia docuit. Et per eam expeditionem Angli tandem tota Gallia depulsi sunt, præter vnum Caletum, quod propemodum extra Franciæ limites positum; dolori Anglis potiùs quàm gaudio fuit, æstimantibus vnde excidissent: quibus Aquitania eadem sub Henrico Rege erepta est, quæ Henrico Rege trecentis ante annis aduenerat. CAROLVS VII.

FINIS TOMI I.

INDEX RERVM.

Numerus paginam indicat.

A

ABDERAMANVS Rex Saracenorum. 145. eius ad pugnam oratio. 146
Adulteria in domo regia. 449
Ægidius Rex Francorum. 16
Ætius quis. 9
in Africam Francorum expeditio. 545
Agaunum, & Agaunense cœnobium. 49
Alaricus pugnâ victus & cæsus. 40
Albigenses hæretici. 351
Albigensium hæresis inualescit. 370
Alemanni qui populi. 4
Alemanni in Gallia. 19
Amalbergæ ambitio regnum & Regem pessundat. 48
Amalo à Virgine occisus. 104
Ampulla sacra. 28
Anastasij Imperatoris ad Clodouæum Legatio. 41. 42
Andegauum obsessum. 260
Anglicum bellum primum. 323
Anglicum bellum secundum sub Philippo. 354
Anglicum bellum cum Eduardo primo. 434
Anglicum bellum inter Ludouicum & Henricum. 350. 353
Anglicum bellum Eduardum inter & Philippum. 466
Anglicum bellum sub Carolo VI. 565
Angli nauali prælio ab Hispanis victi. 516
Angli pulsi è Flandria. 532
Aquæ cœlitùs præbitæ. 354
Aquitania à Carolo VII. subacta. 611. 613
in Aquitania bellum sub Philippo IV. 434
Aquitani Franciam & Carolum Magnum inuadunt. 149
Aragonium bellum sub Philippo. 429. & seqq.
Arbogastes Francus. 18
Aribertus Dagoberti frater, Aquitaniæ Rex. 123. 124.
Armaniaci odiosi Parisiis, necantur. 570. & seqq.
Armoiries, siue Insignia scutaria. 328
Armorica in Gallia. 19
Armorici bello appetiti. 261
Armorici Equites. 261
Arnulphi Imperatoris mors. 295
Arnulphus & Gebertus Rhemenses Archiepiscopi. 311. 312
Artauella repulsus à Francis. 469
Artesius Comes causa belli. 466. & 467
Arturus Britannus Comestabilis. 585
Asincurtia pugna. 567
Assassinorum Rex. 405
Attila Galliam vastat. 11
Attila pugnâ victus. 13
Attrebatensis pax. 565
Auenio obsessa à Clodouæo. 35
Auenio à Martello capta. 151
Auenio capta à Ludouico VIII. 386
Auenio sedes Pontificum. 447

Aurelia

Aurelia obsessa ab Attila; & seruata. 12
Aurelianensis & Burgunda factiones. 548
Aurelianensis Regens sub Carolo VI. 552
Aurelianensis à Burgundo necatus. 554
Aurelianenses excepti Parisiis. 564
Aurelia ab Anglis obsessa. 587
Aurelianensis Puella. 589. & seqq.
Aurelianensis puellæ mors. 592

B

BAiona capta. 612
Balduinus Iuditam rapit. 270
Balduinus Flandrensis Regis Philippi tutor. 321
Balduinus fictus in Flandria. 383
Balduinus Imperator Constantinopolit. 368
Basina Childerici vxor. 18
Batildis sancta. 135
Bellum sacrum primum. 324. & seqq.
Bella instaurata inter Carolum & Anglum. 520. & seqq.
Berengarius hæreticus. 319
Berengarius Prouinciæ Comes. 394
Bernardus nepos deficit à Ludouico vincitur, & excæcatur. 214.15.16
Berta Caroli Magni vxor. 177
Blanca Regina. 367
Blanca regni Moderatrix. 387
Blanca coniuratos distrahit. 388. & vincit. 389
Blancæ obitus. 406
Bóniuensis pugna. 376. & seqq.
Boso Rex Burgundiæ. 284. & 85
Boso ducit Emengardem vxorem. 278
Boso à Ioanne Pontifice adoptatur. 280
Britanni in Armorica vincuntur à Childerico. 19
pro Britanniæ Ducatu contentio. 472 & seqq.
Britiniaca pax cum Anglo. 501
Brossij fortuna & casus. 425. 426
Brunechildis vxor Sigeberti. 69
Brunechildis Childebertum seruat. 78
Brunechildis regnat, & pellitur. 110
Brunechildis Protadium amat. 112
Brunechildis nepotes in bellum incitat. 113
Brunechildis in proneporibus regnat. 116. capitur, & necatur. 117. 118
Brunechildis tyrannis. 111
Bulgari per nefas cæsi. 127
Bullionius Rex Ierosolymæ. 327
Burdegala capitur à Clodouæo. 40
Burgundi qui, in Gallia regnum ponunt. 22
Burgundiæ multiplex diuisio. 317. 318
Burgundia sub Ioanne regno annexa. 504
Burgundici regni finis. 51
Burgundicum bellum à Clodouæo. 34

C

CAbilonis calamitas. 234
Calesium ab Eduardo obsessum, & captum. 481. & 82
Campaniæ Comites domiti. 318
Capella sancta à Ludouico condita. 411
Carolomannus & Pipinus regimen partiuntur. 159
Carolomannus Alemannos vincit. 159. fit Monachus. 160
Carolomanni Monachi obitus. 168
Caroli Martelli initia. 140
Carolus Martellus victus & victor. 141
Caroli Martelli plures victoriæ. 142 143
Caroli Martelli in Saracenos pugnaturi oratio. 146
Carolus Martellus Saracenos ad Turones vincit. 147
Carolus Martellus Legatione Gregorij

secundi honoratus. 148
Carolus Martellus Aquitaniam subigit. & Frisiam. 148. 149
Carolus Martellus Narbonem obsidet. 151. 152. capit. 153
Caroli Martelli mors. 157. & liberi.
Carolus & Carolomannus Reges. 175
Carolus Magnus in Aquitania. 176
Carolus Magnus solus Rex Franciæ. 178
Carolus primò in Saxones. 178
Carolus Magnus primò in Italia. 180
Carolus Magnus Ticinum obsidet. 181. & capit. 182
Carolus Magnus iterum in Saxones. 183
Carolus Magnus secundò in Italia. 183
Carolus Magnus in Hispania. 184
Carolus Magnus Romam venit. 188
Carolus Magnus coniuratione appetitur. 189
Carolus Magnus in Ducem Beneuentanum. 190. & in Ducem Bauariæ. ibid.
Carolus Magnus in Sclauos, Hunnos, & Hungaros. 192. 193
in Carolum Magnum secunda coniuratio. 193
Carolus Magnus dictus Imperator. 194. 195
Caroli Magni bellum in Danos. 196. 197
Caroli Magni obitus. 207. & dotes. 208. 209
Carolus Caluus Rex. 239
Carolus Caluus impetitur à Ludouico fratre. 266
Carolus Caluus regno restituitur. 267
Carolus Caluus Lotharingiam occupat, & cum Ludouico fratre diuidit. 271
Caroli Calui liberi. 272. & 273
Carolus Caluus Imperator. 274
Carolus Caluus in Italiam venit. 277. moritur. 278
Carolus Balbus Rex. 279
Caroli Balbi mors. 281
Carolus Crassus Rex, & Imperator. 287
Carolus Crassus malè habet vxorem. 289
Carolus Crassus regno & imperio priuatur. 290
Carolus simplex in Regem vnctus. 294
Carolus simplex Robertum vincit. 296. moritur in carcere. 297
Carolus IV. Pulcher Rex. 453
Caroli IV. bellum cum Anglo. 455
Caroli mors. 457
Caroli Delphini morbus. 495
Carolus V. Parisiis exceptus. 498
Caroli V. Delphini bellum cum Anglo. 500
Carolus V. sapiens Rex. 508
Caroli V. bella cum Anglo. 513. & seqq.
Caroli V. mors. 525
Carolus VI. Rex. 526
Caroli VI. bellum in Flandros. 528
Caroli VI. bellum in Anglos. 536. & seqq.
Carolus VI. regnum administrat. 542
Caroli VI. sonticus morbus. 549
Caroli VI. mors & Henrici Angli. 580. & 81.
Caroli Delphini pax cum Burgundo. 575
Carolus Delphinus Gallia expulsus. 576. & seqq.
Caroli Delphini curæ variæ. 578
Carolus VII. Franciæ Rex. 581
Caroli VII. Regis angustiæ. 583
Carolus VII. inauguratur. 591
Carolus VII. Parisios recipit. 596 598
Caroli VII. bellum instauratum in Anglos. 607. & seqq.
Carolus Lotharingus à Francis regno excluſus.

excluſus. 307
Carolus Andegauus Rex Siliciæ. 408 & ſeqq.
Caroli Siculi in Africam aduentus. 418
Caroli Nauarri mors. 541
Carolus Nauarrus Franciam vexat. 487. capitur. 488
Carolus Nauarrus liberatur. 494
Carolus Nauarrus bello vexatus. 522
Carolus I V. Imperator in Francia. 523
ad Caſſetum Philippi pugna. 463
Chereberti vxores. 67
Childebertus in Auernia. 54
Childeberti bellum in Hiſpania. 55
Childebertus ſecundò in Hiſpaniam bellum mouet. 58
Childeberti mors. 63
Childebertus in Longobardos. 89
Childebertus in Longobardos. 102
in Childebertum Coniuratio. 103.104. 103 iterum.
Childebertus in Fredegundem. 108
Childebrandus Martelli frater. 151
Childericus Rex 14. regno pellitur. 15
Childericus regno reſtituitur. 18
Childericus I I. Rex. 136. occiſus. ibid.
Chilperici vxores. 68
Chilpericus in fratres. 75
Chilperici oratio in Prætextatum. 81
Chilpericus Godinum vincit. 82
Chilpericus hæreticus, & Grammaticus. 86
Chilpericus Guntranum bello appetit. 87
Chilpericus occiſus. 90. Motus ab eius obitu. 91
Chilpericus Daniel Rex. 140
Chilpericus I I I. Rex. 157
Chramnus rebellis in patrem 61. 63. 64
Chriſtianiſſimi Reges. 29
Clemens V. Pontifex. 446
Cliſſonius captus & liberatus à Britanno. 539
Cliſſonius malè habitus à pereuſoribus. 546
Clodio Rex VII. Comatus dictus: bellum in Turingia. Galliam inuadit; & regnum inſtituit. 8
Clodio ab Ætio vincitur. 10. hæret in Gallia. 10
Clodoaldus ſanctus ſeruatur à cæde 52
Clodomirus occiſus. 50
Clodomiri liberi necantur à patruis. 51
Clodouæus Rex 20. Siagrium vincit. 21. vrceum ſacrum reſtituit, & militem punit. 21
Clodouæus Turingos vincit. 23
Clodouæus ab Alemannis impugnatus, & propemodùm victus. 25
Clædouæus fit Chriſtianus. 26. 27
Clodouæi ſorores. 28
Clodouæus bello appetit Alaricum. 36. 37. 38.
Clodouæus Aquitaniam ſubigit. 40
Clodouæus Equum offert S. Martino 41
Clodouæus Arelate pulſus. 42
Clodouæus morbo ſanatus. 43
Clodouæus Coloniam occupat. 43
Clodouæus ſæuus in Principes affines. 44. 45
Clodouæi bellum alterum in Theodoricum. 45.46
Clodouæi mors. 46
Clodouæi quatuor filij regnum partiuntur. 47
Clodouæus I I. Rex 131. turbatur in Auſtraſia. 133
Clodouæus I I. ſacra vaſa aufert. 134
Clodouæus I I I. & Childebertus I I I. Reges. 139
Clodouæus Chilperici filius in Aquitania vincitur. 82.83

Clotarius appetitus insidiis. 53
Clotarius bello vexatus à fratre & nepote. 57
Clotarij bellum in Saxones. 61. ab iis vincitur. 62
Clotarij mors. 64
Clotarij filij simul regnant. 67
Clotarij in cunis victoria. 109. mox vincitur. 110
Clotarius iterum victus à Theoderico 112
Clotarius ab Aletheo turbatus. 118. Tributum Longobardis remittit. ibid.
Clotarius I I. Monarcha Franciæ. 118
Clotildis quæ, & à quibus nata. 23
Clotildis nupta Clodouæo. 24. filios Regi & Deo parit. ibid.
Clotildis filia Gotho nupta. 55
à fratre recipitur. 56
Clotildis pugnam inter filios discutit. 57
Clotarij audax facinus. 122. & mors. ibid.
Clotarius I I I. Rex. 135
Cometa sub Ludouico Pio. 236
Comitis Parisiensis dignitas. 311
Concilium Lugdunense secundum. 422
Constantia Roberti vxor. 312
Constantia Regina regnum turbat. 317
Constantinopolis capta ab Europæis. 369
Conuenarum obsidio. 95.96
ad Coquerellum pugna. 508
ad Cortracum clades. 440
Cressiaca pugna. 478. & 79
Cyprium regnum à Ricardo conditum. 359

D

DAgoberti regnum. 122. proba initia, in malum conuersa. 123
Dagobertus præceptorem malè afficit. 122. Rex Austrasiæ. 123
Dagobertus contendit cum Patre. 123. in Saxones bellat. 124
Dagoberti bellum in Sclauos. 126. 127
Dagobertus Hispanis opitulatur. 128
Dagobertus in Vascones. 129
Dagoberti mutati pia oratio. 130. Testamentum, & mors. ibid.
Dagobertus tertius, passim incognitus. 134
Dagobertus I I. Rex. 139
Damascus à Christianis obsessa. 345
Damiata à Ludouico capta. 397
Delphinatus Franciæ donatus. 485
Desiderius Longobardus Adrianum vexat. 179
Dei potentia. 64
Deuteria pulsa post necatam filiam. 59
Dieppa seruata à Ludouico Delphino. 605
S. Dionysij reliquiæ inuentæ. 122
Duces & Comites in Francia. 311

E

EBroinus Magister Palatij. 135. 136. 137. vincit Austrasios, occiditur. 137
Eduardus cliens Philippi Valesij. 465
Eduardus se Regem Franciæ dicit. 470
Eduardus bellum instaurat. 474
Eduardus Normanniam vastat. 476
Eduardus ad Lutetiam. 477
Eduardi patris & filij facinus. 479
Eleonora nubit Angliæ Regi. 348
Eligius apud Britones. 129
Episcopi damnati sub Ludouico Pio. 235
Eudo Aquitanus quis fuerit. 141. 142
Eudo Rex eligitur. 291
Eudo Carolum pellit. 294. & Zuentibolcium. 295. moritur. ibid.
Eudo Valgarium vincit. 293
Eugenius Papa, & alia. 600

F

in Flandria bellum. 437. 439
Flandrense bellum sub Philippo. 373
Franciæ fines & nomen. 4
Francia misera sub Carolo Caluo. 266
Francia miserè vexata sub Carolo V I. 572. & seqq.
Franciæ calamitas sub Carolo V I I. 592
Franci, qui, & vnde orti. 3. 4
Francorum veterum gesta. 4. 5
Francorum arma & mores. 8. 9
Franci contra Mauros. 324
Franci Angliam inuadunt. 373
Francorum in Ægypto vitia. 400
Franci victi pugna Nauali. 470
Fredegundis Chilperici vxor. 68. 69
Fredegundis pœnitentia. 84. recidit in peccata. 85
Fredegundis Clodouæum priuignum vexat. 85. 86
Fredegundis expulsa, plura molitur. 97. & patrat. 98
Fulco Martellus. 317
Furnensis pugna sub Philippo IV. 436
Fuxiensis Comes sub Philippo. 421

G

Gallia antiqua. 2. 3
Galsuinta occisa. 69
Gasto Phebus Fuxiensis. 543
Genouefa sancta. 20
Genua in Francos insurgit. 558
Gisortium in Normannia belli causa. 332. 333
Gogo occisus à Brunechilde. 69
Goslinus Abbas Franciam conturbat. 282. 83
Gothi qui? 30
Grauellana pugna, & ad Creuantum. 582
Gregorius Papa Martellum implorat. 156
Grifo mouet in fratres, Martelli filios. 158
Grimoaldus sibi Austrasiam vindicat. 133
Gundoaldus se Regem renunciat; sors, & calamitas. 93. 94. 95
Guesclinus in Hispania. 511
Guesclini facinora. 515
Guesclini mors. 524
Guillelmus Dux Normanniæ occisus. 300
Guillelmus Angliæ Rex. 322
Guillelmus Eleonoræ pater. 338
Gundebadus Godegisilum occidit. 36
Guntrani vxores. 67
Guntranus Childebertum nepotem adoptat. 83
Guntranus tutor Clotarij infantis. 91. à Childeberto abscedit. 92
Guntrani ad Duces victos oratio. 100
Guntranus in Britannos. 105
Guntrani bellum malè gestum in Septimania. 98. 99. 101
Guntrani obitus, & mores. 106

H

Halecum pugna. 588
Henricus I. Rex Franciæ. 316
Henrici Angliæ regis mors. 355
Henricus I I I. Rex Angliæ. 382
Henrici Angli pietas. 566
Heriberti proditoris mors. 299
Hermanfredus occisus. 52
Hermenigildi & Ingundis fortuna varia. 88
Hilarius sanctus fauet Clodouæo. 39
Hincmarus turbarum causa. 269
Honorij Imperium. 5
Hugo capetius Rex 311. Robertum filium sibi adiungit. ibid.
Hugo Lotharingus regnum turbat. 288
Hugonis Magni mors. 303
Hugonis Capetij mors. 312

Hungarorum sub Transmarino irruptio. 298
Hungarica expeditio. 551
Hunni qui. 11
Hunni bello petuntur à Ludouico Pio. 218. 219

I

IAqueria Rusticorum tumultus. 496
Ierosolyma capta à Bulionio. 327
Inculisma per miraculum capta. 41
Innocentius Pontifex in Franciam venit. 338
Ioanna Regina Nauarræ. 424
Ioanna Nauarræ Regina. 449
Ioannes Rex. 486
Ioannis Regis fortitudo, & captiuitas. 492
Ioannis Regis libertas. 503
Ioannis itinera, & mors. 505
Ioannes Pontifex in Franciam venit. 280
Ioannes Rex Angliæ. 366
Ioannes Anglus à Ludouico victus. 378
Ioannes Burgundus patri succedit. 553
Ioannes Burgundus exceptus Parisiis. 556
Ioannes Burgundus exclusus Parisiis. 568
Ioannes Burgundus cæsus à Delphino. 576
Isabella Caroli V I. vxor. 535
Isabella Regina vindex iniuriarum. 570
Iudæi pulsi. 352
Iudith Francica. 104

L

LAncastrius in Aquitania victor. 481
Lemouicum captum & euersum. 516
Leodegarius sanctus. 135. 137
Leonis oratio de Carolo Magno. 195.
Lilia Francica. 29
Longobardi qui. 71
Longobardici regni finis. 182
Lotharingia Ludouico Germano tradita. 282
Lotarij Imperatoris pugna prospera. 234
Lotarius Romam vexat. 235
Lotarius Imperator bellum intentat Carolo. 239
Lotarius Imperator admissus in Galliæ partem. 242
Lotarij Imperatoris pius finis. 245
Lotarius iunior, & Valdrada pellex 250. & seqq. mors eiusdem. 252
Ludouicus Pius Vascones subigit; & Catalaunos. 198. 199
Ludouici bella in Catalaunia. 200. 201 202
Ludouicus Caroli Magni filius, fratribus superstes. 206
Ludouicus Pius Rex & Imperator. 210
Ludouicus Pius Danos impetit. 210. Hispanos iuuat, & Romam pacat. 211
Ludouicus Pius Episcopos reformat. 212
Ludouicus Pius coronat filios. 213. motus varij. 213
Ludouici propter Bernardum pœnitentia. 216
Ludouicus motibus pluribus vexatur. 216. 217
Ludouici Pij nuptiæ secundæ cum Iudita. 217
Ludouici Pij bella, in Danos, Vascones, Mauros. 220. 221
Lotarius I. Imperator 223. Romam venit. ibid.
Coniurant in Ludouicum filij. 224. & seqq.
Ludouicus rebelles disiicit. 226
Ludouici Pij in Coniuratos clementia. 228

Ludouici captiuitas, & exauctoratio. 230. & seqq.
Ludouicus Pius Imperio restitutus. 233
Ludouicus Pius moritur. 238
Ludouicus Iunior Imperator. 243
Ludouicus Iunior Saracenos vincit. 245. 247
Ludouicus & Carolomannus Reges. 281. 283
Ludouici & Carolomanni Regum bella varia. 284
Ludouicus Rex in Normannos. 285
Ludouici & Carolomanni obitus. 286. 287
Ludouicus Transmarinus Rex. 297
Ludouicus Transmarinus in Hugonem mouet. 301. moritur. 302
Lotarius Rex 303. Othonem pellit. 305. moritur. 306
Ludouicus Ignauus Rex. 306. moritur. 307
Ludouicus Crassus Aureliæ inauguratur. 330
Ludouici Crassi primæ expeditiones. 330
Ludouicus Crassus bello Anglos impetit. 331
Ludouicus Crassus ab Anglo victus. Pacem init. 333
Ludouici Crassi bellum secundum in Anglos. 334. 335
Ludouicus Crassus in Flandria. 335. & in Aruernia. 336
Ludouici Crassi mors. 338
Ludouicus Iunior, nomine VII. Rex 338. 339
Ludouicus VII. Eleonoram ducit. 338
Ludouicus VII. turbatur cum Pontifice. 339
Ludouicus VII. proficiscitur in Palestinam. 340. & seqq.
Ludouici pugna ad Mæandrum. 342. 343
Ludouicus VII. Antiochiam venit. 344
Ludouicus VII. Eleonoram dimittit. 347
Ludouicus VIII. iter in Angliam parat. 379
Ludouicus VIII. in Anglia. 381. 383
Ludouicus VIII. Rex. 383
Ludouici VIII. bellum in Anglos. 384
Ludouicus VIII. in Albigenses. 385
Ludouicus VIII. moritur. 386
Ludouicus Sanctus Rex. 387
Ludouici bellum cum Marchiæ Comite. 391
Ludouicus Sanctus Margaritam vxorem ducit. 391
Ludouici Regis Sanctitas. 395
Ludouicus Sanctus in Cyprum venit. 396
Ludouicus Sanctus pugnat & capitur. 401. 402
Ludouici Sancti constantia, & aliæ virtutes. 403
Ludouicus liber, perstat in Syria. 404
Ludouicus Sanctus Flandriam pacat. 407. pax cum Anglo. ibid.
Ludouici Sancti pietas summa. 408 410. 411
Ludouici Sancti bellum in Africa. 414. 415
Ludouici Sancti morbus. 416. & mors. 417
Ludouicus Hutinus Rex. 450
Ludouici bellum in Flandros. 451
Ludouici & Basilij Imperatorum literæ. 248. & offensiones. 249
Ludouicus Germaniæ Rex rebellat. 238
Ludouici Germani mors, & liberi. 275. bella. 276
Ludouici Delphini mors. 569
Ludouici Delphini varia bella. 606
Ludouicus Rex Nauarræ. 449
Ludouici Andegauensis mors. 534

Magistro

M

Magistrorum Palatij auctoritas. 138
Malandrini. 512
Margarita Damiatam seruat. 402
Marinij fatum & casus. 449. & 50
ad Matlaram pugna. 398. & seqq.
Mauclerus Dux Britanniæ. 391
Medici à Guntrano necati. 68
Merouæus Rex. 10
Merouæus Parisios capit. 14
Merouæus Chilperici filius. 79. se ipsum interimit. 80
Ministri Regum opibus pleni. 61
Miracula varia in bello Gothico. 38. 39
Monfortia Amazon. 473
Monfortius in Albigenses. 371. vincit ad Murellum. 372
Monfortius Dux Britanniæ. 510
Monfortius Dux è Britannia pulsus. 519
Monspelij pœna. 522
Montacutus damnatus. 560
Mundericus dolo cæsus. 54
Mummulus Longobardos vincit. 72. & 73. & Saxones. 73
Mummuli palmæ, & mors. 74

N

Nantildis Clodouæi mater. 131. mors. 132
Nauarræ regnum conditum. 222
Nauarræ regnum, ad Campanos delatum. 423
Clades in Nauarra. 453
Naufragium Principum Angliæ. 334
Nesslius Comestabilis. 431
Normanni in Franciam. 256. & 57
Normannia Normannis concessa. 258
Normanni Parisios obsident. 288. & 89
Normanni Henricum occidunt ad Parisios. 289
Normannorum irruptio sub Eudone. 292. vincuntur. 293
Normanni in Italia. 319. 320
Normannia ab Anglis occupata. 573
Normannia à Carolo VII. expugnata. 609

O

Odoacer. 32
Ordines Religiosi varij. 328
Otho Imperator & socijs in Philippum. 374

P

Palæstinæ calamitas. 353
Parisij incenduntur. 104. iterum.
Parisiis tumultus sub Philippo IV. 439
Parisiensium tumultus, Ioanne captiuo. 493. & seqq.
Parisiensis seditio sub Carolo VI. 527
Parisienses Malleatores. 531. pœna. 532
Parisiensium seditio sub Carolo VI. 563
Parlamentum Pipinus instituit. 172
Parlamenti Parisiensis institutio. 433
Parthenius occisus. 60
Pastorum tumultus in Francia. 406
Petrus Cunerius contra Ecclesiasticos. 464
Pharamundus Rex Francorum. 6. 7. an Rhenum transierit, an Salicas leges instituerit. 7
Philippus I. Rex. 321
Philippus victus in Flandria. 322
Philippus Rex excommunicatur. 328
Philippus Ludouici filius moritur. 337
Philippus Augustus Rex, nomine II. 352
Philippus vouet sacrum bellum. 354
Philippus in Palæstinam contendit. 355. & seqq.

Philippi & Ricardi discordia. 356
Philippi & Ricardi gesta varia. 357. & dissensio. 358
Philippi aduentus in Franciam. 358
Philippus vxorem dimittit; hinc turbæ. 361
Philippi III. bellum cum Ricardo. 362
Philippi infortunia, fortitudo. 362. 363
Philippi in Ioannem bella. 366. 367
Philippus Normanniam subigit. 368
Philippus Pictones occupat. 372
Philippus se ad pugnam comparat. 375. 376
Philippus III. dictus Audax, Rex. 418
Philippi Regis pax cum Tunetano. 419
Philippi Regis infaustus reditus. 420
Philippus Audax bellum in Hispanos suscipit. 424. & 25
Philippi Regis reditus, & mors. 432. & 33
Philippus IV. Pulcher Rex. 433
Philippus IV. in Bonifacium Pontificem accensus. 437
Philippi Regis cum Bonifacio controuersia. 442. & seqq.
Philippi Pulcri bellum III. in Flandros. 444
Philippi Pulcri mors. 450
Philippus V. Longus, Rex 452. moritur. 453
Philippus Valesius VI. Rex. 460
Philippi & Eduardi de regno contentio. 461
Philippus Valesius multos Proceres necat. 474
Philippi Valesij clementia. 480
Philippus Valesius Blancam ducit. 485. moritur. 486
Philippus Burgundus Regens. 550
Pictauium miraculo seruatum. 368
Pictauiensis pugna. 489. & seqq.
Pipinus maior Franciam regit. 138
Pipini maioris victoriæ, & liberi. 139. mors. 140
Pipinus in Grifonem. 161
Pipinus ad regnum se comparat. 162
Pipini oratio pro regno ad se transferendo. 163
Pipinus Rex inauguratur. 164
Pipinus miraculo seruatus. 166
Pipini prima in Italiam expeditio. 167
Pipinus secundò imploratur à Stephano. 169. 170. 171
Pipinus audit Legatos Constantini. 171
Pipinus Aistulphum vincit. 172
Pipinus in Saxones. 174
Pipinus in Gaiferum. 174. Pipini mors. 175
Pipinus in Ludouicum patrem coniurat. 228
Pipini iunioris mors; vnde nouæ turbæ. 237
Pipini iunioris fors varia. 264
Plectrudis Pipini vxor. 140
Portugalliæ regnum inceptum. 324
Pragueria conspiratio. 602. & seqq.
Prætextatus accusatur à Chilperico. 80. damnatur. 81
Prodigia ante exauctoratum Ludouicum. 224
Protadius amatus à Brunechilde. 112 occiditur. 113
Pugna Fonteniaca. 240

R

RAdegundis sancta. 55
Recaredus Hispaniæ Rex, cum Guntrano bellum gerit. 101
Regum posteriorum primæ Stirpis status. 165
Rheni & Danubij iunctio. 194
Ricardus Dux Normanniæ. 300. 303
Ricardus Rex Angliæ cæsus. 551
Ricardi fortuna varia. 359
Ricardi mors. 363

Ricimer. 31
Rieusius Mareſcallus. 601
Riguntis Recaredo nubit. 89
Robertus fortis. 259
Roberti Regis dotes. 311
Robertus regnat. 312
Robertus Rex Burgundiam recipit. 313
Roberti colloquium & pax cum Henrico Imperatore. 314. 315
Robertus malè habetur ab Hugone filio. 315. & ab Henrico. ibid.
Roberti mors, hymni, religio. 316
Rodulphus Burgundus regnum inuadit. 297
Rollo primus Dux Normanniæ. 296
Romanum Imperium ſub Valentiniano iuniore. 16
Romani Imperij finis. 31
Rouceuallis clades. 185
Roſebeccæ pugna. 529
Rupella capta à Ludouico VIII. 385
Rupellenſium fides. 503
Rupella capta à Carolo V. 518
Ruſticus Pſeudo-Chriſtus. 105

S

SAmo Rex Sclauorum. 126. 128
Saraceni qui cur in Franciam. 144
Saraceni occupant Auenionem. 151
Saracenorum tertia irruptio in Franciam. 153
Saraceni inuadunt Italiam. 243
Saxonica bella. 186. 187
Schiſma Vrbanum inter & Clementem. 533
Sclaui qui. 126
Septimania quæ, & vnde. 99
Sigebertus Princeps Coloniæ. 19
Sigeberti bella in Hunnos. 70. & in Chilpericum. 70
Sigebertus Arelaten capit. 74. 75. in fratres. 76. ſeditio. 77. necatur. 78
Sigebertus Auſtraſiæ Rex. 128
Sigeberti pietas. 134
Sigericus à Sigiſmundo occiſus. 49
Sigiſmundus Burgundiæ Rex, bello appetitur. 48. 49
Sigiſmundus capitur. 49. Sanctus. 50. cæſus. 50
Sigiſmundus Imperator exceptus Pariſiis. 569
Stephanus Pontifex Pipinum implorat. 166. in Franciam venit.
Stephanus V. in Franciam venit. 212

T

TAlbotij mors. 614
Taleburgum expugnatum à Ludouico V. 393
Tarduenus, prædones in Francia. 503
Taſſilo Bauariæ Dux. 162
Taſſilo iurat hominium Pipino. 173
Taſſilo victus à Carolo Magno. 190. 191
Taureduni caſtri ruina. 71
Templariorum deſtructio. 447
Templum à Flammis ſeruatum. 183
Teſtanerius prædo. 524
Theodeberti æquitas. 55
Theodebertus bello appetitur. 56
Theodeberti bellum in Italia. 59. 60
Theodeberti mors. 60
Theodebertus Chilperici filius. 76. occiſus. 76
Theodebertus iunioris liberi. 116
Thedoricus Rex Gothorum. 32
Theodoricus impetit Gothicum bellum. 33
Theodoricus primus Rex Franciæ. 47. Danos repellit. 47. bellum in Thuringos mouet. 48
Theodoricus iunior vxorem ducit. 113. fratrem bello appetit, vincit, & necat. 114. 115. Theodorici mors.
Teodoricus III. Rex. 136
Theodualdi mors. 61. Eius Apologus. 61
Theſaurus in Apulia inuentus. 321

S. Thomas

S.Thomas Cantuarienſis. 350
Thuringi vincuntur. 52. 53
Tolbiaca pugna. 25. 26
Toloſaticum bellum. 348
Tornatium Captum. 518
Tornacum obſeſſum ab Anglis. 470
Trimollius Carolo VII. charus. 593
Tunetum obſeſſum à Sancto Ludouico. 415
Turci qui. 325

V

VAleſius in Italia. 438
Varnerius Brunechildem tradit Clotario. 118
Vaſcones ſpurij. 456
Vaſcones ab Anglo deficiunt. 513
Veneti bello petuntur à Pipino. 206
Venilo proditor. 268
Veſperæ Siculæ. 427. & ſeqq.
ad Vernolium pugna. 583
Victoriæ Abbatia. 379
Sanctus Vincentius liberat Cæſaraugustam. 58
Virodunum receptum à Clodouæo. 34
Viomadus Regi Childerico fidus. 15.
Ægidium oppugnat. 17
Viſigothi. 31
Vitichindi conuerſio. 187
Vrſandi Armorici facinora. 263

FINIS TOMI PRIMI.

IOANNIS DE BVSSIERES BELLIIOCENSIS, è Societate Iesv;

HISTORIÆ FRANCICÆ

TOMVS SECVNDVS.

LVGDVNI,
Sumpt. LAVR. ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXI.
CVM PRIVILEGIIS.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XIII.

SYNOPSIS.

Xanton Quæstor pœna affectus. Iacobus Cor Bituricensis. Armaniacus pulsus. Delphinus ad Burgundum fugit. Alensonius proditionis damnatur. Caroli Regis morbus & mors. Mariæ Reginæ encomium; Et Arturi Comestabilis. Ludouicus XI. Rex. Philippi Burgundi ad Ludouicum oratio. Ludouicus omnia immutat. Perpinianum emit. Rex arbiter Regum Hispaniæ. Regis cum Castellæ Rege colloquium. Picardiæ vrbes restitutæ Regi. Discordia Regem inter & Carolesium. Moruillerij ad Philippum legatio. Legatio ad Britanniæ Ducem. Coniuratio Procerum in Regem. Ducis Aurelianensis mors. Bellum pro Bono publico. Pugna ad montem Erycum. Fœderati Parisios obsident. Pax inter Regem & fœderatos. Rex inter fœderatos discordiam serit. Regis artes ad stabiliendam potentiam. Rex fratrem Carolum è Normannia pellit. Carolesius Dinantium capit. Philippi Burgundi mors. Parisij instaurati ciuibus. Pragmatica sanctio conseruata. Bellum à Britanno. Rex

Peronæ periclitatur. Regis anxietas. Rex ducitur in Leodienſes. Leodium capitur. Rex Aquitaniam fratri donat. Ordo S. Michaëlis inſtituitur. Balua Cardinalis à Rege plectitur. Rex bellum infert Burgundo. Burgundus ſe periculo eripit. Arcana Regis in Proceres conſilia. Caroli Ducis mors. Rex Aquitaniâ receptâ, mouet in Britannum. Burgundus Picardiam vexat. Bellouacum ſeruatum per fœminas. Comminæus ad Regem tranſit. Alenſonij pœna; Et Armaniaci. Bellum pro Ruſcinone. Andegaui occupati. Rex de Comeſtabile deliberat. Varia Burgundi conſilia. Rex occurrit Burgundi conſiliis. Comeſtabilis fraudes. Eduardus in Franciam venit. Eduardus pacem admittit. Comeſtabilis pœna & mors. Burgundus ab Heluetiis vincitur. Prouincia Phocenſis Regi data. Nemurſius pœna affectus. Burgundi ſecunda clades. Burgundi ad Nancæium cædes. Alphonſus Portugalliæ Rex in Francia. Regis conſilia poſt Burgundi mortem. Rex inuadit ditiones Burgundi. Gandauenſes Mariæ vim inferunt. Maria nubit Maximiliano. Eduardus à bello prohibitus. Curſores veredarij inſtituti. Bellum cum Maximiliano. Pugna ad Guenegaſtam. Regis prima ægritudo. Principum mortes variæ Gaſtonis Phœbi mors. Peſtis atrox. Regis morbus extremus. Regis mors & dotes. Carolus VIII. Rex. Coniuratio pro regimine. Domeſtici Ludouici vocati in pœnam. Bellum in Britannia. Rieuſius res Britannicas ſubleuat. Pugna ad fanum Albini.

I.

CAROLVS VII.

Xanton Quæſtor pœna affectus.

Iacques Cœur.

EXPEDITVM Carolum externo bello domeſticæ turbæ implicuerunt. Et primùm duo Quæſtores in quæſtionem vocati: Alter Xantonus ſummus ærarij Præfectus, ob peculatum ad furcas damnatus, ſupplicium præſenti redemit pecunia, centum viginti millibus nummûm perſolutis, peruerſo iudicio; quid enim reus tam leui pœna afficeretur, vel tam graui innocens? Alter Iacobus Cor priuatus Regis Quæſtor, moleſtius ſupplicium luit. Ille ortu Bituricenſis, ſagaci & fœlici induſtria immẽſas opes collegerat, à Rege

in

in Quæstorẽ lectus difficillimis regni temporibus, vt Regem sua iuuaret pecunia, potius Regiam quàm vt dispenderet; in inuidiam propter diuitias vocatus, de nouo crimine postulatur, quod prohibitarũ rerum institor Sultano Ægyptio nitratum puluerem & igniarias machinas vendidisset; quod seruum Christianum fugitiuum à barbaris, ad eosdem remisisset; addebatur appendix peculatus crimen; eásque ob causas Pictauij in carcerem trusus, in eum sententiâ iudicum damnatur perpetuum, facultatibus fisco addictis, quæ procellam tam atrocem adduxerant. Nicolaus Pontifex, cui Iacobus notissimus erat, pro salute eius & libertate precatus, vtramque perfecit: nec ipse liber suæ fœlicitati, aut industriæ defuit. Nam in Cyprum profectus, & instituta mercatura, cuius callebat artem eximiè, breui pecuniam plurimam cumulauit, & noua dignitate primam ignominiam extinguente, Christianum exercitum à Pontifice dictus Imperator duxit in Saracenos, & egregiam nauauit operam. Iacobus eius filius ad Insulas Bituricenses promotus est; tanto munere piè, liberaliter, & religiosè perfunctus. Verùm ea Regi leuior cura; Delphini mores longè grauiori molestiæ erant. Porro Armaniacus Comes de Delphino cogitationem aliquantisper amouit. Ille bello Aquitanico re præclarè gesta, & de Carolo haud dubiè perbenè meritus, gratiam & beneficia in flagitia noua detorquebat; primam supremi dominij amentiam instaurans, ius Regium in Ecclesiæ beneficia vsurpabat, dixerátque Præsulem Augustæ Auscíorum, eo quem Rex designauerat repudiato; præterea ingenti proborum offensione sororem habebat pro coniuge, legésque naturæ turpissimè violabat. Ideò læsæ maiestatis tam diuinæ quàm humanæ reus, & Pontifice apud Regem de incestu nefario expostulante, postquam admonitiones amicas contempsit, illicò gemino exercitu imparatus obruitur; quorum alter per Rutenos; alter per ipsos Armaniacos penetrans, ditionem subigit, & dictum à Rege præsulem imponit Auscíis. Comes in Aragoniam profugus, imminenti periculo caput eripit. Tum ad Delphinum curas & animum Rex prorsus intendit. Is antequam bellum in Anglos repeteretur, à Rege erat iussus in menses quatuor aulâ abesse. Causa variè scribitur; vel quod Agneti colaphum impegisset; vel quod Chabannio necem cuiusdam Aulici imperasset, quam recusasset is vt ignauum facinus exequi: sanè cùm è patris cubiculo nudo capite, iráque feruidus prodiret, minatus est, per suum illud denudatum caput, vlturum se iniuriam in eos à quibus de suis laribus pelleretur, & continuò in Delphinatum secessit. Mox Anglico bello inflammato, adeò cum patre consilia non communicauit, vt cum Duce Sabaudiæ ipsi perinfenso fœdus arctius strinxerit, desponsâ etiam Carolâ illius filiâ; ducebatque exercitum in Sabaudiam Carolus, iamque ad Forisienses peruenerat, cum intercedente Etoteuilla Cardinale, Sabaudus in gratiam admissus est, & copiæ in Aquitaniam rebellantem missæ. Bello patrato non cessabat Delphinus molestiam patri multam facessere, aulam, Regiámque familiam arcanis consiliis conturbando; vt Rex in suspiciones longe pronior, iam fidem haberet nemini, sibíque in momenta vel venenum præbitum, vel illatum veneficium crederet. Duo nuper in suspicionem, atque adeò in

CAROLVS VII.

Armaniacus, pulsus.

Auchs.

Delphinus ad Burgundum fugit.

CAROLVS VII.

pœnam vocati, quasi Regis animum allicere philtris contendissent; Otho Castellanus, Florentiæ natus, qui mancipatus est carceri perpetuo; & Guillelmus Gouferius cubiculo Regio Præfectus, qui Aula pulsus est. Accesserunt querelæ, postulantium Delphini iniurias à quo immoderatis tributis premebantur. Eas ob causas Rex iræ impotens, Antonium Chabannium, Dammartini Comitem, iubet ad Delphinum ire, eúmque perducere, ad se, quâ vi, quâ gratia. Delphinus ea de re à Montalbano admonitus, pridie quam aduenirет Chabannius, simulans venationem, & venatoribus in designatum locum præmissis, ipse opposita via paucis stipantibus in Comitatum Burgundiæ quàm ocyssimè fugit, persequenti Chabannio vix elapsus. Præmissi extemplò à Burgundo Proceres, cum in Flandriam deduxerunt, ab ipso mox Duce perhonorificè exceptum. At Rex indignatus prædam effugisse, misso nuntio contumacem filium à Burgundo reposcit, qui se cùm excusaret, ad ciuile bellum res vergebat, nisi Carolus prudentia vindictam temperans, maluisset inultam filij contumaciam, quàm nouo atque difficili bello, regnum cui esset pater inuoluere. Etenim ceu futuri præsagus Burgundum monuit, quòd canem aleret, qui vultum ipsi aliquando laniaret; siue vt ab aliis scribitur, quòd vulpem pasceret, voraturam olim ipsius gallinas: & Delphini indoles impleuit vaticinium. Interea agebat Genepi, quam villam ipsi Burgundus tradiderat; nec se eò mouit, donec pater è vitâ excessit; mutuis offensionibus per absentiam auctis, & naturam, Aulicorum arte offocante; quorum intererat dissentiones ali perpetuas.

De Chabannes.

Anno 1456.

II. *Alensonius proditionis damnatur.*

At Regis animum nouus terror, noua iniuria implicabant. Dux Alensonius ob proditionem cum Anglo initam accusatus, & dignitate personæ, & sceleris grauitate percellebat omnium mentes. Ille Par Franciæ, atque è regio sanguine, multis in Anglos insignis facinoribus, cum Parisios ad Regem veniisset, solemni Christi Corporis festo, à Dunense apprehensus est, & in custodiam datus. Continuò crimina obiiciuntur; quod filio suo, Ducis Eboracensis filiæ nuptias comparasset, cum eo arcana iniuisset consilia, imò cum Rege, quem in Normanniam euocaret, pollicitus suas opes, vrbes atque potentiam adiuncturum. Et hæc quidem palam; at Regis odium diuturno igne in eum flagrabat; iam olim Alensonius in Delphinum propensior, quem & de sacro fonte susceperat, & defensione perpetua apud Regem in Aulicos tuebatur, Regis animum exacerbauerat; & putabatur consiliorum Delphini vel author vel particeps. Excitabatur præterea memoria Pragueriæ, & petulantis responsi, quo is Regem perculerat. Id causæ adscribebant plures, crimen prætextui. Verùm probationes plenæ in speciem erant atque manifestæ, eius litteræ ad Regem Angliæ, & Eboracensem; tum Regis responsa, sigillo munita; ad hoc multi testes, qui coarguebant negantem. Ille ad calumniam ficta hæc omnia reponebat; testes falsos, & mendaces, confictas litteras & adulteratas; vt Pares Franciæ Vindocinum conuocati, ad rem iudicandam, dubij hærerent, nec quid pronuntiandum foret dignoscerent. Cùm reus repente, vel conscientia scelerum, vel spe Regis placandi, vltrò fatetur collatum

tum crimen, & ad mortem damnatur à Paribus, bonis fiſco adſcriptis: At Rex mortis pœnam in carcerem perpetuum commutauit, vel parcente clementia, vel vltione contenta; damnatúmque Lochias duci iuſſit operiturum, donec Delphinus regno inuehatur. Interea Regi nec tranquillus animus erat, nec deceſſerant ſuſpiciones conceptæ; ſibi omnia infenſa atque contraria cogitatione fingebat; filium inimicum, poſitas vitæ inſidias, toxicum præbitum, tentata veneficia, nihil non triſti mentem agitante. Mœrorem & dolorem auxit, tum Delphini contemptus, qui patre inuito Carolam Sabaudi filiam ante deſponſam in coniugem duxit, tum à Duce Burgundo illata contumelia; qui in ſolemni conuentu Procerum ad celebritatem velleris aurei, Alenſonium palam innocentem pronuntiauit, iniquè & per calumniam crimen impoſitum, admiſitque Vicarium Equitem eius loco. Quas ob res, increſcente angore febri lenta corripitur Magduni, quod tenue eſt in Biturigibus oppidum; moxque ſuſpicionibus recrudeſcentibus, cùm etiam prætorianæ cohortis centurio, cui fidebat plurimùm, ſe quidpiam de veneno ſubodoratum referret; non dubius quin toxicum ſibi comparatum eſſet, ſtatuit ab alimento omni abſtinere, egítque octiduum, nullo cibo, ne iuſculo quidem ſumpto. Tandem medicis, & Confeſſario inſtantibus, vt quid cibi caperet, nullum venenum præſentius eſſe quàm abſtinentiam, iam confici mortem metu mortis, ipsúmque ſuæ mortis reum grauiter in diuinas atque humanas leges delinquere; ægrè perſuaſus alimenta ſibi præberi patitur. Verùm induratis atque occluſis diuturna inedia faucibus, nihil prorſus haurire valuit; ideo ſe ad mortem Chriſtianè obeundam comparat, exceptíſque piè Sacramentis, animam tranquillius egit quàm vixerat; vitæ anno quinquageſimo nono; peremptor innoxius, & ſpecimen ingens noſtræ miſeriæ; Rex omnium potens, in tanta copia fame abſumptus. Continuò domeſtici cum Aulicorum turba defluxerunt, partim ad Delphinum, partim ad priuatas ædes feſtinantes. Vnus Taneguyus Caſtellius, prioris illius quem celebrauimus nepos, grato in Principem ſuum animo, curauit mortui funus, & impendit de ſuo quinquaginta librarum millia ſpe nulla reſtitutionis; tum amicitiæ poſtquam fecit ſatis, gnarus hoc facto quàm parum placuiſſet Delphino, ſeceſſit in Britanniam. Ita Carolus è viuis raptus eſt, ſuis vitiis clarus atque virtutibus: nam ab prima ætate in alienum ductum procliuior, ſe mancipabat nimiùm Aulicis, ac plerumque res publicas in diſcrimen graue immiſit, alienâ pertinaciâ & temeritate; tum deinde Agneti, cæteríſque mulierculis addixit animum, vt vix vnquam planè ſui imperij compos, ab infirmiſſimis tum ætate tum ſexu regi ſe paſſus ſit. Attamen plura iſtos nævos expungunt, morum mira ſuauitas, & indefeſſa clementia; ſincera pietas & religionis cultus ingenuus, fortitudo & generoſitas militaris, amor in populum, diſciplinæ caſtrenſis cura & ſtudium, illibata integritas, & definita æquo ambitio. Quid, quod delectus diuino conſilio ad eas res perficiendas, quæ humanum conſilium, imo ſpem ſuperent, non modò calamitates auertit à Francia, ſed Anglis expulſis, in eum gloriæ euexit apicem, quem per Carolum magnum adepta non erat; & puto eum plurimi facere æquum eſt, quem tanti Deus fecit,

CAROLVS VII.

Anno 1458. *Regis morbus, & mors.*

Mehun.

Anno 1461.

CAROLVS VII.

fecit, cuique seruandæ nobilissimæ gentis prouinciam dedit. Cætera vitia humanitati indulgenda, quando humanum nihil ab næuo integrum; nam quod filium tam diuersum nactus est, id Augusti votum qui Tiberium successorem optauerat; sanè in Maria coninge, plus quàm Liuiam habuit: Christianissimis virtutibus ornatissimam fœminam, quæ mariti aduersa, pietate, studio, & liberalitate mutauit in prospera; ipsaque prospera, sibi vni aduersa, tam patienter & æquo animo tulit, vt laudes muliebres omnes impleuerit; magno posteritatis specimine, quantæ virtutis sit capax fœmina. Nec in Caroli exitu prætermittendus Arturus Comestabilis; qui anno antè tertio vita excesserat; Iam Britanniæ Dux, Petro nepote sine liberis mortuo, & ipse efficax reparatæ Franciæ instrumentum; tantumque amauit gloriæ suæ sementem, vt sæpius rogatus à Britonibus abdicare se dignitate quam inferiorem ducatu censerent; responderit, tanti sibi esse dignitatem illam quanti Ducatum; illam virtutis, eum originis præmium esse; nec chariorem honorem qui profectus à maioribus sit, quàm qui paratus suo labore, & ærumnis redemptus. Sic obiit vtraque dignitate clarus; peruenítque Britannia ad Franciscum Richardi fratris filium; & dignitas Comestabilis Carolo Cænomanorum Comiti data est.

Maria Regina.

Comestabilis.

III.

LVDOVICVS XI. REX.

Repetitis nuntiis Ludouicus Caroli Patris mortem accepit; vestémque lugubrem vno manè indutus, statim visus est albo coccineóque splendere, lætitiam ex regno nato longè multúmque maiorem, quàm ex patre mortuo dolorem testatus. Implebat annum octauum à trigesimo, rebus gerendis aptus & maturus, & diuturna expectatione imperij, tum decoctis adolescentiæ vitiis, dignus in speciem qui sceptrum tractaret. Continuò ad capessendum imperium se accinxit, & comitante Philippo Burgundo, cum quatuor equitum millibus, Rhemos festinauit, & cœtu frequenti Procerum inauguratus est. Post regias epulas, consurrexit Burgundiæ Dux, & ad Regis genua prouolutus, orationem habet sui animi indicem, & dignissimam Principe Christiano. *Postquam sibi ipse gratulatus est pro impletis votis, quod Regem in patrum solio considentem spectaret; vnum dicit se orare beneficium, vt Rex illatas in Delphinum iniurias indulgeret, obliteraret praua in se gesta, & meminisset tam augusti Principis clementiam esse; Franciæ Regem supra omnem æqualitatem, imò supra omne fastigium euehi; vlciscì iniurias esse æqualium aut inferiorum: at cum quem potestas tanto interuallo, supra omnes extulerit, vnâ clementiâ posse attolli, quando vltioni misceatur infirmitas, & qui vindicat se, parem se fatetur. Tum adiungebat patientis Christi memoriam, sacrosancta vulnera, indultam de summa cruce solemnem veniam, vt ad quem propius potestate accederet, eum virtute maximè regia æmularetur.* Ad ea cum reponeret Ludouicus se septem exceptis, indulgere omnibus; Dux sicuti erat mitens genibus palmisque coniunctis, verbis conceptis clientelam iurauit; eo animi affectu, vt sinceritas optimæ mentis vultu atque oculis palam eluceret. Rex deinde Parisios venit, comitante Burgundiæ Duce atque effusa exceptus lætitia, nondum sensu gaudij refrigescente, specimen sui illicò præbuit, repentinis mutationibus regimen auspicans. Ab legum ministris facto initio, sigilla Iuuenali Vrsino adempta, Petro Moruillerio tradidit;

Burgundi Ducis oratio.

Ludouicus omnia immutat.

ex

ex singulis Magistratuum Curiis, Parlamenti, Rationum, & supplicum Libellorum, Senatores grauissimos & probatissimos abrogat; ex prouinciis Senescallos & gubernatores amouet, substitutis in eorum locum, qui sibi fauissent, quique molestiæ plurimùm patri intulissent. Beulius dignitate Admiralij deiicitur, & Lescunus Armaniaci sputius subrogatur, adiuncto etiam munere Marescalli. Dux Alensonius carcere mittitur, quodque offensioni omnibus fuit, Adamus Fumæus liber ire iussus est, datus in carcerem, ob veneni suspicionem Carolo præbiti. Comes Armaniacus receptus in gratiam & ditioni suæ restitutus: Chabannius proximè ad ignominiosam mortem adactus est; cùm supplex ad Regis genua accidisset, veniamque poscoret facti innoxij, quodque imperium Regis excusaret, pepercit quidem Ludouicus in speciem; sed nouo crimine inducto per calumniam, curauit à Parlamento damnari, mortique proximum custodiendum in Bastillam misit, præterea Ioannem Dunensem comitem, & Loheacum Marescallum dignitate & militia pro beneficiis tantis exauctorat; vni rei studens atque incumbens, vt quæcumque Pater constituisset optimè & composuisset, ea ipse rescinderet, atque reuelleret. Tum Carolo fratri vnico Bituriges in patrimonium assignauit; mediterraneam ditionem, prouinciis regis circumclusam; ne quid commercij cum externis Principibus iuueni foret. Mox humanissimis verbis abeunti Burgundiæ Duci vale dicens, Amboisiam ad inuisendam matrem se contulit. Regno impositus florentissimo & tranquillissimo, iam vt dixi grandior natu, ne quid malorum quæ consequuta sunt, vel imprudenti adolescentiæ, vel calamitati temporum adscriberetur.

LVDOVICVS XI.

Lescun.

Ea inter noui regni primordia Perpinianum & Ruscinonenses Regi accesserunt: cuius rei quoniam magni momenti in posteris fuit, causa paulò diligentius est deterenda. Ioannes secundus Aragoniæ Rex Blancam Caroli tertij Nauarræ Regis vnicam filiam vxorem duxit; eo pacto vt si Ioannes coniugi superstes foret, quandiu viueret administraret Nauarram. Blanca præmortua non maritus modò supererat, sed ex eo susceptus filius Carolus, princeps Vianæ dictus egregiæ spei adolescens, vicesimo iam ætatis anno, vtriusque regni tum Aragoniæ, tum Nauarræ hæres designatus. Verùm secundo Ioannis matrimonio, conturbatæ spes iuuenis, distracta Regis familia, & vniuersum regnum, susdeque versum est. Is ducit Ioannam Friderici Henrici Castellæ Admiralij filiam, quæ concepto nouercali odio in priuignum, patrem à filio, & à parente filium abalienauit. Discordiam statim bellum excepit, maximè postquam Ioannæ Ferdinandus natus est (& hic Ferdinandus Hispanicæ Monarchiæ conditor, quem Annales Francici tam sæpè appellant) & Henrico Castellæ Rege propugnante filium, pugna conserta est, qua victus & captus filius; verum liberatus, cùm nouis rebus studeret, dolo & crimine nouercæ, propinato veneno à medico, paucis diebus extinctus est. Tunc indignitate facinoris Nauarri & Catalauni iunctis viribus in Regem conspirant, Reginámque in vltionem & pœnam repetunt; Henrico Castellano suppetias veniente. Rex in iis difficultatibus Ludouicum appellat, vendítque trecentis aureorum mil-

IV. *Perpinianum à Rege emptum.*

LVDOVICVS XI.

libus Ruſcinonenſem comitatum cum Ceretana regione; contractu quem Franci abſolutum dicunt, pigneratitium Hiſpani, pretiúmque partim numeratum, ſcribendo militi partim impenſum; & ſcripti Equites cataphracti bis mille, qui ductore Nemurſio in Catalauniam penetrant. Ioannam nouercam, & filium Ferdinandum Catalauni Gerundæ incluſos obſederant, & expugnato iam oppido in campanariam templi turrim confugientem vtrumque breuiſſimo ſpatio profligabant, vltioni regio ſanguine litaturi; cùm opportunè Franci conſpecti, adiunctis Aragonenſium copiis Reginam ſoluunt periculo, Catalaunis ad augendas vires recedentibus verſus Barcinonem. Ii poſtmodum Caſtellanis copiis freti, atque inſtaurato exercitu, inſtruunt pugnam quam detrectant Franci, excuſantes *antiquiſſimum fœdus & amicitiam cum Caſtellanis contractam; iuratam à patribus ſocietatem ſanctiſſimam, Reges inter vtriuſque gentis, ipſam inter gentem, & ſingula diuerſi populi capita, ſe in eos qui fratrum loco eſſent ſine flagitio pugnare non poſſe; optabilius longè ſi pacem componant, & diuturna diſſidia concordia extinguant.* Sic mitigatis tantiſper animis, Ludouicus tam enixè contendit, vt Reges Caſtellæ & Aragoniæ, in ipſum vti arbitrum pro controuerſia dirimenda aſſenſerint, polliciti eum ſe ad Franciæ limites conuenturos. Qua de cauſa Rex Baionam ſe contulit, & Regibus per legatos conuenientibus, ipſorum aſſenſu ſententiam dicit, vt Caſtellanus è Catalaunia militem omnem educeret, nihil ſibi in Aragoniam arrogaret; ipſi Aragonius pro belli ſumptibus ingentem auri ſummam rependeret, traderétque Eſtellam Nauarræ vrbem poſſidendam. Ea ſententia moleſta pluribus, vni Caſtellæ Regi acceptior fuit, qui ditatus pecunia; honeſtè ab difficili bello abſcedebat. Aragonio iniucunda fuit, quando nec ideo ceſſarunt armis Catalauni, & ipſe Ruſcinonenſi agro orbatus, ingentem pecuniam Caſtellano pendebat, ſanè diuturnum bellum in viſceribus aluit, Catalaunis confugientibus, primùm ad Petrum Portugalliæ Regem, dein ad Renatum Regem Siciliæ; eiuſque filius Ioannes Calabriæ Dux, bis victor in Catalaunia Aragonios fregit, donec morte raptus Catalaunorum ſpes ſepulchro intulit. Contra Caſtellæ Rex, vt gratum animum teſtaretur, colloqui poſtulat cum Ludouico, locuſque deſignatus caſtrum Vrtebia, citra Vedaſum, flumen, Fontarabiam inter & fanum Ioannis; tum vt Reges colloquuti coram beneuolentiam arctius necterent, tum vt ſanctiſſimum fœdus inſtaurarent. Die dicta Henricus Vedaſum traiicit, Regémque conuenit; erat Caſtellano ſplendidus comitatus, Alcantaræ magiſter, Prior Hoſpitalarius, Villænæ Marchio, atque Epiſcopi plures: ſed præ cæteris Bertrandus Ledeſimiæ Comes refulgebat, aurea veſte adamantibus collucente, & ipſe amnem traiecerat cymba ad ſplendorem picta & ornata, ſericis velis auro colluſtratis. Contra Ludouico omnia infra modeſtiam erant, aſpernabilis cultus, veſtiſque humilis, tum panno tum forma; adeò adſtricta, cohærenſque membris, vt materiæ parcitum crederetur; galericulus capiti impoſitus, cum aſſuta virginis icone plumbea. Ipſe toto vultu & corporis conformatione, nihil altum, nihil regium ſpirans, à maieſtate Francica planè deficiens. Nec decentior Proceribus veſtis, qui ſe ad Principis,

Nemours.

Rex arbiter Regum.

Bidaſſo.

De Ledeſme.

cipis cultum conformabant, nitore ac splendore gentis prorsus abiecto: ij Dux Borbonius, Fuxius Comes cum filio, Admiralius, & Turonensis Antistes. Post vnum alterúmve diem, statim in contemptum res tota desiit, mox in scommata, & mutuas sannas; Hispani Regem ipsosque Francos habebant ludibrio, quod nullo ornatu, nulla dignitate, auaritiam tantùm infimásque sordes in conspectum darent; Francis Rex Hispanus contemptui erat, quod ipse fœdo vultu deformior, & absurda staturâ corporis elegantem vestem deturparet; quod Regis tantùm idolum esset, atque simulacrum; tota potentiâ in Ledesmiæ Comitem traductâ; cuius & arrogantia vt cæterorum Procerum arguebatur, qui ornatu fastuosissimo sui Regis lucem extinguerent. Sic colloquium nullo fructu solutum est. Et verò in iis pompæ & magnificentiæ tribuendum est plurimum; per quas vulgo illuditur, & sancitur illa Regum maiestas. Quanquam colloquia plerumque omittenda; nisi ij sint Principes quorum augeatur aspectu mutuo dignitas; quíque ingenij solertia consiliíque prudentia, ea inter se concilient, quæ superabant Legatorum industriam. Ludouicus post solutum colloquium, Burdegalæ Magdalenam sororem Hungariæ Regi antè desponsam, Gastoni Comitis Fuxiensis filio, atque Regi Nauarræ futuro, matrimonio iunxit: ita regno in Hispaniam munito, regressus est Parisios.

LVDOVICVS XI. Anno 1463.

De Toix.

V.

Regressum premebat solicitudo, qua arte Burgundum Picardiæ vrbibus spoliaret, nam Atrebatensi fœdere Ambianum, Sanquintinum, Perona, Abavilla, & aliquot aliæ Burgundo cesserant; redimendæ quidem pecunia, sed ipsa nulla in ærario erat, & ægrè Burgundus ad restituenda oppida assentiret. Rem nihilominus tentat, & paratâ per tributa pecuniâ (erant quadringenta aureorum millia) Burgundo restitutionem insinuat. Erat Philippus vteris probitatis, Croyis addictus, quorum consilio iam annis grauior incumbebat: ij iam ante à Ludouico dum ægebat in Flandria conciliati, & in præmiorum spem luculentam erecti, suo Principi rem vt iustam atque ex fœdere debitam persuadent; atque mox data pecunia vrbes Regi cedunt; qui toti Picardiæ Alnaium nepotem Croyi Proregem constituit. Ea restitutio Carolesio comiti Burgundi filio permolesta fuit, quam cùm omni studio prohibere non posset, in Hollandiam secessit; multùm de Ludouico cõquestus, quod fœderis partem sibi commodam impleret, quæ incommoda esset respueret. Accesserunt deinceps nouæ occasiones discordiæ Regem inter & Comitem, per quas præter indolem planè diuersam, in odium mutuum exarserunt, quod ne morte quidem sopitum est. Lubet autem eas recensere, ex quibus ingentes motus profluxerunt. Ludouicus Salarium vectigal instaurauerat, volebátque id in ditione Burgundi institui, intentatam rem hactenus Dux negabat, miserátque ad Regem Chimæum, qui immunitatem popularibus suis exoraret. At Rex in Legato mittentis iniuriam cumulauit; nam inauditum præstolari ad fores diutius iussit, virum nobilem, magníque nominis, & præ impatientia cum ad ipsum prodeuntem conclaui iniussus accederet, ac legatione exposita, Ducem Dominum suum multa commendatione attolleret, interfatus

Picardia vrbes restituta.

Crouy.

Aulnoy.

Discordia Regem inter & Carolesium.

Chimay.

LVDOVICVS XI.

Rex; *Quid*, inquit, *hominis est tuus ille Dux, an ex alio conflatus metallo, quàm ceteri regni mei Principes? Ita omninò Domine*, reponit Chimæus, *nisi constaret ex Chalybe duriore, te non recepisset, texissetque à minis potentissimi Regis patris tui, quem pertimescerent vniuersus orbis; quod nemo Princeps in Europa tota ausus esset.* Quo responso Rex perculsus obticuit, penetrante in mentem responso, eò altius, quo dictum verius. Et alia Caroleſium afficiebant priuatim. Duo capita ipsi infensissima, gratiâ Rex & beneuolentiâ promouebat; Ioannem Stampensem Comitem, Niuernensis filium, & Ioannem Croyium Porceani comitem. Stampensis erat deprehensus venenum propinans Caroleſio patrueli suo, ob riualitatem; Croyius Philippum regens, Caroleſio moleſtias plurimas faceſſebat: at eos Rex non modo asylo & amicitia iuuerat, sed etiam in Philippi aulam & gratiam inuito filio restituerat; eámque ob rem in Hollandiam seceſſerat Caroleſius: in qua noua Regis pulsatur iniuriâ. Ad oram Hollandiæ appellit Rubempræus nothus, arcano Regis iussu; cúmque nomen & conditionem celaret, ductus ad Caroleſium, in carcerem agitur; sparso rumore, eum à Rege missum, vt Caroleſium vi an fraude captum ad Regem perduceret. Simul Philippus à filio admonitus, Heſdino vbi venturum Regem operiebatur, profugit; rumórque increbreſcit, Regi mentem fuiſſe Burgundicam domum simul exscindere: id Dominicanus concionator è pulpito dicit; affirmátque Oliuerius Marchius Philippi domesticus. Rex famæ ignominia perculsus, Legatos ad Philipum mittit, Cancellarium Moruillerium, Narbonensem Antistitem, atque Eusium Comitem; habétque Moruillerius acerbam orationem in Ducem, & in Caroleſium contumelioſam (nam is cum patre ob periculum commune in gratiam redierat, eiectis Croyio, & Stampensi) diem filio dicit vt Parlamento coram se sisteret; ipsum in Regem & Dominum suum conspiraſſe, quod pensio non soluereturad diem; lacerauiſſe regiam famam; suspicioſum esse quàm nimium, idque certum consilij praui indicium. Tum ad Ducem versus, accusauit quod promisso defuiſſet, Heſdini Rege non expectato; mox repoſcito Rubempræo, Dominicanum sibi, atque Marchium tradi poſtulauit, vt reos læsæ maiestatis. Dux interea ægrè Caroleſij iram moderatus, respondet, Rubempræum dimissurum se, si deprehendatur à noxa integer; Marchium tradi haudquaquam debere, qui in comitatu Burgundiæ natus Regi non subesſet; Dominicanum haud posse, sacris addictum, & mutantem hoſpitia. Quod spectaret ad filium, futurum ipsum imperatis regiis obsequentem, qui si suspicax foret, id à Luſitana matre accepiſſet; ipsum se nunquam fidem fefelliſſe, niſi fortè fœminis. Et mox adiunxit, cùm Moruillerius sæpius ipsum esse Regis subditum affirmaret; se multa possidere, à clientela Regis immunia; & per se vnum stetiſſe, quominus Rex foret. Tum filium vetitum dicere, ne quid vehementius bilis effunderet, in consequentem diem remisit. Quo Caroleſius, vno genu in puluinum nixus, ad maiorem reuerentiam, modeſtè admodum perorauit; purgauit se de Rubempræi carcere, abiurauit omne consilium in Regem initum, se eius beneuolentiam plurimi facere, flocci pensiones, sibi ad largiendum suppetere, quandiu

Rubempré.

Moruillerij Legatio.

patri

patri gratus & acceptus foret. Sic solutum colloquium, admirante Duce orantis modestiam, atque affirmante, se haud putasse tam prudentem habere filium. In digressu, Narbonensi Oratorum vltimo in aurem Carolesius dicit; *Regi multam salutem verbis meis nuntia, meminerit contumeliarum quas in me Cancellarius suo nomine protulit, nec annus effluet, quin ipsarum pœniteat.* Et is legationis effectus, mutuæ iniuriæ, maior animorum offensio, odiúmque acerbius; Moruillerij culpâ, qui asperrimis verbis iracundiam Regis vltra metas promouit. LVDOVICVS XI.

VI.

Verùm Ludouicus quasi hæc Legatio euenisset præclarè, adornat alteram haud minoris operis, ad Franciscum Britanniæ Ducem. Erat ipsi animus Proceres cunctos opprimere; & quando præ cæteris Burgundus & Britannus eminebant, nondum Burgundo ad perniciem vt rebatur maturo, in Britannum se vertit. Parato exercitu, eundem Moruillerium ad Britannum mittit; quatuor acerba admodùm postulatum. Ne se Dei gratia Ducem inscriberet, ne auream monetam cuderet, tributa Britonibus nulla imponeret, néve vlla beneficia conferret; si secus faxit, in præsentia bellum indici. Britannus Taneguij Castellij consilio vsus, cùm vim repellere vi non posset, molli lanâ fracturus impetum, simulato obsequio, moram trium mensium postulat; quo interuallo conuocata Comitia Regiis iussis assensum præbeant, maiórque accedat concessis authoritas. Ita tempestas ad tempus dissecta. Tum Britannus prouisurus in posterum Tanneguij sagacitate, cum Carolesio cæterísque Proceribus fœdus clam contrahit. Missi in eam rem industrij homines, Franciscanorum, & cæterorum Monachorum veste, qua securi per vniuersam Franciam commeantes; sua cuique damna atque pericula proponebant. *Quæ in Britannum tentata sunt, ea imminere Procerum singulis; Regi esse in animo Proceres omnes opprimere, omnémque potestatem præter suam extinguere; peti ab vno initium, vt deinceps ad singulos odium prorogetur; explorata omnibus iamdudum indoles; suspicax, sæua, tyrannidem potius quam Regnum ambiens; infensa nobilibus virisque optimis, pessimo cuique, & vilissimo addicta; cui pro fide ambitio sit, pro iureiurando imperium, & pro religione cupiditas. Quemque sibi admonitioni esse atque documento, quantum passus sit, interroget quisque priuatus iniurias, dolorem consulat, & ex præteritis futura colligat; postquam nulli aggeres, nulla repagula immoderatæ potentiæ erunt. Iam contractum cum Burgundo fœdus; nihil periculi coniurantibus, imò plurimùm iam securitatis; nihilque intutius quam à Rege stare.* Sic Proceres ad iurandum fœdus non difficulter impulsi, Ioannes Dux Borbonius, Alensonius, Calabriæ Dux, regiæ prosapiæ; Armaniacus, Nemursius, Comes Dunensis; Ludouicus Lucemburgius, Comes sancti Pauli Carolesio præ cæteris charus, Albretius, Chabannius è Bastilla elapsus, plurésque nobiles viri & matronæ, qui inter se ligulâ de zona pendente dignoscebantur. Britanno Carolesium tum ipse Rex iniuriis suis adiunxerat, tum Rommillæus Britanniæ Vicecancellarius, Normannus gente & sagacitate ingenij; qui ipsi adhærens fœdus sanciebat, & sigilla Procerum clam excipiebat. His constitutis accessit ad Philippum Borbonius ex sorore nepos, tantúmque apud senem contendit, tacito adhuc

Legatio ad Britanniæ Ducem.

Anno 1464.

Coniuratio Procerum in Regem.

LVDOVICVS XI.

fœdere, vt delectum agi in ditione sua permiserit, ne forte imparatus obrueretur à Rege. Etenim ille quidpiam subodoratus de fœdere, Turonibus conuentum indicit; rogatúsque sententiam Aurelianensis, cum aliquid Principibus donandum censeret, vir senio & rerum experientia venerandus, & Rege repellente adiungeret; *Senis consilium improbari Regi non debere, quod annis Carolus profectum à iuuene comprobasset*; Verbis tam asperis à Rege exceptus est, támque despicatus, vt dolore animi biduum intra extinctus sit; pietate & probitate morum insignis, quam apud Anglos diuturna custodia hauserat; aduersis plerumque bonam mentem spirantibus. Interea adsunt à Britanno legati, qui polliciti aureos montes, trimestre adhuc spatium impetrant, dum à Duce cuncta ad obsequium comparantur. Verùm ij remigum instar, quò obuertunt terga nauigantes, clam Regis fratrem Biturigum Ducem aggressi, fugam persuadent, qua ad proximum Britannum se conferens, totius belli Ducem se gereret. Haud ægrè persuasus est adolescens, nullo apud Regem honore, authoritate nulla pro captiuo propemodùm circumductus, arcto patrimonio, & familiâ nullâ constitutâ. Itaque postquam recessérunt Legati, Rexque ipse ad Lemouicesiæ peregrinationis causa profectus est, Dux Biturigum simulato venatu, deducente ipso Lescuno, cuius custodiæ erat à Rege solicitè commissus, citatis equis ad Britannum euolat; continuóque, larua depositâ Principes arma corripiunt, literas in prouincias scribunt, Boníque publici se assertores nuncupant; vt purgato Regis consilio, & subleuatis tributorum onere populis, regno prima dignitas restitueretur. Idque bellum Boni publici nomen adeptum est. Cæterùm Rex momento in tantas coniectus angustias, non ignarus quàm odiosus, & grauis populis ob tributa foret, neminémque Principem suarum partium haberet, præter duces Vindocinensem, & Eusium; arcessit Borbonium Ducem, qui sororem habebat in matrimonio, iussum ad se quingentos lanceatios ducere. Ille profectionem excusat, se cum cæteris boni publici causa fœderatum; iturum ad Regem, postquam regni morbos sanauerit, querelísque iustis fecerit satis. Nec in agendo cunctatus, Chabannio comite, pecuniam publicam intercipit, Quæstores regios spoliat, scriptísque copiis vrbes firmat, exemplo cæteris præbito, ne metum aut pœnitudinem in consilium vocarent.

Aurelianensis mors.

VII.

Bellum pro Bono publico.

Roüant.

Enimvero Rex bellum necessariò capessens, postquam fratrem blanditiis frustra tentauit, Renato Andegauensi in suas partes traducto, se in Borbonium repentè conuertit; ratus infirmum adhuc atque abstractum à cæteris opprimi posse, & futurum terrori sociis, cùm pœna rebellionem exciperet. Eo consilio mittit in Picardiam Ioachimum Roüantium Marescallum, qui Burgundum caueret; ipse cum copiis in Aruernos contendit; nec ad Auaricum Biturigum hæret, vrbem occupante notho Borbonio; qua exclusus, Ducem Borbonium Riomi obsidet. Erant in exercitu viginti quatuor hominum millia, impárque Borbonius subibat discrimen; cùm Rex audito Carolesium aduentare Parisios, ne iis primariæ vrbis compos foret, ac factionem Burgundicam rursum excitaret, agit cum Borbonio mitius, & sorori pro marito supplici aures præbens, pacem donat.

donat, coniuratis parcit, præmia assignat, versúsque Parisios celeritate magna iter capit. Iam ad vrbem aduenerat Carolesius; ductis cataphractis mille quadringentis, sagittariis decies mille; passimque exceptus in Picardiæ vrbibus, palàm Laniaci vectigalium tabulas in foro vlserat; sale quantùm mercatori stabat diuendito; inclamans immunitatem, bonum publicum, atque onerum liberationem; Legatum se Biturigum Ducis appellans; captóque Dionysij fano, ad portas equitat. Roüantius arcere progredientem postquam non potuit, se in vrbem recipit, civésque nutantes spe ac milite erigit. Iam ciuitatem Vrsinus, cui sigilla restituta erant, adiuncto Balva Episcopo Ebroicensi, in studium Regis firmauerat; receptóque milite hostem excludebat. At Carolesius ne frustra tempus tereret, vltra progredi statuit, vt Britanno venienti adiungeret se, iunctísque copiis, Regem Lutetia arceret; qua mente capto Clodouæi fano, Sequanam ponte transit, & copias promouet ad montem Erycum; sancti Pauli Comite primum agmen ducente, ipso medium, postremum Burgundo spurio; agminum singulis loco diuerso metantibus. Ludouicus interea magnis itineribus prætergressus Britannum, eodem loci venerat, atque à pugna abhorrens, statuerat à via deflectere, & se Parisios in asylum recipere. Sic vterque Ducum alieni à prælio erant; Rex ne forte intèr Carolesium & Britannum medius, numero inferior, nam peditum partem machinásque dimiserat, haud ægrè vinceretur; præterea tantam molem hostium, consilio potiùs quàm armis dissiciendam putabat. Carolesius pariter, nescius planè vbinam gentium Britannus ageret, nec militem suum tironem adhuc cum regiis veteranis audens committere, abstinebat à pugna, donec Britanno sese adiungeret. Attamen vnius hominis indignatio rem totam immiscuit, & consilia Principum in contrarium vertit; adeò euentus supra homines sunt quorum est deliberare quidem atque consulere, sed perficere Dei. Rex Brezæum Normanniæ Senescallum virum fortissimum, suspicione perstrictum, interrogauerat, num sigillum coniuratis dedisset, respondérátque homo facetus, sigillum quidem datum, sed corpus & animum esse penes Regem; verùm indignatus fidem suam in suspicionem vocari, amicis affirmat, se Regem & Carolesium admoturum tam propè, vt vel inuiti pugnaturi forent. Ita cùm agmen primum duceret, haud prænonito Rege, in hostem progreditur; & sancti Pauli Comitè, primámque aciem impetit. Carolesius fratérque spurius audito dimicationem institui, rapiùtur in pugnã, spurius primùm audacia, necessitate Carolesius; Rex similiter vniuersas copias agit in prælių. Verùm eo modo quo incepta est pugna, eo perfecta est; tumultu & impetu ordinem & rationẽ prementibus. Carolesij numero, disciplina regij præpollebant; & aliquádiu pugna in incerto stetit; sed postquam Carolesij ædibus proximis flammas subiiciunt, & Franci afflati incendio, fumóque offusi perturbatis ordinibus loco se mouent; Tunc per totam aciem tumultus confusio & cædes grassantur. Pars vicit altera, victa est altera; vt victore vtroque exercitu, vterque sit victus. Carolesius cornu dextrum pellit, & Brezæus inter primos cæditur fortiter prælians; at læuum à Francis percellitur, & in fugam agitur. Vterque Ducum

LVDOVICVS XI.

Lagny.

Mõt-leheri.

Pugna ad montem Erycum.

Brezé.

se

LVDOVICVS XI.

se egregium præstitit, & magno versatus in periculo est; Rex suorum in fronte dimicabat egregiè, sæpiúsque deploratam pugnam restituit; donec viribus animum deserentibus, defatigatione obrutus, à stipatoribus Scotis in proximum castrum delatus est, statímque rumor sparsus Regem tecidisse, pugnam ea parte profligat, fugientibus Francis, Carolo Andegauensi cum octingentis equitibus in fugam præeunte. Nec Carolesio fortitudo felicior fuit, fugientes insequutus, dum in castra se recipit; quædam Francorum turmæ restituto prælio in ipsum irruunt; atque ægerrimè ab iis Contæi operâ liberatus, in alterum agmen incurrit; acceptísque multis vulneribus, penè abducebatur, cùm adolescentis Parisiensis intercursu rursum eripitur; nec illi minus fama pepercerat, ipsiúsque cædem enuntiauerat; vnde terrore concepto, plerique ex suis fugam corripiunt; quorum principes Aplincurius, Aimerius, & Inchyus; Ita pugna vtrinque metu potius quàm armis pugnata est, singulis partibus cladem suam disseminantibus; & obseruat Comminæus, vnum ex Regiis Lusinianum vsque vno equi cursu perfugisse; alterúmque è Carolesiis vsque Quercetum vrbem Hannoniæ; adeò animos affectus perturbant, & quod semel insederit mentem, extra potentiam sui rapit. Nec per ipsam noctem tumultus desiit, cùm turmæ regressæ in hostem inciderent, mutuísque cædibus sese absumerent; quanquam sub noctem plures regij cæsi sunt, sparsis per agros Carolesiis, & regiis in castrum exceptis. Imo Carolesios agitabat timor, erátque vna ductorum sententia, vti abscederent, ne à victore Rege cum exortu lucis obruerentur; atque ignavè recedebant, nisi eos Contæi periti Ducis atque veterani forte consilium tenuisset, & inuitos coëgisset pernoctare in castris. Verùm Rex ea nocte montis Eryci castro egressus, Corbelium copias celeriter ducit, primóque mane Parisios venit; lætus admodum quod eam vrbem in potestate haberet, vnde belli mens, atque adeò vires sufficerētur. Cúmq; nuntiaretur Carolesium in campo prælij noctem exigere, victoriæ speciem elusit scommate; *vbinam*, inquit, *recumberet, qui nec vrbem, nec tectum habet quo se recipiat.* Eáque fuit pugna ad montem Erycum, in qua victi omnes, nemo victor; nullibi sorte & alea regnante augustius, vt se victum senserit neuter; vterque victorem.

Aplincour, Inchy.

Lusignan. Quesnoy.

Anno 1465.

Contay.

VIII. *Fœderati Parisios obsidēt.*

Nocte terribili solis ortu discussa, Postquam Carolesij profectionem Regis acceperunt, & Britannum cum copiis propè accedere; tunc audacia animis & fortitudo prima instaurari, pelli metus, & iactari immodicis verbis victoria. Ipse Carolesius ceu verè vicisset sibi adulatur, die toto hæret inter cadauera grato spectaculo pascit oculos animúmque implet, & inani successu ita immutatur, vt in posterum pugnax, iurgiosus, & ambitiosus, alieni consilij osor, tenax sui, vota votis gigantum instar accumulans; hoc vno prælio cæteras clades exceperit, per victoriam futilem strage multiplici, & morte ipsa grassante. At montem Erycum prætergressus, nec ausus castrum oppugnare, Stampas venit excepítque Britannum Ducem, cum copiis veteranis, illustribusque Proceribus, Dunense, Chabannio, Loheacio, Beaulio, Calmontio, atque Amboso; qui erant à Rege suis quique affecti iniuriis. Post mutuas salutationes, illicò patuit qui futurus esset

exitus.

exitus belli; nam animis malè concordibus, Carolesius, & Britannus Regis fratrem in suam quisque mentem diducebant; & ipse iam belli tædium præferebat; adolescens, rerum inexpertus, animo mollis & corpore, postquam magnum sauciorum numerum inspicit, & alienis malis exhorrescit, affirmat malle se nullam rem tentatam, quàm tot calamitatum causam extitisse. Ergo principes vt nutantem animum sustentarent, versus Parisios mouent; primúsque Carolesius Sequanam ponte ex asseribus iungit, atque inuito Roüantio copias traiicit. Tunc accedunt fœderatis Ioannes Andegauensis Calabriæ Dux; ductis ex Lotharingia atque Germania copiis; Nouo-Castellius Burgundiæ Maresçallus; Albretius, Nemursius, & Armaniacus cum sex mille Vasconibus; quanquam ij quod rapto viuerent secluſi ab aliis, ne miscerent contagium; Erántque in exercitu quinquaginta equitum millia. Ludouicus tam numerosis copiis circumclusus, quasi vulpes in latibulum acta, nunquam propius ab casu abfuit. Aduolauerat in Normanniam, lecturus militem, cuius penuria laborabat, Parisiis bene opinione sua constitutis. Nam Comitem Eusium præposuerat, ciues conciliauerat, stabilito optimatum consilio, & extinctis subsidiis, imo aliquot fautoribus principum in pœnam vocatis. Et hæc quidem prudenter, si centiceps monstrum vlla prudentia regeret. Etenim vbi primùm Rex abfuit, Principum assecla Parisinos promissis, minisque aggressi, tantopere enituntur, vt ciues ad Proceres delegentur, quorum Episcopus princeps, de pace acturi bonóque publico, lámque in vado res Principibus erat, qui in vrbem admittendi erant, cùm Rex celeritate mira Parisios redit, auctus validis copiis, oppressisque repente consiliis, authores variis afficit pœnis. Ita liberatâ vtriusque potentiâ temperatum armis, artésque tentatæ. Fœderati concepta spe per insidias vrbis occupandæ, eò conuertebant industriam, si quos Duces Regi eriperent. At Rex sua sponte in eas fraudes propensior, litteris præterea atque monitis Sfortiæ incitabatur; ille armorum arte fortissimam indolem erigente, ductâ Galeasij spuriâ, Mediolanensem ducatum inuaserat, & Regi amicus, adhortabatur, vt pacem cum fœderatis contraheret; *eos discordia vna vinci posse; quam bellum nusquam inferret; at pacis titulo obiiciendam singulis prædam suam, & iniecta æmulatione, inuidiam atque discordiam sequuturas.* Et quidem eò Rex sagacitatem omnem adhibebat, priuatóque colloquio Carolesium conciliare tentanerat, iamque de pace conuenerat, si fratri Normanniam tradere ex Principum voto placuisset. Sed perspecto huius prouinciæ momento, quæ inimicos Burgundum & Britannum coniungeret, pernegabat se assensurum, cùm Borbonij fœlicitas assensum extorsit: Quippe ille in Normanniam irrumpens, (nam eiurauerat fœdus cum Rege initum) plurimas vrbes arcanis consiliis occupauerat, ipsámque Rhotomagum, tradente Crispina Brezæi vidua. Eo nuntio fractus Regis animus, & inducta pacis necessitas. Ergo Carolesium extra vrbem conuenit, primáque salutatione pacem factam affirmat, narrátque quæ in Normannia contigissent. At dum colloquuntur, sensim ad propugnaculum terreum veniunt, quod erigi Rex ad tegendos muros curauerat;

LVDOVICVS XI.

Neuf-Chastel.

LVDOVICVS XI.

curauerat, tum Caroleſius memor fati, quod Ioannem auum ſuſtulerat, pœnitens temeritatis, pertimuit, ac metum prætexens fidentia, in propugnaculum ſubiit, & poſt habitos ſermones, ad ſuos regreſſus eſt, non leuiori metu perterritos; Burgundiæ Mareſcallo imprudentiam heri laceſſente, atque affirmante, *nuſquam facultatem mali facinoris hoſti permittendam, multo minùs præmium.* Pax ab eo colloquio haud difficulter contracta; ſingulis principum quod poſtulabant conceſſum; ſed nouo Regis artificio, pomum diſcordiæ coniuratis oblatum. Normannia Carolo fratri permiſſa eſt, cum clientela Britanni & Alenſonij gnaro Rege, Britannum clientelam fratri nunquam præſtitutum, quam ægrè Regi Franciæ præſtaret. Quæ Dunenſi dedit, Cœnomano abſtulit; ipſi Longauillam, & Mortaniam eripit, quas fratri aſſignat. Careloſio Picardiæ vrbes ducentis aureorum millibus redimendas, ſed à ſucceſſore duntaxat; Britanno iura omnia integra atque illibata; Comiti ſancti Pauli Comeſtabilis dignitatem, vt à Caroleſio chariſſimum caput vel ſuſpicione auelleret; cæteriſque Proceribus, vel Præfecturas, vel pecuniam opulentam conceſſit. Boni publici ratio verbo tenus curata; ſtatutum vti ad regiminis emendationem, ex cunctis ordinibus triginta ſex viri deſignarentur, qui in eam rem proximo menſe incumberent, & quadrageſimo die opus abſoluerent; Rex fidem daret, impleturum ſe quod iis commodum viſum foret. Et hæc ſcripta quidem euentu irrito, nec viri vlli deſignati, deluſis populis & præbito documento, quàm iniqui ſint boni publici aſſertores, qui priuatum curant; & plebis nomen laruam eſſe, quam Proceres improbis votis obiiciunt, deponendam cùm cumulata ſint deſideria.

Pax inter Regem & Proceres.

Anno 1465.

IX.

Ludouicus eo fœdere veluti è naufragio emerſus, Caroleſio blandimentis omnibus conciliato, dimiſſóque in Normanniam fratre; ſecurè ad priſtinas artes ſe conuertit, diſtrahendiſque Principibus ſolicitudinem intendit: Borbonium arctius beneficiis demeret, eius fratri notho ſpuriam filiam tradit, Mareſcalli Scipionem, Armaniaco ademptum Loheacio reſtituit; Vrſinum rurſus Cancellarium dicit, Moruillerio pulſo; cæteroſque Principes quos nequibat allicere, ſuſpicionibus iurgiiſque mutuis inter ſe diuellit. Operæ pretium reor eius potiſſimas artes delibare, quando in iis princeps Ludouicus fuit, ſcholámque poſteris diſſimulandi aperuit, primus Franciæ Regum cui doctrina anceps placuerit; non quod eam in exemplum prodam, ſed hiſtoriæ eſt tam noxas ſcribere quam virtutes; & exemplo conſuluit Deus, tam perturbatâ & calamitosà Ludouici vitâ, ipſóque exitu; vt vel euentu artes damnatæ ſint, & infelices fraudes nemo non timeat. Si quos habebat in animo implicare Proceres atque irretire, eorum familiares aggrediebatur potiſſimùm; vt nemo mortalium eſt, quin ſe molliorem alicui præbeat, vel amico, vel domeſtico, vel fœminæ; conciliabat omni officio doniſque emebat, qui apud heros plurimum polleret, quibúſque erat facilis aditus; eos pelliciebat & deliniebat; honore ambitioſos, auaros pecuniâ, ſuperbos demiſſione, vanos laudum plauſu; nulli ſtudio parcens, nulli ſolicitudini. Poſtquam eos penitus ſibi deuinxerat, ſi ingenio præcellerent, & ad ſuas artes apti viderentur, heris detra-

Rex inter Principes diſcordiam ſerit.

Regis artes.

ctos

ctos ad se admouebat, stipendiisque optimis sustentabat; sin minus iubebat perstare in officio, & erudiebat clam; fallendi artes, & simulandi docebat; quid obseruandum, quid silendum quid loquendum tradens, qui rumores in vulgus spargendi; quid in susurrandum auribus domini, quæ spes excitandæ, qui metus; & eiusmodi cætera; quibus consequebatur, tum vt nihil se alienæ mentis effugeret, & arcana quæque introspiceret; tum vt ad nutum verteret quem aggressus foret, per domesticos excitatis affectibus spei, metus, inuidentiæ, atque discordiæ; & Poëtæ instar in scenam induceret quas personas vellet. Tunc eas artes in fratrem conuertit, quem in Normanniam perducebant Duces Britanniæ, atque Calabriæ; ac statim inter eos discordiam serit; Calabro Britanni authoritatem exaggerat, Normannis Britones adducit in odium; scintillámque incendij sic inflammat; vt Britannus insalutato Duce recesserit Cadomum; Duxque nulla pompa Rhotomago sit exceptus. Nec artibus parcitum fraudibusque, donec haud multo post Rhotomagenses implicantur suspicionibus; Ducem cum Britanno reconciliatum, statuisse Britones vrbe admittere; murmur exoritur, gliscitque seditio; quam adhuc nascentem repentinâ fugâ Dux promouet. Id maximè omnium cupiebat Rex; Ducem Borbonium sibi iam deuinctum in Normanniam mittit, qui vrbibus gratus breui totam recepit Normanniam, præter Cadomum, atque aliquot oppida quæ Britannus insederat; verùm Rex simulatâ ad sancti Michaëlis peregrinatione, Cadomum cæteraque oppida nouo fœdere aufert. Calamitosus frater omnium inops, amicorum, opis, pecuniæ, tecti, atque consilij, ad Britannum confugit, iam pœnitentem, quòd se facilius Ludouici artibus præbuisset. Dum hæc agebantur, sua Carolesio tela erat texenda. Nam primùm Rex Comitem Niuernensem impulerat, vt vrbes Peronam & Sanquintinum restituendas Burgundo inuaderet; sed is à Burgundo interceptus Peronæ, consilio exciderat. Tum Rex iras veteres in Leodiensibus excitauerat. Ii Ludouicum Borbonium Philippi Ducis ex sorore nepotem Episcopum detrectantes, quoniam sacros ordines non suscepisset, diu à Philippo bello petebantur. Dum Carolesius agebat in Francia, acerbas in eum iactauerant contumelias, adeóque in totam Burgundorum Principum familiam; ille igitur redux quinquaginta millia bellatorum, in eorum agros inducit. Qua potentia territi, conditiones datas atque Episcopum tandem admittunt. Vnum Dinantium, in Arduenna sylua munitum oppidum, se intactum iactans, post superatas viginti septem oppugnationes, excludebat Principem; vtque ciues diu flagitiis omnibus se contaminabant, haud difficulter furore concepto, Diuinam vltionem atque humanam lacessunt. Eáque propiùs impendebat sceleribus, admoto & pugnante Burgundi exercitu; ergo oppidum deditionem pacisci tur ad victoris arbitrium; & primùm per aliquot dies direptum est, tum incensum, murique diruti à fundamentis; vt Dinantij sedes vna, fœditate ruinæ iam dignoscereturr; cives non clementiùs habiti; octingenti affixi patibulo, cæteri belluarum instar in siluas depulsi. In castra obsidentium gestari voluerat Dux Philippus; eáque postrema optimi senis expeditio fuit; nam senio grauis

Rex fratrem è Normannia pellit.

Carolesius in Leodienses.

Dinant.

Anno 1466.

Philippi Burgundi mors.

LVDOVICVS XI.

grauis decurrebat annum septuagesimum primum ; Brugis morte occubuit ; verè Principum ætate sua optimus, & forsan maximus ; quem nullo nævo maculatæ virtutes ornabant, religio, probitas, modestia, liberalitas & regia quædam animi magnitudo ; vnâ duntaxat temperantiâ minor, quod in fœminas effusissimus ; earum perpetuis implicatus amoribus, decem aut duodecim liberos furto susceperet. Carolus vnus legitimus tam opulentam hæreditatem adiuit, longè diuersæ quàm pater naturæ ; abductus à Venere, sed in Martem pronus, quæque immoderata concipiens, duro animo atque austero ; vt arderet vnâ ambitionis insaniâ.

Anno 1467.

X.

Parisij instaurati ciuibus.

At Rex vrbem Parisios armis & ciuibus constituebat : bellis & peste quæ proximè grassata fuerat, ampla ciuitas, plura tecta quàm hospites numerabat ; eos vt sufficeret Ludouicus, asylum facinorosis aperuit, ne ea in parte Roma Francica Latinæ cederet, debitoribus, & criminum reis immunitate ab ære alieno & pœnis præstitâ, præter qui læsissent maiestatem Diuinam humanámve. Ita breui tempore vrbem frequentissimam incolis, in multiplices stationes diuisit ; cuique ductorem & vexillum attribuit ; cúmque pòst armatos lustratione obiret, octoginta hominum millia in armis fulserunt. Id Parisiensibus gratum ; & permolestum vniuersæ Franciæ quod tentauit. Sub Regni primordia Pragmaticam sanctionem in Pontificis gratiam abrogauerat ; sed cùm edictum regium Parlamenti placito non esset sancitum ; quod in Francia necessarium est, vt vim legis edicta habeant regia, Franci eodem iure quo antea vsi, magnis emolumentis orbabant Romanam Curiam ; nec remedium incommodo erat, quam probari edictum senatusconsulto. Eam rem perficiendam Balua suscipit, Cardinalis à Pontifice dictus, & Rege quem moderabatur sinente, dum vacabat Senatus, Prætori Parisiensi edictum exhibet, conficítque optatum ; tum in Parlamentum se confert, repulsámque patitur. Nam exurgit Ioannes Sanromanus Procurator Regius, & graui oratione dehortatus quod postulabatur, magno est auditus assensu omnium ; reiecto edicto à Senatoribus ; stetítque Pragmatica ad Franciscum Regem. Mox Ludouicum, ne rem inceptam vrgeret, motum à Britanno bellum prohibuit. Is cum Regis fratre Carolo reconciliatus, sæpe Regem appellauerat de restituenda Normannia, vel constituendo patrimonio nouo ; Rex obsurdescebat, cùm nouo fœdere Britannum inter, Burgundum & Alensonium contracto, Britannus arma in Normanniam vertit ; statim Cadomum, Baiocas, aliásque vrbes inuadit, Alensonio sponte Britones præsidiarios admittente, atque in Britanniam secedente. Ludouicus repentino bello non territus, armatorum quinquaginta millia, in Britanniam ipsâm immittit ; & captis Chantoncæo, atque Ancenice, latè vastat prouinciam. Bellum haud dubiè spectabat ad exitum, nisi Burgundus spem alteri fecisset, alteri metum. Et quidem Leodium suum illi negotium facessebat, ciuitate occultis Ludouici consiliis rebellante ; sed breui vrbem potentia tanta opprimeret, quam nec vllo subsidio Rex iuuabat, ne Burgundum irritaret acerbius, & eo interuallo Britannia subigi haudquaquam poterat. Ideò Ludouicus Comestabilem & Baluam ad Burgundum mittit ; postulatum vt

De S. Romain.

Bellum à Britanno.

Ancenix.

Britannum

Britannum deserat, pollicitus deserturum se Leodienses. Quod Burgundus pernegans, ipsis spectantibus equum inscendit, affirmans se intra triduum cum Leodiensibus pugnaturum, rem sociorum ex pugna pendere, litem sui arbitrij fore, si vicerit; si victus sit, Rex vt libuerit statuat. Ita Rex Burgundum cùm amouere non posset, nouum init consilium; inducias Britanno concedit, & apud Turones euocatis regni comitiis; de fratre & fœderatis conqueritur; illorum ambitione pacem regni conuelli; nemini fratrem chariorem quam sibi; quod attineret ad patrimonium, ipsi inspicerent, quod æquum foret æstimarent atque decernerent, se staturum ipsorum sententiæ: multa præterea de constituenda regni politia pollicebatur. At in comitia delegandos ipse delegerat, qui nec hiscere iniussu suo auderent; quare quod optabat, calculis omnium, pro fratris patrimonio, assignata in reditus annuos, duodecim librarum millia, ex agris petenda, & quinquaginta millia ex ærario Regis. Verùm fœderati conditione reiecta bellum instaurant, & Britannus Anglo appellato, in spem erigitur mittendi subsidij. Nec ideò Ludouicus deponit instituta consilia; sed postquam arma ambigua sunt, artes suas aggressus, Taneguyum Castellum ministrum illum fidissimum Britanno detrahit, tunc Duci odiosum, quod impuros amores liberius carperet; mox Lescunum pellicit ac deuincit, in quo vno mens fratris atque consilium; atque eo obstricto fratrem perfacile in sententiam suam adducit. Adolescens incautus, nulla re perspicax, nisi in fœminarum amoribus, alieno ductu gubernaculi instar hac illac conuersus, testatus sibi permolestum esse bellum, admisit conditiones oblatas, Duce Britanniæ repugnante; legítque in arbitros, qui agros designarent, Calabriæ Ducem & Comestabilem, Britanno ipsi multùm infensos. Quamobrem Britannus cùm à Burgundo nihil certi acciperet, Anglicumque subsidium lentum esset, ne vnus ad scopulum hæreret, pacem contrahit, Burgundico fœdere (quod Rex ambiebat summoperè) repudiato. At vix erat de pace conuentum, cùm Burgundus cum exercitu valido in Picardiam penetrat, sociis opem laturus. Conserto prælio vicerat Leodienses, adegerátque vrbem victori dedere, quam turribus deiectis, fossa æquata, & magna muri parte euersa, rapráque libertatis statuâ, qua immodicè gloriabantur, quasi stigmaticam & notis compunctam, pœnitudini suæ deseruit. At Rex fœdus cum Britanno initum illi indicit, fratrem receptum in gratiam, & stabilitam pacem in Francia. Burgundus cùm dictis fidem non adhiberet, fraudémque à Rege institutam crederet, iterum ab feciali Britanno fit certior, & vehementer succensus in socios, quod se inconsulto causam communem prodidissent, & per summam ignauiam, imprudenter & perfidè, vt dicebat, in nouum fœdus consensissent; comminatus deserturum se, cùm haud multò post pœnitentia ducentur; continuit se; ac Rege postmodùm centum & viginti aureorum millia in stipendia militum pendente, concessis semestribus induciis, exercitum soluit.

LVDOVICVS XI.

XI.

Rex Perona periclitatur.

At Britanno incolumi parum Ludouico actum videbatur, nec is poterat obrui, nisi prorsus à Burgundo diuelleretur, igitur eò intendens, rem suscipit valdè ancipitem, quæ ipsum in præsentia graui periculo, & post-

LVDOVICVS XI.

modum probro perpetuo & pœnitentia implicuit. Statuit cum Burgundo colloqui, conceptúmque consilium sua arte perficere; Burgundum ingenuum, in dissimulandi artes parum tectum, ficta ingenuitate posse profligari; nunc iratum in fœderatos, ab eorum vtilitatibus abducendum; iam inclinatum pondus leui momento incubiturum; esse amantem pecuniæ, cuius illecebrâ hamum haud dubiè deuoraret. Eam in mentem Balva Cardinalis Regem impellit, siue quod ita ipse agendum censeret, siue Regi assentans, promoto consilio ipsi gratissimo; siue futura damna negligeret, solitus ex periculis Regis authoritatem suam elicere. Primùm Burgundus sui Regisque peritus recusabat colloquium; ac tandem Rege perurgente, Perona ad conueniendum designata, quæ in Burgundi potestate erat. Ludouicus consilio præter vnum Balvam repugnante, dimissis etiam stipatoribus, ad maiorem fiduciam, solis comitibus, Duce Borbonio, fratre Cardinale Balva, Comestabile, & Castellio, Peronam se confert. Vix in vrbem subit, cùm cœpit inconsiderantiæ pœnitere; videt cohortes in vrbem admitti, ductoribus Lanio & Philippo Sabaudo, inimicissimis viris, quos olim arctè in carcere habuerat; accedunt Castelnouus, & Vrfæus, & priuatim sibi infensi; Burgundicis crucibus omnes conspicui; séque nudum & destitutum ope circumspectans, excipi arce ad securitatem postulat. Erectus in spem à Burgundo, & in arce diuersans, metum iam deponebat post tertium diem, & de pactis plurimis iam conuentum erat; cum Burgundo iteratis cursoribus nunciatur, Rege solicitante rebellasse Leodienses, Tungros cepisse & diripuisse, captiuos Episcopum & Imbercurtium, cæsos pleroscque Canonicos, atque omnes Burgundos; eáque patrata, legatis Francis spectantibus atque incendentibus. Et verò eam in rem Legatos miserat Ludouicus, nec reditum præstolatus, temerè se in Burgundi casses induerat. Continuò Burgundus vehementi ira efferuescit, & incusatâ Regis perfidiâ, prætexens gemmariam pyxidem sibi furto raptam, iubet portas vrbis atque arcis occludi, ad eas & muros locato milite. Rex spectato milite primùm ambigere quidnam rei esset; at postquam audiuit custodes positos, vnúmque ostiolum patere; pertimuit; demùm comperta causa, seriò animaduertit quanto in discrimine versaretur, multò magis cùm triduò Burgundus eum non inuisit. Dici non potest quàm lente dies ipsi processerint, quàm horæ productæ, & momenta lentè fluentia; iustus timor & ex conscientia culpæ conceptus, obiiciebat imminens malum, solitudo exaggerabat: nulla erat occluso libertas, nisi oculorum, quibus per fenestram prospicientibus occurrebat triste spectaculum, turris illa fatalis, in quam Carolus simplex ab Heberto Veromanduo coniectus, calamitosam ad vltimum spiritum vitam exegerat; & præceptâ miseriâ, iam se incluſum & ærumnis perpetuis obrutum cogitabat. Accedebat timori dolor atque indignatio, ob delusam prudentiam suam; peruidebat quantùm imprudens & inconsideratus fuisset; non audebat, vel efformare cogitatione, quid de se Principes, quid Franci, quid æmuli dicerent, quid inimici; eò sagacitatem illam deuenisse, vt Ludouicus mortalium ille cautissimus, se in Burgundi retia miserit, viri aperti, simplicis.

Chasteau-Neuf. Vrfé.

Regis anxietas.

cis & temeratij. In tanto angore animi, spe nondum extincta, quindecim nummorum millia vni familiarium dedit; quibus domesticos Ducis conciliaret; nec ea machina frustra adhibita, quanquam summo scelere, magnam pecuniæ partem fur ille domesticus sibi attribuit. Et Burgundus primo die sui erat præiracundia impos; altero paululum demitigatus est, comperto Burgundos incolumes ab hoste dimissos; tertio de Rege deliberauit, variisque sententiis nihil decreuit; demùm quarto ad Regem adiit, verbisque conquestus pacatis in speciem, per quæ tamen iracundia iusta se proderet; à Rege petit, vt fœdera Atrebati, & Confluentiæ ad Parisios concepta illibata seruet, vt Lancastriam domum penitus deserat, & fratri pro hereditatis parte, Briam & Campaniam tradat vt in Leodienses bellanti, se comitem præbeat cum suo milite, Rex petitis nulla mora assensit, & ductis trecentis equitibus, cum Duce profectus est, Leodienses quadraginta armatorum millibus imperente, magna quidem Ludouici infamiâ, cùm Rex clientis sui propè gregarius miles, iret in eos pugnatum, quos pro fœderatis tueri debuerat, quosque in id periculum suo impulsu coniecerat; sed cogitanti vnde emersérat nedum prorsus libero, erat leuius quod imponebatur; & futura imò præterita solatio præsentibus erant. Leodium ab exercitu quamprimùm obsessum, actique ad extrema ciues, quibus nec muri essent, nec milites ad ciuitatis tantæ præsidium. Perstabant tamen in contumacia, furore rebellionem armante; & iam Regem inter & Burgundum intercedebat suspicio; Regique Burgundus assignauerat trecentos equites, qui ad eius hospitium vigilarent, caueréntque quid ageret. Ea inter Leodienses deplorata salute, rem aggrediuntur desperationis plenam & furoris. Sexcentis militibus, qui supererant armatis nocte concubia ex vrbe erumpunt, rectáque ad Regis & Ducis hospitia feruntur deducentibus eorum hospitibus. Securi Principes somnum capiebant, nescij quanto in periculo versarentur, cùm hostes distenti, primùm in hospitio Alensonij perrumpendo, tum in trecentos inuecti, qui Regem custodiebant, Regi & Principi euigilandi spatium, & se armandi fecerunt. Ideò fortiter & cum ingenti clade repulsi sunt. Atque postridiè, qui dies erat dominicus, Ducis voluntate, generali instituta oppugnatione, vrbs capta est, cùm pranderent ciues, nullique vigiles muros defenderent; primus omnium Dux in vrbem irrupit, Rege ad latus pugnante, qui cruce Burgundica galèro affixa spectabilis, inclamabat cum cæteris, viuat Burgundia; ducenti admodùm è ciuibus cæsi, reliquis in templa, & vinarias cellas confugientibus. Nec eo miseræ vrbis calamitas desiit; nam post Regis profectionem, Dux instaurata in vindictam ira; ciues omnes, nullo discrimine sexus vel ætatis, iussit amne mergi, aut ferro necari, ædificia cuncta flammis absumpta sunt, sacris duntaxat parcitum, & tectis aliquot ad excipiendos canonicos; vehementissimo frigore, quod ea hyeme adeò sæuiit, vt vinum securibus diffindendum esset, nusquam opprimente vltionis incendium. At Templorum occasione post annos aliquot vrbs reparata est, & exurgens è cineribus peruenit ad posteros opulenta. Rex post eam captam, à Burgundo discessit, excusante diuturnam moram, atque ægerrimè

LVDOVICVS XI.

Anno 1468.

LVDOVICVS XI.

ægerrimè prædam emittente è cauea. Dux postmodum Margaritam Eduardi Eboracensis sororem in vxorem ducit.

XII. *Rex fratri Aquitaniam donat.*

Ludouicus veluti postliminio sibi suisque redditus, primùm vt ignominiæ famam obrueret, stare pactis voluit, nec vim sibi illatam opposuit; tum vt silentio probrum suum inuoluret, tum quod Burgundi potentiam verè metueret. Igitur cùm tabulas fœderis senatusconsulto probari curasset, Turones profectus, audito Parisienses populari licentia de Peronæ facto cauillatos, picas, coruos, alaudas, auésque cæteras, quæ humanas voces imitarentur, iussit Parisiensibus detrahi, atque ad se deferri; noua pœnâ dicteriorum licentiam plectens, & indicens silentium, auiculis loquacibus raptis. Sed eo in lusu grauior cura coquebat animum, quonam modo fratri promissam Campaniam pernegaret; nam id vnum Peronensis fœderis non perficere animo constituerat; gnarus Campaniam in Burgundi potestate futuram, si fratri cederet, immensis æmulorum viribus, quorum consilia atque potentiam prouinciæ iunctæ coniungerent. Eâque fixus in voluntate, digrediens à Burgundo perierat, quid vellet fieri, si fratri data Campania non placeret; Duxque responderat, minus perpenso petitionis momento; vt viderent ipsi, suâ non referre, modò Carolo Principi fieret satis. Ita apud fratrem contendit, vt Campania omninò abstineat, & abstinenti Aquitaniam offert, prouinciam longè ampliorem, emolumenti maioris, & clari in Europa tota splendoris. Carolum vehementer Burgundus & Britannus ab eo consilio dimouebant; Campaniam ditione Burgundi tectam & tutam nulla conditione desereret; in eo sociorum & suam maximè securitatem positam, vt qui vni animis essent, potestate atque imperio non seiungantur, membrisque tanti corporis nihil intercedat. Nec extemplo roganti Regi assensit; donec à Lescuno immutatus, admisit Aquitaniam; nam priuata vtilitas inflectebat Lescunum; nempe in Aquitania vnde oriundus, sua referebat imperare Principem; sibi authoritatis, opum, & potentiæ viam muniri, & amor patriæ alliciebat, vnoquoque optante eminere in popularibus. Id dum curatur, Rex Amboſiæ equestrem ordinem nouum instituit, in honorem Archangeli Michaëlis, cui Francia, vt Genio tutelari præcipuo cultu addicta est; quindecim Proceribus torquis impertitus, è quo pendebat Michaëlis aureum simulacrum; triginta sex equitibus conscriptus numerus; quem Rex non impleuit; designandis deinceps Principibus viris quos conciliare cuperet; aut munerandis, præmia quibus ob fidem deberet. Quippe animaduertebat sagacissimus Princeps, Anglo & Burgundo, perisse eidem, aureúmque arietem, instrumenta aptissima esse, ad socios demerendos atque præmiandos; leui impensâ, cui plurimus honor adiunctus sit, parari socios, conseruari, datique iusta facinoribus maximis præmia; igitur ne eo fructu destitueretur, suum Ordinem condidit, decreuítque eum qui admitteret, renuntiato quolibet fœdere, sibi vni adhæreret. Perfecta cerimonia fratrem in Aquitaniam ipse deducit, ne inconstans iuuenis nouo in via afflaretur consilio; statuítque Aquitaniæ limitem amnem Carentonum. Imò vt fratri studere penitus crederetur, eidem vxorem Isabellam postulat,

Anno 1469. Ordo S. Michaëlis.

La charente.

Henrici

Henrici Castellæ Regis sororem, & designatam hæredem. Etenim quanquam Ioanna filia Henrico erat, tamen pro spuria ob impotentiam patris vulgò habebatur, talémque dixerant, regni comitia. Verùm Isabella virgo ingentis animi atque ingenij, aspernata Principem tam infirmum ingenio, quam ignauum animo, repudiauit has nuptias; Rege forsan haud molestè ferente; qui & postea contendit plurimùm, vt Ioanna in sponsam daretur, nouísque comitiis legitimam dici curauerat; sed magna contentio nihil certi peperit, præter spem & famam, Rege fucum facere per inanem operam satagente. Cæterùm à veritate alienum puto, quod Cardinalis Papiensis scripsit, de fugiente in Britanniam Carolo, & naturæ impulsu conciliato cum Rege; nam id nequaquam Cominæus cæteríque Historici prætermisissent, vnde crediderim vel Cardinali impositum, quod plerumque fit, vulgi rumore, vel id contigisse, cùm primùm Carolus à Britannia redux salutauit Regem. Porrò dum Ludouicus de Aquitania cum fratre agebat; magno Europæ stupore, Cardinalis Balva è summo fastigio ad miseriam summam deturbatur. Erat Balva à molitore Virdunensi natus puer à monacho prætereunte abductus, cui dum ad vilia ministeria famulatur, Latina lingua vtcunque percepta, penetrauit in domum Iuuenalis Vrlini Pictauiensis Episcopi: atque vt erat sagacitate mira ingenij, fidelitate fraudes animi obtegens, gratiam heri parauerat. Mox se applicuit Andegauensi Episcopo; à quo in Aulam intrusus, Romámque ad Pium secundum ductus, consummauerat dotes ingenij: versipellis, fraudum egregius artifex, improbitatis machinator, peritus consiliis malam mentem armare, ferere lites & contentiones, & perpetuas alere, nec fama teneri aut conscientia, cui nulla fama, & sua vtilitas pro conscientia foret. Ea indole iisque artibus Ludouico breui innotuit; & ad ministeria plura applicitus simulata in Regem fide inuiolata, honoribus Ecclesiasticis opulentísque beneficiis cumulatus, principem locum in administrando Regno obtinuit, Ebroicensis Episcopus, & Cardinalis. Prouectus in tantum fastigium, colligebat omnium odia, tum immoderata superbia Proceres alienante, tum turpi auaritia plebem spoliante; nec modò consilium togatus regebat, sed lustrabat exercitum, & magna nobilitatis inuidia Dux inter milites versabatur. Verùm in suprema authoritate, nec se, nec indolem primam dimiserat: Regem suspicionibus in Principes implicabat, olim ipsum inter atque Pontificem iurgij causas aluerat; mox Britanno atque Burgundo addixerat: atque omni vi enitebatur ne Carolus Aquitaniam admitteret. Attamen frustra Principem dehortatus, clam ad Burgundum scribit, impellitque ad bellum inferendum, aperit arcana Regis consilia: quid in ipsum, quid in Britannum alta mente conciperet, traditque indicia veteris & confirmatæ amicitiæ. Nuntius cum litteris feliciter interceptus, Regi stuporem, iram, & pudorem iniicit, violatam fidem, apertáque consilia, ab eo cui nihil arcanum nihil tectum foret, suæ vigilatiæ tanto tempore illusum, tot præmia & beneficia frustra consumpta; ea Rex indignatione summa reuoluebat, sibique iratior quod tamdiu nebulonem nusquam explorasset, in vltionis libidinem raptus, Balvam tradi in

LVDOVICVS XI.

Balua Cardinalis à Rege plectitur.

LVDOVICVS XI.

carcerem iubet; nec cessauit; donec accedente Pontificia authoritate, damnatus est reus læsæ maiestatis, ac bonis omnibus spoliatus; Rege mortem condonante, in Bastillam est conditus; nulla re opulentior quàm olim fuerat, præter infamiam, quam maximam moribus, ipsáque pœna contraxerat. Vndecimo post anno liberatus; è summa calamitate emergens, vt in summa fœlicitate demersus; adeò in humanis nihil fixum & inuiolatum.

Haraucourt. Datus est carceris socius Haraucurius Virdunensis Episcopus, Balvæ conscius; datúsque in caveam ferream omnium primus, cuius consilio fabrefactæ eiusmodi erant; ne Franciæ suus Peryllus, suúmque exemplum humanitatis vindicatæ deforet. Anno sequenti Comes Dunensis desiit viuere, ingentibus meritis supra natalium sortem evectus, capútque Longavillæ familiæ, magni in posteris splendoris, rebúsque gestis trunco dignissimæ.

Anno 1470. Et natus est Regi optatissimus filius, cui nomen Carolus, futurus patri regni potius successor quàm indolis.

XIII. *Rex Burgundo bellum indicit.*

Postquam Francia tranquillitate modica respirauit, noua rursum procella iactatur; Regis quidem prona voluntate, sed alieno impulsu. Causa discordiæ ipsum inter & Burgundum non deerat, auersis animis, per iniurias mutuas lacessitis; species quæsita, quod Burgundus plures in Picardia occuparet agros, quàm quod fœdere Confluentino liceret. Belli faces occultæ, Britanniæ Dux, & Comestabilis; suo quisque consilio; ille, vt quod diu voluebat animo, Burgundum cogeret ad filiam Aquitaniæ Duci in vxorem dandam; nempe his principibus tam arcto vinculo colligatis, nihil futurum amplius quod à Rege metueret; & Comestabilis bellum incendebat; vt turbas inter perpetuas authoritatem suam tueretur, necessitatem sui faceret Regi, nec mutandi spatium volubili ingenio vllum permitteret; atque vtriusque voluntate Aquitaniæ Dux in idem bellum conuenerat. Nec Ludouicus in eorum mentem perspicaces oculos immittebat, seu quod calliditas calliditatem excluderet; seu quod totus in Burgundi perniciem ruens, minus aduerteret aliorum dolos. Antea tamen quàm arma fulgerent, Burgundum impetit clandestinis consiliis; pluribus familiarium ab illo distractis, quos & vrbes sequutæ sunt. Tunc regni comitia Turones conuocat, nec delegatis nisi qui placerent, necessitatem belli persuadet, plura in Burgundum congerens, & statim viatore misso diem illi dicit, vt se in Parlamenti Curia sisteret; quo non comparente, bellum continuò infert. Priùs fulminatum est, quàm intonitum auribus. Sanquintinum occupat Comestabilis; Ambianum Roya & Mondiderium Regem excipiunt; Delphinus Aruerniæ Burgundiam inuadit, cæditque

De Chalon. obuios Duces; Burgundi familiares ab ipso deficiunt, Ioannes Cabilonensis Orangij filius, in paucis charissimus, & Balduinus frater nothus, non sine veneni suspicione; nemo aliorum est cui fidem habeat; fœderati etiam terga vertunt; Dux Aquitaniæ ipse in castris cum Rege agebat, Britannus plures turmas in eadem miserat: ipsi nec exercitus erat, nec parata pecunia. Eo in angore clam ad Comestabilem scribit (nam cum eo arcta perstabat amicitia) rogátque ne secum agat tam inimicè, bellum gerat mitius, memineritque quantùm sua referat, Regi parem opponi. Rescribit

Comesta

Comestabilis; in ipsius potestate esse quod postulat, assentiatur petitis nuptiis, ad ipsum totum exercitum transiturum. Idem vrget Britannus, addítque vrbes Flandriæ coquere rebellionem, & Regem statuisse ipsum includere, quocunque se recipiat. Burgundus ad ea indignatus, vt animo erat alto & superbo, nec in filiæ nuptias iturus tam citò quam ostentatam pluribus nemini dabat, magna solicitudine conscribit militem, & conscriptum in Picardiam ducit. Primo impetu Pequinium expugnat, tum castra ad Ambianum locat, si inclusos Duces Comestabilem cæterósque ad pugnam eliciat; verùm ij munimentis tecti, & valido tuti præsidio; tempori hyemisque incommodis expugnandum Ducem obiiciebant; iámque Rex cum exercitu imminebat, erántque omnia Duci extrema, cùm ab arctis angustiis se ipse suo ductu atque consilio prudenter expedit; adeò necessitati sua est mens & sapientia. Ad Regem paucis manu propria scribit: modestè de illato bello conqueritur; eius authores accusat subditos à quibus proditur; amicè admonet vt eos caueat; adiungit vota supplicia, & demissas obsecrationes, quibus se affinem & obsequentem Regi profitetur. Ludouicus perlectis litteris immutatur repentè: suspicacem animum primæ cogitationes impediunt; meminit consilium à Britanno immissum & Comestabile; timet ne quid ingentis mali deliteat; & illico inuito Comestabile, Burgundo inducias, & securum receptum permittit: omnibus demirantibus, qua mente, quóve consilio, acerbissimum hostem in cassès coniectum, nullo fructu emitteret, quem commeatu duntaxat erepto ad extrema agebat. Idque nimiæ prudentiæ, (an præposteri metus) peccatum dixerim, sibi cuncta tribuentis; adeò homines laborant copiâ, & immoderatione bona sua perdunt. Liberato Burgundo, protractísque induciis, nouum genus belli exoritur. Ad pacem contrahendam missis vltrò citróque legatis, singuli Principes vt se mutuò fallerent, intendunt machinas animúmque: In Aquitaniam secesserat Dux, Regi iratior, quod Armaniaca ditione concessa, ita illam distraxisset in singulos, vt ipsi præter Lectoram nihil esset super: quamobrem reuocato ex Hispania Armaniaco Comite eũ conscriptis copiis per vim restituebat. Comestabilis Comitatu Eusio nuper à Rege donatus (Comes Eusius vltimus Artesiæ familiæ mortem obierat) nec eo munere conciliatus, vrgebat Burgundum, vt Aquitano filiam traderet; idem vehementer contendebat Britannus; omnia pollicentes, id si perficeret. Nec in speciem pernegabat Burgundus: siue eo vt metu Anglum arctius sibi adstringeret, siue vt ab Rege conditionem quam vellet auferret: nihil accuratius cauente, quam ne frater (& fratris nomine hostes cogitabat) tantopere increscerent ac stabiliretur. Nec ea mens Burgundo erat quidquid simularet: nam præterquam quod constituerat non collocare filiam, nisi extrema vrgerent, propenderétque in Maximilianum Austriacum, Friderici Imperatoris filium: omnino abhorrebat à nuptiis Aquitani, opinione conceptâ filiam à Rege veneno tollendam, vt in opulentam hæreditatem inuaderet. Tandem post itiones multas Legatorum, cum Rege conuenit, vt Ambiano & Sanquintino ipsi restitutis renuntiaret fœderibus contractis, speciatim cum Anglo Aquitano

LVDOVICVS XI.

Anno 1470.

Bellum per arcana consilia gestum.

d'Eu.

LVDOVICVS XI.

& Britanno, Iuratúque est à Burgundo fœdus tanta perfidia, vt eo momento ad Anglum & Britannum scripserit, ne eo fœdere commouerentur, nam ore tenus tantùm id contractum. Porrò Rex sacramentum in singulos dies prolatando, tandiu distulit, donec morte fratris audita, aduolat in Aquitaniam, Burgundi Legatis cum ludibrio dimissis. Nec miserandus Aquitani exitus transeundus silentio.

XIV.

Caroli Ducis Aquitaniæ mors.

Monstereau.

Faute Versois.

Duo illi capita charissima erant, vt diuersa sexu, ita moribus admodùm dissimilibus, quanquam vno consentirent, vt miserum Principem ad suum quodque nefas pellicerent. Catarina Montsoræa, mortuo coniuge Ludouico Amboso, quoniam tum ipsa tum maritus fuerant in fœderatis, ad Aquitanum confugerat; captúmque formæ flore & suauissimo ingenio, turpi amore obstrinxerat. Ioannes Faber Versoius, Monachus Benedictinus, Abbas fani Angeriaci, improbitate insignis, atque ad flagitium quoduis factus fictúsque, per eas artes, impuróque obsequio, in Principis animum totus irrepserat; atque ita ambo, tum vir tum fœmina, suas artes & scelera hero affricabant. Verùm vt Deus per instrumenta criminum reos plectit, per ea duo capita calamitosus Princeps mortem hausit. Versoius haud dubiè grandi præmio illectus, nece Aquitani concepta, ipsi fortè cum Montsoræa merendam sumenti venenum propinat. Selegerat malum Persicum, forma & colore conspicuum, imbutúmque toxico fœminæ offert, haud insciis vtriusque fore, quod vnius esset; illa fructus speciem demirata, malum vino immergit, partémque mediam Principi donat, ipsa alteram vorat; sibi mortem & charissimo amanti per lusum comparans. Nam grassante toxico diebus post paucis rapitur; Aquitanus vt ætate & robore valentior erat, fatum ad septimum mensem produxit. Ea tamen vis veneni fuit, vt deciduis vnguibus capillisque, & neruis dirum in modum contractis, mortem potius diuturnam quàm vitam egerit. Monachus illicò in carcerem truditur, illíque iudices ab Antistite Burdegalensi designantur; quibus litem instruentibus, cùm Ludouicus Burdegalam aduentaret, Lescunus veritus ne parricida liber emitteretur, naui impositum ad Britannum mittit. A quo nefarius carcere conditus, humana cunctante iustitia, cœlestem expertus, ictus fulmine, tempestate sæuissima cœlum permiscente; reperto cadauere terro & nigricante, tumido ore & producta lingua. Et Rex vocatus in suspicionem flagitij, primùm quia ipsi vtile & commodum erat; tum quia litem instructam ad se iussam deferri flammis suppressit, iudicésque ingentibus affecit præmiis, silentio haud dubiè redempto; tum quod aliquantò post Episcopus Parisiensis repentina morte extinctus est, traductáque ad Regem illatæ mortis suspicio, cui viuus diu odiosus erat. Verùm amat vulgus magna in Principes conferre crimina, nec semper necesse est perpetrasse flagitium, qui patrato gaudet. Et verò Regi nihil acceptius erat quàm mors fratris; Is ergo postquam Burdegalam venit, rotíque Aquitaniæ sub potestatem redactæ Ducem Borbonium Proregem constituit; Extemplò in Britannum profectus, matura vt rebatur opportunitate, opprimere obnoxium tota mole ardebat. Verùm & paratum ad repellendam vim reperit, & Lescunus ab Aquitano ad eum perfugerat:

Anno 1472.

Rex in Britannum mouet.

fugerat, vir summæ prudentiæ; metúsque erat ne Anglus miles arcesseretur; præterea Burgundus vexabat Picardiam, & agris vastatis vrbes aliquot cœperat. Eam ob rem Ludouicus velificatione mutata, bellum ab armis ad pacem traducit, aggressúsque Lescunum per Soplinuillam, per ipsum conciliatum, & Petrum Essartium, Britannum Ducem expugnat; Lescuno quidquid postulauit concessum; ingens pecunia tum præsens tum annua, Ordo Equestris, Conuenarum Comitatus, & in Aquitania plures præfecturæ; Essartio & Soplinuillæ multùm auri datum, Duci annua pensio attributa, cum Equestri Ordine, Burgundicum atque Anglicum fœdus eiuranti: Et Lescunum Rex quanquam fratri addictum amauerat, quod patriæ amans ab Anglico fœdere sæpe herum abduxerat, vetuerátque ne Franciæ hostem intra Normanniæ vrbes admitteret. Ludouicus hac patrata pace se in Burgundum conuertit. Ille post Aquitani obitum, à Rege delusus, & iracundia exardescens, ingentem exercitum in Picardiam inuehit; & præter morem ferro & flammis in oppida grassatus, Neslam vrbem euertit; mox Roya & Mondidetio deditis, Bellouacum obsidet. Viginti sex dies oppugnatio tenuit, tam repulsa fortiter, quàm instituta. Portâ quæ ad Parisios spectat, excepti Chabanius, Roüantius, Marescallus, & Estouteuilla, cum milite, ciues confirmarunt; missus Parisiis atque Aurelià omnis generis commeatus recreauit afflictos; sed ea serius vrbi aduenissent, nisi suæ ipsam mulieres ab hoste seruassent. Iam Burgundi portâ vnâ potiti, vrbem inuadebant, ciuésque attoniti se in fugam dederant; cùm fœminæ raptatis armis in hostem procurrunt, propellúntque viriliter, & recepta porta excludunt; vnâ inter cæteras clarâ, quæ à signiferi dextra raptum vexillum, Virgini Matri, in anathema appendit; & in facinoris memoriam Rex decreuit, vt solemni die quæ patronæ vrbis Diuæ sacrata est, in supplicatione fœminæ viris anteirent, atque in sacrificij oblatione; tum vt honor sexui constaret alteri, alteri probrum. Burgundus soluta obsidione, in Normanniam tendit, & frustra vrbibus tentatis, pluribus agris, pagísque incensis, sæpius clade affectus, exercitum in Picardiam reportabat; cùm Ludouicus regreditur è Britannia, & belli moles instaurabatur, nisi Burgundus pacem præoptasset, nam à Britanno adscriptus inter eos, quibus si placuisset darentur inducíæ, iis se comprehendi velle declarat; atque in aliquod tempus odia mutua compressa. Eáque tempestate Regi magnum lucrum accessit, Philippus Comminius, ex illustri in Flandris prosapia, vir solertissimo prudentissimóque ingenio, qui in Caroli Burgundi familia educatus, ipsíque in paucis gratus, ab eo decisens se ad Regem contulit; siue ab Caroli moribus alienior, siue Ludouici donis illectus, viros eiusmodi ingenti pretio comparantis; seu præsagus sortis quæ herum Carolum exceptura erat. Hic nullis excultus litteris, vna indolis dote, scripsit historiam, quæ Francis tanti est, vt nec Græcis Thucydidem, nec Romanis Liuium Tacitúmue inuideant; adeò natura artem supplet & vincit.

LVDOVICVS XI.

Des Essards. Cominges.

Burgundus vexat Picardiam.

Bellouacum seruatum.

De Commines.

Quiescente Burgundo, in regno oritur, quod Ludouicum exerceat; Alenſonius & Armaniacus in pœnam vocati. Ille iam ante sub Carolo

X.V. *Alenſonij pœna.*

LVDOVICVS XI.

septimo prauis consiliis implicatus, & à Ludouico emissus carcere, rem nouam tentabat Regi molestam & pernicioſam. Clam ditionem suam, Ducatum Alensonium, & Perticenses vendebat Burgundo, in Britanniam recessurus; magno regni incommodo, quod in Normannia ciuitates plurimas atque opulentas, ea emptione Burgundus esset possessurus, quod cupiebat magnoperè, & vicinum habiturus Britannum. Re per familiares ducis comperta, Ludouicus ab Tristano, celebri, iis temporibus capitalium tribuno, reum comprehendi iubet, ductúmque Parisios, in Quæstionem vocari; qua habita & reuocato priori flagitio, quo testem accusationis custodiâ missus necauerat, morti à Parlamento reus addicitur. At commutauit Rex mortem in carcerem, in quo dolore & mœrore obrutus, animam posuit; pœnam tandem conficiens, quam aliena clementia diu

Et Armaniaci.

distulerat. Armaniaci supplicium vt difficilius sumptum, ita efficacius in exemplum Ab Aquitaniæ Duce in ditionem suam restitutus, móxque eo mortuo ab notho Borbonio deiectus, iterum Aragonij potentia fretus eam receperat. Rex statim copias in rebellem mittit, ductoribus Domino

Seigneur de Beau-jeu.

Bellijocensi, qui Borbonij erat frater, & Cardinale Albigensi. Ad ea Armaniacus profitetur, abdicare se bellum, pacem percupere, & Lectoram validissimam vrbem tradit Bellijocensi. Verùm haud multò post, quasi flagitiosissimum virum probè semel egisse pœniteret, Lectoram occupat, & Bellijocensem in custodiam mittit, prodentibus Carolo Albretio fratrum

D'Aymet.

minimo, & Ioanne Aymetio nobili Petrocorio. Continuò Rex in perfidiam geminatam commotior, iubet Cardinalem Albigensem admouere vrbi exercitum, patranda insonti libertate, & sonti pœnâ. Erat Cardinalis in Comitatu Burgundiæ ex mercatore natus, qui Atrebatensis Episcopus, ac postmodùm Cardinalis, quia ad Ludouici indolem mirè aptus erat; ab eodem illectus, & Burgundo ereptus, plurimùm in concilio pollebat. Nuper Albigensibus donatus Infulis, quod opimum in Francia sacerdotium, Cardinalis Albigensis adeptus erat appellationem. Ille postquam Lectoram octo mensibus expugnat, vrbem situ & operibus munitissimam; tandem Comitis filio dum erumpit cæso, quem ex incestis cum sorore nuptiis infœlix pater genuerat, ita Comes fractus animo est, vt deditionem petierit. Missi ad Regem Legati, qui quinta ab castris leucâ consederat, libertatem Comiti reportant, modò extra regnum faceſſeret;

Anno 1473.

atque admissa conditio præstabatur; cum scelerum furiis agitatus Comes, in milites regios repentè inuadit. Etenim toto exercitu per muri labem irruente, Comes numero obrutus cæsus est, ipsáque vrbs direpta miserè, necatis ciuibus. Scio mortem Comitis à pluribus secus narrari, sed coæui scriptores, rem actam tradunt vti exposui; & ea erant Armaniaci suprà cumulum omnem flagitia, vt fuisse exitum vitæ haud absimilem, verosimile sit. Eo motu periculosum bellum excitatur. Ioanni Aragonio

Bellum pro Ruscinone.

Regi, Perpinianum & Ruscinonenses Ludouico venditi, pœnitentiæ erant & dolori; ideò consilia cum Armaniaco communicauerat, promouerátque ad rebellandum, atque vsus opportunitate, Perpinianum inuadit; ciui-

Lau.

bus conuocantibus, quos Francorum iam pertæsum erat, Præfecto Lauio

ægrè

ægrè in arcem se recipiente, eámque in Aragonios propugnante. Commodum Lectorâ captâ Ruscinonis casus nuntiatur, rapitúrque per Pyrenæos, exercitus, eodem Cardinale ductore, & Perpinianum obuallat. Ioannes Rex se vrbis muris vltrò incluserat, palámque testatus se pro ciuibus occubiturum, quanquam senio confectus fractúsque viribus, ita fortitudine animi ciues inflammabat, vt ad omnia prompti atque expediti, Francum excluserint; donec Ferdinando Principi spatium aduolandi datum, & soluta à Francis obsidio est. Bellum interpellatum in aliquot menses exceperunt inducię; Lauio semper arcem obtinente, Interea Ioannes spe concepta pacis Legatos mittit ad Ludouicum; qui primùm Parisiis inter spectacula occupati, dein Lugduni subsidere iussi; dum elabuntur inducię; fraudis locum Regi suo faciunt. Nam Ludouicus continuò in Ruscinonem immittit exercitum, vastatísque agris, Perpinianum oppugnat. Tota obsidio patientiâ oppugnantis stetit; quippe nullo facinore bellico, postquam octo mensibus in penuriam obsessi pugnarunt, voratísque animantibus quæ sola fames rapit in alimenta, iam deerat quo miseriam alerent, oblatas à Franco conditiones admittunt, tradúntque ciuitatem. Anno consequenti de pace actum est; & Aragonius in Castellam diuulsus, Perpinianum omisit; Legati eius magnificè Parisiis habiti; & ciues lustrati, prope centies mille, singuli Chlamyde purpurea & cruce candicante spectabiles, Hispanis præbuerunt, potentiæ Francicæ specimen. Eo motu Rex liber, Andegauos ab Renato vel impetrat prece, vel vi aufert. Senex annis grauis liberisque orbatus, vel patebat iniuriæ, vel commodabat se precibus. Ioannes filius Calabriæ Dux, Barcinone febri obierat, dum Catalaunorum iras in Aragonium fouet; Nicolaus filius, anno vicesimo secundo decurso, spes paternas adierat, & spe Catalaunicæ expeditionis, adhæserat Ludouico, filiámque eius desponderat. Verùm postquam spem illusam videt, & Regem à Catalaunico bello alienum, continuò ad Burgundum deficit; qui adolescenti escam luculentam obiiciebat, filiæ nuptias. Porrò is cùm Nancæij ageret, pestilentiâ ictus, diem vltimum obiit, nullo hærede præter auum relicto. Et quidem Lotharingiam Comes Vademontius adit inuadítque; ille Nicolai auunculus erat, nam Iolandam Ioannis sororem vxorem habebat, vnde filium Renatum susceperit, stirpem Ducum Lotharingiæ, per fœminam ab Andegauensibus deducentium originem. Renato Nicolai auo Andegaui & Prouincia Phocensis patrimonium erant. Ergo ipsi Ludouicus persuadet; vti in Prouinciam secederet, atque Andegauos sibi permitteret, ex sorore nepoti, hæredíq; proximo, cùm nulli alij forent. Bonúsque senex in Prouinciam concessit titulo Regis semper vsurpato, ac quanquam prouinciis pluribus spoliatus, tamen desiderauit hæredem; & quod relinqueret habuit non cui relinqueret.

LVDOVICVS XI.

Andegani occupati.

Appetente inducirum cum Burgundo fine, eæ in annum prorogatæ sunt; quo ille quietis osor perpetuus, rebúsque ingentibus conceptis animo, Gelriam pio bello ereptam filio, patri restituit, sibíque postmodùm comparauit, hæres à patre dictus, dum Rex sororem Annam matrimonio collocat, cum Petro Borbonio Bellijocensi Dynasta, Ducis Borbonij fratre atque

XVI.

Varia Burgundi consilia.

hærede

LVDOVICVS XI.

hærede proximo, nullis fratri liberis. Atque Burgundus Gelrio restituto, Treuiros venerat, spe regni Burgundici, quam Federicus Imperator fecerat, erátque ornatus ad cæremoniam instructus magnificè, cùm Imperator à promisso resiliens, insalutato Duce discedit, & pro corona ludibrium tradit. Burgundus tantâ contumeliâ aspersus, cùm in Fridericum non posset, in Regem iram vertit, quem suspicabatur abduxisse à se Imperatorem; ac primùm in Niuernensem Comitem, Regi addictum, arma & furorem effundit. Rex Burgundum de pace immotus appellat; cùm statuisset ferocem illum Leonem alieno potiùs periculo quàm suo, perdomare atque opprimere. Nouiodunum delegati vtrinque mittuntur; sed à Burgundis Hugoneto Cancellario & Imbercurio proponuntur noua & inexpectata. Securæ pacis & imperturbatæ vnam esse viam, si Comestabilis de medio tollatur; eum hactenus belli tubam & facem fuisse; geminatâ perfidiâ perduellem hominem, tum Regem prodere, tum Ducem; nullum fuisse motum quem non excitarit; clam egisse cum Burgundo, cum Aquitano, cum Britanno, singulos diuersis causis inflammasse, tum proposita scriptis tabulis comprobant; palámque commostrant viri perfidiam & proditionem. Rex de postulatis Burgundi edoctus, ad assentiendum non hæsit anxius. Diu erat quod Comestabilis venerat in suspicionem; fraudes perspicacem Regem non latebant, & arrogatum supra modum clientis imperium concitabant eundem: nam is Sanquintino præsidium regium expulerat, suúmque immiserat, & verbis insolentibus se plerumque Regi parem ostentabat. Ea Ludouico perdendi hominis desiderium fecerant, & pleróque obruerat minorum scelerum reos; sed voluntati potestas deerat; nam homo versipellis fraudes obiectas fraude eludebat, & se contra vim egregiè communierat arcibus fretus in Picardiæ finibus, Sanquintino, Hanno, & Bohano; & opulentâ collectâ pecuniâ, tum ex donis regiis, tum ex patrimonio, tum ex vectigali quod imposuerat, vinum è Francia in Belgium inuehentibus. Igitur Rex quæsitam opportunitatem sponte admittit, conuenítque per delegatos in viri exitium; vt qui prior ipsum interciperet, vel vitam eriperet, intra octiduum, vel alteri traderet plectendum ad nutum. Verùm Comestabilis mira sagacitate fœdus subodoratus, toras artes in consilium vocans, scribit ad Regem, tentátque Burgundi accusationem euertere; mirari se *quod prudentissimus Rex ab capitali hoste caperet consilium, Regem non latere quantam inuidiam, quantum furorem in ipsum Burgundus conceperit? vt malorum omnium author sit, vt Aquitanum & Britannum igni perpetuo inflammarit; nunc quid ipsi gratius, quid iucundius euenire posse, quam si Regi addictissimus pereat? sanè si fidem meam, quam tentauit omni ratione, potuisset perfringere, nequaquam in perniciem meam exardesceret; at quem fidelem deripere tibi congestis donis non valuit, eum per te perdere congestis dolis conatur, atque amoliri obicem insanæ cupiditatis & consiliorum. Ego nempe Ducis fautor & promotor, cui validissimas vrbes eripui, quem Sanquintino exclusi, quem profligandum exposui, quem si mihi haberetur fides nuper obruebas. Scilicet cùm summis precibus te rogarem, vti inualidum, fame & frigore pene enectum, inter legiones nostras deprehensum includeres, vinceres, atque profligares; tunc amicum*

Rex à Comestabile deliberat.

tuebar,

tuebar, defendebam atque propugnabam? neminem id callere melius quàm Regem ipsum, ad quem preces, studium, atque contentio adhibita forent, quare ipse viderit qua mente Burgundus in exitium suum ruat, nec hostem audiat vltionis furentem libidine & grassantem insidiis, qui ferro non posset. Rex iis literis persuasus, seu fortè veritus ne Comestabilis ad Burgundum se verteret prompto pretio veniæ Sanquintino, legatis rescribit, ab ea re vti abscederent, simúlque ad Comestabilem vel introspiciendum penitiùs, vel demerendum arctiùs, statuit cum eo colloqui. Et ea Comestabilis audacia fuit, vt se Principi suo adæquans, erectis supra amnem repagulis, armatus trecentis armatis stipantibus, Regi collocutus sit inter septa. Et primùm claustro nixus excusauit se, quod loricatus Regi se offerret; id factum, vt se in Chabannij inimici, qui præsens aderat, vim tueretur; tunc priora de fidelitate sua instaurauit. Rex peritè dissimulata indignatione, collaudat prudentiam viri, præteritorum obliuionem ostentat, tantáque adhibet blandimenta, quorum erat peritissimus artifex, vt Comestabilis vel iis captus, vel superbiâ impulsus, metu depositio, ad Regem ejecto septo transiuerit, & Nouiodunum se cum eo contulerit; superbâ arrogantia diffidentiam credulam extinguente. Nouioduni Rex nullis blanditiis parcit, virum vti conciliet, Chabannium cum ipso in gratiam restituit, & millies in amplexus vocatum securitate partâ dimittit. Cæterùm hæc reconciliatio statim effluxit; vbi seiuncti sunt, diffidentia simul atque odium ingruunt. Comestabilem ingens horror percellit, cogitantem quantum in discrimen sese immisisset, quàm grauem Regi intulisset iniuriam; noxas eiusmodi nusquam in subdito condonari; statuitque in posterum ita Regem cauere, vt clementiæ suæ nihil debeat nec potentiam timeat. Regi mens nõ pacatior erat, pudor atque indignatio ob rem gestam; exæquatum Principi subditum suum; impunè fuisse inauditam hactenus arrogantiam; id hostes, id inuidos adscripturos metui; qui clientem timeat, an terrori hostibus sit futurus? elapsam è manibus occasionem vindictæ, & iustissimæ quidem; ac datam perfido grassandi per plura scelera opportunitatem. Ea Regi odium inflammabant, quod in incendium tandem erumpet. Sed in præsentia Burgundi opem exposcebat, quem absorbebat Germanica expeditio.

LVDOVICVS XI.

Comestabilis parcit.

XVII.

Burgundi cõsilia.

Nam concepta semel regni Belgici spe, quando Fridericum Imperatorem blandimentis expugnare non potuit, vi vt adigeret, Germaniæ terrori esse constituit, & suscepto Roberti Bauari patrocinio, qui cum Hermanno Hessio, de Colonienſibus insulis contendebat, Nouesium vrbem leucis quatuor distantem Coloniâ, valido exercitu obuallat. Interea cessantibus indiciis, quid agendum foret Rex deliberabat. Erant plerique auctores, vt in Burgundum distentum alieno bello ipse inuaderet, obruendum omninò quicum nulla spes pacis, nulla concordiæ; nec id commodius posse tentari, quàm si hinc atque illinc Franci & Germani medium conterant. Contra Comminius opinabatur; & singulari prudentiâ, nam asserebat; *Ducem temerarium atque præsidentem permittendum consiliis suis; nihil fore opportunius Franciæ, quàm si hostis iuratus & potens in diuersum hostem efferatur; eam esse Germaniam quam impunè lacessiuerit nemo; tam ampli*

Nuz.

LVDOVICVS XI.

corporis plurima esse & validissima membra; Burgundum postquam alium ex alio hostem conciuerit; victum iri ab aliquo, & obtritum audentissimum caput; nullo Francia malo, ne periculo quidem. Ideò censebat non tantùm inducias producendas, sed modica quædam submittenda auxilia, vt magis ac magis in bellum inceptum immergeretur. Atque ea sententia placuit: Verùm Burgundus semestres tantùm admisit inducias, nam & sua voluebat consilia, eáque immensa, & quæ vires licet amplissimas superarent. Erat quod intra sex illos menses conficeret; Nouesium atque Coloniam pro captis habebat; tum Lotharingiam primo impetu subigebat, iam Ferretam à Sigismundo Archiduce obtinuerat, pignoratitiam; mox Alsatiam, Moguntiam, Argentinum, Treviros, atque Iuliacum occupabat; postremò Heluetios perdomabat; quibus patratis elapsisque sex mensibus, conuersus in Picardiam, Eduardo Angliæ Regi adiungebat copias, & Britanno euocato, Franciæ Regem obruebat haud dubiè, tantis imparem viribus, & opima spolia diuidebat. Eiusmodi animo immodica proponebat, effusissimus in ambitionem; nescius apparare se pro victoriis strages, & recensere in victis quos victus ipse illustres faceret. Ita inducias in sequentem annum repudiat, & Anglum præstolatus, ad Nouesium hæret. Verùm Ludouicus consilia consiliis & prudentiam inconsiderantiæ opponens, laborat in hostibus hosti conquirendis, studétque tot negotiis ipsum implicare, quibus se nunquam expediat, eorum mole tandem obruendus. Igitur Sigismundo Archiduci persuadet, vt Comitatum Ferretæ redimat, Argentinâ, Basileâ, & Colmariâ ciuitatibus, pecuniam suppeditantibus. Tum Renatum Lotharingiæ Ducem adolescentem impellit, vt Burgundo bellum indicat, statímque in Luxembergium inferat, spe facta Andegauorum. Mox Heluetios cum Sigismundo conciliat, sopitis capitalibus inimicitiis, vt Burgundum faciliùs Sigismundus repelleret, ipsósque Heluetios sibi iungit fœdere in decennium, singulis pagis pensione sex millium librarum attributa. Quin & ipse Imperator ingentem exercitũ scribit, atque alterum Germani Principes, vt Burgundum castris pellant; Imperator se illi propiùs admouet, Principes ad Rheni ripam, pontem ex nauigiis stratum fulminantes. Præterea Imperator Regem vrget, post contractum fœdus, vt exercitum adducat, concludendo omni ex parte Burgundo. Rex quia ab Anglo metueret, & à belli alea abhorreret, Imperatori id negat, instátque Burgundo tot inter pericula constituto, vt admittat inducias. Ille per aduersa obstinatior, repulso Rege, obsidioni incumbit, iactans palmas pro hostium numero multiplicandas. Eam ob rem Rex contumaciam vti infringeret; primùm per Duces Artesiam vastat, tum ipse ducto exercitu Tronquium expugnat; Royam, Mondiderium & Corbeiam capit; & profligatis Burgundi copiis victor Artesiæ imminet. Ergo euentu prospero animum erigente, Imperatorem appellat de nouo fœdere, vt communi marte & sumptu Burgundum aggrediantur, spoliandum omni ditione, quam ipsi partirentur. At Fridericus iam belli pertæsus, sua vice Ludouicum repellit, vnúmque pro responso Apologum mittit, quo monebat pellem vrsi licitandam non esse, donec is captus sit, Nihilominus Rex promouebat victorias,

Quibus Rex occurrit.

cùm

cùm noua Comestabilis fraude abducitur. Hic à Rege compellatus, vt educeret copias, cùm Sanquintino prodiisset, illicò in vrbem vt in latibulum se recepit, causatus sibi quosdam milites necem machinantes; & modò veritus post subactam Picardiam totam, ne intercepto effugio vndique circumclusus, Regi præda esset; nouum dolum commentus, illi perscribit, quis Anglorum in bellum esset apparatus, (& quidem omnia explorauerat proditor) tum falsò monet eum in Normanniam exscendisse; ad repellendum patriæ hostem ipse Rex iret, Picardiam fidei suæ permitteret, quam illibatam seruaret, pollicens Peronam & Abauillam, quas solas possideret Burgundus, se statim capturum. Ludouicus siue nimia credulitate, seu desiderio nimio Anglis occurrendi, iam concepto modo quo bellum gereret, in Normanniam legiones ducit, dúmque portus atque vrbes obnoxias lustrat, Picardiam hosti tradit, immoto Comestabile, & prouinciæ stragem spectante. Tum idem vt res implicatas magis ac magis inuoluat atque impediat, ad Burgundum scribit, sibi permolestum accidere, quod absentem Rex premat; iterum ad Regem; fœdus ab Imperatore cum Duce contractum, iunctisque copiis ruere in Franciam; ad Anglum vt festiner, nihil ipsi defuturum, vrbes, copias, omnia pollicetur; imò ad Borbonium, Regi animum esse, fratrem natu minorem promouere, ipsúmque dignitatibus & facultatibus spoliare. Ita fraudulentissimus hominum texebat fallacias, ponebátque retia cunctis Principibus, quibus ipse tandem implicatus & caprus est.

LVDOVICVS XI.

Comestabilis fraudes.

In ea rerum perturbatione, Eduardus Caletum appulit, magno instructus exercitu, tandem nube prægnante in procellam effusâ. Erat Eduardus eo nomine IV. multis de causis Regi perinfensus. Iam annos aliquot de regno Angliæ cum Henrico VI. contendebat, celebri illo familiarum Lancastriæ & Eboracensis litigio, quod Angliæ tot bellis, tot Proceribus, tot miseriis stetit; semel iterúmque depulsus solio, demùm variante rerum humanarum sorte, ope Burgundi cui sororem vxorem dederat, restitutus in regnum tertiùm, Henricum Regem ciúsque filium Eduardum necauerat, sceptróque stabilito transmittebat in Franciam. Sic vno bello trium cupiditates implebat; primùm Anglorum, quorum vetera iura instauraret, tum suam, vltione priuatim impletâ, Ludouicum opprimens perpetuum Henrici Lancastrij defensorem; postremò Burgundi, cui obstrictus pro plurimis beneficiis, ea expeditione vicem rependebat. Extemplò ad Ludouicum fecialem mittit; qui magna iactatione verborum, regnum Franciæ vti auitum patrimonium reposceret, & ipsos Francos in pristinam libertatem reuocaret, vinculáque detraheret, quibus oppressi erant à Ludouico. Rex instituebat depellendi hostis nouam rationem, quódque hactenus intentatum erat, periculosum hostem atque capitalem aggredi statuerat, non armis & milite, sed auro & blandimentis infringere. Nec vllum aliud opus est, in quo illustrius Regis sagacitas atque industria sese produxerit, vt cæteræ victoriæ tam militum sint quàm ipsorum Regum, hæc vnius Ludouici tota laurea sit. Ergo fecialem amicè exceptum multa docet, quæ Anglum mitigent, atque eum à Burgundo abducant;

XVIII.

Eduardus in Franciam venit.

Anno 1475.

LVDOVICVS XI.

rogat vt Regi suo referat ; tum adiungit munera liberaliter, trecentos nummos & segmentum villosi serici, oneratúmque promissis dimittit. Fecialem Eduardo quæ dicta esset renuntiantē Burgundus ipse iuuabat; nam sæpius cōpellatus vti ex fœdere vires suas adiungeret, iam mensem cunctabatur, rémque aspernatus quam tantoperè concupiuerat, ad suum scopulum hoc est Nouesium adhærebat. Vanissimus vir gloriam suam atque infamiam ratus, si immuni vrbe abscedat; iam duodecimum mensem premebat, & quanquam copiis valdè imminutis, cætera posthabens, fingebat animo laudem æternam, si tota spectante Germania atque obnitente, vnam vrbem expugnet. Decem admodùm dies supererant, quibus vrbs necessariis rebus destituta, ageret de deditione, cùm Anglo vrgente, & reditum minante, cogitur spem atque laudem deserere, pacémque cum Imperatore admittere; datum tamen stultæ vanitati, vt penes ipsum vrbs esset per aliquot momenta; statim legato Pontificio danda, & iusto Domino restituenda. Ea compede solutus Burgundus, non ausus exercitus fracti reliquias ad Anglum ducere, paucis comitibus ad ipsum aduolat, instátque vti bellum inceptet. Eduardus à faciale iam demitigatus, moram tantam accusat, conqueritur non adductum exercitum, & incomitatum Burgundum contemptui habet. Sic inter eos sensim discordia irrepit. At Burgundus vt Anglum eliciat, spem Sanquintini occupandi facit, & Comestabilem de promisso appellat; hic instauratis pollicitationibus, tum Burgundo tum Anglo, vtriusque copias quasi vrbem dediturus accersit; móxque aduentantes pellit & cædit. Ea perfidia rursum Anglum irritat, & à Burgundo auertit, veluti conscio proditionis; iterúmque expostulantem, quod militem nullum adduxisset. Mox Burgundo ad euocandam militiam profecto; se desertos Angli conqueruntur, violatam fidem, excitos in Franciam vt perirent; vbi Dux Burgundiæ, vbi copiæ, vbi immensus ille exercitus, vbi ciuitates quæ vltrò paterent aduenientibus? Ludouicus hac dissentione comperta, & famulo pro feciali ad Anglum misso, colloquium impetrat, quo vtrinque delegati ad Ambianum vtroque spectante exercitu, de pace agunt. Primum Rex ad verborum formulas, quæ plerumque rebus ingentibus sunt impedimento, hærere noluit; passus toto colloquio se ab Eduardo vocari, non Regem Franciæ, sed affinem Ludouicum Franciæ; nam nemo Principum fuit, qui minoris gloriæ fucum faceret & inanem speciem dignitatis, modò rem solidam consequeretur; tantúmque perfecit, vt induciæ sint in nouem annos contractæ; magnà quidem pecuniâ, sed leui pretio pro grauitate periculi, ærario nunquam commodius exhausto, quam si pax redimitur. Angli primùm vniuersam Franciam reposcebant, mox vnam Normanniam; tandem mercatorum instar pacti pecuniam pro itineris sumptibus, & annuam in nouem annos pensionem, subscribunt fœderi. At rem promotam optimè varij statim obices procellarum instar conturbant, Comestabilis suam perniciem ex aliena concordia timens, vtrumque Regem seorsim aggreditur, sed ab Anglo repulsus, pro perfido & sychophanta reiicitur. Deinde Angli Proceres prædæ cupiditate illecti, memorésque quanta maiores ex Francia rapuissent, de

Pax cum Anglo.

induciis

inducijs palam murmurantur; Regem accusant ignauiæ,& videbantur haud ægrè capessituri quacunque occasione studium belli. Eos Ludouicus cumulare donis instituit, & profligare gemmis, pecunia, pannísque sericis, obstruens ora vi munerum; & verè Hercules Gallicus catenis aureis hostem illiciens; eámque in rem, nouum cum Eduardo colloquium Pequinij designat. Sed ecce impedimentum omnium grauissimum Burgundiæ Dux, qui audito fœdere aduolat ad Eduardum; vtque iræ impotentior erat, statim verbis amarissimis arguit, congestísque in eum probris quàmplurimis, quem ignauiæ, socordiæ & proditionis accusat; postquam intemperanter bilem effudit, conscensis equis regreditur. Sic ea temeritas & vulneri simul & remedio fuit; Nam Eduardus in hominis superbiam excandescens, ad colloquium promissum se sistit. In Pequinij ponte claustra erecta sunt; quibus intermediis Reges conueniunt, lectóque fœdere, colloquuntur familiariter, Anglo perfidiam Comestabilis retegente, scriptásque ab eo litteras Regi dante. Mox solutum colloquium. Cùm interea Ambianum Anglis pateret, mensis opiparè per compita extructis, & designatis qui aduenas ad opulentas epulas latè inuitarent. Duci Gloucestriæ Regis fratri, qui maximè omnium pacem incusabat, donati præstantissimi equi, & argentum factum quam plurimùm. Sic tandem Angli Caleto soluentes, remigrarunt in Angliam; nullaque est expeditio quæ minoris Franciæ steterit: Nec fortè vnquam Orbi terrarum clariùs patuit, quantùm prudentia atque consilium armis præcellerent, terribilíque potentiæ. Destitutus ab Anglo Burgundus, sibi etiam inducias petit; quas Rex dissentientibus suis concessit, vti in alios vir temerarius pugnacitatem suam conferret. Britanno indulta securitas, quando Anglus omninò eum in instrumento fœderis appellauerat.

LVDOVICVS XI.

XIX. *Comestabilis pœna.*

Consopito difficillimo bello, supererat Comestabilis Principum vltioni iustæ obnoxius, erátque conuentum Burgundum inter & Regem, vt si eum Dux Regi traderet, vrbes & pecuniam haberet in pretium. Nec Comestabilis ignorabat, quanto in discrimine versaretur, dubiúsque perfugij quò se reciperet, ambigebat in quam partem fraudes conuerterer. Vxorem nuper extulerat, quæ Reginæ Franciæ erat soror, nec iam vllo cum Rege vinculo nectebatur; perstabat cum Eduardo affinitas, qui ex sorore ipsius ortum habuerat, sed intercedebat odium grauius, quam vt vlla spe mitigari posset: fuerat cum Burgundo amicitiæ nexus arctissimæ, & eum diu iniuriæ graues resoluerant; nihilominus in eam partem cursum obuertere, atque anchoram figere statuit; ita silentio paucis comitibus Montes proficiscitur, ad Aimericum Hannoniæ Senescallum. Continuò Rex Sanquintinum aduolat, præsidij Præfectum appellat, & maiestate regia præpollente, vrbe admittitur. Iam præmij compos, ad Burgundum scribit, initúmque pactum impleri postulat. Impugnabat Nanceium Burgundus, tota Lotharingia iam potitus; primúmque cunctabatur spe vrbis statim obtinendæ, at cùm Campobassi Itali Ducis proditione produceretur obsidio, Rexque instaret, interminatus se daturum vrbi suppetias, Burgundus id veritus, Comestabilem tradi Regi iubet, & mandatum ab Hu-

LVDOVICVS XI.

goneto & Imbercurtio illicò expletum, Comestabili grauissimis inimicis; ductúsque ipse à ministris Regis Parisios. At Ducem iussi statim pœnituit, missique qui retractarent quod mandatum erat, venerunt serius; festinatione Hugoneti pœnitentiam Ducis præuertente. Extemplò à Cancellario & Parlamenti curia instructa est actio, reúsque maiestatis crimine damnatus, palàm in Grevæ areà capite plexus est; patientiam Christianam sub mortem testatus. Vir primæ nobilitatis, multarum opum, authoritatis ampliſſimæ, pace & bello in paucis insignis; verùm prona ad fraudes indole, nimio illarum studio in necem impegit; iisdem retibus quæ ponebat implicitus, & ab iis captus, quos ludificauerat diù: nunquam euentum prosperum dolo sortiente, & ipso mendacio sibi pœnam per alienas fraudes texente. Rex Burgundo Sanquintinum, reíque pecuniam quæ modica erat concessit, magno vtriusque probro, quod alter obnoxium sibi suámque appellantem fidem vendidisset, emisset alter, & pro Rege institor, subditi pœnam comparasset pecuniâ. Post supplicium Comestabilis, & perfidiam multiplicem vindicatam, Burgundus ipse, qui vnus Regis consilia compescebat, vltrò in perniciem ruit, ac primùm ignominiam, mox necem arcessit. Spoliato, Lotharingo, & capto Nanceio, memor quid Helvetij in se ausi essent, reuocato regni Burgundici desiderio, in eos mouet & ingenti ducto exercitu, turbam rusticam & nullo adhuc facinore claram, post Granſonem captam aggressus, fusus fugatúsque est, direptis impedimentis, ignominiâ maiore quam clade perculsus. Illicò Fœderati certatim à perculso deficiunt; at Rex nondum ausus palàm insurgere, domi res suas nullo iam vetante agit & promouet. Renato Siciliæ Regi diu erat in animo Burgundum hæredem scribere, idque Rex ægrè antè prohibuerat; in præsentia Renatum Lugdunum arcessit, terrétque exercitu ostentato; bonus senex perterritus, Lugdunum venit, & Regi, quod verosimile est tunc perfectum, Prouinciam Phocensem donat; scribunt alij addictam pignori, Rege quinquaginta nummorum millia mutuante, ad redimendam Margaritam Reginam Angliæ, Renati neptem captiuam; quo pretio Margarita omne in Prouinciam ius Regi Regisque successoribus condonaret. Dein Nemursium Ducem, ex Armaniaca familia plectit. Ille olim à Rege plurimis ornatus beneficiis, & ad eius promotus gratiam, boni publici bello se illigauerat, & quamvis veniâ Regis impertitus, ipsi in suspicionem ob communicata cum Burgundo consilia veniebat; securus tamen dum floreret Burgundus, nunc fulcro nutante impetitur, & Carlatio in Aruernis munitissima arce, à Bellijocensi veniæ spe euocatus, Lugdunum, deinde Parisios captiuus ducitur. Parlamento iussum, vt puniendo reo incumberet. At Senatorum plerique, cùm iudicium peragere recusarent, nisi præsente Rege; ipse moram contumaciam interpretatus, iis abrogatis nouos substituit; à quibus damnatus Nemursius, Regi & Delphino mortem intentasse, Parisiis in platea publica capite cæsus est: scelere valdè ancipiti, dicitúrque Rex facti sub exitum vitæ pœnituisse. Burgundus interea ignominiâ fugæ mirè prostratus, momento à se alter euaserat. Sic immensus dolor efferauerat mentem, vt nec vngues nec capillos resecari

Burgundus I. victus ab Helueiis.

Prouincia Regi data.

Nemursius capite plectitur.

Carlas.

Burgundi secunda clades.

resecari passus, ne vestem quidem aut indusium mutauerit; totus hispidus, squallidus, & illuuie obsitus. Et dolor animi corporis habitudinem bonam corrupit; antea totus igneus, & bile succensus, vtebatur potionibus frigidis; in præsentia ita dolor & stupor omnem ignem restinxerant, vt iam merum potanti, crebrò ad pectus admouendæ essent cucurbitæ stupis incensis, quibus frigidus sanguis calesceret, & cordi vitales spiritus sufficerentur. Nihilominus frigidam mentem incendebat vindictæ cupiditas; atque adeò exercitu instaurato, Moratum in Helvetiis oppidum cingit. At victores magno numero ipsum aggressi, iterum vincunt, aguntque in fugam, strage Burgundorum ingenti, suorum permodicâ, & Renatum Lotharingiæ Ducem qui cum ipsis pugnauerat, magna prædæ donatum parte in spem erigunt ditionis recipiendæ.

XX.

Burgundi cades ad Nanceium.

Enimverò Ludouicus deposita simulatione an metu, in Burgundi perniciem surgit, Heluetiis pecuniam multam distribuit, Renato pecuniam & militem, modicum tamen, nondum ausus Leoni saucio totus incumbere. At Renatus Lotharingis fauentibus, in plures vrbes admittitur, Nanceiúmque obsidens, altero mense præfectis, validissimam vrbem dedentibus, cum ciuitate primaria Lotharingiam totam recuperat. Burgundus post Morati cædem in pago Burgundiæ sex hebdomadas solitarius egerat, infrequentia hominum ac deserto loco dolorem pascens, atque alens conceptam iracundiam; & tametsi lentè haberetur delectus militum, detrectantibus Flandris, & deficientibus fœderatis, tamen ea animi obstinatio erat, vt exercitum scriberet; quem tertiùm in Heluetios duceret. Verùm amissa Lotharingia, captúmque Nanceium furentem percellunt; ergo dilatis Heluetiis, inuadit Lotharingiam, venítque Nanceium biduò postquam vrbs erat dedita. Ineunte Octobri, imbres, frigora, gelúque imminebant, pluresque erant Burgundo auctores, vt omissa expugnatione proxima municipia milite impleret, ac detractis alimentis vrbem sensim infringeret, donec vere proximo institueret oppugnationem. Verùm ille excluso consilio, suisque quàm hostibus terribilior, castris vrbem cingit, cœli procellas annique intemperiem simul cum hoste victurus. Nec occasio defuit abscedendi à pernicioso consilio; siquidem Alphonsus V. Portugalliæ Rex in Franciam venerat, à Rege suppetias flagitatum; ille Ioannam filiam Henrici Castellæ Regis in vxorem duxerat; Isabellam sororem Ferdinandus Aragoniæ Princeps; moto bello, & Castellanis Ioannam vt spuriam excludentibus, victus erat Alphonsus, appellabátque opem Ludouici. Sanè multo honore, & magnificentia regia, in via exceptus, & ab ipso Rege promota spe verbis promissisque magnificis, iam rem actam putabat, cùm animaduertens nihil dari nisi verba, ratúsque nihil à Rege impetrari posse, dum à Burgundo dissidet, conatur vtrumque in concordiam reuocare, matrimonio Delphini cum filia Burgundi proposito; atque vltrò citróque ingenti studio commeabat, cum adest Renatus Heluetiorum decem millia ducens ad Nanceium obsidione soluendum. Continuò abrupta pax, inflammato ad pugnam Burgundo. Dehortantur Duces, ne pugnam tam iniquo tempore inceptet; copias

Alphonsus Portugallus in Francia.

niuibus

LVDOVICVS XI.

niuibus, gelu & miseriis perditas, obiici integris sine clade non posse, Flandri orabant, vt in Luxemburgum secederet, polliciti Vere proximo omnem contentionem adhibituros, vti hostes subigeret; Campobassius cum turmis equestribus ad hostem transiuerat; aliique ab Ludouico detracti; plures Francorum se Renato adiunxerant, de industria exauthorati à Rege; & singula proximum exitium portendebant. Tamen nihilominus ille in perniciem suam conspirans, sibique hostis acerrimus omnium, sexta Ianuarij die ruit in prælium; quo exercitus cæsus est, & in fugam actus; pleríque in fuga ipsa necatis. Nam Compobassius ab Heluetiis exclusus, perfidiam detestantibus, negantibúsque cum proditore misceri, ad Mosellam hæserat, loco apto ad fugam hostium intercipiendam; cæteros rustici in siluis perimunt. Dux ipse pugna æstuante, cùm suos pelli inspiceret, desperatione actus, & ferendæ ignominiæ impar, si tertiæ cladi superesset, mori voluit, séque abdens in confertissimam aciem, tribus plagis occubuit; sarissâ renes ictus & femora, capútque securi ad dentes diffissus; anno ætatis quadragesimo tertio: immodica ambitione hunc finem sortita; vt qui condere nouum regnum ambiret, prosapiam suam extingueret, auitámque ditionem exteris traderet; arrogantia & temeritate præceps in voraginem ruens, quam hosti parabat. Dictus est pugnax atque terribilis, vanis nominibus nouam perniciem haud amouentibus. Latuit diu ignotum cadauer, donec à meretricula prædæ studio euoluente cadauera, repertum est in fossâ, niue & glacie obrutum, agnitúmque productis vnguibus, & colli cicatrice. Renatus ablutum honorificè excepit, dignitate Principis hostilem animum restinguente; stetítque ad cadauer pullatus, ad luctus indicium, sed barba aurea mento affixa; quod olim fortitudinis bellicæ signum erat & præmium. Multis post annis viuere à subditis existimatus est, & præ dolore in solitudine agere, erupturus, cùm ignominiam luctu purgasset; adeò sibi illudere desiderium amat; & erroribus tantis obnoxij nos ipsi decipimus. Dicitur eo die quo pugna conserta est, & Dux cæsus, Angelus Cattus Neapolitanus, Astrologiæ peritissimus, casum præuidisse; cùm enim Turonibus in Sancti Martini sacris operaretur, dum Regi traderet pacem osculandam, dixit, *Domine, Deus det tibi pacem, eam si vis habes; consummatum est, Dux Burgundiæ modo cæsus est, profligato exercitu.* Rex ad lætum nuntium, stuporem inter subitámque lætitiam, vouit ædi clathros argenteos, qui ærei erant, donauítque Cattum Viennensibus infulis; arcano potius quodam præsagio, quàm inani Astrologia rem significante; is Burgundo quondam adhæserat, & post Morati cladem, præuisâ eius ruinâ siderum beneficio, ad Ludouicum defecerat, quamquam prudenter rem consideranti, sua ipsi sagacitas pro sideribus fuit.

Dux cæsus.

Anno 1477.

XXI. *Ludouici festa.*

Postquam certis nuntiis Burgundum occubuisse rescitum est, Ludouicus in immensam prorupit lætitiam, in fictam Proceres, dolorem tacitum metu suscitante. Quippe Regem solutum vinculis, immoderatæ potentiæ licentiam factam, amoto repagulo decursurum torrentem insano impetu; & grassaturum per omnium capita effrenatè, quia impunè; iam nullum

modum

modum imperanti futurum, præter ipsum arbitrium. Porrò ipse Rex, post delibatum gaudij occupantis sensum, se in consilium vocat, deliberátque quid tanto in momento agendum sit. Omninò statuerat Burgundicas terras inuadere, & ditiones amplissimas regno adiungere: eo per duplicem viam ibatur; altera pacis & concordiæ erat, si Delphino Mariam Burgundi filiam daret; altera belli atque potentiæ, si suo iure in pupillam & ditionem inuaderet. Erat quidem per nuptias via suauior, & forsan efficacior, sed præpolluit altera, tum ob ætatem nubentium valdè inæqualem; nam virgo mariti potens vigesimum annum implebat; Delphinus púbertatem vix dum attigerat; & Ludouico erat longè acceptius per artes suas & arcanam peritiam comparare prouincias; quando quisque suam artem libenter exercet; quàm ratione peruia atque perfacili fines prorogare, nulla ingenij laude, nulla in posteris commendatione. Nec ius deerat, quod inuasioni prætenderet; nam præter ditionis publicationem, quam toties Dux ob instauratam perduellionem incurrerat, affirmabat Ducatum Burgundiæ, feudum esse regni, quod ad masculos duntaxat spectaret, nec Regum secus permittentium exemplo regni leges violari posse. Idem ius in Arresiam vindicabat quæ à Ludouico sancto Roberto fratri permissa erat conditione eadem; Comitatum Burgundiæ Otho vltimus Comes, Philippis Pulchro & Longo donauerat, extabátque donationis instrumentum; vrbes ad Somonam diuulsa erant à Picardia membra; plurimæ in Flandria ciuitates, ab Comitibus suis Francis concessæ, vel in pignus vel in pœnam erant; cætera virgini cederent; nisi moto iurgio, belli & victoriæ iure raperentur. Quid, quod consilium promouebat facilitas; virgo hæres spe, auxilio, & peritia rerum destituta, tam iniuriæ quàm cupiditati obnoxia; populi animis & vtilitate diuersi; ingens corpus, sed nulla mente, nullo robore præditum. Ita in eam partem se Ludouicus conuertit; an benè, euentus infortunatus exemplo est; sanè pupillam opprimi, contra æquum erat, & discussit Deus subdolas artes; Rege ipso artifice in regulam suam & præcepta peccante. In præsentia stabilito consilio, Procerum animos mitigauit & ostentatâ clementiâ, parcendo pluribus qui à Burgundo steterant, dispulit metum. Mox ad rem aggressus, Burgundos & Picardiæ vrbes sollicitat; nec frustra, Burgundorum comitiis statutum, vt ducatus ipsi traderetur, dum Maria nuberet; ipsi in Picardiam venienti vrbes patent, Abbauilla, Hannum, Sanquintinum; & Perona postmodum à Bischio præfecto prodita. His patratis, vti in Flandriam peruaderet, Gandauum Flandriæ caput, mittit Oliuerium Damam, qui oppidanos vel palam ad res nouas inducat, vel clam promissis spéque alliciat. Is non procul ea vrbe natus, arte primùm tonsor, dein ob versipellem indolem Regi gratus, admissúsque ad arcana, & comitatu Meulanchi donatus, in spem venerat conciliandæ amplæ ciuitatis; adestque Gandaui ingenti opulentia originis sordes obducens. Verum Gandauenses indignati popularem suum sibi illudere, & vertentes opprobrio tam amplam prouinciam vrbis demerendæ viliissimo capiti demandatam, in hominem insurgunt, atque adigunt fugere vt periculo eripiat se. Nihilominus is Tornacum venit, tantúmque

LVDOVICVS XI.

Ludouicus ditionẽ Burgundi inuadit.

Le Daim.

Meulane.

LVDOVICVS XI.

tantúmque contendit vti ciues Francum admiserint. Nec Flandrensibus tentata arma euenere feliciter; Adolphum filium, Gelriæ Ducem, à Burgundo in carcerem missum, liberauerant, copiisque præfecerant; cùm sub Tornaci muris profligantur, & ipse Gelrius, receptum inter vltimos curans, occisus est. Iam Flandros animus deficiebat, adeóque mens & consilium defecit, vt legatione celebri ad Regem Proceres miserint atque optimates, rogatum vt Principissæ tutelam curámque susciperet, atque eam cui ipse vellet nuptui daret. Præclara erat Regi occasio vno retis iactu prædæ concludendæ, si Delphino, vel Franco principi nubendam dedisset; sed hic veterum artium instaurator, aggressus Proceres singulos, blandimentis, promissis, & donis, expugnare inceptat. Inter plurimos quos deuinxit, vnus memorabilis Philippus Crepecordius Cordij Dominus, qui pro Duce Picardiam atque Artesiam administrabat, magni momenti in quam partem se daret; Hugoneti, & Imbercurtij illibatam fidem frustra tentauit; iam tunc viris machinatus exitium, vt quibus fides stabat, salus vacillaret. Primum Cordij opus Atrebatum fuit cuius partem Regi tradi curat, quasi futurum proximæ paci præludium. Etenim Atrebatum bifariam in ciuitatem atque vrbem diuisum est (postea Arx pars tertia accessit) ciuitatem Episcopus cæterique viri Ecclesiastici incolebant, vrbem ciues; hæc muris cincta & munita egregiè, illa aperta & nuda mœnibus. Ergo ciuitate potitus Rex vrbem impugnat; quæ quidem vim repellit fortiter; ducebátque subsidia ab proximis vrbibus Vergius nobilis vir; verùm ea à Ducibus Francis intercepta, deleta sunt, ipséque Vergius captus est; vrbsque ideò ad deditionem adacta, euertenda ab irato Rege, nisi Cordius interessillet, irámque expugnasset. Vna serie Cameracum captum, Quesnoium & Rohanium, ad quam cæsus Taneguius Castellius, vir ille præclarus, manu promptus, fortis animo, prudens mente, integer fide, vnus è pluribus quos Heroes Franciæ Britannia dedit. Inter Atrebati oppugnationem, Rex Hesdinum & Bononiam capit, voluítque hanc vrbem iustitiæ & pietatis esse monumentum: Nam Comitatum Bononiæ Turriano Aruernorum Comiti Burgundus eripuerat; Rex in eius vicem dat Turriano Lauracos, qui sunt in Occitania superiore, & ipse pro Bononia Deiparæ Virgini clientelam iurat, Regésque posteros ad præstandum idem officium adstringit; pio instituto, vt quæ Regina mortalium omnium foret ab ipsis Regibus honore proprio coleretur.

Creuecœur des Cordes.

Vergy.

De la Tour. Lauraqués.

XXII. *Gandauenses Mariæ vim inferunt.*

Opportunitatem vincendi Gandauenses Regi apparabant; ij Principissam cùm penes se haberent, prouinciarum regimen vsurpabant; atque vt erant turbulenti, potestatis amantiores quàm Principis, Burgundos eiecerant, comitiisque in pomœrium suum euocatis, omnia ad arbitrium moderabantur. Verùm Principissa priuatim Cancellario, Hugoneto, & Imbercutio addixerat se, viris prudentibus & perspecta fide, quorum consilio oppidanorum proteruia emendaretur. Eam ob rem Maria ad Ludouicum scripserat: nam id erat Principissæ nomen, dum Peronæ agit, quatuor duntaxat capita suis præesse, nouercam Patris viduam, Raoulinum fratrem Ducis Cliuensis, & affinem suum, Hugonetum, & Imbercurtium; rogabátque

rogabatque vt cum iis solis Rex ageret, quoties cum ipsa quid paciscerctur. Aliquantò post Gandauenses Regem conueniunt, dum Atrebatum vrbem impugnat, multásque pacis conditiones proponunt. Ille vt discordiam inflammaret, oleúmque flammis iniiceret, frustra ea proponi respondet, cùm nulla auctoritate Principis fulcirentur. Cùm ea & luculenta affirmarent se præditos, Ludouicus Mariæ literas explicat, legit, traditque, vt suo otio eas inspiciant. Ij extemplò concepto furore, & abrupto colloquio, Gandauum aduolant, & exhibitis Mariæ cum opprobrio literis, Hugonetum corripiunt, & Imbercurtium, ac lite intra sextum diem instructa, reos damnant capite, nulla alia noxa, quam probatæ in Principem fidei, & concitatæ ob probitatem inuidiæ. Maria vt supplicio intercederet, nihil non tentabat; & quandoquidem vim adhibere non poterat, ipsa alienæ obnoxia potestati, adeóque vim patiens, ad muliebria arma conuertitur, lachrimas, preces, & supplicum obsecrationes si induratas mentes fortè inflectat. Primùm in publicis Ciuitatis ædibus, Domina genibus flexis subditorum clementiam appellat; tum repulsa, cùm in foro rei, sub gladio essent, pullâ stolâ, passis crinibus, lacrymis atque singultibus, perorans, miserorum salutem efflagitat; sed frustra preces fuerunt & lacrymæ, reis caput metitur; atque ipsa propemodùm captiua, nouercâ & Rauastino electis, eò miseriæ agitur, vt nullus ne ex domesticis quidem ipsi quid in aurem insusurrare auderet; omniáque palam, in Gandauensium delegatorum oculis agerentur. Ludouicus interea Comitatum Burgundiæ qua vi, qua clandestinis consiliis occupabat, Orangio Principe promouente consilia, qui semel iterúmque à Burgundo ad Regem defecerat, iamque in ruinam præcipitabatur Burgundica Domus, nisi marito dato Mariæ subueniretur. Is plures inter quæsitus Maximilianus Friderici Imperatoris filius, cæteri repulsi; quippe Delphinus puer admodum erat, virgo iam grandis; Carolus Inculismensis, gratus quidem virgini, sed Regi parum, qui Principem Francum eò potentiæ euehi non probabat; Cliuensis filius ob mores grauis puellæ erat; Riuerius Eduardi affinis nulla erat dignitate spectabilis; ita Maximilianus vnus relictus, ætate & maiestate familiæ tantis nuptiis par Gandaui nuptiæ celebratæ, sumptu quem sponsa præbuit; nam sponsus parcissimi patris filius, ne ad iter quidem sufficiente pecunia, Coloniæ substiterat, inops commeatus, & ad fœlicitatem admittendam ne instructus quidem. Idque fundamentum est quo Austriaca Domus in tantum apicem se erexit, Belgio Germaniæ continuato, ac tot prouinciis per nuptias comparatis, quæ acquirendi ratio facillimæ & commodissima. Et verò Regi contemptui erat Maximilianus, imperitus hactenus adolescens, & per auaritiam patris magnis impar; maiori solicitudini erat Eduardus, qui bellum intentabat ab Anglia. Expostulabat acerrimè, quod neptis patrimonium Ludouicus diriperet, flagitabat impleri Delphini matrimonium cum filia, quod venerat in Pequiniaci fœderis conditionem; ac tametsi impediretur pinguedine, & gula, otio atque amoribus delinitus, à bello admodũ alienus erat, tamen ita Proceres ignominiam otij lacessebant, vt periculum foret, ne auulsus à voluptatibus ad honestum bellum

LVDOVICVS XI.

Maria nuptiæ cum Maximiliano.

Eduardus à bello prohibitus.

LVDOVICVS XI.

bellum, accingeret se. Incendebat præterea Britanniæ Dux, ratus ærumnas Ludouici, atque discrimina, tutelam suam esse & securitatem, ac certior de auersissima eius voluntate, alligabat potentiam. Ea omnia Rex explorauerat; nam Britanni litteras per exploratores intercipiebat, & accuratè exscriptas perferendas ad Anglum dabat, autographo penes se seruato. Igitur Eduardum vt sisteret, eadem arte qua depulerat aggressus, eius Oratores donis atque pecuniâ cumulat, multa pollicetur, varia & diuersa consilia identidem proponit; modò Belgium æqua parte cum Anglo diuidit, modò Hollandiam Anglo donandam inuadit; modò Comitatum Bononiensem dimittit: ita distractum Anglum spe varia, nusquam eosdem Oratores mittendo, vt diuersi semper diuersa proponerent, ludificatus est, minásque discessit; eò magis quòd munera vltra Oceanum nauigabant, & peruadebant in ipsum consilium, deuinctis quamplurimis, & liberalitatem Regiam in ære suo pro numerato habentibus. At Britannum, postquam exhibitis ad Anglum litteris, de perfidia arguit, veterem litem Blesensis familiæ suscitauit; Ducémque adegit fœdus Anglicum prorsus eiurare. Et eo tempore Ludouicus veredarios equos per regnum instituit, vt celeritate multa vecti cursores, tum in prouincias iussa sua deferrent, tum ad se perferrent, quid intenderent singulæ. Nouum iuuentum, siue à veteribus repetitum, rebus publicis priuatísque percommodum; & ad Ludouici indolem mirè factum; quo interesset suorum rebus, consiliis & cogitationibus; atque instar famæ, mille linguas, aures, atque oculos sibi apponeret. Obseruatum tamen eo instituto simplicitatem primam defecisse, in fraudulentas artes degenerem, multiplicatis negotiis & fallendi studiis, per mutua commercia aduolantibus vitiis, semper lentis ad virtutem mortalibus.

Instituti veredarij.

XXIII. *Bellum cum Maximiliano.*

Ita pacem constitutam bellum interpellat, ab Comitatu Burgundiæ ortum. Orangius eam prouinciam ad rebellandum impulerat. Erat Cranensi in vtramque Burgundiam præfectura, qui Orangio promissas vrbes non restituebat, & Burgundos violentis pecuniæ exactionibus diuexabat. Itaque Orangius qui tam facilè partes quàm vestes mutaret, transiens ad Maximilianum, Sequanos haud ægrè à Rege abducit. Cranensi huius belli mandata prouincia, qui cum Dolam obsidet primariam regionis, erumpente ciue, malè multatur & pellitur. Regi permolesta hæc ignominia fuit; vnde substituto in Cranensis locum Carolo Amboso, nouo Duce, nouum gestum est bellum. Primùm Amboisius pecuniâ hostem aggreditur; atque, Orangij milites, quandò plerique Germani erant, stipendiarij, nec Duci erat vnde numeraret, Maximiliano inope; eos Amboisius, auro præbito, Orangio detrahit, auctúsque Heluetiorum legionibus prouinciam subigit, Dolam ipsam expugnat, direptámque incendit; Dum hæc in Burgundia, Rex in Picardia numeroso exercitu imminebat Artesiæ, cùm Maximilianus proponit inducias, nuptiásque Delphini cum Margarita, quam nuper ex Maria susceperat. Receptæ à Rege inducíæ, cui Martis alea non placebat. Nec tamen pugnam prohibere valuit, quæ ad Guenegastam conserta est, post finitas inducias. Maximilianus repetito bello Teruanam vrbem obsidebat;

obsidebat ; Cordius in Picardia Prorex , rapto equitatu , atque octo millibus sagittariorum , ductore Ioanne Estoteuilla , ad soluendam obsidionem festinat. Maximilianus post munita castra , abducit exercitum , occurritque Cordio ad Guenegastam , pagum inter Teruanam & Ariam. Conserto prælio , varia sors vtrumque exercitum sternit ac erigit. Francicus equitatus hostilem profligat, & in fugam vertit ; verùm pedes vincitur, plerisque hostium Nobilibus cum Nassauio & Romontio relictis equis pedites inter pugnantibus. Nec euentus in alterutram partem certior fuit, Franci quinque millibus suorum amissis , abscedunt ; Flandri in campo pernoctant , quem decem millia suorum sternebant ; ita librata victoria , vtrosque afflixit , neutrum amplexa ; nisi quod vtriusque iactantiam & inanem gloriam aluit ; dixerim vtrumque potiùs profligatum, cùm hinc inde præterea nihil gestum sit ; & pactæ in aliquot menses induciæ. Quarum interuallo , Rex animi morbo , postremò corporis primùm tentatus est. Iam antè nece Iuliani Medicæi audita , quem Florentiæ aduersa Passiorum factio interemerat , metu admisso , circumspiciebat quomodo contra insidias se tueretur. Centum Nobiles in custodiam suam designauerat , qui diu noctúque deinceps in tutelam suam vigilarent , adiunxit mox alios quos Pensionarios vocauit ; incedebat semper ad latus ephebus, præferens ingens venabulum ; iussúmque stipatoribus erat , vt eos occiderent , qui ad se facultate non habita penetrare auderent. In præsentia iam deficere vires percipiens , & festinata senectutis mala per animi curas , sibi diffidens , foris infirmitati fulcrum positurus , exercitum Prætorianorum instar instituit. Delegit viginti peditum millia , ex Heluetiis , Normannis , & Picardis , hastis & sariissis armatos , equites cataphractos mille quingentos , atque operas bis mille octingentos, machinas bellicas & omne instrumentum adiunxit ; castra metatus prope Arcuatum Pontem in Normannia ; in quibus exercitus haberetur disciplina veteri ; eámque ob rem immunes sagittarios exauctorauit. Verùm haud multò post , mutatâ sententiâ , solutis castris easdem copias in præsidia distribuit , ac prudenter quidem ; deponente Principe authoritatem & salutem suam penes exercitum , & gregario milite vsurpante quod libet , dum quod licet exequitur. Eodem metu Rex heredes proximos educabat humiliter , igneos spiritus sensúsque regios oppressurus si posset. Ludouicum Aurelianensem Caroli filium , primum regij sanguinis , exclusum ab aula , inter viles famulos ali curabat , nullo admisso qui generosam indolem excoleret ; imò vt viuenti spem vitæ in posteris prorsus adimeret, per vim ad nuptias Ioannæ filiæ adegerat , præter eius deformitatem insignem , gibbosæ & claudæ , & ad fœtum concipiendum ineptæ. Quin & Delphinum amouebat ab omnium oculis , Amboisiæ educatum à fœminis, nullo bonarum artium Magistro , relictum siluescentis instar arbusculæ indoli suæ , atque ita abditum , vt diu mortem obiisse existimatus sit. Mox ægritudo corporis ad animi morbum accessit , deliquio correptus deinde paralysi , omni sensuum vsu orbatur. Primo morbi accessu , cùm arrepere ad fenestram vellet , prohibitus est à domesticis verentibus ne frigus aëris incommodo foret ; ille vbi primùm vocem recepit , domesticos

LVDOVICVS XI.

Anno 1479. *Pugna ad Guenegastam.*

Regis prima ægritudo.

Pont de l'Arche. Franc-Archers.

LVDOVICVS XI.

expulit, neminem sibi aduersum patiens, ne salutis quidem procurandæ causa. Nondum à morbo conualuerat; illigatis adhuc externis sensibus, & Principis munus repetebat, sibi quæ consilium statuisset, voce & scripto proponi volebat; præbebat aures referentibus; quanquam occlusas, nullumque sonum admittentes; admouebat oculos scriptis, quibus nihil legeret; inconditum vocis emittebat sonum, volebátque obtemperari mandatis; inani imperandi specie infirmitatem sustentans; quasi animo versatili qui fraudem suis tam sæpe fecisset, per corporis sensus posset illudere. Ex ægritudine tandem conualuit, sed diffidentia simul timórque perpetuus sic excreuit, vt nemini in posterum securitas foret.

XXIV. *Principum mortes. Maria mors.*

Recreato ex ægritudine, cum Maximiliano imminebat bellum; idque sollicite apparabat, quasi gesturus, cùm intercedente legato Pontificis, admisit inducias, iam ad ampla consilia minùs aptus. Verùm Mariæ Burgundicæ morte, rursus in bellum, & sponte quidem reuoluitur. Ea equo lapsa, quem vterum ferens inter venandum impellebat ad cursum, & fato rapta, Philippum & Margaritam liberos Maximiliano reliquerat; atque continuò Gandauenses pulso Maximiliano, & liberis in potestatem suam assertis, regimen vsurpant. Nec cessat eo articulo Ludouicus, exercitum Cordio tradit, cinctámque Ariam obsidione expugnat; tùm per Guillelmum Marxium, Leodiensem Episcopum pellit, Burgundicis partibus addictiorem, & Gandauensium animos tam peritè tractat, vt Margaritam impetrauerit Delphino locandam, Artesiâ & Comitatu Burgundiæ in dotem traditis. Amboſiæ nuptiæ celebratæ, quanquam imperfectæ ob sponsæ ætatem. Porrò iis nuptiis gravis iniuria Eduardo Regi infligebatur, nam fœdere Piquiniaco pactum matrimonium cum eius filia erat, patebátque ludibrio, tot promissis inanibus. Eámque ob rem, tum dolore, tum indignatione, tum pœnitentia credulitatis, tum molestia, quam suorum opprobria faciebant, concepto morbo, breui extinctus est; octo liberis relictis, quibus Richardum fratrem Gloceſtrium Ducem tutorem adscripsit. Attamen Regi nondum parta securitas erat, nisi Gloceſtrij scelera potestatem nocendi, Anglo detraxissent. Ille barbara ambitione pietatem violans, Eduardum & Ricardum nepotes perimit; filias neptes spe regni excludit, & per calumniam Eduardum patrem spurium dicit, per adulterium matris, mox scandit in solium, tot tantísque criminibus in gradus substratis. Ludouicus detestabilis Principis legatos & fœdus abominatus est. Ad ea funera, Renati Siciliæ Regis accessit obitus, per multam ætatem omnem fortunæ sortem experti; eiúsque obitu Phocensis Prouincia ad Regem peruenit; siue eum heredem Renatus scripserit, siue Carolus Comes Andegauensis, patruo paucis mensibus superstes; ampla prouinciâ regno insertâ, atque ad primos Galliarum limites promouente; ita Mediterraneum intra vastos fines inclusum est, vt mari gemino Francia quasi geminis brachiis potestatem prorogaret atque victorias. Id Regi gratum; at molestissima Gastonis Phœbi Regis

Anno 1482.

Prouincia data. Anno 1482.

Gastonis Phœbi mors.

gis Nauarræ mors ; Princeps adoleſcens ex Gaſtone Rege , & Magdalena ſorore Ludouici natus , puer obitu patris ad ſolium euectus, ſpem magnam alebat , cùm repentè ſubito fato opprimitur. Dicitur ex tibia mortem hauſiſſe ; cùm enim ſemel vnâ caneret , & earum capiebatur modulatione , veneno afflatus , ſtatim occubuit ; morte per inſtrumentum gaudij ſubrepente ; matrem ſolatus eſt præclariſſimis verbis illis ex ſacro Euangelio vſurpatis , *Regnum meum non eſt de hoc mundo , non turbetur cor tuum , ego vado ad patrem.* Catharina eius ſoror , atque hæres poſtea Ioanni Albretio nupſit , regno Nauarræ ad Albretiam ſtirpem traducto. Poſtmodùm morbus peſtilens graſſatur in Francia; eo correpti ardentiſſima febri vrebantur , tam atroci dolore caput opprimente , vt plures quà vi morbi quà phreneſi rapti , in mortem ruerent, vel impacto in muros capite , vel in puteos caſu præcipiti , vel per inuia obuióſque campos ſparſo curſu. Sic priuatæ ac publicæ calamitates nouo metu implicuerunt Regem ; primùm animo , deinde corpore in priorem morbum reuolutum. Dignum eſt orbis terrarum ſpectaculum , & humanæ fragilitatis ſcena ampliſſima ; Rex potentiſſimus , quem Europa ſuſpiceret , metueret Francia , qui terrori vel Principibus foret , qui eos ad nutum caueis ferreis , anguſtis admodum , includebat , qui compactis in carcerem globos ferreos , immenſi ponderis appendebat ad pedes ; qui laqueo & ferro tam multos ſuſtulerat ; ille inquam Rex , vice nunc ſua abiectus , trepidus , séque vltrò in carcerem , atque in vincula mancipans ; vt Diuinæ iuſtitiæ reus , pœnâ exemplo ſit offenſioni qui culpâ fuerat. Biennio antequam moritur , ſe Pleſſiaci ad Turones domo concludit ; voluptariis ædibus , in carcerem verſis ; foſſis ſeptus , clathríſque ferreis , ex ferro muricibus ſupra murum prætenſis , & excubantibus diu noctúque in foſſà vigilibus , qui accedentes telis repellerent. Pauciſſimos in cubiculum admittit , excutiuntur veſtes accuratè , ne quis ſicam occulat , pugionem , aut cultrum ; familiares etiam & affines ſuſpecti ſunt ; generum, filium , filiámque perſcrutantur cuſtodes ; ab Calabria Franciſcum arceſſit , Minimorum Ordinis Conditorem , virum ſanctitate vitæ , miraculíſque percelebrem ; præſentem flexis genibus inſtar numinis orat , ſibi vitam vt proroget , ipſi omnia , ſuóque Ordini pollicetur ; ſacras reliquias ex Europa tota corrogatas veſtibus inſerit , iiſque ſe in mortem communit ; preces publicas toto regno ad auertendum Aquilonem indicit , qui ventus ipſi erat incommodus ; palatium redundat mulierculis , nouas preces & noua vota inſinuantibus ; ſe mancipem Medico tradit , vili & arroganti in paucis ; decies mille nummos in menſtruum ſtipendium donat , eiuſque ad nutum imò ad contumelias ſe patienter accommodat ; ſacra omnia & profana tentans mortem vt pelleret. Verùm in eo receſſu , ne credatur iam ante obitum præſepultus , ſe viuum regno & Europæ promulgat ; edicta & leges nouas in dies cudit & recudit ; magiſtratus abrogat atque inſtaurat ; delectus militum haberi & machinas apparari iubet , loricas Mediolani emi plurimas curat ; quæ in ſingulis regnis rara eſſent & pretioſa comparat ; ſumptuosè

LVDOVICVS XI.

Peſtis atrox.

Regis morbus extremus.

Pleſſis les Tours.

LVDOVICVS XI.

sumptuosè & magnificè indutus progreditur; morti per omnia volens illudere, quasi qui omnes dissimulatione hactenus fefellisset, posset morti & fraudem facere.

XXV. *Regis mors.*

Sed extremum fatum nec vi retunditur, nec fraude luditur. Morbus recrudescit, & necessariò Ludouicus decumbit, regni insignibus dimissis ad filium, Cancellario, sigillis, & Regiæ domus administris; nondum tamen spem deposuerat, cùm admonetur à Medico finem instare, & ad extremas metas vitam peruenisse; nouo accessu doloris, vt quem vitæ custodem & prorogatorem existimaret, eum acerbissimæ mortis haberet nuntium. Ita Sacramentis expiatus obiit, ætatis anno sexagesimo primo, prima senectute, quam curæ animi atque ægritudines præcipitauerant. Sepeliri Cleriaci, in Deiparæ æde voluit, vel testandâ in Virginem matrem obseruantiâ, vel vt sepulchro seiungeretur ab Regibus à quibus adeò discrepuerat vitâ. Attamen væ soli; fracto pòst ab Hugonotis tumulo, sparsisque cineribus. Vix in vllum Principum tantum famæ, post mortem licuit; metu pressæ voces eruperunt extemplò, & vt vulgus rapitur ad extrema, vitia Regi affricabant omnia, virtutes tollebant. Ego vt abstineam ab insanæ plebis rumoribus, non inficiar quin excelluerit Ludouicus in multis, at redarguendus longè in plurimis. Religionem haud dubiè hauserat, atque in res sacras venerationem, præsertim in Deiparam Virginem, ac tametsi aliquoties speciem pietatis priuatis consiliis prætexuerit, tamen menti hærebat rerum Diuinarum cultus, aut timor. Regnandi artem apprimè callebat, nihil fortunæ permittens aut aleæ; nec metu aut ignauiâ cessabat à præliis; nam adolescens ingenti animo obiectabat vitam periculis, sed consilio atque prudentia nitebatur quàm maximè; gnarus sapientem, quantùm homini licet, res suas sorti casuique subripere. Regis partes implebat eximiè, regiæ dignitati, maiestati atque incremento cætera posthabens; promotis fœliciter studiis, vt Franciæ fines versus omnem partem protenderit, adiunctis ad meridiem, Ruscinocensibus atque Phocensibus, ad occasum Andegauensibus atque Cœnomanis; ad Aquilonem magna Picardiæ parte, atque Artesiâ; ad ortum vtraque Burgundia, vt cum paucis admodùm Propagator Imperij dici possit. Atque eæ laudes sine controuersia debitæ, quas exaggerasset grata posteritas; nisi pluribus & grauissimis vitiis contaminarentur. Cunctis terribilis, nemini charus; Principes habebat pro mancipiis, mancipia pro Principibus, vilissimis homulis addicebat se, tonsori, medico, cubiculario; & dignitate natalium spretâ, vel suspectâ, amabat ingenium, ac gratiâ promouebat, nullo metu, nulla cura; facile repressurus quos euexisset è puluere. Plebem immodicè tributis vexauit, egitque ad tantam inopiam, vt plerique rustici aratro de collo suspenso terram proscinderent; immensas opes plerumque improuidè largiebatur, alendis speculatoribus, & serenda proximos inter discordia; cùm priuatim nulla dignitate, nulla maiestate ageret, cultu obsoleto, deformi pileo vetustate, manicis ad thoracem veterem instauratis

Anno 1483.

Eius dotes.

Conqueuant.

instauratis, & inunctis ocreis sero pingui, vt præter potentiam atque sæuitiam nihil regium saperet. Nam sæuitia in eo supra modum hominis Christiani & Franciæ Regis, vt carcer, caueæ, ferreique globi, loco clementiæ & veniæ essent. Coniugem inhumaniter habuit, ab aula amotam, arce inclusam, ad eam liberorum causâ per contemptum adiens; nec liberos nisi per ambitionem amauit, ne sine herede in ludibrium iret. Ioachimum natu primum filium, raptum anno tertio vitæ, quod præclaram spem vel in cunis ostenderet, prosequutus inuidiâ, impensius mortuum quam viuum amauit; & Carolo alteri filio institutionem inuidit, reiectis præceptoribus, bonisque artibus repudiatis, vnum illi dogma ingerens, *qui nescit dissimulare nescit regnare*; quasi præclarissimum & eminentissimum opus, atque humanæ sortis suprema dignitas, in vno vitio, quo infirmitas latet alitúrque, posita sit atque constituta. Vno verbo qui Ludouicum Tiberium Christianum vel Francicum dixerit, dignè virum exscribet; quippe ille delibauit omnia Romani vitia, nisi quantum religio & Francici mores, corruptam indolem quibusdam æqui an timoris terminis concluserunt. Iussit moriens Annam filiam Bellijocensi nuptam, regni regimen tutelámque fratris suscipere, vt vel mortuus vexaret Principes, fœminæque subiiceret.

LVDOVICVS XI.

XXVI.

CAROLVS VIII. REX.

Contētio pro regimine.

Carolus eo nomine VIII. sub obitum patris agebat annum decimum tertium; probæ quidem indolis, sed tam malè institutus, vt ne legere quidem nosset, aut pingere, educatus in tenebris, & ad splendorem regni attonitus. Anna soror ex testamento patris adibat regimen, cùm Ludouicus Aurelianensis Dux intercedit, magni animi iuuenis, iam natus annum supra vicesimum quartum, sibique debitam administrationem asserit. *Se primum in stirpe regia principem, Regni legibus & naturâ ipsâ admouendum ad regimen, cuius interesset id optimè regi; nec delirantis senis arbitrium æternis constitutionibus regni præpollere. Coronam in Francia natura dari, non scriptis tabulis; Regem vti heredem sibi non legeret, ita nec curatorem regni; vtrumque sancitum legibus, & naturâ cautum.* Contrà Anna voluntatem Regis opponebat; *administrationem, regni à iure distare quamplurimùm, ab eo excludi fœminas, in illam admissas; quod confirmabat exemplis; Bellijocensem maritum aquè è stirpe regia procreatum, iam natu grandem, & rerum experientiâ vniuersæ Franciæ comprobatum; cùm Aurelianensis minor adhuc legibus, sub tutela matris constitutus, regimen regni malè capesseret, qui nec facultates suas administraret.* Ista palam æmuli, ac clam competitor accedebat tertius, Ioannes Dux Borbonius, qui minorem fratrem sibi anteponi ægrè ferret, diu tacitâ depastus inuidiâ. Menses aliquot ea contentio tenuit, sed ciuilis bellique abstinens, dum Rex annum decimum quartum impleret; qua ætate Caroli V. edicto Reges ipsi regnum administrant; & in id tempus indicta Turonibus ordinum comitia, quibus regni vulnera persanarentur, & sanciretur administratio regni. Interea indignationi principum, & dolori plebis esca obiecta, selecti aliquot è Domesticis Ludouici, qui pœnâ

CAROLVS VIII.

publicâ, & pecunias raptas refunderent, & tot scelera patrata penderent. Primus Dauid Oliuerij Damæ famulus patibulo affigitur, tum à famulo ad herum gradu facto, ipse Dama Comes ille tonsor corripitur, multorúmque scelerum reus, pari supplicio plectitur, facultatibus Aurelianensi addictis: mox pœna ad Ioannem Doyacum progressa est, hominem in Aruernis vili origine natum, eoque à Ludouico auctoritatis promotum, vt Aruerniæ Prorex, multas opes collegerit. Hic vocatus in peculatus crimen, & odiosus Principibus, quod in eos plura contumeliosa effudisset; ignominiosâ pœnâ mulctatus est, Parisiis virgis cæsus linguâ ferro candente perfossâ, & alterâ aure truncatâ; eodem supplicio Monferrandi, quæ patria erat instaurato. Per eas victimas animorum motus repressi vtcunque, dum Rex pubertate impletâ, Rhemos deducitur, & inauguratur; ac postmodum regni Comitia celebrantur Turonibus. In iis plurimæ & acerbæ querelæ propositæ; omnia ad sanandas plagas effusè promissa, perpauca præstita; ac quod caput erat de regimine regni constitutum; vt Rex ipse iam per legem capax res administraret; eius tutela penes Annam foret; designarentur optimates duodecim, quorum consilio res stabilirentur. Dux Borbonius Comestabilis dictus est. Id decretum tam Annæ placuit, quàm Aurelianensi displicuit; ambitiosa fœmina Regis potens, interesse consiliis, ea regere atque ad nutum flectere poterat, fidos admittere, dubiósque excludere, vt Regis nomine regnum capesseret. Et eam in rem Renatum Lotharingiæ Ducem ab Italia exciuerat; ab cæso Burgundo claræ famæ magníque nominis, quem Aurelianensi opponeret; Venetis militantem in Mediolanenses & Florentinos; præsentique annuam pensionem constituerat, dato Comitatu Barensi; imò parum abfuit quin Phocensem Prouinciam daret, vti proximo Renati Andegauensis heredi; adeò ambitioni sua insania scopus est, & publica flocci sunt, priuatim surgenti. Contra Aurelianensis ab regimine longè amotus, dolorem occultans, & sequutus Regem Parisios, arcana instituebat consilia, tentabátque artem arte ludere, conciliandis Principibus, cæterisque quorum in regno spectabilis auctoritas foret. Adolescentem regebat Franciscus Comes Dunensis Ioannis filius, patri haud impar soboles, prudentiâ animi & fortitudine in paucis insignis, eratque totius telæ textor, animique suprema mens. Iamque eo promota erant consilia, vt Regem annuentem sorori eriperet, simulque potestatem Aurelianensis statueret; sed detecto consilio, Georgius Ambosius Episcopus Montalbanus, & Philippus Comminius eius participes, in carcerem missi; & hic quidem duriter, in cauea per octo menses conclusus. Aurelianensi parabatur custodia, cùm fuga elapsus Alensonem venit, & plerisque Principum ad partes allectis, bellum mouet. Sed cùm improuidè Bogenciaci hæreret, repentè ab exercitu regio circumclusus, ad deditionem adigitur, ea conditione vt ad Regem se conferret, Comes Dunensis Astam in Insubribus secederet. Ad eam implendam An-

Domestici Ludouici pœnâ affecti.

Conte de Dunois.

na-

na instat, vrgétque Aurelianensem ad Regem veniat; ille intutum ratus ad inimicum accedere, citatis equis ad Britanniæ Ducem aduolat, Dunensem reuocat, & fœderatos magno studio ad renouandum bellum arcessit. Res postulat, vti edisseram quis Britanniæ status eo tempore esset. CAROLVS VIII.

Franciscus II. Britanniæ Dux iam annis grauis, & gerendis rebus ineptus admodùm, cuidam Petro Landasio addixerat se. Is in Campania è sutore ortus, paternámque artem in familia Ducis exercens, & eidem minister flagitiosæ libidinis, adeò benevolentiam ipsius deuinxerat, vt per dignitatum gradus Quæstor summus factus, Principis sui herus esset & dominus. Et verò ingenio subdolo præditus, Ludouici Regis artes eluserat & sagacitate consiliorum explicuerat retia, dolósque repulerat; verùm vt ea hominum natio, quos repente fortuna è cœno in cœlum vehit, superbiâ & arrogantiâ supra fortunam ipsam extollitur; Landasius Proceres spernendo, vexando, atque occidendo, sic irritauerat, vt in eum conspiratent, Duce Ioanne Rieusio Marescallo Britanniæ. Sæpius petitus tum priuatas, tum publicum bellum peruicerat; donec populo Rieusij partes promouente, destituto à militibus Duce, Nannetis in conclaue eius irrumpitur, rapitur Landasius, & instructa lite, damnatur capitis, necatúrque suspendio. Ille quoniam Annæ partes studiosè fouebat, locum vacuum mortuus Aurelianensi reliquit, graui bello in Britanniam verso, quo tandem antiquissima illa Satrapia pessundata est atque extincta. Illicò Aurelianensis à Britanno exceptus, instaurat cum Principibus fœdus, cum Maximiliano Romanorum Rege, Britanniæ Duce, Comite Inculismensi suo patruele, Lescuno Conuenarum Comite, Orangio Principe, & Rieusio Marescallo; & Dunensis Comes, Partenæum in Pictonibus instruebat milite atque munimentis. Ad hæc Anna impigra fœmina, primùm arma, mox artem admouet. Regem rapto exercitu ad Santones ducit, oppressura Lescunum, cuius in Aquitania multa authoritas. Atque vt constituerat, Santonum vrbem & Blaviam primo impetu capit, venienſque Burdegalam, præfecturam ademptam Lescuno, coniugi à Rege impetrat; mox in Britones regressa, Partenæum domat, Dunensi expulso, & recepto in partes suas Inculismensi. Tum postquam armis auctoritatem & famam constituit, artes aggreditur. Obortæ erat Francos inter Proceres & Britannos æmulatio, timórque mutuus. Franci apud Ducem pollebant gratiâ; inde Britonibus grauis suspicio, ne illorum ope Dux Landasij mortem vlciscereturr, & ipsi Aristocratiæ genus ad tuendum se stabiliuerant. Eum metum Anna suspicionibus adauget plurimis, tantúmque contendit, vt Britones Duce Rieusio, nouum fœdus cum Rege contrahant, ad pellendos è Britannia Francos; stipulati Regem quadringentis duntaxat equitibus, & quatuor peditum millibus bellaturum in Britannia, nihil in Ducem aut Britones tentaturum, nullúmque oppidum occupaturum absque Reusij assensu. Hæc promissa

XXVII. *Bellum in Britannia.* Landais. De Rieux.

CAROLVS VIII.

promissa largè, haudquaquam impleta, nam ambitio patefactas fores sibi non præcludit.) Rex in Britanniam quatuor diuersis locis immittit copias, tum ipse valido exercitu in prouinciam penetrat; belli specie vt Aurelianensem in obsequium ageret. Dux Britanniæ pecuniâ, viribus, & militibus destitutus, Dunensi auctore, ad sacram anchoram naufragus confugit; ea filia maior natu Anna. Duas susceperat Annam & Isabellam; Anna maior appetita iam plurium votis, quanquam annum duodecimum vix egressa, vt faciebat spem procis opulentæ dotis, ita patri validi præsentisque subsidij. Ioannem Albretium in Aquitania potentem Regi vt Britannus eripiat, ostentat filiam, nuptiásque promittit; quam eandem & Maximiliano Romanorum Regi, & Aurelianensi; clam ante in sinu spoponderat. Et quidem hamum vorauit Albretius, defecítque à Rege, sed lento auxilio inualidóque. Rex interea Plœrmelum obsidet, captis pluribus oppidis. Dux ne prorsus ignauè socorditérque periret, sexdecim hominum millia è promiscua plebe colligit, vrbémque seruaturus approperat; sed à suis in festinatione ipsa derelictus, vrbem tradit hosti inuadenti, à quo direpta est atque euersa. Dein vno cursu victoriæ, Venetiam sponte Rex admissus; Mousſaij turmæ ad Briandi castrum à Regiis deletæ; vrbsque Nannetes cingitur obsidione. Ruebat in perniciem Britannia præceps, nisi Rieusium vanitas fœminæ perstrinxisset. Anna quam modò Borboniam nuncupabo, mortuo Ioanne Duce Borbonio, atque herede Belhiocensi; tumida successu armorum Nannetes obsessos Rieusio nuntiat, iámque fossam obtineri à milite. Ille modestè conquestus, id contra fidem & promissa tentari, Regémque maturiùs ad fallendam fidem instituí, nouum consilium capit; sociísque in sententiam suam abductis. ad Ducem conuertitur, curâ patriæ pereuntis susceptâ; ea tamen fuit in præclaro viro promissorum cura, vt ad Ducem non iuerit, nisi postquam iterum de implendo fœdere appellatâ Borboniâ, pro responso accepit; Regi nullum esse dignitatis consortem, rémque frustra inceptam ni perficeretur; tunc securâ fide, Ducem conuenit, & ad instaurandam patriam se accingit.

Plœrmel.

La Mousſaye.

XXVIII. *Rieusius res Britannicas subleuat.*

Atque extemplò constitit, vir vnus quanti ponderis sit: nam statim Rieusius Ancenice recepta, Briandi Castrum quâ vi quâ industriâ obtinet, & obsessam Venetiam breui expugnat. Nec Dunensi suis partibus deerat, cùm nequiret in Angliam ob procellas transmittere, ad seruandos Nannetes sollicitudinem applicat. In inferiori Britannia, plebs ex agris vrbibusque conuenerat ad sexaginta millia, vt Ducem periculo eximeret: quem Nannetis Franci obsidebant. Dunensis inconditæ multitudini se ductorem præbet & castrensis disciplina vtcunque imbutam, versus vrbem agit, in eámque immittit, exercitu regio iam defesso, & frequentibus eruptionibus ciuium imminuto. Nec multo post soluta obsidio, partáque Duci atque vrbi libertas. Ea prosperè eueniebant Britonibus, dum infausta aliunde vrgerent. Quippe Rex Ancenicem & Briandi Castrum expugnauerat, murósque deiecerat, & Filiceras validam vrbem

Fougeres.

in

in Britanniæ finibus obuallabat toto exercitu. Angliæ Rex ad obtinendam Britonibus pacem interceſſerat, & ab Aurelianenſi reiectus, qui Annæ nuptias iam ſpe præſumebat, paucas cohortes in ſubſidium miſerat; iam Albretius diu expectatus aduenerat, ſed paucis admodum comitantibus, modico ſubſidio fuit, graui incommodo. Nam de nuptiis Annæ inſtaurata ſpes (nec de leui causâ, cùm omnium Procerum ſcripta eam in rem haberet ſuffragia) diſcordiam etiam inſtaurauit, quippe nuptam Maximiliano ambiebat Orangius, ſibi Aurelianenſis; & diuiſi Britones, non Procorum vni adhærebant, imò & plures maritum Annæ Regem optabant. Porrò eam diſcordiam Filicerarum diſcrimen ſopiuit; deliberatum eo in articulo quid agendum foret. Erant in eorum copiis Germani mille quingenti, miſſi à Maximiliano; Angli ſeptingenti Monfortio & Scala ducibus; Vaſcones mille, & Catalauni ducenti, ſequuti Albretium; Franci admodum pauci; Britones ad octo millia, Ductore Rieuſio Mareſcallo, & prouinciæ Nobiles, Rieuſius dehortabatur à prælio, & quidem prudenter; *nullas ſibi præter eum exercitum copias eſſe; ſi vinceretur, reparandum nulla ſpe; victori in alieno ſolo numquam faciendam pugnæ poteſtatem; cogendum in anguſtias locorum & temporum, detrahenda cibaria & penuriam inferendam, qua demum pugnante ſine periculo profligetur.* Hæc Rieuſius nuſquam auditus & decreta ad ſeruandam vrbem dimicatio. Profecti Redonibus ea mente audiunt captas Filiceras, tenacéſque propoſito progrediuntur, vt Albini Fanum oppugnent, modicam vrbem, caſtro tectam non contemnendo. Franci nono vltra Fanum milliario hoſti occurrunt; prælióque ſine mora conſeritur. Britones ita diſtribuerant copias, vt ad dextram protecti curribus, nemore ad læuam, triplici agmine inuicherentur; primum ducebat Rieuſius, medium Albretius, poſtremum Caſtrobriandus, pluribúſque Britonibus rubricatas cruces affinxerat, quæ Anglorum inſignia erant, vt terrori forent; quoniam Angli ſagittarij erant præſtantiſſimi claríque nominis. Franci pariter in tergeminum agmen diſpertiti, Hoſpitalio Choiſio veterano duci primum tradiderant, alterum Ludouico Trimollio generoſiſſimo adoleſcenti, Grauillio tertium. Verùm peccabant à primordio, niſi peccatum temeritas Britonum emendaſſet, nam ignari hoſtem tam prope figere, per cohortes ſingulas feſtinabant, poterantque Britones ſi irruiſſent, incompoſitos fundere. Sed quaſi de induſtria datum Francis ſpatium ad inſtruendos ordines; tum Britones nouo errore prorumpunt ad pugnam, tutis locis & munimentis relictis. Iam eos inter & Francos ſocios orta erat contentio, vocatis Francis in ſuſpicionem proditionis; erántque adacti etiam Proceres equis exſcendere, miſtíque cum prima Britonum acie pugnare pedites. Iis animis ad conflictum itur; & Germani vt ſe à Francorum machinis tegerent, longo circuitu dum ad latus flectunt, viam Franco præbent irruendi in agmen; quod præſtitum quidem valido impetu; tum auolare equites, pedites conturbari, frangi, atque in nemus diffugere, victoriáque ad Francum vergere. Rieuſius primo quidem agmine pugnauit fortiter, ſed obruente numero victus eſt; deſperatâ tamen

CAROLVS VIII.

Pugna ad fanum Albini. Saint Aubin.

CAROLVS VIII.

men victoriâ se in spem futuram fugâ eripuit; Capti dum inter pedites depugnant Aurelianensis atque Orangius; cæsa Britonum sex millia; nemini parcitum, qui rubram crucem ferret; cecidere ex Francis mille ducenti, nullus illustris præter Galiotum Italum gente; Aurelianensis in turrim Bituricensem captiuus ductus est, in Cæsaris Pontem Orangius. Sic Britannia quæ tot Regum Franciæ impetus fregerat, nupérque Ludouici sagacitatem fraudesque vicerat, modò puero fœminæque subiicitur; adeò in humanis nihil infirmum est, nihil tutum.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XIV.

SYNOPSIS.

Pax cum Britanno. Rex Annam Britannam coniugem ducit. Bellum cum Maximiliano & Anglo. Pax cum vtroque. Ruſcinonenſes Ferdinando dati. Origo belli Neapolitani. Deliberatio de bello Neapolitano. Rex inuadit in Italiam. Rex Florentinos domat. Medicæus Florentia pulſus. Piſanis libertas data. Rex Romam venit. Rex poſt leuem pugnam coronatur Neapoli. Rex Neapoli imprudenter ſe gerit. Lues Venerea. Fœdus in Regem Principum Italorum. Rex in Franciam redit. Sauanarola Regem conuenit. Heluetiorum geminum facinus. Pugna ad forum Nouum. Rex ſubſiſtit in Pedemontio. Ferdinandus Neapolitanum Regnum recipit. Regis conatus pro regno recuperando. Regis mutati mores, & mors. Ludouicus XII. Annam ducit repudiatâ Ioannâ. Apparatus ad bellum Mediolanenſe. Mediolanum primò ſubactum. Sfortia Ducatum recuperat. Sfortia à Rege capitur. Georgius Amboſius Cardinalis. Rex de Neapoli cogitat.

gitat. Neapolitanum Regnum diuidit cum Ferdinando. Mompenſery in patrem pietas. Bellum pro regno Neapolitano. Singularia certamina, Paliſſæ, & Baiardi. Conſalui patientia. Rex ad Franciam redit. Philippus Archidux Caſtellæ Rex. Hiſpani inualeſcunt in Calabria. Paliſſæ fortitudo. Albinius captus. Pugna ad Ciriniolam. Rex quatuor exercitus ſcribit. Salſulæ fruſtra obſeſſæ. Alexandri Pontificis mors. Exercitus in Italia. Franci ex regno pulſi. Baiardi virtus. Sandrieurius ſe Regi ſiſtit.

I.

CAROLVS VIII.

Pax cũ Britanno.

VIctori Dinantium & Maclouij fanum patuerunt, Rhedonéſque ſupererant primaria ciuitas, quæ vna ruentem Britanniam ſuſtentaret. Ad eam Trimollius extemplò admouet obſidionem & ad deditionem compellat. Ciues egregiâ in principem fide & animis ſupra calamitatem ſurgentibus, reſpondent, *ſi peremdum ſit, vltrò ſe pro patriâ ac principe perituros; eſſe tamen adhuc ſpem ſalutis & viginti armatorum millibus robur eſſe, quo Nannetenſes emulati, repellant vim; ad extremum Franci Ioannis, Regis meminerint, colligantque periculum quod ab armata deſperatione immineat.* Ad ea ſuperſedet Trimollius, dum apud Regem deliberatur. Erantque plurimi, qui cenſerent, inſtandum victoriæ; *iuris ad occupandam Britanniam eſſe abundè, facultatem à quingentis annis quæſitam, iam conceſſam diuinitùs: quid Rex cunctaretur & ignaua clementia proſperitatem optatiſſimam perderet?* Et principi adoleſcenti in curſu victoriæ acceptiſſimæ erant eius generis voces. Contra

Rochefort.

vir grauis Guido Rupefortius, Cancellarius Franciæ æquo & iuſto cupiditatem retundit. *Prærogatiuam armorum vinque potentia, longè differre à legitimo iure rei comparandæ; ſit illa ſatis barbaro Principi, cui pro Deo ſua laurus & victoria ſit, imo ſua cupiditas; at Chriſtiano Regi ſcopum diuerſum eſſe propoſitum; terminos eſſe ambitioni victoriiſque præfixos, quos æquitas iuſtitiaque poſuerit, nec eos prætergredi abſque ignominia atque opprobrio poſſit. De iure, quo Rex Britanniam occupet, diſceptandum: ſtabiliendum prius, quo iure, quánc iniuria, princeps annis prægrauis, puellæ impuberes atque innoxiæ, ſpoliari poſſint, ea paterna hæreditate, ille patrimonio, iam per multa ſecula continuâ ſerie deuoluto; tunc æquo inſpecto, inſiſtendum armis, aut reſiliendum. Prædonum eſſe & piratarum, eripere perdere, atque mactare, tum ſpeciem iuris obtendere latrociniis; & quod nefariè geſtum eſt, per iniuſtitiam nouam aſſerere.* Ad ea rationum momenta acceſſit ſupplex Ducis legatio, qui veniam precatus, ſupremúmque Dominum Regem compellans, veniam exorat; ea conditione, filias ſine aſſenſu Regis ne collocet. Vix ea pacta cõuenerant, cùm Ducis obitu, ſenio, mœrore, curis, atq; ex equo lapſu decedentis, ſubitò perturbata ſunt; moriens Rieuſio filias commiſerat. At contentio illicò atq; diſcordia germinant;

nant; Aurelianēſis atq; Albretius inſtauratâ riualitate pro Annæ nuptiis Britanniam ſcindunt; ſuus cuique fautor & promotor; Aurelianenſi Leſcunus & Montalbanus, Cancellarius Britanniæ; Albretio Rieuſius & Lauallia, quæ multùm gratiâ apud Virginem valebat: verùm ipſa virgo propendebat in Aurelianenſem, Albretio quadrageſimum annum implente, atque adeo adoleſcentiæ flore iam marcido. Eamobrem impulſu Cancellarij conteſtata erat, coram Apoſtolico ſcriba, ſe adactam à patre ad ſponſionem Albretio dandam, nec ſe vnquam aſſenſuram coniugio; & Rieuſium, à quo Guerrandæ obſidebatur cum Cancellario, auctoritate potius quam vi depulerat; Cancellarium quamquam ab Rieuſio ipſo abrogatum haudquaquam dimittens. Et verò Rieuſius egregio in patriam amore, non tam Albretio ſtudebat, quam ab Aurelianenſi alienus erat; ne ſi virgo Franco principi nuberet, aliquando Britannia in coronæ oceanum immergeretur, membrumque fieret, quod à multis ſeculis corpus integrum fuerat. Inter eas contentiones annus elabitur; & moritur Iſabella minor Annæ ſoror. Ea morte vt Annæ dos increſcebat, ſic procorum amor; donec Rieuſius reconciliatus cum virgine, tenaxque propoſiti cum Maximiliano perſuadet coniugium, quod per Valfannum Auſtriacum Maximiliani vicarium celebratum eſt. Enimverò proci omnes alienati his nuptiis coniurant in Britanniam, Rex pace abrupta gemino exercitu irrumpit; Albretius Nannetenſe caſtrum intercipit, Ducum gazam expilat, vrbem capit, Regique captam tradit. Ad eos pellendos, cùm Maximilianus lenta ſubſidia infirmáque ſubmitteret, Rieuſius nauis naufragæ rector, vt honeſtè periret, demùm ad Regem conuertitur, quodque ille concupiſcebat ardenter, matrimonium Annæ paciſcitur. Bellum per eam ſpem repreſſum, imo data Aurelianenſi atque Orangio libertas. Etenim Anna aliena ab Rege, cui vaſtatam perditámque patriam tribuebat, reſpuebat omnino nuptias; ad quam peruincendam, Rex vtrumque liberum fecit, quamquam Borboniis coniugibus inuitiſſimis; & ſincera mente tam Aurelianenſis quàm Orangius, eam in rem contendit. Tandem Annæ pertinacia victa eſt, aſſenſuſque nuptiis præbitus; tum auctoritate Pontificis ſoluta gemina matrimonia, Maximiliani cum Anna, & Caroli cum Margarita, ſolo hactenus verbo contracta; nouumque Caroli cum Anna perfectum; conſtituta dos Britannia, duabus conditionibus obſeruandis; primùm, vt ſi Anna abſque liberis obeat, ob honorem quem regiis nuptiis aſſequebatur, Regi eiuſque futuris ſucceſſoribus, Ducatum donet: ſecundùm, ſi ea ſuperſtes ſit pollicetur ſe nupturam proximo heredi, qui Rex Franciæ ſit; Ita cauebatur, ne vnquam in poſterum tam prætioſum ſegmentum auelleretur à Francia, & inſitus ramus in truncum penitus coaleſceret; eamdemque ob rem, iura omnia quæ pluribus in Britanniam erant, Rex pecunia emit, ne quis locus controuerſiæ foret.

CAROLVS VIII.

Dame de Laual.

Rex Annam ducit.

Anno 1491.

Sic bellum in Britannia extinctum, excitatur mox in Picardia; Maximilianum gemina iniuria pungebat acriùs, quàm vt honeſtè conquieſceret domi. Sponſa ablata, atque propemodum è thalamo rapta & auulſa à latere; ſpreta per contumeliam filia, & ſeruata dote nuptiæ repudiatæ, animum

II.

Bellum cum Maximiliano & Anglo.

CAROLVS VIII.

vel obductum callo penitus pungerent. Iam antè variè bellum in Sequanis atque Arteſiis geſtum erat; atque occupauerat Maximilianus Teruanâ & Andomari fanum; verùm Cordij arte ad Betunâ per inſidias interceptus, deleto exercitu, eaſdem vrbes amiſerat, iterumq; in Sequanis magna ſtrage victus. Nunc vindictâ flagrans; vrgente cõtumeliæ ſenſu, cum Henrico Angliæ Rege contrahit fœdus, vt iunctis armis Picardiam inuadant. Regebat Angliam Henricus Rex eo nomine VII. feliciter ex ſumma miſeria ad faſtigium regni promotus; quippe antea, Richemondiæ Comes vnus ex Lancaſtria familia ſuperſtes, diúque in Britannia latitans, metu perpetuo conflictatus, tandem poſtquam Ricardus Eduardi frater, cæſis nepotibus, inuaſit per tyrannidem regnum, in ſpem eius regni ab Anglis vocatus, mare tranſmiſerat; & quanquam infelici ſæpiùs exitu, mox Rege Carolo pecuniam ſuppeditante, & militem, tertiùm in inſulam tranſiens, pugnâ conſertâ Ricardum occiderat, & exceptus ſolio ducta in coniugem Eduardi filia, & familiis Lancaſtria & Eboracenſi eo vinculo adſtrictis, regnum ſecurus, & magnâ virtutis laude adminiſtrabat. Ille quanquam inuitus ad bellum impellitur; nam & perſtabat memoria beneficij, & nouo Regi externum bellum importunius erat, tamen Anglorum inflãmatis votis, quibus erepta Britannia & dolori erat, & nulla expeditio præter Francicam honeſta aut vtilis, magno exercitu Caletum venit, & Bononiam ſtatim copiis cingit. Maximilianus penuria nuſquam non laborans, cùm deficeret miles, graſſatus occultis conſiliis, Atrebatum atque Andomari fanum per inſidias occupat, & inuadebat Ambianum, iam admiſſo in vrbem milite; quando plebeia mulier, cui nomen Catharina Licia, hoſte animaduerſo, per vicos diſcurrens, ad arma inclamat, & ciui animos facit, donec armati ad Rubenpræum conueniunt, hoſtemque tam ſtrenuè pellunt, quam negligenter ſocorditerque admiſerant; mulierculæ vnius fortitudine ſtrenui. At ea neutiquam Anglum promouebant, qui ad Bononiæ muros affixus etiamnum, & per plures eruptiones infractus atque exhauſtus, Maximiliani exercitum repoſcebat, inde moleſtia, & in fœderatum querelæ. Quibus Rex perſpectis inſtauratâ patris arte, Cordium ad Henricum mittit; qui tam conſilio quam militia præſtans, impetrato colloquio, pacem conficit, duos inter Reges perpetuam; modicâ pecunia ab Franco ſolutâ, in belli ſumptus, atque in penſionem Eduardo iam ante debitam. Interea Maximilianus Federico patre demortuo Imperator dictus, Philippo filio Flandriam permittit; iam proximè in Franciam, toto Germaniæ niſu incubiturus. Sed tardi erant delectus, nulla pecunia, rarus miles, nec Imperium omni ex parte pacatum. Quare haud ægrè Cordij labore atque prudentia, & intercedentibus Heluetiis, Palatino, & Sfortia, pax contracta & icta eſt; eâ lege vt Carolus Margaritam redderet Maximiliano, cum dote præbita; nimirum Sequanos, atque vrbes Arteſiæ quas in poteſtate habebat, Heſdinum, Betuniam, & Ariam; anno pòſt quarto, cùm Philippus Archidux legis beneficio maior fieret. Atque eo fœdere ſtabilita pax certa; & ex æquo reſtituta dos virgini, ſed ingenti Franciæ detrimento, quæ per opportunas Prouincias dimittebat; inani ſtudio Ludouici, tótque ærumnis

Pax cum Angle. Anno 1492.

Et cum Maximiliano.

nis frustra insumptis. Et hæc restituta necessitate iustitiæ, mox Ruscinonenses non tam æquitate, quàm leuitate & inconsiderantiâ, obstupescente Europâ redditi sunt Ferdinando. Eos à Ioanne Aragoniæ Rege; vt scripsi, vel in perpetuum vel in pignus Ludouicus coëmerat; modò Ferdinandus, atque Isabella, Castellæ & Aragoniæ Reges, post Granatam captam, gentémque Mauricam ex Hispanicis terris demùm expunctam; appellauerant Regem de restituendis Ruscinonensibus, quos duntaxat in pignus affirmabant traditos. Erat Regi, vnde postulatum & iustè quidem excluderet; nam nec pecunia repræsentabatur, & post contractum initum Ioannes Rex vi Perpinianum ceperat, vnde bello moto conditione exciderat; & contractâ pace de redemptione nihil erat pactus. Verùm aures præbens Ferdinando Carolus, postquam Legati ex vtraque parte conueniunt, Ludouicus Amboſius Albigensis Episcopus & Ioannes Coloma Aragonio à commentariis, in eas leges consensum est; vt Francus Ruscinonenses & Ceretanos Hispano daret, detractis præsidiis; pax inter vtrumque Regem aduersus omnes Principes esset; excepto Pontifice, & Ferdinandi filia ne cui Principi nuberet, nisi de Caroli voluntate. Ita conuentum, & aliquanto post præstitum, admirantibus ipsis Hispanis, vnde tanta Francis vel liberalitas, vel stultitia, sponte abiicientibus, quod sumptibus nouis immensisque ærumnis vltra Alpes indagatum ibant. Porrò consilij tam imprudentis ratio, partim religioni, partim cupiditati assignatur; dicũtur Franciscani duo, Oliverius Mallarius & Ioannes Mauleonensis, qui Regi & Borboniæ erant à confessionibus, corrupti auro Hispanico, conscientiam Regis & sororis perstrinxisse scrupulo; adiunctam auctoritatem Francisci Paulani, & Amboſium Albigensem Regis præceptorem, eodem auro deuinctum auxisse conscientiæ stimulum; atque adolescentem Principem impulisse ad rei suæ veluti alienæ abdicationem. Ego vt crediderim positum à religione exordium, sic præstitum finem à cupiditate. Nempè cum Carolus iam Neapolitanum bellum concepisset, ne à Ferdinando iam totius Hispaniæ compote obex exsurgeret, flagitanti Ruscinonenses concessit; nec intercessit Consilium, in vnum Italiæ bellum conuersis eorum qui regebant animis; sic Æsopicus canis ore carnem mittit vti vmbram captet, eluſa fame præ cupiditate. Verùm ea propiùs ad Italicum bellum me admouent, cuius causæ paucis delibandæ.

CAROLVS VIII.

Ruscinonenses dati Ferdinando.

Anno 1493.

III.

Origo belli Neapolitani.

Italia externis bellis libera, iam aliquot annos propriis duntaxat miseriis laborabat. Nam in plures distracta dominos, eosdem molestissimos patiebatur; qui conuenientes inter se, ne mutuo sibi incommodo forent; iis quos regebãt, grauissimi erant, pacémque publicam in priuata mala deriuabant. Præter pleraſque vrbes, quas suus quisque premebat Dominus, insignes potentiâ erant Romanus Pontifex, Rex Neapolitanus, Dux Mediolanẽsis, Veneti & Florentini. A Petro Medicæo, qui Florentinos regebat, prima Italiæ clades, & belli origo. Quippe cum Ferdinando Neapolitano arctius vinctus, Ludouico Sfortiæ suspicionem & timorem mouit. Et Ludouicus ducatum Mediolanensem iam spe vorauerat. Obex vnus erat Ioannes Galeacius, filius fratris, iure Mediolanensium Dominus; & quanquam is vi-

CAROLVS VIII.

deretur infirmior, propter corporis ægritudines, & animi imbecillitatem, quàm vt Patrui vim frangeret, fraudésque eluderet, erat tamen quam timeret Ludouicus, Isabella Principis coniux, filia Alphonsi, Calabriæ ducis, cui etiam auus Ferdinandus Rex Neapolitanus, & erat animi supra sexum & conditionem ingentis; quæ patrem & auum querelis implebat, acerbissimo iniuriæ sensu, eósque in Ludouicum patruum incendebat. Præterea Galeacius adolescens Regi Franciæ Carolo affinitate erat coniunctior; nam erant fratres patrueles, nati ex duabus sororibus Sabaudiæ Ducis. Ideò Ludouicus primùm veritus, si in se conspirarent Ferdinandus & Medicæus, ne vtrique impar foret, conabatur diuellere, atque alterutrum, quà metu, quà promissis ad se allicere. Eo consilio Ferdinandum apud Alexandrum Pontificem vocauerat in suspicionem, quod Virgilius Vrsinus Neapolitanus, quasdam arces Latio adiunctas à Francisco Cibo coëmerat; móxque lentâ flammâ, & ad belli incendium impotente, conuersus ad Francos, Regem ad expeditionem Italiæ incitabat. Ad Ludouicum XI. per Renati Andegauensis hæreditatem deuolutum erat ius in Siciliæ regnum, ita enim Neapolitanum dicebatur. Nam Renatus Ludouici III. fratris hæres erat, ísque Ludouicus à Ioanna secunda Regina Siciliæ adoptatus, & Alphonsum Aragonium expulerat, & in suam familiam ius regni traduxerat. Porrò id iuris Ludouicus Rex flocci habuerat, intentus proximis, Flandriæ scilicet atque Britanniæ, Italicas palmas in perniciem adscribens; ideo Genuam & Sauonam Francisco Sforciæ vltro largitus, ratus limites Franciæ satis amplos, si naturæ finibus conscriberentur; Oceano, Rheno, Alpibus & Pyrenæis. Attamen Proceres Neapolitanos Franciâ exceperat: Ij Antonellus Princeps Salernitanus, & Princeps Bisinianus, vterque è stirpe Sanseuerina; qui Ferdinandi cultris erepti, primò saluti portum quæsiuerant, dein Ludouico demortuo, vindictam & fortunæ regressum, Regi adolescenti Neapolitanum bellum ingerentes. Ad eos tandem Mediolanensis accedit, qui postquam occultis procuratoribus diu rem vrgebat, explorato tandem maturitatis articulo, palàm oratorem Carolum Balbianum, Comitem Beljoyosium ad Regem legauit. Ita ipsa Italia suam sibi comparauit perniciem, mouitque, si fas sit dicere, camarinam, quâ per plures annos demersa est; euocatis Francis, Germanis, atque Hispanis, quibus scenam belli & furoris alimentum præbuit, suis ipsa luem visceribus pascens.

Sanseuerin.

IV. *Deliberatio, & apparatus ad bellum.*

Caroli animus atque consilium à duobus potissimum regebatur, Ioanne Versio & Guillelmo Brisonneto; sorore Borbonia frustra obnitente, ne suæ potentiæ nascerentur participes. Versius in Occitania natus in cubiculi famulitio Principi notus, vt plerumque fit, è priuatis officiis traductus ad publica, dum Reges domesticam indolem in publicum gerunt, primò Senescallus Bellocadij erat nuncupatus, mox in Computorum Curia Præses. Brisonnetus primis annis arte mercator, dein Quæstor Franciæ, postmodùm mirâ officiorum misturâ, Maclouiensis Episcopus, & tandem ærarij summus Præfectus, industriam in cumulanda pecunia præferens, conciliauerat Regem: atque ij duo cæterarum rerum præter artes suas imperiti

De Vers.

De Beaucaire.

imperiti, in Neapolitanum bellum illum incendebant: promoturi priuata commoda, dum publicas res tantis in motibus gubernarent quanquam Brisonnetus, ab ea expeditione, mutatæ mox sententiæ, Regem abduceret, vno Versio impulsore & duce. Itaque iam animis comparatis, in Nobilium cœtu amplissimo, eam ob rem excito, deliberatum est. Beljoyosius expeditionem facilem, vtilem, & summæ gloriæ demonstrabat. *Ferdinandum atque Alphonsum in summo omnibus odio esse; barbara immanitate grassatos in Nobiles, inexhausta cupiditate diripuisse plebem & rusticos; inextincta libidine violasse virgines sacras profanásque; vnum esse singulorum votum, vt detestabiles Principes expellantur; sónsque turpissimus tantorum scelerum obruatur. Hactenus Ferdinandum, fraude dolo, atque perfidiâ defendisse regnum, & promouisse tyrannidem; inania hæc in exercitum Francicum munimenta, atque armis instantibus aranearum telas dispelli haud agrè. Alpes, Longobardos, totámque Italiam patefactam excitis, nullum in itinere hostem profligandum; integras copias admotum iri Neapoli, statimque subditos odiosissimi Regis partes deserturos.* Tum de vtilitate multa adiungebat. *Eam partem Italiæ, totius orbis vberrimam & felicissimam, vtrumque mare Superum, Inferúmque connectere: Pontifici, Venetis, caterisque Principibus legem ferre, luculentis reditibus feracem ad exigentium satietatem: qui Phocensem Prouinciam & Neapolim teneat, esse Mediterranei dominum, ac duabus veluti faucibus franisque obiectis, tum pelagus tum nauigantium vota moderari.* At de gloria quàm multa, quàm speciosa dicebat; gnarus quantus aculeus adolescentibus animis, laus in ardua foret. *Eam deberi Carolo lauream, vt miserrimas gentes calamitosissimo iugo subleuaret; iam a Carolo primo Neapolim patrimonium Francis constitutam; ereptam posteris Aragoniorum arte & fraudibus, restituendam Caroli alterius fortitudine; & opprimendam vsurpationem iniquam. Iam Ferdinandum intra munimenta terrore concuti; iam ad tanti Principis famam circumspicere fugam, atque in remotissimas terras deferre crimina. Quid, ipse quod Turca suam intra Bizantium contremisceret, gentemque Francicam perhorresceret tam propè admotam, vt breui admodùm freto seposita & discreta, vna die in Graciam arma & palmas inferret.* Ita Orator, eiusmodi spe adulatoriâ inflammabat Regem; & audiebatur cupidis auribus, infixo penitùs stimulo. Attamen Franci plerique Proceres, nobilésque, præsertim ætate & peritiâ rerum spectabiles, contra sentiebant; & Grauilla Admiralius Franciæ, magníque ob res gestas nominis, ausus est palam Regem dehortari. *Italicas expeditiones Francis semper infaustas & calamitosas fuisse; Francos Reges ab eis abhorruisse summoperè; Ludouicum sanctum aspernatum esse Neapolin, Carolum sapientem, Ludouicum ipsum Regis patrem ab Italico bello, vt à Francia scopulo discessisse, nec nouo cælo, nouisque moribus Francos obiicere voluisse, quorum corpora animique mutatione tantâ interirent. Præterea quid hostes inquirerentur tam procul, cùm imminerent tam propè? Impendere cum Maximiliano Germaniam, iniuria sensu nondum obducto; Hispaniam cum Ferdinando iam admissam citra Pyrenæos, atque in ipsa Occitaniæ viscera; Anglos capitalissimos hostes vno freto dirimi, vniúsque noctis interuallo totam Angliam effundi posse in Franciam. Perdomentur veteres hostes, aut continean-*

CAROLVS VIII.

Grauille.

CAROLVS VIII.

tur, suos ipsa limites proroget Francia; supereſſe ad Rhenum, eſſe ad Pyrenæos, quod vincat, adiungatque finibus, eò arma conuertat; ſe ſuo cælo contineat, nec prætergreſſa limites naturæ, per Alpium iuga, carceréſque æternos, pro inani laude, certam perniciem vltrò arceſſat. Hæc Grauilla, ſed canebat ſurdis; fœdus ſtatim cum Sfortia pactum, vt Regi pecuniam mutuam daret, viam per Inſubres patefaceret, adiungeret copias; Rex ipſum Sfortiam & Mediolanenſem agrum protegeret, & regno comparato Principatum Tarentinum daret. Ea dum aguntur, Renatus Lotharingiæ Dux intercedebat; affirmabat ſibi iura in Neapolitanum regnum ceſſiſſe, vti proximo Renati heredi; ſe iam ante regni huius titulum vſurpaſſe, ſuo iuri à Rege offici; petebátque in quæſtionem vocari, cui iuris plurimùm in regnum eſſet. Verùm ea poſtulabat tempore inopportuno, à poſtulatis, imò ab gratia atque aula deiectus eſt, priuatus beneficiis regiis, iuſſúſque in Lotharingiam ſuam faceſſere. Ita prorſus decernitur expeditio; pluréſque Legati ad Italiæ Principes dimittuntur, ad proponendum Regis conſilium, & flagitanda opportuna ſubſidia. At Ferdinandus, vti procellam diſcuteret, & ipſe ad Carolum Oratores mittit, & deuincire Pontificem omni induſtria nititur. Miſſi Oratores, poſtquam Regem promiſſis variis atque incertis ludificant, iubentur regni egredi finibus; iam ſpe nulla pacis; & Ferdinandus poſtmodùm diem vltimum obit; vitæ anno ſeptuageſimo primo, iuſto metu tanti belli concepto, ac futuro malo præſentem mortem inferente. Nihilominus Alphonſus filius militari laude inter Italos clarus, regnum à Pontifice poſtulat, atque exercitum parat ad vim retundendam. Iam Alexander Pontifex ſeriò aduentum Regis pertimeſcebat; atque Alphonſo adiunctus regni poſſeſſionem conceſſit; Vrſinorum familia ipſi Regi addicitur, & Nicolaus Vrſinus Comes Petiliani, præclarus eo tempore belli Dux, à Pontifice ad Alphonſum tranſit. Ergo Pontifex vti Regem auertat, cùm fruſtra conſilia, adhortationes & minas conſumpſit, clàm Briſonetum aggreditur, & rubri pilei facta ſpe ita hominem mutat, vt Præfectus ærarij, à quo militiæ non nerui modò ſed ipſa mens pendet, interuertendo & auertendo pecuniam, expeditionem turbauerit; Rege otioſo Lugduni præſtolante, & tempeſtatem commodam abſumente inanibus votis. Hoſtes interea lucrifacientes beneficium temporis, res ſuas promouent; etenim Pontifex Columnas factionem Vrſinis oppoſitam, & Franco ſtudentem, Româ pellit, Iulianum Rouereum Sixti IV. nepotem, Cardinalem Oſtienſem dictum, veterem æmulum, priúſque de Pontificatu cum ipſo certantem, ex Italia exigit, arcéſque quas tenebat vi capit. Alphonſus præterea, Turcis in defenſionem accitis, duos exercitus ſcripſerat, naualem vnum, quem Friderico fratri commiſerat, terreſtrem alterum qui via per Romandiolam capta, in Longobardiam irrumperet; illi Dux deſignatus filius Ferdinandus, moderantibus Principem Ioanne Iacobo Triuulcio Mediolanenſi, & Sfortiæ inimico, & Comite Petiliano. Verùm iis rebus quas opponebant in obicem, Carolus tandem in Italiam venit; nam Rouereus Cardinalis in Franciam profugus, Regem ad profectionem vrgebat inflammatiſſimis precibus; & Sfortia gemino impeditus

impeditus exercitu, prorsùs vereri de ruina cœpit, Regémque instanter vocare in subsidium. Franco præterea regredi sine ignominia non licebat; Dux Aurelianensis cum centum & septemdecim nauibus Genuam venerat; Helvetios scripserat Bessæus Diuionensis Balliuius; (ea inter nobiles dignitas conspicua est;) & equitatus cum machinis comparatus erat ad profectionem. Quare Brisoneto frustra cunctante, etiam sine pecunia iter indicitur. Reginæ administratio regni commissa, Duce Borbonio dato in consortem; Grauillæ, Picardia atque Normannia datæ, vti imperatorem, atque Anglos obseruet; nam Cordius præclarus ille vir fato erat functus, Carolo Comiti Inculismensi Aquitania, & Hispania proxima ad curam concessæ. Ita postquam belli consilium quater abruptum est, tandem Deo promouente haud dubiè, & ad flagitiorum pœnam vocante vindicem, Rex cum exercitu suo proficiscitur Gratianopoli, versus Alpes, exeunte Augusto.

CAROLVS VIII.

Bessey.

Anno 1494.

V.

Rex in Italiam arma inducit.

Erant in exercitu equites grauis armaturæ ter mille, sexcenti; peditum viginti millia; illi plerique nobiles, militiæ robur; inter quos erant Proceres, Comites Vindocinensis, & Monpensierius è stirpe Regia; Ludouicus Luxemburgius Lignyus Comes, Comites Guisius & Niuernensis; Vicecomes Narbonensis; Baudricurius, & Gyæus, Franciæ Marescalli: pedites electi ex Heluetiis atque Vasconibus; vtrisque assuetis spissâ phalange pugnare, & propugnaculi instar immota; machinæ ingentes centum quadraginta iumentis trahentibus vectæ, minores magno numero; ad eas designata octo equorum millia, atque operarum immensa copia. Isque erat exercitus, cui nihil deerat præter Ducem; validum & robustum corpus, mente destitutum; nam præterquam quod Rex admodùm iuuenis, rerúmque imperitus, vna altitudine animi, & cupidine laudis nitebatur; cæteri omnes, vel eadem ætate, vel vsu infrequenti, ad rem tantam minùs apti erant. Quod & euentu postmodùm patuit. Rex interea Segusij exceptus à Sabaudiæ Duce, Alpibus sine molestia superatis, in Pedemontium venit, & ab avia Ducissa honorificè Taurini habitus, ab ea gemmas & muliebrem mundum mutuatur; dátque pignori, quæ inopia pecuniæ erat pro duodecim millibus aureorum; mox eodem beneficio Casale affectus, Dominâ Monferratensi gemmas largiente, se confert Astam; substitítque integrum mensem variolarum morbo laborans. Eam inter moram prospera nuntia morbum recreabant. Nam eum Sfortia cum vxore inuisit, verbísque ad adulationem compositis, habita oratione, promissam pactis pecuniam donat, tum nunciata sunt quæ à Legatis prosperè gesta essent. Classem Alphonsi Fridericus frater in Ligusticum mare induxerat, expositísque mille armatis, Genuæ imminebat, vrbem inuasurus per clandestina consilia. Aurelianensis qui cum classe vrbem obtinebat, nauem ingentem tormentis instructam è portu mittit, tum ipse cum selecto milite ex Helvetiis, atque Insubribus, ex vrbe irrumpit; atque in Aragonios simul terra marique impetum facit. Ij cum ad maris oram incederent, fulminantibus ad latus tormentis naualibus, atque in fronte Aurelianensi pugnante, disijciuntur haud ægrè atque mactantur. Fridericus ea clade perculsus

Baudricour. Et Gyé.

Suse.

CAROLVS VIII.

culsus, classem attonitam reuexit Neapolin. Nec terrestrium copiarum felicior sors. Ferdinandus Alphonsi filius Romandiolam cum exercitu tenebat, Pontificio milite & Florentino adiunctis. Rex in eum legiones aliquot

D'Aubigny.

miserat, ductore Eberardo Stuarto, dicto Aubignio, natione Scoto; & Comite Gaiassio Neapolitano, quingentos equites è Mediolanensibus ducente; qui velitationibus plurimis in hostem inuecti, superiores erant, tum fortitudine sua, tum vi machinarum, quæ peritè explosæ magnam stragem, maioremque metum inferebant. Et breui solutus est hostis exercitus. Nam Ascanius Cardinalis, Sforti æ frater Columnis promouentibus, vrbem Ostiam intercipit, clausóque mari, atque ostio Tiberis, Romam ipsúmque Pontificem admodùm terret, quamobrem tum ipse Pontifex, tum Florentini, singuli ad se tuendum copias reuocant. Carolus inter hæc secunda, recepta valetudine porrò pergens, Ticinum venit, Ticino Placentiam, mittitque in consilium quam Neapolin versùs viam susciperet. Duæ potissimum deducebant; altera per Romandiolam & Anconam, per Tusciam altera, & ditionem Florentinorum. Ea capta quanquam difficilior, atque molestior; quippe per inimicam gentem, atque armatam. Nam Florentini moderante vrbem Petro Medicæo, cum Ferdinando & Alphonso percussérant fœdus, atque à Rege dum Lugduni erat de præbenda via compellati, verbis in speciem quidem amicis, sed molestis ipsa re, petita negauerant, prætendentes Ludouici Regis consensu cum Neapolitano pactum esse fœdus. In præsentia multùm ancipites, quo se conuerterent, atque inter se valdè discrepantes, cùm plerique ciues Petrum Medicæum expulsum cuperent; repente Regis exercitu obruuntur.

VI.

Rex Florentinos domat.

Mompensierius primam aciem ducens, in Lunigianam quæ Tusciæ regio est, peruadens, Castrum Nouum capit, necato præsidio; & cohortes aliquot interceptas ferro cædit: tum Serezanum castrum in Florentinorum finibus munitissimum vallo cingit, machinisque diuerberat. Hactenus in Italia diuerso planè modo bella gerebantur, nam victoriæ primo statim cruore parabantur; rari in pugna cæsi, nemo extra pugnam; fraude & dolo grassabatur bellum, vt hostis hosti, vel arces vel militem ipsum suffuraretur quodam modo, magnà humani sanguinis parsimoniâ; nec tormenta bellica sæuiùs admouebantur, explosa imperitè, atque ad fumum & strepitum; pompæ machinæ potiùs quam Libitinæ. Nunc per stragem latè terrore immisso, & bombardis horribili sonitu murorum propugnacula quatientibus, & totam Italiam timor inuaserat, & proximè ipsam Florentiam. Igitur quanquam Serezanum Franci non cepissent, Florentini habito per tumultum consilio, Legatos ad Regem mittunt duodecim, Petro Medicæo excluso, qui pacem à Rege peterent, aliquot arces offerrent, modo Medicæus vrbe exularet; verùm ipse vt potestatem priuatam detrimento patriæ, tutaretur, antegressus legatos, cum Rege paciscitur, traditque arces validas, Serezanum, & Serezanellam, Liburnum, Petrasanctam, & Pisas; nam earum arcium præfecti sui imperij erant. Sic amicè à Rege exceptus, plura impetrans quàm postularet,

Florentiam.

Florentiam redit, ad hospitium Regi apparandum, Comite Matthæo Falasio. Enimuero vbi à ciuibus, quid egisset ipse resciuit, indignatio & dolor cunctos inuasit; Senatus primùm fores palatij venienti occludit, tum commota plebe vrbe pellit, mox decreto iubet esse extorrem exulémque perpetuum; deinad Regem legat oratores, qui Medicæum accusent, Regique ciuitatem opemque ciuium & fœdus offerant. Postmodùm plebs in expulsum sæuiens, (nec est intra modum popularis furor,) ad Medicæas ædes se confert, longè opulentissimas totius Europæ, & præclarissimam omnium artium officinam, crudeliter diripit atque euertit; Illa domus ampliſſima, miraculum architectonicæ, naturæ atque artis gazophylacium, in quam annis plurimis congestæ tabulæ pretiosissimæ, & simulacra ex marmore, metallisque omnis generis præclarissima; quæ ornamentis admirabiliter instructa totum penè orbem exhausserat; ea paucis horis spoliata atque euersa est; ac vnius hominis temeritate, tot tantáque studia, ærumnæ, curæ, immensique sumptus, disiecti sunt, & dilapidati. Carolus interim, negatis Sfortiæ arcibus Serezano & Serezanella, quas is postulabat, vt Genuensis dominij partem, Lucam venit, dein Pisas. Pisani olim respublica florentissima, quæ de imperio maris, cum Genuensibus, Venetisque contenderat, nunc Florentinis in seruitutem addicta, patiebatur iugum ægerrimè. Sfortia abnegatis arcibus ab Rege discesserat, iam in victorem fraude conceptâ; at ipsius gener Galeatius Sanseuerinus cum turmis equestribus apud Regem hæserat, ne pateret statim mens soceri, atque vt consilia Regis exploraret. Ille ex mente soceri Pisanos impellit, vti ab Rege libertatem postulent, nam id futurum molestissimum Florentinis erat, quos vehementer Sfortia oderat; præterea Rege absente spes erat Sfortiæ, opprimendi Pisas, quas vna specie libertatis, nullæ opes, nulla arma munirent. Ciues in eam spem impulsi facilè, Regem, dum sacram ædem adit, facto globo circumstant ac prostrati in genua, madidi fletibus, habitu, gestu, & miseria supplices, libertatem efflagitant. Rex ignarus quid peterent conceptâ ex supplicum humilitate, misericordia, cùm interrogaret quidnam postularent, Rabotus Delphinas libellorum supplicum magister refert eos libertatem petere, addítque postulatum esse æquissimum: Nec re vltra perpensâ, eam Carolus donat; adeo inscius quid rei ageret, & se alieni liberalem esse, vt postridie in ciuitate constituenda, Florentinos magistratus seruauerit, quibus in ciues imperium esset. Pisani illicò effusi in gratias, vt monumentum seruitutis euerterent, Leonem marmoreum, quæ Florentinorum insignia erant, columnæ impositum deturbant, atque in subiectum Arnum præcipitant, Regisque equestrem statuam eo loco reponunt, paulò post euertendam, eâdem leuitate atque inconstantia, quæ sedem fixerat. Tunc Rex vrbem diuisit trifariam; arcem veterem ciuibus concessit, nouam retinuit, & Magistratus Florentinos reliquit; mox Florentiam versùs proficiscitur, Atque is fuit Florentiæ terror, vt portis patefactis nulla conditione venientem admiserit. In vrbem ingressus est, armis indutus, & reclinatâ ad femur lanceâ, quod victoriæ signum est; ísque mos

CAROLVS VIII.

Medicæus pulsus.

Pisanis libertas data.

Rabot.

Rex Florentiam venit.

CAROLVS VIII.

repetitus à Patribus; Francis Regibus est, vt quas vrbes ingrediuntur armati, eas sibi comparent belli iure, & coronæ adiungant. Attamen laude contentus, possessionem omisit, iámque vrbis compos, paciscitur cum ciuibus, vt aureorum millia centum ac viginti darent; ipsorum arces ad quartum mensem haberet, mox restituendas; Pisas ipsi, si videretur, subiicerent, ac Medicæo facultates raptas permitterent; datum rogantibus, vt Lilia quæ Rubra in insignibus erant, Aurea pingerent; iuitque ille color ad posteros; fidei in Francos pignus, an monitum. Tum octauo post die vrbe egressus est. Porrò dies quo Florentiam subiit, litteratis viris famosissimus est, eo quippe Picus Mirandulæ Comes desiit viuere; ætatis anno trigesimo tertio; Italiæ præclarissimum ornamentum, cuius ingenio tota Orbis machina angustior erat; scientiarum verè Alexander, quas propemodùm omnes capacitate naturæ ceperat; raptus magno Italiæ luctu, cui armis victæ, periret laus ingenij.

VII. *Roma excipitur.*

Rex Florentiâ profectus Senas, mox Viterbium, eodem habitu victoris subiens, Romam aduentabat; atque vrbem ipsúmque Pontificem terrore implebat: iam Colomnenses plura citra Tiberim oppida armis subegerant; iam Vrsini quas arces tutabantur Regi permiserant; atque Alexander anceps consilij modò in Regem pronus, modò in Aragonium; Ferdinandum Principem in vrbem vocatum, mox exire compulerat, & Cardinales à Rege missos, atque in custodiam datos esse liberos iusserat, venerátque Rex Ostiam; cum repentè muri Romani plurima stadia collabuntur. Eâ ruinâ perculsus Pontifex, quasi vltro ciuitas hosti se panderet, in Adriani Molem se condit, Réxque vrbem intrat armatus & lanceam præferens, vt Florentiam venerat; obuiis Cardinalibus plurimis, Romanis Proceribus, & Senatu; vnúsque Carolus Regum Franciæ fuit, qui Romam Orbis dominam victor intraret, & obliteratam Gallorum memoriam, multis pòst seculis, non cæde & sanguine, sed clementiâ atque iustitiâ instauraret. Rex in vrbe ius summum exercuit, erectis ad compita patibulis, ad plebem & milites continendos. In Mole Pontifex metum inter & stuporem agebat, Regíque instabant Cardinales & Proceres, vti ipsum deturbatum Sede, in ius vocaret, atque erat periculum, ne tandem in eam sententiam rapi se sineret. Verùm Brissonnetus deuinctus à Pontifice, ipsum inter & Regem pacem conciliat; è Mole Pontifex in Vaticanum progreditur, Regémque amicè excipit, prostratum ex veterum religione: fœderis conditiones, vt Pontifex Cardinales & Proceres sequutos Regem in gratiam reciperet; ipsum, Regem Neapolitanum diceret; in securitatem & fidei pignus, Centumcellas, Tarracinas, & Spoletum traderet, ad tempus seruandas; tum Regi daret Zizimum Turcam Baiazeti fratrem. Impletæ conditiones, datúsque Zizimus, qui vitam mox amisit. Ille Baiazeti Othomanni frater, Innocentio Pontifici traditus, spem alebat Turcici imperij occupandi; eámque ob rem Carolus eiusdem imperij inuadendi cupidus, belli in Turcia ciuilis materiam efflagitauerat; Rex vno mense Romæ commoratus, versùs Neapolin iter capit; Pontifex adscitis in Cardinalium album Brissonneto, & Luxemburgio Cœnomanensi Episcopo,

Episcopo, Regi in speciem beneuolentiam multam contestatus, Cæsarem filium Cardinalem Valentinum dederat comitem expeditionis, atque veluti fidei obsidem, sed Cardinalis, postquam Rex Velitras peruenit, fugâ Romam regreditur; fraude & dolo palam patefactis. Et eo tempore Ferdinandi Hispaniæ Regis patefacta simul cunctatio est. Eum Ferdinandus Neapolitanus atque Alphonsus diu de præbendis auxiliis appellauerant, ipsis esse affinem, suámque ipsius rem versari eo in bello summoperè; nam erepta Neapoli periclitari Siciliam, à Sicilià in Baleares transitum esse perfacilem, nec iis finibus terminandam cupiditatem victoris. Et verò ea permouebant admodum Ferdinandum; verùm icto fœdere, & recepto in præmium Ruscinone, verbis tantùm amicis ab eo bello Carolum dehortatus erat. Fonseca legatus, eam in rem Regi, dum Lugduni erat, multa ingesserat, sequutus proficiscentem non cessabat obloqui; tandem postquam preces minæque tacitæ frustra sunt, vidétque in regnum duci exercitum, laruâ disiectâ, bellum denuntiat, fœdúsque abrumpit, Ruscinonensibus tamen nunquam restitutis; obtendens in speciem, quod eo in fœdere esset exceptus Pontifex, cui nouo bello officeretur, quod regnum Neapolitanum iam armis petitum, feudum esset Ecclesiæ. Rex nequaquam iis minis perterritus, properabat ad victoriam certam, terrore prævio, atque intra munimenta, hostium animos ante arma ipsa peruadente. CAROLVS VIII.

VIII. *Rex coronatur Neapolitanus.*

Etenim Alphonsus abdicauerat regnum, viuúsque heredem coronauerat filium. Ferdinandus pater, tædio & dolore vitam finierat. Nunquam scelerì peius quam in metu est: tunc iusta supplicia sibi conscientia fingit ac pingit, séque ream constituens prævertit Iudicem & tortorem. Alphonsus magno fortitudinis nomine, qui se ad Apenninum occursurum Carolo magnificis verbis asserebat, postquam eum audit Romam admissum, tanto repente metu percellitur, vt priorum immemor, iam imminere laqueum faucibus, aut securim collo existimaret. Retractabat animo patrata flagitia, cædes, venena, direptiones, adulteria atque periuria, legebátque in ciuium oculis vlciscendi libidinem; palatij ipsa conclauia, intimósque parietes exhorrescebat, veluti flagitiorum testes & scelerum; Regnúmque exosus, quod illorum materia atque occasio fuerat, festinabat id quam celerrimè à se abiicere. Et ea trepidantis festinatio fuit; vt frustrà dehortantibus nouercâ & filio, precantibúsque ne coronam poneret ante proximum diem, vt vno saltem anno regni compos esset; morâ abruptâ, eo ipso die perfecerit rem, interminatus se per fenestram ruiturum præcipitem, si diutiùs voto intercedant. Igitur coronam palàm abdicatam Ferdinando filio permittit; triremésque ascendens in Siciliam soluit; atque in vrbe Mazara Regem exutus, Monachum induit, veste quidem; nam animo, & priora forrasse scelera prohibebant, & tumultus præsens, timórque futurorum, haudquaquam sinebant. Ferdinandus iuuentute innoxia, & miseratione paterni supplicij commendatus; copias colligit, efficítque sexdecim hominum millia; tum ea ad tuendos limites collocans, magnam partem ad sanctum Germanum, ad Cassini montis

CAROLVS VIII.

radicem obiicit ; cæteros vltra, nono milliari, ad Cancellum locat ; qui locus in montium faucibus viæ anguſtiâ & rupium aſperitate, propugnantibus opportunus eſt, atque tutiſſimus. Carolus cùm aliquot caſtra in Pontificiâ ditione quæ Aragoniorum erant expugnaſſet, ad Cancellum venit, dátque Rienſio peruadendarum faucium munus. Ille hoſtes tam fortiter, támque prudenter aggreditur, vt ij primo impetu fuſi locum inanem viámque facilem fugâ præſtiterint. Eo leui prælio proſtrati Aragonij, nullâ mox pugnâ, nullo vincuntur cruore, nullo conamine. Ferdinandus Capuam ſe illicò recipit, ac deinceps vno curſu Neapolim ; & promoti Franci ſupra vota proſperis cumulantur, nullâ fortitudinis laude, nullâ prudentiæ. Comes Guiſius primam ducens aciem, Sanctum Germanum occupat ; Regi Capuam Ioannes Iacobus Triuultius tradit, Nolam Lignyo Vrſini, qui per inuidiam Colomnenſium, in cuſtodiam dati ſunt. Auerſa pariter admiſſi victores, & ipſos Neapolis voto appetebat ; cùm Ferdinandus veritus, ne tumultu ciuium proderetur, feſtinat effugere ; & incenſis nauibus ne hoſti prodeſſent, leuiores triremes conſcendit, atque in Iſchiam inſulam, quæ olim Ænaria, cum fidis perfugit ; edito claro facinore, vinctis ſolutis, quorum magna pars Nobiles ; vt fuga miſericordiæ eſſet, ſererétque beneficium, quod ſuo tempore iret in ſegetem. Biduo poſt Carolus vrbe excipitur, tanto omnium plauſu, vt quod Guiciardinus obſeruat, nemo in ampliſſimâ ciuitate eſſet, quin ad *viſendum* Regem aduolaret, nullo ætatis, ſexus, aut factionis diſcrimine, ipſúmque vti patriæ patrem & conditorem vrbis agnoſceret. Arces ſupererant, quibus ſtantibus nondum peruiciſſe Carolus videbatur ; erántque tergeminæ ; turris Sancti Vicenntij portui imminens, Caſtrum nouum ad maris oram exſtructum ; atque aliud, quod Oui dictum eſt, quia in oui formam ſit ædificatum ; validiſſimum omnium, in rupe poſitum, alluentibus fluctibus, arcto ponte proximæ ripæ adiunctum. Nec ea diu proſperitatem Caroli diſtulerunt ; turris quamprimùm dedita, Germani præſidiarij, quos Lanſquenetos dicemus in poſterum poſt defenſionem vmbratilem Caſtrum nouum tradunt, & cogunt Præfectum, Alphonſum Aualum Marchionem Peſcariæ, deditionem paciſci : nec Oui caſtrum machinarum vim ditiùs tulit ; cùm enim loco humiliore obnoxium eſſet Caſtro nouo, legem accepit quam victor dicebat. Interea vrbem primariam certatim cæteræ æmulabantur, ſponte Franco addictæ, portiſque patentibus, non tam victricem quàm felicem gentem excipientes ; ſic præter Iſchiam inſulam, Brunduſium atque Gallipolim, tréſque duntaxat in Calabria arces, vniuerſum regnum, arcéſque ſingulæ Francis patuerunt ; cunctíque Proceres, quos Barones vocant, tribus exceptis, quos priua-

Anno 1495.

tæ iniuriæ continebant ; ad Regem clientelæ causâ aduolarunt. Ita Rex adoleſcens, nullâ peritiâ, nullo conſilio, nullâ pecuniâ, inopportuno hyemis tempore, quinto menſe tranſmiſit victor vniuerſam Italiam ; quanquàm vix vllo prælio, nullâ ſanè victoriâ, vt regnum opulentiſſimum ludo comparârit, & videatur veniſſe in patrimonium, non in hoſtem armatus ; adeò inanes ſunt mortalium gloriæ, cùm tam parui conſtet regnum,

Triumphus,

Triumphus, atque honoris fastigium. Carolus pòst subactas arces, solemni pompa Ciuitatem ingredi voluit vsurpatis Imperatoris insignibus, globum altera manu, sceptrum altera gestans; nam se dicebat non modo Regem Neapolis & Ieroſolymæ, sed Constantinopolitanum Imperatorem, coëmpto imperij iure ab Andrea Paleologo, qui Constantini postremi Imperatoris nepos ex fratre erat. Iámque terror vltra obiectum pelagus adeò Constantinopolim ipsam inuaserat, vt Baiazetus reuocatis ab Illyrico Mæsiáque præsidiis, Adrianopolim secedens, inanem propemodùm Græciam atque Byzantium occupanti reliquerit, defensioni nouæ veterem sedem comparans. CAROLVS VIII.

IX. *Rex Neapoli imprudenter se gerit.*

At Caroli summa prosperitas citò in contrarium flexit; & florum instar, qui se ocyssimè explicant, celerrime emarcuit; regno impetu eodem elabente quo venerat. Nec accusanda sors rerum est, aut humanæ volubilitatis conditio; ipse Rex, imò ipsi Franci sui mali auctores atque artifices, mutabilitatem victæ gentis excusant. Vbi Rex Neapoli triumphans exceptus est, quasi regnare nihil aliud foret quàm ludere; atque Neapolis palatium quoddam magicum esset, quale fingunt Poëtæ & Historicarum fabularum Scriptores; in quo hastiludium pro bello, amor pro studio, pro ærumnis otium, pro solicitudine lusus & epulæ; totus ad pompam inanem, voluptates amoresque feminarum versùs, nihil curabat aliud, quàm felicitatis vsu frui & gaudere. Et quidem id indulgendum in iuuene, nisi & Franci quorum prudentiâ regi debuerat, vel in voluptates vel in auaritiam turpem degeneres, noxam sui Principis promouissent, vltra alienæ patientiæ fines. Erat administratio penes Lignyum Comitem, Brisonnetum, Versium & Gannayum Præsidem, qui vel imprudentiâ vel auaritiâ acti, ruentem Principem in barathrum vltrò impellebant. Ischiæ parcitum, & in ea Ferdinando tuto esse licuit; nauali quidem classe aggrediente, quam ducebat Princeps Salernitanus; sed tam ignauè, atque instrenuè, vt re nullâ gestâ regressa in portum sit; nihil in Calabriæ arces tentatum est, & relictus fomes futuro incendio. Gratiam, beneficia, atque dignitates, Rex duobus tribúsve delectu nullo cùmulabat in sinum; qui data postmodùm, quasi sub hasta posita publicabant, dominis auarè atque crudeliter pulsis & direptis. Plebi quanquam tributorum onere leuatæ, Francorum plures permolesti erant; eáque potissimùm expeditione lues venerea, tristis ille morbus enatus est, qui vt creditur ab Hispanis, è nouo orbe in Europam vectus, latebat adhuc & grassabatur in paucis; donec Franci Neapoli in apertam libidinem prorumpentes, suo modo pestem occultam publicant, ferúntque in Franciam libidinosi commercij pœnam; appellatione ancipiti, dum hi morbum dicunt, quem Neapoli incurrerant, Neapolitanum, Hispani Francicum, quem Franci vulgarant: vtraque gente luem detestante turpissimam, cuius causam longè turpiorem amplectitur. Eas ergo ob res Franci passim odiosi & molesti erant Neapolitanis, & natiuam illam leuitatem, quæ præsentes odit dominos, absentes diligit, promouentibus iustis iniuriis, Ferdinandi iuuentus cœperat miseticordiæ esse, amori clementia qua vinctos soluerat; *populorem suum*

Lues venerea.

CAROLVS VIII.

atque ad ipsorum mores institutum, quid extraneam & barbaram gentem arcessérent? vnde nullus fructus, quæque prædonum modo ad diripiendum potiùs, quam ad regendum, & vetera mala perfanandum veniſſet. Et eum ſenſum ingens Francorum alebat ſocordia, qui ſupinâ negligentiâ, quaſi quærere & ſueri parta idem foret, curam armorum & ſeruandi regni planè abiecerant; dabantur arces Præfectis indignis; commeatus in bellum apparati, atque in victum, donati Proceribus, ab iis vendebantur perleui pretio; nudæque arces quaſi cadauera inualida atque inanima ſolum occupabant; & eâ inconſiderantiâ Caieta, & caſtra Neapolitana, propugnacula regni, & potentiæ claues, exhauſtâ annonâ, vacua erant atque inania. Quin & ipſi Franci, deſiderio patriæ iam affecti, & voluptatum vſu defeſſi, appetebant Franciam, vitio gentis, longiorem abſentiam ferentis impatientiùs, & pro exilio habentis. Verùm id ignauiæ votum, ſtatim gloriæ & neceſſitatis cauſa excitauit. Nam erumpit fœdus, quo Venetiis conuenerant Itali Principes, vti Regem Franciæ ab Italia tota exigerent. Vnus fœderis auctor, atque moderator, obſeruante Mariana ſcriptore Hiſpano, Ferdinandus Aragoniæ Rex, qui alios Principes de iungendo fœdere appellabat; vt cui pares ſinguli non erant, euaderent communicatis opibus ſuperiores. Et hic prima ſuſcitabat odia, in quibus natus erat propemodùm, atque adultus; nam ſub infantiam vexatus à Francis, Catalanorum rebellionem fouentibus, ſeu Ludouico ferente, ſeu Ioanne Andegauenſi agente; mox odio per ereptos Ruſcinonenſes promoto, iam poſt raptam affini Neapolin, timebat Siciliæ, Ruſcinonenſibus, atque Aragoniæ. Atque inde, ni fallor, origo bellorum vtriuſque gentis, Francicam loquor, atque Hiſpanicam; quæ prius amiciſſimæ, & aliquot ſæculis fœderatæ; dum Nauarra atque Aragonia intercedebant mutuis finibus; nunc admotæ propius, non limitibus tantùm, ſed cupiditate, exarſerunt in bella, longè in poſteros magno Europæ luctu traducta; deſitura vix vnquam, niſi finem faciat, vel cupiditas ſua, vel aliena infirmitas. Ergo Ferdinandus clam Alexandrum Pontificem, Maximilianum Imperatorem, Venetos, Ludouicum Sfortiam, & aliquot Principes conciliauerat, vti icto fœdere ab Italia tota Francum depellerent. Pontifex ſponte in id fœdus ruit, tum quod ſuas arces obtinebat Carolus, tum quod præpotentem veritus, ſuam potentiam frænari, iniquè ferebat. Maximilianus præter iniuriam veterem, ſemper animo ad noua conſilia paratiſſimo, propoſitis Ferdinandi coniugiis capitur, vt Ioannes & Ioanna Ferdinandi liberi, Philippo Archiduci, & Margaritæ ſorori darentur coniuges. Miſſus ad Venetos Laurentius Suares Figueroa, qui Senatores hactenus dubios atque ancipites, impulit tandem in Francos, proteruè victores, & latè in vicinam omnem graſſaturos. Ad Sfortiam Ioannes Beſa Legatus, qui ſpem faceret regni totius Galliæ Ciſalpinæ, & ambitione afflata, odium & metum in Francos moueret. Ita conuenitur in fœdus à ſingulis, & Venetiis iurata ſocietas, quam dixere ſanctiſſimam; prætexta ſpecie defendendæ Eccleſiæ, quam Franci irent perditum; quà arces occupando, quà ipſius feudum inuito Pontifice retinendo. Pactum vt Equitum triginta

Fœdus Italorum in Regem.

quatuor

quatuor millia, triginta peditum, impensis communibus, scriberentur, pro facultate cuiusque; & societas in annum quintum & vicesimum perseueraret; additi equites multò plures, vt Francicus equitatus in Europa longè pugnacissimus numero saltem obrueretur. CAROLVS VIII.

X.

Rex Neapoli is Franciam redit.

Nec mirum Francos agentes tam temerè, id latuisse consilium: quanquam si Comminio credimus, qui tunc Venetiis agebat legatus, id ipse explorauerat, & literis repetitis ad Regem scripserat; Cassandræ oraculo, tam verace quam spreto. Et in eo fides laborat historiæ, cùm Hispani scribant & Veneti; fœdus Comminio primùm in Senatu, Duce proferente expositum, ipsúmque adeò consternatum mente, vt rogaret, nunquid Regi suo foret, in Franciam redeundi facultas. Quas voces forsitan in ludibrium dictas, metui & consternationi adscripsit Venetus; cùm Comminius dicat, rem antè perspectam, afferátque responsum, quod fortem animum, prouidum & imperterritum sapiat. Fœdus vulgatum, Regi & Consilio angorem animi plurimum attulit. Nam vel in regno pugnandum, vel festinandum in Franciam erat. Perdifficile illud videbatur; quippe Calabri iam Siculos Hispanosque exceperant; iam classis Veneta adnauigabat Apuliæ; dicebatur Maximilianus cum triginta Germanorum millibus profecturus; ita excludi subsidia, quæ in Francia lentè instruerentur; instructa nec mari nec terra ad seruandum Regem venirent; Réxque ipse inuolutus retibus prædæ esset. Porrò iter sine discrimine haud patebat; nulla erat classis qua mari proditet; si montium fauces obsideret hostis, quæ arma, quis miles viam aperiret? Attamen constitutum, vt quam ocyssimè Rex properaret in Franciam, ducto per Italiam exercitu; copiasque relinqueret ad seruandum regnum, dum auxilia commoda submitterentur. Ac primùm ad tutelam regni, imò ad perniciem, destinatæ res, & curæ præcipitanter impensæ. Sex hominum millia designata, cataphracti quingenti, cæteri ex Heluetiis & Francis pedites; nulli in arcibus commeatus, nulla alimenta; Præfectura summa Mompenserio data, Principi quidem Regij sanguinis, sed præter alia tam delicato & molli, vt ante medium diem stratis nunquam surgeret, somnumve excuteret, quæcunque res agendæ vrgerent; Versio quem Nolanum Ducem dixerat, ærarij atque iustitiæ data prouincia, fido quidem viro, sed imperito; atque in commoda propria vigilanti. Plurimæ arces & validissimæ Colomnensibus fratribus Prospero & Fabrio permissæ, viris factione Gibellinis, qui Rege nedum profecto, iam Aragoniis eas permittebant. Comestabilis regni dictus Albinius, in quo spes summa; & accedebant præclari viri, Principes Salernitanus & Bisinianus; Robertus Lenoncursius, Georgius Sullyus; Guerrius, & Rabodangius; quorum fortitudine ruens Franci nomen aliquandiu steterit. Iis stabilitis, Rex Franciam versus, capit, per Latium & Tusciam iter; Vrsinis liberâ custodiâ, quam sua fides fecerat, simul ductis. Pontifex ad famam aduentus, secedit Perusiam, præsentem non sustinens, cui absenti bellum indixerat. Rex Romæ exceptus à Cardinalibus, vltra festinauit; Centumcellis atque Tarracenis sponte restitutis; retentâ tamen Ostiâ, quam Cardinali Rouereo dedit; parcitum oppidis, Aubigny.

præter

CAROLVS VIII.

præter Tuſcanellum; quod cum portas Regi occluderet indignante miſitè captum & direptum eſt. Tum peruentum in Tuſciam, & auditi Senis Florentini. Ij primum fœdus poſtulabant impleri, vt arces redderentur; Piſæ ſuis dominis addicerentur, repræſentantes pactam pecuniam, & quinquaginta nummorum millia; fidam cum Francica gente ſocietatem; tuta ad

Ligourne.

deducendum Regem auxilia, & Liburnum portum pignus fidei. Verum ea imprudenter reiecta, & offenſi grauiter qui vni Francis in Italia ſtudebant. Vbi Rex Poggibouſium venit, quod oppidum eſt Florentinorum, Hie-

Sauonarola oratio.

ronymus Sauonarola eum conuenit, vir è Dominicana familia, ſacra eloquentia, pietate, ac futurorum præſagitione, Italiæ & præſertim Florentiæ venerandus. Ille ad Regem præclaram habuit orationem; qua primum *faciebat eunti animos, nuntiabat reditum gloriæ plenum in Franciam; occurſuros quidem fœderatos; ſed conatu inani; nihil ipſe metueret; præcedere præſtitem Angelum, qui viam inter hoſtium tela patefaceret.* Tum adhortationes additæ, mox querelæ quod voluntatem Dei non impleſſet; *lectum eum diuinitus, ad Italiam liberandam Dominis: re infecta abſcedere; vanitati expeditionem datam, qua cœleſtis eſſet; ob hanc noxam breui pœnam expectaret, iam Dei manum ad ictum ſublatam; nec vitari poſſe, niſi forſan vera pœnitentia, & quæ iuſſa erant exequendo* Euentus docuit, ſacrum oratorem afflatum cœlitùs, nec inani eloquentia fucum animis factum. Hinc Carolus Florentiæ maiori cultu, quàm

Piſanis libertas confirmata.

gaudio exceptus, quòd poſtulata ciuium pernegaret, ſe Piſas contulit, primamq; libertatem, contra fas conceſſam, noua iniquitate aſſerit. A Piſanis nihil prætermiſſum, vt Regem conciliarent, ideóque adhibitæ contrariæ res, opulentia, atque miſeria. Vici periſtromatis pretioſiſſimis conueſtiti, ædium feneſtræ vexillis fulgentibus coruſcantes; magno numero adoleſcentes in veſte candida relucentes, liliis aureis denſum ſericum diſtinguentibus; effundebant gaudium magnificentiâ; at matronæ & virgines, nullo cultu quàm natura quem faceret, nudis pedibus, pullatæ, & miſeriâ miſericordiam appellantes, ipſo ſilentio perorabant efficaciſſimè. Ad illo-

D'Entragues.

rum preces confirmata libertas, dictúſque Præfectus Robertus Entraguius, aſſignata ad præſidia legio, attributis præterea Librefactâ & Petraſanctâ, arcibus, quæ Florentinis ad tuendos Piſanos eripiebantur. Eamque in rem octo dies impenſi, iacturâ temporis & militum graui, quibus ſi eſſet parcitum, Rex nullo periculo Aſtam peruenisſet. Et huic culpæ noua mox acceſſit: occupandæ Genuæ initur conſilium, Fregoſiis conſpirantibus; quæque regiam claſſem conflabant triremes octo eò deſtinantur; & Philippus Sebuſianorum Comes iubetur quas nuper copias è Francia duxerat eam in vrbem conuertere. Sed curante Sforcia, & Adornis, quæ Fregoſiis factio oppoſita erat, plurimùm contendentibus fruſtra, expeditio fuit; claſſis victa & capta eſt; Philippi copiæ euaneſcente conſilio Aſtam tenuerunt. Tandem Rex ad Apennini radices aduentat, ac nouo infortunio, dum Pontremolij hæret, percellitur. Orto forte iurgio ciues inter atque Heluetios, ad arma concurritur, cæſis in rixa quadraginta Heluetiis; cæteri furore ob ſtragem ſociorum rapti, in ciuem proruunt, paſſim mactant, oppidoque flammas iniiciunt; atque Rex ægerrimè

rimè amentium iram compescuit, arcuitque ne in Italos milites effunderetur is furor. Attamen ea noxa egregio facinore emendata. Cùm enim superandus esset Apenninus, & per excelsa montium iuga proserpendum, in quibus vix iumentis vestigium esset; ingentes machinæ quatuordecim, quas vehebat exercitus nulla ope, nullâ industriâ, deportari in nubes poterant. At ecce Heluetij ad delendam culpæ ignominiam, modò ignoscat Rex, machinas aggrediuntur, & alligatas rudentibus, quibus erant minores funes impliciti, centum singulas machinas euoluentes, & bini longa serie iumentorum instar annexi, per saxa & præcipitia ad montium verticem enituntur. Magno virium robore & maiore animi constantia, implent opus, & firmo vestigio prodigiosas moles cœlo condunt; fictis Gigantibus superiores, qui neutiquam aggestis montibus in cœlum pugnarent; sed conatu fortissimo mortalium fulmina cælo ipsi inferrent. Præcedebat Trimollius, verbo & exemplo animum faciens laborantibus; quippe veste posita, modò globos ingentes gestabat, modo se ad funem applicabat cum cæteris, modo largo potu instaurabat trahentium vires, vt tanti corporis totque in membra diffusi, mens quodam modo dici atque animus posset. Nec minùs post iuga superata in decliui impensum operæ, labore tamen vincente singula, quinto die Apenninus transmissus seque primo agmini Rex adiunxit. Nam & in eo peccatum, quod primam aciem ductore Gyæo præmiserat; intercedente leucarum quindecim interuallo; vt eam opprimere hostis facilè posset; nisi Regis culpas Dei tutela atque defensio in salutem vertisset. Sic ad Forum nouum tandem incolumis venit exercitus.

CAROLVS VIII.

Heluetiorum furor emendatus.

La Trimouille.

XI.

Pugna ad Forum Nouum.

Dum Rex moras in itinere longiores trahit, fœderatis ad contrahendas copias fuerat spatium; quadraginta bellatorum millia numerabant; cataphractos equites mille trecentos, leuiores equites quinquies mille, Stratiotas mille & quingentos. Ij ad Venetorum stipendium vocati ex Albanis, indurati ærumnis, & pro arte professi militiam, celerrimis equis ferebantur in prælium, nemini ex hostibus parcentes, tot donati aureis quot cæsorum capita ductori afferrent. Et vniuersus prope exercitus Venetorum erat, Sfortiæ quarta pars, quam Sanseuerinus eius gener duxerat; summo omnium duce Francisco Gonzaga Marchione Mantuæ. Cùm ij dubitarent per quem montis tractum traduceretur exercitus Regis, primam vident aciem exscendisse iugis, & Fori Noui substitisse. Vnus atque alter dies deliberando consumptus, vtrum illam imperterent; dum Rex totas copias tandem adiungit. Scribitur Gonzagæ consilio pugnâ temperatum; seu quòd inter montis angustias aggredi hostem, imprudentiæ facinus existimaret; seu quòd vereretur ne deleto agmine, Rex flecteret retro, certæque, vt putabat ille, victoriæ se exercitumque totum eriperet. Vt vt sit, Gonzagæ vanitas, vel prudentia eo articulo Regi salus fuit. Ad aspectum mutuum, vtrique partium pax in votis. Admirabantur Itali Francorum animos, qui tam exiguo numero per abrupta montium intrepidi hostem lacessèrent, Franci stupebant, dum è cliuo montis hostem respiciunt,

For-noue.

CAROLVS VIII. Anno 1495.

& effusa per immensos campos tentoria; iusto haud dubiè metu corda pulsante, missique hinc inde ad pacem nuntij conuenissent, nisi Legati Hispanici deturbassent omne consilium; pugnæ auctores, qua si vincerent magnum lucrum erat, sin minus, nulla iactura; cùm Ferdinandi nullæ copiæ in exercitu essent. Est Forum Nouum oppidulum sub Apennino ad fluuiolum Tarrum, decem milliaribus Parmâ distans; ad lævam amnis Franci, ad dextram Itali castra posuerant, fluuio interfluente, sed vadoso vbique, nisi cùm imbribus intumuerant aquæ. Iter Franco per amnem duntaxat & per hostem patebat. Illud igitur sexto Iulij die, quo conserta est pugna Francus aggreditur. Nouem millia hominum in copiis erant, quæ in triplicem aciem distribuuntur. Primam agebant Marescallus Gyæus & Triuultius, & validissimam quidem, ex cataphractis atque Heluetiis, quoniam credebatur tota prælij mole obruenda; Rex ducebat alteram; tertiam Trimollius, & Vicecomes Narbonensis; impedimenta vnis lixis commissa, & iussa ad postremi agminis latus incedere. Rex fulgebat in chlamyde, candido & violaceo distincta, Ierosolymitanis crucibus opere Phrygio ex Margaritis & auro attextis; verùm comperto Venetos publica licitatione suo capiti quinquaginta aureorum millia fecisse pretium, chlamydem posuit, atque octo Proceres designauit, quos pari secum sago ad discrimen tollendum indutos, ad latera iussit præliari. Tum ad amnem proximum promotæ copiæ. At Gonzaga exercitum in nouem turmas diuiserat; & primùm quidem ruiturus in agmen obuium: verùm primi agminis specie perterritus, mutato consilio, statuit postremum aggredi; & copiarum flore abducto, ipse amnem transit, vt à tergo Francos aggrediatur; seponitque turmas ad opportunum subsidium, quas Antonio Monfeltrio tradit; imperans ne se loco mouerat donec arcessatur. Rex ab flexu hostium, mutatum ordinem pugnæ perspiciens, frontem vertit, ac postremo agmini medium iungit, cùm amne pertransito hostes irruebant. Pugna conseritur ac momento vincitur, incurritur lanceis, ac statim clauis & gladiis intenso prælio; per quadrantem horæ pugnatum est; & continuò Itali in fugam versi; vtrinque magna parte exercitus otiosa, & sociorum decerpente fugam atque victoriam. Et eam Francis præter fortitudinem casus peperit, aut supremus casuum moderator. Nam cùm Italis à tergo irruentibus impedimenta occurrerent, ad ea plurimi inuolant; Statiotæ præcipuè, qui præda illecti, prælio abstinuerunt, tutam mercedem periculosæ gloriæ anteponentes. Monfeltrius loco se neutiquam mouit; Rodolpho Gonzagâ in primis cæso, à quo arcessi debuerat. Sanseuerinus in primam aciem quadringentos equites, ac bis mille pedites immittebat; Sed Francorum ferocitate perterritus, secessit, seque abdidit in paratas turmas; nec eum Gyæus persecutus est, nescius quid Regi, & sociis contigisset. Victores interim fugientes vrgebant, nemine in captiuum seruato, ac nullâ prædæ curâ. Atque ingens hostium consternatio erat, cùm ad eos profugit Comes Petilianus, liberâ custodiâ à Francis habitus; hicque vnus fugam properantium sistit, sparsos colligit, in turmas reuocat, monitis atque extemplo in terrorem pugnans; Virginius frater in priuatam domum

domum ſeceſſit, Francorum in poſterum ſtudioſus. At Regi gloria non immunis periculi erat, ad eius latus nothum Borbonium hoſtes rapuerant; ipſe æſtu prælij actus, in primis dimicauerat, atque vltrà victoriâ progreſſus, vno duntaxat è domeſticis comite, atque inermi, fugientes premebat, cum ab hoſtili turma inuoluitur. Et verò ſalutem ſibi ſuoque equo tunc debuit. Nam ferro in obuios raptus proximum quemque diſſiciebat, dum quadrupes admirabiliter pro ſeſſore pugnat; modò illum morſu, modò alium calcibus, mox toto niſu corporis, plures amouet procul atque expellit; ad Regis enſem membra & motum tam peritè accommodans, vt rationis particeps & conſcius pretioſiſſimi oneris videretur; tenuítque præclariſſima illa vnius hominis contra turmam pugna, dum aduolantibus Francis hoſtis diſiectus eſt. Is porrò quadrupes, quem Bucephalum Francicum dixerim, donatus à Sabaudiæ Duce, altero oculo captus, & agens annum octauum viceſimum, ſtaturæ mediocris, fuſci coloris, ſed pilo & conformatione membrorum pulcherrimus, dignus viſus eſt quem Annalibus ſuis Scriptores inſerant, Proceribus tacitis, qui lentiùs Regem in alea pugnæ ſequuti ſunt. Nec ſilendi duo Cardinales, qui diuerſo admodùm habitu interfuerunt certamini; & Briſſonnetus quidem armatus ad propulſandum periculum; at Spinaius, dictus Burdegalenſis, tiaram indutus, veſtémque Pontificiam, ac crucem manu præferens, à Rege haud abſceſſit, euaſitque incolumis; adeò religioni ſuæ arma ſunt, ſuúmque præſidium. Victor Rex ad primum agmen progreſſus, deliberauit an inſtandum foret victoriæ, quærendique hoſtes vltrà amnem; & ea in ſententia erant Trimollius, Trivultius, & Secus Dux Florentinus; ſed viſum eſt aliis, pergendum in via; iam patratum quod in votis erat, feſſum militem, intumuiſſe pluuia fluuium, nec ſalutem Regis obiiciendam nouo diſcrimini. Et ea pugna eſt, cuius laudem ſibi Veneti adſcribunt, ingenti plauſu celebratâ victoriâ; quaſi gratulatione Orbi illuderent, cladémve ſimulatione minuerent. Tu lector arbitrare, vter victor an victus ſit: Ex Italis cæſa tria millia hominum ſupra quingentos; in iis octodecim Proceres & Gonzagæ patruus; ex Francis milites quadraginta; lixæ admodùm centum; nam impedimenta non habent iacturæ; nec piſcator eſcam, viſcum auceps, quibus præda inuoluitur, & magno lucro detrimentum ſarcitur. Attamen vanus Francorum timor, vanitatem hoſtium aluit. Nam nocte proxima, iter ſilentio cepit exercitus; quanquam Comminius de pace conueniſſet Gonzagam; Briſſonneti præpoſtero metu, qui prauo conſilio victrices copias indecori & ignominioſo receptu à victis abduxit.

CAROLVS VIII.

Seco.

XI. *Rex in Pedemontio ſubſiſtit.*

Nullus in via obiectus eſt obex; vrbes quanquam hoſtiles vltrò alimenta conferebant euntibus, ſaluæque copiæ cum integris machinis duce Rege Aſtam tenuerunt. Hic pro quiete nouum bellum, noua neceſſitas pugnæ imminebat: Aurelianenſi à Rege imperatum erat, ne quid in Sfortiam tentaret, atque tranquillius Aſtæ ſubſiſterer. Ille contra iuſſa, ius auitum in Mediolanenſi Ducatu ſuſcitans, Nouariam occupauerat, vrbem munitam, Mediolano haud procul; imò Regis detrimento poſthabito,

CAROLVS VIII. Nouarre.

septem millia armatorum, quæ Borbonius è Francia miserat, vt venienti occurrerent, Nouariam continuit, iam spe vniuersos Insubres deuorans; verùm Sfortia strenuè nouo periculo propulsato, Nouariæ Aurelianensem incluserat, atque arcto obsidio ad extremam inopiam adigebat. Rex postquam Astam venit, quanquam de subsidio ab Aurelianensi appellatus, rem committendam armis, non censuit; siue memoriâ periculi proximi nondum expunctâ, siue in Aurelianensem offensione, quod contra quàm imperatum erat, vltrò id damni sibi confecisset. Ita indagaturus concordiæ viam, nihil vrgebat, modò Astæ, modò Taurini diuersans, modo Cherij, quò vnius, feminæ amor euocabat, miserátque Diuionensem Balliuium ad Heluetiorum delectum. Interim obsidentibus accedunt duodecim Germanorum millia missa à Maximiliano, cum mille cataphractis; atque instante obsessorum penuria, Rex propiùs se admouit, Vercellis à Ducissa Sabaudiæ acceptus; quæ vrbs Nouaria haud admodum distat. Ibidem legationem ab Alexandro minis ac terrore plenam admisit: iussus ni ab Italia decimo die abscederet, Romæ se sistere, coram Pontifice. Enimverò habitis in ludibrium minis, respondit per se non stetisse, quominus Romæ Pontificem adiret; porrò si tanta visendi sui cupiditas esset, patefacturum se iterum viam, vt veniret Romam, ac rogare se Pontificem, ne abesset, ac venientem acciperet. Hæc Rex Pontifici, dum vrgebat vrbis calamitas. Repetitis nuntiis obtestabatur Regem Aurelianensis, neu per iura sanguinis, ac Franciæ dignitatem, pateretur, patruelem suum, bellatorésque egregios, tanta ignominia affici, seruarétque vrbem addictissimam Franciæ. Et verò Regis intererat, ne eam laudem atque vtilitatem hostes vsurparent, vt præsente se, Regium Principem, militésque fortissimos, vel fame necarent, vel captiuos abducerent. Igitur de subsidio deliberatum est; & Brisonnetus spe largi stipendij facta ab Aurelianensi, censebat prælium conserendum; repugnabant cæteri, atque ipse Rex, ne res tota ac salus Franciæ in discrimen iret. Res hærebat atque consilium, donec Comminij solertia nodum soluit, & expediuit ambiguos. Eius prudentiâ inducia cum Sfortia pactæ sunt; quarum beneficio Aurelianensis cum milite prodiret Nouariâ; triginta milites arcem seruarent, vrbem ipsi ciues; dum constaret feriendo mox fœdere, ad quem ea spectaret. Sic obsessorum honori & vitæ consultum. Prodeunt milites, triste & miserandum spectaculum, fame depasti ægerrimè corpora sustentabant; cute arida, neruis atque ossibus duntaxat annexa, infirmis vestigiis vacillabant; cadauera diceres, colore, voce, & propemodùm spiritu destituta; sanè plurimi ad pedes hostium prolabebantur, iam inani miseratione, victricem animam efflabant inter hostium auxiliantium manus: plurimos ea calamitas in via necauit, haud paucos copia, qui Vercellis excepti, iam stomacho impare ad alimenta, cibis extincti sunt: fame per alimenta ipsa sæuiente: & eo fato tria hominum millia rapta sunt. Aurelianensis quartana febri correptus est, qua diu laborauit, importuna cupiditate in molestissimam pœnam deflectente. Tertio die post quem inducia pactæ sunt, aduenit cum Heluetiis Diuionensis Balliuius;

Quiers.

Verseil.

Balliuius; sex millia duntaxat conscripserat, sed ad millia duo & vicena, copiæ excreuerant; omnes inanibus propè ciuitatibus aduolabant; seu prædâ illecti, seu memoriâ Ludouici, à quo tantis affecti beneficiis, quemque gratissimo animo prosequebantur; & occludenda fuerant montium claustra, ne simul feminæ atque imbelles pueri in expeditionem irruerent. Franci tanto aucti supplemento pugnam exoptabant; atque Trimollius eam inflammatis verbis Regi suadebat, sed obstante Orangio, qui venerat nuper è Francia, ac Rege in sinu Aurelianensi Duci subinfenso, pugnæ ardor euanuit. Heluetiis tamen tumultuantibus soluendum trimestre stipendium fuit, cùm id cautum in fœdere affirmarent, vt quo momento, pro Rege Franciæ signa explicarent, iis trimestre stipendium deberetur. Igitur extincto bello, in pacem incumbitur; Venetias Comminius Legatus mittitur, atque interea contrahitur fœdus cum Sfortia; vt ille Nouariam atque arcem acciperet, Rex Genuæ nauium quantùm veller, instrueret, Sfortia in præsentia duo maiora nauigia armaret ad Neapolitanum auxilium, triremes captas restitueret, & Borbonium nothum & Miolansium; Triuulcio dignitates, & facultates, pecuniam Regi atque Aurelianensi dictam persolueret. Ea quidem promissa, sed non impleta; nam Carolus, nec expectato Comminio, qui non aspernanda afferebat à Venetis, omissâ Italiâ, per Delphinates Lugdunum se contulit; incendij instar, post flammam spectabilem, in fumum & cineres desinentis.

CAROLVS VIII.

Miolans.

XII.

Ferdinãdus Neapolin & regnum recipit.

Etenim regnum Neapolitanum breui post tempore Ferdinandus recepit, magna Francorum ignominia, siue in Italia malè & infeliciter pugnantium, siue in Francia auatè & oscitanter suppeditantium opem. Posteaquam Principum fœdus in Carolum palam innotuit, Ferdinandus quem ad discrimen Hispani, Italum dicam, vocatus in spem nouam, clam cum Calabris miscebat consilia; atque extemplò vbi profectus est Carolus, arma in regnum intulit. Corrogauerat quinque peditum millia, & octingentos equites, ex Hispanis, & Siculis; & in ductore Hispano magna fiducia. Is Ferdinandus Consaluus seu Gonsales Cordubensis, ex Aghilaria gente, iam clari in expeditione Maurica nominis; comparata magni Ducis appellatione, quam cladibus Francorum multis stabiliet. Ductu ipsius statim Rhegium captum, vnde commodus in Siciliam transitus, vrbesque redditæ Sancta Agatha & Semenaria. Albinius illicò, cuius curæ commissa Calabria, contractis Francorum præsidiis, & adscita nobilitate vt malum serpens extingueret, occurrit victoribus, factóque ad Semenariam prælio, vincit hostem ac fundit; cæsi pedites, equites acti in fugam; Ferdinandus suffosso equo ægrè in recentem impositus, captiuitati fuga ereptus est, Sancta Agatha & Semenaria vrbes receptæ. Et ea Consaluo magnitudinis futuræ primordia; ne quis ab initiis spem aut desperationem futuram componat; cùm varietas rerum, tam prospera ab infaustis, quàm à prosperis infausta pariat. Attamen pessimè Ferdinando erat, nisi Albinius sub fructum victoriæ, morbo correptus, spatium hosti respirandi fecisset: sanè hoc morbo afflictæ res Francicæ & capite laborante, tandem membra cætera certam perniciem conceperunt. Nam Neapolitani quibus Franci

Gonsalue de Cordoue.

CAROLVS VIII.

intolerabiles erant, clanculum legant ad Ferdinandum; hortantur & rogant, vt omissis finibus caput & radicem aggrediatur; Neapolim cum exercitu veniat, se charissimum Regem admissuros; Francos, quo numero sunt & quâ socordiâ pelli posse aut cædi. Erectus in id consilium Ferdinandus, summa celeritate comparat classem, formidandam in speciem; nam multa nauigia vndecumque contracta, sed reipsa inanem raro milite & deficientibus machinis, tum classem in conspectum Neapolis ducit, exponitque militem, vti Francum è pomœrio vrbis eliciat. Mompenserius regni Prorex obtinebat arces atque ciuitatem; ille ex vrbe ad pugnandum prodit, educitque præsidium, ne relictis quidem ad portas custodibus, magnoque circuitu hostem quærit. Vix terga vrbi obuerterat, cùm Neapolitani vno consensu Ferdinandum excipiunt, & obstructis portis Francos excludunt. At ij socordiâ in furorem versâ, per castrum nouum in vrbem irrumpunt, & ferociter dimicantes, obuios cædunt; verùm Ferdinandi vrgente præsentia, atque ciuibus è tectorum fastigiis saxa & imbrices in subiectos voluentibus, pulsi vrbe, & in castra conditi. Statim in iis obsidione cinguntur; classe Ferdinandi mare excludente, & ducta per campos fossa amplissima, quæ terrestrem opem interciperet. Primum illud prosperitatis diluculum, clarissima illicò dies excepit; Nam Capua, Auersa & Mondragonium defecerunt; Veneti classe Apuliam circumuecti, Monopolin arcem expugnarunt; Prosper & Fabricius Colomnenses, quod diu voluebant animo, Ferdinandum sequuntur; & tametsi Dux Matalonius à Persio profligatus foret, cæsis tribus hominum millibus; tamen cùm Persius non vrgeret victoriam, atque Albinij valetudo ægerrima perseueraret; Franci in arcibus ad extrema acti sunt. Nam commeatu breui admodùm tempore deficiente, quæ Francorum fuerat vigilantia, Mompenserius deditionem pacisci tur, nisi certis diebus ferantur supperiæ; dátque ea in pacta obsides. Verùm ante diem conditioni appositam, relicto in castris præsidio modico, egreditur cum copiis, atque Atellam versus iter capit. Ferdinandus violatum pactum conquestus intentabat necem obsidibus, nisi dicto die castra redderentur, quibus redditis educto milite, recedentem Mompenserium sequitur, atque Atellæ inclusum obsidet: Etenim Veneti validas copias Mantuano ductore ad eum miserant, & Consaluus Albinij ægrotantis copias duce destitutas cæciderat, atque disiecerat, séque Regi adiunxerat. Sic Mompenserio infensa omnia, tùm intus, tùm foris; tanta penuria vrbe laborante, vt ne frigida quidem ad potandum esset. Eas inter ærumnas, animus, tandem ipsum destituit; Gonzaga sororio colloquente, indecoram deditionem pacisci tur; vt Ferdinando arces atque oppida traderet, quæ adhuc plurima Franci obtinebant; tormenta bellica simul relinqueret, & Ferdinandi nauibus ipse cum milite integrísque sarcinis deportaretur. Turpis illa conditio visa est non admittenda cæteris Francis; Albinius Caietam & Tarentum arces pernegat tradere; Gratianus Guerrius castra retinet, quæ plura in Samnitibus possidebat. Ita Ferdinandus, cùm violatam diceret conditionem, Mompenserium atque sex millia militum in custodiam tradit, mittítque Baias

atque

atque puteolos; vbi tum ærumnis carceris, tum cœli inclementia, ipſe Mompenſerius, cæteríque omnes extincti ſunt, quibus longè honeſtius fuiſſet, maiorum more in acie occumbere, quàm ſicca & ignominioſa morte, mancipiorum inſtar deficere. Porrò Ferdinando oppugnanti Atellam, renuntiatum erat patris fatum: nec moleſtum acciderat: nam Alphonſus audita filij proſperitate, pertæſus ſolitudinis regnum affectabat, & contractis per nefas cum matertera, eadémque nouerca nuptiis ambiebat abiectam purpuram, niſi mors importunis votis obſtitiſſet. Poſt captum Mompenſerium, cæteræ arces in poteſtatem victoris veniunt. Albinius milite & pecunia deficiente, tutum in Franciam regreſſum conficit; Caieta & Tarentum à Præfectis traduntur, conceptum metum pecunia præbita promouente. Ita nemo Francus anno vertente in regno ſubſtitit; At Ferdinando gaudere fortunâ ſuâ non licuit; Caietâ nondum reddità, morte præreptus eſt, vxore vt ſcribitur intemperantiùs vſus; regno antè donatus, vt perderet, nunc cùm reciperet periens. Fridericus patruus in ſolium euehitur; nec ipſe poſtea fortunatior; quaſi equus, qui Neapolitanis inſigne eſt, foret equus Seiani, inauſpicatus dominis & funeſtus; is intra tres annos quinque ſeſſores ſeu Reges habuit; coronâ girulæ inſtar ad proximum flatum verſatili.

XIII. *Regis pro regno recuperando conatus.*

Regni iactura ab ipſo Carolo plurimum nata eſt, vel ſpernente quod primùm concupiſcebat tantopere, vel exigente molliùs quod iubebat, poſtquam prima cupiditas inſtauratur. Dum agit in Pedemontio, audito Ferdinandum regnum inuaſiſſe, bis mille Vaſcones, totidemque Heluetios Arbano Duce in ſubſidium miſerat; nauibus Villa-Francæ impoſitos. Verùm ij cùm ſupra Liburnum in Ferdinandi claſſem incurriſſent, terrore ſubito acti regrediuntur, Liburni exſcendunt, & Duce fruſtra obteſtante ſuperos hominéſque, Piſas effugiunt. Nec Piſis ab Entraguio Præfecto agebatur commodius: iuſſus à Rege erat, ex fœdere vrbem Florentinis tradere, erátque ea ratio retinendæ opulentiſſimæ ciuitatis, & Francicam rem in Italia promouendi; at is contra iuſſa inſtaurata ſæpiùs, vrbem non tradebat, Piſanæ Virginis amore incenſus, & Comiti Lignyo obſequens, ad vrbis imperium aſpiranti; imò cum Regiis minis vrgeretur, Piſanis ciuitatem ſuam viginti mille aureis vendidit, dein eiſdem Libre-factam, & Petraſanctam Lucenſibus; paritérque Briennius Sarezanum caſtrum Genuenſibus pretio tradidit; Præfectis non modo in Regem ſuum perfidioſis, ſed perfidiam ſuam licitantibus; occupante noxâ virtutis præmium. Atque Entraguius præmium in Franciam tulit, iuſſus duntaxat dies aliquot ab Aula abeſſe. Rex interea Lugdunum venerat; atque Italicas tum gloriam oblitus, tum ignominiam, oblectabat ſe armis ludicris, & feſtiuis ſaltationibus; cùm calamitate noua percellitur, Delphino filio vitæ erepto. Is Carolus Rolandus, tres annos natus, præclara indole, primóque flore fructus vberrimos educante, omnium ſpem, oculos, animóſque ad ſe conuerterat; nec ſine tacita patris inuidia, cui aliena, vel in nato virtus, vituperatio videbatur. Mox Lugduno ad Sanctum Dionyſium properat; inſtituto more maiorum, nuncupata pro reditu vota impleturus;

CAROLVS VIII.

impletutus ; nullâque mora Lugdunum regreditur, omissis Parisiensibus, quibus ob negatam pecuniam mutuam irascebatur ; atque Italicas curas iterum excitat. Missâ nauibus duo millia militum, quæ Mompensierium sustentarent, sed sine pecunia, quæ armorum vis robúrque censetur ; & grauioris erant ponderis nummi, quàm vt deportari vltra Pelagus possent. Præterea Sfortia contra fidem, clam effecerat ne maiora nauigia Genuæ instruerentur ; imò duo Ferdinando permiserat ; atque vt Francos ab Italia auerteret, Ferdinando Hispano persuaserat inferre bellum in Occitaniam ; ratus quod euenit, conuersos Francos in proximum hostem, à se auellendos. Etenim postquam Hispani turmis aliquot Occitanorum segetes deuastarunt, Carolus irâ inflammatus, quindecim hominum millia Vicecomiti Narbonensi tradit, & Carolo Albonio Santandreano ; quibus ducibus in Ruscinonenses irruptum est. Salsulæ oppugnatæ extemplò, & muro vetere deruente sub machinis, captæ, toto præsidio interfecto. Ferdinandus obsessis viginti hominum millia in opem miserat ; sed occurrente cum duobus millibus Albonio, ac vim reprimente, arx expugnata est ; pepigítque Ferdinandus inducias, tanti vim fulminis in alias terras amoliturus. Vrgebat interim Mompensierij fames atque miseria ; cui Rex intentus Lugdunum venit, & præclara constituit, si quæ imperabat exegisset ab aliis. Statuit vt Trivulcius illicò cum quatuor peditum millibus Astam properaret, Aurelianensi statim sequuturo ; & seipso *postmodùm* transmissuro ; vti classis Genuæ appararetur, triginta triremibus, totidémque nauibus in eam destinatis, numerandâ ad ea expedienda pecuniâ. Verùm singula in deterius versa ; nam Brissonnetus, cuius summa & in ærario, & in ipsum Regem auctoritas ; seu clam cum Pontifice conuenisset, seu produci bellum percuperet, stabilita omnia conturbabat, mandata Regia, vel lentè, vel præposterè implebat, pecuniam auertebat ; atque in Regis iram tectus & munitus ; quippè callebat modum placandi animi atque mitigandi ; ineluctabiles moras obiiciebat consiliis. Et ipse Rex, cùm Nobiles ad expeditionem Lugdunum venissent, retrò Parisios versùs regreditur, in speciem vt sanctum Dionysium in patronum viæ cooptaret, re vera amoris impatientiâ, vt inuiseret Virginem, quam deperibat, Reginæ honoratiam. Sic in præsentia torrens ille minax in bullas effluxit. Trivulcius transmiserat quidem in Insubres, & tenuibus copiis magnum Sfortiæ metum iniecerat ; sed ope destitutus, tam metus quàm consilia frustra ipsi erant. Interim pax Atellana contrahitur, & cum Francis captis spes Italiæ deperit. Ab eo Rex socordiam inter & fortitudinem anceps, belli consilia modò extinguebat, modò suscitabat, & per interualla sibi restitutus, pudore veternum otij profligante, ad abiectam laudem aspirabat. Sed à suis ab ea mente auersis traductus ad alia, ad ædificandum animum appulit ; Amboisiæ quo in loco educatus fuerat, inceptis speciosissimis ædibus ; artificibus peritissimis, ex Italia eam in rem petitis ; vt per eam gentem, sin minùs arma ; saltem saxa componeret. Attamen turpi otio generosa indoles repugnabat ; & Sfortia iratus Venetis, quod sibi Pisas asseruissent, accedentibus Florentinis, Mantuano, Ferrariensi, atque Vrsinis,

Albon S. André. *Salsula capta.*

Vrſinis, ſollicitabat ipſum intentiùs, vti in Italiam redux, Veneros bello aggrederetur. Atque in nouam expeditionem parabantur omnia ſedulò, cum profectioni intercedit conſilium, donec Regina prægnans partu eſſet ſoluta. Quâ mox enixâ maſculum, intra paucos dies morte raptum, ire in diſcrimen Rex noluit, regiâ domo nullis liberis fultâ; volebátque Aurelianenſem ſibi ſubſtituere, ſummúmque belli ducem in Italiam mittere, iam falſis delationibus ſuſpectum; ſed eo excuſante, & cauſas alias prætexente, noua hæc ſolicitudo priorum inſtar euanuit, fixis tamen radicibus & ſuo tempore in frondes ituris. CAROLVS VIII.

Inter eas animi viciſſitudines radius diuinæ bonitatis illuxit, cúmque vltimus Regi immineret dies, corpuſculo debilitato & valetudine ingraueſcente; ſanauit mentem optimus Deus, & afflauit cogitationes vero Rege dignas. Introſpiciebat ſe penitus, *pudebátque conſcientiæ ſuæ, quæ noxas in Deum atque in ſubditos admodùm graues depingeret; ſe regni curam ignauiter ſuſcepiſſe, mancipatum aliis, qui omnia vtilitate ſua metirentur; implicatum ſe feminarum amoribus, & earum pluſculis datam poteſtatem in res etiam publicas; nihil mirum igitur, ſi publica res atque domeſtica laboraſſent, ſi florentiſſimo regno eſſet deturbatus, ſi liberos in cunis fatum rapuiſſet, ſi deflores ceret valetudo, iámque mors propior admoneret humanitatis. Emendandos itaque mores in melius, Deum vitæ integritate placandum, & regnum cæleſte pro Neapolitano, maiore longè compendio, comparandum.* Nec ſecùs quàm inſtituerat, ſe gerit; ab interdictis voluptatibus animum ſegregat, amorem confert in vnam coniugem, Dei cultum & pietatem amplectitur; gnarúſque virtutem præclariſſimam cuiuſque, in implendo munere poſitam eſſe, adminiſtrando regno, ſtrenuè incumbit. Primò Iuſtitiæ atque ærario intendit, aliquot Iudices peculatus reos pellit Tribunali, bis per hebdomadam contendentes audit, iúſque pronuntiat; cenſum inſtituit, ſtatuítque familiam ſuam priuato reditu quod Domanium vocant, alere & ſuſtentare: tributa permodica ad tutelam regni exigere; in conſilium niſi pios, ſanctóſque viros non admouet, & planè in alium virum immutatus; Franciam vniuerſam in admirabilitatem & gaudium rapit; cum videretur Rex nouus è cœlo prolapſus, & diuinâ manu planè conformatus. Enimverò breui tantum bonum ereptum eſt, nec terris licuit cœleſte munus diu obtinere. Amboſiæ agebat, & pridie Dominicæ, quam à palmis Eccleſia nuncupat, cum ea hebdomada bis apud Sacerdotem noxas poſuiſſet, Annam coniugem manu apprehenſam, ducit in porticum, vnde in ſubiectam foſſam proſpectus, in quam luſores pilæ conuenerant. Erat porticus odore fœtido, in quam plerumque veſicæ onera lixæ deponebant; fores adeo humiles, vt Rex quamquam ſtatura mediocris capite in ſupremam partem impegerit. Leuiori tamen vulneris ſenſu, ſpectabat ludentes, & cum adſtantibus colloquebatur; quando ſermone ad res pias ducto, præclariſſima illa & Rege digna verba vſurpat; *ſe opitulante Diuina gratia nunquam in poſterum peccaturum in Deum.* Vix ea dixerat, cùm correptus apoplexia, ſupinus corruit: fit omnium conſternatio, aduocantur Medici, adhibentur remedia; nihílque peragitur, præterquàm quod ter ſenſum & vocem recepit, toties

XIV. *Regis mutati mores.*

Et mors.

CAROLVS VIII. Anno 1498.

ingeminans sacrosancta Iesu & Mariæ nomina, & Sanctorum Claudij, Blasiique, eorumque opem implorans & in iis tertio appellandis, tandem expirat; vitæ anno vigesimo septimo. Eo in loco in culcitra straminea iacuit ad multam noctem, ad ludibrium summæ potentiæ, vt cui tot palatia, tot conclauia, tam pretiosa lectorum vela atque siparia; in porticu olida, proiectusque in paleam, vilissimi mancipij instar occumberet. Reginæ luctus diu consolationem nullam admisit; fuit domesticis acerbissimus casus; duóque ex iis in ducendo funere præ dolore vitam amiserunt. Et erat Carolus mansuetissimus omnium, moribúsque mitissimus; nemini vnquam verbo aut facto molestus fuerat; singulos charitate complexus intima, singulis erat supra quàm credi potest charissimus. Malè per inuidiam patris institutus, suâ ipse curâ se se instituit, præceptor suus atque discipulus. Corpus domandis equis exercebat, atque indurabat, animum ad litterarum studia applicabat; iam potitus regno Latinam linguam perdidicit, & sæpius Scriptores veteres euoluebat, corpore tamen infirmo erat, & conformatione quæ senectutem respueret. A patre diuersus, tam virtutes eius quam vitia vi vnius indolis fugerat; apertus, ingenuus, clemens, ab omni sæuitia alienus; sed negligentior regni, aliisque addictior, rem paternam, atque adeo publicam dilapidauit; amissis Ruscinonensibus, imprudentia potiùs quàm necessitate. Et quidem regno adiunxit Britanniam, opulentam prouinciam, & paratam in Anglorum bellum molem prævalidam; sed iis quas dimiserat non æquandam. Nam regnum Italiæ iactutam potiùs quàm luctum dixerim, inanem fumum & euanescentem; vnde malum & luctus in posteros propagatus; factáque Neapolis Francorum scopulus, tumulúsque. Indolem Caroli ex vno facinore colligat lector. Dum Neapoli in Franciam redit, nondum cœlitus immutatus in alium, Tuscanello vt dixi capto & direpto, virgo speciosissima in eius conclaue fugiens irruit, atque inter brachia excipientis prolabitur. Ille æstu adolescentiæ in libidinem raptus, parabat vim miseræ; cùm puella coniectis in appensam tabulam oculis, in qua depicta erat virgo Deipara, rogat Regem, ac per castissimam Dei matrem obsecrat, quam in tabella præsentem exhibet, vt pudori parcat, séque sponso illibatam seruet. Rex ad sanctissimam obsecrationem & aspectum tabulæ, æstum inhibens, dimittit virginem, sponsum inquiri & affines iubet, virginemque quingentis aureis vltrò donatam, sponso restituit; petita dote tam ex temperantia quàm ex ærario, & castissimum facinus reuerentia in Deiparam cumulans.

Regis castitas pia.

XV. *Regis fausta initia.*

Cùm Carolus Amboliæ agebat animam, rapido cursu ad Aurelianensem Blesis agentem aduolabant nuntij. Ille Ludouicus nomine, ea appellatione inter Reges duodecimus, Rege sine liberis mortuo, iure regni heres, quippe Ludouici, Caroli VI. fratris, nepos ex filio Carolo, solio proximus excludebat cæteros principes: & refragante nullo exceptus, iam maturus annis, quippe natus triginta sex, variáque fortunâ assecutus peritiam rerum, inauguratus est Rhemis. Regi Carolo opulentissimum funus postquam instituit, aggressus ad regimen, specimen sui præclarum ostendit. Etenim ad le-

Anno 1498.

uamentum

namentum populi sponte inclinans, trecenta librarum millia condonauit, quæ Regi inscendenti solium pendere plebs consueuerat; tributa laxauit, atque ad medium per singulos annos imminuit, & disciplinam militum corruptam restituit; missa in leges effreni licentia, qua grassabantur in hospites; tum ad iustitiam conuersus, Rhotomagi & Aquisextiis Parlamenta suprema instituit; magni Consilij quod vocant Tribunal fixum esse iussit; atque vt cæteris in exemplum iustitiæ foret, contra se ipsum inquiri ius & dici voluit. Cùm Lotharingiæ Dux de prouincia Phocensi moueret disceptationem, rem permisit peritissimis Iurisconsultis, eorum sententiæ se staturum pollicitus. Atque illi Regi rem adiudicarunt. Publicam iustitiam priuatâ clementiâ promouebat; nam variis affectus iniuriis, tum ab Anna Borbonia, tum ab Brissoneto, aliisque ipsorum fautoribus, quæ præterita erant, obliuioni mandauit; affirmans, *Regi Francia indecorum esse, Aurelianensis Ducis vindicare iniurias*; & eo sensu Duci Borbonio, Borbonios, Aruernos & Claromontanos concessit, qui defectu prolis masculæ restitui coronæ debuerant, Susannamque ipsius filiam Carolo Mompenserij filio, ad extinguendas familiæ controuersias nuptui dedit. Deinde animum ad liberos futurúmque hæredem adiicit. Vi adactus à Ludouico XI. Ioannam ipsius filiam habebat in coniugem, anima formosiorem quàm corpore, deformem, vt scripsi; & Medicorum sententia, sterilitate damnatam. Eam vt primùm licuit Ludouicus repudiaturus, vim restatus, Alexandrum Pontificem de soluendo coniugio appellat. Ille Legatis in eam rem dictis, postquam nullum fuisse matrimonium, pronuntiatum est, Cæsarem filium mittit, qui diplomata Pontificia in Francia ferret; ac tametsi Cæsar ea scripta non traderet; tamen dictâ à Legatis sententiâ, Ioanna consentiens à Rege discessit, datis in dotem Biturigibus; apud quos Regina virtutum omnium exemplar, totam Deo diuinisque rebus se tradidit; condito Monacharum ordine, cui ab Annuntiata Virgine nomen est; diu miraculis post obitum clara; & ipsa perpetuum dum vixit miraculum, patientiæ, modestiæ, charitatis & demissionis. Solutus Ludouicus nouum vinculum agitat, & suscitatis primis amoribus Annam ambit. Illa ægrè assentiens, mox ad Britannorum preces flecti se patitur; sed conseruandæ ditionis cupidior, promissum exigit, vt secundo genitus ex nouis nuptiis Britanniam in patrimonium haberet, si nulli essent liberi, ad heredes proximos Britannia iret; adeò se Ducissam non Reginam meminerat; in præclaris virtutibus ambitionem atque superbiam Monfortianæ familiæ alens. Sic Ludouicus regno & familia constitutis, in Italiam animum & curas conuertit. Et iam ab regnandi primordiis, se Regem vtriusque Siciliæ & Ierosolymæ, & Mediolani Ducem inscribens, quò vota collimabant ostenderat. Regna Siciliæ, vti Regis Caroli heres & successor adierat; Ducatum Mediolanensem, vti patrimonium suum & propriam hereditatem sibi vindicabat. Etenim ab auia Valentina in Aurelianensem familiam ius transcriptum erat; quippe hæc Ludouico Caroli VI. fratri ea dote nupserat, vt præter Astam vrbem pactum esset, si pater & fratres sine liberis morerentur, ad ipsam ipsiusve liberos Mediolanū transiret. Impleta conditione Franciscus Sfortia clarus bello Dux, quia Blancam

LVDOVICVS XII.

Annam Reginam ducit.

Ioannâ repudiatâ.

LVDOVICVS XII.

Vicecomitis spuriam vxorem duxerat, ditionem armis inuaserat, dum Carolus Aurelianensis Londini in custodia erat; nec vberrimæ prouinciæ repetendæ hactenus occasio aut facultas fuerat Aurelianensi: In præsentia ramo in truncum inserto, & Ludouico euecto in solium, præter priuatas cum Ludouico Sfortia inimicitias; ius antiquum instaurari oportuit, & portam in Italiam reliquam patefieri.

XVI.

Apparatus ad bellum Mediolanense.

Rex in eam mentem fœderatos adsciuit, atque à finibus regni hostem submouit. Primò Alexandrum Pontificem demereri instituit, seu religione in facto-sanctam Orbi potestatem, seu opinione res Italicas minùs belle procedere infenso Pontifice; nec erat commodior demerendi ratio, quam in Cæsare filio, in quem patris vota, ambitio, amor, simul incumbebant. Ille Cardinalatu nuper abdicato, postquam Ioannem fratrem Gandiæ ducem occiderat; filiam Friderici Neapolitani in vxorem ambiuerat; spe concepta regni absorbendi. At repulsam passus pro merito, in Franciam venerat, impetraturus alteram Friderici filiam, quam in eam victor Carolus miserat. Verum Rex peritus quo per eas nuptias collimaret ambitio, iis obex fuit; simul ne Pontificem alienaret, alias Cæsari curauerat, Catharinam Albretii filiam in coniugem dando, cùm Valentinis in Ducatum erectis; Veneti postea de fœdere appellati. Eratque iis infensissimus Sfortia, quia Pisas primùm occupauerant, quam ipse vrbem concupiscebat, nihilque non tentabat vt ciuibus suis restitutam ipse obtineret. Ideò *societas* Pontificem inter, Regem & Venetos statim contrahitur; ea lege vt Rex Pontifici præberet copias, ad Flaminiam seu Romandiolam subigendam, quæ cùm esset Pontificiæ ditionis à Dynastis plusculis tenebatur; vt Veneti simul cum Rege Longobardos impeterent; ipsorum esset Cremona & regio ad amnem Adduam, præter aliquot iugera iuxta amnis ripam; Cætera pertinerent ad Regem. Id fœdus diu silentio pressum est, eluso Sfortiæ sagacitate, dum Rex cætera ad bellum componit. Nam instaurat cum Heluetiis fœdus, mox cum Henrico Anglo, in factionem Eboracensem adhuc contendente, dein cum Ferdinando Hispaniæ Rege postremo à Philippo Archiduce clientelam exigit. Quam ille Atrebati præstitit, Guidoni Rupifortio Cancellario Franciæ, per solemnia eam in rem verba. Vnus supererat Maximilianus, qui armatus irruperat in Burgundiam; sed repulsus cum clade à Comite Fuxiensi odium inane iactauerat; imo sibi hostem exciuerat, Heluetiis impulsu Regis veteres inimicitias in Austriacam domum nouantibus. Ita Rex Italicum bellum tutò capessit. Nec iam apparatus latere Sfortiam potuit, pluspque trepidationis ac metus quàm confidentiæ intùlit. Postquam fœderati veteres deficiebant, Pontifex, Veneti, ipsíque etiam Florentini, & Baiazetum frustra in Venetos euócauit; magno quidem illorum & Italiæ damno, sed nullo rerum suarum compendio; in se demùm retrusus, à se vires omnes atque fortitudinem, arcessendas vidit. Nec vires deerant, nisi prudentia defuisset; sed ea est improbarum mentium cæcitas, vt diu perspicacissimæ, sub ipsum pœnæ articulum præstringantur, Deóque vindici se in victimas scelerum præbeant. Nunc Sfortia Marchionem Mantuanum à se alienat, Gaiazzæ Comitem generum suum postponit Galeasio fratri minori natu, atque inferiori

Addc.

Mediolanenses primò subacti.

belli

belli peritia; graui errore, quo fidum hominem & peritum abiiceret, eum subiiciendo, qui præclarus quidem in hastiludiis haberetur, sed ærumnarum martis planè inexpertus. Sub ea Franci in Insubres penetrant; recensebantur equitum sex millia, peditum tredecim; Ductoribus Lignyo, Trivultio, atque Albinio; steterátque Lugduni Rex ad promouendam expeditionem, seu militum supplemento, seu sua vbi opus foret præsentia; dum Veneti versùs aliam partem, ex fœdere exercitum ducunt. Et quidem miro felicitatis euentu Insubres toti vicesimo die subacti sunt; vt decurrere quadrigis victoria, non certare armis videretur. Vrbes transpadanæ citò expugnantur; arx Arassia, valida ad Tanarum, & annona munita admodum; Valentia à Rafaguino Præfecto traditur, cæterisque eodem impetu captis, Alexandriæ Franci imminebant. In ea spes Sfortiæ collocata erat; tenebatque vrbem munitam admodùm Galeasius Sanseuerinus, cum numeroso præsidio; si duci tantùm animi, quantùm virium fuisset. Verùm is bombardarum fulmine procul exaudito, metu subito expectoratus, noctu per murum scalis cannabeis deuolutus in fossam, Mediolanum aufugit; fugæ socia trepidatione, & in vrbem illata. Post præfecti fugam, milites similiter statim dilabuntur, excipiúntque Francos Alexandrini; à quibus tamen inuitis Tribunis in prædam rapti sunt. Sed iam Sfortiam metus vel hosti præuius inuadebat; ciuium animos oratione in misericordiam flexa tentauerat; tributorum magnam partem remiserat, opem proximam à Maximiliano atque Heluetiis pollicebatur; sed illius metu excitabantur odia populi; plebe instar mulieris, in vindictam facilem exurgente. Iámque Veneti Addua transito, Laudem vsque excurrerant, iam Ticinum Francos admiserat; iam Mediolanenses palam rebellabant, & Quæstorem primarium ab Sfortia missum in foro necauerant; cùm ipse tam consilij quàm amicorum inops, statuit in Germaniam fugere, & abductis secum liberis, concubina atque pecunia, per Rhætos ad Maximilianum, comite fratre Ascanio Cardinale secessit. In arce Mediolanensi spes & sacra anchora erant; eam totius Europæ situ & arte munitissimam, à Francisco Sfortia exædificatam, commisit Bernardino Cortio, homini vili origine; quem tamen Ascanio fratri antepositum; pecuniá, milite & commeatu instructam. Duo fugienti calamitosa obueniunt; primùm triste de ciuitate reddita nuntium; nam extemplò Mediolanenses Francos exceperant, tum desertio Gaiazzæ Comitis, qui ipsi obuius, contestatus est, se fide amplius non teneri ad ditionem ipsius tuendam, cùm ipse profugeret, suósque desereret; atque exinde se turmasque equestres Franco addixit. Nec eò stetit suorum proditio; nam postquam Triuultius Mediolani exceptus est, Cortium arcis præfectum, auro tentauit, atque expugnauit, die duodecimo: Principi perfido fidem cunctis fallentibus; adeò cautio scelerum fragilis atque intuta est, ipsúmque crimen suam in pœnam exemplo est. Cortio tamen turpis proditio tanto dedecori fuit, vt Francis etiam detestabilis, pudore ignominiæ mœrorem augente, breui obierit. Cætera interim eodem cursu festinabant; Cremonam Veneti opitulante Franco expugnant; Genuam diuersarum partium viri Adorni & Fregosij certatim Regi produnt;

LVDOVICVS XII.

Valence.

Lodi.

LVDOVICVS XII. Anno 1499.

iámque ipſe decurſoriis equis Mediolanum ad inopinæ victoriæ fructum Rex aduolat. Ab cunctis Italiæ principibus, præter Fridericum, Legati miſſi & honorificè excepti; Venetis datum agri quantùm pacti erant; atque Pontifici ad Romandiolæ vrbes expugnandas quatuor Heluetiorum millia, & trecenti cataphracti, ductore Iuone Alegrio, conceſſi ex fœdere. Tum Rex noua Prouincia ſtabilita, plebe tertia tributorum parte ſubleuata, reſtitutis exulibus, ac Trivulcio Prorege dicto, vt populo vnius è ſuis eſſet adminiſtratio gratior; adiunctóque Albinio; reuertit in Franciam, pacatis omnibus, & quæ donauerat ſumma felicitas, iis ſummâ prudentiâ vt videbatur compoſitis. Franciſcum Ioannis Galeatij filium ſecum abductum incluſit cœnobio, factúmque Monachum donauit poſtea opulento beneficio. Et ita primus Sfortianæ tragœdiæ actus exhibitus eſt.

XVII. *Sfortia Ducatum recuperat.*

Sfortia interim Maximilianum ſummis infimíſque vrgebat precibus, vt ſibi ad recipiendum imperium opitularetur. Et ille humaniſſimè cum Cardinale exceptum onerabat promiſſis, ſpe in dies facta expeditionis, eò magis quod pacem cum Heluetiis tandem contraxerat. Verùm auxilium intra verba ſtabat, & hic nouo bello contra Hungarorum Regem implicabatur, & ſpecie mutui multam pecuniam emungebat à ſupplice; quare Sfortia ſtatuit ſuo ſumptu, ſuiſque auſpiciis rem ſuam aggredi, legítque octies mille Heluetios, & ex Sequanis equites mille quingentos, quos ad recipiendam ditionem ducit. Sanè Mediolani expetebatur *ardentiùs*, tum plebis inconſtantiâ, præteritorum deſiderio damnantis præſentia, tum Præfectorum acerbitate, & Francorum intemperantiâ. Ingens mutationis cauſa Trivulcius fuit, qui Guelforum ſectator pertinaciſſimus, Gibellinos habebat crudeliùs; indole ſuperbior, & animi altitudine atque potentia, ad ſanciendam priuatam auctoritatem non publicam vſus; vnde optimates & nobiles, Gibellini maximam partem, ab eo & à Francis auerſi, veterem Dominum efflagitabant. Imò plebs in idem votum conſenſerat; cùm enim ſperaſſet nouo ſub Principe noua omnia futura, & tributa omnia extinctum iri, ſpe fruſtratâ, damnabat auaritiam Regis, & accedente Francorum proteruia, qui procaciùs virgines, matronáſque ſuas appellarent, palam iam deplorabant calamitatem Sfortiæ, & votis tacitis regreſſum optabant. Nec erat Trivulcius in regenda Republica cum Albinio concors, raro conſortio poteſtatis atque concordiæ. Sic parato fomite incendium exarſit illicò. Sfortia de voluntate Mediolanenſium certior, nondum inſtructo exercitu, primò Comum excipientibus ciuibus occupat, dein Mediolanum celeriter aduolans, vrbe gratulatione ſumma accipitur, Trivulcio verſus Nouariam recedente. Vno impetu Ticinum, vrbéſque cæteras Tranſpadanas, præter arcem Mediolanenſem atque Nouariam, euocatum certatim admittunt, magnóque numero conſcripti milites exercitum augent. His accedunt Heluetij ab Alegrio ducti. Quippe ille reuocatus à Trivulcio, poſtquam ſubegerat Forum Liuij, & Forum Cornelij in Flaminia vrbes, reſtituetátque Pontifici, feſtinans in Longobardiam, deſertus ab Heluetiis, ad Sfortiam tranſeuntibus, equites duntaxat ad Trivulcium duxerat. Iámque viſa ad Sfortiam defeciſſe

proſperitas,

prosperitas, tum sæuitiam eius, tum sectatorum alebat; in obuios Francos crudelitate magna grassantium, promota etiam in peregrinos, quorum capita deferentibus singulis aurei dabantur in præmium. Fratres ergo tot elati successibus, exercitum diuidunt; partem Ascanius arci Mediolanensi admouet; partem Ludouicus arci Nouarienti, nam vrbem ceperat; atque summoperè enituntur, dum Francorum absunt subsidia, stabilire fortunam. Verumtamen ea properabant. Nam Rex Lugdunum venerat irâ & indignatione succensus, & Ludouicum Trimollium militari laude percelebrem, cum cataphractis sexcentis, & sex millibus peditum, cum imperio miserat, adiuncto Cardinale Ambosio, qui publicam rem promoueret consiliis. Et verò Trimollius primò prudentiâ, mox fortitudine instaurauit res perditas. Trivulcio atque Albinio conciliatis confidenter vtens, culpâ infortunio adscriptâ, commodiorem spem insinuabat; dein receptas copias strenuè ad Nouariam ducit; pugnâ omninò deliberatâ; quia nuntium Ambosius interceperat, quo Heluetij à Magistratibus suis vetabantur, ne pugnarent in Sfortiam. Nec ipse detrectat prælium, quo profligato, arcem haud dubiè obtineret, nescius, quam in viscеribus pasceret luem. Etenim Heluetij qui ab Alegrio antè defecerant, seu à Centurionibus suis clam deuincti, qui à Francorum partibus steterant, seu vt ipsi testati sunt, quod contra populares arma non caperent; inito cum aliis suæ gentis consilio, cùm ad pugnam ventum est; faciunt discessionem, armisque abstinent; simul equites Sequani fugam arripiunt, Francúsque exercitus ruit in Italum peditem, cædítque magna strage. Sfortia hoc perculsus malo, se Nouariam recipit; simúlque Heluetij, qui à defectione in rebellionem conuersi, palam tumultuantes, occupant portas, ad palatium ruunt, miníque terribiles reposcunt stipendia, ille progressus in publicum tumultuantes alloquitur, pollicetur aureos montes, obtestatur per superum atque mortalium fidem, per sanctissimum fœdus, quod vtramque gentem connecteret, per dictum sacramentum & inuiolatam gentis suæ fidem, neu se proditione turpi desererent, tantámque infamiam glorioſissimæ genti inurerent. Eas preces prosecuta est liberalitas, factúmque argentum benignè diuisit. At frustra preces atque opes impensæ, turbas facere pergunt Heluetij, inclamántque se velle reuerti in patriam. Instat miser, orátque per effusos fletus, vt se in securum locum deducant, & quem propugnare aspernantur, saltem non oppugnent; Ij pernegant postulatum, affirmántque fidem datam Francis, vt ne eum abducerent; finere tamen, vt si vellet, immiscеret se cohortibus suis, hostíque fucum quem posset, faceret. Princeps calamitosus, in tantis angustiis, cùm immineret omni ex parte pernicies, nec tenere vrbem diutiùs posset commeatu inanem, perire honestiùs voluit, ac se Franco tradere; & iam cum Lignyo agebat; quando Heluetij rem subodorati, ne fructus proditionis periret, cogunt miserum mutatâ veste cum suis ingredi, adimúntque facultatem miserrimam confugiendi ad hostem. Ita Sfortia gregarij militis cultum indutus cum cohortibus vrbe egreditur. Iter Franci gemino ordine insidebant, spectabántque prætergredientes

LVDOVICVS XII.

Sfortia captus.

Anno 1500.

LVDOVICVS XII.

gredientesHeluetios, in quibus Sfortia deprehensus, cum tribus fratribus Sanseuerinis captiuus abducitur; Ascanium Cardinalem perculit fratris calamitas, qui nuntio accepto, cùm Placentiam versùs effugeret, ab affine traditur Venetis, & ab iisdem quamquam renitentibus, ad Regem intentantem minas deducitur. Sic Sfortiarum imperium in Italia desiit; & quidem in Ludouico, politicarum artium peritissimo, tantáque vt sibi videretur regnandi peritiâ, vt ab eo maximè arrogantiæ sensu perniciem hauserit; Deo nusquam non impetente superbiam, & summa capita quæ humanitatem non sapiunt demetente. Ludouicus à Rege paulò inclementiùs est habitus; primùm in cauea ferrea, mox liberiore carcere Lochiis custoditus; vitámque perduxit in decimum annum illius diuturnitate productis ærumnis; eo tamen solatio, quod liberi Maximilianus & Franciscus tuti in Germania agerent, nec totus in vinculis, totúsve in potestate hostium ageret. Cardinali Ascanio liberior permissa custodia, turris Bituricensis, in qua Rex ipse biennio hæserat; & data postmodùm libertas, flagitante Amboso. Post captos Sfortias, Mediolanum, vrbésque cæteras, victorem appellant, séque vltro in iugum tanto ardore depulsum induunt; constituendi imperij Cardinali Amboso data prouincia, summáque prudentia id constitutum est, Francià tandem post multa secula virum adeptà cui se committeret. Hic Georgius nomine, ex Ambosiana illustri familia, Archiepiscopus Rhotomagensis, & Regi ante percarus, fidéque multis officiis exploratà, ad auctoritatis euectus apicem, potestatis Regiæ quodammodo consors, egregiisque dotibus tantam in rem aptus, in bonum publicum ambitionem priuatam conuertit. Nunc pacatis Insubribus, atque ciuitatibus multatis pecunia, in pœnam rebellionis; Proregem dixit Carolum Amboslum nepotem suum; atque ipse summus Legatus à Pontifice in Francia dictus, ad Regem regreditur. Nec delectus Prorex spem fefellit; plurimos annos moderatus Insubres tanta humanitate atque iustitia; vt æquo animo Francorum iugum, quod rarissimum est, passi sint; adeò obsequium est ab imperante; nec vlli obtemperatur faciliùs quam virtuti. Nec omiserim efficacissimum impetrandi modum, institutum à Mediolanensibus; cùm enim in palatio Cardinalis ageret, pœnâ ciuitati nondum impositâ; ciues ipso die quo Christus Dominus pro humano genere necem obierat, pullati deducunt supplicationem, & præuiis quatuor infantium millibus, prælatóque vexillo sacris Passionis insignibus picto in Palatium subeunt, & misericordiam inclamant Amboso, eo successu quem ab pio & clementissimo viro Christiana pietas, ipsáque humanitas exigebat.

Loches.

Georgius Amboisius.

XVIII. Rex Mediolano potitus atque Insubribus, prosperitate gradum faciente, ad Neapolim animum appulit. Nec labor arduus Friderici victoria, si destitueretur semel à cæteris. Iam erant Veneti in societatem adstricti: superarant Florentini, Pontifex, Maximilianus, & Hispaniæ Rex: machinæ propriæ adiectæ ad singulos. Florentini vt Pisas reciperent, quod expetebant ardentiùs, fœdus cum Rege contrahunt, accipiuntque sexcentos equites, quater mille Heluetios, atque ductorem quem ipsi optauerant, Ioannem Bessæum, Antonij fratrem, reiecto quem Rex offerebat Alegrio. Sed

Rex de Neapoli recuperãda laborat.

cæ

eæ copiæ Ducis culpâ, postquam diu agros peruastarunt; ad Pisas ductæ, soluta obsidione, recesserunt cum ignominiâ. Pontifici redditus ad Flaminiam subigendam Alegrius; & felici euentu Pisaurum atque Ariminum illicò captæ; Fauentia, Astore Manfredo propugnante, vix dum pubere adolescente, primos impetus fortiter retudit; donec anno vertente, ope destituta Valentino se tradidit, & Astorem adolescentem egregium; cui virtus exitio fuit, clam Valentino mortem inferente. Maximiliano facultas nocendi detrahitur, nam abundè voluntatis erat; quippe absque opera Philippi filij atque imperij Principum, cùm nihil moliri posset, Philippum fœdere Ludouicus deuincit, cæteros Principes beneficiis; Ladislaum Regem Hungariæ affinitate, data in coniugem Anna Fuxiensi, Candalæ Comitis filia; per quæ odium Maximiliani septum est vndique quasi carceribus, & ipse adactus ad prorogandas in octauum mensem inducias. Maior moles in Hispano Rege pelliciendo, qui sagacissimus Principum præuideret omnia, nulla re perspicuitatem fallente; & illi in Neapolitanum regnum ius suum; siue petitum ab Aragoniis, iam à Manfredo contra Andegauensem domum certantibus; siue nuper ab Alphonso magnanimo, qui Ferdinandum spurium heredem instituere non poterat, detrimento legitimi successoris, cúmque se Ferdinandus dicebat; vtpote natus ex Ioanne Aragoniæ Rege, & Alphonsi fratre. Quamobrem in partem eum vocandum censuit Ludouicus, vt regno diuiso, ius commune & communis vtilitas aleret concordiam, inuidiámque extingueret. Nec in admittenda conditione hæsit Ferdinandus, quanquam primùm renitebatur in speciem; adepturus partem qui nihil possideret; & si faueret occasio, prorogaturus impigrè limites. Erant fœderis pacta, vt Ludouicus abstineret titulo Regis Siciliæ, se Regem Neapolitanum & Ierosolymitanum diceret, Ferdinandus Ducem Calabriæ; penes eum Apulia cum Calabria esset; Franco cætera cum Neapoli cederent; compararet quisque suam partem sine consortis auxilio; quisque à Pontifice regni possessionem obtineret. In eo fœdere desiderata est Ludouici prudentia, qui consortem regni admitteret, facturus paulo pòst aut passurus iniuriam, cùm tam arcto limite potentissimorum Regum ambitio conscribi non posset. Quantò melius Friderico præbuisset aures, offerenti regni clientelam, quadraginta aureorum millia in vectigal annuum, atque arces quatuor in pignus fidei; sanè pepercisset cladi Italiæ, & bellum in semente perniciosissimum oppressisset quod ipsi postea luctui atque ignominiæ fuit. Contracto fœdere, vterque Regum instruebat exercitus, simulatâ in Turcam expeditione; qui dudum Venetos bello vexabat; imò Consaluus spem auxilij ostentabat Friderico, erátque cum copiis in Sicilia Franci commodum præstolans. Breui Ludouicus conscripsit viginti peditum millia, cataphractos equites mille & quingentos, qui Romam versùs ductore Albinio profecti, totius Italiæ vota atque metum suspenderant. Vbi Romam ventum est, Oratores vtriusque Regum laruâ depositâ, traditionem possidendi regni, quam vocant inuestituram, à Pontifice postulant. Nec ille vota postulantium distulit, & Friderico succensus, & duos pro regno vnico habiturus clientes atque

LVDOVICVS XII.

Neapolitanū regnum diuisum.

LVDOVICVS XII.

obnoxios. Simul classis soluebat è Phocensi prouincia, Rauastino Admiralio Præfecto, tormentis bellicis præter apparatum cæterum instructa admodùm. Franci Româ in Campaniam profecti, victoriam etiam vltra arma promouent; Vulturnum supra Capuam transeunt; ipsámque vrbem metu conterritam inuadunt, capiunt, captámque immaniter atque auarè diripiunt, Fridericus recedens, metu per oppida singula fugâ sua sparso, se Neapolin recipit; eámque mox deserit, in castella perfugiens; atque vno mense designatam partem obtinent Franci; primo illo impetu, cùm est rerum copia, ferociſſimi. Fridericus haud multò post castella etiam deserit, pactus deditionem, modò sibi in Ischia insula tuto esse liceat; qui locus nuper Ferdinando nepoti auspicatus in spem nouam fuerat. Consaluus interea Calabriam atque Apuliam occupauerat, præter arcem Tarenti, quam oppugnabat, Ferdinando Friderici filio propugnante. Verùm Friderico nec Ischia Insula saluti fuit; quippe Rauastinus, Neapolitano fœderi stare inficians, quod Regi nimis pernicioſum assereret, imminebat Insulæ; eóque adegit Principem calamitoſum, vt se vltro Francis tradiderit; mox in Franciam ductus; atque ab Rege pensione munifica, dum vixit, donatus, vitam in triennium egit, tranquillam admodùm & curis vacuam; si iacturam regni mortalitas potest æquo animo ferre, nec cogitare vnde, aut quò deciderit. Mox Tarentina arx Consaluo traditur, Princépsque iunior ad Regem Ferdinandum ductus; vt stirps miserrima vtrique hosti & spolium esset & trophæum. Regno comparato, Ludouicus classem iussit Venetis ire auxilio; Hispanis se Calabria sua continentibus. Nec tota expeditione Nobilem vllum mors rapuit, præter Ludouicum Mompenserium, cui sua pietas loco hostis fuit. Cùm enim Puteolis sepulchrum Gilberti patris inuiseret; dolore tanto ex desiderio patris correptus est, vt paucis horis Neapoli vitam amiserit, raro admodùm exemplo; liberis plerumque patrum funus tacito gaudio prosequentibus, atque amantibus feretrum; vnde hæreditas germinat.

Anno 1501.

Mompenserij in patrem pietas.

XIX. *Bellum in regno Neapolitano.*

Bipertito inter Reges regno, contendebat cum Maximiliano Amboſius, ad pacem firmam componendam; cùm rursum in Italia grauiſſimum bellum exoritur; causa cupiditas, & potentia consortis nescia; quam Franci & Hispani mutuam accusant; ego neutri gentium addictus, veritatem ex Scriptorum monumentis eliciam. Cupiditatem occultam statim exciuit finium diuersitas; vt quas gentes ægrè Pyrenæi seiungerent, eas incertus & inexplicatus limes, non tam separaret, quàm confunderet atque committeret. Occasio ex gemina regni diuisione, antiqua & recentiore. Olim regnum diuidebatur in quatuor regiones, in Campaniam, Samnium quod Aprutium vocant, Apuliam, atque Calabriam. Alphonsus maior noua diuisione ex quatuor prouinciis sex effecerat, ad vectigalium opportunitatem; & ex erant Campania, Aprutium, Calabria, Apulia, Basilicata, & Capitanata. Ea corrupta vox, facta à Catapanata; quod nomen ea regio sortita erat à Catapane, Græco, prouinciam illam administrante, sub Basilio Imperatore. Porrò quia ex noua diuisione Capitanata in Apulia censebatur, quam tenebant Hispani; & Capitanatam sibi vendicabant: contra

Franci

Franci diuisioni antiquæ standum affirmabant, & eam prouinciam suæ esse sortis. Et verò in ea prouincia fructus erat amplissimus, propter vectigal vberrimum quod pendebat ex pascuis, & feracissimas segetes, quibus abundabat. Accesserant aliæ de finibus controuersiæ, quod Hispani Beneuentum Apuliæ, Aprutio Franci attribuerent. Et primo anno vectigal ex pascuis partiti erant ex æquo Præfecti vtriusque gentis, Ludouicus Armanianus Nemursij Dux, & Consaluus; dum à suis Regibus disceptaretur de tota re. Verùm animis iam exulceratis, armorum occasio, & quidem iustorum, prætextus non defuit. Consaluus de Ludouico Arsio conquerens, quod vxoris dotem armis in Apulia persequeretur, Tripaldam occupat, impedimenta Nemursij diripit, & ducentis Hispanis ab Albinio cæsis, palam bellum mouet. At Barones regni intercedunt, & noua arma inhibent, dum ad Reges deferretur contentio. Frustra tamen ruentibus fulcrum opponitur. Iam Ludouicus in Longobardiam venerat, & bello in omnem euentum deliberato, consortem regno pellere statuit, quem inconsultè admiserat. Iubet itaque Nemursium Consaluo bellum extemplò indicere; nisi die vertente Capitanatam vniuersam tradat. Franci bellum strenuè vti fuerat iussum inceptant, mille equites armaturæ grauis expediti in Apuliam inuadunt; in iis bellatores egregij, Chabanius Palissæ dynasta, Ludouicus Arsius, Adrianus Brimæus, Franciscus Vrsæus, Franciscus Daillonus, Yuo Malherba, Montalbanus, Mauleo, Colinius, Terralius seu Bajardus, aliique quibus præter ducem cætera abundè erant. Nam tametsi & ij tres admodum digni qui præessent, Nemursius, Albinius, atque Alegrius; tamen vel quia plures erant quàm pateretur imperium, vel quia Consaluo inferiores consilio & patientia, quæ dotes militari gloriæ instar alarum sunt; peccarunt sæpius, milites quidem, Imperatores haudquaquam. Primum impetum Consaluus vti infringeret, se intra arces & munimenta incluserat, agris relictis, & præda obiecta irruentibus. Et ab exitu bellum propius aberat, si Franci iunctis armis ipsum Baroli, quæ arx Apuliæ est, obuallassent; nam & capi nondum viribus confirmatis poterat, & eo capto debellatum erat; sed Franci quod illis solemne est, in plura distracti, rei caput ac nodi vinculum prætermiserunt. Omnia sub initium fausta & prospera, Colinio delibante victoriam. Etenim ad Cerinoliam præcurrens præsidium oppidi in insidias locatas pellicit; quadringenti ex Hispanis erant, támque opportunè incautos inuadit, vt fortissimis cæsis, reliqui deserto oppido Canusium fuga petierint. Et ipsum Canusium Francorum arma inuadunt. Erat vrbs propugnaculis & præsidio valida; instructa cibariis & præclarissimis Ducibus, Peralta & Petro Nauarro, quibus Hispani mille & ducenti nomina dederant. Franci moræ & cunctationis omnino insci, intra quartum diem, labe muri facta, aggressionem instituunt; sed bis atque iterum repulsi, Peraltæ egregia virtute, tertiam impressionem parabant, cùm Peralta deditionem paciscitur, educitque præsidium. Porrò Franci indignati ob suorum stragem, nam quingenti & ex fortissimis cæsi erant, statuunt Hispanos dum imparati recederent, sociorum manibus victimas tradere; idque perfecissent,

LVDOVICVS XII.

d'Ars.

La Palisse.

Barlette.

Canosc.

LVDOVICVS XII.

niſi Albinius vetuiſſet, traditis antea Peraltæ obſidibus; atque ipſum hoſtem in ſecurum locum deducendo. Hiſpanis in municipia compulſis, in Calabria bellum ſorte variâ geſtum eſt. In eam exſcenderant tria Hiſpanorum millia, ducibus Cardona, Benauidio, & Salazario; qui ne pedem in prouincia figerent, Nemurſius contendendum ratus, in eos Primæuum, Grignium & Malherbam mittit, ſed copiis impares, & temeritate ſua plurimùm fretos, qui excepti Hiſpanica ſolicitudine, cæſi media parte, atque acti in fugam ſunt, Grignio necato & Primæuo capto. Tum Hiſpani ſe in municipia diuidunt. Iratus Nemurſius quam indixerat expeditionem ceſſiſſe infauſtè, vt ſarciret iniuriam, cohortes ipſe in Calabriam ducit; ſed ne vllo quidem pago expugnato, recedit inglorius; tradítque eam prouinciam Albinio, quam antè inuiderat, facilem atque obuiam ratus; nec à prima laude defecit Albinius, recepta Calabria, tres duntaxat arces hoſte obtinente. Tum in Apuliam reuocata arma, & belli munia.

Benauide.

X X.

Singularia certamina. Paliſſa laus.

Verùm tecto munimentis Conſaluo, & vetante decretoria prælia, gnarus quibus armis expugnare Francum oporteret, ad excurſiones & priuata quædam certamina belli moles deducta eſt. Paliſſa præſertim præclariſſimis facinoribus inſignem gloriam comparabat, Hectoris nomen ipſis hoſtium calculis aſſecutus; auſus cum quadringentis equitibus ſex hoſtium millia prouocare in prælium; nec temerariam prouocationem fuiſſe, ex repulſa negantium patuit; noctu atque diu hoſtem laceſſere; quaſi tricorporem pluribus ſemel locis intereſſe; primum impetere, extremum regredi; equo & pedibus, vbi opportunitas foret, præliari; nihil celeritati remotum, nihil fortitudini imperuium eſſe; ducis tandem ac militis munus, nullo labore, nulla fatigatione fractum, obire. Ab eo proximi Colinius, Arſius, & Sanbonetus, quietem hoſti interpellabant acerrimi. Nec à duellis temperatum interea; atque vno Petrus Bayardus, nobilis Delphinas, multùm inclaruit. Ille Alphonſum Sotomaiorem captiuum bello, primùm liberiùs, mox tentantem effugere cuſtodierat arctius. Poſtea ille comparata libertate, proſcindebat Bajardum, & crudelitatis paſſim accuſabat; id Bajardus reſciens, virum in ſingulare certamen prouocat; quod eo tempore ſi permitterent duces fas admodùm erat. Nec Hiſpanus detrectat; ſed quia ipſius erat arma deſignare, iubet certamen iniri pedibus, ab armatis grauiter, diémque indicit, in quem incidebat æſtus quartanæ febris, qua laborabat Bajardus. Ita ſibi conſulebat egregiè, nam ampla corporis mole, atque armis robuſtior, ab tenero adoleſcente, optimo equite, prægrauantibus armis; debilitato inualetudine, tot inter incommoda pugnante pedibus, palmam haud dubiè iam ſpe reportabat. Itur in aream, & poſtquam aliquandiu cæſim atque punctim pugnatum eſt, dum Sotomaior demittit molem corporis vt vulneri locum in æmulo quærat, eo articulo Bajardus emicans, enſem condit in guttur ruentis quà ſe galea loricæ committit, vitámque hoſti vno ictu haurit. Ea laurea Bajardo ſingularis; communis cum altero, quam paulò antè ad Trani muros decerpſerat. Dum per inducias feriabantur à bello milites, quod publicè vetabatur, vſurpare priuatim

Sainct Bonnet. Bayard.

Bajardi certamen.

Certamen cũ Hiſpanis.

priuatim placuit. Franci tredecim totidem Hiſpanis indicunt prælium; Veneti ſpectatores dicti & Iudices. Decurrebant equites cataphracti, lanceis primùm pugnaturi; mox gladiis. At Hiſpani conſcij inuictos eſſe Francos, dum in equo ſedent, vti æmulos eo commodo priuarent, directis in equos lanceis, primo decurſu vndecim perimunt, deiectis ſeſſoribus, atque in pedes magno incommodo excuſſis; duobus è Francis Bajardo & Vrſæo equi incolumes ſalutem & gloriam aſſeruerunt. Ij inter equorùm cadauera medij, vim hoſtium ad occaſum Solis retuderunt; quippe cadauerum odore atque ſpectaculo, hoſtium equi abſterriti, cùm nullo conatu, nullis ſtimulis impelli ad Francos equites propiùs poſſent, nec ipſi Hiſpani exſcenderent, ne mox æqua ſorte Francorum virtus præpolleret, indiſcreta dimicatio ſtetit, dixerúntque Iudices non liquere. Imò addunt plures, Francos iam pedites detraxiſſe Hiſpanis lanceas, dum impetu facto in ſe prorueret; æquatóſque eſſe pugnatores, quos hinc equi, lanceæ inde deficerent. Et id totius belli præiudicium fuit, arte Hiſpanos expugnaturos Francicum robur. Tertiùm etiam eo pugnæ genere dimicatum eſt, vt causâ iniquâ, ſic euentu malo. Carolus Mota Bojus dixerat, vanitate raptus, Italos omnes veneficos eſſe & ineptos ad militiam prorſus. Cùm Itali plures in Francorum caſtris mererentur, gliſcerétque ob imprudens dictum diſcordia, placuit litem armis committere. Ita tredecim Itali deſignati; tres Neapolitani, Romani & Calabri pari ſinguli numero, atque Inſubres quatuor, qui in tredecim Francos depugnarent. Lex ab Italis dicta, vt qui efferrentur extra campi limites, haberentur pro victis; licerétque equiti, peditive vti quovis armorum genere. At iis legibus parabant victoriam, quam verebantur vna virtute ſe poſſe aſſequi. Etenim concitatis iam ad curſum equis, Itali ex compacto ſoluerunt ordines, viámque decurrentibus Francis præbuerunt; quorum plerique equorum impetu incogitantes vltra limites rapti ſunt; cæteri cum ſe ſtrenuè defenderent, duo ex Italis in pedes acti, equos pugnantium aggreſſi venabulis ſuffodiunt, victoréſque ſeſſores in cuſtodiam agunt: ſic Francorum temerarium robur, patebat gentium fraudibus, quanquam in hoſte dolus etiam virtus eſt. Conſaluus interim bellum ſuo more, hoc eſt patientiâ mirâ ſuſtentabat: nam ingenti penuria, commeatus, militum, atque pecuniæ, ſpe proxima alebat militem, firmabátque, ipſe famem vili cibo paſcere, ſæpius fallere; ad ſingula imperterritus, exigere à ſe quod iuberet alios; affirmare iam in proximo eſſe ſubſidia, modò Germanica, modò Hiſpanica; fingere ſe Tarentum velle tranſmittere, vti commeatum & militem inde abduceret; alios ſeueritate & metu pœnæ perterrefacere, alios laude & gloriæ facibus inflammare. Sic præclariſſimus Imperator labantem ſui Principis fortunam ſuſtinuit, armatâ patientiâ, dum ſors commodior illuceret, apparánſque victoriam quam mox vberrimam reportauit. Quaſi fortitudinem oppoſitæ gentes inter ſe partitæ ſint, & tam dura pati Hiſpanorum ſit, quam Francorum præclara agere; quanquam haud æquo beneficio; nam à patientia agendi modus perdiſcitur; agenti, ſi conſtantia deſit, perit agendi laus, atque adeò præmium.

LVDOVICVS XII.

Et cum Italis.

Conſalui patientia.

LVDOVICVS XII. XXI.

Rex in Franciam redit.

At Ludouicus inter ea blandimenta fortunæ, Astæ versatus graues in Valentinum querelas acceperat, crudeliter, atque instar belluæ in Flaminia sæuientem; verbísque duntaxat increpitum furori suo permiserat, ne quam Pontifici molestiam faceret. Dein profectus Genuam, plausu & gaudio non virorum modò, sed matronarum exceptus, iam beneuolentia in amorem flagrante, prosperitatis florem decerpebat, nescius quos in fructus, quamque acerbos se flos induceret; cum à Regina reuocatus, in Franciam redit. Extemplo sollicitus de Italia esse debuerat, lecto exercitus atque pecuniæ supplemento; sed quod illi frequens admodùm erat, contentus primordiis, & negligens futuri exitus, quasi rerum sors æquabili cursu procederet, nec differret vnquam ab ingressu finis, sui securus, Italiæ curas omittebat. Tum grauis pestilentia curas suas auertit aliò ad leuandas miserarum vrbium calamitates; ea quippe lues vniuersam Franciam tam acerbè vexauit, vt exhaustis vrbibus, rari qui superauerant in siluas profugi, plerique fame perierint; luporum & canum pabulum triste; belluis iam in viuos vertentibus rabiem quam cadaueribus efferauerant. Mox procella in Insubres mota, Regis metum & curas in eam gentem traduxit. Maximilianus, Rege pacis specie ludificato, per exules Mediolanenses Heluetios concitat, vt in Longobardiam irrumpant. Ii præda illecti, & Belliuzonam quam tenebat Rex repetituri, ex tribus pagis arma induerant, & Lusannum vicum, qui primus occurrit, oppugnare incipiunt simúlque murum, qui ad Verbanum Lacum protensus, aditum in Insubres claudit. Ingruebat difficile bellum, iam aliis pagis accedentibus, nisi cura & vigilantia Prætoris Amboßij discussisset periculum. Ille euocatis præsidiis, & munitis circa montium fauces & murum arcibus, intercluſit aditum hosti, simúlque commeatum atque cibaria, vt hic nullis auctus stipendiis, nam auspiciis suis militabat Heluetius; atque vrgente rerum penuriâ breui defecerit animo, pactísque induciis in sua reuerterit: nulla mente tanti membra corporis animante. Per eas res interpellata subsidia Neapolitana; mox per contractam pacem tantùm non oppressa; ea autem pax à Philippo iurata; locúsque postulat vt de domo Austriaca in Hispanicam inserta, quæ plaga Franciæ grauissima omnium fuit, differam paucis. Dum Carolus cum Ferdinando ad Salsas depugnat, Ferdinandus cum Maximiliano vti se in Franciam muniret, affinitatem contrahit, Ioanna filia desponsa Philippo Archiduci Maximiliani filio. Plerique Franci instabant, vt id coniugium vetaretur, & vehementissimè omnium Grauilla Admiralius, seu futurorum præsagus, id perurgebat; suamque operam & classem obtulerat; ad Ioannam dum mari Flandriam petit intercipiendam; sed repudiatâ à Rege operâ, quieuit, quanquam inuitissimus. Nec erat in speciem quod tantoperè timeretur. Nam Ferdinando ex Isabella natus erat Ioannes iam adolescens, qui Margaritam Philippi sororem duxerat, erátque Ioanni soror Isabella, natu proxima & Ioannâ maior, quæ Manueli Portugalliæ Regi nupta, iam ab eo masculam prolem susceperat. Vnde tot cancellis obiectis Philippo, inanis spes & metus de regno Hispaniæ videbatur. Verùm Deo iam Austriacam familiam promouente ad

Philippus Archidux Castellæ Rex.

apicem

apicem, Ioannes Princeps morbo extinguitur, eúmque postmodùm fœtus quem Margarita ferebat vtero, morte consequitur. Isabella soror nec superstes diu, fato rapitur, & filius Michaël in spem regnorum natus paulò pòst, anno tertio vitam amittit. Ita in Philippum vnum Archiducem & Ioannam coniugem regni spes incumbit. Ille postquam Reges Neapolitanum regnum diuiserant, stante adhuc concordia, in Hispaniam profectus, per Franciam iter habuerat, atque à Rege perhonorificè exceptus, & omni oblectationum genere recreatus, data etiam facultate remittendi crimina, quocunque iret, reósque soluendi, in Hispaniam venerat. Postquam in ea aliquandiu egit, ostenditque se Castellanis, iam gratum Principem, mox futurum Regem; vt rediret in Flandriam, iter per Franciam à Rege postulat, impetrátque. Id vt securius foret. Regem de pace appellat, contrahítque tam suo quàm Ferdinandi soceri & Isabellæ nomine; ea lege vt Carolo filio suo Claudia Regis filia nuberet; ij Neapolis Reges dicerentur, dúmque adolescerent, suam Regni partem Rex teneret, Philippus alteram. Id fœdus iuratum Lugduni, in maiori æde Diui Ioannis, à Rege & Philippo & Hispanis oratoribus; Philippo spondente ratum habendum à soceris. Atque ad id implendum, missi in Italiam nuntij, qui Nemursium & Consaluum iuberent arma deponere; illum Regis nomine, hunc Philippi, & quietè agere, dum vtrinque pax sanciretur. Eâ fiduciâ Rex quatuor peditum millia reuocat, quæ subsidia mitebat Neapolin, planè dimissis belli consiliis. At Ferdinandus iuratam pacem repudiat, Philippum generum plura pollicitum, quàm præstare posset, suum esse regnum Neapolitanum, ius sibi à maioribus traditum, breui possessionem iuri accessuram; cum se vno percutiendum fœdus, nusquam cum genero. Sic rupta pax, & magno Regis tum dolore tum detrimento, curæ Italiæ susciatæ, quando iam irritæ & inanes propemodùm erant.

LVDOVICVS XII.

Anno 1503.

Ea dum geruntur, sors rerum in Italia conuerti ceperat; Ferdinando occasionem oblatam auidè & feruidè arripiente. Nam Consaluo Baroli contrà inediam pugnanti in opem venerant sexcenti equites, & pedites Gallæci quater mille, qui Rhegium in Calabria appulsi Duce Portocarrero, Rosanum statim expugnant, cæso præsidio, ac se contra Albinium tutantur egregiè. Ea subsidia opportunè submissa incolarum animos ad Hispanicas partes traduxerunt, Francis proteruiùs, iámque auarè in addictos grassantibus; & passim Itali quà vi, quà insidiis molestos hospites depellebant. Castellaneta in Apulia pagus, se & cataphractos equites quinquaginta, qui præsidio erant, Hispanis tradit; quod pernicioſum exemplum vt vindicaret Nemursius, deducto ex oppido Rouura præsidio, ad rebelles aduolat. Consaluus comperto destitutum milite oppidum, paucis cum Palissa ad custodiam relictis, vt clarissimum bellatorem caperet, simúlque nouo facinore gloriam quæreret; altero post die Barolo egressus, Rouuram impugnat, quarta post hora spatiosam labem muro infert, atque extemplò aggressionem instituit. Nulla res oppidum præter Palissam vnum, propugnabat; murus infirmus, iam sub machinis proruens, miles rarus,

XXII.

Hispani in Calabria vincidi.

Rouvre,

Palissa fortitudo.

LVDOVICVS XII.

rarus, ciues subito metu perculsi, numerosus hostis, iam ab aggere prominens, nulla auxilij spes aut salutis; verùm Palissa tot, tantáque incommoda vnus compensabat, spectabatur propugnaculi instar in ruina muri crasso hastili pugnans, hostémque ex aggere in fossam deuoluens; iam Hispani tertium obtinuerant aggerem, ab eo tertiùm vnius viri virtute deiecti; iam vexillum in ipso muro erexerant, ídque vir fortissimus detrubauerat; iam tota legio in eum vnum conuersa hastis, ensibus, pilis ingruebat, eámque vniuersam disiiciebat vir vnicus, hastâ tam crebros validósque ictus incutiens, vt nemo impunè ad eum propè accederet; tandem Hispani consumptis armis, animísque, ceu propugnaculi molem aut scopulum subruituri, cadum nitrati pulueris inflammatum in pugnantis caput coniiciunt: Ille cadi pondere; víque incendii deuoluitur in imum aggerem, casu præcipiti, fumóque spississimo quà panditur galea exundante. Nec ideò viribus aut animo destituitur; sed aquis opportunè quas è summo muro effundebat miles, recreatus, & restincto vtcumque incendio, sicut erat contusus membra, & propè assatus exsurgit, & per ipsos hostium cuneos ad loricam arcis se recipit, rursúmque per multorum stragem grassatus, tandem viribus cum sanguine deficientibus, illibato adhuc animo, se Iacobo Mendozæ tradit, proiecto longius quantùm dabat infirmitas gladio. Imò quamuis captus se inuictum hosti exhibuit, quippe ad arcem à Consaluo ductus, vt deditionem suaderet, contra ad obsistendum adhortatus est militem, tantóque terrori vel in vinculis fuit, vt nusquam copia redimendi se facta sit, gnaris hostibus quantùm in capto, quantùm in libero, lucri facerent atque detrimenti. Arx secundo pòst die capta est, accessítque laus & nomen Hispanis, quantùm Francis decesserat. Nec ipsis erant concordes animi; ipsa fortitudine duces inter æmulationem ferente atque discordiam. Nemursius maximè atque Albinius trahebant militem in diuersa. Albinio duci clarissimo, multísque facinoribus illustrissimo, erat molestissimum subesse, atque alterius ductu bellum gerere; vnde sibi periculum sollicitudo & labor, laus æmulo & gloria parabatur. Nemursius fortis quidem & septus magno robore animi; sed vehemens & violentus, præceps in deliberando, nullo ad consulendum adhibito, summo imperio obsequium exigens ab iis qui se tanti quanti ipsum penderent; ideóque lentiùs & negligentiùs exequentibus iussa; quando durissimum est, suo arbitrio alienum præuertere; idque manu perficere, quod mente damnatur. Inter ea pax Lugduni iurata, Francos remiserat atque laxauerat; ac postmodùm eam repudiante Consaluo, nihil eis virium aut prudentiæ accedebat. Imò iussi à Rege, vt se præsidiis suis atque vrbibus continerent, dum amplius de pace bellóve consulitur, suo impetu rapti in mortem importunè proruperant, sua quisque clade affecti, Nemursius atque Albinius. Hic cùm Calabriam regeret, audito Hispanos conuocasse militem, & ipse legiones contrahit, vti hostem ab amnis Ciriæ transitu prohiberet. Ducebant Hispanos Cardona, Benauidius, atque Antonius Leua, erántque sub signis octo tam equitum quam peditum millia, interfluente amne castris oppositis. Benauidius vti hostem

Discordia inter duces.

Albinius vitius & captus.

falleret,

falleret, primum agmen compoſita acie oſtentabat, ſimúlque cum Albinio colloquebatur è ripa, dum Cardona ſuperiore amne, quà vadum patebat, agmen poſterius vltra tranſmittit. Animaduerſa fraude Albinius, in tranſmiſſos equitatum ducit curſu celerrimo, relicto peditatu, & nullo Tribunis quid agendum foret imperio. Iam hoſtis traiecto fluuio diſpoſuerat aciem, vnde irruentem Albinium fortiter excipit, repellítque diſploſis bombardis, atque effuſa telorum grandine. Albinius ſummus quidem bello Dux; ſed in caſibus ſubitis atque improuiſis minùs valens prudentiâ, poſtquam ſuos concidi videt, nullo operæ pretio; vt ſe in meliorem ſortem ſeruaret, terga vertit fuſis iam copiis, atque in caſtrum Angitolam confugit; eodem loco quem ſignauerat ingenti victoria de Ferdinando Rege & Conſaluo relata; nec multò pòſt in ea arce captus eſt, ea conditione vt ad finem belli perſtaret in cuſtodia. Sic belli aleam ſortémque pugnarum vix expertus aliam, quam ſecundam, felicitatem totam peſſumdedit, atque inſtar luſoris vno iactu gloriam tot ærumnis partam amiſit. LVDOVICVS XII.

Nec inter eam cladem fortuna Franciæ conſcripta, octauo poſt die longè maiore cumulatur calamitas atque porrigitur. Conſaluus ignarus quid in Calabria contigiſſet, Baroli ad extremam actus inopiam, ſtatuit Ciriniolam oppidum occupare, atque expulſo Francorum præſidio victum parere beneficio gladij. Eſt Ciriniola in Apulia oppidum, æque Barolo atque Canuſio diſtans, formam triquetram triplici oppido effingente. Agebat Canuſij cum exercitu Nemurſius, atque audito Conſaluum verſus Ciriniolam contendiſſe, vti vrbem & præſidium tegeret, turmas rapit Canuſio, ducítque Ciriniolam, deliberatâ in omnem euentum pugnâ, ſi hoſtis occurrat. Feruebat æſtus ſummopere, pluréſque in vtroque exercitu, tum milites, tum equi, ſiti, calore, & aquarum penutiâ, vitam amiſerunt. Primus ad Ciriniolam Conſaluus aduenit, & quia hoſtem accelerare audierat, vrbémque hoſtis tenebat, in vinetis proximis copias locat, & foſſa obuallat. Aliquantò poſt adeſt Nemurſius magna celeritate, & vrgente in occaſum ſole, ſtatimque deliberat, an ipſo die præliandum foret. Ipſe Nemurſius & Amelfitanus Princeps cenſebant, prælium in conſequentem lucem differendum; *copias curſu defeſſas, confectas ſiti propemodùm, immodico æſtu oppreſſas, non agendas præcipitanter in pugnam; potu, otio, nocturnóque frigore recreandas, dum hoſtilia caſtra explorabuntur. Iam diem condi, luce opus eſſe vt pugnam ineant, perſpectas Conſalui militares artes; quid cæca nocte ſe in foſſam obiectúmque vallum inducerent; die proxima hoſtem caſtra moturum, commodius oppugnari poſſe dum in motu & trepidatione miles eſt, quàm cùm fixo gradu vim repellit; prudentiam fortitudini nihil detrahere, & temerarium impetum amentium eſſe non fortium.* Hæc Nemurſius, & quidem prudenter; contra Alegrius, ſiue vt Nemurſio aduerſaretur, cui obtemperabat ægerrimè; ſiue ita expedire quod crederet; eo prorſus momento præliandum cenſebat. *Quid Franci cunctarentur vlterius? eſſe ad manum, quod expetiuerant tandiu; eductum tandem è cuniculis hoſtem atque munimentis, deprehenſum in camporum æquore Conſaluum imparatum* XXIII. *Pugna ad Ciriniolam.* Ceriguoles.

LVDOVICVS XII.

ad pugnam, qui ad prædam & latrocinia prorupissent, iam percelli metu, Francis admotis; nec aliud esse, vallum oppositum, quam trepidationis signum, & timoris latibulum. Nihil primò Francorum impetu terribilius, dum is feruet agendus in prælium; intra horam Consaluum expugnari posse; fortes animos angustiis temporis non concludi, & breuissimo tempore res patrari magnas. Nam ad proximam lucem si expectent, ipsa nocte elapsurum hostem atque instar torpedinis offusurum tenebras fugæ & saluti. Cùm ea Prætorem haudquaquam mouerent, stantem in cunctandi sententia, eum aggreditur contumelioſis verbis Alegrius; *moram illam à metu profectam, non à prudentia; quid enim alios in aperta discrimina tam imprudenter coniiceret? Quid nuper Palissam solum in irruentem hostem opponit? Quid Tribunos & milites temere in perniciem certam induisset? prodigum alieni periculi, sui parcum; indignum esse imperio, qui iuberet ea qua fugeret.* Ad ea incalescente Nemurſio, & contumeliam verbis rependente, imminebat ciuile prælium, milite suum quoque ducem propugnante; cùm Tribunorum prudentia arma compescuit, ciuilia quidem & probrosa, non honesta & publica. Nam prætor indignatus sibi metus vel vmbram obiici, continuò militem ad pugnam educit; & ea temeritate pugna obita est, qua incepta. Ipse omnium primus equitatum in castra impellit; sed lata fossa prohibitus, Heluetios ad eam cumulandam iubet accedere, & ij Hispanorum sclopis appetiti, sub primam impressionem deficiunt. Prætor illicò nouo imperio rem profligat; iubet recedere militem, vti ad latus versus, fossam faciliùs superaret, at miles iam concepto tædio, postquam recedere iussus est, quasi omninò se deberet recipere terga vertit, festinátque iam fugæ propior. Nemurſius & Chandioſius qui ducebat aciem mediam, vt suos confirment, hærent in vestigio; sed extemplò vterque sclopetorum globis occiditur; caditque Nemurſius, postremus Armaniacæ stirpis; vnde tot Stolones atque vbertimi fructuum olim prodierant. Tum Hiſpani in fugientes irruere, strage & cæde miscere omnia; victoriámque conficere. Scribunt ipsi Francorum supra tria millia cecidisse, nouem è suis duntaxat; sanè primum mediúmque agmen deletum est; capta tormenta & impedimenta; Alegrius postremum agmen incolume eduxit, ipse pugna abstinens, quam tam vehementer incenderat; quanquam laude dignus quod non desperarit, & naufragij tabulas ad nauigationem nouam collegerit. Pugna in diem veneris incidit, octauum quo Albinius victus est, quemque sibi propitium & felicem Hiſpani obseruant. Franci in diuersa oppida secesserunt. Alegrius & Princeps Salernitanus Caietam, Ludouicus Arsius Venusiam; Melse. Petro Caracciolo Principe Amelfitano fidem eximiam in Francicum nomen contestante. At Consaluus rectà Neapolin venit, exceptus à ciuibus magno plausu; victori continuò vrbes cæteræ parent; vt decimo quinto post hanc cladem die, Francis in toto regno, præter arces Neapolis & Caietæ, Venusiam & aliquot in Samnitibus oppida atque ignominiam ingentem, nihil superesset: raptis etiam ducibus, ne quid membris defectis capite, spei foret.

Anno 1503.

Chandieu.

Ludouicus ad ea tristissima nuntia, dolore & indignatione perculsus; postquam

postquam apud Archiducem inanes querimonias detulit, legatósque Ferdinandi accusata sui Regis fraude iussit facessere; impetraturus à se solatium & vindictam, quatuor simul terra marique conscribit exercitus; tum vt Europæ toti constaret Franciæ dignitas atque amplitudo; tum vt Hispanum suo bello implicitum Neapolitano regno longè auerteret. Primus in ipsam Hispaniam conuersus impetus, & magno apparatu destinati duo exercitus quorum alter Ruscinonenses, Guipuscoam alter inuaderet; Pyrenæis per geminos aditus penetratis. Selecti duces quorum peritiâ staret spes Francica, Maresçallus Rieusius; atque Albretius consorte Maresçallo Gyæo. Geminæ classes ad expeditionem geminam assignatæ, vtroque mari iussæ nauigare, vehebant necessarium commeatum. Et hæc quidem constituta fortiter, contrarium euentum sortita sunt. Albretius, cùm locorum temporisve iniuria, in Guipuscoam haud penetrasset, versus in Occitaniam, copias, Rieusio adiunxit; & primùm eo metu Ferdinandus solutus est. Tum ad Ruscinonenses spes, & metus traducti. Numerabantur in Rieusij copiis viginti hominum millia, atque accesserant bis mille nobiles, summa alacritate & spe magna concepta, præclarissimis ducibus Rieusio & Gyæo. Et medio Septembri cinctæ toto exercitu Salsulæ. Eam arcem aliquot ante annis expugnauerat Carolus; & redditam Ferdinandus, quia prima Francorum impetum retundebat, restaurauerat atque muniuerat operosissimè; erexerat loricam muri spississimam, perfoderátque subtus cuniculos, ad occultas obsidentium artes eludendas. Sic primus ille Francorum ardor restinguitur; accedit commeatus & cæterarum rerum penuria; Nam classis postquam ex alto Barcinonem spectauerat, adeò in oram non irruperat; vt metu ignauo territa se in Massilienscm portum receperit, ne vecto quidem ad exercitum commeatu; & præfecti annonæ, qui Narbone substiterant, magna infamia indulgebant genio, & epulabantur opiparè, dum miles in castris extremâ inopiâ laboraret. Præterea ad coronidem mali Rieusius in grauissimam ægritudinem incidit, & Ferdinandus ingentes copias contrahebat Perpiniani, ad Salsulas defendendas. Ob quæ incommoda soluta obsidio est quadragesimo die, milésque languidus intra Occitaniæ vrbes se condidit. At Ferdinandus sua etiam vice in Occitaniam irrumpit, & vetante nemine prædas agit; donec vrgente hyeme securus regressus est. Nec exercitui Italico commodiùs fuit. Conscripta erant Vasconum sex millia, octo Heluetiorum, cataphracti equites octingenti, delecta ex Francia, Italiaque nobilitas, summúsque Dux dictus, Ludouicus Trimollius, sæpè memoratus, sine controuersia laudatissimus bello; accedebant Marchio Mantuanus, Dux Ferrariensis, Florentini, Senenses & Bononienses. Lentis castris incedebat exercitus, quanquam res vrgeret admodùm, dum Legati Regis de nouo fœdere cum Pontifice & Valentino conueniunt. Porrò dum id agitant Alexander Pontifex veneno vitam repente amittit; Valentinus, eodem epoto, neci ereptus est, beneficio virium atque ætatis. Continuò curæ à regno ad Pontificatum deductæ. Etenim Cardinalis Ambosius aduolans Romam, quod diu cogitabat animo tandem expromit, sibíque tiaram tergeminam ambit:

LVDOVICVS XII.

Rex quatuor exercitus scribit.

Salsula obsessa.

Exercitus in Italiam missus.

Alexandri mors.

LVDOVICVS XII.

vnus alter duntaxat eam appetebat Iulianus Rouereus, Cardinalis Sancti Petri ad vincula & ipse Franco Regi amicus, atque obstrictus beneficiis pluribus. Ille cùm Cardinalium voluntates clam conciliasset, Amboſium aggreditur, atque persuadet, vti exercitum Roma submoueat, ipsum sine dubio dictum iri Pontificem; periculum esse ne suffragia copiis proximis laborarent vitio, metusque & vis accusari queant; posse tolli scrupulum, si paulò longiùs miles absit. Inexplorata fraude Amboſius exercitum amouet, móxque ipso præsente, Franciscus Picolomineus Senensis, eligitur Pontifex, qui se Pium III. appellat; tam deplorata valetudine, vt ægrè vitam prorogaturus in mensem alterum crederetur. Nec expectata mors spem fefellit; die vicesimo quinto post quem electus est, vitam claudit, Pontificatu per somnium gesto, ipsáque nocte, Conclaui, quod nusquam contigerat, nedum occluso, iámque exercitu Francico longiùs profecto, Iulianus Rouereus omnium calculis Pontifex dicitur, Iulij II. nuncupatione assumpta. Amboſius postquam se delusum, & defraudata æmulorum arte vota inspexit, pudorem in Franciam retulit, atque in solatium Legati nomen & potestatem.

Iulius II. Pont.

XXV.

Franci ex regno depulsi.

Per eas moras cunctabatur exercitus, & primum illum terribilem impetum corrumpebat; iam grauem iacturam erat passus Trimollij absentiâ, qui morbo periculoso tentatus Parmâ in Franciam suo cælo recreandus venerat, Mantuano in eius vicem suffecto. Eo ductore ad Lirim amnem, qui regni limes est, euadunt copiæ, alteram ripam obtinente Consaluo. Amnis transmitti nisi ponte non poterat, cúmque Franci ex lintribus ponunt, quos proxima classis per aduersum amnem submittebat, atque post multam dimicationem amnem traiiciunt; scribitúrque eos potuisse hoc die vincere, si vltra pontem in trepidum hostem promouissent victoriam. Verùm Mantuanus Francis suspectus ob fidem dubiam, simulato morbo abscesserat, pluréſque Itali simul erant in oppida profecti; atque inter Francos rara concordia erat. Nam quamvis ipsi Marchionem Saluſſium Prætorem dixissent, tamen Alegrio & Sandricurtio erat par propemodùm in Francos auctoritas, vti Bessæo in Heluetios; sic imperium quod plurium foret, nemo obtinebat, atque Saluſſius precariò tantùm rem gerebat. Post amnem trajectum, vna admodùm via arcta & angusta in regnum patebat; eam Consaluus suis copiis occupat, & castra hosti munita obiicit; rursúmque victoriam à constantia & patientia conficit. Nam tametsi numero longè inferior, loco incommodo & prima iam hyeme, inter paludes castra fixisset, quanquam Hispani duces receptum omnino persuaderent; tamen in sententia firmus, cuncta cæli & soli incommoda hausit, gnarus eo pugnæ genere quantùm Francis Hispani præstarent; dum Bartolomæus Aluianus clam inductus à Venetis, duo millia hominum in opem adducit. Eo auctus subsidio, hostem aggreditur incautum, & ab omni pugna præterquàm ab hyeme imparatum; & per amnem Lirim clam missis copiis, ipsum à fronte atque à tergo inuadit. Franci subita trepidatione perterriti, cùm aliud nihil perculsis occurreret, versus Caietam recedere; eáque arce se tegere statuunt, dum subsidia Rex diu appellatus submitteret; atque

De Saluſſes.

atque ad festinandam profectionem, grauiores sarcinas, nouem tormenta, turbámque inualidam in castris relinquunt. Instat Consaluus ferox properantibus, agménque postremum suis armis carpit; leui tamen clade, donec ad Formianum pontem peruentum est. Ibi loci angustiis frequentem transitum prohibentibus, conseritur necessariò prælium; & ab equite quidem, pedite cum tormentis pontem transeunte. Eo in prælio Bajardi virtus enituit, qui vnus in pontis fronte per dimidiam horam vim Hispanorum tulit repulitque, & Horatius Francicus festinantem repressit victoriam. Sed postquam Hispani traiecto amne lintribus ad oppositam pontis frontem peruadunt, Franci penitus in fugam conuersi, partim Caietam, partim Itrium oppidum properant; machinas, arma, & sarcinas victores rapiunt, cæsis Francorum quatuor millibus. Petrus Medicæus addictissimus Franciæ, dum contendit aliquot machinas nauigio Caietam deuehere, ad Liris ostium, procelloso mari cum iis mersus est. Caietam haud multò post, quanquam munitissimam Franci deficientes animo hosti tradunt, pacti incolumem reditum cum armis & sarcinis, & captiuorum omnium libertatem. Quam à Consaluo consecuti, (Franci quidem, haud Neapolitani) pauci admodùm in patriam tulerunt, morbis & miseria prope omnes extincti, tum qui mari, tum qui terra profecti sunt; pestilentiâ etiam grassante, quâ Salussius & plerique Nobiles rapti sunt. Nec cæteris Caietâ dimissis tutus in patria receptus fuerat; quippe Ludouicus dolore percitus constituerat eorum neminem in conspectum admittere, imo probro & ignominia plectere, atque extorres toto regno deiicere, nec audebat vllus pro calamitosis iratum alloqui. Cùm Sandricurtius futurus sociorum patronus, suæque in Regem fidei conscius, eum aggreditur cum Regina in Blesensibus hortis ambulantem; & qualis nuper ab Italia venerat, macie deformis & squallidus, obsoleta & despicabili veste se in conspectum dat. Primùm Rex non agnoscit hominem, mox agnitum grauissimis verbis increpat; ac deinde Regina iram mitigante, aures præbet se se excusanti; tandem attentior, & miseratione iram profligante, docetur accuratiùs, quæ calamitatis origo fuerit. Dicit Sandricurtius *à Quæstoribus & Præfectis annonæ, non ab Hispanis proculcatum esse exercitum, nullam à Quæstoribus pecuniam datam, nullum ab annonariis alimentum; victum semper petitum ab hostibus, quantum ferrum dabat; modo quo à Quæstoribus peti non poterat. Eos inedia, frigore, & grauissimis morbis afflictasse exercitum, dum suas dapibus mensas instruerent, frequentarent epulas regias, atque aurum Francorum sanguine maceratum reportarent domum.* Cùm hæc & similia diceret, exclamabat identidem Lodouicus; *heu verum est!* & persuasus correptos aliquot Quæstores, patibulo affixit; in quibus Herœtus ærario Præfectus; impari admodùm compensatione, nec vilissima capita, opulentissimum Regnum florentésque exercitus rependebant. Atque vtinam exemplum terrori fuisset, nec in posteris eadem pernicies grassaretur, quæ pluribus Francis quam hostile ferrum exitio fuit. Ludouicus postmodùm cum Imperatore & Philippo Archiduce contrahit fœdus, reiectis Ferdinandi Legatis, quo nuptiæ Claudiæ cum Carolo firmabantur, possessionem

LVDOVICVS XII.

Bajardi virtus.

Itri.

Sandricurtius Regi se sistit.

LVDOVICVS XII.

Insubrium sanciebat Regi Imperator, ipsique Rex pecuniam dabat; societate cum Duce Bauaro & Palatino deposita. Nihil de Neapolitano regno cautum, nisi vt capti Nobiles in libertatem vindicarentur; iussique Ludouicus Arsius & Bajardus è regno reuerti in Franciam. Ij post pugnam ad Caietam, Venusium se receperant, & aliorum Ducum reiecto probroso fœdere, vrbem per annum tenuerant; sua duntaxat fortitudine freti; & eius beneficio, magna cum laude & gloria regrediuntur in Franciam; nam circumfusis hostibus, cùm per eos transeundum esset, atque Antonius Leua commeatum offerret, si flagitarent; eum viri fortissimi ab suo gladio petunt, & per oppositas Leuæ copias aperto itinere, in securum locum intacti euadunt. Eúmque finem expeditio consequuta est, tam principio famosa quàm exitu, tam ignominiosa Francis quàm honesta, qui quæ armis & fortitudine comparant, ea perdunt auaritiâ & imprudentiâ; lacertis robusti, infirmi ventriculo; humanæ gloriæ magno contemptu, cùm nobilissimus mortalium apex, per viles homines ruat; tantique sit vicisse, quantum frumentariis visum sit.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XV.

SYNOPSIS.

Regis Ludouici morbus. Iſabellæ mors Reginæ Caſtellæ. Fœdus nouum cum Ferdinando. Philippi mors. Rex Genuam ſubigit. Genuæ ſitus. Maximilianus in Italiam vocatus. Colloquium Regis cum Ferdinando. Bellum ſuſceptum in Venetos. Fœdus Cameracenſe. Pugna ad Adduam. Pugnam conſecuta. Venetorum primò timor, mox Conſtantia. Belli cauſæ contra Pontificem Amboſij Cardinalis mors. Hiſpani & Heluetij in Regem. Bellum illatum à Pontifice. Pontifex pacem repudiat. Rex Epiſcopos conuocat. Mirandula à Pontifice capta. Ferraria ſeruata. Concilium Piſanum. Ferdinandi cum Pontifice fœdus. Gaſto Dux exercitus. Gaſto Bononiam ſeruat. Gaſto Brixiam recipit. Pugna ad Rauennam. Gaſto perimitur. Franci Mediolano pulſi. Ferdinandus Nauarram occupat. Fœdus Regis cum Venetis. Iulij Pontificis mors. Rex Mediolanum recuperat. Pugna ad Nouariam. Angli irrumpunt in Franciam. Nauale prælium. Teruana capta. Pugna

Calcaria

Calcaria. Bajardi facinus. Heluetij in Burgundiam. Varia de Rege. Pax cum Anglo. Regis mors, & dotes. Annæ Reginæ laudes. Franciſcus I. Rex. Franciſcus in Italiam tendit. Alpium tranſitus. Proſper Columna capitur. Pugna ad Marinianum. Continuatio pugnæ. Guiſius ſeruatur. Rex Mediolanenſis dux. Pontificis fœdus cum Rege; Concordatum. Ferdinandi mors. Maximilianus Mediolanum aggreditur. Regis varia fœdera. Triuulſij mors. Mors Maximiliani. Conſilia in Turcam. Franciſci & Caroli pro Imperio ſtudia. Carolus Imperator.

I.

LVDOVICVS XII.

Regis morbus.

POSTQVAM Ludouicus confecta pace curas & ſolicitudines externas compeſcuit, ſuis ipſe priuatiſque vexatus eſt. Generoſo & forti Principi *occurrebat ignominia belli & fœderis; eò recidiſſe ſpes, conatus, & amplitudinem Francia? eò tot exercitus, tam immenſam pecuniam, eò ſua & fœderatorum incenſa ſtudia, vt regnum tanta gloria parium, tanta infamia eriperetur; nec ſibi aliud ſupereſſet, quàm pudor atque opprobrium victi.* Tum inuito voces veniebant in mentem, quas de hoc bello vſurpauerat ſæpius, modeſtæ quidem & generoſæ in vſu victoriæ; at ex calamitate ſuperbæ admodùm atque arrogantes; vrebat præterea Ferdinandi victoris felicitas, cuius artes ſubdolas cùm ipſe contemptui & ludibrio habuiſſet; moleſtiſſimum erat eaſdem proſperas, atque euentu donatas inſpicere; & fraudi fuiſſe candorem ingenuum, fidémque habitam. Eo animi dolore corpus in grauiſſimam ægritudinem incidit, & Anno 1504. febri inualeſcente, Medici de complorata ſalute deſperant. Vix vnquam ſubditorum in Principem amor manifeſtiùs patuit; per vniuerſas regni prouincias, agri atque vrbes ſupplicantium cœtibus miſcebantur; nulla ætas, nulla conditio vacabat ab orandi munere; feruebant ſacræ ædes diu noctúque complorantium precibus; nudis pedibus viri, expaſſis matronæ crinibus, puerorum & puellarum greges innoxij, vnâ voce ſalutem ſuam in Principe poſitam exclamabant, rogabántque vno capite vitæ omnium conſuli. Precibus ſupplicum factum eſt ſatis, morbíque periculo Rex tandem ſoluitur. Ille extemplò valetudinem Deo attribuit, voto ad ſacroſanctam Hoſtiam concepto, quæ clara miraculis Diuione colitur; eámque in *Iſabellæ mors.* vrbem religionis causâ ſe contulit. At Iſabellam Caſtellæ Reginam proſtrauit morbus, vitæque eripuit; fœminam natam Imperio, præclariſſimis animi dotibus, cui parem vix Hiſpania genuit; & ea ob frequentem equitationem, admiſſis virilibus curis, creditur contracto vlcere in partibus inferioribus, vitam amiſiſſe. Teſtamento Philippum Archiducem & Ioannam filiam hæredes ſcripſerat; iiſque deficientibus nepotem Carolum; & eo primùm tempore patuit, quanto incommodo Franciæ, Auſtriaca

domus

domus in Hiſpanam iret; Franciâ Belgium inter & Hiſpaniam mediâ, finibúſque oppoſitis vno eodémque Principe circumcluſa. Ideò Ludouicus vt proximo malo occurreret, ratus Philippo Ferdinandum Regem auocandum, velificatione mutata, eum appellat de nouo fœdere, & priuatis inimicitiis publico commodo datis, arctam affinitatem cum eo contrahit; dátque in vxorem Germanam Fuxienſem ex ſorore neptem, ex Ioanne Fuxienſi Vicecomite Narbonenſi natam. Sic enitebatur Aragoniam à Caſtella ſeiungere, non modò in præſentia, ſed in tempus futurum, ſi fortè liberi ex nouis nuptiis naſcerentur; conceſſum in Germanæ dotem ius quod Regi in Neapolitanum regnum competebat; quod Franco reſtitueretur, ſi Ferdinandus ante vxorem decederet. Adiuncta conditio probroſa, vt Friderici qui nuper obierat vxor & liberi, Ferdinando traderentur, vel regno exularent. Germana in Hiſpaniam ducta, patriam illicò oblita eſt; in coniugis mores & commoda ſe totam addicens. Iiſdem de cauſis Rex ſe facilem præbuit regni Proceribus flagitantibus vt ſponſalia Claudiæ filiæ cum Carolo Archiducis filio ſoluerentur; ex iis magnam exorituram bellorum ſegetem, perueniente ad Hiſpaniæ Regem Britannia, & futurâ pro regno controuerſiâ, quæ olim fuiſſet cum Anglis Regibus. Multò conducibilius fore, ſi Claudia nuberet Franciſco Inculiſmenſi, proximo Regis affini, atque ſucceſſori, regno cum Britannia in eandem ſtirpem coalituro: Et erat Franciſcus conſanguineus Regi, Ioannis ex patre Carolo nepos, & Ludouici Aurelianenſis æquo gradu cum Rege abnepos, educatus atque inſtitutus ſummâ curâ, tum armis, tum litteris, Arturo Gouferio morum adoleſcentis præfecto. Anna obnitebatur huic conſilio vehementer; tum vt Britanniam à regni corpore totam ſeiungeret, tum quòd Ludouicam Franciſci matrem plurimùm oderat; verum vtilitate regni præpollente, cum Franciſco nuptiæ pactæ ſunt, dictúſque eſt Dux Valeſius, vnde in ſtirpem Valeſiorum nomen propagatum. Id coniugium Philippus Archidux contumeliam interpretatus, vltionem parabat; cùm ipſe in Belgio morte extinguitur anno ætatis vigeſimo octauo, ſpei tot regnorum raptus, corporis forma animique dotibus clarus; Carolo filio adhuc ſexenni, & prouinciis, Regis odio obiectis. Attamen fidem hoſtis anteponens domeſticæ, omiſſo Maximiliano, teſtamento Ludouicum rogauit, vt filij Caroli curam ac tutelam ſuſciperet; præclaro inuento, quem lupum pertimuerat, paſtorem conſtituens; adeò non ſemper in Regibus libet quod liceat; honeſti finibus poteſtas conſcribitur, ſeruit æquo vtilitas, & ius ſibi primùm Iuſtitia ſancit. Sanè Ludouicus eum ſe præſtitit, quem ſperabat Philippus; & præfecit Carolo Antonium Croyum, Cheureſium ornatiſſimum animi corporiſque dotibus nobilem, à quo inſtitutus eſt tam præclarè Carolus, vt Francia multò poſt beneficium ſuum luxerit, doluerítque ſua ope ſurrexiſſe Principem, cuius virtutes eximiæ ſibi periculo & damno fuerint.

LVDOVICVS XII.

Fœdus nouũ cum Ferdinando.

De Goufier.

Anno 1506. *Philippi mors.*

De Crouy. De Chieures.

Obitu Archiducis Regi facultas conceſſa eſt liberior intendendi in Genuam. Iam antea Genuenſes ſeditionem mouerant, quæ mox in apertam rebellionem defecerat. Erat Genua ab annis pluribus Mediolanenſium

II.

Genua rebellis ſubigitur.

LVDOVICVS XII.

adstricta Imperio, ac tametsi legibus suis viueret, suósque diceret magistratus, tamen arces tenebantur a Ducibus, iique magistratus dictos sanciebant, vel abrogabant ad libitum. Ludouico Regi cum Ducatu Genua obtigerat. Ea vrbs iam pridem plures alebat factiones in perniciem suam; erant reliquiæ Guelforum & Gibellinorum; accesserántque partes Plebeiorum & Patriciorum. In Patriciis præter alios Fliſci, Doriæ, Spinolæ, & Grimaldi, qui dignitatis patrum assertores, plebem plebeiásque familias habebant despicatui, atque à magistratibus publicis amouebant. Verùm in plebe multæ familiæ opum affluentiâ, quas mercaturæ beneficio collegerant, è populo eminentes, in Patricios contendere ausæ sunt; tantúmque contentione perfecerant, vt summa dignitas quam Ducatum vocant, è suo ordine, nusquam ex Patriciis, legeretur. Rursus pars Plebeia in factiones duas discessérat, Adorniorum & Fregosiorum, qui potentissimi cæterorum enitebantur, vt è sua familia Dux peteretur, seséque mutuò excludebant; suscitatâ Guelforum primâ factione, qui Fregosios iuuabant suffragiis, vti Adornios Gibellini. Eas factiones auctoritas Regis premebat vtcunque; at præterquam quod Plebeiam Patriciorum irritabat proteruia; eandem Patriciam promouebat Francorum gratia & fauor, qui plerumque Nobilibus impensius student. Verùm cùm semel Patricius honesto plebeio colaphum impegisset, quod fungorum corbem cuius ipse pretium percontaretur, oblato maiore pretio auferre vellet plebeius; orto repente tumultu, vnus è Doriis cæsus est, cæterique Nobiles ciuitate pulsi.

Ravastin. Pro Rege administrabat vrbem Ravastinus, è Cliuensi stirpe; qui Regem in Franciam adiit, de re tota palam verba facturus. Et primò quidem mollioribus remediis tentabatur malum, Ludouico nondum auso adhibere valida, ne Philippus cum Pontifice & Imperatore fœdus contraheret; at postquam Philippus morte absumptus est, & inualescebat popularis furor; ferrum & ignem admouendum vlceri censuit. Iulius Pontifex summoperè nitebatur auocare Regem ab hoc consilio, tùm ne bellum Venetum omitteretur, quod propemodùm instituerat; tum quod arcanis tectísque follibus Genuensium flammam incitabat, in Plebeiorum partes addictus. Nihilominus vltra metas decurrebat insania; Spetiam vrbem & portum inuaserant Genuenses, quæ Fliscorum in patrimonio erat; nouum Ducem elegerant, quendam Paulum Nouium, arte fullonem, ac præclarum seditionis tubicinem; Tribunos octo ex ordine suo creauerant, ac Monœcum arcem Pisanis iuuantibus quæ ad Grimaldos spectabat, impugnabant acerrimè. Rebellio postmodùm in apertum prorupit. Arcem Salazarius præfectus Regius obtinebat; is ciues aliquot tumultuantes corripuerat, simúlque Franciscanorum cœnobium armatis occupauerat; quod arci admotum & muro validum, ad ipsam tegendam opportunum erat. Illicò seditiosi laruâ abiectâ insignia Franciæ deturbant, atque Imperatoria erigunt; ad Castellatium rapiuntur, quod Castellum est supra arcem positum; adigunt milites ad deditionem, ij viginti admodùm erant cum tribus fœminis; mox deditos per summum nefas obtruncant crudeliter, atque in frusta discerpunt. Ergo hæc facinora cùm patientiam Regis peruicissent,

uicissent, statuit ipse ferro furorem opprimere, nec legatis bellum permittere, quod tam malè in Neapolitano regno gessissent; validóque exercitu in Insubres venit. Iam Monœci obsidionem Alegrius soluerat, à Rege eam in rem missus, magnâ Luciani Grimaldi gloriâ, qui trimestrem oppugnationem repulerat, tergeminámque aggressionem suo milite ac virtute sua infregerat. Est Genua Ciuitas ad Ligusticum mare, quà terræ adiungitur propè inaccessa; circum vndique abruptorum montium iugis obuallatur, per quos nullus aditus arctáve semita, adeò in scopulos & præcipitia surgunt; viæ duæ admodùm patent apertæ in rupe mortalium vi atque industria, trecentos passus in longum porrectæ, sex pedes in latum; altera ad prouinciam Phocensem pertingit, quâ desinit sancti Petri ad Arenam suburbium; altera opposita est, quâ in Italiam itur; vtraque ad littus maris, Genuensium defensa præsidio; qui se iure Italiæ custodes & ianitores indigitant. Castellatium Franci receperant, ac Genuenses superiore in loco castrum posuerant, vt ab arce Francos venientes excluderent; cùm primo impetu Regis exercitus per Arenariam viam irrumpit, ac deiecto præsidio euadit in montium iuga, sublimísque inferiorem vrbem despectat. Continuò Genuenses ad propugnandum castrum, quod imminebat Castellatio, octo hominum millia duce Iacobo Corso vrbe mittunt, & sancti Petri suburbium accuratè muniunt. Nec minus fortiter Franci castrum aggressi, primo impetu capiunt; plures ex propugnantibus perimunt, cæterósque in fugam versus vrbem agunt. Præterea portum classis obstruxerat triremibus duodecim, quarum sex commodauerat Ferdinandus, pluribúsque nauigiis. Iámque metu populum inuadente, missi erant Legati qui cum Ambosio Cardinale deditionis pacta inirent; cùm iis agentibus, seditiosis iterum plebem mouentibus, ad arma curritur, & consilio tam inani quàm stulto, festinatur ad Castellatium opprimendum. Repulso impetu, nox aduenit, licuítque miseris suam sortem inspicere, omni ope & spe subsidij destitutis, nisi quam in clementia Regis reponerent. Igitur fuga elapsis, qui maximè conscij flagitij erant, cæteri rursum Oratores ad Regem mittunt, qui vrbem & ciues eius arbitrio traderent. Accepta deditione, missi equites, qui portas atque vrbem ipsam occuparent; tum Rex armatus, nudum ensem præferens, Proceribus turmísque Equestribus simili habitu consequentibus, in vrbem victor intrat; mox sub vmbella pedibus vltra progreditur. Occurrunt trecenti ciues pullati qui misericordiam oratione supplici precabantur; quorum spectaculo Rex haud immutatus ad maiorem ædem accedit, ferro tamen vaginâ condito. Tum spectaculo nouo percellitur; ingens mulierum, puerorum, & virginum multitudo, albis vestibus candicans, humi accumbit supplex; ac lamentis miserabilibus clementiam & misericordiam implorat ad animum mitissimi Principis infirmus & innocēs sexus pertinuit, sensit se immutari continuò, statuitque pœnas multo metu & supplicio leui conferibere. Euocatum in concionem populum postquam ostensa grauitate criminis terruit; veniam priuatis benignè indulsit; tamen ne facultas peccandi in posterum permitteretur; se victorem & dominum

LVDOVICVS XII.

Genua situs.

Anno 1507.

LVDOVICVS XII.

vrbis pronuntiauit, priora pacta reſciſſa voluit; iuſſit ſua imagine nummos cudi, pecuniariam mulctam indixit; triremes & milite sad cuſtodiam portus, & arcem nouam erigendam, ad turrim Codifanam, cui portus & tota ciuitas obnoxia foret. Attamen multa ex prioribus conceſſis, omnéſque immunitates, non ex pacto ſed mera voluntate, atque vt vocant ex priuilegio. Ad mortis ſupplicium aliquot rapti; Demetrius Iuſtinianus, Paulus Nouius Dux ille rebellium, & qui deſignati principes criminis. Arx erecta eſt, cui nomen Frænum impoſitum eſt; & dictus præfectus toti ciuitati Rodulphus Canoyius, Balliuius Ambianenſis; vir ſummæ probitatis, & notiſſimæ per bella plurima fortitudinis. Ciues ab omni direptione ſeruati; ſtatímque poſt res conſtitutas; Ludouicus ne Pontifici vel Imperatori metui foret aut ſuſpicioni, exercitum ſolutum dimiſit, in Franciam, ac Mediolanum ſe ipſe contulit; inſtaurata laude & gloria quam expeditio Neapolitana obtriuerat, ac quanquam inermis clandeſtinis æmulis terribilior.

III. *Maximilianus in Italiã vocatus.*

Etenim Genuenſis expeditio; tantis ſuſcepta copiis primùm Pontificis ſuſpicionem grauem commouerat; atque ideò Imperatorem, & Venetos in Italiæ opem appellauerat; *armis Francicis non modò Genuenſes peti, ſed ipſam libertatem Eccleſiæ atque Italiæ; Regi animum eſſe dignitatem Pontificiam atq; Imperatoriam transferre in Franciam, Amboſium Cardinalem in tiaram euehere, ſe Imperatorem nuncupare, ac Caroli Magni iura vſurpare: properaret Germanica gens in opem Eccleſiæ laborantis, nec ſe orbari Imperij gloria pateretur.* Imperator ad eas voces excitatus, comitia Imperij Conſtantiæ indixerat; habitáque oratione magnum exercitum impetrauerat; ad ſancti Galli proximum feſtum. Ideò Ludouicus ſubactâ Genuâ, ſtatim ſoluto exercitu Mediolanum venerat, Legatóſque miſerat ad Pontificem Imperatorem, & Venetos, qui teſtarentur ſe ab ea mente auerſum, atque vni paci in Italia promouendæ incumbere, & Mediolani dies ludis, choreis & conuiuiis terebat, belli ſuſpicionem amoliturus. Eos inter luſus Trivultij cœna memorabilis fuit, quâ exceptæ feminæ ex formoſiſſimis mille ducentæ, miniſtrantibus centum ſexaginta Maioribus domus, ac famulis cuique mulieri aſſignatis, omni argento quo miniſtrabatur notâ Trivultij inſignito: ne putarentur cogitare fortia, qui tanto ſtudio captabant mulieres. Nihilominus cùm delectus, in Germania haberentur, vti in eos Rex ſe communiret, cum Venetis atque Heluetiis inſtaurato fœdere, cum Ferdinando de habendo colloquio conuenit. Ferdinandus anno præterito Neapolin venerat Barcinone, ſiue vt præferebat, regnum recens partum vti componeret, ſiue, vt intendebat, abducturus Conſaluum. Quippe vir ille clariſſimus ſuo more adminiſtrabat prouinciam, in ea hærebat, pluribus literis in Hiſpaniam vocatus, & in Archiducem Philippum propenſior; deinde, vt creditum eſt, admiſſâ regni cogitatione, cauſas motæ nectens, Regi ſuo non obtemperabat. Nunc Ferdinandus aliquot menſes verſatus Neapoli, cùm res Hiſpanicæ præſentem poſcerent, à Ludouico poſtulabat colloquium. Etenim Ioanna filia cuius erat regni adminiſtratio, primùm zelotypiâ, dum viuebat coniux, mox dolore & deſiderio poſt-

Coll quium Regis & Ferdinandi.

quam

quam deceſſerat, in amentiam acta, regendi impotens erat; hoc vno ſapiens, quod inſaniam ſuam agnoſceret, nec decreta regia nomine ſuo ſubſcriberet. Igitur Ferdinandus vti regimen Caſtellæ ſibi vindicaret, Ludouicum demerendum putabat, atque vt erat peritiſſimus artifex ſimulandi, ad fiduciam conteſtandam nihil non impendit. Sauona vrbs agri Genuenſis deſignata ad colloquium eſt. Adfuit Ferdinandus triremibus vectus, cum Regina coniuge, Conſaluo, atque Nobilibus mille quadringentis; colloquio Pontificis Iulij repudiato, à quo Oſtiæ expectabatur, ne quam Franco ſuſpicionem moueret. Vbi primùm claſſis ad Sauonam appulit, Ferdinandus illicò Ludouici fidei ſe commiſit, atque vrbem hoſpitaturus intrauit. At Ludouicus eiuſdem fiduciæ causâ, militem ab vrbe abeſſe iuſſerat, tum vt amplior locus hoſpitibus foret, tum vt Ferdinandus comitatu magno ſtipatus, vrbis quodam modo eſſet compos & dominus. In amplexum ruerunt nudo capite, & genu humi nixo; egerúntque triduum palam & priuatim, magnâ humanitatis & amoris mutui ſpecie. Excepit Regem Reginámque conuiuio Ludouicus, voluítque Conſaluum magnum accumbere, reueritus virtutem, qua regnum ſibi perierat; & Ferdinandus humanitate haud diſpari, inuiſit Albinium podagra decumbentem; mox Ludouico in triremi ſua epulum præbuit, vniuerſis mirantibus, eò defeciſſe capitales inimicitias, vt fiduciâ Reges certarent inuicem; tam acerbo odio expuncto animis; adeò Principum vnus affectus, vna commotio, vtilitas ſua; ad quam normam, omnes animi motus, omnem ſenſum dirigunt. Dubitatum eſt, vter Regum maiorem fiduciam exhibuerit; ſanè ea in Ferdinando præclara, qui ſe committeret illius fidei, quam ſæpè luſiſſet; atque inimico vindicandi commodum traderet; nec in Ludouico generoſitas minor, qui quem ambiguum toties expertus erat, eius fidei ſeſe permitteret; vix vnquam qui læſerint deponentibus odia. Ferdinandus ſæpè cum Cardinale Amboſio ſermonem miſcebat; vtque penitus in cuiúſque vota penetrabat, ſpem tiaræ monit; ac primus de conuocando in Iulium Concilio verba fecit; Amboſio haud ſatis in ſagacitatem Principis tecto, nec in altiſſimas ipſius latebras peruadente. Tandem poſt mutua beneuolentiæ officia, perrexit in Hiſpaniam ire Ferdinandus; regreſſus eſt Ludouicus in Inſubres; palam inſtaurata ſocietate; & pluribus ſecretò deliberatis, quæ fuerunt clam poſteris. Vrgebat interim Pontifex Imperatorem; ídque colloquium in Eccleſiæ perniciem inſtitutum expoſtulans, permiſcebat querelis omnia. Et quidem ſancti Galli dies aduenerat, atque Imperij copias Maximilianus præſtolabatur; ſed cùm eæ lentè accederent, atq; inuitæ propemodùm, quòd Maximilianus ſuo nomine non Imperij bellum capeſſeret; is tandem gemmis diuenditis quem priuatim contraxit exercitum, Tridento mouens, in Italiam ducit, ac primùm in Venetorum ditionem irrumpit. Verùm poſtquam Cadoram in Foro Iulio expugnauit, repente conuerſo itinere, & bello derelicto, vt erat in conſiliis præceps Oenipontem ſe confert: Aluianus interim Venetorum Dux, occluſis faucibus per quas Germanis patebat reditus, cõſerto prælio duo millia obtruncat, recipítq; Cadoram; nec eo contentus, fines ditionis

Lvdovicvs XII.

Anno 1507.

Maximilianus. In Italia.

Cadore.

LVDOVICVS XII.

suæ prætergressus, Goritiam cepit, atque vltra alpes Possoniam. Nec Maximiliano vindicandæ contumeliæ facultas fuit; qui postquam per plura loca discurrens; nihil promouebat, tandem cum Venetis inducias in triennium pactus est; Rex hoc metu liber discessit in Franciam.

IV.

Bellum in Venetos susceptum.

Sed extemplò ex scintillâ minimâ ingens exarsit incendium, quo conflagrauit Italia, atque ipsa Francia affilata & violata est. Rex molestum habuit quod Veneti in paciscendis induciis sui meminissent, verbis haud satis conuenientibus, nec Principe inter socios loco, quódque iis Gelrium Ducem sibi fœderatum non appellassent, & tametsi hæc leuia ad mouendum bellum admodùm forent; tamen plures iniuriæ veniebant in mentem, quibus se affectum à Venetis querebatur; occurrebat nullum officium ab iis præstitum, nisi ob priuatum commodum & vtilitatem (quod tamen à quo Principum non vsurpatum?) Cremonam atque agrum ad Adduam eos detraxisse, & pro stipendio breuis militiæ vsurpasse; Mediolanensibus exulibus & desertoribus præbere hospitium atque asylum, contra fœderis leges; Neapolitani regni iacturam illis adscribendam; quid enim Consaluus absque illorum ope potuisset? num ipsi Baroli eum aluerant atque sustentarant? num Germanis iter præbuerant? num Aluianum cum suis copiis ad Lirim miserant, vnde victoriam parauit Consaluus? num ipsi falsis delationibus Pontificem in Francicam gentem exacerbauerant? Sic conceptum odium vti effunderet, Maximilianum, Pontificem, & Ferdinandum in noui fœderis societatem appellat; & sua cuique ratio ineundi erat. Nam diu Pontifex vrgebat Ludouicum ad bellum indicendum Venetis; vt quas vrbes in Flaminia retinebant tandem reciperet; Maximiliano permolestum erat, quod ij suas vrbes atque arces nuper expugnatas non redderent, quod Aluiano decreuissent triumphum, suáque spolia barbaricorum instar appendissent in templis; & Ferdinandus vehementissimè cupiebat Neapolitani regni arces recipere, quas Ferdinandus iunior illis addixerat. Nihilominus non æquis animis in fœdus ventum est, nam Pontifex atque Ferdinandus, quanquam sua eripere Venetis admodùm cuperent, tamen tanti belli perspecta serie, *prouidebant penitus miscendam Italiam, ferocissimas gentes Francicam & Germanam euocatum iri, incendium facilè ab vicinis ædibus transmittendum in suas; quod excitaretur quidem nullo negotio, & egerrimè opprimeretur; accessuram Francis Cremonam cum agro opulento, plúsque ex æmuli commodo peruenturum ad se incommodi, quam commodi ex quæsitis vrbibus nasceretur.* Ita lentè ad vltionem & bellum pergebant. Maximilianus contra toto impetu vindictæ impatiens id concupiscebat. Et verò Ludouico opportunius fuerat abstinere à fœdere, suisque iniuriis vtilitatem præuertere; quæ enim societas cum infensissimis æmulis tuta esse poterat? aut quid iuuaret Rempublicam perdere, cuius maximè intererat, librare æquam potentiam Principum, ac vetare ne quis præpolleret in Italia, & qui ad Ferdinandum ob publicam vtilitatem se tam præceps conuerterat, eo animo debuit cum Venetis agere; vti prudenter Poncherius Episcopus Parisiensis instabat in consilio; sed non semper homines moderantur affectibus; & vindicta in Ferdinandum ardua, videbatur

in

in Venetos prona & facilis. Nec omninò Veneti à culpa immunes, non quod Regi clam aduersati essent, id enim fortè postulabant rationes suæ, sed quod fœderi non intercesserint; Pontificem aut Ferdinandum abducturi haud ægrè, si quid sibi detrahi passi essent, aut si delinire commodioribus verbis placuisset infensos: an prudentiâ nimiâ ab iis peccatum est, non credentibus eos societatem inire posse aut debere, qui inter se inimicissimi essent, ac quorum maximè referebat Venetorum potentiam illibatam esse. Ita securos latuit fœdus quod Cameraci contractum est. Contraxerunt autem Margarita Austriaca, Maximiliani filia, & Cardinalis Ambosius, simulantes se de rebus Gelrij agere; cuius defensionem Rex in Imperatorem susceperat. Eò dicti Principes conueniebant, vt Venetos subigerent, singuli fœderatorum ex sua ditione communem hostem aggredercntur; Pontifex occuparet Fauentiam, Ariminium, Cerniam & Rauennam; Maximilianus Patauium, Vicentiam, & Veronam, Forum Iulij, atque Treuisium; Ludouicus Cremonam, Cremam, Brixiam, Bergamum, & agrum ad Adduam; Ferdinandus Brundusium, Hydruntum, Tranium, Molam, atque Monopolin; qui primus suas vrbes recepisset, sociis in opem veniret; Ludouicus ineunte Aprili primus bellum inferret, & quidem præsens, nusquam per legatos; Maximilianus quadragesimo post die; Pontifex & Ferdinandus per legatos suos. Alia pacta de Ducatu Mediolanensi, & de administratione Hispaniæ, ab fœderatis sancita. Iuxta hæc placita fecialem ad senatum Venetum Ludouicus misit, qui bellum indiceret; & indictum statim per Ambosium prætorem Mediolanensem delibari iubet. Ille ineunte Aprili sex peditum millia, equitum tria trans Adduam ducit, agrisque vastatis, Cassianum & Casalem maiorem expugnat. Pontifex interim in hostem publicum fulmina expedit, diploma acerrimum, quo sacris Venetos interdicebat, vrbes & facultates inuadenti dabat, ipsáque capita seruituti subiiciebat atque mancipabat. Iámque Rex vim facturus fulmini, transgressus Alpes, cum viginti peditum millibus, equitum decem ad Adduam flumen peruenerat. Nec Veneti se in malum imminens indiligenter muniuerant, atque in primis Oratores ad Pontificem, Imperatorem, & Ferdinandum miserant, si qua obsecratione eos à societate abducerent; sed cùm tardiùs eo functi officio essent, nec iam integrum Principibus esset datam fidem abiicere, conuersi erant ad vim repellendam. At in sinistrum omen acceperant, quod arx Brixiana fulmine icta corruerat; atque incẽdio naualis ædificij perculsi erant atque attoniti; eo quippe ingens pulueris tormentarij vis, triremes duodecim, multa ad fabricandas naues materia, momento conflagrauerant; præmonente Deo frustra arma in proximam calamitatem parari. Nihilominus forti animo exercitum instruunt, quem Ludouico opponerent; nam hinc tota belli moles incumbebat; erántque duo millia equitum armaturæ grauis, totidem Albanorum, ac triginta millia peditum; cuius duces Nicolaus Petilianus cum summo imperio, Bartolomæus Aluianus cum proximo, vterque ex Vrsinorum familia; additi à Senatu duumviri; illustres patricij, Georgius Cornarus, & Andreas Grittus; patribus vetantibus ne quam aleam pugnæ tentarent.

LVDOVICVS XII.

Fœdus Cameracense.

Anno 1509.

Dum

LVDOVICVS XII.

V.

Pugna ad Adduam.

Dum ij Trenium oppidulum expugnatum diripiunt, Rex cum exercitu Adduam traiicit, atque extemplò pontes deturbari iubet, ne quid spei militi præter victoriam esset, & necessariò pergerent, quibus omninò abscinderetur regressus. Ducebant primam aciem Trivulcius, Palilla, & Curronus; mediam ipse Rex, comitantibus Antonio Lotharingiæ Duce, Gelrio, Niuernensi Comite, atque Albinio; postremum Longauilla, cum Marchionibus Mantuano & Monferratensi. Vbi ad hostem peruenit, nec pluribus velitationibus ad pugnam elicit, & ipso immoto Riuoltam expugnat; mutato consilio ipsum inediâ premere statuit, eámque ob rem motis castris ad Pandinum contendit, quod oppidum si obtineret, interciperet commeatum, quem hosti Crema & Cremona submitterent. Veneti Regis perspecto consilio, mouent castra pariter, & Pandinum versus exercitum agunt, primi destinatum oppidum occupaturi. Duo itinera eum in locum ducebant, vnum inferius ad ripam Adduæ, propter amnis flexus tortuosum & longius; alterum superius & multo breuius, ob viarum compendia; primum Franci ingressi sunt, alterúmque Veneti. Porrò ipsorum duces discrepabant multùm sententiis; nam Petilianus, ætate iam senior, decocta per multam experientiam militari audacia, nec insçius, quam terribilis Francorum impetus foret, stans Senatus decreto, abhorrebat à pugna, atque hostem diuturnitate belli impugnabat; contra Aluianus, annis iunior; efferuescente ad Martem sanguine, intumescens victoriâ de Germanis relata, necdum vlla clade maceratus, expetebat prælium; in palmam iam intentus haud dubiam, Regémque Franciæ adscribens in materiam gloriæ. Cùm igitur pugnam imperio quo inferior erat, non posset indicere, eam arte studebat conficere. Propterea auctor in consilio fuerat, vt eo ipso die castra mouerentur; cúmque festinandum properanter fuisset, & via breuiore occupari Rex poterat, de industria lentiùs incedebat, vt Regi occurreret, essétque opportunitas dimicandi. Nec res euenit secus quam optauerat; quippe cùm duo gemina itinera in vnum conuenirent ad pagum, cui Agnadellum nomen, simul viæ caput ingrediuntur, primum Francorum agmen, & Venetorum postremum. Ad aspectum mutuum atque improuisùm perculsi sunt aliquantùm, (nam interiecta vtrique viæ virgulta, densæque arbores, conspectum hactenus prohibuerant; recedunt tantulùm, quasi aciem disposituri. Nec Aluianus cunctatus, lætus processisse consilium, in proximo colliculo sex tormenta collocat, iuxta in vineris peditem, atque tectus præterfluente riuiolo, Petilianum monet quo res in loco sit, & necessariò pugnam ineundam. Petilianus siue ratus à pugna abstineri posse, siue æmulum in discrimen certum coniecturus, iubet eum iter festinare, & ipse suo cum agmine vltra pergit. Aluianus periculo cupiditatem laudis incendente, ductum trans torrentem equitem in Francos immittit. Ij primo impetu fracti propemodùm, retrò ad secundum agmen impelluntur, quod Rex cùm duceret, instauratur pugna, móxque Veneti ad colliculos suos retruduntur. Tunc enim verò grauis oritur dimicatio; loci opportunitate Venetos in Francorum impetum propugnante: tormenta ex colliculo librata latè stragem in subiectos

Giaradadda.

Francos

Francos inferebant; pedites torrente & vinetis tecti ab equitatu securi, suo magno commodo dimicabant; iámque Francorum plures ceciderant; Rex ad primos progressus ordines, obiiciebat se certo periculo; nec paucos ad eius latera tormenta conciderant; imò dicto egregio fortitudinem animi commendabat; cùm enim à plerisque rogaretur, vt augustissimum caput præsenti discrimini tandem eriperet; *Globi*, inquit, *machinarum, Regem Francia non audent contingere; si quis timet, se tergo meo tegat.* Eo exemplo Franci inflammati, per hostium tela transmisso fluuiolo, tum pedites, tum plerique equites effusi in pedes, enituntur ad collem, machinas inuadunt, hostémque è vinetis in subiectos agros deturbant; nec ideò dimicatione cessatum est, Aluiano suos incendente ad prælium, pugnantibúsque egregiè Bresinellis; ij pedites Itali qui Heluetiorum more arma tractabant; quósque Aluianus præ cæteris fouerat, induerátque coloribus suis, rubro & candido. Verùm circumfuso Francico equitatu, atque Albanis equitibus raptis in præcipitem fugam, contriti sunt pedites, captus Aluianus, alterum lancea perfossus oculum, totúsque exercitus in fugam actus est. Tribus horis pugnatum est, cæsi sunt è Francis quingenti, gregarij omnes propemodùm; cæsorum hostium incertus numerus; aliis iacturam minuentibus, augentibus aliis; videntur ad minimum cæsa decem millia; nam deleta est media pars exercitus; alteram Petilianus duxit incolumem, qui si venisset ad prælium, victoriam agebat in dubium, & forsitan reportasset; cùm pars ab vniuerso exercitu tam difficile profligata sit. Ita rem Venetam perdiderunt singuli Duces, alter audaciâ, alter prudentia, pugnando alter, alter abstinendo; adeò viis contrariis in perniciem itur; maximè cùm potestas diuiditur, & plura capita diuersa suscipiunt. Rex gratum in Deum animum vt demonstraret, eodem in loco ædem Mariæ Deiparæ posuit, quam Victoriæ Dominam dixit atque agnouit, & ea trophæa Christiano Principe digna sunt.

LVDOVICVS XII.

VI.

Pugnam consequuta.

Vix vlla victoria tantum fructum tam breui collegit; die post pugnam vigesimo quinto ditione sua spoliati sunt Veneti, tot tantísque vrbibus quas per ducentos annos magno labore, curâ & sumptibus comparauerant. Vno cursu victoriæ Rex Carauasium, Bergamum, Cremam, & Cremonam, nullo propemodùm vetante inuadit; si qui obsisterent, necabat suspendio, ad terrorem augendum, nobilésque Venetos qui in potestatem venirent habebat in custodia; mox Pischeriam arcem quam Veneti putabant inexpugnabilem, tormentis verberat, atque Vasconibus ac Heluetiis per ruinam muri scandentibus vi capit, cæsis præsidiariis. Veneti interea summo terrore affecti, præ desperatione clauum abiecerant; postquam audita est Aluiani clades, populus subita trepidatione insaniens, quasi iam vrbe in media versaretur Francus, ad Senatorum curiam aduolat, opem, consilium, & salutem malis flagitatum. Patres in tanta rerum perturbatione, spe deiecti victoriæ, quam Aluianus certam promiserat, quod vnum supererat, ad impetrandam pacem conuertuntur. Legatos ad Pontificem, Imperatorem, & Ferdinandum mittunt, nam ad victorem non ausi sunt mittere; qui conditiones omnes acciperent, purámque

Venetorum ingens trepidatio.

LVDOVICVS XII.

chartam suis nominibus subscriptam offerrent : sed reiecti Legati, & terror supra periculum incumbebat. Etenim Pischeriam Rex postmodùm capit ; ac tanta formidine perculsi sunt Patres atque prostrati, vt de vna salute vrbis solliciti, decreuerint omne terrestre imperium abdicare, validissimas vrbes deserere, & abscissis membris truncum vnum corporis reseruare. Ita missi qui vrbes in Flaminia Pontifici darent, Rauennam, Cerniam, aliáque oppida ; iussi magistratus, Patauio, Verona, Vicentia, cæterisque arcibus vrbibúsque decedere, quæ Imperatorum atque Austriacæ familiæ fuissent ; in Apulia Ferdinando redditæ, Brundusium, Hydruntum, arcésque singulæ, detractis præsidiis. Ita vna victoria plurimas peperit ; Ferdinando maxime promouente rem suam, & nullo sumptu ; quippe sex dũtaxat naues in id littus miserat, labore alieno, validissimas arces expugnante. Atque eo loco admirari subit, quanta sit regnorum, quàm subita Imperiorum conuersio ; præclarissima illa Respublica prudentiæ, constantiæ, & sagacitatis à pluribus sæculis specimen, vnâ dimidiatâ victoriâ eò desperationis abiecta est, vt plura perderet quàm victor hostis rapuerit ; sibíque omnium hostium infensissima, momento abscideriț, quod victorem hostem annis pluribus, vel fatigasset, vel exsaturasset. Nimirum Dei id opus est, qui aliquoties prudentiam humanam suo ductui tradit, permittit affectibus, clauum aliquantisper deserit dum procella sæuit ; ideò vt mortales, felicem prudentiam Deo, sibi infelicem atque euentu cassam adscribant. *Quanquam* in ea calamitate Patres vno maximè constiterunt sibi, quod oblata à Turcis auxilia, deficientibus omnibus, forti & Christiano animo repudiarunt rati certam perniciem honestiorem esse ope tam turpi. Et verò postquam Deo & mortalitati fecerunt satis, formidine sua & calamitate ; receptis illicò animis, & fortitudine reuocata, se maioribus dignos præstiterunt, magnis ærumnis prosperitate redemptâ, & primo illo metu intrepida audacia vindicato. Ac primùm saluti trepidantibus fuit Lodouici Regis moderatio, qui victricibus copiis modum fecit, sibíque vltrò carceres posuit. Etenim Veronam & Patauium cùm cepisset, eas Legatis Maximiliani restituit, ne præsidio quidem introducto ; & postquàm Venetos petitas vrbes deseruisse comperit, quasi debellatum esset reducit exercitum, séque Mediolanum recepit. Magna proculdubio fide & temperantia, cui odium atque ambitio intra officium fuit ; federisque sanctitas gloriæ loco atque victoriæ. Ea temperantia restituti Venetis animi, iam sperare perditis rebus salutem aliquam ; cùm is abscederet, quem iam in vrbem, in tecta, & curiam peruasisse crederent, sibíque ipse obiiceret aggerem. Concepros animos promouit, Imperatoris lenta cunctatio, qui imparatus ad necessaria, dum moras in scribendo exercitu fecit, posteà in Vicentinis rusticis domandis commodum tempus impendit præposterè ; Venetis spatium dedit recuperandi Patauij ; muniendi, ac propugnandi : Atque ij deinceps tantis animis, tantáque fortitudine se gesserunt tot inter aduersa, vt nouâ gloriâ ignominiam primam expunxerint, gradúmque posuerint ; quo rursus in apicem primum ascenderent, & fortunam fugitiuam assequerentur. Accessit, quod à Pontifice Iulio in gratiam admissi sunt, & conciliati

cum

cum Ecclesia, reuocatis diris, oppressisque fulminibus. Ludouicus præterea reuertit in Franciam, præpropere omnino, traditis Maximiliano septingentis Cataphractis, & quatuor millibus peditum, præfecto Palissa; nec regressus est, nisi instaurato cum Pontifice fœdere; quanquam questus plurimùm, quod Venetos tam facilè recepisset in gratiam. LVDOVICVS XII.

VII. *Belli causa contra Pontificem.*

Vix Franciam tenebat; inter suorum gratulantium plausus, cùm noua belli seges & molestissima quidem enascitur. Diu Iulius Pontifex clam dissentiebat à Rege; quippe Regis in Italia vires atque auctoritas, permolestæ ipsi erant, & Amboisius priuatim excitabat inimicitias; qui in ambiendo Pontificatu æmulus fuerat, & credebatur eandem spem alere aut cupiditatem; imò quidpiam de conuocando Concilio inaudiuerat Iulius; & Legati authoritatem patiebatur inuitus, in eum conferri, Francià quodammodo à Romano censu & potestate abscisâ. Ita conceptum in Amboisium odium, in Regem atque Rempublicam vertebatur; quando Regis mens regníque fulcrum Amboisius erat. Prorumpebant identidem scintillæ odij, ac se Iulius aperiebat, tectúmque incendium; sed hactenus Amboisij prudentia Regisque pietas flammam restinxerant, obductis cineribus, atque amoto longiùs fomite. In præsentià, causa leuissima, iam dispositis inuicem animis inflammauit incendium, quo Europa propemodùm tota conflagrauit. Obierat in Aula Romana Phocensis Antistes, illi successorem inconsulto Rege designat Iulius; Rex id contra pacta factum expostulat, & secus quàm Cardinalis Ticinensis ipsi promisisset, asseuerat Iulius nullo pacto id cautum; nec audebat Cardinalis metu Pontificis promissum dicere; ita stante in sententia Pontifice, Rex, quanquam obtinente multùm Amboisio, Pontificum & Sacerdotum Mediolanensium, qui Romæ agebant, reditus annuos, seponi iubet, ac dari sequestro, dum aliud videretur. Sic offensione mutua quidquid beneuolentiæ erat extinguitur, atque inquiritur quomodo tandem prorumpant odia. Tempus instabat quo Helueticum fœdus desinebat, crátque nouum instaurandum, vt cum Rege societas staret; clam curat Pontifex, ne Heluetij de instaurando contenderent, tum propius ad belli causam se admouens, Ducem Ferrariensem aggreditur; is erat Alphonsus Regi fœderatus atque ob arctam in Francicum nomen fidem acceptus. Causa dissidij Comachium vrbs in Flaminia; quæ ad mare Superum posita affluebat salinis; diu Ferrariensium ditioni adscripta: erat pariter in eadem prouincia Ceruia, nuper Pontifici à Venetis tradita, conficiendo sali opportuna; verùm Comachium cùm longè meliorem & vberiorem salem excoqueret, eum Flaminia ac propemodùm Longobardia tota commodiore pretio comparabat; salinis Ceruiæ repudiatis, ac nullius iam pretij. Eam ob rem Pontifex cùm vectigalia valdè imminui cerneret, Comachium repetit quasi feudum Ecclesiæ, quod esse imperij profitebatur Alphonsus. Expostulabat etiam Pontifex, quod Ferrariensis quædam vectigalia exigeret à nauigiis Pado in mare Superum vectis; ídque clientis in dominum culpæ assignabat. Bellum interim progrediebatur in Venetos: Maximilianus arctiori fœdere se cum Rege adstrinxerat; Ferdinandus assentiebat in speciem, & copiis fœderatorum ca-

LVDOVICVS XII. Chaumont. le Polesin.

taphractos quadringentos adiunxerat, nondum societatem ausus eiurare, recepto iam præmio; atque Insubrium Prætor Ambosius, quem Calmontium in posterum dicam, comite Duce Ferrariæ, Polesselianam ad Padum peninsulam eripuerat Venetis; duobus lancearioru millibus, & duodecim peditum sub vexilla ductis, iique postmodum Principe Analthino quatuor Germanorum millia adiungente, in Vicentinum agrum effusi; Vicentiam, aliásque vrbes expugnauerant; Bajardo dimicatione fortissima duo Venetorum millia concidente. Dum hæc geruntur; de dirimenda Ferrariensis controuersia Rex amicè agebat cum Pontifice; erátque spes sopiendæ discordiæ, nisi Regis Legatus in contraria omnia instigasset. Is erat Albertus Pius Carporum Comes; qui priuata odia in Ferrariensem exercens, quod Carporum partem Hercules Alphonsi pater occupasset, veritúsque ne Alphonsus concupisceret alteram partem; odio & metu accerrimis impulsoribus, quem mitigare debebat, Iulium incendebat, Regísque causam prodens, intendebat vindictæ; rara in iis fide, quæ vtilitate parata est: & discordiæ facem incendit mors Cardinalis Amboisij; qui morbo extinctus est; prorsus inculpatus, & dignus tanto Principe tantísque rebus administer; nemini vnquam infensus, gratiam atque potentiam ad beneficentiam impendere solitus; priuatas opes non accumulauit; vno contentus sacerdotio, & erant insulæ Rothomagenses; rei sacræ commercium nusquam instituit; sincerus & candidus in tractandis negotiis, longè à fraude & perfidia abhorrens; dicitur tiaram ambiuisse nimio studio; quanquam ea ambitio publica potiùs quàm priuata erat; hoc est concepta boni publici causâ non priuati; nam sui conscius, videbat quem animum quásque dotes in dignitatem summam induceret. Quàm vtilis suæ Franciæ fuerit, tam carendo patuit, quàm fruendo; Rege sæpius desiderante, quem auctorem sequi posset ac vellet. Id enim verò non latebat Iulium, qui post raptum Amboisium ardentiùs inceptis institit, nec tantoperè gauisus est sublato æmulo, quàm amoto gubernatore, qui procellas frangeret.

Ambosij Cardinalis mors.

VIII. *Hispani & Heluetij Iulio adhærent.*

Per eos gradus progressa discordia, iamiam eruptura, comparat socios; Ij Hispani erant atque Heluetij; & quidem Hispanos non dubitabat Iulius quin ad se alliceret, gnarus quantùm Ferdinandus à Ludouico metueret; nec eum bona vnquam fide reconciliatum. Idque adeò vti perficeret, Ferdinandum admittit ad Neapolitani regni clientelam, eâdem lege qua Alphonsus senior, quod pernegauerat hactenus; atque in Pontificis gratiam Ferdinandus, vt erat fœderum concinnator egregius, nuper cùm Ludouicus pacem contraheret cum Henrico VIII. Angliæ Rege, eam conditionem insinuauerat, vt pax nulla esset, si Ludouicus aggrederetur bello Ecclesiam; porrò Henricus Catharinam Ferdinandi filiam vxorem duxerat. In demerendis Heluetiis plus impensum curæ atque industriæ: id perfectum tandem Schineri operâ, atque adeò ipsius Regis. Matthæus Schinerus, humili loco & origine, sed ingenio præditus atque altitudine animi, litterarum studiis primùm commendatus, per plura sacerdotia, ad Episcopatum Sedunensem peruenit; atque vt sacris admisceret profana, aulæ cupidus, auctoritatem apud Heluetios populares Ludouico ostentat, & venalem

Schiner.

Sion.

nalem exhibet, si se Ludouicus præstet emptorem. Verùm cùm maiori pretio æstimaret operam, à Rege spretus est, affirmante non adeò sibi viris opus esse, vt tanti vnum emat; & is erat optimi Principis nævus, quod pecuniæ infra Regem parceret, tametsi non tam suæ parcus, quàm publicæ, ne vllo grauiori onere subditos premeret. Sedunensis indignatus flocci haberi industriam suam, ac se ostensurum iuratus, quanti esset vir vnus, ad hostes Franciæ se atque operam totam addixerat; primùm Sfortiæ, postmodùm Maximiliano, postremùm Iulio, perpulitque Heluetios frequenti laude facinorum quæ patrauerant, vt se ipsi pluris facerent, atque à Ludouico plura reposcerent; mox incensis adhortationibus vt Iulio atque adeò Christianæ Ecclesiæ, se res suas, & clarissimam toto orbe militiam darent atque consecrarent. Imò Ludouicus studia multùm promouerat. Heluetij per fœdus cum Ludouico XI. initum percipiebant in pensionem annuam sexaginta librarum millia; iam transacto tempore fœderis, pensionem augeri flagitant; obtendentes commoda, fructúsque plurimos ex militia sua in Franciam his proximis bellis deriuatos; at cùm id postularent audaciùs, & multo tumore sua facinora exaggerarent; Rex vanitati & cupiditati succensus, magno contemptu eos à se abiicit, indignatus montanos rusticos, sic enim vocabat, Franciæ Regi tantum vectigal indicere. Móxque vt depulsis dolorem inureret, suscitatis æmulis, cùm Rhætis atque Valesiis contrahit societatem, qua in re duobus affectibus obsequentior, iræ & parsimoniæ, res suas & publicas in discrimen coniecit; nec admisit consilium negantium abrumpendum fœdus cum ferociſſima gente; *pedites Heluetios in Europa tota fortissimos, Francos equites eodem in pretio ac terrore esse; hos inuictos fore quandiu illos sub signis habuerint: ignoscenda viris fortibus verba audacia; nec parcendum pecuniæ, qua laus, victoria, & præmia locupletissima comparantur; Regi, cùm sit omnium pater, priuatos affectus minquam audiendos.* Rex hæsit in consilio pertinax; túmque primùm Cardinalis desideratus est, qui ipsum ad meliora, prudentiâ verteret, atque insinuaret quod præstaret exequi, non quod iuuaret. Repudiati Heluetij Iulio se tradunt, quanquam minore stipendio, quam quod à Ludouico exegerant; Sedunensi Pontifice pietatem & religionem in stipendium amplum appendente. Iis præsidiis munitus Pontifex, postquam à Rege Maximilianum auellere frustra conatus est, bellum incepturus, Ducem Ferrariensem fulmine Ecclesiæ vt rebellem afflat, statimque ad belli molem accinctus, ex Italia pellere Francos aggreditur. Mediolanenses exules atque Heluetios mouet; illos qui clam Genuam inuadant, eos qui palam in Mediolanensem Ducatum irrumpant. Verùm hic conatus primus irritus fuit, & maiori strage Italiæ tanta támque ardua res erat obeunda. Cùm exules susceptum consilium lentiùs atque apertiùs, quàm postularet res, exequerentur, spatium fuit Ludouico Fliſco Genuam introducendi octingentos milites, & Preianes classe ad portum adducta, Venetorum naues metu in fugam egit. Sic prima illa spes effluxit; nec aliter discussus ab Heluetiis metus. Ij collecti ad decem millia, per Belinzonam, quod proximum iter, ad Trissium fluuium admoti, sexcentos Francos qui ponti præsidio erant,

Lvdovicvs XII.

Bellum illatũ à Iulio.

Anno 1510.

LVDOVICVS XII.

primo impetu pellunt; tum ad læuam flectentes, ad Vedani pontem perueniunt. Eum insidebat Molardus cum Vasconibus, verùm ab Heluetiis superioribus numero haud ægrè pellitur, viámque ipsis ad interiora permittit. Adequitabat Amboſius cum cataphractis quingentis, ducebátque peditum quatuor millia, nam cæteras copias in Veronensem agrum ad Cæsarianos dimiserat; ideóque inferior, conserere non ausus prælium, nec frontem obuertere, carpebat latera, atque alimenta præripiebat. Cùm interea quartis castris Comum hostes peruenissent, atque ambigerent Franci in quam partem conuerterent se; ij repente omissa expeditione, quam destituti pontibus, tormentis, & commeatu susceperant, regrediuntur in patriam; Calmontio parcente euntibus, sat feciſſe ratus, quod à procella se eripuisset. Nec ideò Iulius à consilio destitit; sed Marchionem Mantuæ, quem à Venetis liberari curauerat, summum militiæ Prætorem dicit (Confalonerium Ecclesiæ vocant) adiuncto Nepote, duce Vrbinate; tum diras pronuntiat in eos qui contra se militarent, Calmontium speciatim designans, suúmque exercitum in Ferrarienſem agrum immittit.

De Vedan.

IX. Interea Maximilianus conciliandæ paci intendebat; à Iulio sæpius de auxilio compellatus, cùm nec Ludouicum deserere vellet, nec in Pontificem bellum susciperé; dissentientes reuocare in amicitiam studebat; atque in id votum acceſſerant Electores, & ipſi à Pontifice appellati, Florentini, cæteríque; idque Veneti peroptabant summoperè, qui tædio belli tam ardui, & metu futurorum haud difficulter ab armis ceſſaſſent; atque Imperator Gurcensem Pontificem sibi acceptissimum, oratorem ad Iulium destinauerat, vt pacem conficeret. Neque abs re videbatur consensurus Iulius. *Quibus enim præsidiis rem tantam támque difficilem aggrederetur; Francos ex Italia pellere; hoc est bellicosissimam & potentissimam gentem deturbare munitissimis vrbibus, eóque calamitatis adigere, vt tueri parta non possit, & cum clade perpetuam ignominiam perpeti; Iam deficiebant Heluetij, & tentatis frustra Insubribus, ferocitatem abiecerant; praterea qui aureis dumtaxat pedibus ingrederentur; vnde immensæ opes, quibus promouerentur tantæ corporum moles? Ferdinandus in bellum parum admodum conferret; assuetus arte grassari, alienis sumptibus augere sua commoda, & tragœdias sociorum spectare è proscenio; In Venetis plus impensæ apponi quàm fructus exigi; qui iam cladibus & miseriis fracti, bellum traherent potiùs ac ferrent, quàm gererent, viris exhausti atque pecunia; quibus quiete & otio, non labore & bello opus ad valetudinem foret; porrò Anglus longius ab Italia distabat, nuper initum fœdus cum Franco vix nulla oborta causa soluturus.* Ita rem æqua lance pendentibus videbatur pax certa. Attamen Iulius in contrarium raptus, nouam paci optatæ conditionem adiecit, vt Genuæ libertas daretur, licerétque suis legibus ciuitati agere. Eo modo abrupta pax. Igitur Ludouicus postquam necessitas belli indicta est; gnarus in quem hostem arma capesseret, cui religionis atque Ecclesiæ nomen pro clypeo foret, vti se in hæc arma communiat, Episcopos totius Galliæ Turones conuocat, atque apud eos Guillelmus Brissonnetus Antistes Maclouiensis & Cardinalis conqueritur; *Regem nulla*

Iulius pacem repudiat.

Rex Episcopos conuocat.

sua

sua culpa à Pontifice impeti; ab eo vim Ferrariensi Duci inferri, vna de causa quod Francis socius & amicus esset, simul statuisse Francos omnes ab Italia pellere; Regem adhibuisse omnem industriam vt ab irato pacem exoraret; perstare iram Pontificis, bellumque iniquissimum palam indicere; Regem flagitare quid in eo rerum articulo sibi agendum sit. Atque vt responsum certius habeatur; ab cœtu Præsulum octo potissimum postulata; quorum erat hæc summa, an liceret vim iniquè illatam à Romano Pontifice armis repellere; vno consensu responsum est, repelli eam posse; nec metuendas diras si adiungerentur; imò posse iuxta Concilij Basileensis decreta Regi Regnóque consuli, more maiorum. Postremò sancitum vt ea significarentur Pontifici, atque is rogaretur suppliciter vti à proposito bello absisteret; si recusaret, compellaretur indicere generale Concilium, vt à patribus Basileensibus statutum fuerat. Iis constitutis, vetuit Rex, ne quid pecuniæ aut litterarum Romam deferretur; & ipse anno reliquo hæsit in Francia; cunctatione præpostera, cùm Pontifex arma indueret, nec voce iam promoueret bellum, sed manu & ferro. Quippe Mirandulam munitam arcem in Flaminiæ finibus, difficillima hyeme vi expugnat. Eam obtinebat Franciſca Trivulcia Ioannis Iacobi filia, ex Francisco Pico liberorum mater, generosi animi femina; habebátque præsidium ex Francis Italisque militibus, præfecto fratre Alexandro Trivulcio; fecerátque spem certam submittendæ opis Calmontius. Arcem peropportunam consiliis suis, & possessam à Trivulcia gente sibi odiosa, inuadere vehementer optabat Iulius; atque adeò sub autumnum quanquam incommodo tempore impugnari iusserat. Verùm cùm lentiùs quàm ipse cuperet res progrederetur, è graui morbo vix dum recreatus, in castra contendit; ac susceptâ curâ expugnationis, nulli labori, nulli periculo parcere, vti arcem ad extrema adigeret; videbatur annis grauis, nam septuagesimum decurrebat, ea vir dignitate, loricam indutus, ac succinctus ensem, frequens in suggestibus tormentariis, machinas bellicas in muros librare; diu noctúque vigiles curas obire, immittere milites ad impressionem, frigidos imbres atque asperrimum gelu sub tabernaculo perpeti, munúsque implere tum ducis tum militis. Nec à periculo immunis solicitudo hæc fuit; sæpe vibratis in eius tabernaculum tormentis hostium; vt semel duo domestici in culina eius occisi sint, & ipse tabernaculum commutauerit sæpius; vix tamen vnquam è castris digressus. Tanto ardore vicit tandem hyemem, & fortitudinem hostium; nam Mirandulani desperatis auxiliis, cùm murus iam magna parte prostratus, & fossarum aquæ alto gelu constrictæ, hostem admitterent, parantem in proximam diem oppugnationem; pacti sunt deditionem, Trivulcia cum bonis & liberis abire permissa; sed Alexandro, & quibusdam centurionibus captiuis. Iulius moræ impatiens, cùm in arcem portis obstructis non illicò pateret aditus, in eam per muri ruinam sublatus, sensum victoriæ magnum percepit. Paulò post Calmontius dolore vt creditur vitam posuit; quod eam arcem contra quam spoponderat non seruasset; iam ab Cardinalis patrui obitu, obnoxius tum inuidentibus, tum iustè expostulantibus: & ferebatur condonare multa militibus, ne quid in

LVDOVICVS XII.

Mirandula capta.

se

LVDOVICVS XII. X.

se proferrent. Trivultius Mareſcallus Franciæ, copiis præfectus eſt, dum nouum ducem Rex diceret.

Ferraria ſeruata.

Iulius expugnata Mirandula, in ampliorem accenſus ſpem, vt felicitati procliue eſt ad maiora aſſurgere, Ferrariam ipſam belli caput oppugnare ſtatuit; rem facilem arbitratus, ſi Baſtiam Geniuolanam eriperet. Ea viceſimo quinto milliari ſupra Ferrariam, cibariis aditum aperiebat in vrbem, Venetis inferiorem amnem occupantibus; vt ſi Baſtia ſemel eriperetur, breui Ferraria omnium rerum inopia laboraret. Nec temerè ita Pontifici viſum. Extemplò Baſtiæ quam viginti quinque homines tuebantur, Fortius dux Venetus octo hominum millia admouet; & deiecto muro in ſequentem diem aggreſſionem comparat. Inſuperabile malum videbatur, premebátque Ferrarienſem Ducem ruina Caſtelli, quæ Ferrariam ipſam profligaret. At Bajardi conſilium, & præſens animus, periculum diſcutit, magno hoſtium malo atque dedecore. Auctor eſt Duci, vt continuò nocte ipſa aduerſo Pado nauigent pedites; atque ita nauigiis impoſiti Franci bis mille octingenti Heluetij; (& ij militabant inuitis popularibus) tum ipſe cum Montoyſonio, expeditionis ſocio, ducentos ducit Caraphractos; & ij omnes ad inſcium hoſtem prima luce propè admouentur; mox Bajardus duabus ex partibus impreſſionem inſtituit; ingenti tympanorum ſtrepitu, & tubarum ſonitu; nec cunctati hoſtes ruunt omnes in alteram partem, pellúntque Heluetios; cùm ad tergum vrget Dux improuiſus, atque incautos inuadens, cædit paſſim agítque in fugam; cæſa tria peditum millia ex Pontificiis, capta tormenta & impedimenta, & liberata metu Ferraria: hoſtilis equitatus maturâ fugâ ſeruatus eſt. Eo facinore compenſata penè Mirandula, & Iulij proſperitas paulò retracta; at animi flammæ nequaquam reſtinctæ. Non ceſſábat interea Maximilianus paci contrahendæ incumbere, miſerátque Gurſenſem Epiſcopum vt rem conficeret. Et quidem exceptus à Pontifice magnâ honoris pompâ, cùm ſe ſuperbiùs atque arrogantiùs gereret, nec Pontifex ſincerè pacem admitteret, bellum interuallo breui ſopitum conſurgit. Illud extemplò celeritate magna Trivulcius mouet, ac tametſi exercitu adhuc inualido, concordiam capit, & ad rem maioris momenti animum applicat. Erant in eius caſtris Bentiuoli, nuper à Iulio pulſi Bononiâ, & quidem Rege opitulante; ea in vrbe in qua diu Bentiuoli imperium tenebant, factionem alebant ciues quamplurimi; quorum ope freti perſuadent Trivultio poſſe vrbem capi. Ille eam in ſpem tertiis caſtris ad Lauinianum pontem perueniens, quinto Bononia milliari diſtabat: cùm Iulius qui Bononiæ agebat metu perculſus, ne quid fortè factioſi ciues in ſalutem ſuam machinarentur, ſtatuit vrbe decedere, verùm antea ſeruandæ ipſi intendere. Ea de cauſa quadraginta optimates in palatium vocat: præſentes alloquitur, *de periculo proximo certiores facit; imminuit tamen quantùm poteſt; docet audaciam hoſtium à Bentiuolorum deſperatione profectam; ipſos ardere tyrannidis renouandæ ſtudio; imminere cupiditate prædæ inflammatos, & ſiti ſanguinis; graſſaturos per omnium capita, nec crudelitati fore vllum repagulum, niſi quod ciues ipſi poſuerint, quare iis eniſendum vt repellant audaciam; adeſſe nepotem ad portas cum ſubſidiario milite;*

Montoyſon. Anno 1511.

Bononia capta.

milite ; eo si vtantur , suósque animos ad obsistendum confirment ; frustra futuram tyrannorum amentiam ; salutem vrbis in ciuium animis positam esse : se Rauennam ob rem magni ponderis proficisci , rediturum extemplo , & fortissimis ciuibus pramia largiturum ; interea Duci Vrbinati quem dixerat , & Cardinali Ticinensi obsequium præstent. Ad ea ciues , gratiis actis, quod se Pontifex à Bentiuolorum sæuitiâ vindicasset , atque exaggerato magnificis verbis beneficio , spondent seruitutem perpetuam , séque omni conatu depulsuros publicum hostem , suæque patriæ nefarium parricidam. Iulius hac pollicitatione confirmatus, deducentibus Hispanis equitibus Rauennam contendit. Administrabat vrbem Cardinalis , dux Vrbinas cum exercitu tribus ab vrbe milliaribus , copiis Francicis intendebat. Vix Bononia exierat Pontifex , cùm apud ciues tumultus instituitur. Plerique affines Bentiuolis , alij socij & rapinarum participes *felicitatem regiminis sui commendare , deplorare conditionem ciuium atque ciuitatis , quod miseriæ omnes simul cum imperio Iulij irrupissent , esse ad portas geminum exercitum , tam infensum qui defenderet quàm qui oppugnaret ; facultates suas in proxima messe constitutas ; vastatum iri agros , villas incensum , succisum arbores ; quid si Francus in vrbem irruat ? quis obsistendi modus ? quis repellendi ? an non præstet Bentiuolum semel excipere , amicum , popularem , suos intra muros natum , educatum , imbutúmque legibus suis , séque tot tantisque malis eripere ?* hæc cùm plures dicerent , præcipuè Laurentius Arioſtus , Bentiuolæ factionis defensor acerrimus , & vnus ex quindecim vrbanis Centurionibus ; plurimi arma corripiunt , re propius ad seditionem vergente. Iis auditis Cardinalis Ticinensis, postquam seditiosos in castra ad Vrbinatem mittere frustra tentauit , perculsus formidine, veste mutata , è postico palatij in arcem euasit , relictâ in prædam supellectile pretiosâ ; nec se arce tutum ratus , Forum Cornelij præceps confugit. Intellectâ Cardinalis fugâ tumultus augetur, quem adeò prudenter Arioſtus regit, vt ciues ad portarum vnam impetu facto , per eam effractam vocatos Bentiuolos vrbe admiserint ; nulla pugnâ aut cæde , præter quam ad Rheni pontem, in quo Pactius strenuè pro Pontifice pugnans victus & captus est. Haud se vna vrbe concluſit fors prospera ; nam metus ex muris in exercitu peruasit. Vrbinas prima noctis vigilia , impellente formidine castra soluit, & fugæ propior recipit militem ; relictæ plures sarcinæ , commeatus atque tentoria ; imò aliquot ciuibus & rusticis insequentibus, direpta impedimenta , tormenta bellica abiecta , aliquot è postremis cæsi , cæterique in fædam fugam effusi sunt ; adeò pugnantibus nihil suo metu terribilius , aut perniciosius. Arx diebus proximis reddita , atque ipsa vrbs à Trivulcio permissa Bentiuolis. Ex eo Pontifex cùm dolorem magnum accepisset , longè maiorem inussit Cardinalis Ticinensis cædes ; quem sibi percharum , atque excitum vt Bononiensem casum excusaret ; Rouereus dux Vrbinas Rauennæ occidit , pugione in pectus impacto ; quod ipsius culpâ atque ignauiâ , Bononiam perditam & profligatas copias diceret. Ob atrocem cædem grauiori molestia exacerbatus est Pontifex , quod interdictâ vltione irâ (quomodo enim suum ipse sanguinem funderet ?) impunè tantum flagitium foret ; auctúsque in immodicum dolor, quod Rauennâ Romam se conferens, vidit

LVDOVICVS XII.

LVDOVICVS XII.

vidit palam affixa programmata, quibus indicebatur Pisis Concilium, atque ipse, vt coram se sisteret, vocabatur. Eius autem Concilij (quoniam in Christiano Orbe magnæ famæ fuit) quanquam ad Scriptorem Ecclesiasticum plurimum pertinet, seriem quantum ad rem meam facit, delibabo.

XI. *Concilium Pisanum.*

Tres Cardinales infensi maximè Iulio, Romá Mediolanum secessérant, Bernardinus Caruaialius, Franciscus Borgia, Hispani; & Guillelmus Brissonetus Francus; iis sex alij adhæserant, Philippus Lucemburgius, Adrianus Cornetus, Renatus Baiocensis, Carolus Finarius, Fridericus Sanseuerinus, & Hippolytus Estensis. Illorum tres quos primos appellaui, suo & consortium nomine (rogantibus Cæsaris Regísque legatis) Concilium in Calendas septembres Pisis indicunt; ad concordiam Principum Christianorum, bellum contra infideles conficiendum, & reformandos Ecclesiæ mores, tam in capite quam in membris; idque iuxta placitum Concilij Constantiensis; quam conuocationem cùm negligeret Iulius Pontifex, Cardinales vti Ecclesiæ patres ex munere dignitatis laboranti Ecclesiæ occurrisse. Id telum haud dubiè in vnum Iulij caput collimabat, cuius electioni vitium impingebatur minæque instaurabantur, repetendi Concilij Constantiensis, ipsiúsque Pontificis deponendi; eúmque ob merum Iulius vt se suásque partes confirmaret, octo in Cardinalium dignitatem adlegerat; in quibus Schinerius Sedunensis Antistes, Christophorus Eboracensis Regi Angliæ acceptissimus, atque Antonius de *Monte*, Aretinus, insignis Legum & gerendarum rerum peritiâ. Atque Pontifex, Aretino ipso auctore vniuersale Concilium in proximum annum indicit, habendum in Basilica Lateranensi; quæ machina Pisanam Synodum prorsus euertit. Nihilominus Cardinales Pisani rem vrgent, & pleríque Episcopis è Francia conuenientibus Pisas opus inceptant. Promouebat Maximilianus consilium à Sanseuerinate inductus in spem occupandæ tiaræ; nam obierat coniux; & coronam Pontificiam Imperatoriæ adiungere vehementer ardebat. Qui Antistites Synodo interfuerint, quid porrò egerint, quid tentarint, accuratè narrant Annales Ecclesiastici; ea recensere quando non est propositi mei; satis sit obseruare post sessionem alteram repente Pisis Mediolanum fugisse Antistites; nam cùm Pisas Francorum cohortes aliquot insiderent, orto inter ciues militésque iurgio, cùm ad arma ventum esset, cæsi aliquot, multíque saucij, ideò Patres subitò perterriti, raptim habita sessione tertia, vrbe abscedunt. Mediolani accepti parum gratis Sacerdotum animis, pergunt in instituta prouincia. Iidémque postea ob Mediolanensem calamitatem, Lugdunum vocati, in eâdem scena actores egerunt, ad Iulij mortem; qua audita Romam petentes vt suffragia in nouum Pontificem dicerent; accepta Leonis X. electione, vltrò ad eum profecti, & amicè excepti, factam Ecclesiæ plagam persanarunt. Nec vnquam Regi animus fuit, charissimam matrem Ecclesiam Schismate scindere, aut ab eius ductu atque ouili sese abiungere; testatus plerúmque eam se artem fouere plurimùm, ad absterrendum Pontificem, atque æquam pacem obtinendam; idque mimicum esse ludum qui sub personis ageretur in scena; quanquam rebus sacris ille abutitur,

Anno 1513.

abutitur, qui in profanum vſum deriuat; & fortaſſe tam Iulius quàm Ludouicus peccarunt; cùm ille fulmen Eccleſiæ ad armandam priuatam vindictam in Regem immittit; hic cùm ad vim repellendam retorſit in Pontificem, quod ſacrum erat, & ſupra ſortem potentiæ ſuæ. Interim Iulius graueſſimo morbo Romæ afflictatur, deploratus à Medicis, aliquot horas pro mortuo eſt habitus; adeóque fama mortis ſparſa fidem habuit: verum ex faucibus mortis reuocatus, & receptâ poſtmodùm valetudine, prima inſtaurat conſilia de bello vrgendo. Et verò ab ægritudine recens propendebat admodùm ad pacem, ac Rex Ludouicus eam ſupplex flagitabat, abiecto etiam Piſano Concilio, ſi Pontifex Cardinalibus parceret; erátque ſpes concordiæ, niſi Ferdinandus Aragoniæ Rex, Iulium in oppoſita rapuiſſet, atque nutantem in belli mentem impuliſſet. Ille hactenus Pontificem inter & Regem medias quaſdam partes ſuſceperat; nam Fabricio Columnæ mandauerat, vt ex equitatu Neapolitano trecentos cataphractos Pontificiis copiis adiungeret; porrò caueret ne in Francorum fines irrumperet, bello in Ferrarienſi agro gerendo; ſimúlque vt lancem exæquaret, Villamarino præfecto claſſis imperat, vt tredecim triremes ducat in Liguſticam oram, ad Genuam ſub Franci imperio continendam ſic laruam animo inducebat, nondum confirmatus in Caſtellæ regimine. Mox ab illo ſecurus, cum ſpectaret Pontificem ad pacem propenſum, ratus quandiu Franci in Italia agerent, intutam ſibi Neapolin fore, toto niſu eum ad bellum concitat; iámque fœdus cum eo, quod ſacrum dici Pontifex voluit, accedentibus Venetis contrahit: eámque in rem Petrum Nauarrum cum tribus militum millibus ab Africano bello reuocatum, in Italiam mittit; ſic bellum reſtauratur ardentius, nouóſque animos veteri in Francos odio Iulius concitans, palam dicit, ſe natum liberandæ Italiæ, ex ea tandem pellendos Barbaros; ita Francos & Germanos vocabat; atque vltrà Alpes moleſtiſſimas gentes amouendas.

LVDOVICVS XII.

Ferdinandi cum Pontifice fœdus.

XII.

At verò Rex poſtquam in ſanctitatem fœderis Piſanum Concilium adornauit; Prætorem in tota Italia Gaſtonem dicit; primò Longauillam ad eam prouinciam deſignauerat, mox Gaſtonem nuncupat, eundémque Ducatu Nemurſio donat. Is Comes Fuxienſis, Regi ex ſorore nepos, & ex Ioanne Vicecomite Narbonenſi ortus, iuuentute prima adoleſcens, iam biennium in Italia verſatus, & ampliſſimæ ſpei ob militares virtutes, præfecturam ſuſcipit magnâ omnium expectatione: atque illam immodicè cumulauit; primùm felicitate, mox admirabili fortitudine: felicitatis fuit repulſus Heluetius. Comparabat ſe nouus Prætor ad ſubigendam Flaminiam cum ab Heluetiis magna belli moles illicò ingruit; illius gentis duo maximè pagi ad arma procurrunt; Suiſſani, vndè in cæteros Suiſſorum nomen, quod ipſorum nuntium publicum Franci in Mediolanenſi agro peremiſſent; & Friburgenſes, ob quaſdam iniurias; magnóque numero, inſtante hyeme, per torrentes pluréſque fluuios, per anguſtias montium lacuúmque voragines, arcto commeatu, nullíſque equitibus, progrediuntur ad Inſubres. Fuxienſi, delectu nondum habito, erant aliquot equites, & duo millia peditum; quos obiicere non auſus Heluetiis, Aſſarum vſque oppi-

Gaſto Ferrarienſis exercitus dux.

Heluetios repellit.

LVDOVICVS XII.

dum procedit. Iámque Heluetij Vareſium oppidum ceperant, auctóque ad ſexdecim millia numero, Mediolanum verſus incedunt; mox ad Adduam quaſi amnem tranſituri vertunt: ſed repente ſub terroris vim quem concitauerant, ambigentibus cunctis in quam Inſubrium partem irruerent, cùm pecuniam à Gaſtone per Centurionem flagitaſſent, verſus Comum recipiunt ſe? atque hoſte haudquaquam vrgente, iter in patriam capeſſunt; metu tam facilè ſublato quàm oblato; ac verè, torrens qui è montibus in valles infunditur, rapturus ſegetes opéſque ruſticas, mox ſua ſponte nullis clauſtris fractus dilabitur. Gaſto ea formidine liber, incumbit Flaminiæ, & ſeruandæ Bononiæ quam obſederat Pontifex. Atque is ſi Heluetios nuntio, aut ſpe aliqua recreaſſet, conceptamque iram aluiſſet, coniecíſſet, Francos in arctas angſtias, ſed totus addictus Bononiæ, Heluetiam expeditionem vel ignorauerat, vel neglexerat. Intendebat ergo Flaminiæ, in quam exercitus fœderis penetrauerat. Erant in exercitu tum Hiſpani tum Pontificij, ſexdecim peditum millia, equitum tria circiter; regebat Pontificios, Marcus Antonius Columna, Hiſpanos Raimundus Cardona, prorex Neapolitanus, cui in vniuerſum exercitum ſummum imperium.

Bononiam ſeruat.

Poſtquam plura in Ferrarienſi agro ceperunt oppida, quanquam hyems aſperrima eſſet, vrgente Pontifice Bononiam obſident. In eam vrbem præter Bentiuolorum cohortes, Gaſto miſerat ducentos Cataphractos, & duo Germanorum peditum millia, quos Lanſquenetos ea ætas *dixit*; præcrátque Iuo Alegrius, atque Odetus Lautrecus è ſtirpe Fuxienſi; ille veteranus; hic adoleſcens, præclaro tirocinio, atque ſæpius in poſterum appellandus. Magna tamen ſpes in Gaſtone erat; quia ciues plerique Pontifici obnoxij erant, nec ampla vrbs ſatis in machinarum fulmina, & imminentem montem tecta erat & munita. Et Gaſto ad Finale caſtrametatus, quod oppidum eſt ij Flaminiâ paucis milliaribus Bononiâ diſtans, cogebat milites, & apparabat expeditionem. Eam ob cauſam hoſtis cùm diu deliberaſſet, quomodo expugnationem tentaret, vt ſimul vrbem clauderet, & Gaſtonem excluderet, tandem placuit, ductis cuniculis, impreſſionem in vrbem facere: nam vrgebat Cardinalis Medicæus, Legatus Pontificis, accuſans cunctationem Cardonæ, Iulio ipſo expoſtulante acerrimè, & Ferdinandi ſuſpectiſſimas artes ſugillante. Petro Nauarro cuniculorum data prouincia, quorum artem adinuenerat primus, ſaltem vſum ad peritiam ſummam deduxerat. Eos itaque ad Caſtilioneam portam ſubſtruit muro, agítque ad ſacellum quod muro imminebat; ſimul machinæ ex alia parte murum ad triginta vlnas deiiciunt; erátque conſilium duobus ſimul locis aggreſſionem inſtituere. Iam cuniculi farti erant tormentario puluere, atque Hiſpani ad faciendam impreſſionem reuocauerant copias quas ad Rheni pontem Fuxienſi obiecerant; cùm ille in vrbem octingentos equites, & mille pedites immittit, læto Hiſpano, quia crederet haud ſe loco Fuxienſem moturum; & is quidem de Brixia cogitabat. Ergo cuniculis ignis immittitur, magnóque caſus, vel moderantis caſum Dei miraculo, vrbs ſeruatur imminenti periculo. Murus extemplò cum horribili tonitru, ſacellúmque adiunctum, in ſublimem aërem rapitur; licuítque per apertum

Lautrec.

ſpatium

ſpatium mutuis hoſtibus ſeſe inſpicere, atque animos in oppugnationem inſtruere; cùm illicò murus in ſua fundamenta relabitur, támque aptè hiatum omnem implet, vt ne vnum quidem ſaxum aberraret. Eo prodigio fœderati attoniti, ab aggreſſione deſiſtunt, quam eo loco nequibant inſtituere, altero nollent; propugnatoribus haud diſtractis; atque adeo cunctis ad labem muri dimicaturis; at ciues ſubito gaudio perfuſi, caſum miraculo adſcribunt, ſacellum maiori habent veneratione, ac ſe qui Deo ipſi tam accepti forent, maiore ſtudio tueri proponunt. Perſtabat tamen ingens periculum, niſi Fuxienſis in vrbem veniſſet. Ille ab Alegrio atque Lautrecio appellatus, Finali ſub veſperam cum exercitu toto egreditur; erant autem cataphracti trecenti, peditum quatuordecim millia, ſuſcepto per noctem itinere, viâ niuibus altiſſimis ſtrata, & flante Aquilone ſæuiſſimo; die proxima, nebuloſa luce & caliginoſa Bononiam intrat; hoſtéſque adeò latuit, vt die mox tertio ipſi ex capto dum excurreret equite, Gaſtonem in vrbe agere primùm didicerint. Et erat Gaſtoni mens irrumpendi in hoſtem illicò, niſi prohibitus ab Alegrio fuiſſet, feſſum militem & quieti dandum opponente. Fœderati tam improuiſo aduentu obſtupefacti, ſtatuunt obſidionem ſoluere, ipsáque nocte receptis tormentis, primâ aurorâ ſe ad Cornelij Forum recipiunt; nec magnoperè laceſſiti à Francis; Gaſtone iam expeditionem nouam apparante.

LVDOVICVS XII.

Anno 1512.

XIII. *Gaſto Brixiã recipit.*

Brixia Longobardiæ vrbs in Francorum poteſtate erat; cámque cum copiis obtinebat Iacobus Daillonus Ludæus: in vrbe agebat Ludouicus Auogarius Brixianus Patricius, qui ſtudens Venetis, cum Andrea Gritto clandeſtina conſilia init, ad tradendam vrbem; & quamuis conatus primus fuiſſet irritus, altero tamen tum Auogarius tum Grittus contendunt tantoperè, vt vrbe capta, Daillonum in arcem fugientem compellant. Bergomum & aliquot in eo tractu oppida æmulata Brixiam ſe tradunt Venetis. Vrebat Gaſtonem tum vindicanda iniuria, tum ſeruanda arx, quíque eam Franci obtinebant. Ergo gnarus quantum momentum in celeritate res militaris reponeret, quatuor peditum millibus relictis Bononiæ, viæ ſe accingit; ipsámque famam occupans, nono profectionis die Brixiam venit. Duos amnes tranſmiſerat, Padum & Mincium; illum ad Stellatam, hunc ad Molendini pontem; in ipſo tranſitu petita à Mantuano teſſera, ne ſpatium denegandi daret; nec in ipſa feſtinatione ceſſatum à pugna, quaſi puderet præclariſſimum iuuenem pati vllibi hoſtem, quem non profligaret. Nam ad Atheſim properans, cùm accepiſſet Ballionium Venetorum Ducem, cum ſeptingentis equitibus & mille ducentis peditibus (ſex millia ducta alij ſcribunt) quos deducebat Brixiam, ad Scalam Inſulam caſtra facturum; eum aggreſſus nec de Fuxio quidem cogitantem, vicit, & fudit, necatis captíſque plurimis. Tum poſtridie Meleagrum alterum Venetorum Ducem pari fortitudine in fugam vertit; & proſeminata cædibus hoſtium via, ad arcem Brixiæ caſtra ponit, cùm verſari Bononiæ crederetur. Et ipſo ſtatim aduentus momento, vti hoſtibus tandem innoteſceret, Fridiani cœnobium, quod in via media ſitum erat, impeti iubet, expugnátque immiſſis peditibus, quanquam ſolum frigido continuóque imbre maduiſſet;

Daillon du Lude.

LVDOVICVS XII.

duisset; fusum præsidium, ac strage magna victum. Postridie Brixianos ad deditionem hortatur oblatâ veniâ; illi freti Venetorum armis, atque ingenti rusticorum numero, cùm audacius respondissent; Gasto impressionem instituit. E toto exercitu quadringentos cataphractos seligit, & sex millia peditum, partim Vasconum, partim Germanorum, quos ipse in primum arcis septum deductos alloquitur, *laudatósque quod hactenus hostem quacunque se obiiceret peruicissent, inflammat ad pugnam; cum proditoribus dumtaxat, atque inermi rusticorum turba rem futuram, illustrem gloriam, prædámque opulentam, in præmium fore; confirmarent animos, & quà ipse duceret sequerentur.* Tum ipse pedibus ex arce in vrbem primus omnium ruit. Imò quoniam cliuus lubricus erat, humo continuis imbribus resoluta, vt vestigia starent, exuit calceos, cæterisque exemplum imitantibus, proximum Venetorum claustrum aggreditur. Illud Veneti munierant cohortibus aliquot, bellicisque tormentis; sed primo Francorum impetu superata claustra, deiecti milites, captæque machinæ. Tum properatum ad aream, quæ ad Burletam (id publicum palatium est) latè porrigitur. In ea Veneti nobiles militésque composuerant aciem, atque acerrimâ dimicatione ruentes excipiunt; Andreas Grittus Venetorum Dux, & Auogarius faciunt animos; *pro fortunis, pro salute, pro patria, pro liberis pugnent; in eorum fortitudine singula posita; rem esse cum latronibus cupiditate prædæ incensis, qui, si primus frangatur impetus, fugam illicò capient.* Sic instituitur prælium longè atrocissimum; sed Veneti suorum sex millibus cæsis, in partem vrbis inferiorem recedunt, quam arcem dicebant. Nec ideò profligantur, sed per vicos singulos capessunt prælium, Brixianis etiam è tectorum pergulis & fenestris saxa & feruentem aquam fundentibus. Imò expugnatâ toties sigillatim arce; Grittus se in vrbem recipit, fractus quidem viribus, sed animo integer, verùm propius insequente Alegrio, capitur cum Auogario; iámque nemine oppugnante, vrbs direptioni permittitur: seuerè Gasto edixerat, ne quis se ad prædam verteret, dum locus ferro esset, támque cupidè obsequuti milites erant, vt si quis ad prædandum diuerteret, ipsi illicò in eum ruerent; atque ita parta victoria, & parta prædæ magna securitas. Ea sane cupiditatem militum impleuit; æstimata aureis octogesies mille. Parcitum tamen pudori virginum & matronarum, intentâ Gastonis solicitudine, cæsi è Francis quinquaginta admodùm, ex hostibus, tum qui militarent, tum ciues, tum turba rustica, viginti duo millia; vt ea expeditio pugnæ amplissimæ loco sit, tum fortitudinis, tum euentus gloriâ. Auogarius ob proditionem, cum liberis capite cæsus est. Bergomum, cæteráque oppida, victorem excipiunt; atque vna in vrbe cæteræ captæ sunt.

XIV. *Pugna ad Rauennam.*

Tanti facinoris gloria Francorum laudem in Italia renouat, Regísque spem facit tandem debellandi; quando præclarissimo iuueni, nihil arduum foret, nihil imperuium: iubet itaque redire in Flaminiam, atque omni ratione in fœderatorum exercitum dimicare. Eò Regem præter confidentiam iuuenis, multa impellebant. Iulius irâ an vltione exæstuans, omnem Europam inflammabat in Francos; iam Maximilianum deuinxerat, & à Regis societate abduxerat; Angliæ Regem, Cardinalis Eboracensis

Eboracensis industriâ, ad commouendum bellum incenderat; & is specie defendendæ Ecclesiæ, veteribus gentium odiis suscitatis, scribebat exercitum, classémque apparabat; imò cum Ferdinando socero fœdus contraxerat; quo alter Aquitaniam, alter Normanniam aggressuri erant; Heluetij capitales hostes imminebant Insubribus, atque in dies procellosa nubes fulmen excoquebat: neque occurrebat opportunior defendendi modus, quàm pugnam conserere, reportare victoriam, perdomare proximos hostes, & futuros metu compescere. Gasto per ea Regis imperia in Flaminiam reuocatus, atque admisso militum supplemento, plurimis post Brixiensem prædam dilapsis, totum animum ad pugnam intendit. Verùm in ea conficienda plus laboratum, quam in profligandæ. Etenim hostes haud ignari, quid eo prælio quæreretur, abstinebant constanter; & quanquam Iulius ardore vehementi id reposceret; attamen Cardona prudentissimus Dux rem trahebat, eò maximè, quod nuper Ferdinandus per specialem nuntium vetabat, ne rem aleæ daret. Gasto igitur vti pugnam ab inuitis eliciat, ad Rauennam copias admouet, nec munitissimam nesciebat tum muris, tum milite, Præfecto Antonio Columna, sed sperabat fœderatos ad eam seruandam potestatem pugnæ oblaturos; & Columnæ promiserant se in eius opem affuturos vniuersis cum copiis. Nec mora, tormentis ingentibus muros diuerberat, statímque ad mouendum terrorem, qua patebat labes quanquam imperfecta, aggressionem semel iterúmque instituit. Columna quanquam eas repulerat; tamen veritus ne ad tertiam quæ parabatur occumberet, fœderatos de periculo admonet, atque præsentem opem efflagitat. Est Rauenna mari Supero adiacens, duos inter amnes facili ambos vado; Monto vni nomen, Roncus alteri, vrbem mediam cingentes alueis: duos inter amnes castra Franci posuerant; fœderati ad Roncum, qui fluebat ad dexteram, à Columna exciti, exercitum locant, tuti à prælio, vt rebantur, amne oppositio; atque Flaminiam versus detracturi cibaria; eóque consilio fossâ atque aggere castra communiunt: sic omni ex parte ad necessitatem pugnæ Gasto adductus, cùm præterea Germani à Maximiliano reuocarentur; & fortè litteræ in Tribuni manus inciderant, Iacobi Empsij, Francis supra cæteros addictissimi; die ipso Paschatis, qui Aprilis erat vndecimus, ad lacessendum hostem progreditur. Cardona Petri Nauarri consilio peruium amnem Franco permittit, suásque copias in lata planitie, prætensâ fossâ, disponit. Tormenta in fronte omnium eminebant; tum adiecta curricula, eminentibus ad latera falcibus ferreis, onusta sclopetis maioribus, vt posteaquam globos effudissent, magno impetu proueherentur in hostem, ordinésque falcibus disturbarent; aderant in primo agmine Fabricius Columna, in secundo Cardona & Paludius Marchio, in postremo Caruaialius & Pescariæ Marchio: numerabantur sexdecim peditum millia, & duo equitum. Francorum numerus propè adæquatus, quamuis in immensum augeat Mariana, ad minuendum victoriæ decus. Primum agmen Dux Ferrariensis & Palissâ ducebant: secundum quod constabat ex veteranis & Germanis sex mille, adiunctis Vasconum duobus millibus, agebatur à Ludouico

LVDOVICVS XII.

Anno 1512.

Brezæo

LVDOVICVS XII.

Brezæo Seneſcallo Normanniæ, & Petro Vrſæo ſummo equorum magiſtro: Gaſto Imperator ad ſecundum agmen conſtitit, cum ſelectis equitibus, Lautreco, Alegrio, Ludouico Artio, Bajardo, & aliis quingentis, pugnam promoturus, quò vocaret neceſſitas: Nicolaus & Franciſcus Scoti, cum Italis, in caſtris ſteterunt, ad Rauennates, ſi fortè prorumperent, repellendos. Dum primum agmen ingreditur, tormentis hoſtilibus plures diſcerpuntur, necdum ad foſſam eruperant, cùm duo millia deſiderata ſunt: nec minorem ſtragem edebant Francorum machinæ; quippe Ferrarienſis dum aduertit eas incommodo loco collocatas, poſtquam ſitum mutauit, vt earum librandarum erat peritiſſimus, tantam cædem in Fabricij Columnæ cataphractos inferunt, vt ij quanquam iuſſi ſtare, tamen horribili ſtrage perculſi, loco moti, impetum in proximum Gaſtonem fecerint. Excepti fortiſſimè, poſt breuem dimicationem, in fugam aguntur. Peditum longè grauior pugna, diuerſúſque exitus fuit. Petrus Nauarrus, cui ob peritiam Cardona omnia committebat, quatuor Hiſpanorum millia ad foſſæ oram locauerat, iuſſerárque pronos in ventrem iacere, nec exurgere donec hoſtis foſſæ ſuccederet. Ij gnauiter funguntur munere: Francis tumultuariè ad foſſam ruentibus, ſurgunt improuiſi, & diſiecta pilarum grandine, Vaſcones ſternunt; tum duæ cohortes, in iis erant mille ducenti Hiſpani, per fuſos Vaſcones medij erumpunt, atque incolumes prætergrediuntur; cæteri Germanos intra vallum admiſſos aggrediuntur, duráque pugna exoritur, qua Hiſpani vincebant, cùm Franci equites Columnis fuſis, victores adoriuntur per latera; ſpargunt, cædunt, penitúſque diſiiciunt. Nec Hiſpanicus equitatus vltra contendit; agmen quod ducebat Paludius, cùm in Francos pedites incurriſſet, ſepibus rectos, ſcloporum minorum grandine perturbatum & fuſum eſt. Turmam ingentem Cardona ipſe ſtragi eripuit, cum Caruaialio atque Antonio Leua fugam corripiens. Sic tandem Franco parta victoria; Artio & Bajardo perſequentibus fugam, & Gaſtonem multùm rogantibus, ne moueret ſe campo. At ipſe dum componit victoriam, audit à gregario milite, cohortes Hiſpanicas, poſt fuſum victúmque Francicum peditatum, tuto Rauennam ſeſe recipere; eæque erant cohortes duæ quæ per Vaſcones victos proruperant, atque compoſitè ſuper aggerem ingrediebantur. Tum iuuenis motu martio raptus, indignatus tum ſuorum cladem, tum hoſtium incolumitatem, comitantibus triginta equitibus, in cohortes inuehitur. Deprecabantur Tribuni ſuppliciter, *ne ſe in tantum periculum induceret; certam eſſe victoriam; quid eam rurſus nullo pretio in diſcrimen vocaret; ex cohorte victa non acceſſurum plus gloriæ; fortes viros in deſperationem haud vſquam agendos; ſaltem id munus permitteret aliis, nec res Italicas cum ſuo capite periculo tanto obiiceret.* Fruſtra hæc iuueni dicta, rapiente fato in hoſtes inuolat. Ij via Regia incedebant, ſublimi admodùm, atque anguſta; nam hinc lata foſsâ, hinc canali profundo clauditur, atque in fronte interceptis Gaſto occurrit. Hinc pugna vehemens, ſed inæqualis conſeritur; præ longis Hiſpanorum haſtis deturbantur equites; Gaſto quatuordecim plagis perimitur, Alegrij tum pater tum filius pariter necantur; Lautrecus acceptis viginti vulneribus

Gaſtonis cædes.

neribus pro mortuo iacet cæterique in fossam aut canalem procumbunt Ita Francis victoria luctuosissima fuit; ipso Rege hostibus eam peroptante. Et verò Gasto viginti trium annorum iuuenis, Europæ trium mensium spatio innotuerat, in summam spem ac metum, ab auunculo in Neapolitanum Regem designatus, nec superstiti fuisset arduum Regnum comparare, fœderatis prostratis,& fama victoriæ vrbes profligante. Mortuo nullum trophæum solatiumve victoris defuit; nam cæsa hostium decem millia, equites octingenti;recēsiti in captis Legatus Cardinalis Ioannes Medicæus, Ioannes Cardona, Marchiones Licitensis, Paludius, & Pescaria, Petrus Nauarrus cum machinis & impedimentis; quamuis non incruento certamine, necatis Francorum quatuor millibus,& è Proceribus, Alegriis, Humbercurtio, Molardo, Emptio, Maugironio, Grammontensi, & Bardassano. Rauenna capta, & crudeliter direpta, atque vrbes Flaminiæ receptæ haud paucæ. Cæsi Ducis cadauer Mediolanum militari pompa delatum est, captiuis nudo capite feretro præeuntibus, vexillis sequentibus quæ hosti rapuerat, sed inuersa cuspide, & per humum tractâ; Cardonæ ense immensi pretij, quem ipsi Pontifex ad pellendos Francos donauerat, ad feretrum appenso: sanè ludicro mortalitatis spectaculo; dum victi viuerent, victor nullus esset. Per octo horas acerrimè dimicatum est: diuisa laude Francos inter equites Hispanósque pedites: hinc è truncatis membris, hinc capite: patuítque quam maximè, quod ab omni æuo receptissimum erat, desperationem abiectis telum esse validum; nec securiorem esse victoriam, quàm quæ humanitatis memor, hosti parcit. LVDOVICVS XII.

Ab Rauennate victoria, vtraque partium pro victa se gessit. Iulius summa consternatione prostratus, quò spem & consilia verteret ambigebat: persequi bellum tametsi animus vltione præceps flagitaret, tamen fusæ copiæ, exhaustum ærarium, victi fœderati, Cardinalium dissensus, abalienatio populi prohibebant: pacem exposcere animi tumor, libido vindictæ, & incendium odij non sinebant. Ludouicus contra, quasi re desperata, pacem flagitare, Flaminiam dimittere, reuocare exercitum, ac qui debuerat prorogare victoriam, eam arctiori fine conscribere. Per eas moras datum Pontifici spatium respirandi, reuocandi in bellum ardoris, & maioris odij inflammandi. Plurimùm in eam rem Ioannes Medicæus contulit, qui apud Francos captiuus, & liberâ ob reuerentiam custodiâ, certiorem Pontificem de Francorum statu faciebat: *haudquaquam animum despondendum, magnam Francos stragem passos esse, eos discordes rem trahere in diuersa; Cardinale Sanseuerino, & Palissa certantibus de imperio; legiones Germanas breui abscessuras, Hispanicum equitatum integrum supereresse atque illibatum.* Iis Pontifex confirmatus in bellum, Ferdinandi pollicitis & adhortationibus impellebatur: cúmque adhuc spem inter & metum anceps libraretur, Ludouici facto is spem erectus est: nam is Palissam præcipitanter in Insubres reuocat, prouinciam contra Heluetios asserturum. Ab eo certatim calamitates omnes in Francum incurrunt, nec lento gradu, vel per interualla, vt minùs molestæ accidérent, sed exundantis instar Oceani, primo impetu agros atque ipsas vrbes haurientis. Etenim Palissa digresso, Flaminiæ

XV. *Fœdi Mediolano pulso.*

LVDOVICVS XII.

oppida eiectis præsidiis appellant Pontificem, & Rauenna direptionis memor crudelitatem expromit; nam contra pacta quatuor Centuriones qui è castro prodierant, humo ceruicum tenus infossos, adegit viuere propè consepultos, vitâ in cruciatus acerbos productâ: Bononienses expellunt Bentiuolos, miraculi immemores, primæque fortitudinis. Nec amissa Flaminia Longobardiam seruauit; octo Heluetiorum millia in eam inuadunt, ibant Ferrariam; sed interceptis Palissæ litteris, quibus Quæstorem Normanniæ admonebat periculi, vt ab eo extorqueret pecuniam, scribebátque profligatos Insubres, si ad eos Heluetij conuerterent se; ij omissa Ferraria, ad Veronensem agrum capta via, adiunxerunt se Venetis. Et verò Quæstoris ingens culpa erat, qui prætexens parsimoniam Principis, post Rauennatem pugnam Italos milites exauctorauerat, nec conuersis Heluetiis, vllis Palissæ minis aut precibus adduci potuit, vt pecuniam ad delectum nouum sufficeret; negans se iniussu Regis id posse. Palissæ consilium erat se munimentis vrbium claudere, sed Germanis castra deserentibus, post repetita Maximiliani mandata, primùm Ticinum, mox premente hoste, in Comitatum Astensem propior fugæ se recipit: at in via dum per Graualonem pontem agmen ducit, pons armatorum & sarcinarum pondere subsidit, exitiosâ pleriſque ruinâ; eò maximè quod copiarum pars amne obiecto, Heluetio insequenti patuit; ac tota deleta est. Trivulcius Mediolano cum regiis magistratibus celeriter fugit, rapítque captiuum Cardinalem Medicæum, at is in amnis transitu à Pontificiis recipitur; nec multò post in Pontificem summum coaptatur, arctissimo vincula inter & tiaram spatio. Parma & Placentia Insubrium ciuitates, Pontificem appellant, eique se tradunt, læto admodùm, quod eas spectare ad Exarchatum Rauennatem diceret. Ianus Fregosius classis Venetæ Præfectus, Genuam aduolans, eam Francis expulsis occupat, Dúxque nuncupatur: Rhæti Vallem-Telinam, Heluetij Lucernam inuadunt; ita præter arcem Mediolanensem, & Godefanam Genuæ turrim; Franci ab tota Italia exterminantur, ídque post partam de hoste victoriam, populorum ingenti gaudio, & fœderatorum plausu, Pontifici gratulantium, & æquissimæ vt dicebant causæ adscribentium, quòd imprudentiæ Francicæ erat. Supererat diuidenda præda inter raptores, sed cùm inter se parum conuenirent; conuentu Mantuæ habito, placuit Maximilianum Sfortiam vocare è Germania, Ludouici filium, Ducémque dicere, qui extorris & propemodùm inops vitam hactenus duxerat; vt lusus omnes fortuna faceret. Nec durum fœderatis fuit, victoriæ præmium largiri alteri, quod tollebant æmulis; futuro Duce ob imbecillitatem cunctis obnoxio. Cardinalis Sedunensis nomine Heluetiorum, Mediolani claues obtulit Sfortiæ, quasi donum eximium quod conferret sua gens tutela illius susceptâ in posterum. Medicæorum familiæ receptæ sunt Florentiæ, longo exilio ab Carolo VIII. in patriam atque imperium reuocatæ.

XVI. *Ferdinandus Nauarram occupat.*

Nec intra Italiam infelicitas Franciæ conscripta est, vltra Pyrenæos, atque ad innoxios contagio quodam protenditur. Ferdinandus eius hostis perpetuus mali auctor & artifex. Is diu ad Nauarram cupidissimum

oculum

oculum adiiciebat, cupiditate iam ab iuuentute concepta, quam Ioannes pater insinuauerat; & eam felicitas prosperique successus aluerant, per quos Castellam Isabellà ductà, Granatam & Murciam Mauris victis, in vnum Aragoniæ corpus commiserat; nec videbatur terræ arctus limes posse fortunam suam excludere: quippe Ioannes Rex opportunus erat iniuriæ Ille ex Albretia gente Catharinam Fuxiensem regni heredem habebat in matrimonio, moribus quidem & consuetudine facilis, sed pro Rege negligentior: ergo Ferdinandus momentum voti opportunum ratus, dum Franciæ Rex aduersis obruitur, ad perficiendam rem se totum applicat. Nec dum ausus Francum vno se aggredi, fœdus cum Henrico Angliæ Rege contrahit, ad impetendam Franciam, gemino exercitu, quorum alterum Henricus in Picardiam duceret, alterum ipse Ferdinandus in Aquitaniam Anglo comparandam: atque vt dixi Henricus Catharinam Ferdinandi minorem filiam duxerat, petita à Pontifice dispensatione, quoniam ea Arturo Henrici fratri antea nupserat. Iis compositis Aragonius exercitum parat, ad ea stertente Albretio, & ad proximum exitium immoto; & colorem bello quæsiturus, ab eo postulat, vt Franco renuntiet. Respondet Nauarrus, se medium duos inter Reges, accessurum ad neutrius partes; sed paulò post vrgenti Ludouico adhæret, vt in Bearniam summum imperium obtineret, nec tamen vllas copias in Aragonium comparat. Igitur Ferdinandus, retia peroptatæ prædæ circumponens, paratam Angli classem euocat ad Cantabriæ littora, octo Anglorum millia in nauibus erant, tum facta spe ducendi exercitus in Aquitaniam, dum Angli oram ab Francorum armis tutantur, Ferdinandum Albanum Ducem, tunc iuuenem, ac famosum in posteris, truci prosperáque militia, in Nauarram mittit cum selectis copiis. Nauarræ Rex bello perculsus, improuiso suæ duntaxat ignauiæ, cùm intestina lues regnum affligeret, factio Belmontiorum, qui à Grammontiis pulsi, affines & socios proditionis plures nacti erant, nec milite nec pecunia instructus, legat ad Ferdinandum, qui de pace agant; ille spem abrumpit; nisi extemplò Rex omnes arces & filium Principem in obsides tradat, restituendos cùm capienti libuerit. Ea conditio cùm bello esset durior, nec Nauarro eam liberet admittere, vel liceret excludere; hic abiectus animo, Nauarra derelicta, decursis Pyrenæis, in Bearniam fugit, indignante vxore, atque opponente, dignum haud esse regno, qui id abiiciat, & magna ignominia Nauarræ Regem in Ioannem Albretium desiturum. Albanus nullo negotio, Belmontiis promouentibus, Pompelonem vrbem primariam, cæteráque arces inuadit; frustra Anglis præstolantibus, dum in Aquitaniam iret, iique tandem animaduerso Ferdinandi consilio, qui res suas alieno incommodo ageret, omissà Aquitania, solutas naues duxerunt in Angliam. At Ferdinandus cùm Pompelonem cepisset, Romæ comminatoriæ litteræ pronuntiantur in Franciæ Regem; tum iubentur socij atque fœderati ab eo secedere, nisi se suáque ditiones interdicto Ecclesiæ subiici velint. Interim Ioannes pulsus Ludouici fidem appellat, nec cunctatur is ad præstandam opem, viginti quinque hominum millia in Nauarram mittit, Ducibus

LVDOVICVS XII.

Anno 1513.

LVDOVICVS XII.

Carolo Borbonio & Franciſco Longavilla, qui cùm diſcordes ſententiis forent, Franciſcus Dux Valeſius, futurus regni heres, cum ſummo imperio ad exercitum miſſus eſt. Verùm inanis expeditio fuit. Per ſæuiſſimam hyemem Pompelonem obſidio cinxit Valeſius, vrbem Albanus ſelecto milite communierat; & ipſe tantâ prudentiâ, tam accuratâ ſolicitudine, opitulatur obſeſſis vexátque obſidentes, vt parte exercitus penuria frigoribúſque abſumpta, cætera ægrè per montium præcipitia faucéſque vallium euaſerit in Aquitaniam; Longavilla in reditu mortem obeunte. At laudem belli conſequente Albano, qui quod regnum celeritate ſubegerat, idem illud ſeruaret patientiâ.

XVII. *Pactus cum Venetis.*

Eam ignominiam, Rex totus in Italiam verſus, paſſus eſt æquiore animo quàm deceret; vna Mediolanum cogitatio, vindicta vna, vna cupiditas erat. *Id auitum patrimonium, ea parta tot arumnis prouincia, id laudis & gloriæ ſuæ monumentum; id quodam modo caſtrenſe peculium, quod iuſtis armis & periculo vitæ parauerat; Franciæ Regnum, ſanguinis eſſe atque originis; Mediolanum ad Ludouicum ſpectare in quod ipſe curas, arma, ſuúmque caput impenderat.* Verùm fruſtra eò contenderet, dum fœderati in ſocietate perſtarent: nam vniuerſa Italia, imperator, Heluetij, Hiſpaniæ atque Angliæ Reges, in ſe coniurati, quid ſpei reliquum facerent? Videt ergo quempiam abiungendum à fœdere, & maturo conſilio ſe ad Venetos vertit. Nec ſuppetebat alius quem conciliaret: nam Iulium atque Heluetios incendebat inexpiabile odium; Maximilianum petitiones immodicæ excludebant; quanquam ad eum Anna Regina inclinaret plurimùm. Quippe ambitionem priuatam vtilitati regni anteponens, vt Renatam alteram filiam Carolo Archiduci collocaret, omnia effusè largiebatur, Mediolanum, Aſtam, & regnum Neapolitanum, & deliberationem auctoritate & contentione produxit diutiùs. Tandem vicit Poncherij Pariſienſis Antiſtitis prudens ſententia, quæ minimâ iacturâ, & magno commodo, Venetorum fœdus ſuadebat, nec ab eo videbantur multùm alieni. Etenim tametſi tot tantáſque clades paſſi erant, auctore Rege atque promotore, nec videretur amicitia tuta eorum, qui ex calamitatibus vnam iniuriarum memoriam & vltionis flammam retuliſſent; tamen quoniam in regnantibus vtilitas præſens, pro vindicta & pro gloria eſt, ſperabat Venetos bona fide pacem admiſſuros; eo maximè quod Cordona Prorex occupauerat Brixiam, & Imperator poſt inuaſas plurimas vrbes, inexplebilis immenſam pecuniam repoſcebat. Id primùm cum captiuo Gritto communicatum, prudenti & ſagace viro, & per eum ad Patres delatum, cum haud diſpliceret, dum Senatus de re tota deliberat, Iulius moritur. Ille deprehenſo, quod cogitabat Rex Venetíque conſilio, dicitur dolorem tantum concepiſſe, quod bellum, in Italia inſtaurandum inſpiceret, poſt ærumnas tot fruſtra inſumptas; vt ex ardore animi, febrim contraxerit, qua mox extinctus eſt. Sanè vehementiſſimè, ſi quis vnquam, quod placuerat ſemel exequebatur; erant quidem in eo virtutum ſemina, peruentura in frugem, ſi moderatio aluiſſet; magnus animus, in aduerſis conſtantia, zelus Eccleſiæ, atque auctoritatis ſacræ defenſio, ſed ea æſtu immoderato è virtutum modo tranſi-

Iulij mors.

Anno 1514.

liebant

liebant in vitia; ac peribant laudes dum exuberabant, Cùm febri tentatus est, decretum conscripserat, quod sanciret in Lateranensi Concilio; eóque titulum Christianissimi Regis Ludouico vt indigno ablatum, conferebat in Angliæ Regem, atque Ludouicum proscribebat sacris Regnúmque Franciæ. Sed hanc Deus pressit iniuriam, nec passus est priuatum Iulij odium in Pontifice Summo conflagrare. Quanquam & illi pœnitentiæ lux sub mortem affulsit; sua potissimùm arma incusanti, quæ dicebat honestiùs in perfidum Turcam commouenda. Eius locum impleuit Ioannes Medicæus, Laurentij filius, natus annos triginta & septem, dictus Leo X. anno vertente, quo captus ad Rauennam fuerat; castitate & integritate morum commendatus; affectibus temperantior & moderatior. Eo interuallo confectum est fœdus cum Venetis; ea lege vt ipsi ad recuperandos Insubres Regi commodarent decem peditum millia, & equites mille & ducentos; vti ad ipsum Cremona atque Adduanus ager pertinerent; cætera eorum essent quæ Cameracensi fœdere perdidissent; & Rex ad ea subigenda arma adiungeret. Post firmatam pacem, Aluianus & Grittus, aliique Veneti, liberi missi sunt; Aluiano datum in Venetorum copias, Petiliano mortuo, summum imperium. Et hanc pacem Rex opportunè confecerat, nisi suam laudem nouo cum Ferdinando fœdere contaminasset. Nam Hispanus oculatissimus, perspecta Ludouici in Italiam cupiditate, vt nouam victoriam confirmaret, pactus cum eo erat inducias, ad Cisalpinas prouincias; sic tegebat Nauarram, bello & curis in Italiam vnam traductis. Idque Ludouico in probrum versum est; quod affinem atque fœderatum, sua admodùm causa spoliatum, præ vna cupiditate, hosti traderet atque miseriæ; adeò mentem excæcat perturbatio; nec honestum placet, dum iucundum inspicitur. Interea Rex emolumento sui Consilij fruiturus, ratus Angliæ Regem ad expeditionem nondum instructum, eóque anno subigi Insubres posse; Ludouico Trivulcio, laudatissimo Duci, decem peditum millia, & mille quingentos equites tradit, quos in Italiam duceret; adiuncto Ioanne Iacobo Trivulcio; Et Aluianus simul copias Venetas trans Adduam agit. Mirum quanta celeritate & felicitate vterque exercitus rem confecit; Venetus Cremonam agrúmque Adduanum statim expugnat; quem bona fide Regi restituit; Trimollius Mediolanum cæteráſque vrbes, præter Comum & Nouariam, vno impetu diebus perpaucis, excipit potiùs quam profligat; & eodem cursu Adornij Genuam Fregosiis ereptam Francis tradunt; arcémque in plures menses commeatu instruunt. Iámque Sfortia quasi per somnium spoliatus imperio, cum aliquot Heluetiorum legionibus arce Nouariæ concluserat se, impugnante Trimollio, loco & milite calamitosissimam patris sortem menti proponentibus, parémque exitum. Nec in Hispanis vlla spes erat, Cardona Prorege vltra Trebiam hærente, atque ægrè se in vnos Venetos propugnante.

LVDOVICVS XII.

Leo X.

Inducia cum Ferdinando.

Rex Longobardiã subigit.

XVIII. *Pugna ad Nouariam.*

Iam Trimollius murum Nouariæ magnam partem diruerat; iam ad Regem scripserat, se eodem loco quo patrem olim ceperat, missurum in vincula filium; sed hoste integro canebat epinicium. Nam Heluetiorum fortitudo insuperabilis, & fides præclara, spem proximam pessundedit certámque

LVDOVICVS XII.

támque victoriam, eorum quinque millia arcem & Sfortiam tuebantur, ſtatuerántque ad delendam primam ignominiam, mortem prius obire centies, quàm à fide aut munere ſuo deficere. Atque ita confirmati, primùm profligauerant cupiditatem, repulſo Trimollio fidem impugnante immenſo pretio: nec minùs fortiter repulerant armatum: nam cùm is agmine integro, aggreſſionem inferret, labe muri vniuerſam aciem admittente, ſumma vi defenſorum retruſus in caſtra cum cæde fuerat. Parabat aggreſſionem nouam in diem proximum, cùm nuntiatur accelerare obſeſſis Heluetiorum ſubſidia. Ij in duas acies diſtribuerant ſe: primam ducebant Motinus & Craffius, alteram duobus caſtris à primâ diſtantem Baro Altoſſaſſius, erántque in ſingulis ſex peditum millia, ſine equite aut tormentis maioribus. Inita deliberatione cenſebat Trimollius, partem exercitus, nempe equitatum leuiorem, cum Vaſcone pedite, & tormentis minoribus quæ campeſtria vocant, in primam aciem immittendam; fore vt in via feſſi, incompoſiti, & deſtituti machinis, profligentur; eodem modo deinceps poſteriorem deleri ſine diſcrimine poſſe. Contra Trivulcius *pernegabat diuidendum exercitum, qui carpi per partes, & facilè infringi poterat; ſibi Heluetiorum perſpectam indolem, furenti aduerſum aggerem non obiiciendum, dandum liberè vagandi ſpatium; irritari audaciam ſi obſiſtat, frangi ſi declines, ium bis pari impetu irruiſſe in Inſubres, bis ſuomet nutu defluxiſſe, non commeatu inſtructos non machinis, diu non poſſe abeſſe à patria; quare Franci arcem tantiſper omitterent, ſe in locum tutum reciperent ac munirent, dum ſponte torrens ille areſceret, & recederet miles opulentus præda.* Hæc ſententia ſecutior viſa, & peritiæ Trivulcij datum vt perſuaderet. Hic ſoluta caſtra altero Nouaria milliari, ad Moram amnem vliginoſo & paluſtri loco, & minimè opportuno locat, vt villæ & agris ſuis parceret, quo in loco metari conſtitutum erat. Nocte ipſa prima vigilia, Heluetiorum agmen prius, nullo vetante Nouariam intrat: atque extemplò poſt mutuas ſalutationes, à Motino Duce in concionem vocatur. *Ille, poſt collaudatam gentis fidem & fortitudinem, qua labantem ſuſtentaſſet Eccleſiam, pupillum innoxium reſtituiſſet imperio, & Francos ſuperbiſſimos populos tot fregiſſet præliis; docet præſentem rem celeritatis eſſe & diligentiæ; receſſiſſe hoſtem, quod ſupplementum ingens expectaret, idque prope diem aduenturum in caſtra; ante occupandum, & dum infirmus eſt obruendum: quid quod altero die poſterius Heluetiorum agmen accedet, paratámque ipſis laudem & gloriam partietur; ergo ipſi tam hoſtes quàm fratres præuertant, ſolique ad prædam & gloriam ſine conſorte accelerent.* Iis accenſi milites, iubentur curare cibo & ſomno corpora, poſt noctem mediam parati, ad pugnam imo ad victoriam prodeant; ità horâ indictâ, ſilentio prodeunt, in tria agmina diſtributi; primum quod erat denſius & numeroſius, recta fronte in Francorum caſtra contendit; duo alia ad dextram & lævam deflectunt, vt equitatum intra vallum contineant, prohibeantque ne prorumpat in ſocios. At Franci poſtquam à ſpeculatoribus audiunt, admiſſos vrbe Heluetios conquieſcere & ad hoſpitia

De la Mark. diuertiſſe, ſecuri ab metu, tranquillè locauerant caſtra atque tentoria; nec ea nocte Robertus Marchius Germanarum legionum Tribunus,

ſeptum

ſeptum ligneum erexerat; id ex Ludouici XI. inſtituto reuocauerat Marchius, quo palis ligneis ferro præpilatis, vinculis ferreis circùm adſtrictis, quadrata moles pro vallo & foſſa erat caſtra metantibus. Poſt multam noctem Franci à vigilibus excitati, admonentur hoſtem feſtinare, & pugnam inferre; nec ideò perterriti, quantùm per tempus & trepidationem ſubitam licuit, ſe componunt; Trivulcius aciem mediam regit, dextram Trimollius, ſic ipſi placuerat, ſiniſtram Marchius, & tormenta locis commodis collocantur. Primùm Heluetij machinarum vi diſcerpuntur, cùm ſpiſſi incederent, nullus irritus globus ſine plurima cæde fulminabat; lacerti, femora, capita, ſuis truncis auulſa, ipſa corpora vno ictu multa cæſa & perfoſſa, viam horribili fragore ſternebant; nihilominus feſtinant ſocij, & in fratrum locum ſuccedentes, imperterriti per tela mortis ad mortem procurrunt; nec ſpectaculum triſte patebat in tenebris; nec cæſi vllo clamore aut gemitu calamitatem prodebant. Ea fortitudine Heluetij propiùs accedunt, & aggrediuntur agmen oppoſitum, quod ex Germanis conſtabat. Atrociſſima inter eos dimicatio oritur, accedente mutuo gentium odio, ex vetere & noua æmulatione; iámque per horam prælium anceps mutua ſtrage tenuerat, cum Germani cæſi ad latera, ſternuntur tandem ac profligantur; nempe duo illa agmina Heluetiorum, quæ à fronte deflexerant; poſtquam equitatus vallo non prodit, aut facilè ſi qui pauci prodeunt repelluntur, in caſtra penetrauerant; corúmque alterum tormentis captis ſarcinas diripiebat, alterum in Germanos pugnantes impetum fecerat & quidem ſimul eſt parta victoria, nam equites ad ſeruanda impedimenta in poſteriora caſtra confugiunt; Vaſcones pedites Germanis cæſis terga obuertunt; ita paſſim Franci pecudum inſtar mactantur. Rem Duces vitæ periculo diu ſuſtentarunt; Trimollius grauiter femur ſaucius poſt diſcerptos pedites receſſit; Marchius ſæpe in medios hoſtes impetum fecit; atque exhibuit paterni affectus & fortitudinis ſpecimen. Etenim audito duos liberos Florangium & Iametium, plagis obrutos iacere in foſſa inter hoſtium agmina; ipſe cum equeſtri turma inuadit in victores Heluetios, & per viam ferro patefactam, in foſſam penetrat, raptóſque liberos expirantes propemodùm, per coſdem cuneos illibatus refert: perſanati ſunt poſtea liberi; ne tanto pietas ſuo orba præmio fruſtra eſſet. Tanta hæc clades ab equitatu profecta eſt, qui fugam extemplò periculo primo corripuit; & Grittus Venetus meritò expoſtulauit, Cataphractos è prima nobilitate; in quibus robur & nerui militiæ Francicæ, deſciuiſſe in feminas; & fugiſſe ignominioſè hoſte non conſpecto. Cæſa in acie octo è victis millia, Germani dum pugnant, Vaſcones dum fugiunt; equites omnes fuga ſeruati; Heluetiorum ceciderunt bis mille, in quibus Motinus ipſorum dux fortiſſimus. Spolia cęſſerunt victoribus, non modò Francorum ſarcinæ, arma & tormenta, ſed vniuerſus ducatus; Mediolanenſibus veniam à Sfortia ſuppliciter flagitantibus; atque intra menſem bis ſubacta eſt ingens illa prouincia; quam dixeris ſcenam, in quam Mars & Fortuna ludos ſuos viciſſim facerent. Inſtabat quidem Trivulcius & Grittus pariter, vrgebántque Trimollium, vt ſpem erigeret; nam equitatus integer

Ludovicus XII.

Markij fortitudo.

LVDOVICVS XII.

ger erat, & Tauanius, sex Germanorum millia deducebat; verum hic plaga infirmus dimissa Italia, Segusium, mox in Franciam venit, retulitque alienæ culpæ inuidiam; vna calamitate priorem gloriam obscurante; adeo iniquæ sunt mortalium mentes, quibus defecisse semel capitale est. Mox Genua depulsis Adorniis excepit Fregosios, atque Octauianum opitulante Cardona in ducem vocauit; arces Cremæ & Mediolani traditæ sunt; & præter arcem Genuensem nihil Francis Italici soli relictum est. Belli tota moles ruit in Venetos, qui fide fœderis inuiolata, egregiè in plurimos hostes promouerunt bellum, dum ex calamitate grauissima surgeret Francia.

Tauanes.

XIX.

Anglorum in Francia bellum.

Etenim iam aderat tanti belli decretorius dies, conuenerantque Imperator, Angli atque Heluetij, vti Ludouicum ceu Ecclesiæ hostem; id enim singuli cupiditatibus suis prætexebant, opprimerent atque obtererent. Henricus eo nomine VIII. Angliæ Rex flore ætatis bellicam gloriam excitante, inflammante præterea socero Ferdinando, sopitam tot fœderibus de Franciæ regno susciterauerat litem, Anglisque ad expeditionem Francicam nusquam non paratis, conscripserat ingentem exercitum. Maximilianus veteribus vt præferebat renouatis iniuriis, quas plures in libro rubeo affirmabat se perscripsisse; atque iratus Regi quod is Venetum fœdus suo & rogatus antepositisset. Heluetij præter primum odium, superbi tot secundis præliis in prædæ & spoliorum partem procurrebant. Et verò Francia aliquoties posita sub ipsum, vt ita dicam mortis ictum, & quàm propè admota ad exitium; id momentum belli inter eos casus enumerat, quo si hostes pari inter se fide & impetu prorupissent, rapiebatur ad funus. Nam haud dubiè Ferdinandus inuasisset in Occitaniam, qui quo die pepigerat cum Ludouico inducias, eo ad Henricum legatos miserat, qui affirmarent contra mentem iuratas (tantoperè verbis credi oportebat) & quam primùm vbi se occasio daret violandas. Porrò antequam in Franciam Anglus transmitteret, bellum nauibus in Oceano inter hostiles gentes præluserat. Nam Preianes triremes è Mediterraneo in Oceanum induxerat, intentatum hactenus, magni tamen in nauigatione atque in bello compendij; tum ob Triremium inter pugnandum celeritatem expeditissimam, tum quod cessantibus vel repugnantibus ventis iter captum instituant; remis vela supplentibus, & lacertis remigum prementibus ventos. Preianes vastauit Anglicum littus, & Eduardus classis Anglicæ præfectus, cæsus est ad Bresti oram; & Primoguetus Brito cum viginti nauibus contra octoginta Anglicas dimicauit. Nec inæqualitas virium hosti victoriam dedit postquam diu æquâ sorte pugnatum est, tandem Angli vt in capite debellarent, prætoriam Primogueti duodecim nauibus circumcingunt, omnique vi inclusam oppugnant. Illa Chordigera dicebatur, amplissima omnium, ædificata ab Regina Anna multis sumptibus, & magnitudine verè Oceani domina. Primoguetus spem elabendi intercluſam videns vt periret honestiùs, suámque perniciem in arma verteret, Anglicam prætoriam quam Regentem vocabant, adstringi harpagonibus iubet, tum tormentario pulueri iniici ignem; simul stricto ense in medios hostes infunditur: at repente inflammatus puluis,

Nauale prælium.

Primoguet.

La Cordelere.

puluis, vtramque nauim, duces, & milites incendio rapit, cum fragore horribili, victis & victoribus pari sorte cadentibus. Et hæc desperationis victoria, quod animaduerterim primùm tentata, iuit sæpius in exemplum; laude ambiguâ; verâ fortitudine tam ferente fortunæ vim, quam repellente. Cæteræ naues diro facto perterritæ, abscesserunt; salute parta Britonibus Ducis morte. Sed post ea præludia, tandem Henricus scriptum exercitum transportat in Franciam Iulio mense; (& Iunio proximo pugnatum ad Nouariam erat) constabat ex quadraginta peditum millibus, & octo equitum, qui flos Angliæ, lætis animis in Franciam ceu in maiorum patriam conuolabant; iique dum Maximilianus adiungeret se, Teruanam vrbem obuallant. Eam propugnabant Franciscus Telinius & Antonius Crequius, cum duobus Germanorum millibus & Caraphractis ducentis quinquaginta; & quidem sat militum, si commeatus tum alimentorum, tum puluerisex æquo suppeteret; sed Francorum prudentia non tam longè porrigitur: quique omnium minimè penuriam ferunt; eam minimè omnium præcauent. Ludouicus cùm podagrâ laboraret, lecticâ vectus Ambianum, quantum sinebat ægritudo, instabat delectui; nam ab copiis imparatus erat, & conficiebat viginti millia peditum, partem ex Francis, partem ex Germanis, quos conscribebat dux Gelrius, fide in Francicam gentem inexpugnabili; lancearij bis mille & quingenti accessuri erant. Iique propè omnes ad signa confluxerant, traditi Haleuuino Piennæ Gubernatori Picardiæ, vti hostem interea lacesseret & defatigaret. Nec desiderata est rei bene gerendæ occasio. Henricus Caleto Teruanam cum decem peditum millibus equitatu nullo incedebat; occurrit Piena cum equitatu; vrgebátque Bajardus summoperè, vt in Anglos equitem immitteret, victoriam sine dubio reportandam, Anglos ad nouam militiam valdè ineptos, sagittarios optimos, pessimos sclopetarios, prima impressione perturbatum iri. Et omninò prudens consilium erat; nam iam Angli perterriti turbabant ordines, hærebántque an armis an fuga capiti suo consulerent. Sed Pienna moueri hortatione haud potuit; seu ratus rem, quia optatissima & momenti maximi erat, non posse effici, plerumque opportunitate præstinguente animos nimia luce; seu in Baiardum inuidia, decerpturum consilij laudem & gloriam. Sanè ipse Baiardus ne auctor temerarius videretur, suam vnam turmam in postremum hostem induxit, multísque cæsis, maximam abduxit machinam, è duodenis, quas vehebat Anglus, appellabatque singulas vno Apostolorum nomine, in sacri belli vt præferebat speciem & religionem.

LVDOVICVS XII.

Anno 1513.

Teruana obsessa.

Teligny.

Crequy.

De Pienne.

XX.

Pugna calcaria.

Henricus castris ad Teruanam exceptus, haud multùm auctus est Maximiliani copiis; quas ipse perpaucas ex Burgundionibus & Hannoniis in exercitum duxit, post tentatam oppugnationem, & perspectas defensorum vires, statuunt lento obsidio vrbem premere, explorata penuria. Et eiusdem Rex gnarus, Piennam iusserat cum toto equitatu commeatum inferre; dum ipse magna solicitudiue peditem conficit. Eam in rem iussi sunt quadringenti equites, ex turmis delecti, singuli suem dimidiatum, & saccum nitrati puluerisferre in equis, & se ad vrbem propius admouere;

LVDOVICVS XII.

dum equitatus vniuersus ad auertendum hostem ex diuersa parte simularet aggressionem. Verùm id cõcilium cum per exploratorem Henricus nouisset, insidias clam locat, quibus equites interciperentur. Commodè prætergressos à fronte atque à tergo adoritur; decem peditum millia ad tergum exurgunt, decem machinis bellicis in collem euectis; ad frontem equites Burgundi magno numero. Tum Franci correpti formidine, cùm vtrinque immineret pernicies, conuersi ad latus, in commilitonum turmas infunduntur. Palissa & Longauilla cæteríque nobilitate & virtute præclari in agmine erant; plerique armis exuti, deambulantes quà pedibus, quà mollioribus asturconibus vecti; ideò terror tantus inuadit militem, vt præcipitanter admissis calcaribus fugam inceperit. Palissa & cæteri, voce, dextra, exemplo fugam sistere, hortari, conqueri, hosti occurrere; sed tam surdus metus quam cæcus est, totáque mente defluente in pedes, nullo exemplo, nullo laudis stimulo commouetur. Fœdè omnes in fugam non tam acti sunt, quam irruerunt; duces pugnando capti, malueruntque apud hostem agere, quàm fugientium consortio se contaminare; Ludouicus Longauilla, Palissa, Baiardus, Claromontius, Andegauensis, & Bussi-Amboisius; Palissa receptus est, Baiardus abductus, memorabili facinore ipsi hosti charus & venerandus. Nam cum Angli equitatu fuso instarent victoriæ, atque nullo vetante in Francorum castra & peditatum inuecherentur; *ipse ad* pontem cum duodecim commilitonibus irruentem stirit, vniuersum exercitum remoratus, dum pons subruitur, intercluditur via, Franci à metu respirant, demùm ipse capitur. Hæc pugna dicta est Calcaria; siue Calcarium; in qua Franci vsi calcaribus ad ignominiam; ferro ne tentato quidem ad pugnam. Ducenti cæsi sunt, erepti fugâ cæteri; vt hæc clades honoris potiùs & laudis sit, quam sanguinis letíue. Teruanam quinquagesimo die Telinius, postquam rerum omnium patiebatur inopiam, hosti tradit; idque à Ludouico imperatum erat, vniuersum regnum ad seruandam vrbem haud volente aleæ pugnæ committere. Ciuitatem postmodum, cùm Imperator & Henricus disceptarent, vtrius ipsorum foret, placuit neutrius esse; ideoque euersa est & solo æquata, templis quibusdam seruatis; & ea postmodum instaurata est, maiori ædium incremento; quanquam malo omine ruina ingenti erectura Carolo monumentum. Captâ Teruanâ, imminebat Picardiæ hostis, atque Heluetiis vt mox dicam in Burgundiam penetrantibus, summum periculum adibat Francia; iámque trepidatio inuadebat omnium animos; cùm repente hostis reflexo itinere Tornacum aggreditur. Et id consilium Franciæ saluti fuit: nam quanquam Tornacum, in hostilem vim immunitum erat; nec enim Anglus obuersurus eò timebatur, quo minimè ipsi expediebat; tamen dum tantisper obsisteret, auellebatur hostis à Francia, atque à metu Francorum animi leuarentur. Etenim ferociſſimum bellum diripiebat Burgundiam. Heluerij iam non amplius prædonum instar agentium prædas, sed iusto exercitu viginti quinque millia conuenerant; accesserant è Germanis equitum duo millia, & Dux Henricus Vitembergus; iisque animis ad profligandam Franciam venerant, quibus olim irruperant in Galliam, nouas sedes abdicatâ patriâ quæsituri.

Clermont. d'Amoul d'Amboise.

Baiardi facinus.

Des Eperõs.

Heluetii in Burgundiam.

quæsituri. Trimollius regebat Burgundiam, nupérque ab ea gente in Italia victus, haud ignarus à quo lacesseretur, se Diuione primaria vrbe incluserat, agris direptioni permissis. Hostes extemplò vrbem circumcingunt, atque summopere ad expugnandam eam enituntur. Per quinque hebdomadas pro muris fortissimè dimicatum est; Trimollio priora facinora admirabili fortitudine cohonestante; tandem actus ad vltima, cùm aduerteret vrbis perniciem exitiabilem toti Franciæ fore, regnumque perditum, si Diuione capta Heluetij Anglis & Germanis post Teruanam expugnatam adiungerent se; artem & consilium (nam quis fraudem dicat?) in subsidium vocat; & Heluetios blandè allocutus, inconsulto Rege, cum iis paciscitur; daret Rex quadringenta aureorum millia, abdicaret Pisanum Concilium, & ducatum Mediolanensem; nihilque in Pontificem aut Aragonium Regem moliretur, eius pacti sex obsides ipse fideiussor Trimollius dedit; verè pater patriæ, quam necessariâ atque adeò honestâ ignominiâ seruauit. Interea Tornacum agebatur ad deditionem; idque fuerat Maximiliani consilium, qui Henrici imprudentia suum in commodum vsus, incertum rerúmque imperitum Tornacum abduxerat, quam victor posteà diu non teneret, peruenturam haud ægrè in Flandrorum manus. Vrbs quam nullum tueretur auxilium, bene penitus in hostilem agrum sese insinuans, facilè capta est, eámque suo milite Anglus tenet; mox autumno ingruente, Caletum reducit exercitum, dein ipse in Angliam refert pompam victoriæ; nam fructum admodùm leuem perceperat, oppidum vnum tot impensis atque periculis, longè positum & diuulsum à trunco arboris ramum. LVDOVICVS XII.

Discessu Henrici summo terrore Rex liberatus, tunc alienæ calamitatis sensum percepit, quippe quasi vno alueo miseriæ plures influerent, Scoti & Veneti vni fœderati, grauissimis cladibus afflictati erant. Nam is Iacobum IV. Scotiæ Regem impulerat, bellum inferre in Angliam, dum Henricus in Francia agit; intulerátque magno exercitu; sed à Surræ comite, Angli legato victus & cæsus est, ingenti suorum dolore & strage. Ludouicus Ioannem Stuardum Albaniæ Ducem in Scotiam misit, qui pupilli Regis curam susciperet, regnúmque gereret. Aluianus similiter Venetorum dux ad Vicentiam à Cardona prorege & Prospero Columna victus erat & profligatus, clade ignominiosâ, cùm viribus superaret, hostemque circumcluderet copiis. Nec Venetos recreare præter quam spe & promissis Rex valuit, cui etiam non leui dolori fuerat, quod fœdus à Trimollio pactum habere ratum non potuit, obsidibus in discrimen vitæ adductis, & excitata suspicione perfidiæ. Sed acerbissimus omnium dolor ex Annæ chariſſimæ coniugis obitu contigit, qua cum vtramque fortunam tenerrimo sensu animi partiebatur. Is tamen luctus, gradum fecit gaudio, tumulúsque nuptias peperit, & quidem geminas; vt inania sunt mortalium vota, & tam ex fletu risus quam ex risu fletus exoritur. Etenim Franciscus Valesius Claudiam Regis filiam vxorem duxit, quod Annâ viuâ impetrari haud poterat, eósque Rex in possessionem Britanniæ misit. Tum regno pax, & ipsi Regi noua coniux aduenit. Quippe Longauilla apud

XXI. *Varia de Rege.*

Anna Reginæ mors. Anno 1514.

LVDOVICVS XII.

Henricum captiuus, cùm eum iratum Ferdinando socero animaduerteret, quod insçio se nouas inducias cum Ludouico pactus, iam tertiùm sibi fraudem faceret; solerter iracundiâ Principis in belli odium flexâ, confecerat, vt agi de pace sineret: ad quam festiuandam contulit plurimùm, quod Ludouicus cum Leone Pontifice reconciliatus, abdicata Pisana Synodo, Concilium Lateranense admisit, spe facta abrogandæ Pragmaticæ; iámque sublato quod prouulgauerat Iulius interdicto, cessabat: Ecclesiæ tuendæ titulus, & sacri belli arcessitus color. Imò ad pacem firmandam, adiuncto affinitatis vinculo, Ludouicus Mariam Henrici sororem, Carolo Archiduci desponsam, vxorem duxit, cui in dotem quadringenta nummorum millia sponsus ipse assignat; pacti Reges sibi vt mutuam opem ferrent; starétque pax quandiu viuerent, Tornaco apud Anglum perstante. Perfecto coniugio Rex in Italiam cogitationem adiecit; ac tametsi Genuenses nuper Phari arcem expugnauerant atque diruerant, nullúmque tectum in tota Italia Franco esset; tamen ad Insubres recipiendos inflammabatur tantoperè, vt conscriptos viceſies mille Germanos, prætore Duce Borbonio, versus Italiam mitteret, sub initium hyemis; cùm febri correptus, accedente ventris profluuio, Calendis Ianuarij è viuis raptus est; nimio vt creditur vsu coniugis nouæ, quæ annorum flore, & specie corporis commendata, senem morbis & laboribus fractum, operosiùs studentem quærendis liberis, vita exhausit. Agebat annum quinquagesimum quintum, in limine senectutis, quam ærumnæ plures citra annos promouerant. Cogitari non potest quanto dolore prosequuta funus Francia sit. Erat is in omnium oculis atque amoribus; iustè assequutus agnomen, quod tantoperè concupiuerat, *Patris populi*; eum omni studio fouens, tegens, atque locupletans. Vectigalia tot inter curas & difficultates semper imminuit; solitus dicere, *gregem pinguissimum pastoris optimi esse indicium.* Et quantum studuerit populi commodis eo vno patet, quod in tanta cupiditate Mediolani seruandi, bis passus sit eo se exui, ante tributum quàm populo nouum imponeret; & peccabat forsitan; nam incommodum minus maiori præuertendum est; sed voluit Deus in Ludouico amoris in populum præbere specimen; vt quæ Francia in Regibus suis tot agnoscit dotes, in eo verè patrem coleret atque amaret. Bella inter assidua, ita milites continebat, vt pagi certarent atque contenderent, ad præbenda ipsis hospitia; dum habebat iter, veluti de cælo missum plebs venerabatur, viam sternebat floribus, equum quo vehebatur contingebat strophiis, quæ reliquiarum instar religione multa asseruabat. Iniuriam nullam vnquam vltus est; animo clementissimus, parcebatque subditorum vt pecuniæ, ita & sanguini. Ideò consequutus, vt arbitror, quod rebellione nulla tentatus est, (bonum in Francia nimium infrequens) singulis vltro conspirantibus in acceptissimum iugum. Quamuis Latinè non admodùm sciret, doctos tamen colebat, & perlegebat Historicos; Veronâ Paulum Æmilium in Franciam duxit, optimámque stipem constituit, qua auctus vir præstantissimus Franciæ historiam scripsit; octo annis supra triginta in id opus insumptis; dignum enimverò quod Francia patri suo debeat, cui comparauit famam immortalem,

Pax cum Angle.

De la lanterne.

Anno 1515.

Regis mors.

Eius dotes.

mortalem, quamque quodammodo excitauit è tumulo, actis retro annis, factisque Principum in sempiternam laudem adscriptis. Verùm in tot laudibus suas & maculas contraxit mortalitas: nam & Rex iuuenis promiscuis amoribus se multùm permisit; & aliquoties lentiori mora præclarè susceptа corruperat; atque in Pontificem Iulium reuerentiam sin minus deposuit, saltem liberioribus verbis offensioni aliquoties fuerat; vtque inter Principes iniurias persequi factis licet, ita minus contumeliis decet. Nec in Ludouici prosperis Anna omittenda, quæ altitudine & fortitudine animi nulli Heroüm inferior, virtutes propè singulas vtriusque sexus, temperauit egregiè, liberalis & magnifica, in litteratos, inopes, cœtus religiosorum, atque ædes sacras. Britanniam habebat in peculio, quod mira liberalitate & parsimonia, in sacros & politicos vsus impendebat: vtrumque coniugem tenerrimo affectu prosequuta est; quanquam paulò ambitiosior optabat ardentiùs Britanniam abiungere à Francià, & publicis rebus immiscebat se studiosius: vltionis appetentior, Gyæum Marescallum damnatum cum ignominià aulà expelli curauit; adeò supra feminam est, condonare iniuriam, & vindictæ sensum in potestate habere. Renatam alteram filiam Franciscus Alphonso Ferrariensi Principi nuptui dedit; cui mater Carolum Archiducem ardenter optauerat.

LVDOVICVS XII.

Anna dotes.

XXII.

Franciscus eo nomine primus in Ludouici locum lege regni euectus, postquam Rhemis vnctus est, in se omnium oculos animósque conuertit. Viginti annos natus, oris pulchritudine, & totius corporis conformatione, in paucis spectabilis, ad equitandi armorúmque palæstram exercitatissimus, disciplinis optimè institutus, facilitate morum humanissimus, spem omnium procerum maximè atque nobilium, excitabat. His accedebat altitudo animi atque amplitudo, qua totius orbis imperium sin minus optaret, saltem acciperet, dignúmque is diceret, qui ingentes spiritus, animi inuictum robur, & inexhaustam liberalitatem attenderet. Eas ergo dotes in regnum inferens, Mediolani Ducem se inscribens, ad implendum titulum sollicitudinem impendit. Ac primùm instaurat fœdus cum Venetis; tum cum Anglo; postmodùm cum Archiduce Carolo; qui per Henricum Comitem Nassauium, Regi clientelam pro Artesia, Flandria, & Carolesio præstitit; promissis Renatæ nuptiis; eámque pacem ambiebat Carolus, ne vbi mors Ferdinandi aui contingeret, Franci perturbarent adeuntem possessionem Hispaniæ. Nassauius Claudiam Orangiam in vxorem duxit; vnde in posteros Orangiæ principatus. In Aula Rex pauca immutauit; Carolus Borbonius, Gilberti Mompenserij filius, Comestabilis dictus est; Antonius Pratus Cancellarius, legum paritià admodùm celebris, sed morum integritate tanto fastigio longè inferior; Dux Alensonius Prætura Normanniæ donatus, duxítque Margaritam sororem Regis præclarissimam virginem; Gouferius Boisius Regis institutor, ipsíque percarus summus regiæ domus Præfectus; ac Palissa ea dignitate qui cesserat, Marescallus Franciæ nuncupatus est; Petrus Nauarrus Cantaber, bello dux clarus, se Regi operámque addixit. Is in Rauennate pugna captiuus, postquam à Ferdinando nusquam redimitur, Francisco pretium libertatis

FRANCISCVS I.

Regis initia.

Anno 1515.

Du prat.

Gonfier de Boysy.

LVDOVICVS XII.

pendenti; sincerè se tradens, præclaram deinceps nauauit operam. Iis domi curatis, ad scribendum & promouendum exercitum, sedulò incumbitur; móxque instructæ erant ad viam copiæ; lancearij bis mille & quingenti, pedites quadragesies mille; magna pars Germani seu Lansqueneti, cæteri Franci, Vascones, & Cantabri, quos Petrus Nauarrus in stipem suam excinerat; accesserant machinarum vis magna, commeatus omnis generis, fossorum tria millia, & curatores annonæ plurimi. Præibat in primo agmine Comestabilis, ductis simul operis qui complanarent ardua montium; in secundo incedebat Rex, postremum agebat Alensonius: Dux Gelrius Lansquenetos regebat, in quibus eminebat legio Nigra dicta, isque erat Gelrij color, per viginti annos indurata bellis claráque victoriis. Eo ordine versus Alpes itum, sed nec transitus Alpium expeditus, nec bellum in Insubribus facile. Nam in Regem conuenerant, Maximilianus, Ferdinandus, & Sfortia, & Leo Pontifex clam adscripserat fœderi, Francis perinfensus; quanquam in speciem beneuolentiam ostentaret, se professus patrem communem omnium. Præterea Heluetij perseuerante in Francos odio, & stimulante Cardinale Sedunensi, ad viginti millia ex oppidis suis in Longobardiam effusi, occupauerant Alpium fauces; inuisis quidem Sabaudo & Salussio, sed neutiquam ausis repugnare; iique se ad libertatem Italiæ, defensionem Ecclesiæ, & Mediolani tutelam, cælitus missos affirmant. Iam Rex cum exercitu Gratianopolim promotus, Ludouicam matrem regni Regentem dictam dimiserat; cum de via anxius lentè versus Ebrodunum incedens, crebro consultat quod iter institueret. Etenim Lugduno in Italiam progredientibus, duæ per Alpes viæ solemnes sunt; aliæ inusitatæ & inexploratæ; prima per Alpes Cottias, perque montem Genebram, qui in Delphinatum finibus oritur; propter anfractus, aliquantò longior, sed multò facilior; eáque Carolus VIII. penetrauerat in Italiam; altera per Pœninas Alpes, montémque Cenisium, magis arduum & in celsiorem altitudinem subrectum, ingredientes admittit; porrò vtriusq; fauces Heluetij insederant, & Segusium obtinebant præsidio; ad quam vrbem geminæ viæ conueniunt. Igitur Francisco cùm defensos locorum situ hostes aggredi non placeret, nouum iter conquirendum erat aut aperiendum; eámque in rem à Carolo Sabaudiæ Duce Auunculo arcessiuerat viarum peritos, quibus exploratæ & notissimæ erant vel abruptissimæ montium semitæ. Eorum ductu tertia via reperta est, inter Cottias Alpes atque Maritimas, quæ perdifficilis quidem & multi laboris, sed demùm superabilis visa, & machinarum vehendarum patiens. Primum itaque agmen in iter immittitur; sequentibus cæteris; ac primo die Ebrodunum venit; altero postquam Genebram ad læuam omisit, & vado Druentiam amnem traiecit: deflectens ad Alpes Argentarias, Gilestram tenuit, tertiis castris ad Pauli abruptissimam rupem peruentum est; quartis ad Barcelloniam vallem, quintis postremò ad Salussiorum planitiem. Sed vix dici potest, quibus ærumnis, quàm immensis laboribus transuectæ sint machinæ. Propè ad singulos gradus connitendum erat in rerum naturam; modò præruptæ rupes aperiendæ ferro & frangendæ; mox ingentes voragines

Exercitus in Italiam.

Alpium transitus.

ragines, virgultorum opplendæ fascibus, nunc viarum angustiæ tibicinibus longuriisque positis dilatandæ; mox tormenta trocleis ac funibus de monte in montem veluti baiulis nubibus, artis operæ pretio, transportanda; modò lacertis, humerisque militum & ipsorum Ducum moles ingentes, quò ægrè stabant vestigia conuehendæ; modò ferro perfodienda rupium viscera, quo commodiùs hostes vincerentur; tandem per ardua & præcipitia labor incomparabilis penetrauit, magna Trivultij, Lautreci & Nauarri laude; qui cura & vigilantia incredibili opus promouerunt; laboris trophæo in euersis rupibus & effossis montibus posito. Peruenerat in Salussios exercitus, & quasi cœlo deuolasset in solum, hostem latuerat; nam Allobroges nullum transitus indicium fecerant, & cohortes aliquot in montium faucibus ostentabant sese Heluetiis, vt fidem facerent totum ad eas stare exercitum. Sed continuo Francorum virtus celeritate mira innotuit. FRANCISCVS I.

XXIII. *Prosper Columna capitur.*

Prosper Columna Villafrancæ apud Salussios agebat, cum sexcentis equitibus, Pontificis stipendiarius, tributo ab vniuersa ditione exacto; agebátque securè, à Francis vt credebat, totis Alpibus atque Pado omni diuisus; cùm inter prandendum intercipitur, captiuúsque ducitur. Postquam primum agmen emergit ex Alpibus, noscítque Borbonius vbi Prosper ageret; Palissæ mille equites tradit, quibus se adiungunt Baiardus, Albinius clari olim Ducis, ex fratre nepos, & Imbercurtius: iique rupe quæ vulgo Accipitrum dicitur conscensa; in quam hactenus rustici dumtaxat erepserant, ad rapiendos Accipitrum nidos, & ab ea præcipites in subiectos agros deuoluti propemodùm, Padum vado transmittunt, atque improuisi Villamfrancam aduolant. Columna cum toto equitatu captus, cæsis aliquot, Francorum aduentum terrorémque simul per Longobardiam sparsit. Iis accessit quod Emarus Pria versus Genuenses cum copiis missus, exceptus ab Octauio Fregosio, qui fœderatis relictis, Castellatium Francis commiserat, Mediolanenses transpadanos aggressus, Dortonam, aliásque vrbes iam ceperat. Tanta celeritas à montium faucibus auocauit Heluetios, qui se Mediolanum versus receperunt, per singula castra Rege insequente, & simul Pontifici improuisa prosperitas metum iniecit, qui extemplò fidum hominem ad Regem legauit, priuatæ conciliationi studens, ægrè prohibitus quin renunciaret tunc fœderi. Franciscus Taurini honorificè à Sabaudiæ Duce exceptus, Vercellas vsque insequutus Heluetios, Mediolanum inter & Marinianum castra ponit. Tum intercedente Sabaudiæ Duce, de concordia cum iis agitur, conueneratque promissis in stipendium septingentis aureorum millibus; quæ Rex corrogauerat, argento facto procerum sumptu in mutuum, iámque pactis subscribendum erat, cum aduenit Rossius cum supremo in Heluetios omnes imperio, adduxítque sex millia in supplementum. Sedunensis aduenientem aggressus persuadet vt pacta placita disturbet, quæ ipso inscio nulla essent, ac festinanter ad Cardonam & Laurentium Medicæum properat, impetraturus vti coniunctis copiis, simul cum Heluetiis Francos pugnâ impeterent, profligaturi haud dubiè. Ij ad Padum continebant militem, Placentiæ quidem Laurentius, Emar de Prie.

FRANCISCVS I.

Laurentius, Cardona in castris milliari infra vrbem sexto; & primò ob suspicionem cunctati, quod crederent pacta cum Heluetiis conuenta; mox celeritate Aluiani prohibiti, rogatum pernegant; ne Aluiano qui Cremonam cum exercitu venerat, totam regionem indefensam dimitterent. Ea spe Sedunensis deiectus, ad Heluetios suos reuertitur, támque peritè atque appositè adhortatur ad prælium (& gnarus erat quibus rationum momentis illorum mentes inflammarentur) vti eo ipso die, qui erat Septembris decimus tertius, iámque inclinabat ad Vesperum, Rossius ad suburbia Mediolani progressus, copiis in sua agmina distributis ipse earum Dux ad pugnam processerit. Sub signis erant triginta duo peditum millia, nullo equitatu, præter trecentos Italos, silentio non pulsatis tympanis, si Francos vti ad Nouariam incautos occupent, magno animi gaudio procurrentes, quasi ad certam prædam atque victoriam, non ad prælium irent, tentaturi fortunæ aleam. Nec munimenta Franci omiserant, haudquaquam ignari quibuscum res esset. Viam militarem Borbonius atque Trivultius occupauerant, & latis fossis circumductis eam in aggeris modum erexerant; tum Nauarrus scuta ingentia humi fixa constricta funibus hosti obiecerat, obtenderátque Vasconibus, pilarum grandinem eiaculaturis; postremò tormenta opportuno loco collocata suo etiam vallo tuta erant; & hæc prima acies. Non longè secundam & tertiam Rex & Alensonius composuerant, fossis circumtectis, quas ducunt rustici ad agros tutandos & refluentes aquas excipiendas. Duæ lucis horæ supererant, cùm Heluetij magno impetu rapti pugnam inferunt; ac primùm in obiectum equitatum acti, tam ardenter premunt, vt equites furori impares cesserint retrò. At proximum Germanorum agmen vt absque prælio videt retrocedere equites, contractam pacem arbitrans, séque proditum hosti capitali; terrore correptum, fugam meditatur. Sed Comestabilis fortiter malo occurrens, in pugnam agit Cataphractos, simúlque reducit nutantes equites, & Germanos metuentes confirmat. Hic atrocissima fit dimicatio, mortísque discrimen ardor pugnæ & amor gloriæ discutit. Directa in phalangem densam tormenta, latè stragem edebant; scutis tecti Vascones effundebant plumbeum imbrem; carpebant latera Cataphracti, lanceis gladiísque in subiectos pedites sæuientes; hostis nihilominus illibatis Ordinibus, tot inter obiecta funera, superato vallo ad Germanos euaserat, admotúsque propiùs hastis & gladiis dimicabat. Rex primos inter adequitans, cærulea chlamyde liliis aureis refulgente, & galea carbunculis in monile factis coruscante, præ cunctis spectabilis, ore & dextra incendebat militem. Nec deerat qui Heluetios inflammaret dictis; nam Sedunensis sacras vestes indutus, togam purpuream pileúmque coccineum, mortis præsentiam flocci habens, tantum erat in Francos odium, vrgebat singulos, stimulabat, atque collaudabat, & gloriæ titulo ac religionis, iam furentes spontè, supra humanas vires erigebat. Ita ad quartam noctis horam pugnatum est: semélque hostis ad tormentorum aggerem penetrauerat, cum hinc depellitur: semel duo millia ad læuam conuersa, cùm Regem proximum prætergrederentur: in eum prouocantem irruerant, atroci prælio, quo Talmontius cæsus est Crimollij filius, præstantissimus iuuenis: Royâ, & Monyo eodem

Anno 1515. *Pugna ad Marignanũ.*

Roye & Mony.

eodem fato raptis; iámque ad tormenta ceciderant Franciſcus Borbonius Comeſtabilis frater, Sancerra, Imbercurtius, & Buſſi Amboſius. Tandem defatigatio mutua, quietem extorſit, quam caligo noctis non induxerat, & conſenſu tacito breues inducię in noctem reliquam arma oppreſſerunt. FRANCISCVS I.

XXIV. *Continuatio pugnæ.*

Quanquam nec ipſa nox ſine cæde, aut inducię ſine bello tranſactæ ſunt. Quippe circumoffuſa caligine, cum milites ſe in ordines atque ad vexilla haud poſſent recipere, ſteterunt in eo quo pugnabant veſtigio, miſti Germanis Heluetij, atque Vaſconibus, atque identidem percontati Teſſeram, cùm ſe admotos hoſti animaduerterent, pugnam inſtaurabant, & cæſim irruentes, non quo ducebat oculus, ſed quò vox vocabat, machæram voluentes, more Andabatarum cædebant & cædebantur: ſanè ea nox cùm ſanguini parceret, terrorem augebat; nec vlli tum periculum præſens tum proximum quietis vllam partem permittebat. Seduneuſis ſortem pugnæ veritus, Mediolanum ſe recepit, prætexens cibaria, quæ Heluetiis mitteret in leuamentum. Rex contra (tantum diſcrimen eſt inter furorem & veram gloriam) cùm armatus aliquantiſper ad tormentum accubans quieuiſſet, & ſitim ſedaſſet aqua turbulenta, quam ægerrimè ex foſſa cadaueribus oppleta fortè miles galea hauſerat, repetito munere Imperatoris, tormentis locandis, inflammandis militibus, caſtris inuiſendis, cæteram noctem impendit. At nec Heluetij effluxiſſe integram paſſi ſunt, primóque diluculo pugnam inceptant, noui propemodùm Antæi, qui vires nouas ex contactu terræ recepiſſent. Duo agmina enituntur in frontem, tertium in caſtrorum partem poſticam immittitur. Nec prima diſpellentibus machinis admota ſunt propius; tertium cùm ea pars munita eſſet indiligentiùs, in vallum inuadit, & leuiores equites in fugam agit, tanto terrore vt ij Lodum vſq; vecti famâ cladi Francicæ ſecum intulerint. Verùm Alenſonius cataphractos equites in prælium agens, primum impetum ſtitit, mox repulit; nec ideò ceſſabatur à prælio, pertinacibus Heluetiis, & deliberata morte iã ferociſſimis; cùm opportunum ſubſidium excuſſit pertinaciam, confecítq; victoriam. Aluianus à Rege admonitus, Cremonâ cum ſelectis equitibus aduolauerat, vtque erat celeritate ſupra cæteros Duces præſtantiſſimus, multis milliaribus decurſis pernicitate mirabili, in Heluetiorum pugnantium terga inuehitur. Repentina incurſio & Frãcorum animos auxit, atq; Heluetiorum imminuit reputantium vniuerſorum Venetorum exercitum aduentare. Quare cedendum fortunæ arbitrati, recipiunt ſe, ſed leonum inſtar, ſtipatis in phalangem ordinibus, & verſus hoſtem quoties laceſſeret frontem obuertentes; nec impunè in eos ceu fuſos fugatóſque irruunt Veneti, cæſis aliquot eorum tribunis qui imprudentius ferreos illos erinaceos aggreſſi fuerant. Imò cùm vnum agmen ſeiunctum à cæteris Comeſtabilis tentorium occupaſſet, nulla vi, nullâ veniâ ad deditionem adduci potuit, ſubiectíſque ignibus conflagrare maluit quam ſuæ gentis gloriam vel timoris vmbra detrere. Rex diſceſſum liberum abeuntibus permiſit; ratus ſatis victos, qui dimiſiſſent victoriam. Eáque eſt pugna in paucis memorabilis; quâ primùm glorioſiſſimæ gentis fortitudo infracta eſt; iam credentibus Heluetiis ſe vinci poſſe, quia non vicerant; eorum quatuordecim millia ſolo afflicta

FRANCISCVS I.

sunt & necata ; pleríque bombardarum globis discerpti, quasi Gigantes à fulminantibus diis victi ; & affirmabat Trivulcius, qui octies decies aperto & lato campo pugnauerat, eam pugnam Gigantum fuisse, cùm cæteræ puerorum atque infantium lusus viderentur. Cæsa sunt Francorum quatuor millia, ingentibus & terribilibus plagis diffindentibus corpora & concidentibus. In Francis commendantur re præclarè gesta, Guisius, Sanpaulus, Trivulcius, Palissa, Trimollius, & Bajardus ; & Guisius hastilium & sarissarum ictibus equo deturbatus, primùm morti ereptus est fide vnius è scutiferis suis, qui procumbens in iacentis corpus, vulnera inflicta suo corpore excepit ; tum famulorum curâ, qui patrato prælio dominum è cadauerum turba euolutum, propè obrutum, laxato spiritu, vitæ reddiderunt : nec Regi detrahenda laus confectæ victoriæ ; qui penitus inter hostes confertos dimicans, se multis periculis virtute sua eripuit, & pro virili in laudem propriam publicámque contendit, perfossa pluribus ictibus chlamyde, armis plus viginti locis hastarum cuspide insignitis ; & ipse sui conscius, quæ illius æui cæremonia fuit, palam in conspectu Procerum Eques creari voluit, Bajardo in eum honorem vocato, vt militiæ Regem suum adscriberet, impertitus amplexum & nudatum ensem ; nemine tantum fastigium viro inuidente, quem militaris virtus, supra eum apicem euehebat ; imò integri mores atque inculpati, supra militum vitam extollebant. Rex Christianæ pietatis in ipso sensu victoriæ memor, pugnæ die supplicationem Deo instituit, obiuitque magna Procerum caterua ; dein triduò Christianas victimas offerri iussit, ad agendas gratias, pacem impetrandam & exorandam cæsorum animis veniam ; postremò sacellum eò loci exædificari. Tum ad decerpendum fructum vltrà properauit.

Guisius seruatus.

XXV.

Rex Mediolanēsis Dux.

Heluetij Mediolanum regressi, infractâ iam audaciâ, flagitato stipendio quod Sfortia pecuniæ inops nequibat pendere, discedunt in patriam, Sedunensi frustra dehortante, aliquot in arcem se cum Sfortia abdunt ; Sedunensis Tridentum proficiscitur ad Imperatorem, bellum si liceat nouum conflaturus, abducto secum Francisco Sfortia fratre Maximiliani, quem iuxta fratrem è contemptu in solium promouebit fortuna. Rex accepto Mediolano, & ciuibus multatis pecunia, ratus indecorum in eam vrbem venire quæ tota suæ potestatis non esset, Ticinum pergit, copiarum parte Comestabili data, vt arcem oppugnet. Ille postquam id munus Petro Nauarro imposuit, celeberrimo ob castri Neapolitani euersionem, & Albinio regendam vrbem dedit ; ad Regem contendit, & Nauarrus propriam cuniculorum artem extemplò aggressus, fossæ aquis in aliam partem deriuatis, postquam cæcam cryptam quæ tegebat portam puluere excussit, tamque improuiso, vt ægrè irruentibus porta occlusa sit, Sfortia ignaui animi Princeps vnà cum crypta euersus est ; quanquam arce illibatâ, & cuniculis propter situm palustrem parum obnoxiâ ; pactus deditionem cum Comestabile ; ea conditione, vt eam arcem atque Cremonensem Regi cederet, cum iure in vniuersum Ducatum, habitaret in Francia quo loco ipse vellet, dum viueret, in pensionem sexaginta millia Ducatorum in annos haberet. Ita pactum & factum, deducto in Franciam Sfortia, sibi gratulante quod iam liber esset, alieno imperio ; & reuera ipse ad molem imperij suo ingenio multùm

ineptus, ad nutum aliorum instar bracteolæ vertebatur. Tum Rex solemni pompâ Mediolanum ingressus est; ac profectus Vigeuanũ, ab tota Italia, præterquam ab Hispanis Legatos excepit. Et celebris Venetorũ legatio, qui collaudata fortitudine Regis & felicitate, impetrarunt copias, ad Brixiam recuperandam aliásque quas tum Imperator, tum Hispani, in ditione Reipublicæ obtinerent: datúsque Trivulcius, qui Aluiani demortui vices gereret; & obsessa est Brixia, eo euentu, quem Venetorum Historici scribunt. Interea pronis animis agebatur de fœdere cum Leone Pontifice contrahendo. Post pugnam deuictam, Leo metu captus ad Regem fidum hominem miserat, agebátque de pace; vltrò in idem votum propendebat Rex, tum Religionis veneratione, tum Pontificem abducturus ab Hispanis atque Heluetiis, viámque ad Neapolitanum regnum instructurus. Ergo primùm de conditionibus conuenitur, tum placet ad stabiliendam maiorem concordiam vt colloquerentur. Erant conditiones, vt Rex Medicæos atque Florentinos protegeret atque defenderet; tutelam Francisci Rouerei Vrbinatis Ducis abdicaret, Bononiam Pontificis esse pateretur; atque à Pontifice Parmam & Placentiam haberet. Iis constitutis, de colloquio actum est, & illud vehementer vterque optabat. Rex animo ingenuo, vti Pontificem deuinciret, ipsúmque induceret, ad pellendos Neapolitano Regno Hispanos. At Leo non dubitabat, quin Regem adolescentem, quocunque vellet, flecteret, atque abduceret. Mox de loco deliberatum, ac designata Bononia, nec molestum Pontifici, eò ad excipiendum Regem proficisci: siquidem non placebat Florentia, ne quid in Medicæam stirpem Florentini turbarent, Roma multò minùs, ne fortè vicinia, Regem victore exercitu comitante, in Neapolitanum regnum alliceret. Venit ergo Leo Bononiam, Franciscus biduo pòst, occurrentibus duobus Cardinalibus; & ipse modico comitatu, ne quid metus aut suspicionis moueret, admissúsque in Cardinalium cœtum, per Pratum Cancellarium obsequium Pontifici præstat, stans ipse interea, operto capite. Mox ad colloquium versi, magna humanitatis & beneuolentiæ significatione, triduò inter se egerunt, quique in suam rem collineantes. Rex apertè & candidè expeditionem Neapolitanam insinuabat Pontifici, cupiebátque institui; ille autem & solerter tecto consilio, rem ad Ferdinandi mortem differebat; senem capularem iam admotum tumulo, inducíarum tempus nondum effluxisse, vbi è viuis excesserit, nouo Principe atque inexperto, rem facilè suscipi & perfici posse. Tum aggressus in rem suam, postulabat extingui Pragmaticam sanctionem; tantúmque contendit vt in noua pacta conuenerint, quæ Concordatum, seu concordiæ fœdus, dicta sunt. Iis Pragmatica sanctio abolebatur; Regi dabatur in posterum toto regno, Antistites atque Abbates quos vellet eligendi potestas, atque Pontifici proponendi; qui propositi essent, eos Pontifex ad dignitatẽ designaret atque promoueret. Contra datum Pontifici, vt ad illas dignitates promouendi, sacerdotij fructus quos primo anno colligerent, Pontifici penderent, quos Annatas appellant; noua æstimatione instituenda; ita suum quisque alteri attribuit, magno vtriusque compendio; cùm Regi esset seligendorum Antistitum facultas, donorum inexhaustum

FRANCISCVS I.

Regis cum Pontifice colloquium & fœdus.

Pragmatica abolita.

Annatæ.

FRANCISCVS I.

penu, & sumptu facili, admittendo nemine qui sibi odiosus aut molestus foret; & Pontifici pecunia ingens accederet, ad sustentandam cum dignitate potentiam. Offerebat Leo Imperatoris Constantinopolitani Francisco titulum, si in Turcam bellum susciperet; sed ille inane nomen & difficili bello implicatum, de Consilij calculo repudiauit. At promisit Pontifex, Rhegium & Mutinam se Ferrariensi Duci redditurum. Postea solutum colloquium, & Pontifex se recepit Florentiam, Mediolanum Franciscus. Vbi tandem Heluetiorum odium expugnauit; fœdúsque contraxit cum bellicosissima gente, iis conditionibus quas Ludouicus abiecerat: vt iis promissa ad Diuionem pecunia solueretur, darentur pensiones antiquæ; ac pro vrbibus Mediolanensis regionis, quas restituerent, designata plura nummorum millia; tum ij iusto stipendio Regi mererent, præterquam contra Pontificem, Imperatorem, atque Imperium. Rex ea solicitudine liber reuertit in Franciam, dicto Comestabile Prorege Insubrium, atque assignatis decem millibus militum, ad tutelam, dimisso exercitu reliquo. Et ea primo regni anno patrata, summa omnium expectatione, quo se fastigio tam felix primordium coronaret.

XXVI.

Mors Ferdinandi.

Et verò Rex festinabat in Franciam, vti nouam procellam quæ exoriebatur excuteret. Henricus Angliæ Rex cum Ferdinando socero nouas turbas molicbatur: quippe Francisci fortunæ & gloriæ inuidens, offensus præterea quod is Scoti Regis susciepisset tutelam, conabatur in Germania atque Italia hostem excitare. Iis incumbentem Ferdinandi mors conturbauit, quæ magnis plerumque infensa consiliis, senem ingentia voluentem tandem intercipit. Creditur extinctus amatorio poculo quod coniux liberorum cupida propinauerat, quódque adusto iecore, hydropem induxerat; & Ferdinandus maiestatis Hispanicæ auctor & conditor, singulari prudentia in Principum paucis eminuit, summus regiis dotibus. Ferdinandi obitu, Carolus Archidux in amplissimum regnum vocatus est; Anglus repressus, Imperator haud quaquam: qui Sedunensi plurimùm instigante, cùm Mediolanensem Ducatum suum esse diceret, conscribebat ingentem exercitum, vt eum reciperet, & simul Veronam & Brixiam conseruaret, quas expugnare toto nisu Veneti conabantur. At Franciscus Ferdinandi morte in cupiditatem Neapolitani regni arrectus, eò Comestabilem destinauerat cum decem peditum millibus atque cataphractis octingentis equitibus, plerisque nobilium iugum obsequij excutientibus. Ea conantem deprehendit expeditio Maximiliani, qui antè acceptis à Ferdinando centum & viginti aureorum millibus, exercitum in id bellum parauerat; Heluetiorum quindecim millia, Germanorum decem, & quinque equitum; miserant autem Heluetios quinque pagi qui cum Francisco nondum conuenerant. Imperator postquam Brixiam & Veronam commeatu iuuit, ad Vicentinos montes conuersus, oppidula quædam expugnat, dum se hostis confirmat, conquirítque subsidia. Primùm Lautrecus, coniunctis Francicis copiis Venetísque, citra Adduam positus, iactauerat scriptis ad Regem litteris, prohibiturum se Germanos transitu; verùm cùm Imperator vastata prouincia ferox immineret, vadosúsque amnis esset, Lautrecus cum copiis Mediolanum se recipit. Et Comestabili de ratione belli consulenti

Maximilianus Mediolanum aggreditur.

Anno 1516.

consulenti visum est opportunius, nihil fortunæ permittere, hosti agros deserere, & salutem corporis curare in capite; gnarus Maximiliani expeditiones à constantia deseri, nec exitum nociturum, si vincantur initia. Prudentiam eius consilij euentus aperuit. Nam primùm tredecim Heluetiorum millia duce Alberto Petra accepit Comestabilis; tum Imperator postquam ad suburbia admouit exercitum, & per fecialem inanes minas detonuit, ciuibus ni Francum pellant, exitium interminatus, & quale olim Fridericus Ænobarbus intulerat, subito metu correptus, retrocessit, atque abducto exercitu, cœpit de se esse sollicitus. Quippe extimuit, ne ab Heluetiis, vt quondam Sforcia proderetur; in hostili exercitu, atque in suo tantum numerum eius gentis esse, quam meritò in suspicionem vocaret; eam in Austriacum nomen vetera odia concepisse, sibi ad stipendium deficere pecuniam, superesse Francis: quid vetet quin illi largitione vtrosque corrumpant? Eum metum promouit Iacobus Staflerus, qui Tribunus Heluetiorum stipendium ab eo poscebat insolentiùs; & cum suis Laudem secedit, vrbémque antè Cæsari traditam diripit. Cæsar transgressus Adduam, postquam aliquod aurum ab vrbibus corrasit; Tridentum se contulit, euanescentibus minis. Nec tamen Franci iusti metus expertes fuerant: etenim Heluetij vix Mediolanum peruenerant; cùm iubentur à suis magistratibus regredi in patriam, ac vetantur contra Imperatorem ac populares, pugnam suscipere. Iámque bis mille abscesserant, sequuturis proximè commilitonibus, atque haud dubiè discrimen ingens adibat res Francica, si metu emendato Maximilianus, in consilia hostis intendisset, atque perspexisset grauitatem periculi; sed ea fuit viri infirmitas, vt primæ cogitationes vix secundis vllum locum darent; quod primum insederat, rapiente temerè animum. Postea à Venetis Francisque incubitum, vti Veronam Brixiámque reciperent. Verùm interea Borbonius Comestabilis, dimissionem flagitans, in Franciam venit, & Præturam Mediolanensem Odeto Lautreco tradit; siue sponte abscesserit, partâ ex repulsis Germanis sibi gloriâ, & securitate prouinciæ; siue iam oppositus Ludouicæ Reginæ iniuriis, & fomite inuidiæ detrahendo. Post hæc paucis annis conquiescit à bello Francia, quasi restaurandis in proximas ærumnas viribus, plurimísque fœderibus pacem constituit. Primum cum Carolo iam Hispaniæ Rege, quod Nouioduni conscriptum est. Eo sancitum vt Carolus coniugem duceret Ludouicam Francisci filiam, vno anno natam, accepturus in dotem iura in regnum Neapolitanum; si Ludouica ante nuptias obeat, ducat sororem proximam Carolus, quæ si nulla sit, Renatam Britannam habeat, pendat annis singulis, centum nummorum millia, in sponsæ alimentum, restituátq; Nauarram Henrico Regi, Ioannis iam mortui filio; sin minus, Franco liceat Nauarrum iuuare. His in speciem durioribus assentit Carolus, necessitate impulsus, propter tumultus Hispanicos, qui externum bellum excluderent. Tunc cum Imperatore iurata pax, qui Veronam Lautreco tradidit, ísque Venetis, persoluta Imperatori pecunia: ac demùm Veneti ditionem suam post Cameracense fœdus exhaustis immensis difficultatibus receperunt. Mox cum Leone Pontifice, quanquam Francis non multùm propitio, reuocata concordia, datúsque Lautreci frater Thomas

FRANCISCVS I.

Fœdera cum vicinis.

Anno 1517.

FRANCISCVS I. Lescun.

Fuxius Lescunus, qui adductis copiis, Franciscum Mariam Rouereum, Ducatu Vrbinate expulit, Laurentio Medicæo, nepoti ditionem hanc asserens: Isque Laurentius Magdalenam Bononiensem, Regi consanguineam, affinem duxit: vnde orta Catharina Medicæa, vnica filia, tanti in Francorum monumentis nominis. Postremò cum Anglo instauratum fœdus, & desponsa Maria filia Francisco Delphino, tum ipsius nomen alteri Regis filio impositum, qui Henricus dictus; ac persuasum à Thoma Volsæo Cardinale Eboracensi, cui suprema erat in Regem suum potestas, vti Tornacum Franco restitueret; acceptis quadringentis nummorum millibus. Sic Europa procellis cessantibus fruebatur pace, & videbatur post multa secula Iani templum occlusum. Quanquam in ea tranquillitate, gratiæ apud Regem naufragium, imò vitæ passus est Ioannes Iacobus Trivulcius; de rebus Francicis perbene meritus. Ille priuatim ab Lautreco dissidens, atque in Franciam reuocatus, iactabatur Aulicorum artibus, Regina matre Lautreci odium propugnante; vtque erat animo in eiusmodi artes imparato, inter arma & castra diutissimè versatus, & conscius rerum quas gessisset, ab audacioribus verbis temperare non potuit; ob quæ cùm à Regis gratia excidisset, iámque in odium propè incurreret, spontè ab aula exul, morbo oppressus, tædio & dolore viuere desiit; iussa inscribi tumulo suo epigraphe, *qui nunquam viuus quieuit, hic tandem mortuus quieſcit*; procella iactatus multiplici, & naufragio tandem ad portum impulsus.

Trivulcij mors.

Anno 1518.

XXVII. *Mors Maximiliani.*

Pacem publicam impetrauerat Pontifex, atque inducias in quinquennium indixerat assensu Principum, vt arma in communem hostem instruerentur. Is Selinus Turcarum Sultanus, qui extincto Mammalucorum imperio, Ægyptum subegerat, & ferocissimus imminebat Italiæ. Porrò conuenerat inter Principes Christianos; vti Maximilianus conflato exercitu ex Polonis Hungarisque Equitibus, & Germanico peditatu, per Bulgaros in Thraciam penetraret, Rex Christianissimus Francos, Venetos atque Heluetios duceret Brundusium, atque inde in Albaniam solueret, inuasurus Græciam, vindicarétque libertati, sponte grauissimum iugum excutientem; Reges Hispaniæ, Angliæ, & Portugalliæ suas classes Carthagine noua coniungerent, ac ducentis nauibus Constantinopolim versus nauigantes, Hellespontum aggrederentur; postremò Pontifex centum triremibus Ancona solueret, séque classi ad Hellespontum adiungeret. Ingentem illam molem tam diuersis machinis surrecturam disturbat illicò Maximiliani obitus, qui cùm Pharmacum ad vitandum morbum hausisset vi illius nimia periit; adeò & per ipsa remedia mors grassatur. At continuò vnius hominis exitus ingentes procellas in Europa conciuit: siquidem primò belli Turcici dissiciuntur consilia, Principum animis ad alia versis; tum Luthero grassandi impunitas, atque hæreseos stabiliendæ opportunitas datur; postremo Regibus Franciæ atque Hispaniæ dissentiendi fomes obiicitur, atque internecinis bellis magno Europæ malo sæuiendi. Hic fomes, Imperium; flamma quæ afflauit ignem, Ambitio. Mortuo Maximiliano exurgunt duo candidati imperij, Franciscus Rex Franciæ, & Carolus Hispaniæ. Franciscus his rationibus spem conceptam alebat; *Franciæ restituendum vnde profectum*

Anno 1519.

profectum esset Imperium ; Caroli magni virtute assiduisque victoriis conditum in Germania primum imperium, ad eius heredes tandem post multa secula porrigendum: nec se indignũ, qui ad id fastigium promoueatur, nobilem Mariniana victoria, magno specimine regiæ tum fortitudinis tum felicitatis ; spondebátque extemplò se bello Turcam impetiturum, quinquaginta millibus peditum, viginti equitum, nihilque adiunctis Francis & Germanis futurum inexpugnabile. Contra, riualem sibi admodum imparem deprimebat; nam is ætate iunior, anno decimo nono nondum impleto, nulla administratione probatus, nullo bello tentatus, nondum ferro accinctus; vix dum ab ephebis & à pædagogo emissus, quomodo tantam molem sustineat, & ferocissimum hostem armatus repellat ? Hæc Franciscus atque affirmabat *eum ambitum ab vtroque nulla contentione instituendum ; certandum meritis, ac cuiusque virtute, non malis artibus, machinisve ; qui vinceret, felicitate sua frueretur ; qui victus foret, nec iniuria præteritum se adscriberet, neque in æmulum expromeret vindictam aut doloris sensum : quasi riuales qui virginem ambiant, mox electo in sponsum altero alter conquiescceret.* Iis admodùm speciosis firma & solida opponebat Carolus ; *se Germanum stirpe, atque aptiorem Germanico imperio, quàm alienigenam, maximè Francum, qui Germanicam gentem veteri dissentione opprimere cuperet, possétque ingentibus sui regni viribus : quandam sibi prærogatiuam à maioribus traditam, cùm successione continua Albertus, Fridericus, & Maximilianus tenuissent imperium, eumque morem inoleuisse, vt cùm filij Imperatorum viderentur idonei, in parentum locum, Electorum calculis cooptarentur ; rem iam propemodùm à Maximiliano confectam, vnáque morte prohibitam, nec Carolus ætatem aut imperitiam rerum excusabat ; certus id quod obiecerat æmulus, sibi commendationi apud Electores futurum ; qui anteponerent Principem cui imperarent, malléntque sibi ob ætatem obnoxium, quàm imperantem, & rebus gestis pratumidum.* Postea studia, suo quisque modo prehensabat; Franciscus apertè atque confidenter, Carolus solerter & efficaciter. Ille in Marchione Brandeburgensi fulciebat ambitum, & quanquam Legatos ad Collegium Electorum haberet Confluentiæ, in quibus Boniuetus Admiralius, dissimulata persona, totius rei moderator ; tamen minor industria, solicitudo & vigilantia erat, quam in Caroli oratoribus. Eorum mens atque animus Erardus Marchianus, Leodiensis Antistes, cui Imperium vni Carolus debuit, tam à Francisco alienus, quàm in Carolum pronus. Quippe à Ludouica Regina præteritus, in Cardinalium albo, quod Rex Pontifici proponebat, atque postpositus Bituricensi Pontifici, qui Reginæ, vt dicebatur, quadraginta aureorum millia numerauerat, indignatus operam suam negligi, eam ad Carolum vltrò traduxerat ; atque vt erat sagacis ingenij, vltione industriam acuente, in Electorum Comitiis rem perfecit. Ac primùm Brandeburgensem à Francisco abduxit ; tum Moguntinum Episcopum, & Palatinum Comitem Carolo addicit. Nec Pontifex inclinabat in Francum, potentiam veritus, metuénsque ne quod olim Ecclesiæ Francici Imperatores donassent, Imperator heres reposceret ; néve ipse Franciscus compos imperij, Neapolitanum regnum inuaderet, & vincula Italiæ fabricaret ; & eadem propemodum ob causas auersus erat ab Carolo ; cupiebatque vnum è Germaniæ Principibus ad solium vehi. Dum

FRANCISCVS I.

Franciscus & Carolus candidati imperij.

hæc

FRANCISCVS I.

hæc sine iurgio & contentione proponuntur, Boisij obitu benè constituta statim peruertuntur. Ille Arturus Gouferius, quem dixi, regiæ adolescentiæ Præfectus, probitate insignis, clarúsque in gerendis rebus prudentia, qui cum Croio Cheuresio Monspelium venerat, Caroli pariter institutore, nec integritate vitæ absimili; Ij cum suos Principes consiliis optimis regerent, alerentque mutuam inter eos concordiam, sempiternæ pacis modum & rationem ponebant, cùm repentina morte Boisius rapitur; magno Christiani orbis detrimento, & Francicarum rerum periculo. Etenim cùm vnus ille in Regis animum auctoritate polleret; vnúsque Ludouicæ matris effrenes cupiditates retunderet; perfracto repagulo, & Rex liberiùs in affectus suos incubuit, & Regina solutiùs ambitionem & auaritiam promouit. Statim in gratiæ locum euectus est Boisij frater Boniuetus, à Boniueto arce, sexto à Pictauio milliari, magnificè exædificata, sic dictus, iam Admiralius Franciæ, Reginę gratissimus, à virtutibus fratris multùm alienus, atq; ad Aulicas artes, longè aptior, quàm ad solidas veráque, tum consilij tum militiæ dotes. Isque Boniuetus moderator erat legationis Francicæ ad Electores, quanquam latens, spémque alebat Francisci, affirmans haud dubiè futurum ipsum Imperatorem; cùm repente Carolus absens Electorum suffragiis Imperator dicitur. Sic flagranti spe deiectus est Franciscus; prærerítionis vt vocabat iniuriâ, altiùs quàm par esset in generosum & sublimem animum penetrante. Porrò si Lectorem dignoscendi Caroli cupiditas subit; quando ab eo stabilitum est imperium Hispanicum, multis retrò annis Francico æmulum; ita à Scriptoribus pingitur, tum corporis lineamentis, tum affectibus animi. Erat statura mediocri, capillo flauo, colore niueo, labro inferiore paululùm eminente, atque inuerso; vnde is in posteris Austriacorum character; oblongo vultu, ad mœrorem potius quàm lætitiam conformato, sermone raro atque modesto, tardo incessu, gestu atque habitu temperato, vt grauitati & seueritati propior videretur. Iam animo sibi proposuerat Ludouicum XI. imitandum, eiúsque vitam à Comminio conscriptam perlegebat assiduè; ab eo consilium, & solertiam, hauriens, nusquam crudelitatem aut timiditatem: nam domi mansuetus erat ac facilis, priuatim parcus, liberalis in publicum, suæ sententiæ tenax, ac sæpè pertinax: primùm à bellicis expeditionibus alienus, mox delibatâ per Solimannum depulsum gloriâ, illius supra modum auidus, ac bella tam ductu suo quàm auspiciis gerens: voluptatum parcus, ad Martis munia pacísque strenuus: curâ totum se impendens in regimen: laborí haud parcens, quanquam aduersa valetudine, & infirmo corpore: animi robore ægritudines superante. Cœterùm felicitate quadam promouente consilia, Francisco in pluribus superior fuit, illo plerumque indulgente voluptatibus, dum ipse curis votísque, intermissione nulla, incumberet.

B. ijsij mors.

Boniuet.

Carolus Imperator.

Caroli effigies.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XVI.

SYNOPSIS.

Dissensionis causa inter Carolum & Franciscum. Regis cum Anglo colloquium. Primum Carolum inter & Franciscum bellum. Bellum in Nauarra. Ignatius de Loyola. Bellum in Belgio. Baiardus Campaniam seruat. Rex in Belgium penetrat. Fontarabia capta à Boniueto. Bellum in Italia. Mediolanum amissum. Leonis Pontificis mors. Conflictus ad Bicoquam. Laus Pompeia capta. Genua amissa. Fontarabia seruata. Angli in Picardia. Apparatus ad bellum Italicum. Borbonij coniuratio in Regem. Aperta coniuratio. Exercitus in Franciam inducti. Fontarabia perdita, & Baiona seruata. Boniuetus ab Italia pulsus. Clemens VII. Pontifex. Borbonius Massiliam obsidet. Claudiæ Reginæ mors. Rex in Italiam transit. Rex Ticinum obsidet. Rex Neapolim copias mittit. Hispani se ad pugnam instruunt. Pugna ad Ticinum. Sensus varij ob captiuum Regem. Rex in Hispaniam ductus. Morbo affligitur. Fœdus Madritense. Rex liber in Francia. Fœdus

cum Pontifice & Venetis. Nouum fœdus in Cæsarem. Lautrecus in Italia. Cæsaris & Regis inimicitiæ. Lautrecus Neapolitanum regnum inuadit. Victoria naualis ad Neapolim. Doriæ defectio. Franci ex Neapolitano regno expulsi. Lautrecii mors. Franci ab Insubribus & Genua pulsi. Pax Cameracensis. Langæus in Anglia. Post pacem æmulatio. Rex agit cum Germanis. Et cum Anglo. Regis colloquium cum Pontifice. Cædes Meruillij bellum suscitat. Bellum in Sabaudum. Genuæ rebellio. Hæresis detecta in Francia.

FRANCISCVS I. *Dissentionis causa inter Carolum & Franciscum.*

NOVA Caroli dignitas paucis admodùm principum gentiúmvé satis grata fuit. Præsertim Franciæ rex, tametsi petitionis tempore æquanimitatem & modestiam multam prætulerat, tamen quia non existimabat Carolum sibi antelatum iri, non ægrè hunc animi sensum à se impetrabat; at spe posteà falsus, dolore acerrimo vexabatur, quod futurum euentum præsumpsisset inaniter. Ideò aures adulatoribus præbere faciles, suffragiorum iniquitatem passim accusantibus, dolum & vim Caroli sugillantibus, ipsumque proscindentibus contumeliosis verbis, & proponentibus in derisum aulæ. Nec deerant Carolo expostulandi de Franciâ causæ veteres recentésque. Mariæ auiæ raptam iniuriâ à Ludouico XI. Burgundiam querebatur; auo Maximiliano detractam à Carolo Annam sponsam; Philippum patrem illusum sæpius spe nuptiarum, sibi primùm Claudiam Ludouici filiam desponsam, mox Mariam Anglicam, post Renatam, sponsione falsa; se postremo illusum, Franciscí filiâ promissâ in coniugem, vixdum luci data, & vagiente in cunis; cui tamen alimenta penderet; quasi Hispaniarum rex atque Imperator vxorem consequi, nisi à cunis suo tanto sumptu, nullam posset. Quid quod reposcebat Mediolanensem Ducatum, qui feudum Imperatorium esset, à Maximiliano Ludouico traditum, in spem nuptiarum; quibus post irrisis, & irrita concessio esset. Et deferebantur scommata atque ludibria, quibus in Franciscí aulâ iactabatur, eò altius in animum penetrantibus; quo propiùs vero similia erant; vtque potentiæ nihil contemptu molestius, odium & vindictæ libidinem admittebat penitus, atque ardebat qui ludibrio foret, timori esse atque detrimento. Et ea sunt odij semina bellique perpetui, quæ Principes geminí in vbertimam messem aluerunt, immensis Europæ calamitatibus. Verùm per gradus mutuus furor incessit, nec extemplò præcipitatus est. Franciscus antè dolorem animi quàm aperiret, censuit conciliandos fœderatos; ac primum omnium Henricum Anglum, magni momenti in vtram partem se verteret. Et is prono assensus est animo; premente in Caroli sortem inuidia. Locus Guinas inter atque Ardras designatus, medius in vtriusque ditione, cùm Guinæ Angli essent, Ardræ Franci

Regis cum Anglo colloquium.

Franci; idque colloquium per quindecim dies habitum, maiori pompâ quam fructu. Nempè Volsæus Cardinalis & Boniuetus Admiralius, suorum quisque Principum compotes, cùm ostentandæ magnificentiæ studio agerentur, superfluo atque inani spectaculo, Regum ærarium, & multorum nobilium opes effuderunt, quas longè commodius in bella proxima impendissent; pegmatibus ligneis, auratis papilionibus, conuiuiis Persicis, ludicris sumptuosis, exhaustâ innumerabili pecuniâ; nec finem locus *Castra aurea* dictus est: in quo aurum gemmæ & sericum refulgebant, sed præterea tantum auri impensum est, vt eo vel amplissimæ prouinciæ emi potuerint. Enimverò maiestas oris, corporis dignitas, palæstræ gratia, robustæ vires, formosaque dexteritas, excellebant in Regibus; & miratus est vniuersus consessus, ludicro præmio digniorem neminem, quàm ipsos Reges; verùm ea ad captandos amores mulierum, quam ad faciendum fœdus apriora, vt matronis placuerunt impensius, sic ad firmandam amicitiam nihil contulerant: pompis eiusmodi vt ventosæ atque inanes sunt, plerumque inanem gloriam, & vanas famæ bullas gignentibus: sanè huius colloquij fructus nullus fuit; nam quamquam fœdus contractum est, quo conueniebant Reges ad repellendum Carolum, si quid noui in Italia moliretur; tamen aliquantò post Carolus ex Hispania in Germaniam nauigans, in Angliam appulit, amicissimè ab Rege exceptus, nouum cum eo fœdus pepigit; vt si quid Carolo cum Francisco controuersiæ foret, penes Henricum iudicandi esset potestas, & facultas in eum bellandi qui recusaret suo iudicio stare. Idque perfectum est, accedente ad Henrici inconstantiam Catharinæ coniugis commendatione, quæ Caroli matertera erat; & Volsæi cupiditate, qui nouis donis à Carolo cumulatus, spolia legebat ab æmulis, & sui Principis vanitatem fouebat, qui se arbitrum Europæ faceret.

FRANCISCVS I. Anno 1520.

II. *Primum inter Carolum & Franciscum bellum.*

Imperatore in Germania coronato; non illicò bellum prorupit; vtroque Principe nondum auso deturbare pacem, atque enitente belli incepti odium conferre in æmulum. Sed modestiæ frænum assentatorum protetuia vtrinque disiecit. Orangij & Leodiensis Episcopi apud Carolum; apud Franciscum Boniueti. Nassadius, ob vxorem Princeps Orangij, ab Ludouica Regina in Aulâ vexatus, ad Imperatorem secesserat, & Leodiensis odia promouens, incendebat animum Caroli: Boniuetus similiter, sperans lucrum immodicum ex belli incendio, quando ipsius tota administratio foret, præcipitem Regem impellebat ardentiùs; *Carolum aliquando è corolarij vocandum ad castra; edocendum, dolos inter tectúmque ambitum; ac militarem disciplinam quantum interfit; in bombardarum fulminantium fremitum impellendum, quem hactenus susurri adulantium demulsissent.* Ita placuit à tergeminis locis bellum exordiri; sed captatâ occasione, vt repellere potiùs quàm lacessere videretur. Primò in Nauarram bellum traductum est, Regis Henrici nomine; adhuc pace falsam in speciem stante. Quippe fœdere Nouiodunensi statutum erat, vt intra sex menses Carolus Nauarram Henrico restitueret, sin minus fas Francisco esset Henrico ferre suppetias ad auitum regnum repetendum; & magna spes erat recipiendi. Etenim Hispaniæ

Bellum in Nauarra.

FRANCISCVS I.

Proceres Cardinale Ximene veneno, vt creditur, interempto, quod impotentius in nobiles exerceret imperium, an potius quod eorum prauas cupiditates vir omnis cupiditatis expers infringeret; noua rebellione in legatos Caroli consurrexerant. Ij Croius Cheuresius, & Adrianus Florentius, Belga vterque, qui cùm dignitates atque ærarium arbitratu suo administrarent, odiosi Hispanis, præsertim Cheuresius, ob nimiam auaritiam, & flagrantem auri amorem, passim tumultus per plures vrbes concitarunt.

Anno 1521. *Santa Iunta.*

Padilla seditionis dux; quam *sanctam adiunctionem* vocauit, pluribusque tum Proceribus tum ciuitatibus conuenientibus, exardescebat flamma ciuilis. Porrò Velasques Castellæ Comestabilis, vt rebelles compesceret exercitum scripserat, petito ex Nauarra milite, abductisque machinis bellicis. Ea Francisco præclara opportunitas visa, mittítque sex millia Vasconum & Cataphractos ducentos, duce Andræa Asparro Fuxio, Lautreci fratre, qui in Nauarram irrumperent. Belli momentum vna Pompelo erat; nam Ferdinandus occupato regno, arces omnes diruerat, seruatâ duntaxat primaria, ne rebellandi facultas voluntati accederet, verùm ciuitas Asparrum excipit, præsidio in arcem proximam recepto. Imposuerat Prorex arci Præfectum Ignatium Loiolam, (quem tamen alij non Præfectum, sed militem dicunt) nobilem Cantabrum, iuuenem magni spiritus, & militaris audaciæ, qui suos ad sustinendam vim confirmauit; donec altero crure grauiter saucio, atque infractis militum animis, arcem Vasconi tradit; humaniter à victore habitus, dimissúsque in lares patrios.

Asparrot.

Ignatius Loiola.

Hícque est Ignatius, qui sanato vulnere nouum vitæ genus instituit, & abdicatâ militiâ Deo se addixit, austeritate vitæ, rebúsque gestis mirabilis; aliquantò post Societatis IESV auctor & conditor, quam in Francià natam, in vniuersum orbem propagauit Deus; bello in hæresim atque idololatriam perpetuo. Captâ Pompelone, totam Nauarram Asparrus subigit, erántque secutæ res, si prosperitas sibi finem atque terminos posuisset. Etenim victor in alienum inuadens, prædæ forsitan cupiditate, Logronium in Hispaniâ Tarraconensi vrbem ad Iberum, copiis obsidet; eásque imminuit stultâ imprudentiâ, exaurhoratis quam plurimis, vt stipendium lucraretur. Hispani qui hactenus Nauarram vt alienum omiserant, cùm se impeti vident, è veterno exciti, in communem hostem vertuntur. Velasques commodum ad Villadariam rebelles profligauerat: vnde victorem exercitum in Asparrum ducens, cogit solutâ obsidione præcipitanter sub Pompelonis murum recipere se. Asparro sex Vasconum millia in subsidium mittebantur, poterátque si cunctatus esset, bellum trahere, hostémque penuriâ ad receptum adigere: sed præcipiti temeritate ad pugnam properat. Pedites statim ad fugam acti sunt: cataphracti equites victi ægerrimè: ipse Asparrus in manus hostium venit, tot ictibus galea exceptis, vt visu orbatus sit: alij Nauarræ proceres egregia in Henricum fide, simul capti sunt, atque abducti. Pompelo statim Velasquem admisit, regnúmque vniuersum sub ditionem Hispanicam recidit: adeò solemne Francis est vincere, & vinci cùm vicerint, diruente imprudentia quod fortitudo confecit.

Porrò

Porrò id bellum in extremo regno, ceu morbus leuior grassatus, ad penetralia nondum peruaserat; cùm ad viscera propius leui admodum causa admouetur. Robertus Marchius, Sedani dynasta, pro Hierga oppido cum Emeriaco litem instituram, iudicio Procerum victor retulerat: Emeriacus victus cùm appellaret Carolum Imperatorem, dicerétque Marchius rem iudicatam, præpollente apud Carolum Emeriaci, auctoritate, Marchius ne succumberet ad Franciscum perfugit, & ingenti audacia Imperatori agenti Vormatiæ bellum indicit. Verùm magno exercitu statim oppressus, in quadragesimum diem inducias impetrat; Francisco iam sollicito quò se tantus belli apparatus verteret, & accuratè exercitum conscribente. Interea Rex Angliæ ab vtroque Principum appellatus, vt ex fœdere cum singulis inito, singulorum partes tueretur, se medium profellus, postquam vtrumque adhortatus est, ne in bellum prorumperent, exorauit vt Caletium Legatos in pacem mitterent, Augusto proximo; & ipse eò Cardinalem Eboracensem designat, qui suo nomine controuersiam totam disceptaret. Dum is mensis aduenit, Imperatoris exercitus duce Fiennio, Flandriæ Præfecto, Tornacum obsidet; mox aliæ Cæsaris copiæ Ardras intercipiunt, diruúntque; Teruanâ clandestinis consiliis, in discrimen ingens vocatâ. Cùm augusto mense Legati Caletium conuenissent, & Franci violatam pacem acerbè quererentur, Cæsariani id iussu Caroli factum pernegantes, reposcebant Burgundiam, Antisidorum, & Matisconem; néve in posterùm Flandriæ comes Franciæ Regi clientelam præstaret: cùm ea Franci reiicerent, atque animaduerterent Eboracensem in Cæsarianos plurimùm propendere, solutum est colloquium re infecta. Nec Cæsariani præstolati sunt, dum id solueretur: nam Comes Nassauius, dum fingit se Marchium oppugnare, Mosa repente transito, Monsonium vrbem Campaniæ aggreditur, capítque deditione militum, aut præfectorum ignauiâ. Tunc ipsa re bellum indictum est, amoto pudoris & cunctationis repagulo. Nassauius euentum prosperum vrgens, iam futurus Campaniæ compos, Meserias vrbem ad Mosam positam, atque situ & defensoribus immunitam, victricibus copiis circumuallat. Franciscus iam ante in bellum imminens instruens copias, regni extrema quæ appeteret bellum, ita diuiserat; vt Campaniam Alensonius propugnaret, Vindocinensis Picardiam, Aquitaniam Boniuetus, & Lautrecus Insubres; cuique assignato milite necessario: ipse in medio ageret, quo vocaret necessitas aduolaturus. Expugnato ignauiâ ducum Monsonio, ne fortè fors eadem opprimeret Meserias, Bajardum præsidio præfectum mittit, qui vno suo nomine defectum loci, militúmque suppleret; simul cum eo nobiles adolescentes, Mommorancius, Annebaldus, Villequerius, aliíque posituri sub veterano duce tirocinium, in vrbem penetrant. Verùm miles præsidiarius, vbi primum detonuit hostilis machina, ignauo metu conterritus, magnam partem desertione turpi, vrbe se proripit: adeò nobilibus plebeiisque animis diuersa sapiunt. Nec ideò perculsus Bajardus; sed cæteris gratulatur, quod fæce militum purgati quodammodo atque abstersi, relicti essent comparandæ gloriæ; omissisque commodum sociis, qui

FRANCISCVS I. III.

Bellum in Belgi propter Marchium.

Fiennes.

Mouson.

Meseres.

Bajardus seruat Campaniam.

FRANCISCVS I.

fucorum instar, in partem laudis, labore nullo admitterentur. Mosa vrbem alluens, propè in orbem flexus penè vniuersam fluctibus cingit, efficitque peninsulam, terræ adiunctam, qua via ad Arduennam & Burgundiam patet. Copias Nassauius partim vltra amnem, partim ad fauces isthmi, locauerat, tormentisque muros acerrimè verberabat; quod vbi factum est, Baiardum per tubicinem compellat, vti vrbem immunitam ac apertam reddat. Ille cùm fortiter respondisset; *ciuitatem sibi à Rege commissam, quâ nusquam prodiret, nisi per erectum cadaueribus hostium pontem*; frequenter erumpens disturbat hostem, longiúsque à mœnibus pellit. Nihilominus muri pars deiecta, rerum penuria, ac præsertim pulueris, & sauciorum numerus, Baiardum deducebant ad vltima, ni darentur suppetiæ, quibus viam vt patefaceret, comminiscitur militarem fraudem. Nouerat Nassauium inter & Sichingemum hostium duces, ortam ex æmulatione inuidiam; Nassauium vltrà amnem agere, Sichingemum in isthmo; literas igitur fictas ad Marchium scribit, monétque vti Nassauium certiorem faciat, iam adesse tempus implendi promissum, atque ad regias partes accedendi, ni faciat, breui fore vt toto Regis exercitu inuoluatur. Eæ literæ rustico datæ, iussæque ad Marchium ferri: quæ facilè à Sichingemo deprehensæ ac lectæ, quem Baiardus optaret effectum sortitæ sunt. Quippe Sichingemus iis fide habitâ, ne primus qui patebat hosti obtueretur, solutis castris ad Nassauium transit, reclamantem plurimùm, & dolosas literas accusantem: Sichingemi discessu, Mongommerio Largio patefacta est via, commeatum & militem inducenti in oppidum. Nec vltrà Nassauius obsidioni insistit: transportatis secundo amne machinis, versus Picardiam mouet, tentaturus Guisam & Veruinum; sed cum Guisam Vindocinensis tegeret, Veruinum Palissa; Aubentone oppido capto, direptóque atque crudelissima immanitate cæsis ciuibus, cuiuscunque sexûs atque ætatis in Artesiam secedit. Sic Baiardus Campaniam vno in oppido texit, eripuítque periculo; munimento validissimo omnium, viro forti. Eum Rex donauit torque aureo Sancti Michaëlis, præfecitque turmæ cataphractorum, quanquam meritis longè impari præmio; sed contingit aliquoties, vt præclarissimis viris præmium ipsa sit virtus, ne dediscant mortales ob virtutem vnam præclara agere.

IV. *Rex in Belgium penetrat.*

Dum ad Meserias impingit Nassauius, spatium Regi fuerat apparandi exercitus; erantque in eo quinquaginta militum millia; quo instructus, postquam Mosonium Sampaulinus Comes vi recepit, in hosticum inuadit. Exercitum in tres acies partitus; primam Alensonio permisit, postremam Vindocinensi, mediam ipse cum Comestabile agebat. Et Comestabili inferebatur iniuria, ad quem spectabat Rege præsente primam aciem ducere; eò maximè quod Alensonius, quamquam Regem affinitate proximè omnium contingebat, erat hebete ingenio, & ignaui admodùm animi; cui eam ob causam adiunctus erat Castilionius, Franciæ Marescallus, flagrantissimæ apud Regem & Ludouicam Reginam gratiæ, quod Mommorancij sororem haberet in coniugem, adolescentis Regi charissimi: & ipse aulicarum artium quàm militarium peritior, delectus à Ludouica erat, qui

Chastillon.

qui Comestabili opponeretur. Iamque contumelia aspersus erat Comestabilis animus; quoniam in defendendis prouinciis erat prætermissus,& Boniueto Lautrecióque postpositus, sed doloris sensum fortiter dissimulabat, tecto igne grassante sæuius,& in magnum Franciæ malum erupturo. Regi erat Consilium, Tornaco obsesso ire suppetias, Cæsarémque si occurreret pellere; atque in itinere duo oppida capta atque euersa sunt; Bapalma à Sampaulino, & Palissa; & Landrecium à Vindocienſi; tum vltra progressus, inter Cameracum & Valencenas, audit Cæsarem cum exercitu ad eam vrbem castra posuisse. Igitur prælij cupiditate incensus, eò se conuertit, atque ad Scaldim interfluentem festinat. In amnis transitu cùm expeditionis caput versaretur, vtrimque ad eum quà conficiendum quà prohibendum mittuntur copiæ; à Rege Sampaulinus Comes vt pontem imponeret; ab Cæsare duodecim Germanorum millia, cum quatuor equitum millibus. At Sampaulinus præfestinans, pontem extruxerat, copiásque traiectas loco commodo, paludes inter, posuerat; cùm Cæsariani aduolant, nec prælium ausi conserere retrò cedunt; iámque prima acies, atque ipsa media pontem transmiserant, cùm præclara occasio belli conficiendi elabitur. Cæsar primum agmen cum exercitu insequutus erat; & recedebat, reiectis in postremum agmen octingentis equitibus, qui peditem tegerent, atque hostem velitationibus morarentur. Comestabilis, quanquam in medio agmine, militarium peritissimus rerum, illicò fugam, & trepidationem hostium prospexit; & accusatâ Alensonij, & Castilionij morâ, auctor erat, vt toto exercitu Rex discedentes opprimeret; continuò disiectos equites in peditem ruituros, perturbaturos ordinem, paratam victoriam, nec hosti in aperta camporum planitie esse effugium; & clam ipse speculatores immiserat, à quibus hostem fugere certò acceperat. Contra Castilionius, cuius maximè ductu atque consilio gerebantur omnia, quique à Regina in mandatis habuerat, ne quid aleæ pugnæ committeret, nihil tentandum affirmat, nebulosum esse diem, ignorari quid hostes agerent, locum esse insidiis, nec inexplorato ruendum ad prælium; sat patratum esse, quod incolumes amnem transmiserint. Plerique Duces accedebant ad Comestabilem, expostulabant opportunitatem effluere; imò Palissa, Trimollius & Baiardus, id deposcebant munus; suo capite spondebant victoriam: quin & milites exoptabant prælium; atque Heluetij ingeminatis vocibus pugnam inclamabant; Regémque armatum flagrantissimè ad dimicationem vrgebant. Enimverò ille vno affectu inuidiæ, primam cupiditatem pugnandi, vindictæ ardorem, laudis celebritatem, gloriámque victoriæ, corrupit ac perdidit. Quippe occulta in Comestabilem inuidentia, ratus si pugna conseretur, magnam laudis partem ipsum qui fuisset auctor decerpturum, cessauit à prælio; maluitque non vincere quàm æmulo laudem apponere; adeò inuidia sibi ipsa pœna est, virtutémque omnem tam in se quàm in alio extinctam cupit. Cæsar elapsus, proximâ nocte cum centum equitibus euasit in Flandriam; magno metu ob adolescentiam & imperitiam belli perculsus, cum post, præclara fortitudine, & illustribus factis emendaturus; adeò sæpe initia augurantes fallunt: copiæ

FRANCISCVS I.

Valencenis

FRANCISCVS I.

Valencenis exceptæ sunt; & Franciscus occasionem pessundedit, futuram caluam in posterum, nec tam facilem in beneficium suum occursuram. Decreuerat interim ad liberandum Tornacum pergere, cùm inundantibus per imbres amnibus, iam enim ad exitum October vergebat, prohibitus transitu, per Atrebatenses recessit in Picardiam; missis Comestabile, qui Bocainum cepit; & Vindocinensi, qui Somanum: leui tantæ expeditionis pretio, perstante adhuc Tornaci discrimine.

V. *Fontarabia capta pacem vetat.*

Et ipse dum recedit, nouam opportunitatem, opprimendi belli dimittit, nam legati Anglici eum assequuti, pacem impetrabant, in eas conditiones, vt solueretur Tornaci obsidio, Imperator exercitum ab Insubribus reuocaret; Franciscus militem mitteret; & si quid aliunde controuersiæ foret, Rex Angliæ iudicaret. In pacem assentiebat Franciscus, cum Boniueti temerarium imprudénsque consilium, iam exceptum portu in altum Pelagus & in procellas repellit. Ille in prouinciarum distributione sortitus Aquitaniam, vt belli laudem gratiæ commendationi adiungeret, non contentus fines suos tueri, in hostiles inuadit, atque ab Aquitanis multa pecuniâ per mutui regij speciem extortâ, bellum in Cantabriam infert. Erant in copiis sex millia Germanorum, Duce Claudio, Comite Guisio; duo Francorum millia, & Cataphracti sexcenti; quos cùm ad Nauarræ fauces duxisset, & castra identidem mutans, lusisset hostem, incertum quam in partem se verteret; repentè in Cantabriam inferiorem deflectens, montibus celeritate summa superatis, ad Behobiam fluuium venit Castra in ripa citeriore metatus. Amnis fluit incerto admodùm alueo; nam Oceano proximus, cùm influentibus vndis intumescit excludit transitum, eùm aquæ refluunt, transeuntes admittit. Hispani se in vlteriore ripa ostentabant, duce Iacobo Vero, nec impari hostibus numero: vltra amnem arx erat Behobia dicta, ab fluuij allabentis appellatione; tum paulò infra ad Oceani littus qua influebat amnis, Fontarabia vrbs exigua, sed munitissima situ. Postridie, postquam Oceanus fluctum resorbuit, Guisius Germanis præuius vado transiens tam fortiter in hostes inuehitur, vt ipsi fugâ extemplò dissecti in proximos montes euaserint, nec cunctatus Boniuetus, Behobiam arcem tormentis verberat, ac cæso globi ictu qui machinis in arce præerat, ad deditionem præsidiarios adigit. Tunc vrgendum hostem ratus, cùm attonitus est atque perculsus, oppugnat Fontarabiam. Est Fontarabia oppidum permodicum; at magni momenti, quà Behobia fluuius mari infunditur; partim fluuio partim mari cinctum, vt expugnari nisi gemino exercitu ægrè possit: attamen quà terræ adiungitur, subiacet colli, vnde in murum inferiorem prospectus, & dominatio quædam porrigitur. Postquam Boniuetus partem muri prostrauit, quanquam haud pateret satis, minúsque depressa, incommoda irrumpentibus labes foret; tamen aggressionem instituit; qua repulsi sunt Vascones. Ergo vt faciliùs die sequenti in vrbem perrumperent, collem occupat, locátque tormenta, quibus propugnantes ferirentur in latus. Eo defensores perterriti vrbem dedunt, pacti salutem & vasa integra. Potitus vrbe Boniuetus, quasi totam Hispaniam subegisset, verbis efferre se, iactare fortitudinem,

Behobie:

concipere

concipere animo grandia, & militari gloriâ supra facinus intumescere plurimùm. Auctor Guisius erat, vt vrbs à fundamentis diueretur, arxque erigeretur in altera amnis ripa ex materia dirutæ; vix arcem vnam seruari posse in alieno, commeatus labore plurimo inducendos, & alendum ad eam seruandam exercitum: ea incommoda curari arce citrà fluuium posita, ad quam multò difficiliùs hostes peruaderent, & quam Franci propugnarent faciliùs. Prudentibus monitis obstruebat aurem Boniuetus, nec euerti trophæum victoriæ patiebatur. Quamobrem ad Regem scribit, captam vrbem, momentum exaggerat, perfossámque tanto vulnere Hispaniam, ad extrema facilè agi posse; nec vllo modo restituendam, nisi Hispaniæ Rex Nauarram restitueret. Cùm ista promotam pacem interturbarent, legati Anglici rem proponunt; vti vrbs apud Regem suum sequestrum deponeretur, donec amplius inter litigantes conueniat. Id Boniueto vbi innotuit, equis cursoribus ad Regem aduolat, tantúmque precibus, gratiâ, & adhortationibus contendit, vt ob eam vnam vrbem seruandam, Rex tempore inopportuno pacem abruperit; Tornacum amiserit, vrbem fide in Francos spectabilem; Italiæ res propemodum perditas profligarit; & se in eum Labyrinthum induerit; vnde nullo filo, nulla fortitudine sese expediet: adeò pernicioſum est Principi, vni viro totum addicere se, & priuatæ gratiæ dare, quod exitiabile sit vniuersis; cùm singuli ius in beneuolentiam Principis habeant; nec quod cunctis nocet, vni donandum sit. Interea Borbonius & Vindocinensis Hesdinum vi ceperant, opulentam vrbem & prædâ refertam: at Camperucio Tornaci præfecto iussum a Rege, vrbem vt dederet, quando ferri nequibant suppetiæ. Et in Italia vrgebat calamitosior fortuna, rémque Francicam propè in perniciem certam vocauerat. FRANCISCVS I.

VI. *Bellum in Italia.*

Primùm cum Pontifice Rex pepigerat fœdus, quo Neapolitanum regnum partiebantur inter se, verùm ea vmbra & imago fœderis, cùm alter alteri illusum cuperet, & ad suum quisque scopum collimaret. Vnde non multò post nouum cum Cæsare Pontifex contrahit; quo conueniebant ad expellendum ex Insubribus Regem, communi sumptu; Francisco Sfortia constituendo in Ducem; Parmâ & Placentiâ in potestatem Pontificis redituris. Nec cessauit Pontifex odium in Francos expromere, Mediolanenses exules excipiendo, & clandestina fouendo consilia, si absente Lautreco promoueri possent. Erat autem exulum Princeps, dignitate, & sagacitate, Hieronymus Moronus, qui repulsam ab Rege passus, cùm recenseri inter magistros libellorum supplicum posceret, concepto ob contemptum odio, se ad Sfortiam applicuerat. Agebat in Francia Lautrecus, ad ducendam in coniugem Orualli filiam, fratrémque Lescunum potestatis suæ vicarium Mediolani reliquerat. Iam à Francis alieni plurimùm Insubres erant; nam præterquam quod, qui obsequuntur mutationum sunt cupidi, dum videntur grauiora præsentia, & futura meliorum spem concitant; causæ etiam propriæ accesserant; amor ille ob Ludouici moderationem susceptus contrariis malis perierat: milites non persoluto stipendio vexare hospites; diripere & habere crudeliter; Centuriones & Tribuni

FRANCISCVS I.

id impunè ferre, atque ipsi plura per auaritiam atque libidinem perpetrare; Rex appellatus negligere, non audire, totus in voluptatibus & mulierculaṙum amoribus mergi; ita miseriis tantis obnoxij vnum cogitare atque intendere, vt quovis discrimine molestissimum iugum excuterent. Hos animos introspiciens Pontifex, primùm occultis per exules grassatur insidiis, quæ cum haud satis prosperè euenirent, se hostem professus, copias conscribit, atque adiungit imperatoriis; iis præerat Ferdinandus Aualus Pescariæ Marchio; illis Prosper Columna: atque vniuersis Mantuæ Marchio, Ecclesiæ Gonfalonerius. Et Pontifici in secundum omen acceptus est casus, quo arx Mediolanensis propè euersa est. Ipso die sanctis Apostolis sacro, sereno cœlo sub occasum Solis, fulmen cados tormentarij pulueris ex arce eductos, atque in platea propositos, momento corripuit, statim incendium peruadit in turrim proximam, eodem puluere ad commeatum arcis oppletam; tantoque fragore terram & proxima quæque excussit, vt in ruinam vrbs agi videretur. Turris à fundamentis euersa est, vtrimque magna muri pars deiecta, & diruta, prouolutis saxis ædes arcis quassatæ atque pessundatæ; iis, in plateam & proximos vicos eructatis trecenti homines obruti atque interfecti; metu horribili ciuitas tota contremuit; fastigium turris solo infixum auelli vix potuit; perculitque Francos inexpectatum prodigium; quasi terra ipsos procul expelleret, vltrò arces paterent hostibus, atque cœlum munimenta euerteret, & propugnationem omnem eriperet. Nec diuersus à metu contingit euentus. Ad hostium motum Lautrecus, qui vt scripsi, agebat in Francia, & Ludouicæ Reginæ tentabatur odiis, proficiscì in Italiam recusabat, nisi acceptis trecentis aureorum millibus, quæ sibi eo anno ad belli sumptus necessaria affirmabat; tandem Rege & præfectis ærarij spondentibus, promptam pecuniam, atque extemplò Mediolanum portandam, ipse in Italiam properat. Heluetij egregia in regem fide militem dederant; Veneti Theodoro Trivultio Duce adiungunt copias; suas ipse Lautrecus colligit, quibus fretus, versus Parmam mouet, quam fœderati obsidebant, parte vrbis iam captâ. Simul Ferrariensis, quod diu distulerat, Franco palàm hærens, educit copias, & Sanfelicem occupat. Ideò fœderati, metu ne vtrimque hostis incurreret, præcipitanter solutâ obsidione Parmam deserunt, Padúmque transmittunt, tanto tumultu vt à Lautreco facilè deleri potuerint; si hic alieno consilio accommodaret se, nec peruicacior in sententiâ, aspernatus esset, quod cæteri duces proponebant; turbatum hostem vinci posse, & bellum vno impetu confici. Verùm Lautreci ea indoles erat, vt manu præstantissimus, animo excelsissimus, & consilio non omninò malus, alienam sententiam non audiret; nec duci consentaneum crederet, quibus ipse imperaret, & iisdem obsequi. Fugientem exercitum Pontifex supplemento magno instauratum, additis Cardinalibus Legatis Medicæo & Sedunensi, rursus vltrà Padum ad bellum immittit; sed Lautreci vigilantiâ & labore assiduo, in angustias acti, nullâ re perfectâ coacti sunt in Mantuanum agrum secedere. Ea inter effluente Autumno, atque imbribus præuiis hyemem nunciante, productis iam noctibus & frigidioribus,

Mediolanum amissum.

castrorum

castrorum tædium cepit Heluetios, qui magno numero in signa conuolauerant; pecunia in stipendium nulla, nec enim præfecti ærarij promissam miserant; labores molesti, assiduæque vigiliæ; & ipsos Sedunensis per deuinctos centuriones oblatâ pecuniâ, & reuocatâ specie religionis à Francis auertit; ita paucis diebus partim reuersi in patriam, partim ad signa fœderatorum traducti, omnes propemodùm effluunt; vt ex viginti millibus ægrè Lautrecus quatuor millia continuerit, argento facto, suisque sarcinis liberaliter in stipendium erogatis. Ita imminutus, cùm hostem transitu prohibere haud posset, Borbonium imitatus, Mediolano se & militem claudit; dum subsidium mitteretur è Francià. Verùm hostis celeritas consilium omne discussit, quanquam ipsa celeritas supra consilium fuit. Quippe fœderati ad cœnobium Clareuallense quarto ab vrbe milliari cùm subsisterent, & de vrbe capiendâ ne cogitarent quidem; plebeius senex prorsus ignotus duces adit, dicítque se Mediolano missum, vt eos ad festinandum hortetur; Mediolanenses ad eorum conspectum arma capturos, irent, nec de successu ambigerent. His dictis ita se subduxit nuntius, vt diligentissimè conquisitus, nusquam inuentus sit; nec sciri posteà potuit, quis, aut vndè missus. Fœderati vt quid rerum esset tentarent, propiùs ad vrbem sine tormentis, instar exploratorum accedunt, propiores timentibus quàm oppugnantibus; Piscaria qui primus in fronte copiarum, Hispanos ducebat, sub noctem cùm ad Vincentium propugnaculum progrederetur, aduertit Venetos milites qui præsidio erant metu perterritos, fugam corripere; videt gressum promouens, Heluetios pariter terga obuertere; qua re plurimùm obstupefactus, fossam atque aggerem subit vetante nemine & suburbium occupat. Cùm tumultus in vrbe fieret, Theodorus Triultius, Venetorum Præfectus cum Andræa Gritto, mulo vectus, in suburbium occurrens, ab hoste capitur, Grittus ægrè elabitur. Iam ciues ad expellendos Francos arma comparabant, cum Lautrecus re subitâ mirum in modum attonitus, desperata vrbe, arci præsidium imponit, Mascaronem præficit, & eadem nocte Comum cum reliquis copiis properat. Hispani successum vrgentes in vrbem inuadunt, sequuntur Heluetij, & simul in prædam versi; dies nouem continuos, vrbem refertissimam opibus vastant atque diripiunt: frustra ducibus minas & monita adhibentibus. Nec rebellionis pœnas vltrà ciuitas distulit; ipso crimine inferente vindictam, & plectentibus iis qui in noxam fuerant. Lautrecus sanè negligenter se gesserat, qui nullis speculatoribus in castra submissis, cum ducibus deambulabat in area, vbi ex Venetorum fuga comperit hostem versari in suburbio; & Lescunus frater, nocte proxima in excubando transacta, somno indulgebat. Imo fratrum seueritas importuna, odium ciuium inflammauerat, Manfredo Palauicino, ob rebellionis consilia, palàm in foro truncato capite; cùm indulgentia demitigandi ciuium animi fuissent. Fœderati in ciuitatem admissi præter spem suam & cogitationem, fidem ipsis oculis non habebant; quippe statuerant die proximo Ticinum recedere; nusquam rati vrbem tantam nullo sanguine, vno metu præuio expugnandam. Pescaria postmodum Comum cepit; Lautreco in Bergomensem agrum con-

FRANCISCVS I.

Anno 1522.

FRANCISCVS I.

uerſo; Venetis tutum receptum atque hoſpitium victo præbentibus, donec Ticino & Alexandriâ captis, Cremonam venit; ne eam vrbem hoſtes fælicitate ſua corriperent.

VII. *Leonis mors.*

Profligatas Francorum res mors Leonis Pontificis recreauit. Ille nuntiata proſperitate armorum, febrim contraxerat, qua diebus paucis abſumptus eſt; votis etiam ſupra ſpem donatus, quod ardentiſſimè Parmam, & Placentiam capi cùm deſideraret, Placentiam captam dum ægrotat acceperat, & ipſo die quo egit animam Parmam redditam audiit. Suffectus eſt in Leonis locum Adrianus Florentius, gente Belga, Caroli Imperatoris præceptor, caſu potius, quàm conſilio, ſi ſuffragantium mentem inſpicimus; tunc agebat in Hiſpania, & euocandus ad Tiaram fuit; verè ſi quis Pontificum ab ambitu liber, quem neſcientem Tiara ambiit. At dum eligitur atque euocatur, rerum diuerſa conditio immutabat Italiam. Quippe Cardinalibus Medicæo & Sedunenſi profectis ad conclaue, exercitus qui Pontificis ſtipendio alebatur ſolutus eſt, paucique admodum cum Columna hæſerant. Leſcunus in Franciam feſtinauerat, & Rex tandem experrectus mandauerat Renato Sabaudo ſpurio, regiæ domus magiſtro, Paliſſæ Mareſcallo, Sanſeuerino, & Mommorancio, delectu apud Heluetios habito, in Italiam tranſgredi. Hac ſpe fretus Lautrecus, & hoſtium infirmitate, de recipienda Parma cogitauit. Eam regebat Franciſcus Guiciardinus (clariſſimus ille & multa laude digniſſimus hiſtoriæ Scriptor, *niſi* odio indulgentior, veritatem in pluribus læderet) vir negotiorum quidem peritus, belli haud quaquam munerúmque militarium: murus pleriſque locis dirutus, labe aperta necdum obſtructa; & hæc ſpem alebant. Data prouincia Ferdinando Bozolo, qui Parmam intrepidè aggreſſus eſt; ſed Guiciardini virtute egregia repulſus, didicit experimento, ſapientem virum nuſquam eſſe tironem, & laudem bellicam tam à prudentia quam ab experientia proficiſci. Ferrarienſis interim ditionem ſuam totam receperat; & Franciſcus Rouereus occaſione captata Vrbinum & ducatum, eiectis Florentinis, vti auitum patrimonium vetante nullo inuaſerat. At poſteaquam Adrianus dictus eſt Pontifex, ambigente nemine in vtram partem Belga & imperatoris domeſticus conuerteret ſe; belli ardor mutuus excandeſcit. Lautrecus dum accelerantur ſubſidia, excurſionibus Mediolanenſes vexabat, quos proſper Columna habebat addictiſſimos, atque arcem vel oppugnabat operibus, vel intercludebat. Et quidem ciues Andreas Barbatus, gente Ferrarienſis, Auguſtinianus monachus, turbulentiſſimis concionibus incendebat in Francos, *amorem patriæ excitabat in miſeris, eam communem parentem omnium, illius cauſa calamitates omnes hauriendas; Romanos, Græcos, Pœnos, veterenque hiſtoriam reuocabat in calculum, atque imitationis ſtudium inflammabat; tum adiungebat ſtimulum religionis, Francos barbaros, ſceleribus omnibus inquinatos; exploratam auaritiam gentis, libidinem, crudelitatem, Eccleſiæ & Pontificibus nefarium bellum intuliſſe, diris ſæpius deuotos & ſacro fulmine peruſtos non ſemel; patere ex arce nuper fulminata, quantùm ſuperis gens illa teterrima odioſa eſſet. Exaggerabat quanta immanitate graſſaturi in obnoxios forent, ſi ſemel vrbe admitterentur, odij furoriſque proponebat ſæuitiam,*

Bellum in Italia, renouatum.

tiam, quam nulla calamitas, nulli cruciatus satiarent aut defatigarent. Mox ad vim repellendam excitabat Parmensium exemplo; qui infirmo præsidio, nullo duce, vrbe aperta, muriſque dirutis, vna ſua virtute hoſtem irruentem, ad crudelitatem omnem expeditum, expuliſſent muris atque deturbaſſent. Eius generis vocibus, ita ſuſceptum iam antè odium ſuccendit, vt direptis facultatibus ciues, quod foret reliquum lætis animis ad militem alendum conferrent; nemo tenuitatem ſuam excuſabat; cui duo erant nummi alterum dabat; cui nihil, ſe ipſum adſcribebat militiæ; ipſæ mulieres, aurum, gemmas, ſuaque ornamenta effuſis animis, centurionibus atque militibus largiebantur. Imo ad Inſubres cæteros, odium incendij inſtar peruaſerat; nam ſi quos Francos caperent, iis per indigna tormenta vitam adimebant; plerúmque cor ferro extractum è pectore, feris obiiciebant vorandum; aliquoties exhauſtam aluum viſceribus auena opplebant, & viua etiamnum cadauera lanianda equis ſupponebant; ſemper immanitate barbara ſæuientes; tantum eſt furoris in odio, támque atrociter humanitatem extinguit vltio. Sed nec verbis aut odio Proſper Columna pugnabat, ſed factis; multaque ad tegendam vrbem diligentia poſtquam muros reparauit, foſſam repurgauit, erexit aggeres, propugnacula inſtaurauit, ſeque ad propugnandam vrbem inſtruxit; aggreſſus eſt arcem concludere, ne cui Francis commodo foret, eámque tum ab vrbe, tum ab agris ipſis excludere. Eo conſilio ducit geminas foſſas viginti paſſus à ſe inuicem diſtantes, ea longitudine quâ ſceptum arcis protenditur; humum in aggeres excitat, atque latera propugnandis altioribus muris; locatis ad valli tutelam quatuor militum millibus. Nec ſine prodigio aut cæli beneficio munimentum erectum eſt. Etenim ſub ipſam operam tanta vis niuium fluxit è nubibus, tamque citò frigore obriguit, vt ex ea aggeres ad tegendum foſſorem ſurrexerint, munierintque in arcis machinas, quæ crebros ictus & excuſſos globos in niuoſa illa repagula fruſtra diffabant. Lautrecus interea auctus erat Helueticis legionibus, quas duxerant Sabaudus ſpurius, & Paliſſa; & Ioannes Medicæus cum tribus peditum millibus & cataphractis ducentis ad Francorum partes tranſiuerat; Venerumque exercitum Theodorus Trivulcius & Andreas Grittus adiunxerant; quibus fretus ſe ad arcem admouit, ſi poſſet perrumpere obiectum aggerem, atque in ipſam arcem inuadere. Sed munimento excluſus, cæſoque Marco Antonio Columna, is Proſperi ex fratre nepos, qui Francis militabat, vertit curas ad prohibendum ne Franciſcus Sfortia Mediolanum ſubiret. Quippe ille inflammata ciuium voluntate multùm expetitus; Alpibus tranſitis Ticinum iam venerat, & contendebat omni ſtudio Mediolanum venire; Columna enixiùs aduentum curante, vt ciues Duce inſpecto magis ac magis ad defenſionem flagrarent. Verùm & id conſilium irritum fuit. Leſcunus cum pecunia è Francia redux militem ad tutelam viæ repoſcebat; ad eum cum copiis Mommorancius miſſus, venitque ad exercitum Leſcunus non incolumis modo, ſed victor: intra triduum Nouariam expugnauerat, quanquam cæſo Refugio. Sed intentus in fratrem Lautrecus, non ſatis Sfortiam cauit; qui per colles abditos & inexploratos Me-

FRANCISCVS I.

Anno 1522.

FRANCISCVS I. VIII.

diolanum peruenit, effusissimo ciuium exceptus gaudio; quasi simul cum eo felicitas vrbem intrasset.

Conflictus ad Bicoquam.

Hactenus fortuna neutri partium videbatur addictior, cùm repentè calamitas in Francos irruit, & afflictos prostrauit. Lautrecus Mediolanum patefacturus, statuerat Ticinum capere, eamque in rem adducto exercitu, iam labe gemina murum aperuerat; apparabatque aggressionem; cùm Prosper Columna qui haud procul metatus erat castra, selecta duo militum millia in vrbis subsidium mittit; qui nocte primùm elusis Francorum vigiliis, dein aperta vi penetrantes per castra incolumes peruaserunt in vrbem. Eo facto soluta obsidio, nouumque consilium institutum. Lautrecus ad excipiendam pecuniam, quæ Aronæ substiterat, metu prædantium hostium, primum Marinianum, dein Mouzium venit: cùm repente noua procellâ iactatur atque submergitur. Heluetij longioris belli pertæsi, diúque nullo stipendio aucti, per centurias tumultuantur, reposcuntque alterutrum, pugnam aut pecuniam; nisi repræsentetur alterum; minantur se extemplò in patriam redituros. Et verò Columna ad Bicoquam opportuno loco castra posuerat. Erat Bicoqua villa nobilis viri Mediolanensis, ab vrbe tertio milliari, amplo spatio in hortos, prata & viridaria diffusa, quò exercitus poni commodè posset. In ea castra Columna posuerat, tum vt vrbem ab oppugnatione defenderet, tum securo loco vti expectaret, quo tumultus Heluetiorum desineret; nam rem per speculatores acceperat; fossasque more gentis deductas, ampliores effecerat, adiunxerat aggeres, & castellis erectis, tormentisque impositis, omni industria communiuerat. Ad postulatum Heluetiorum, Franci duces pecuniam in proximo esse affirmant, præstolentur in pauciſſimos dies, numeratum iri cum incremento stipendium; nam hostem aggredi, temeritatis esse atque amentiæ; validum exercitum tectum & penè obrutum munimentis; satis effici, si detrahantur cibaria; claudantur ferarum instar hostes in latibulo; vel fame perituros, vel ad pugnam vltrò procursuros. Nihilominus Heluetij instant, deposcuntque pretium; sibi primam committi aciem flagitant, latere neminem quales in pugna sint; non fugam, non latebras, non stipendium, non otium petere: sed dimicationem, & quo loco acerrima sit; vrgebátque omnium maximè Albertus Petra, plurimis expeditionibus celebris. Cùm ægrè Franci impetrassent, vt hostium castra propius inspicerentur, id munus Pondormio Belgæ viro forti impositum, qui rem speculatus, castra munitissima & summa difficultate oppugnanda renuntiat. Heluetiis tamen pertinaciter in sententia stantibus, Lautrecus necessitate impulsus, sic composuit aciem vt victoriæ sin minus locus, spes saltem non deforet. Aciem primam Lescunus ducebat cum quadringentis equitibus, octo Heluetiorum millibus, & plerisque Francis nobilibus; inter quos Lauallius, Grauilla, Miolensis, Launayus, cæteríque. Secundam agebat Lautrecus, comitibus Sabaudo & Palissa; Nauarro præuio cum fossoribus ad vias sternendas; tertiæ dux Vrbinas præerat, quam conflabat Venetorum exercitus. Contra Prosper frontem castrorum, præter fossam & aggerem, tormentis dispositis accuratè firmauerat; castra extrema, quæ ponte cum

Pondormy.

agro

agro proximo iungebantur, commiserat Francisco Sfortiæ, accersito ex vrbe, cum quadringentis equitibus, & sex peditum millibus. Vbi ad iactum tormentorum ventum est, Franci admonebant Heluetios, paterentur displodi tormenta, fore vt euersis aggeribus, & via complanata, facilior ad hostem pateret aditus; verùm ij repudiata mora tam necessaria, & tormentis vti aspernantes, quasi lacerti pro bombardis essent, timorem Francis exprobrantes, se primùm in tormenta hostium, mox in altissimam fossam induunt: mille propemodùm antequam ad fossam euaderent cæsi erant; postquam in eam præcipitati sunt, strages nullo emolumento increbuit. Etenim cùm summum aggerem hastarum cuspidibus non attingerent, frustráque destituti pennis, fossa erepere conarentur, patebant sclopetis hostium, certisque ictibus designati cadebant spississimi. Tam inæquali pugna fortissimi quique perierant; ipse Albertus Petra auctor & incensor, duo & viginti Heluetiorum Centuriones, duo ipsorum millia, atque Franci Proceres quos appellaui cùm cæteros deficit animus, quique obstinati accesserant, obstinatiores recedunt. Iam repulsi erant, cùm Lescunus & Vendenessus Palissæ frater, castra circumflexi, pontem aggrediuntur, & obiectum Sfortiam repellentes, vi in castra irrumpunt, patrabántque victoriam, si iussi pedites insequuti essent. Verùm Columna Heluetiorum impetu liber, vniuersam aciem in eum effundit, adigitque retrocedere, nullo inuectum agmen fulciente. Lautrecus & Palissa precibus, monitis, promissis, vrgent Heluetios, vti alteram impressionem instituant, aut ad hostem auertendum fictam assimulent; appellant proximam fortitudinem atque audaciam, spem victoriæ faciunt, æmulationis flammam subiiciunt; peruasum in castra; ac leui conatu profligari hostem, si ipsi viri sint. Frustra stimuli admoti, hyeme sua frigidiores abscedunt; credo, quod præfectis, & fortissimis iam necatis, nemo esset de gente qui gloriæ flammam tot extinctam cædibus excitaret; aut fortè qui non gloriæ cupiditate, sed amore stipendij inconsideratè in prælium ruerant, defecerunt illicò, infirmo ad præclara facinora stimulo. Veneti quasi sarcinarum custodes, nusquam se mouerunt, nec ad hostem vel oculis accesserunt. Auctor erat Lautrecus, vt eo loco castra erigerentur, hostísque suo pomœrio clauderetur; nec id admisit Heluetius, statim elatis signis in viam conuersus, Francis sequentibus quos nequibant sistere. Prosper à Pescaria impulsus, vt munimentis prodiret, perficerérque victoriam; prudenter se continuit; affirmans iam patratam rem quam optaret; liberatum se, breui Heluetios redituros in patriam, destituros Francos Alpes transgressuros, ac victoriæ præmium nullo periculo suum fore, Ducatum Mediolanensem ab hoste immunem: staximque euentus dicto prudenti vim affinxit oraculi: siquidem abscesserunt Heluetij, nec Francis constantia diuturnior fuit. FRANCISCVS I.

IX. *Laus Pompeia capitur.*

Nam vbi Adduam Lautrecus peruenit, ponte imposito Heluetij per Bergomates suas Alpes transcendunt, Sabaudus & Palissa & plerique nobiles Franciam repetunt, Lautrecus Cremonam proficiscitur, & ad Laudem tenendam Medicæum Bossolúmque mittit cùm parte copiarum. Illi vt-

bem

FRANCISCVS I.

bem introducti, ob laborem viæ somno se dedunt, cura vrbis Bonuallio Præfecto relicta; & securè somno indulgebant; cùm hostes inspecturi quo statu foret ciuitas ad eam aduolant; primum agmen ad muros accesserat, cùm Bonuallius vrbe egreditur cum suo milite ad velitandum; sed primo impetu tam ferociter ab hoste pellitur, vt fuga versus vrbem capta, simul hostem acceperit. Ita vrbs summâ defensorum ignominiâ capitur; firma muris, nulla ruina, nullis machinis, tribus peditum millibus, cataphractis ducentis, eam tuentibus; imo auicularum instar, intra sua munimenta, seu nidulo deprehensis. Medicæus ac Bossulus experrecti è somno fuga seruati sunt; posteà Cremonam ad Lautrecum venerunt. Quæ vna vrbs erat naufragis reliqua. Nam Pisleonem validissimam arcem ad Adduam Franci Præsidiarij metu absterriti Piscariæ dedunt. Præterea restabat ad excitandam spem Genua, quandiu firma in fide perstaret; igitur Lautrecus ad eam retinendam, & impetrandas suppetias, dissimulato cultu, duobus domesticis comitantibus, in Franciam properat; Lescuno fratri tradito imperio, copiisque ad tutandam Cremonam: sed nec frater diu Cremonam tenuit; quippe Prospero vrbem obsidente; cum ipso pacisciter, vt nisi quadragesimo die subsidia è Francia mittantur, omnes in Insubria vrbes Prosperum excipiant, præter arces Mediolani, Cremonæ, & Nouariæ; ipse cum copiis bona fide Segusium deducatur. Quod & præstitum est; Herbouilla in arce Cremonensi relicto cum præsidio. Nec erant pacta Francicæ rei contraria, si opportunitate Franci vsi essent: nam eo tempore Genua missis subsidiis seruari poterat, quæ commeatu atque præsidio destituta, proxima periculo erat; & Prosperum Adorni fratres adurgebant, polliciti iisdem se legibus adhæsuros Sfortiæ, quibus olim patres Ludouicum fouebant. Nec cunctatus Prosper rem suscipit, & cum Piscaria copias Genuam ducit. Franciscus iam ante de periculo monitus, curâ neglectâ vacabat otio; nunc expertrectus seriùs, scribi iubet octo militum millia, & Petro Nauarro Marescallo agenti Massiliæ imperat, vt quidquid militum habet, imponat nauigiis, & continuò Genuam ducat. Ille fide summa obsequutus ducentos milites, nec in promptu plures erant, nauibus imponit, venitque Genuam cùm vrbs iam à Piscaria obsidebatur. Octauianus Fregosius Princeps Senatus, vir quidem prudens, sed imperitus militiæ, & plerumque lectulo ob morbos affixus, duo peditum millia in vrbem induxerat, nec fidebat admodum ciuibus. Ad portam Codifanam muri partem iam tormentis diruerat Piscaria, cum tubicine misso colloquium petit. Id Fregosius cùm venire haud posset, Viualdum ad Piscariam mittit; qui dum colloquuntur, séque ciues custodiunt negligentiùs, Hispani milites inscio Pescaria, per muri ruinam in vrbem inuadunt. Statim fit rumor, increbrescit impetus, ciues trepidant, hostes instant, & momento sub ipsum fœdus spémque pacis certam, capitur vrbs atque diripitur. Pescaria audiens quid ageretur, dimittit Viualdum, Prosperúmque in diuersa parte agentem, de re tota certiorem facit. Nauarrus cum suis in vrbis aream recipit se, pugnánsque fortiter venit in hostium potestatem; mox ab Hispanis in tetrum car-

Pisquetons.

Genua capta.

cerem

cerem conditus, in quo pœdore diem vltimum clausit, cæteri Franci in arcem euadunt; Dux Octauianus in lectulo iacens opprimitur suásque ædes pro custodia habet: sic opulenta ciuitas fœde vastatur, sub ipsa tessera securitatis, tanta est belli atrocitas, quod in ipso pacis gremio violentiùs sæuit. Quamquam Prospero id molestum fuit, qui ab ciuibus sperabat pecuniam in stipendium militum. Antonius Adornus Dux declaratus est, atque arx postea conditionibus certis recepta. Ea iactura Regi grauissima extitit, cuius causam ante perdidicerat à Lautreco. Ille primùm repulsus ab Rege indignante, mox admissus precibus Comestabilis, modestè sed generosè culpam amissi Principatus in ipsum Regem contulit, qui promissam pecuniam haud misisset: at cum Rex obiiceret missa quadringenta nummorum millia; litteras quidem acceptas Lautrecus reposuit, pecuniam nullam. Samblancæum Quæstorem accersit Rex, cui iunctum erat id muneris, noscítque pecuniam à Ludouica matre interceptam, affirmante eam sibi debitam alio nomine. Quod fœmina odio flagrans patrauerat; nam animi impotens, dudum Lautreco iniuriam machinabatur & calamitatem; siue quod is liberiùs de suis moribus obloqueretur, siue quod vir militaris ambitioni mulieris se haud satis subiiceret; quæ magno Reipublicæ detrimento priuatam vindictam in caput innoxium intendebat. Et mox vltio in Samblancæum ipsum conuersa, venerabilem senem, & longâ administratione probatum; quem accusatum falsò peculatus, eadem fœmina Prato Cancellario tradidit, & ipsi pessimo iudici, à quo datis è cohorte sua disceptatoribus, morte damnatus est, affectúsque supplicio, vnâ noxâ, quod innocentiam suam defendisset, suóque Regi ob ætatem & meritum esset acceptior, ídque Rex passus est, nullo doloris sensu, curam rerum & solicitudinem ad cæteros ablegans, quam admodum malè impenderent. Atque haud deerat in publicos vsus pecunia, quam Pratus Cancellarius exigebat immensam nouis in dies tributis, & excogitatis exigendi rationibus, quæ nemini hactenus in mentem venerant. Eæ porro ad explendam Reginæ auaritiam haud sufficiebant.

FRANCISCVS I.

Lautrecus Regem adit.

Samblancay.

Refrigescens in Italia bellum, in Aquitania atque Artesia incalescebat. Hispani molestissimè passi Fontarabiam in Francorum potestate esse, exercitum scripsèrant, cuius Præfectus Orangius, sociúsque Guillelmus Fustembergius, cum sex Germanorum millibus præter Hispanos. Arcem obtinebat Daillo Ludæus, iámque mense duodecimo propugnabat: fortiter vim hostilem depulerat, donec quod fortium est, vna famis machina appetitus, rerum omnium magna penuria, se fortitudine animi, suos exemplo constantiæ sustentabat. Rex vrgente Bonueto ne arcem perderet, Castilionium Marescallum cum copiis in Aquitaniam miserat; quo in via mortuo dum succellor deligitur, ad vltima obsessi acti sunt. Marescalli dignitas Annæo Mommorancio data, qui tunc agebat Venetiis, vt fœdus cum patribus renouaret; ad Fontarabiam eripiendam, Palissa nuper ex Italia redux, proficisci iubetur; simul Artigius Admiralij Legatus naues è Britannia ducere, vti Hispanicam classem disiiceret: sed cùm is nimiùm cunctaretur, Palissa

X.

Fontarabia seruata.

Anno 1522.

FRANCISCVS I.

progrediens, ſpectante hoſte tranſmittit Behobiam, ac tormentorum globis via parefacta, commeatum & militem vrbi immittit, illæſúſque in Aquitaniam redit. Soluta obſidio, & Ludæo permiſſum à Rege vrbe excedere, infirmitatem excuſanti; iam gloriâ in apicem actâ, cui vix quidquam accreſceret. Suffectus in Ludæi locum Frangetus, Vaſco nobilis, Caſtilioniæ turmæ Legatus; qui de ſe opinionem conceptam fefellit plurimùm. In Arteſia atque Picardia maius belli onus incubuit, felicitas haud diſpar. Nam Burgundiæ geminæ Ducatus & Comitatus, de aſſenſu Principum, quoddam inter ſe contraxerant fœdus, quod Neutralem conditionem vocarunt, vt à bello mutuo inferendo ceſſarent, pace interim firma. Porrò Picardiæ faceſſebat periculum Angliæ Rex; qui nuper cum Carolo inita ſocietate, Suffolcium Ducem cum exercitu in Picardiam miſerat. Maria Henrici ſoror ac Ludouici proximi Regis vidua, Suffolcio nupſerat; vnde Ducis auctoritas, acceſſerátque Comes Bureus cum Cæſarianis copiis; totum exercitum triginta hominum millibus adimplentibus. Agebat Lugduni Rex bello Italico intentus, cùm ipſi ab Anglo bellum indictum eſt; & erat eius rei ante ſuſpicio, quod Angli mercatores & ſcholaſtici euocarentur Pariſiis; atque Anna Bolenia in eadem vrbe ab Maria relicta, reuertiſſet in Angliam, Rege id grauiter accipiente, fœminâ in amores atque arcana Principis iam vocatâ. Carolus Borbonius, Dux Vindocinenſis, Picardiæ præerat; hic iuſſus tueri Prouinciam, adiuncto Trimollio Burgundiæ prætore; quando in Burgundia nihil periculi eſſet. Ij quod erant copiis inferiores, firma præſidia in ciuitates ſingulas diſtribuerant; Bapalmâ interim à Comitibus Sampaulino & Guiſio captâ & dirutâ. Ineunte octobri coniuncti hoſtes, Heſdinum obſidione cinguut, rati infirmum oppidum atque immunitum. Id tuebatur Biezius, dem poſteà Mareſcallus, cum triginta cataphractis, & peditibus aliquot; qui egregiè vrbem propugnatam, in quadrageſimum diem illibatam ſeruat. Incurrebant in hoſtem ſæpiſſimè, aſſiduíſque conflictibus decerpebant, præclariſſimi Duces, Sampaulinus, Guiſius, Pondormius, cæteríque; imbrium denſa vis infundebatur in caſtra, premebátque grauiter militem; quibus incommodis conflictatus hoſtis ſoluta obſidione receſſit; vltrà Oceanum Anglus, in hyberna ſua Cæſarianus. Et Anglica bella multùm de terrore primo remiſerant; immutata belli ratione atque armorum, & Francis per tot ſuas clades conſultioribus. Per hyemem conquieuerat bellum, dum primo vere à Cæſarianis exortum Picardiam tentat. Fiennius Flandrenſis Prætor Teruanam obſidet, ductis Belgarum quindecim millibus; ſimulque per Arſcotium ducem Guiſam tentat, non aperto marte, ſed arcanis conſiliis. Guiſam tenebat, Nicolaus Boſſuus Longouallius, qui ab Arſcotio de proditione appellatus, aſſenſum ſimulans, de tradenda vrbe conuenerat; mox Regem admonet; denique conſtituitur, vti aduenientes hoſtis duo inter agmina intercipiatur, quorum alterum Vindocinenſis, alterum Florangius duceret. Conſilium procedebat commodè, cùm id Rex diſturbat præpropero gloriæ ſtudio. Quippe cùm Chambortio equis curſoriis Feram properaſſet, vt pugnæ intereſſet, hoſtes ſuſpicati patere

Franges.

Neutralité.

Angli in Picardiam exſcendent.

Comte de Bute.

Anne de Boulen.

De Biéz.

Flandri à Picardia repulſi.

Anno 1523.

ſua

sua consilia, regrediuntur in Flandriam; præclara occasione Francis erepta; adeo quibusdam consiliis lux & pompa obsunt, & sua etiam Marti sunt furta. Iussus Vindocinensis Teruanæ opitulari, hostem castris depulit, soluitque obsidium, cæsis quamplurimis; referebatque victoriam, nisi iussus esset abstinere à prælio: sed hæc grauioris in Italia belli quædam præludia visa sunt.

XI.

Apparatus ad bellum Italicum.

Etenim Rex tandem experrectus, & amissi Mediolani aspersus infamia, seriò de ditione recuperanda & expungenda ignominia cogitabat. Bonivetum in Alpes miserat cum duodecim millibus militum, qui Alpibus transitis Segusij reliquas copias præstolabatur. Mommorancium sibi gratissimum apud Helvetios ad delectum miserat: & quanquam in Italia aduersa omnia obnitebantur consiliis; tamen qui erat Principis animus, vt longè inter aduersa fortior, quàm inter prospera foret, fortitudinem totam atque regni opes in expeditionem proximam euocabat. Et quidem ea necessaria erant: nam arcem Mediolanensem Prospero Columnæ Mascaro Præfectus tradiderat, alimentorum penuriâ; Cremonensi arce vna dumtaxat in Francorum potestate stante. Adrianus Pontifex procliuis in Carolum appellauerat Regem de induciis admittendis, vti bellum Turcæ à Christianis indiceretur: (nam superiore anno Rhodum Insulam Solimanus expugnauerat, Equitésque expulerat;) eas, porrò Franciscus reiecerat, quæ neutiquam Insubres restituerent. Veneti meritò negligentiam Regis incusantes, cuius culpâ potissimùm, nuper pericula plura subierant, detrectauerant fœdus renouare, imò cum Carolo fœdus pepigerant, in id Pontifice, Angliæ Rege, cunctisque Italiæ Proceribus, præter Ferrariensem, admissis; vt omninò Franciæ Regem ab Italia prohiberent. Præterea coniuratio quam texebat in Sicilia Franciscus, in lucem producitur; & aliquot in Sicilia Proceres supplicio affecti sunt, & in partes dilecti; Nihilominus Rex vrgebat expeditionem, suo plurimum animo & fortitudine nixus, & transmissurus Alpes expectabatur in dies Lugduni, cùm improuisa Comestabilis conspiratio in Francia inuitum tenuit. Res tanti momenti, & caput tot calamitatum, videtur ab prima origine retexenda. Carolus Borbonius Francisco Rege quinquennio maior, stirpis Borboniæ in plures ramos diuisæ primarius stolo, iam à prima adolescentia æmulationem in Francisco excitauerat atque aluerat. Nempè natalium similitudo, & dissimilitudo indolis, vt cogebant simul versari, sic agentes simul dissentione mutuâ alienabant; Franciscus apertus, atque ingenuus, ore mentem proferre, ad pompam & gloriam accommodare se suáque studia: Carolus tectus, animi sensus alta premere simulatione, in arcana neminem admittere, laudem solidam facinoribus iustis non tam exquirere quam mereri; inter ea contraria, vno conueniebant, quod laudem bellicam ambo gloriámque imperatoriam ardenter concupiscerent. Dicitur Ludouico viuo eò animorum disiunctio peruenisse, vt Franciscus Carolum in singulare certamen prouocauerit, quod Regi quidpiam de ipso retulisset; nec ea repugnantia Francisco in Regem euecto desiit, imò in tam dispari sorte perseuerauit atque exarsit: nam causæ

Borbonij in Regem coniuratio.

FRANCISCVS I.

perseuerabant, diffimilitudo & æmulatio. Rex quidem magna animi generositate, vt restinctum odium demonstraret, statim Carolum Comestabilem dixerat, & Prætorem Mediolanensem instituerat. Verùm iis muneribus laude eximiâ gestis à Comestabile, excitata è cineribus æmulatio erat, Réxque nouis iniuriis plus molestiæ Carolo facessebat, quàm beneficij per dignitates primas contulisset. His accessit capitale odium Ludouicæ Reginæ in Comestabilem. Origo scribitur, quæ à fœmina non abhorreat; quod Comestabilis Susanna vxore mortua de nouis nuptiis à Regina ipsa appellatus, eas non sine ludibrio repulisset: nec vindictæ muliebri vllus stimulus acrior quàm amoris repulsa; fœmina ocyssimè in effectum contrarium transuolante. Votis igitur Borbonij intercedit, impeditque ne Renata Claudiæ Reginæ soror, cupienti vxor detur, quod & ipsa Claudia peroptabat; tum cum Prato Cancellario conspirat, ad virum bonis deturbandum, quando honore & vita non posset. Nec distulit consilium Pratus, vir ad omne flagitium promptus, & ipse Comestabili suo nomine infensus, quod ab eo non impetrauerat nescio quid in Aruernis, quo liberos suos ornaret. Imò Boniuetus Reginæ vindictam multùm accendebat; ratus si iis deiiceretur, munera belli ad se peruentura, & ipsam adeò Comestabilis dignitatem. Ea mente Regina litem Comestabili mouet, qua facultates propemodùm omnes reposcit, Ducatum Borbonium, & Aruernos, Claramontanos & Forisienses: quasi vxori Susannæ mortuæ stirpe propinquior; erat enim ipsi consobrina; statímque impetrat à Prato Iudices qui pronuntiarent. Tantæ litis disceptationem & momentum, fusè Francorum historiæ narrant, ego parcens lectoris tædio, iis supersedeo. Indignationem, vt par erat, tam indigna lite Borbonius concipit; apud Regem acerbè queritur; nihilque promouens, irâ excandescit, quòd opprimendus à fœmina, quam nauci habuerat, modò facultatibus per iniuriam spoliandus, inops & aspernabilis toti Europæ ludibrio foret. At eum dolorem domesticis inflammantibus; Regísque ingratum animum exaggerantibus, transeundi ad hostem consilium init, vt persequuturus priuatas inimicitias, publicas faceret, & qui sua tueri non posset in patria, patriam perderet. Eam in rem Mottam Noyerium, tam turpis facinoris auctorem & flammam, in Hispaniam mittit, qui cum Imperatore fœdus componeret; conuentúmque est in ea pacta, quibus ineuitabilis Franciæ incumbebat pernicies, si eò quo consulta sunt modo perfecta essent. Expectabatur dum Rex in Italiam transmisisset, Borbonio simulato morbo hærente in Francia; tum Imperator tres exercitus immittebat, quibus Occitaniam, Aquitaniam, atque Campaniam inuadebat; Henricus Rex, nam particeps admittebatur, mare classe valida clauderet, atque in Picardiam Normanniamque irrumperet; ipse Comestabilis, cum decem millibus Germanorum, quos adducturus Fustembergius erat, occuparet Burgundiam, & totum regnum suis opibus & clientelis pessundaret atque euerteret; Rege excluso, & in regnum regredi tot tantísque copiis vetito; Imperator Borbonio Eleonaram sororem spondebat in coniugem, modò solutam matrimonio, morte Emanuëlis Lusitaniæ Regis.

Porrò

Porrò in id fœdus arcanum admodùm atque tectum, duo Comestabilis domestici penetrarunt; Matignonius atque Argongius, gente Normanni, qui vt par erat, priuatum officium publico in patriam postponentes; postquam frustrà Matignonius herum conatus est a nefario illo facinore dimouere, rem Regi enarrant, consiliúmque aperiunt. Ille Molinas ad Borbonium ficto morbo decumbentem se contulit; ac summa verborum humanitate testatus, se consilia peruasisse, hortatur orátque, vt abscedat à suscepto flagitio; id à dignitate tum sanguinis, tum magistratus, tum gestarum rerum, quàm alienum sit docet, spondétque sanctissimis verbis, si lite excidat, restituturum se omnes facultates. At Comestabilis, seu promissis Regis fidem non haberet, seu in procliue flagitij impulsus, se haud posset sistere atque inhibere, pernegat crimen; fatetur quidem se à Reusio Comite appellatum, sed occlusas appellanti aures; orat ne de fide sua ambigeret, recipítque profecturum se, vbi primùm iter ægritudo permitteret. Rex ab eo digressus, Lugdunum contendit. Et sequebatur lectica vectus Borbonius; cùm à via deflectens, perturbatissimo variis cogitationibus animo, Cantellam in domum suam abscedit, deliberaturus vtram in partem conuerteret se. At Rex diuerticulum fugam interpretatus, Ioannem Huraldum, Angustodunensem Episcopum, præmissum à Borbonio, & conscium arcanorum, in custodiam mittit; quod vbi resciuit Borbonius, simúlque se sententiâ Iudicum lite excidisse, desperatione & furore actus, noctu vno Pomperantio comite proripit se, domesticum eius se simulans, & per multa discrimina in Burgundiæ comitatum euadit. Rex profugi facultates omnes apprehendit, arces occupat repugnante nullo; præsertim Cantellæ ornamenta, quæ magnificentiam cuiusvis Christianorum Principum adæquabant. Tum veritus ne tanti viri defectio, ingentes turbas regno inueheret, eo anno abstinuit ab expeditione Italicâ, inspecturus rem propiùs, & occursurus clandestinis consiliis. Nam magnæ erant cognationes Borbonij, ingens fama, & existimatio, & virtutes, tanta fortunæ amplitudine dignæ; nisi eas id facinus maculasset; nam vitæ integritate, liberalitate, fortitudine, & militari peritia, facilè omnium Princeps, non immeritò Francisci æmulationem concitauerat. Ideò nouos in prouinciis Prætores constituit, in Picardia Trimollium, in Burgundia Guisium; in Aquitania Lautrecum, in Campania Orualium; & ad se Vindocinensem & Sampaulinum euocat, affines Borbonio, copiásque tradit Renato Sabaudo ac Palissæ, quibus maximè omnium confidebat. Borbonius interim è Burgundia in Germaniam, tum per Alpes Tridentinas profectus in Insubres, exceptus est à Carolo Lanoio Prorege Neapolitano; nec diu moratus Genuam tendit, inde in Hispaniam soluturus, vt cum Eleonara desponsa matrimonium iniret. Verùm longè diuersa Caroli mens erat, cui sororem exuli nubere non placebat, & mandauerat Reusio, vt Borbonium in Italia retineret: ergo Reusius eum dimouet à profectione, ostentat arma, atque imperium, communicata cum Lanoio præfectura: nam Prosper Columna morbo oppressus agebat animam, ita dum Franciæ viscera intendit Franciscus, extrema hostes,

FRANCISCVS I. XIII.

Aperta conuiratio.

Chantelles.

Pomperant.

Lanoy.

Exercitus in Franciam inducti.

FRANCISCVS I.

vt cum Borbonio pacti erant, carpunt; quanquam maiori trepidatione quàm damno. Primùm Fustembergius decem millia Germanorum in Lingonensem agrum induxit, cúmque diripuit: sed cùm equitatus deficeret, quem Borbonius nulla accepta ab Imperatore pecunia, non apparauerat, prudentiâ Guisij ad penuriam adductus, reiectus est in Belgium, postremo agmine in Mosæ transitu victo & deleto. Nec Trimollius in Picardia ab illustri vita tot facinoribus clara degenerauit. Nam Angli Belgis iuncti conflato ex viginti quinque millibus hominum, ducibus Norfolcio & Bureno, exercitu, in Picardiam irruerant; ita milite destitutam, vt Trimollius cùm vrbem aliquam præterierant hostes, cogeretur præsidium inde educere, atque in aliam immittere, quam illi impeterent; non absque difficultate ingenti, plurimísque curis atque periculis. Ea solicitudine hosti eripuit Teruanam, Ambianum, Corboiam, & Sanquintinum; seruauítque Durlanum Pondormius, celeritate & manu strenuus; sæpius per obstantes hostes perrumpens in oppida, lata ope; móxque erumpens, vt aliis locis consuleret. At vetare non potuit, quin hostes Mondiderium vrerent, transgressíque Somonam terrerent Parisios, donec aduentante cum quadringentis equitibus Vindocinensi, terror disiectus est; & imminente iam hyeme hostis in Cameracensem agrum discessit; commendando in æuum Trimollio; qui se vno exercitum repræsentans, curas, celeritatem & vigilantiam, pro pedite equite machiníque substituit. Nec Lautrecus in Aquitania à se defecerat; vir strenuus, & ad munia militaria cùm necessitas poscebat impiger. Imperator qui tum in Hispania agebat, iuxtà conditiones Borbonio promissas, validum exercitum scripserat, quem vltra Pyrenæos in Aquitaniam misit. Ad eius famam Lautrecus haud dubius quin Fontarabia prima omnium peteretur; quippe nimium quantum premebat Cantabriam, ad eam progressus, milite & commeatu, rebúsque cæteris ad frangendam obsidionem communit; tum Baionam reuersus celeriter, vrbem maritimam, quæ totius Aquitaniæ propugnaculum est, quantùm angustia temporis patitur, tumultuariè erectis aggeribus, ipse quam infirmam inspiceret, tuendam suscipit. Hispani Septembri medio Fanum sancti Lucij, Fontarabiam inter & Baionam medium occupant, & vastata miserum in modùm Navarra, Orangio duce Baionam summo impetu aggrediuntur. Vrbis muros allambit Aturus, tum ex Cantabris montibus alter amnis oppidum interfluit, qui Aturo exceptus, in Oceanum proximum influit. Verùm vbi commoditas, ibi periculum; etenim Oceanus, quà alueus patet bis in diem promouens fluctum, vti mercatorias naues in portum inuehit, sic hostiles bello sæuiente. Et Hispani ad Baionam classem inuexerant; vnde terra marique summa vi & machinarum fulminibus impetunt muros. Vna propemodùm oppugnantibus aggressio fuit, quatuor dies continuos nec quiete noctium interpellata. Attamen repulsi sunt admirabili Lautreci virtute; ille vix vnam horam quieti aut sopori impertiens, adhortatione & exemplo sic incendebat ciuium studia, vt eorum singuli militem æmulantes, hosti fortiter sese obiecerint; nec matronæ virgines puerive ab labore cessabant, vltrò atque ingenti alacritate, tela,

Fontarabia capta ab Hispanis.

Et Baiona à Lautreco seruata.

Saint Iean de Luz.

tela, lapides, victum & necessaria subministrantes pugnantibus; adeo in duce vis belli sita est, emendante naturam: nam quæ ipsa fecit imbecilla atque infirma, hic si præclarus est in instrumenta Martis conformat. Ea fortitudine repulsi Hispani, relictâ Baionâ, Fontarabiam cingunt, experti intra paucos dies, homini homo quàm præstet: quippe Frangetus muro adhuc integro, munitissimam atque instructissimam commeatu vrbem, vno bombardarum sonitu territus, Hispanis tradit; accusans Petrum Nauarri filium, quem conuenisse cum hoste diceret. Recepta vrbe Hispani, in interiora regressi sunt. Frangetus posteà Lugduni à Rege cum ignominia exauctoratus est, titulo nobilitatis expunctus, in pegmate palàm singulis armis exutus fractúmque gentilitium stemma; tam vili facinore iam deiectus nobilitate, armisque raptis quæ per ignauiam eiurauerat. Decursis Pyrenæis transuolandum ad Alpes est. FRANCISCVS I.

XIII. Cùm detecta est coniuratio, Boniuetus Vercellas peruenerat, cum triginta peditum millibus, equitum quatuor; lætúsque summoperè ruina æmuli, iam gloriam, honores, & summum dignitatum militarium apicem cogitans; in spem magnam erectus, versus Mediolanum contendit. Et erat obsidendæ vrbis prona occasio, si Boniuetus in eius notitiam penetrasset; etenim Prosper Columna, iam implicitus ægritudine ratus eo anno non transgressurum Alpes exercitum, coniuratione Borbonij patefacta, vergente in hyemem tempestate, & Venetis iam aduersis; neglexerat vrbis munitiones apponere; apertis suburbiis, murisque aliquot locis collapsis. Imò cum centurionibus statuerat, si hostis ingrueret, vrbem deserere, & Comum atque Ticinum se cum exercitu recipere. At Boniuetus imperitus artis militaris, accedente vana arrogantia, quam successus primi promouerant; nam Nouariam & Vigeuanum ceperat; Ticinúmque amnem traiecerat vetante Prospero, prauo consilio felicitatem corrupit. Nam & hostes in amnis transitu debellare potuerat; & Mediolanum expugnare, nisi triduum iam amne transmisso præstolatus extremum agmen frustrà consumpsisset. Eam ergo importunam cunctationem Prosper obseruans; propugnaculis instauratis, & erectis suburbiorum aggeribus, ita vrbem communiit: vt postquam seriùs ad eam accedit Boniuetus, spe amissâ oppugnationis, ad lentam obsidionem deuentum sit. Mox noua opportunitas Francis arridet; Adriani Pontificis obitus, qui cum caput esset totius fœderis, videbantur eo auulso membra cætera statim collapsura. Et erant consternati animo fœderati, nescij quis succederet, quovè animo in Francum is affectus foret. Aliquantò post Pontifex dicitur Iulius Medicæus, Leonis X. patruelis; qui Clementis VII. nomen sumpsit; poterátque primo eo tempore conciliari à Francis, si Rex in Italiam tam ingenium atque industriam contulisset, quàm arma. Interea variis velitationibus ad Mediolanum pugnatum est; quibus plerumque Franci vincebantur; iam præiudicante totius belli auspicio, vel imperantis infelicitate ad milites ipsos transeunte. Vnus Bunovus Cremonensis arcis præfectus, posterorum memoria dignissimus est; qui suam arcem intus & foris acerrimè impugnatam; fame nimirùm atque armis hostilibus, inuiolatam

Boniuetus ab Italia pulsus.

Adriani mors Clemẽt VII. Pontifex.

Bunou.

FRANCISCVS I.

inuiolatam defendit, donec Baiardus, & Rentius Ceres Dux Italiæ militem & commeatum in eam inferunt; & repertus cum octo militibus, cæteris fame extinctis, deliberata ipse morte cum suis, ante hostem quàm pomœrio exciperet, quæ si constantia Mascaroni Mediolanensis arcis præfecto fuisset, Franci vrbem cepissent, nullo negotio; tantus erat ciuium atque militum terror, sed occasio prætermissa à Francis, ad hostem aduolat. Asperitate hyemis, & niuium frigore Francum absumente, Boniuetus Mediolano recedit, & præmissis tormentis, instructo ad pugnam agmine Biograsium venit. Agebat in extremis Prosper, póstque euocatos Borbonium atque Lanoium, vitam posuit, Veneno, an amatorio poculo; vir bello clarus, eiúsque vsu assiduo peritissimus. Lanoius atque Borbonius iam valido exercitu, & Francicum haud modicè superante, Mediolano in hostem prodeunt. Iámque omnia calamitosa Boniueto deinceps acciderunt. Nam arx Cremonensis commeatus penuriâ ad hostem peruenit; Boniuetus ipse Vascones & Delphinates, robur exercitus, quod defessi & imminuti essent, ad supplementum in Franciam misit; Rhætos quos expectabat Ioannes Medicæus transitu prohibitos, dimisit in patriam: Biagrasium & Vercellas occupante hoste amisit; copiæ sæuientibus morbis detritæ & propemodùm perditæ erant; nec Heluetij nuper conscripti ac Sesite amne diuisi, adduci potuerant, vt se Francis adiungerent.

Anno 1524. Tot itaque afflictus infortuniis, receptui canit, ac Nouariâ venit Romanianum, insequentibus Borbonio atque Lanoio. Ij ad Sonsitem amnem, quem nocte proxima Boniuetus traiecerat, de bello consulturi substant; erántque diuersæ sententiæ, Lanoio censente, fugienti hosti fugam permittendam; contra Borbonio instandum affirmante hostibus. Et is optime gnarus quid in Franco exercitu ageretur; nam singulis propè horis de his hebat certior, pleríque Francorum ipsi fauentibus, & Boniuetum odio persequentibus & multo contemptu. Fides habita Borbonio, & festinatum in hostium terga. Tuebatur postremum agmen cum Heluetiis Boniuetus; qui prima impressione sclopeti glande brachium saucius premente dolore vulneris, & ne forte in Borbonij capitalis inimici potestatem veniret, abdicatum imperium Baiardo tradit, & primos inter lectica vectus diligenter elabitur; nec Baiardus ignarus quam perditis rebus adhiberetur, nihilominus tamen operam patriæ non negauit: cum Vendenesso fortissimis equitum selectis, dum exercitus se subtrahit, alteram impressionem hostium frangit: sed viri virtus iam ad exitum spectabat, & dignum quidem qui militarem vitam coronaret, sin minùs victoria, saltem morte, quæ victori ornamento & decori esset. Vt postremi erant, ipse & Vendenessus, sclopetorum glande appetuntur: & Vendenessus illicò mortuus corruit, Baiardus renes saucius, & equitandi laborem haud ferens, iubet se deponi, & quercui forte proximæ accliuem, os in hostem conuerti, vt vel ipsam animam pro telo immitteret, nec cum vires deficerent, sine officio in patriam eam emisit. Quippe cùm ad iacentem venisset Borbonius, & solatij gratia diceret, se misereri præstantissimi viri, qui in eam calamitatem incidisset, quod imperare qui deberet, stolido & imperito

Baiardi mors.

viro

viro paruisset, ille præclarissimam ac viro forti dignissimam vocem reposuit; *non ego miserandus, qui viri boni functus officio, pro Rege & patria vitam pono; tu Domine, na es longè miserabilior, qui cùm in Francia & de Regio sanguine ortus sis, contra Regem & patriam arma induisti; & ea forsitan cruore popularium imbuisti:* tum vt erat peritus historiæ, commemorauit Borbonio viros in Græca & Romana gente præclaros, qui cum se in patriam conuertissent, vitam clausérant miserabili fine: silens Borbonius vltrà progressus est; & Baiardus in Lanoij tabernaculum eo iubente delatus, animam edidit; vir in quo inuidia ipsa carperet nihil; quippe compos virtutum omnium, fortunæ malignitatem accusat, quæ tandem exercitum regendum dedit, vt ad mortem raperet; ac specie beneficij acerbissimum odium funere impleuit. Eo facto exercitus se tutò recepit; Franci per Taurinos in patriam, Heluetij per Augustæ prætoriæ vallem; quindecim maiora tormenta quæ Heluetiis Franci commiserant, in manus hostium peruenere, & Boniuetus quasi victor à Francisco exceptus est; adeo Regum aures adulantibus patulæ, animi sensum deprauant; receptum illum exercitus, collaudabat Rex plurimùm, & cum decem Græcorum millibus componebat, qui duce Xenophonte per tot hostiles prouincias Græciam incolumes tenuerant; tanto discrimine, victum inter exercitum integrúmque, quanto inter duces, quorum alter victus suâ culpâ, vno vulnere infractus, & alieno periculo seruatus; alter in suorum clade inuictus, admirabili fortitudine atque prudentia, sese explicuit; quasi nubibus vectus in patriam, vi repulsa hostium, dolísque elusis. Sed inanes Boniueti laudes, seriùs posteà suo magno malo Franciscus damnabit.

FRANCISCVS I.

Cæsar instaurato cum Anglo fœdere; quo Anglus in bellum singulis mensibus centum nummorum millia subministrabat; ratus Franciam imparatam ab exercitu esse, iubet victores in eam inuadere. Erat Borbonio animus Lugdunum aggredi, nondum enim eam vrbem Franciscus munitionibus cinxerat, situ commodam ad plures prouincias obtinendas, atque in faucibus patrimonij sui; quippe Forisienses, Belliocenses, Boios, Aruernos, & Marchiam, vno soli tractu coniunctos possederat; nec dum extincta popularium in se charitate, sperabat suo nomine defecturos à Rege plurimos. Id enimverò Regi pernicioſum fuisset. Verùm Imperatoris alia mens erat, qui bellum ad vtilitatem Borbonij non accommodabat; ideò iussérat eum peruadere in Phocensem prouinciam, & occupare Massiliam. Diu Aragonensibus Regibus mouerat cupiditatem Massilia, situ valida portúque commoda, ad excipiendos Hispanos in Italiam atque Siciliam commeantes; hospitium nauigatione media opportunum. Borbonius per Nicæam exercitum duxit, sexdecim peditum millia; adiuncto Pescaria, non tam Vicario quàm consorte. Lanoius cum aliquot copiis in Italia perstitit. Hugoni Moncadæ data est classis, quæ mare clauderet, & promoueret obsidium. Ad famam inuasionis, Rex haud incertus quò hostis tenderet, Massiliam præsidio munierat, Philippo Chabotio & Rentio Cerete inducentibus quatuor hominum millia; nec multò post Antonius Barbesius, è stirpe Rupifocoldia, introduxit nouum subsidium.

XIV.

Borbonius Massil. frustrà obsidet.

Barbesius.

FRANCISCVS I.

Cæsariani Prouinciam ingressi, Tolonium veterem Massilienſium Coloniam, & Aquas Sextias, vrbem primariam, ſed prorſus immunitam, capiunt; tum ad Massiliam Borbonio planè inuito copias admouent, ſed ciues forti præſidio nixi, atque egregia in Regem fide, oppugnantes repellebant acerrimè. Primùm collem proximum occupant, in quo poſtea caſtrum poſitum eſt, & cingunt munimentis, irrisâ hoſtium ſocordiâ, quos ea commoditas latuiſſet. Ita totos quadraginta dies, fruſtra Bombardis detonantibus hoſtium, ciuis vrbem ſuam inuictam intactámque ſeruauerat. Franciſcus interèa luctu domeſtico afflictatus, Claudiam vxorem morbo raptam amiſerat, ſanctiſſimam moribus, pluriúmque liberorum matrem; nam filios tres, filias quatuor Regi pepererat; animi quam corporis dotibus præſtantior; claudicabat enim aliquantulum, ſed pro forma fertilitas, ſummáque pietas erant. Nihilominus Rex conſcribebat exercitum, Heluetiorum quatuordecim millia, ſex Germanorum, quem ipſe ducere in hoſtem ſtatuerat. Quod obſeruans Borbonius, volebat omiſſa Maſſilia Auenionem inuadere, vt Rhodanum amnem in poteſtate haberet, viámque aduentanti Regi obſtrueret. Verùm cùm id nec perſuaderet Peſcariæ, affirmanti, vrbem Pontificiam Auenionem, ſine Clementis moleſtia occupari non poſſe; & ea occaſio Cæſarianis periit, & erepta poſtmodùm Maſſilia eſt. Nam Moncada cùm claſſem in Maſſilienſe littus inuexiſſet, ab Andrea Doria claſſis Francicæ præfecto victus eſt; & Paliſſa primam aciem ducens, occupata Auenione, & Salonio capto, imminebat caſtris. Imo haud multò poſt Rex ſubſequutus eſt, iámque toto exercitu feſtinabat. Quas ob res Borbonius nullo ſupplemento nec pecunia recreatus, quam vti ſpoponderat Carolus nullam miſit, ſoluit obſidionem, eo ipſo die quo Regem accipit Auenione prodire; tormenta in fruſta contrita, mulis impoſuit, ac magna celeritate ſe & copias multùm imminutas impendenti hoſti eripuit, séque Monœcum magnis itineribus recepit; Paliſſa legente recedentis veſtigia, & feſtinationem mirum in modum vrgente. Ita is Borbonio malè ceſſit conatus, patuitque ſe transfugio nouum dominum, libertatem nullam quæſiuiſſe.

Claudia Regina mors. Anno 1524.

XV.

Rex ſecundo in Italiam tranſit.

Rex eo ſucceſſu elatus, ſtatim conſilium quod diu inſinuabat Bonivetus ſponte amplectitur; *tranſmittendum in Italiam, inuadendos Inſubres, Neapolitanum regnum occupandum, & vniuerſis gentibus demonſtrandum, quanti ad bellum & obtinendas victorias Rex momenti foret. Recurrebat animo Mariniana laurea, pudebat pigebátque intermedium tempus otio traductum, & voluptatibus; ſat bella per legatos geſta, & infeliciter quidem; modò Rex ipſe rem ſuam ageret, delerétque ignominiam calamitatum, quas aliena culpa inuexiſſent.* Hæc Regi prono animo audienti Bonivetus ingeſſerat; conſilio ſibi in alterutrum euentum commodo; cuius, ſi ritè ſuccederet, haberetur auctor; ſin minus, Regis clades ignominiam ſuam obrueret. Contra Paliſſa, Trimollius, & veterani ductores dehortabantur Regem à profectione; *decurri Autumnum, atque adeo hyemem imminere, tam cœlum Italiæ infenſum Francis quàm militem; nec ipſam Franciam Anglo permittendam, irruptu-*

ro,

rupturo, vbi regni robur Rexque ipse abessent. Verùm Rex in profectionem & sua indole confirmatus, quod bellicam laudem appeteret, speraretque indubitatam victoriam, pronuntiauit expeditionem; atque magnifica oratione testatus est sibi eam penitus mentem insedisse, cúmque graui futurum molestiæ qui contradiceret. Atque ideò Ludouicam Matrem, quæ litteris plurimùm dehortabatur, atque Auenionem venerat, vt coram ab ea sententia dimoueret, iussam Avenione subsistere, in conspectum neutiquam admisit; pariterque de pace acturum legatum Pontificis à se amouit. Sic adempta Proceribus repugnandi facultas, atque imposita obsequendi necessitas. Nec deerant in prauum omen versa præsagia; nam exustæ segetes gelu immodico spem agricolarum fefellerant; loca plurima de cœlo tacta sunt, atque Regis ipsum hospitium; Andegauum terrâ motâ penè corruerat; prædicebántque Astrologi ingens quoddam malum imminere Regi & Franciæ. Igitur sub Octobris finem se in viam dant copiæ. Erant peditum triginta millia, grauis armaturæ mille quingenti equites; cum Rege Proceres, Henricus Albertius Rex Nauarræ, Alensonius, Sampaulinus, Longauilla, Albaniæ Dux gente Scotus, Comes Vademontius, Ludouicus Trimollius, Marescalli Palissà, Lescunus Lautreci frater, & Mommorantius; Bonivetus Admiralius, Chabotius, Renatus Sabaudus, Sanseuerinus, Ludouicus Arsius; vno verbo Franciæ robur, & medulla nobilitatis. Regni regimen Ludouicæ matri commissum est, Vindocinensi armorum præfecto, cui præterea Campania data est; Burgundia Guisio, Brezæo Normannia, & Lautreco Aquitania. Extemplò itum in Alpes, & festinationis pretium ipsa Insubria videbatur: nam Lanoio raræ copiæ erant, aberátque à Borbonio ductus exercitus; vt qui prior venisset, haud dubiè Mediolano cæterísque vrbibus potiretur. Ergo quasi in stadio æmuli currerent, simul propemodùm ad metam perueniunt; nam quo die Rex Vercellas tenuit, eo Albam Borbonius, ísque altero die Ticini ab Lanoio excipitur. Rex omissâ Alexandriâ, Mediolanum venit desertam ab hostibus; nec vrbem ingressus, curâ obsidendi castri datâ Trimollio, vltrà perrexit. Hispani firmo præsidio Ticinum misso, & Antonio Leua præfecto impositio, cum reliquo exercitu Laudem recesserant; inspecturi quam in partem turbo Francicus rueret. Et duo perficienda obiiciebant se Regi; alterum, obsidere Ticinum & capere: alterum, sequi hostilem exercitum, profligare penitus, vel ex Insubribus pellere. Istud omnino & facilius & vtilius erat; nam exercitus hostium Francico multùm inferior, terrore iam perculsus; fractus propemodùm, vinci haud ægrè & pelli poterat; atque eo victo, tum Ticinum tum aliæ vrbes, spe negata subsidij, ad victoris arbitrium concessuræ erant. *Verùm non obuium promúmque adeò videbatur, totum exercitum munita vrbe conclusum, expugnare atque opprimere; creditum hactenus, qui Ticino potiatur, dominum esse Insubrium; quid à tergo validam vrbem, ceu spinam infixam vestigio, vltro relinquerent; capiatur vrbs, florente adhuc vegetóque exercitu; tum ad hostem posterioribus vtis festinetur.* Hæc sententia quanquam detetior, Boniveto auctore præpolluit; Ticinúmque exercitu cinctum; sub initium hyemis. Primùm

FRANCISCVS I.

Angers.

Ticinum obsessum.

FRANCISCVS I.

intentata vis, dein ars adhibita & patientia: Postquam machinis murus est dirutus; impressio instituitur temerè ac imprudenter admodùm; quippe cum labes non satis pateret, retróque aggerem hostes erexissent, clade non modica Franci repulsi sunt; plerique ex fortissimis cæsi, & Longauilla aliquanto post, cùm ex aggere prodiisset, aliquid inspecturus, sclopeti glande perimitur. Vi exclusa, Rex ad artem conuertitur; & consilio Sillij, Balliuij Cadomensis, aggreditur Ticinum amnem à mœnibus ciuitatis auertere. Is amnis supra vrbem altero milliari dispertitus in duo cornua, vno infra ipsam vrbem milliari, rursum aquas iungit; altero alueo murum alluente, altero quem Graualonem vocant, in vrbem peruadente. Erat autem Regi consilium amnem à muro in vrbem totum immittere, quoniam is locus satis alueo tectus munitionem nullam obiiceret. Fossores magnis impensis atque laboribus admouentur; sed assiduis imbribus deturbatum est opus ac derelictum; amne intumescente; quasi repagulum carceréque oppositos amoliretur. Rex vi & arte exhaustis, in subsidium famem inediámque appellat. Pontifex interim de pace, Christiano sensu sollicitus, ad Lanoium Laude agentem legatum miserat.

De Silly.

XVI.

Rex Neapolim copias mittit.

Nam Borbonius ad scribendum militem profectus in Germaniam erat, suasque gemmas & vasa aurea atque argentea Sabaudiæ duci pignori dederat, ad conficiendam pecuniam; Carolo nullam ex Hispania submittente, & Venetis potiùs belli spectatoribus quàm actoribus. Cùm Lanoius nihil de Borbonio audiret, in quinquennales inducias assentiebat; ea conditione vt quidquid intra Abduam foret, Laude excepta, Rex teneret; sed eas Franciscus Boniueto auctore repudiauit, nec enim Mediolanenses vnos cogitabat, iam ad Neapolitanos spe raptus, amplitudine animi adulantium vocibus intumescente. Ergo postquam arcanum fœdus cum Clemente pepigit, quo contra Cæsarem in societatem mutuam conspirabant; ac Ioannes Medicæus, qui ante ad Cæsarianos transiuerat, rursum ad Francos cum legione sua defecit; Rex ad inuadendam Neapolim studium applicat. Auctores erant, qui præstabant consilio, vti totus Mediolanensibus subigendis incumberet; *superesse in iis quod vinceretur; Ticinum haud captum, hostem in prouincia cum exercitu esse; quid copias diuideret atque imminueret, cùm augendæ forent: longinquam expeditionem quid susciperet, infecta proxima? Neapolim Mediolani appendicem esse; comparari eam in Insubribus; si vincatur hostis, tollaturque propugnaculum quo vno ampla prouincia regitur.* Et ea Clemens Pontifex insinuabat; siue Regi ex animo consulturus, siue suæ ac Italicæ libertati, cui nihil perniciosius, quam eundem Principem Mediolano potiri atque Neapoli. Attamen Franciscus Boniueto, quem audiebat vnum, impulsore, Ioannem Stuardum Albaniæ Ducem, cum decem militum millibus versus Neapolim mittit; simúlque, tanta erat animi vastitas, imò properantis ad ruinam cæcitas, Marchionem Salussium cum quatuor legionibus Sauonam ire iubet, vt Genuam vrbem inuaderet. Ad profectionem Stuardi perturbatus Lanoius cogitabat de repetenda Neapoli, copiisque abducendis; & Franciscí in eo salus versabatur; verùm Piscaria gnarus apprimè, cardinem rerum in Insubribus positum,

FRANCISCVS I.

positum, cum retinuit, persuasum, Neapolim non propugnari fortius quam in Insubribus; in iis vim & momentum belli; Regem imminutis tanto studio copiis vinci posse; si vincatur semel, in Longobardia, & tota Italia debellatum esse. Ita Lanoius retinetur; iámque cum milite aduentabat Borbonius, quingentos Cataphractos adducens, & sex peditum millia, Ferdinandi Austriaci sumptibus scripta. Qui postquam cæteris ducibus se adiunxit, de ratione belli deliberatum est, inspectúmque pecuniæ inopia suas res in arcto collocatas esse. Quippe Germani ex quibus constabat Ticinense præsidium, stipendium proteruius flagitabant, propiores tumultui & seditioni; & iam Antonius Leua suas artes omnes exhauserat; imò præsentem pecuniam reposcebat exercitus, nec ea vel ad tormenta ad hostem vehenda sufficiebat; quomodo igitur tot ali possent atque sustentari? Verùm his periculis industriâ & sagacitate ducum occursum est. Nam in castra Regis duos rusticos submittunt, qui vinum venderent, includúntque vinario dolio thecam ligneam, cum tribus aureorum millibus, litterísque ad Leuam; qui ab altero rusticorum monitus quo loco venale dolium proponeretur, factâ eruptione, dolium rusticósque in vrbem abduxit. Et extemplò nummos in Germanorum centuriones partitus, in concionem militem vocat, legítque palam Lanoij litteras; quibus iubebatur bono animo esse, aduenisse Borbonium cum supplemento atque pecunia; breui omnes ad liberandam vrbem connisuros; tunc abunde militi stipendium fore. Mox Germanorum collaudabat robur, & hortabatur ad patientiam, suo statim præmio decorandam. Ea arte Germanis tumultus excussus atque seditio. Quod spectabat ad exercitum; Piscaria, cuius apud militem summa ex amore auctoritas, Hispanos aggreditur; atque edoctis quanta in rerum omnium penuria Franci essent, quàm diminuti atque accisi, tum longâ obsidione, tum inclementiâ hyemis, proponit victoriam facilem, & victoriæ præmia longè ampliora stipendio futura; ac tandem persuadet vt spem victoriæ in mensem proximum pro stipendio habeant. Idem Borbonius à Germanis impetrat, iam honesta æmulatione certantibus: equites accersiti, atque aspersi pauculis nummis in idem assentiunt; nec dubium erat quin eæ vincerent copiæ, quæ habebant in numerato victoriam, & ab ipso hoste stipendia peterent. Extemplò duces exercitum Laude educunt; erant septemdecim militum millia, fingúntque Marinianum se petere, vt ab obsidione Regem abstraherent; & mox ad castellum Sancti Angeli conuersi, oppidum Laudem inter & Ticinum medium, verberatum tormentis, subitò propugnantium pauore, recipiunt, móxque ipsam arcem. Hactenus obsidio vrbis lentiùs promouebatur, tormentario puluere deficiente; nec putauerat Rex hostem vnquam ad pugnam venturum. Modò Castelli expugnatione, in spem pugnæ potiùs quam metum erectus; vt erat intrepidi atque firmissimi inter pericula animi, Trimollium Mediolano arcessit, & septem militum millia, bis mille ad includendam arcem relictis. Verùm portendere magnum infortunium plura videbantur: mille Itali Sauonâ ad exercitum missi, ad Alexandriam à præsidiario milite oppressi erant & deleti.

Hispani se ad pugnam instruunt.

FRANCISCVS I.

Ioannes Medicæus magni apud Italos nominis, virtute militari paucis inferior, ab obsessis dum eruumperent; plagâ acceptâ, castris vt sanaretur abscesserat; eum statim quatuor Italorum millia relictis castris sequuntur. Rhætorum sex millia, suorum magistratuum iussu, quinta ante prælium die, à Rege deficiunt, profecturi in patriam, siue ea proditio fuerit, Thecano Præfecto ab hostibus deuincto, spe oblata pecuniæ; siue Rhætorum legitimus pauor suos in opem milites euocauerit; postquam Iacobus Mediquinus, (& is posteà dictus est Marchio Marinianensis) nobilis Mediolanensis Clauennam Rhætorum, arcem interceperat. Præterea Ludouicus Palauicinus cum duobus hominum millibus, & quadringentis equitibus à Rege missus, vt Cremonam occuparet, dum agrum imprudentiùs vastat, à Bentiuolo vincitur, capitúrque. Eas ob res Trimollius, Palissa, Lescunus, Arsius, & veterani duces, peritique militiæ, suadebant Regi: *vti obsidionem solueret, ac Mediolanum recederet; hostes pecuniæ inopiâ laborare, vna spe pugnæ sustentare militem; ea si tollatur, abscessurum illico, aut ruiturum in seditionem; nullam ignominiam in soluenda obsidione, dum paratur victoria, breui Ticinum, Laudem, totámque Italiam præmium abstinentiæ fore, bellum tam patientiâ geri quàm fortitudine; nec vllam falicius patrari victoriam, quàm abstinentiâ prælij.* Et id Clemens ardentius flagitabat, Regi spondens victoriam certam, si pugna abstineat, imò vndique & Astrologorum præsagia, & piorum virorum afferebantur oracula, quibus Regi imminere periculum ingens, si iniret prælium, nuntiabatur. At ea monita, Regis vna indoles, famæ nimis & gloriæ studiosa, & Boniveti adulantis auctoritas, pessundedit simúlque euertit. Videbatur Regi Franciæ ignominiosum, si ab vna vrbe longo post tempore victus propemodùm & infractus abscederet, verbis litterísque in Franciam, totámque Italiam sparserat; nunquam ab vrbe, nisi victorem aut mortuum recessurum; appellabat fidem suam, exigebátque rationem promissi; quod stultè affirmatum, implebatur stultiùs. Dicebat se castra muniturum, vt nequirent perrumpi, & moram hosti molestiorem quàm sibi futuram. Et constituit sub tentoriis agere; nec ideò ducis munus obibat diligentiùs; tempus terens cum Mommorantio, Brione, aliisque charissimis, rerum omnium curâ ad Bonivetum vnum translatâ, penes quem tota administratio erat; prudentibus illis veteranis ducibus vix flocci habitis. Et eo rerum statu ad pugnam ventum est, quanquam & ipse negligentiam suam perspexit seriùs, cùm lustrato exercitu, imperfectas cohortes singulas deprehendit; pluréque ad stipendium quàm ad prælium recenseri.

Marquis de Marignan.

XVII. *Pugna ad Ticinum, siue Mirabellum.*

Porrò ad prælium castrorum formam ita Rex immutauerat. Primam aciem, cui Palissa præerat in suburbio ad Iustinæ portam reliquerat; ipse cum secunda ad Mirabellum, amænam ad delicias Ducum Mediolanensium domum transiuerat; tertiam Alensonius ad celsa Pauli & Iacobi cœnobia collocauerat; ita vt à Francis vrbs vndique cingeretur; nec ad eam hostes, nisi amne traiecto & perruptis castris possent peruadere. Hostes à Francis arcto admodùm spatio dirimebantur; iámque ad extremas acti angustias, constituunt vrbi commeatum immittere, & prælium

fa

si occasio foret conferere. Eo consilio, nocte quæ Diui Mathiæ diem festum præcessit, postquam ab alia Castrorum parte, Francos continuis velitationibus fatigassent; totum exercitum in quatuor agmina distributum ad Mirabelli septum deducunt; primum agmen agebat Marchio Vastius, secundum Pescaria ex meris Hispanis, tertium Borbonius, quartum Lanoius; iubéntque milites alba indusia super arma induere; vt se in caligine noctis dignoscerent. Magno silentio ad septum profecti, sexaginta muri vlnas deiiciunt, Francorum nemine animaduertente, tanta erat vigilum negligentia. Dein septo decurso inter tonantium bombardarum globos primo diluculo ad castra Regia penetrant. Iacobus Galeotus tormentorum præfectus, ea commodo loco collocauerat; pluréssque hostium dum accederent displosis machinis obtruncauerat; & ij quidem vt se fulmineis pilis eriperent, cùm ad proximum collem celeriter festinarent, Rex è sublimi loco rem speculatus, existimabat eos iam in fugam verti: opinionem firmauit miles renuntians Hispanos à turmis Alensonij & Brionis pulsos, captásque machinas: igitur impetu raptus, nec passurus pugnam sine opera sua confici, prodit è castris, & in hostem ruit, sibi susque validissimum telum eripiens, machinas ipsas, quæ conferta pugnâ quiescerent. Subito hostium primum alterumque agmen, restitutis ordinibus, Regem aggrediuntur, & sclopetariis, quorum tria millia locauerant inter equites, effundentibus pilas, stragem plurimam faciunt. Rex cum equitatu inuectus, Heluetiis & Germanis ad latera pugnantibus, primo congressu hostium equites fundit, & ipse spoliis opimis dignandus, qui Ferdinandum Castriotum, equitatus præfectum, & celeberrimi illius Castrioti nepotem ex filio, gladio confodit perimítque, mox ad Andelotum versus, nobilem Sequanum, vulnus infligit, diu cum eo luctatus: & iam delibabat victoriam, cùm agmina posteriora Borbonius & Lanoius inducunt in prælium; nec ideò vincebant, nisi Heluetij, auitæ suæque fortitudinis haud satis memores, dimicationi se eripuissent. Quanquam & à Francis arcessenda mali origo est. Nam cùm Leua milites Ticino in Alensonium eduxisset; ille vt erat ad belli pericula multùm ineptus, ratus omnia perdita atque profligata, cum quadringentis equitibus fugam cepit, & præteruectus Heluetios, iis fidem fecit, Francos omni loco victos & depulsos; qui vt se cladi subducerent, ad Mediolanensem viam deflexerunt. Totum intereà pugnæ pondus in Regem incumbit, proximósque Germanos, & ij quidem magna fortitudine animi in obiecta tela irruentes, ad vnum cæsi sunt, nemine terga vertente. Rex strenuè pugnans, iam necatis Nobilibus qui tegebant latera, equo subfossò, in pedes erectus, & femur saucius; retundebat fortiter irruentium impetum, vnúsque pugnabat in geminos, Auilam Hispanum, & Vrbieram Cantabrum, iámque in graui salutis discrimine versabatur; cùm agnitus à Pomperantio; qui Borbonio comes, deferenti Franciscum, hæserat; periculo liberatur. Quippe is in pedes desiliens, stricto ferro amouit ruentes, texítque pugnantem, donec aduenirent Lanoius, cui Rex se tradidit. Nec Palissæ primóque agmini erat commodius; qui à victore Leua impetitus;

FRANCISCVS I. Anno 1525.

FRANCISCVS I.

impetitus; cum fortiter dimicaret, obruente hostium numerò, victus & cæsus est. Boniuetus, cuius culpa maximè incursum erat in calamitatem, ne viuus in Borbonij potestatem veniret, siue impar doloris magnitudini, in confertissimam aciem vltro irrumpens, per plura vulnera emisit animum. Mommorantius quanquam absens eodem infortunio implicatur. Ad alterum milliare cum duobus hominum millibus viam obsidebat, cùm audito fulminantium Bombardarum sono, pugnari coniiciens, ad prælium aduolat, moxque ab hostibus circumseptus, vincitur capiturque. Cæsi ù Francis ipso in conflictu octies mille, capti quam plurimi; ex hostibus septingenti. Inter cæsos illustria nomina recensentur, Ludouicus Trimollius & Palissà, tot palmarum duces; ille annum agens octogesimum; Franciscus frater Lotharingiæ Ducis, Suffolcius Anglus Henrici Regis æmulus, Bonivetus; Lescunus, & Renatus Sabaudus captiui, ex vulneribus obierunt, Calmontius, Bussi Amboisius, aliique: capti sunt præter Regem, Henricus Nauarræ Rex, Franciscus Borbonius Sampaulinus Comes, Ludouicus Niuernensis, Mommorantius, Chabotus, Brio, Florangius, Lorgius, Rochapotius, Barbesius, Vidamus seu Vicedominus Carnutensis; Mompesatius, Langæus, pluréſque tanto numero, vt præter Alensonij turmam nullus propè nobilis seruari fugâ potuerit, aut voluerit; singulis Regis sui fatum sequentibus. Theodorus Trivulcius, audito cladis *nuntio, omissa* Mediolani arce quam obsidebat, cum copiis statim reuolauit *in* Franciam; totúsque principatus in victoris potestatem concessit. Et ea clades est à Pictauiensi grauissima, quæ perculerit Franciam, iisdem propè causis, temeritate & arrogantia. Carolus Alensonius cùm Lugduni respiraret è fuga, eius infamiâ tantum dolorem admisit, vt octauo die vitam posuerit, quam tot periculis eripuerat: & in eo stirps Alensonia desiit.

XVIII. *Cladis sensus varij, in diuersis gentibus. In Francia.*

Prima cladis fama immoderato Francos dolore perculit; suum singulos malum, cunctos publicum diuexabat; nemo vnus erat, quin affinem aut lugeret mortuum, aut captum doleret; nemo quin exhorresceret mente ad Regis vincula, & præsagiret calamitates immensas, quas olim regno Ioannis captiuitas, tum à ciuilibus, tum ab externis bellis intulisset. Ita dolorem metus exaggerabat; nec licebat ad miseriæ modum intendere, futurorum metu decerpente præsentium sensum. Ludouica Regina consternata est omnium maximè; passim erat odio Proceribus populisque; eos auaritia, illos ambitio, promotæ supra mulierem patientiâ Regis, abalienauerant: quid ageret femina, inter nepotes impuberes, procellis domesticis externísque obnoxia, vno dolore atque orbitate commendanda inimicis, vel obiicienda. Ea tamen in Regem pietas fuit, ea Francorum reuerentia, vt obliteratis iniuriis, in communem vtilitatem intenderint; singulis curas, facultates, animas in salutem publicam conferentibus. Ergo Regina, postquam à dolore primo se recepit; Prouinciarum prætores regnique optimates Lugdunum conuocat; atque adhortata ad fidem erga Principem suum contestandum; eorum assensu, nouos delectus indicit; ad tuendos limites designat copias; Sauonâ Salussium euocat, è Neapolitano regno Albaniæ ducem; qui Centumcellis milite triremibus impositò in

Franciam

Franciam venit; mox Vindocinensem Concilij principem dicit. Etenim in eo, tranquillitatis aut ciuilis turbæ momentum ingens; qui Alensonio mortuo, & excluso Borbonio, Regi sanguine proximus, poterat administrationem capessere, tam rerum gestarum virtutumque merito, quam natalium; eoque impellebatur à pluribus; at maluit vtilitatis publicæ, quàm dignitatis priuatæ rationem habere; atque vltrò Reginæ potestati assentiens, præluxit cæteris in obsequium atque concordiam. Hæc in Francia, dum varij sensus Anglum agitabant. Primùm Henricus effusè ob victoriam Caroli testatus lætitiam, legatos ad eum miserat, vt opportunâ occasione simul in Franciam cum exercitu ruerent. At postmodùm veritus, ne sublato æmulo Carolus in immodicum præpolleret, simul aures Cardinali Eboracensi præbebat, propenso in Francum, & auerso ab Carolo. Nempè Carolus vanitatem hominis auersatus, quam ante victoriam alebat officiis, solitus ad eum sua manu perscribere, iis verbis additis, *tuus filius & cognatus Carolus*; statim post victoriam, seu iam tutò alienæ superbiæ osor, seu suæ amator; Commentariensis manu ad Cardinalem scribebat, & solum Caroli nomen apponebat. Nec diu Henricus egit ambiguus, admisso Ludouicæ Legato, initoque fœdere, quo præcipuè cautum est, ne qua Franciæ regio in libertatis pretium daretur Cæsari; præterea paratum exercitum sponte dimisit, nec in eius sumptus quidquam postulauit. Isque Dei fuit in Francicum regnum paternus affectus, qui iuratum & capitalem tot sæculis hostem continuit, vetus odium extinguendo, cùm nouum exurgeret; Regemque plectens vt filium, non vt reum damnans. In Hispania primùm Christiana pietas, & humanitatis memoria illuxit, mox Imperij promouendi amor, & splendor ambitionis in diuersum animos rapuit. Carolus Toleti accepit litteras Laureatas, ac mirificè gaudium in potestate habens, in templum gratias acturus subiit. Tum postridie supplicatione indictâ ipse participato cibo sacro-sancto, intra religionem lætitiam tenuit; vetitis publici gaudij signis; affirmans victorias de Christianis principibus ciuiles esse, nec triumpho dignas; & vultu & verbis miram modestiam præferens, reliquit ambiguum, virum foris spectantibus, an voluptas in mentem intimam pertinuisset. Verum postquam satis vel famæ vel conscientiæ datum est; atque ab honesto ad vtile descensum, longè alia mens diuersúsque sensus apparuit. Deliberat cum aulæ primariis, quomodo Franciscum habere debeat, quóve pacto victoria vti. Dolmeus Oxamensis Antistes, & Confessarius Caroli, rogatus sententiam, in captiui gratiam perorauit; *proposuit orbi Christiano quanta impenderent miseria; Turcam armatum in Hungariam irrupisse, Lutheri hæresim disseminari tota Germania; necessariò in vtrúmque hostem bello insurgendum, in id Christianos omnes Principes euocandos, atque ideò pacem inter Imperatorem & Franciæ Regem constituendam; & firmam quidem ac immutatam. Porrò demonstrabat id vnum pacis vinculum esse sanctissimum, si clementia nectteretur; si mansuetudine potentissimus Rex conciliaretur; támque beneficiis vinceretur animus, quàm armis profligatus esset exercitus.* Postquam ea Dolmeus: Fridericus

FRANCISCVS I.

In Anglia.

In Hispania.

FRANCISCVS I.

Toletanus, Albæ dux sententiam dicit, bellúmque fassus in publicos hostes necessarium, affirmat Regis animum nullâ clementiâ, nullo beneficio vinci posse; perstiturum semper sensum opprobrij; quare eripiendam facultatem vindictæ; atque captiuum Regem, sic imminuendum atque infringendum, vt victori deinceps addictus, volens nolens ad eius consilia se conformet. In eam sententiam itum à cæteris; siue ita ex animo sentientibus; siue Principem introspicientibus, atque impellentibus quò sponte rueret. Ille assensus est pluribus, quasi priuatum iudicium accommodaret publico, nefásque sibi esset à consultoribus dissentire; misitque ea mente Bearenum Roëlij filium, qui Francisco conditiones proponeret. Sed diu est quod Franciscus vagantem per regna reuocat orationem.

XIX. *Rex in Hispaniam ductus.*

Is postquam captus est, & regni potentissimi rector in hostium transiit potestatem, sui haud immemor, virtutes regias tulit in vincula, constantiam, æquanimitatem, & quoddam animi robur insuperabile; quo spectabilis & supra sortem suam venerandus, reuerentiam insinuabat victoribus, & fortunam altitudine mentis superabat. Multo honore deductus à Lanoio, salutantem Borbonium tanta humanitate excepit atque amplexus est; vt qui se tam fortiter vinceret, superasse victoriam hostium videretur. Pisqueton. Mox in Pisleonensem arcem abductus, Alarconi tribuno committitur, dum Hispani deliberant quonam in loco absque vllo metu asseruaretur. Porrò is adauctus est metus: quando Henricus Nauarræ Rex se *libertati* asseruit scalis cannabinis ex Ticinensi arce aufugiens, ephebo in lectulum suum collocato. Et Comes Sampaulinus effractis pariter vinculis, cùm mero custodes Helvetios obruisset, Vademontio & Salussio sociis, agebat cum Principibus & Tribunis Italis, vt Regis custodia solueretur. Nec multum Lanoius fidebat militi, stipendium acerrimè flagitanti, ac parato vnde nummi lucerent concurrere. Hispania videbatur Regis seruandi tutissimus locus; sed ducentibus multa occurrebant incommoda, quæ Lanoius vti dispelleret, simulans se ducturum Neapolim Regem, abhorrenti plurimùm ab ea prouincia persuadet, vt Hispaniam duci se patiatur. Sperabat Franciscus Carolum sermone habito immutare, & Eleonoræ sorori spem coniugij facere; viuâ præsentiâ longè efficaciore ad impetrandum, quàm mutâ absentiâ, languente & extincta quodam modo. Persuasus sibi salutis viam eripuit, iussis Francis sex triremes commodare; nec euntem interturbare; iisque Barcinonem in Hispaniam vectus est. Iam in Italia Bearenum à Carolo missum exceperat, audierátque pacis leges acerbissimas; dederatque responsum generosissimum, se ante in custodia morituram, quam tantam labem suo regno inferret. Madritia arce in Hispania clausus, (necdum enim Madritum in vrbem surrexerat,) statim Carolum multò acerbiorem quam reputauerat experitur; sibique vincula suo errore nouo nodo constricta. Etenim aspectum suum atque colloquium negauit Carolus; & easdem conditiones pacis proponebat, vt Borbonio præter patrimonium ereptum, darentur Delphinates & Phocensis prouincia, cum Regis iure & titulo; Carolo permitteretur Burgundia maior, clientela Flandriæ, & iura in vniuersam Italiam. Ad eas conditiones audiendas atque

Morbo affligitur.

mitigandas,

mitigandas, vitos Illustres miserat Ludouica ex Francia, Franciscum Turnonium Archiepiscopum Ebredunensem, Grandmontium Episcopum Tarbensem, Philippum Chabotium, & Ioannem Seluam Senatus Parisiensis Præsidem. Quibus nihil melius impetrantibus; Rex tædio carceris afflictatus, & Caroli acerbitate, negantis quod miserrimo cuique patet colloquium, febri corripitur, tam violentâ, vt de salute vix spem vllam haberent Medici. Iis visum est vnum esse ægrotanti remedium; si animo adhiberetur; nempe si iacentem Imperator inuiseret; ideò admonent, vt si vellet captiuum suum viuere, eum alloquio solaretur; alioqui breui periturum. Mouit Carolum, vel vtilitatis ratio vel humanitatis, equisque cursoriis aduolauit ad Regem. Anteà tamen viæ expeditum dehortatus erat Gattinarius Cancellarius, monitum caueret, quo animo salutationem illam susciperet; eam optimè suscipi, si studuisset Regem nulla conditione liberum mittere; si secus placeret, humanitatem eiusmodi sordidam atque illiberalem cui vtilitas scopus, ne cum captiuo redemptionis pereat pretium; inhonestam fore atque turpissimam. Sed monenti haud obsequutus est Carolus, cui sæpius vtile pro honesto fuit, & generositas promouere rem suam. Paucis verbis, quia grauitas morbi vetabat, sed benignioribus & optimæ spei plenis, Rege confirmato, progreditur; ante excepta sorore Regis Margarita. Ea Francisco charissima, Alensonij vidua, impetratis assertitiis literis, in Hispaniam venerat, adhibitura solatium fratri, & efficaciùs de pace actura. Post recreatum ex periculo Regem, cùm totam aulam in admirationem, corporis forma & ingenij præstantia rapuisset, nec impetraret à Carolo, vt Burgundiam omitteret, pace infecta in Franciam redit: & aliquantò celeriùs quàm venisset; metu falso an vero ne ab Carolo retineretur. Ad Eleonoræ coniugium quod spectabat, dicebat Carolus, se inaudito Borbonio nihil posse statuere. Et ipse non vocatus aduenerat, vt sui ratio in feriendo fœdere haberetur; exceptus quidem à Carolo humanissimè, sed ab Hispanis Proceribus, vel externo inuidentibus, vel defectionem abominantibus, repulsus cum odio: dictúmque vnius nobilis liberrimum obseruatur, quo se Carolo petenti suas ædes ad excipiendum Borbonium excusauit; affirmans *sua omnia in principis potestate esse; ad ædes quod spectaret se eis extemplò flammas subiecturum, postquam exissent Borbonius, quæ infecta essent & contaminata, atque postea indignum viri honesti hospitium.* Iis ita stantibus, postquam diu inter Caroli potentiam & Francisci constantiam certatum est; altero petente Burgundiam, negante altero, & asserente, numquam se assensurum, vt ad liberos regnum imminutum iret, de pace tandem conuentum est. Ad matrem & Principes Franciscus scripserat, vt nulla sui amplius haberetur ratio; imò Delphino filio coronam consignauerat scripto, iussérátque intra alterum mensem ipsum inungi; cùm flagrantissimis Reginæ precibus procerúmque in aliam adductus sententiam, in pacta Caroli assentitur; haud dubius quin vis sibi adhiberetur; nec ea legum placitis haberi rata, quæ à captiuo vis ac grauior metus extorsissent. Scriptum est Madriti fœdus, atque in id iuratum, Februario mense, anno à captiuitate propè decurso, cuius conditiones.

FRANCISCVS I.

Et Madriti fœdus contrahit.

Anno 1526.

FRANCISCVS I.

ditiones tam iniquæ erant, vt ab ipsa vi atque terrore profectæ illicò viderentur. Porrò conditionem ea summa erat: vt Franciscus Burgundiæ Ducatum, Carolesios, Aussonenses, Matisconenses, & alia plura oppida Carolo daret: clientela Flandriæ nulla in posterùm esset: nullum ius in Italicas ditiones, & alia plurima quæ recensent Annales fusiùs, parcóque hic perscribere, cùm effectum nullum sortita sint. Obsides, dum impleretur fœdus, designati Delphinus cum duodecim Proceribus, vel eorum loco alter Regis filius, Dux Aurelianensis; additúmque, si conditiones non implerentur, vt Rex in potestatem Caroli se restitueret.

XX. *Rex liber in Francia.*

Post fœdus percussum Principes magna beneuolentiæ specie, simul epulati: à Francisco Eleonora desponsa est, ducentis aureorum millibus in dotem adscriptis: quanquam ea inter, nusquam custodia Franciscus solutus est, quasi vellet Carolus vis exceptionem integram atque illibatam æmulo tradere. Proximo mense, cùm Ludouica Regios liberos Baionam duxisset, Rex ab Lanoio & Alarcone custodiæ præfecto, Fontarabiam ductus, in vtriusque regni limitibus, in medio Behouio scapha immota, permutatur cum liberis Francisco Delphino, qui octauum annum decurrebat, & Henrico altero filio: & spectaculum erat, quod mœroris fletum in gaudio ipso eliceret: cum Regi erat libertas, sed impuberibus vincula: cùm patri nec ad osculandos liberos spatium fuit: cùm mater recipiebat *filium*, nepotes perdebat: cùm fœdaret pacem belli partus, liberi à paterno gremio & conspectu rapti: cùm demùm Francia post Regem redditum, spem regni desideraret, & iam libera, adhuc in vinculis in Hispania ageret. Rex vbi alteram amnis ripam tenuit: in equum Turcicum insiliens, ceu insidias veritus, mira celeritate Fanum sancti Ioannis, mox Baionam venit: tunc demùm cælum Francicum hausit, ac libertatis sensum admisit: ingenti matris, omniúmque Procerum gaudio. Nihil cunctatus ad Henricum Angliæ regem scribit, agítque impensè gratias, quod libertatem ipsius beneuolentiæ acceptam referret, se in posterum amicum pollicitus. Dein à Legatis Cæsaris appellatus, vt Madritianum fœdus ratum vellet; respondit, id pertinere ad regni comitia, quibus auditis perfecturum se quæ illa iussissent. Tum Pontificis & Venetorum legatis, qui ipsum Baionæ gratulaturi libertatem conuenerant, post actas gratias, intimum animi sensum exponit: *se indignè habitum à Carolo Cæsare: duos hactenus Francia Reges, belli sorte in manus hostium peruenisse; vtrumque Valesia stirpis, suique nominis primum, Ioannem & Franciscum; illum ab Eduardo Anglo humanitate summa exceptum; se pudore carceris ad extrema adductum; nullo solatio, nulla beneuolentia recreatum; extortas à se per vim & metum, fœderis conditiones, quas implere nec posset, nec vellet; prohiberi se iureiurando sanctissimo, quod in vnctione sacrosancta sanciuerat, se nullam regni partem distracturum; regnum esse Francorum, Regis vsumfructum; se absque assensu Comitiorum, nec Burgundiam, nec vllum oppidum hosti tradere vllo fœdere potuisse.* Cùm hæc palàm diceret, atque acerbè de Caroli inhumanitate expostularet, nemini dubium erat, quin irrito fœdere bellum longè atrocius immineret. Iámque Connacum Comitia regni conuenerant: quæ vrbs Regi natalis fuerat: vnóque consensu, cuncti trium ordinum

Cognac.

ordinum viri responderant; Regem membrum à Francia haud diuellere posse; irritam conditionem, quam ipse per metum, & contra primarias Regni leges & æquæitas regno promisisset. Idem Burgundi priuatis Comitiis statuerunt, se à Clodouæo nullos principes nisi è Regio stemmate habuisse; paratos priuatis armis libertatem tueri, si ad alium quàm Francicum Principem traducantur. Ea Connaci Lanoio atque Alarconi Franciscus respondit, quos Carolus ad eum miserat; se pro Burgundia daturum nummorum octingenties; impleturum cætera; eósque priuatim perhumaniter habitos, nam Lanoium agnoscebat libertatis auctorem, ad Cæsarem dimisit. Cæsar molestissimè ferens quod delusus esset, nec monentibus fidem habuisset; Borbonium in Italiam mittit, ad Mediolanense bellum conficiendum. Etenim Pescaria diem suum obierat, Franciscus Sfortia rebellauerat, palámque Veneti cum ipso conuenerant, clam & arcano fœdere Pontifex. Verùm ipsi cum Francisco Rege societatem nouam, conciliant; quippe Rex vt liberos reciperet, solutus à Pontifice sacramenti religione, cum ipso Pontifice, Venetis Heluetiis & Sfortia, contrahit fœdus, ad exteros ab Italia pellendos; asserendam ipsius Italiæ libertatem, Sfortiam ditioni suæ restituendum, & recipiendos Franciæ Principes; atque in id bellum designatæ cuiúsque impensæ. Verùm id fœdus, non eos euentus qui sperabantur, sortitum est; fœderati singuli in causa & culpa sunt. Nam incertus admodùm Pontifex, modo in hanc, modò in aliam partem se vertebat; Dux Vrbinus Venetorum præfectus trahebat bellum potiùs quàm gerebat; siue vt imperium diu prorogaret, siue à Pontifice alienus, qui si ageret tranquillus, Vrbinates repeteret; nec ipse Rex ad id bellum præter verba & paucas legiones, aliquid contulit; vel sponte in voluptatum vsum relapsus, quas calamitate prohibitus non tam abiecerat, quàm interpellarat, vel bello ostentato potiùs quàm capessito, vt metu obiecto liberos à Carolo tandem impetraret. Idque belli genus totum annum tenuit, quo Mediolanum & ipsa arx ab Hispanis subacta est; donec sequenti anno, à Borbonio ducente Imperatorium exercitum capta est Roma, Maio mense & direpta tam ab Hispanis quàm Germanis atrocissima immanitate, quæ Gallicam olim superauit; qua calamitate cùm Historici personent, nec sit ea mei propositi; enarranda abstineo; vno obseruato, Borbonium primum omnium in expugnatione occisum, glande vt creditur à milite suo impetitus; iámque is in gratiam Francisci admissus, properabat Neapolin, aliquid magnum in reconciliatæ gratiæ pretiũ patraturus: præclarus sanè multis virtutibus, militari præcipuè; & dignus quem Francia suis Heroibus adscribat, nisi & hostibus suis adscriberet; & Borbonius Francus origine, se facinoribus Hispanum gessisset.

FRANCISCVS I.

Fœdus cum Pontifice & Venetis.

Anno 1527.

XXI.

Româ captâ, direptáque crudeliter, ab vexando Pontifice haud cessabant Hispani; eum in Adriani Mole obsederant, & fame adactum propè ad vltima, vt contumeliosæ seruituti sese eriperet, ad fœdus coëgerant; quo ærario & arcibus spoliatum, Neapolin amandabant, ad Caroli Cæsaris iussa præstolandum. Ergo cæteri Principes irreligiosum atque atrox facinus indignati, nouum inter se constituunt fœdus, Franciscus, Henricus, Veneti, & Florentini, ad liberandum Pontificem, & inustam

Nouum fœdus in Cæsarem.

FRANCISCVS I. De Boleu.

Sacrosanctæ Ecclesiæ iniuriam expungendam atque abolendam. Porro Henricus Angliæ Rex id in fœdus sua etiam causa inclinabat. Etenim Annæ Boleniæ amore insano captus, eam vt duceret, statuerat Catharinam coniugem materteram Caroli repudiare; quod cùm absque assensu & permissu Pontificis, matrimonium primum dissoluentis tentari non poterat; id summis in Ecclesiam beneficiis Henricus se consequuturum sperabat. Itaque ad fœdus Francicum ineundum, Cardinalis Eboracensis in Franciam venerat, & Regem Ambiani conueniens, illud percusserat, quo in sociale bellum, Anglus singulis mensibus Angelorios sexagies mille persolueret; titulo Regis Franciæ abstineret, vicissim ipsi quot annis Franciscus solueret dictam pensionem, & plurima auri millia, ab prioribus Regibus debita. Missus in Angliam Mommorantius magnificentissimè exceptus, delibauit honores regios atque delicias. Veneri in fœdus decem hominum millia conferebant, Florentini quinque; scopúsque fœderis, vt libertati vindicaretur Pontifex; in ditionem Sfortia restitueretur, & Neapolitanum regnum eriperetur Hispano. Continuo Rex, quia classe ad expeditionem opus erat; Andream Doriam Genuensem eiúsque octo triremes in stipendium suum adscripsit, adiunxítque triremes sexdecim, & naues aliquot. Tum Lautreco in omnes fœderatorum copias datum imperium; eum quippe speciatim deposcebat Anglus, quanquam inuitum, atque idmuneris excusantem, siue futuram calamitatem præsagiret animo; siue gnarus quæ Francisco Regi indoles foret, tantam prouinciã ægrè susciperet, quam aliena negligẽtia conturbaret statim atque cuerteret. Postquam Astam venit mense Augusto, dum Legiones præstolatur, ne inaniter tempus efflueret, Boscum impugnat, firmóque munitum præsidio ad deditionem cogit, vno baculo militi permisso; sed cùm arma reddidisset, miles stipendio suo se addicit. Cogitabat Alexandriam, cùm Genuam euentu prospero auocatur. Andreas Doria conclusérat in Delphini portu Genuensium naues frumento onustas, ceperátque; Cæsar Fregosius quatuor millibus peditum à Lautreco submissis, præsidium vrbis conciderat, Martinengum Præfectum erumpentem ceperat, premebátque vrbem grauis annonæ penuria: iis cives afflicti Legatos ad Lautrecum mittunt, Adorno duce se in Castelletum recipiente; aduolat Lautrecus, vrbe excipitur, atque haud multò pòst Castelleto, imponitque regimini Theodorum Trivulcium Marescallum. Subactà Genuâ, & foribus ad Neapolitanum regnum patefactis, Lautrecus iam auctior copiis, Alexandriam obsidione cingit, haud diuturna; præsidio statim deditionem faciente. Sed paulum abfuit quin discordiæ pomum, fœderatos inter, ea vrbs fuerit: nam eam Lautrecus Regi asserebat, vt necessàriam, tum ad excipienda militum supplementa, tum ad tutiorem receptum, si quid aduersi contingeret. Contra fœderati tradi eam Sfortiæ contendebant, suspicati Franciscum sibi Insubres quærere; idque præterea à Legato Anglo flagitante; post plurimam altercationem Lautrecus vrbem permisit Sfortiæ; sed multùm indignans & à subigendis Insubribus iam alienior. Attamen Vigeuano capta, cùm fingeret Mediolanum contendere, & Leua cohortes Ticino Mediolanum

Anno 1527. *Lautrecus in Italia bellum gerit.*

euocasset;

euocasset; repente Ticinum flexo itinere aggreditur, verberátque tormentis; móxque octauo die per ruinam muri Franci irrumpunt, vrbemque direptam atrociter, prioris cladis memores, ferro & flammis vastant, perdituri funditùs, ni Lautrecus intercederet. Vrbe captâ, noua inter victores contentio oritur. Ad Lautrecum adit Cardinalis Cibus, orátque vehementer, vt Romam festinet ad liberandum Pontificem, qui adhuc in Adriani Mole obsidebatur à Cæsarianis; eum belli scopum, eò collimare arma sanctissima; nec cunctandum donec Ecclesiæ parens ludibrio hostium atque amentiæ tradatur. Et eò legatus Anglus propédebat. Sed Veneti Mediolanum expugnari cupiebant; *in eo positum cardinem rerum*; *frustrà impugnari Neapolin, dum Germanicis copiis porta aperiamur, occludendas illas, mox Neapolin perituram breui, nunc Mediolanum milite destitutum atque commeatu, expugnari posse haud difficulter; si elabatur occasio, nouum mox bellum, nouum periculum exoriturum.* Nec id abs re postulabant Veneti, nisi Lautrecum sua nouisset causa atque vtilitas; adeò inter plures discordibus rationibus concordia est rara; nam metuebat ne subactis Insubribus, Veneti iam à periculo tecti; in reliquo bello lentius ignauiusque se gererent, & parta securitate minus laborarent. Eam ob rem Mediolano omisso Romam profecturus, Parmam se contulit, Venetis acerbè expostulantibus; eo magis quod mensem cunctando Parmæ insumpsit Lautrecus. Quanquam hæc mora non sine causa aut præmio erat. Dux Ferrariensis Cæsarem deserens, fœderatis adscriptus est; promittente Legato Pontificio Mutinam, & Rege despondente Renatam Ludouici filiam Herculi Alphonsi Ducis filio; quod coniugium deinde perfectum est. Præterea in Hispania à Legatis Principum pax promouebatur, erátque spes conficiendæ, quam subito Gattinari vnius vel cauillatio, vel prudentia sagax abrumpit: nam intercedebat ne Franciæ Principes redderentur, priusquam exercitum ex Italia Rex amouisset, nec eum amoturum se Rex significabat, nisi liberis priùs restitutis; ita mutuam fidem lacessentes, inuicémque suspecti, cùm postremò Anglo tradere obsides Cæsar recusasset, fœlicitati suæ confidens; bellum instaurarunt. FRANCISCVS I.

XXII. *Cæsaris & Regis odia & prouocatio.*

Interim Cæsar veritus ne à Lautreco Pontifex eriperetur, suis Præfectis mandat, vt eum in conditiones pacis admittant; & datæ sunt quas scripsi antea; adeò duræ & acerbæ, vt libero Pontifici noua in perpetuum vincula cudi viderentur. Nec iis admodùm Clemens se tutum reputans, nocte ex Mole prodiit, famuli habitu, & excipiente Ludouico Gonzaga Orbitum venit. At Cæsarem inter & Regem noua in dies conflagrabant odia, & futuris malis sementem ponebant, abiectâ spe pacis. Franciscus magno prorsus animo, cui promissorum fides sacrosancta esset, ductus religione, quod in fœdere Madritensi conuenerat, se iturum in custodiam Caroli, si conditiones non implerentur; regni Proceres, triúmque Ordinum optimates euocat, palámque propósita fœderis conditione, affirmat ad eam implendam, statuisse in Hispaniam in vincula Caroli proficisci; nec sibi rem vllam potiorem fide aut sanctiorem promissis. Verùm à cunctis reclamatum est vehementer; *priùs singulos subituros mortem, quàm id paterentur*,

FRANCISCVS I.

tur, *Regem vbi semel regno adiunctus sit, sui iuris haud esse, quodam coniugio eum cum subditis alligari, neutrum posse dissentiente altero nexum abrumpere; tam eam conditionem, quàm cæteras fœderis per vim extortas: solutum ipsum diplomate Pontificio, imò naturæ ac gentium omnium legibus, quæ promissa nulla stabiliunt, si voluntas defuit, & nullam statuunt esse voluntatem, cùm vis maior ac metus ingruunt.* Deinde adhortantur ad bellum validissimè instituendum, quo à Cæsare liberos auferat; nec vnis verbis amorem testati, vltrò in bellum pecuniam plurimam conferunt. Legatus Anglus dum hæc geruntur interuenit, vrgétque ad bellum tam efficaciter, vt id Rex prohis omnium animis, ratus satisfactum fidei, ardens susceperit. Idque Cæsari per feciales distinctos, Francum & Anglum indictum est. Carolus vultu sereno feciales audit: verùm Franco quis pungeret animum dolor promit: *mirari se dicit, quod Francia Rex tam citò iurisiurandi oblitus sit, parum esse quod terrarum orbe spectante fidem violarit, ignominiam propudiosam contraxerit; in religionem & sacramentum peccauerit, nisi etiam Christianum orbem bellis inuoluat, & Regem Angliæ sceleri suo implicitum, in furoris partem appellet; se haud bellum fugere, quo victor Deo propitio fuisset hactenus; quanquam id indici à Francisco non posset, qui suus captiuus, & aliena adhuc potestatis, nec gerere bellum nec indicere queat, saluo gentium iure: nihilominus ad recidendas calamitates quas bellum inuehit, & parcendum sanguini Christiano, se singulari certamine pugnaturum in Regem; idque se biennio ante Caluimontio Gratianopolitano præsidi significasse; sed Regem tam generositate quàm fide imparem hactenus dissimulare & obsurdescere.* Post ea dicta Oratores fœderatorum, præter Anglum, in custodiam misit. Quibus Rex acceptis cùm similiter Perrenotum Legatum Hispanum misisset in custodiam; posteaque conuenissent Principes de Legatis inuicem dimittendis; Hispanum in Palatij aulam Franciscus euocat, & magna procerum nobiliúmque frequentiâ, orationem habet luculentam & qua erat eloquentiâ præditus ornatissimam atque accuratam. *Ea excusabat se apud Legatum, quod ipsum exemplo Cæsaris misisset in custodiam; tum qua ille feciali obiecerat exquisitis rationum momentis confutat; dein quod ad certamen spectaret, ignoraſſe se quod Caluimontio dictum sit; id si resciuisset, non inanibus verbis responsurum, sed scripto quod perstaret; vti in præsentia respondebat.* Tum libellum legendum Perrenotto offert, quo legendo cùm ille se excusaret, quod Legati munere iam deiectus esset, iubet Rex Robertetum sanctioris consilij scribam libellum legere. Eius summa erat; *vt quoties Cæsar Regem diceret fidem fefelliſſe, aut gessisse quidpiam, quod virum nobilem dedeceret, eum toties mentiri, designet ipse locum certamini, se extemplò arma ad disceptandam litem portaturum.* Datus feciali libellus, quem ad Cæsarem ferret. Ac paucis post diebus, Angliæ Rex eadem pompa verborum prouocat Cæsarem. Qui quidem Anglo nihil reposuit; sed fecialem rursum ad Franciscum misit, qui longa oratione Regis dicta refelleret. Et eum in concionem Franciscus admisit: sed cùm flagitasset an certaminis locum designaturus foret; nec ille speciatim quidquam reponeret, dimissus ab Rege est. Sic exacerbata consumeliis odia, penetra-

bant

bant in mentem altius; radicum fibris, ita peruadentibus, vt posteà nullo fœdere, nulla charitate, vel affinitatis vel religionis, extirpari potuerint. FRANCISCVS I.

XXII. At Lautrecus dum certatur verbis arma promouerat: nam Angliæ Rex à Francisco impetrauerat, ne in Flandria bellum moueretur; Belgarum commercio Anglis luculento atque perutili,) & ex Flaminia versus Neapolitanum regnum profectus, soluto iam Pontifice Romam etiam in libertatem asserit. Nam exercitus Cæsaris, cui Orangius præerat, tandem ad propugnandum regnum Româ abscessit. Hugo Moncada Proregis loco, Lanoio vita functo, administrabat prouinciam, & iuuabat vocatus ab Insubribus Marchio Vastius, ex Daualorum familia, & Pescariæ mortuo patruelis. Ij obtinebant Neapolin, Orangius exercitum ad Troiam vrbem posuerat, Lautrecum ab instituto itinere prohibiturus. Etenim ille Samnitibus occupatis, captáque Aquila, properabat versus Apuliam, ingentem pecuniam inuasurus quæ ex pastionis vectigalibus penditur; sed hoste occurrente festinationem sustinuit, dum Venetorum copiæ, ac Florentinorum accedunt. Admoti erant ambo exercitus, crebrísque velitationibus, depugnabant, cùm fœderatorum legionibus Lautrecus augebatur, atque Orangius longè inferior, nebuloso die versus Neapolin se recipit magno silentio, fallítque hostem, dum longo interuallo securus est. Hoste elapso Neapolis pariter ipsa elabitur. Horatius Ballonius, qui cohortes nigras pugnacissimas omnium duxerat, pluréfque alij, auctores erant, vt extemplò toto exercitu Neapolis cingeretur, expugnanda breui dum trepidat; verùm alij proximas vrbes inuadendas censebant; ne quid à tergo negotij molestiæve facesserent; ita fœderati in tria agmina distributi, plurima quidem capiunt oppida, Melfim, Asculum, Tripaldam, Barotum, Tranium, Monopolim, arcem Venusinam; sed Neapoli excidunt, dato spatio sese confirmandi. Nam Hispani cæteras vrbes victori concesserant, præter Caietam & Neapolim; & in hanc postremam receperant totum exercitum, in quo erant decem peditum millia, Hispani & Germani: eósque Moncada Prorex admiserat, certus ciuium bona in stipendium rapere; quorum magna pars dilapsa erat in proximas vrbes insuláve. Iámque Lautrecus vectigali potitus, collectóque exercitu, præter Venetos ter mille, quos reliquit ad Monfredoniam obsidendam, & proxima loca occupanda, Neapolin cingit obsidione. Erant in exercitu equitum viginti millia, peditum octoginta, sed vix tertiam partem bello apti; adeò lixarum famulorum, & iumentorum ad sarcinas, superuacaneus numerus excreuerat; quibus cæteri milites obruebantur potiùs quàm iuuabantur; similes vespis & crabronibus apum mella vorantibus. Constituerat Lautrecus vrbem penuriâ premere, atque eam in rem arcessebat classem Venetam & Dorianam, quæ portum clauderent, & arcerent obsessos maris commercio: verùm & Veneti hærebant in mari Supero, Hydruntum oppugnaturi, aliásque arces quas ex fœdere obtenturi erant; & Doria post expeditionem in Sardiniam, moras Genuæ nectebat. Attamen natalis victoria, fœderatorum

Lautrecus Neapolitanũ regnum inuadit.

Du Guast.

Victoria natalis.

FRANCISCVS I.

spem mirum in modum erexit. Erant Philippo Doriæ, nepoti Andreæ, triremes octo, quibus tametsi portum non omnino obstrueret, tamen multa detrimenta inferebat obsessis. Eum obicem vt amoliretur Moncada, sex triremes aliáque minora nauigia instruit armamentis; & selectos ex toto exercitu mille Hispanos, ducentósque Germanos, imponit nauigiis: Anno 1528. & ipse cum Vastio, Ascanio Columna, ac tribunis fortissimis, in Doriam ducit. Admonuerat Lautrecus Doriam, submiserátque scloperarios in opem quadringentos; quibus fretus vir maritimarum peritissimus rerum, inuadentem hostem sic excipit; vt post atrocem dimicationem victor, hostés omnes, vel ceperit, vel in æstu pugnæ occiderit; cæsus Prorex ipse Moncada; capti Vastius, & Columna; triremium duæ in conflictu demersæ, duæ captæ, duæ fugâ seruatæ; quas Orangius post Moncadam Prorex portu excepit. *An Andreæ Doriæ defectio.* Res fœderatorum eâ pugnâ lætas Andreæ Doriæ defectio, afflixit primùm, deinde prostrauit. Ille diu concepta in Franciscum Regem offensione, quod à se captum Orangium nullo pretio post Madritianum fœdus dimisisset, clámque succensus quod Genuam patriam suam Rex haberet, paulò seuerius, & Sauonæ videretur subiicere, coquebat defectionis & vindictæ consilium. Iussus erat classem in Siciliam ducere, & Insula destituta præsidio inuasioni patebat; eránque triremes quatuordecim Francicæ, Venetæ sexdecim, Doriæ octo, quibus exceptus est Rentius Ceres clarissimus bello Dux, cum tribus peditum millibus. Verùm Doria, forsitan animo iam defectionem concipiens, persuaserat omissa Sicilia in Sardiniam ire: móxque classe in eam appulsa, orto ipsum inter & Ceretém iurgio, abscessit à Cerete, Doria; navésque abduxit, dein sæuiente procella, tota classis disiecta est, tenuítque partim Liburnum, & partim Genuam, vt se instauraret; Doria cum suis octo, & totidem Francicis Genuæ substitit; Liburni, Venetæ; Ceres cùm cæteris Francicis in Sardinia hæserat; vnde post Sardos victos prælio, captámque Sassarim Liburnum æger discessit. Appellatus sæpius à Lautreco Doria, cùm se Genua haudquaquam moueret, facilè Lautreco in suspicionem noui consilij venit; quare ille vt necessarium virum retineret, Bellaium Langæum ad Regem mittit, oratum ne Rex peritissimum rerum naualium ducem, & cardinem expeditionis abalienaret, imò quantum fieri poterat conseruaret. Langæus Genuâ iter instituit, Doriámque familiaris admodùm conuenit, comperítque animum exulceratum; posse tamen conciliari, si fierét satis postulatis. Ea porrò erant; vt pensiones debitæ soluerentur, pro Orangio pretium redhiberetur, salinarium vectigal, quod Rex Sauonam transtulerat, Genuensibus, & priuilegia quædam restituerentur; se curaturum pollicitus vt Genuensium triremes duodecim, quæ instructæ in anchoris essent, ad Regis nutum atque arbitrium forent. Cùm Langæus Doriam spe bona implesset, Lutetiam aduolat, & Laurreci mandata, ac Doriæ postulata, in consilio proponit, demonstrátque profligatam Neapolitanam rem esse, si Doria abscedat. Erat Mommorantius intimus Regi, idémque Sauonam cum omnibus vectigalibus dono à Rege acceperat; ideóque veritus ne lucrum ex vectigalibus

Du Bellay. Langé.

perderet,

perderet, si ea Genuam traducerentur, Pratum Cancellarium adornat, eiúsque auctoritate, Doriæ postulata vt superba & indigna Francicâ maiestate, reiici curat & repudiari; simul Barbesium designari, cui triremium cura commissa est, datúmque mandatum, Genuam proficiscendi, Regias triremes & Dorianas occupandi, atque ipsius Doriæ apprehendendi. Ea cùm Doriæ innotuissent, virum in oppositam partem coniecerunt, maximo Francicarum rerum detrimento. Quippe Philippum nepotem cum triremibus à Neapolitano littore auocat; suas octo naves cum Guastio cæterísque captiuis, Imperatori addicit, pactus Genuæ libertatem sub tutela Imperatoris; nec Franciscum audiit, postea cumulantem & largiùs promittentem, quæ antè imprudenter negauerat. Ea Andreæ defectio, noua defectione Antonij Doriæ propinqui sui adaucta est, qui tres naves Francicas quibus præerat, in potestate sua retinuit, Hispaníque adiunxit. Adhæsitque in posterum Cæsarianis Doria, tam certa fide & inuiolata, vt in fide, vltionis flammam deprehendas, & contemptum accurato studio vindicatum; tanti refert generosum virum, vel beneficio demereri, vel non alienare injuria. FRANCISCVS I.

XXIII. *Franci ex Neapolitano regno expulsi.*

Ab Doriæ defectione, Neapolitanæ res vt Langæus prædixerat retro vertere, & in deterius ruere vitæ sunt, graues morbi vexabant exercitum, largè contagio in tribunos militésque grassante; Rex segniter suppeditabat in bellum impensas, pecuniá in deteriora, tabulas, ædificia, luxum, & voluptates effusá; quique digredienti Lautreco promiserat in menses singulos centum & triginta aureorum millia, iam ducenta debebat, & in tres proximos menses promissæ pecuniæ partem detrahebat. Flagitauerat missionem à Rege Lautrecus, & qui succederet postulabat impensè; iámque Franciscus Philippum Chabotum Brionem sibi chariſſimum in præfecturam illam destinauerat; sed adolescente non admodùm rerum militarium perito, excusante, & forsitan gratiam aulicam incertæ gloriæ certóque discrimini anteponente, iussus erat perseuerare Lautrecus; missa in subsidium aliquanta pecunia; & Nauarro Principe, Regis Henrici fratre, cum nobilium turma nauibus Barbesij vecto. Sed cùm ea ad calamitatem leuandam haudquaquam sufficerent, morbúsque iam in pestem degener, sæuiret in omnium capita, plurimíque ex ducibus fato rapti essent, qui superstites erant Lautreco suadent ab obsessa vrbe abscedere, copias commodiori cælo tradere, & supplementum militum vel à Francia quærere, vel in Italia ipsa conficere. Iam pestis absumpserat Nauarrum Principem, Comitem Vademontium, Candalum, Camillum, Trivulcium, tribunósque præcipuos; & ipse Lautrecus morbo æger iacebat; nec idcò ad receptum patiebatur inflecti animum. Tot funerum auctor existimatus est pessimus Pharmacopola, qui ægrotis nobilibus pro remediis adhibebat venenum, & cisternæ, vnde miles potabat ab hoste toxico infectæ creditæ sunt. At cùm in pertinacia perseueraret Lautrecus, asseuerauerat enim se nunquam Neapoli nisi mortuum abscessurum, supra quam promiserat fatum impleuit; nam & mortuus vrbe exceptus est. Morbo aliquantulùm recreatus, instaurabat ingenti animo ærumnas præteritas, nulla quiete interpellatis. *Laut. eci: mors.*

FRANCISCVS I.

interpellatis laboribus, sed corpore ad animi conatus impare, recrudescente febri, lecto affligitur, & inter publicas priuatásque curas extinguitur. Dux in paucis præstans, vitâ integer, iusti tenax, militaris disciplinæ custos, & dictus peculiari elogio, vrbium expugnator, quanquam ea in laude animam posuit; fortasse seruaturus, si minus sibi ea in arte & felicitate confideret: nam quod pertinaciùs sententiam suam defenderet, & fastidiret cæterorum monita, ne videretur vinci à suis qui hostem vinceret; hæc Lautreci noxa propria est, quæ virum ingentem mortalitatis labe aspersit. Corpus à Francis in templo rustico sepultum, soluta obsidione, erutum ab Hispano milite, Neapolin deportatum est, & in cella vinaria conditum; turpi auaritia militis expectantis emptorem; sed delusa spe cupiditas est, pupillis Lautreci liberis, & Cæsariani exercitus ducibus tam turpem auaritiam non vindicantibus; donec anno post vicesimo, Ferdinandus Consaluus dux Sessanus Consalui magni ex filio nepos, turpitudinem suæ gentis honestissimo sumptu expunxit; Lautreci cadauere pecunia sua redempto, & sepulchro marmoreo eam in rem erecto, ipso in sacello quod Consaluus auus posuerat; iam partium extinctis odiis, & vera virtute splendidiùs à caligine tumuli illucente. Viri memoriam cohonestauit Franciscus, luxítque præclarissimum Imperatorem, quem in angustias mortis adegerat, támque magnificum funus instituit, quale Delphino conficeret. Imò Senatus Populúsque Romanus illi in atra veste parentauit, liberatorem patriæ nuncupans, edixítque vt eadem quotannis Laterana in Æde instaurarentur solemnia. Post Lautreci mortem, Salussius Marchio, qui vnus è tot Proceribus perstabat à morbo integer, suscepto regimine, cùm Doria recreasset vrbem commeatu, languentes copias Neapoli abducit, atque Auersam contendit, dum Rentij Ceretis copias præstolatur. Sed Orangius Neapoli prodiens, postremum recedentis agmen conciderat, ipsúmque Salussium sua vice oppugnaturus, cogit ad deditionem, saucium grauiter, propudiosis viro forti conditionibus; vt ipse Salussius & tribuni cæteri ducerentur captiui, militi libero ire fas esset, sed signis, equis, instrumento omni tum domestico tum militari relictis. Dicitur Pomperantius, dum leguntur conditiones, dolore animi effocatus corruisse extemplò, & oculis in cælum sublatis expirasse; Ille in Ticinensi prælio Regem seruauerat, donatus luculento præmio, & equestri turma. Postridie aduenit Caracciolus Melfitanus Princeps cum Cerete; qui audito fœdere in Samnium reuerterunt; in quo aliquot oppida ad Cameracensem pacem tenuerunt. Salussius Neapolin delatus, haud multò pòst ex vulnere obiit; milites Barbesij classe excepti sunt. Ita tertiùm Hispani virtute sua Neapolitanum regnum comparauerunt: nam intra septa vrbis, postquàm rerum penuriam, & sæuissimam contagij luem, peruicerunt admirabili patientia, & aduersam sortem naualis prælij; leuiori operâ hostem subegerunt. Porrò Francos spe florentissima deturbarunt, sui Regis incuria, defectio Doriæ, & Venetorum in priuata commoda nimium studium.

Hæc

FRANCISCVS I. XXIV.

Hæc in extrema Italia dum geruntur, haud feliciùs in eius faucibus Franciſcus pugnabat. Sub Maium menſem, nam Auguſto Lautrecus occubuit, Henricus Dux Brunſuicenſis, Tridento profectus decem hominum millia in Longobardiam inuehebat. Rex ad eius famam nouum exercitum ad ducem pellendum indicebat, cui Franciſcum Borbonium Sampaulinum Comitem ducem deſignabat; Attamen in Inſubres irruperat Brunſuicenſis, reuerterátque in Germaniam, antè Sampaulinus quàm Alpes tranſiret; quippe Germanus deficiente ſtipendio remeauit in patriam, & Francus Regis indiligentia imparatus erat. At bis mille Germani cum Antonio Leua ſubſtiterunt; aduenítque Sampaulinus minoribus copiis quàm fœderati ſperauerant, ſéque Vrbinati Venetorum Præfecto adiungit. Cùm æſtatem nullo operæ pretio tranſegiſſent, quippe Vrbinas de induſtria bellum trahebat, tandem menſe Octobri aggrediuntur Ticinum, quod digreſſo Lautreco Leua expugnauerat. Nec mora tormentis diſpoſitis, víque illata, poſt dies aliquot capiunt diripiúntque. Dein oppugnatis aliquot oppidis, imminebant Mediolano, obſeſſuri, niſi Vrbinati ſecus viſum eſſet, qui munitam vrbem, propugnante Leua cum toto exercitu, à vi tectam putabat. Præterea res Genuenſes Sampaulinum vrgebant, Genuam atrociſſima peſtis ita vexauerat, vt vrbe propè in ſolitudinem verſa, Trivulcius Præfectus eâ deſertâ, ſe in Caſtelletum arcem receperit. Vſus occaſione Doria, qui patriam ſuam liberam cuperet, claſſem ad portum applicat, & Francorum claſſe fugiente, ipſa triremi Barbeſij locum Principem ambiente, qui recedentibus turpiſſimus eſt; quingentis dumtaxat hominibus vrbem præter ſpem occupat, & mox Trivulcium in arce obſidet. Sampaulinus vocatus à Trivulcio, Germanos quidem in opem miſerat; ſed cum ij defectu ſtipendij ire detrectaſſent; ipſe Sampaulinus, cum centum cataphractis, & bis mille peditibus ſuſcepta expeditione, verſus Genuam tendit. In via Monteianem cum duobus militum millibus excipit, venerátque Gauium, vrbe Genua octo leucis diſtantem: cùm audit Corſos ab Doria in vrbem ſubmiſſos, & ab eodem Sauonam vehementer premi. Itaque Genua deſperata, ne Sauona periret ſimiliter, Monteianem ad eam cum copiis mittit; verùm conatus vtrobique inanis extitit; Monteianes ab Dorianis repulſus, ad Sampaulinum Alexandriam venit; Sauona capta eſt, & poſtmodùm Caſtelletum, Trivulcio emiſſo, arx ſtatim ab Genuenſibus funditus diruta, & conſtituta regiminis ratio, quam etiamnum obſeruant, Adorniorum & Fregoſiorum factionibus extinctis, quorum familiæ omni nobilitatis iure expunctæ ſunt; penes Andream Doriam patriæ liberatorem auctoritas fuit, titulo & honoribus ad Senatum populúmque traductis; atque in poſterum ciuitas illa tot mutationibus ante obnoxia, anchoram fixit, ſtetítque procellas inter incolumis, laude Andreæ Doriæ ſanè eximia, qui regiam propemodùm potentiam ad vnam patriæ libertatem conuertit. Leua interim Mediolanum multa immanitate obtinebat, vt ſtipendium militi ſolueret: inſtituerat nouum vectigalis genus: cùm triticum omne collegiſſet, edicto vetuit, ne cui ciuium liceret domi farinam conficere aut habere, niſi iuſſum vecti-

Franci ab Inſubribus pulſi.

Anno 1528.

Et Genua.

Gaui.

FRANCISCVS I.

gal soluisset ; erat autem acerbissimum , in singulos frumenti modios tres nummi aurei ; præterea Regio nomine panem coquebat , quem immenso pretio diuendebat ; vt nemini cui salus & vita misera curæ esset , à tributo immunitas foret. Quanquam plurimi desperatione acti ruebant in mortem , malebántque fame perire , vel laqueo , quàm tueri vitam pane Hispanico. Cùm tanto odio conflagraret Leua , sperabant fœderati capi vrbem posse , & se iam ad obsidium comparabat Sampaulinus , cùm negante obsidium Vrbinate , de recuperanda Genua cogitat. Se ad iter accinxerat , petebátque Ticinum , quando geminus casus properanti moram innexuit , & Leuæ insequenti magnam peperit opportunitatem. Primùm imbres effusi nubibus , Ticino amne arcuerant tormenta ; & præstolandum fuit dum detumescerent ; tum in itinere viâ plurimùm lutulentâ , vnum tormenti carrum confractum est , & præmisso Ticinum priori agmine , expectat Sampaulinus , dum alter axis carro supponitur. Ad tormentum luto eruendum , milites plurimi atque ipsi equites incumbebant ; cùm ecce Leua inexpectatus superuenit. Ille collecta ex imbrium copia Francorum cunctatione , nocte concubia Mediolano prodierat , magna celeritate improuisum agmen assequutus ; enitentem circa lutum militem adoritur. Sampaulinus quanquam deprehensus haud deiectus animo ; pedes sicuti erat Germanos in pugnam educit , pugnátque fortiter , cùm extemplò Germani , vel ad populares suos deficiunt , qui sub signis Leuæ præliabantur , vel se fuga subripiunt : idem Itali præstant , deseritúrque cum Francis aliquot Sampaulinus ; destitutus in equum insilit , ac capitur , dum latam fossam equi saltu tentat superare. Prima acies , atque omnis propemodùm equitatus Annebaldo duce Ticinum tenuit , mox Laudem ; regressa inde in Franciam , iam promota pace. Nec vituperio Sampaulinus caruit , qui se incautum atque improuisum hosti obiecerat ; cùm bellatori incedenti in hostico , tam de tergo quam de fronte sit cogitandum.

XXV. *Pax Cameracensis.*

Et Franciscus eas inter calamitates seriò animum applicabat ad pacem. Iam cum Pontifice nouum fœdus pepigerat Imperator , idémque cum singulis Fœderatorum tentabat ; quos si semel abduxisset à Rege , metus & periculum erat , ne grauioribus conditionibus legem Franco diceret. Præterea magno liberorum desiderio Rex flagrabat : pueri Regij nulla sua culpa , ab aula & paternis laribus exules , apud hostem capti , alienis moribus imbuendi , quanquam foret lentior affectus patrius , miserationi essent ac dolori ; quid suorum amantissimum patrem amorisque tenerrimi , quàm incredibili cupiditate orbum inflammabant ; nec à pace alienus Imperator erat ; voluebat enim animo magna consilia , quæ bello Francico perdurante promoueri & in exitum duci haudquaquam poterant. Percupiebat in Italia coronari , felicitatem coram vsurpare , atque ea fundamenta immensæ potentiæ iacere : & Solimanus Turcorum Princeps magno exercitu imminebat Hungariæ : nec tranquilla erat Germania , plerisque Principum nouum dogma Lutheri auidè amplectentibus. Ita demitigatis noua vtilitate mutuis odiis , placuit per sequestros agere. Eam in rem duæ feminæ

minæ designatæ, Ludouica Francisci mater, & Margarita Caroli amita; quæ Cameracum vno simul die, per diuersas portas conuenientes, diuerterunt in contiguas domos, medio pariete in cubicula proxima patefacto; aderant legati ab Pontifice & ab Rege Anglo; quibus rem iuuantibus, in eas leges consensum est, quæ tamen Fœderatis clam erant, vt Rex recipiendis liberis, duodecies centum millia aureorum penderet; quadringenta millia Regi Angliæ Imperatoris nomine solueret, item quadringentis terras redimeret, quas Maria Lucemburgensis, mater Ducis Vindocinensis possidebat in Belgio, vt eæ penes Carolum forent. Rursum Anglo, quingenta millia repræsentaret, quæ sibi Carolus dixerat mulctam, nisi Mariam Henrici filiam duceret coniugem. Lilij florem ex auro puro, pretiosissimis gemmis ornatum, à Philippo Archiduce oppigneratum Henrico, redimeret Rex, & Carolo restitueret; Flandriæ, Artesiæ, Astæ patronatu cederet, & iure quod competeret in ducatum Mediolanensem & regnum Neapolitanum; Caroli Borbonij bona legitimis heredibus daret, naues Imperatori petenti Italiam commodaret; Venetis bellum indiceret, si arces Carolo restituere cunctarentur, & adiuncta alia, quibus Franciscus cogebatur in arctum admodùm, sed iis omnibus præpollebat affectus patrius. Diu Fœderatos latuerunt hæc pacta, & dum inirentur, affirmabat Franciscus & asseuerabat sanctissimè præsertim Venetis, se absque sociorum assensu nunquam conuenturum, vnde postea Venetorum querelæ acerbissimæ, se proditos postulantium, & potestari Imperatoris obiectos: nec querebantur immerito, Regis simulatione & promissis delusi. Et eam vnam Rex praui artificij contraxit maculam, in cæteris candidus atque sincerus, obtendebat excusationem paternam, & postulabat desiderio liberorum quod sanctissimum est indulgeri. Sanè Veneti suum postea fœdus cum Imperatore pepigerunt; à Francisco adeò auersi in posterum, vt nullis ipsius minis precibúlve ad nouam societatem flecti potuerint. Pace proclamata, Guillelmum Bellaium Langæum in Angliam Rex illicò mittit, vti Henrico satis de pecunia debita faceret. Erat Langæus vir tum aulicarum rerum, tum militarium peritus, ad captandos animos mirè factus, & probitate mentis non impare: ille vt Henricum demereretur, (perspexerat enim quid gratissimum foret) sua industria perfecerat, vt in Academia Parisiensi, Bononiensi, Ticinensi, atque in aliis Europæ celeberrimis, Henrici prius cum Catharina coniugium irritum sanciretur, quam ob rem mitificè Henrico acceptus, iam indigenti ope Francisci vt à Pontifice secundum coniugium impetraret, ad votum prosperè mandata conficit. Etenim Henricus quadringenta aureorum millia Francisco in quinque annos æquis pensionibus soluenda credidit; quingenta sibi à Cæsare promissa, & lilij gemmeum florem, Henricò Francisci filio, dono dedit, quem in sacro fronte susceperat; verè probans liberalitatem amantium esse, qui non tam Regi quàm amoribus nouis hæc largiebatur. Iis feliciter festinatis, liberorum traditio in aliquot menses, & sequentem annum dilata est, Prati Cancellarij turpi auaritia, atque Hispanorum necessaria cauillatione. Etenim Pratus cudi iusserat nummos quos Hispanis solueret ex auro impuro; fraude indigna Regia fide, & amplitudi-

FRANCISCVS I.

Anno 1529.

Langæus in Anglia.

ne;

FRANCISCVS I.

ne ; nec ideò Hiſpanis impoſitum , imò fraus magnâ infamiâ in apertum producta eſt ; ſingulis nummis ab aurificibus Hiſpanis tentatis ; repertúmque eſt deceſſionem quadraginta millium aureorum factam , quam ſupplere nouo auro oportuit. Tunc liberi Regij reſtituti. Ad Behobiam amnem eadem ceremonia qua dati fuerant, per ſcapham in amne medio , numerato & appenſo auro , permutantur ; iis acceſſerat Eleonora ſoror Imperatoris, cui ducenta aureorum millia dicta in dotem , ea lege vt qui ex ipſa naſceretur puer, Burgundiam patrimonij iure poſſideret. Rex in Aquitaniam venerat ad excipienda optatiſſima pignora : quæ amantiſſimè amplexus , ad montem Marſanum cum Eleonora matrimonium contrahit : quanquam amorem ad aliam feminam conuertiſſet , Annam Piſſeleuiam Aquitanam puellam , quam Burdegalæ primùm ex Hiſpania liber, amauerat , & Duciſſam Stamparum dixerat; Ludouica mater ſe nepotum aſpectu & amplexu impleuit , haud diu tamen fruitura pace , quam è tot calamitatibus tandem eduxerat , ſequenti anno exempta è vita , quam ambitio multa iactauerat.

Anne de Piſſeleu.

XXVI.

Poſt pacem, mutua Principum æmulatio.

Ea pace ſopitis odiis æmulorum , ſperabatur Chriſtanus orbis coniunctis viribus in hoſtem publicum commouendus , iámque cæteri in Italia Fœderati cum Imperatore conuenerant. Ille Genuam claſſe cum exercitu vectus , & à Pontifice Bononiæ coronatus, gratulantis Italiæ legatos exceperat , pacem Venetis Sfortiæque conceſſerat , Ferrarienſem in gratiam & tutelam admiſerat , & Florentinis vnis infenſus , eos vi adegerat in Medicæorum obſequium ; Alexandro Medicæo nepoti Pontifici deſponſa Margarita filia, quam è ſoluta matre ſuſceperat. Verùm tanta poteſtas atque auctoritas Cæſaris , priora æmulationis ſtudia ſuſcitauit & Franciſcus iam abſterſo metu receptiſque liberis , veteres retractans iniurias , & priores clades indignatus , haud dubius quin aliquando bellum foret in Carolum ſuſcipiendum , ſe communiebat conciliandis ſociis atque Fœderatis. Eóque ſtudio ſic exarſit vtérque Principum, vt non modo Pontificem certatim deuincire conati ſint , ſed magno reipublicæ Chriſtianæ malo hæreticos principes , atque ipſum Turcam , luem orbis publicam , vel demereri fœderibus , vel promouere ſuas ipſos victorias , partim optauerint , partim æquioribus animis paſſi ſint. Eo conſilio ad Henricum Anglum ſe Franciſcus primùm applicauerat ; tum ad Germanos Proceres, quos iam religio ab Imperatore auulſerat. Porrò in iis enarrandis , rerum ſeriem ſequar , temporum prætermittam , vt commodiùs ſingula & dilucidiùs ſubiiciantur legentium menti. Lutheri ab Eccleſia deficientis hæreſis, latè per vniuerſam Germaniam ſparſa , Principum maximam partem ſua lue infecerat ; eorum præcipui Ioannes Saxoniæ Dux , Friderici fratris ſucceſſor ; Georgius Marchio Brandeburgicus, Albertus eius frater, magiſter Ordinis Teutonici, qui vt Pruſſiam Ducalem quæ Ordinis erat ſibi atque heredibus vindicaret , eam clientelæ Polonorum Regum ſubiecerat ; Erneſtus & Franciſcus fratres duces Luneburgenſes ; Philippus Heſſiæ Langrauius , atque ciuitates Germanicæ opulentiſſimæ, haud exiguo numero , Argentoratum , Norimberga, Vlma , Conſtantia ; pluréſque aliæ ; iis poſtremò acceſſerunt , Fridericus Rex Daniæ , & Guſtauus Sueciæ. Porrò eos Principes cum Ferdi-

Franciſcus Rex conciliat Principes Germanos.

nandus

mandus fratris Imperatoris Vicarius Spiræ in Comitiis Imperialibus damnasset, vetuissétque nouam religionem inuehere, donec aliter à generali Concilio sanciretur; ij intercedentes decreto, appellauerant Cæsarem aut generale Concilium, protestatinullius ponderis esse eius generis decretum, vnde imposterum Protestantes dicti; & eo nomine cum cæteris, huius sectæ viros nuncupabimus. In præsentia Carolo conscribente contra Turcam, exercitum; veriti ij Principes ne improuisi obruerentur, anno desinente fœdus Smalcaldiæ ineunt, tantoperè celebratum: quo se in Catholicos tegerent, opémque ad defensionem mutuam pollicerentur. Intereà Augustæ Imperator Comitia celebrabat, quibus Coloniam traductis, curauit Ferdinandum fratrem Regem Romanorum dici: cùm iis suffragiis Saxo & Brandeburgicus haud consensissent, irritam nuncupationem Regis affirmabant, vi impetratam; & statim ad Reges Angliæ & Franciæ legant, qui vim expostulent, opémque flagitent. Anglus nihil cunctatus opem pollicetur, si Franciæ Rex accedat; appellatus Franciscus, primùm subtimidè huic rei sese implicabat, nondum ausus tam recentem pacem magna Europæ offensione infringere; nam cautum erat fœdere, ne Rex vllam in Germania inuito Cæsare societatem contraheret: mox præpollente studio æmulationis, comperto Imperium inter & Franciam ab omni æuo societatem esse institutam, Regésque Franciæ ad tuendam Germanicorum Principum libertatem iure antiquissimo adstringi, existimauit ex veteri nouum compingi fœdus posse, sine cuiusquam iniuria, spémque illius Protestantibus fecit, verbo tamen tenus, nulla re certa promissa, aut scripto tradita. Ij tamen posteà, metu ab Cæsare vrgente, tam incensis precibus apud Regem instant, vt is misso Langæo fœdus contraxerit, ad immunitatem dumtaxat Principum defendendam, promissis in mutuum centum nummorum millibus, nullo alio pignore quàm ipsorum fide. Post fœdus perscriptum eundem Langæum in Angliam mittit, qui Regem tota de re certiorem faceret. Nec Imperatorem id consilium omninò latuit; qui vt Regi odium Christiani orbis compararet, ad Turcam repellendum popposcerat à Rege pecuniam mutuam, aut Cataphractos equites in bellum proximum; non dubius quin Franciſci responsum occasionem calumniæ daret; nec aberrauit à coniectura, dicente Francisco, se modò vicies centena millia auri pependisse Cæsari, nec trapezitam se esse, qui ad mensam pecuniam numeraret; equitatum Francicum se nemini commodare, haud magis quàm ensem quo accinctus foret, cæterùm addebat, si in hostem publicum opera sua expetitur, profecturum se cum quinquaginta millibus hominum, ad oram Calabriæ totámque Italiam propugnandam, idque responsum sigillauit Cæsar vehementer, calumniatus inuidiam Regis, & malignitatem. At Rex nihilominus cum Anglo arctissimè nectebatur. Eam in rem designato colloquio, Henricus ex Anglia Caletum transmiserat, venerátque Franciscus Bononiam; qua in vrbe Anglum excepit Regiâ magnificentiâ: amicissimæ inter vtrumque salutationes, fraterna ex intimo beneuolentia, nam se fratrum nomine nuncupabant, necessitas communis conueniendi in Carolum, amicitiam demonstrabant sinceram & coagulabant; quisque aulicos apud alterum gratiosos, donat pretiosis honorum insigni-

FRANCISCVS I.

Anno 1530.

Et cum Anglia Rege.

FRANCISCVS I.

bus,Franciſcus torquatum collem Ducibus Norfolcio,& Suffolcio, Henricus Periſcelidem Mommorancio & Chabotio impertit,tum Frãciſcus Henricum comitatur, & Caleti excipitur eadem ſignificatione amoris ; nullum tamen fœdus inierunt, præterquam ad mutuam defenſionem;nouúmque ad pompam additũ, vt ſi Turca rurſum Chriſtianis bellum inferret,ipſi iunctis viribus millia hominum octoginta armarent , duceréntque quò neceſſitas poſceret.Verùm haud multò pòſt lætitiã ex arcta beneuolentia quam Franciſcus conceperat fædauit Henrici turpiſſimus caſus;qui Boleniæ amore inſaniens,nondum impetrato cum Catharina diuortio,contractiſq; clam cum Bolenia nuptiis,à Clemente diris deuotus eſt, & eiurato Pontifice, fideique Catholicæ deſertor,inuexit in Angliam hæreſim,quæ maximo Chriſtianæ rei detrimento etiamnum perſtat.. Ea res vt Eccleſiæ magno luctui fuit , ita Franciſco immoderato dolori,qui nihil non mouerat,tum apud Clemẽtem, tum apud Henricum, tam præcipitem caſum vti ſubſtentaret,verùm Imperatoris auctoritas , & enixiſſimus efflagitatus , tum Cardinalium impotens æſtus,in pœnam præfeſtinanter ruentium,adegerunt Pontificem ad iaculandum fulmen;quo efferatus Henricus,& in rabiem actus, accedente libidinis flamma, pudoris clauſtra & repagula fidei ſimul refregit,atque peſſũdedit. Attamen ea ad Eccleſiæ hiſtoriam ſpectant;nec omiſerim Franciſci reſponſum,quo Henrici petionem diſcuſſit poſtulantis vt ab Eccleſia ſeſe ſubduceret ; nam vno adagio fidem & amicitiam teſtatus eſt ; *amicus*,inquit,*ad aras*, docens religionis vinculum ſacroſanctum eſſe , quod humanus nullus affectus abrumpat.

Anno 1533. *Henrici Anglí lapſus.*

XXVII. *Maſſilia Pontifex cum Rege colloquitur.*

Imperator intereà,metu belli Turcici diſcuſſo (quippe Solimanus reuerterat Conſtantinopolin , nulla re patrata) in Italiam venit, & Clementem Pontificem in arctius fœdus inducturus,colloquutus cum eo Bononiæ erat. Verùm ab eo Pontifex iam alienior, proponentem res nouas minùs audiebat. Creabat moleſtiam, quod Imperator ſuſcepto Clementem inter & Ferrarienſem arbitrio,Ferrariam,Rhegium,ipsámque Mutinam,Duci adiudicauerat,quas vrbes Pontificiæ ditionis Clemens contendebat:& ipſum Pontificem Carolus vehementer vrgebat,vt generale Concilium cogeret.Præterea Clemens indignabatur ſummoperè, Lutheranam Hæreſim ſparſam eſſe tanto incremento per vniuerſam Germaniam, tum Cardinales duo, Turnonius & Tarbenſis, à Franciſco miſſi Bononiam,inuigilabant ne quid contra Regem inſtitueretur ; quorum prudentiâ atque admirabili ſagacitate,planè Pontifex diſtractus à Carolo ſe ad Franciſcum conuertit.Et conciliare Pontificem Franciſcus ardebat tantoperè,vt coniugium Henrici ſecundo geniti cum Catharina Medicæa Pontificis nepte, per eoſdẽ Cardinales propoſuerit , ac ſponſionem fecerit.Eas ob res Carolus infecto fœdere Bononia Genuam cùm veniſſet,nauibus in Hiſpaniam vectus eſt.Pontifex Romam profectus,& ſpe Regiæ affinitatis allectus, Turnonio & Tarbenſi comitãtibus, ſignificat ſe colloquuturum cum Rege,& neptem ad coniugiũ adducturum, deſignata primùm colloquio Nicæa Allobrogum quæ à Sabaudo tenebatur; & eodem poſtea moras obicéſque multos nectente , placuit vtrique venire Maſſiliam,Româ & Pariſiis æquo propè interuallo diſtantem. Nullam Carolus

rolus non adhibuit machinam, vt colloquium prohiberet; cùm tandem arte exhausta Rhodias Triremes à Pontifice petiit, quibus Coronam Græciæ vrbem, quam Solimannus obsidebat, subsidia veherentur. Nec distulit Pōtifex Triremes tradere, Francicis vectus prospero cursu Massiliā. Primus in vrbem appulit, postridie Rex aduenit, atque illicò salutatum Pontificem adorauit. Duo erant in tantorum hospitum lares palatia instructa, vico medio proxima; in interuallo aulam ligneam poni curauerat Mōmorancius, in qua Cardinalium Conuentus haberentur, orationem ad Pontificem habuit Ioannes Bellaius Episcopus Parisiensis, magnâ ingenij laude; cùm enim Guillelmus Poyetus Princeps Senatus Parisiensis, orationem domi accuratam habiturus esset, Pontifex aduenies significauit quædam, de quibus apud se orator diceret, quæ Poyeto improuisa, ita hominem perturbarunt, vt dicendi munus Bellaio tradendum fuerit; tantum natura, arte & studio præstat. Bellaius postea in Cardinalium cætum adscitus est; mox celebratum Henrici Aurelianensis Ducis coniugium cum Catharina Medicæa, quam dicebant Vrbinatem Ducissam; quod ex Laurentio Medicæo nata, cui Leo X. Vrbinatem ditionem dederat; scripta in dotem centum nummorum millia; & ea est Catharina, quam deinceps Francia & prosperitati & calamitatibus suis imputabit, adeò rarum est bonum, Princeps femina, amplas virtutes nullo vitiorum contagio maculans. Multa arcana Pontificis cum Rege colloquia, porticu vtrumque palatium coniungente, admotisque cubiculis, per quæ noctu etiam nullo famulantium arbitro, miscebant sermonem. Sed apparatus tanti fructus admodùm tenuis extitit; nihil certi constitutum, nec in bonum publicum, nec in priuatam vtilitatem Francisci; sat Pontifici fuit neptem collocasse, & magnis beneuolentiæ signis Regem deuinxisse, duntaxat testatus est se percupere vt Aurelianensi Mediolanensis ducatus cederet. Attamen Franciscus pro Rege Angliæ nihil exorauit; & à plurimis flagitandis abstinuit, ne videretur hospiti vim quodammodo inferre, & colore affinitatis ad iniqua cogere, quanquam molestissimum Pontifici fuit, quod quatuor Francos Rege postulante in Cardinalium album adscripsit; in quibus Odetus Castilionius, Mommorancij nepos, vndecennis puer; qui dignitatem collatam immeritò, malè gessit, pessimèque deposuit. Certatum inter Principes liberalitate, qua Franciscus Regum sui æui extra omnem limitem præstantissimus, Cardinales omnes, Aulámque Pontificiam cumulauit ingentibus donis. Sauonam Pontifex, dein Centumcellas, & Romam discessit. Nec se mortalem in tanta pompa & gaudij sensu oblitus est, domesticis proximam sibi mortem prænuntians, vestimenta funeribus Pontificum adhibenda curauit confici, sibi funus destinans, quod proximo anno obiuit, successore Alexandro Farnesio, qui Paulus III. dictus est, & euanescente ob contractam affinitatem Francisci spe; adeò nefas immiscere sacra humanis, & Deo ad mortalia vti.

FRANCISCVS I.

Anno 1533.

Ea inter non cessabat cum Germanis Principibus Franciscus agere; cùm repentè belli occasio, vel enata est cupienti, vel occurrit incipiti. Meruillius Nobilis Mediolanensis diuerterat in Franciam Ludouico Rege, cum Sanseuerino Regiorum equitum magistro & ipse inter domesticos Regis, quos appellant

XXVII. *Cades Meruillij, belli occasio.* Meruille.

FRANCISCVS I.

appellant scutiferos, haud modicas opes parauerat; quarum plenus Francisco regnum iam obtinente, Mediolanum in patriam suam secesserat; Proficiscens duas ab Rege Francisco, Sforciæ dederat litteras; primas quibus Rex hominem vt priuatum Duci commendabat; alteras Duci vni tradendas, quibus Meruillium Rex legatum dicebat. Cùm igitur Mediolani supra priuatum, & magnifico sumptu se gereret, Carolo Imperatori perspicacissimo Principi suspicionem mouit; isque aliquoties apud Sfortiam questus est, quod Francisci exploratorem domi suæ aleret foueretque. Cùm verbis Sfortia Carolo non satisfaceret, factum adiungit; nam motâ rixâ inter Castillionium domesticum Sfortiæ, & Meruillij famulos, Castilionius ab iis cæsus est, tum extemplò raptus in carcerem Meruillius Sfortiæ iussu, nocte proxima, nulla iudicij formula, damnatus est, & capite multatus. Eo facinore vt abundè Imperatori factum est, sic inustus Regi grauissimus dolor. Apud omnes Christianos Principes de atrocitate facti conqueritur, violatum ius gentium, legatum suum iniquissimè cæsum, & bellum minari, nisi fiat satis iniuriæ. Miserat Tauernium Cancellarium suum Sfortia ad rem excusandam, qui Regi diceret priuatum hominem & homicidij reum in pœnam vocatum; verùm is ad litteras Ducis obmutuit quas Rex exhibuit, suásq; ipsius, quæ Meruillium vt Legatum Regis designabant. Nec ideò Sfortia reparabat iniuriam, quam vltrò quidem intulerat, nixus Imperatore, cui aliena iniuria beneficium fuerat. Iámque ardebat cupiditate belli Franciscus, cùm plura improuisa sustinuerũt ruentis impetum. Etenim Germani Principes spem conceptam subsidij fallũt; Heluetij ex fœdere pacem Italiæ perturbare prohibiti, Autumnus in hyemem deflectebat; & Carolus Sabaudiæ Dux Regis auunculus, viam eunti in Insubres Regi pernegabat. Ideò in annum proximum, bellum dilatum est, dum incommodis occurritur. Primò curatum vt Francia sibi tàm peditem quàm equitem ministraret; eámque in rem conscriptæ à Rege septem legiones, quarum in singulis sex hominum millia militarent. Eæ lectæ à præcipuis regni prouinciis; sufficit primam Normannia, secundam Britannia, tertiam Picardia, quartam Burgundia, quintam Campania & Niuernenses, sextam Phocenses, Delphinates, Lugdunenses, & Aruerni; septimam Occitania; nulli ab Aquitania lecti, quod ea prouincia seminarium militum, in supplementum vbi opus foret, seponebatur ad vrgentes articulos rerum. Legionibus immunitates, stipendia, honores concessi, & præmia; vt bello etiam desinente, sub armis agerent milites, in euentum omnem expediti. Præterea mandatum Fustembergio vt sex millia Germanorum conscriberet. Ad Sabaudiæ ducem minæ impensæ, & terrorem quæ facerent. Ille in vxorem ducta Beatrice, Emmanuelis Lusitani Regis filia, eadémque Isabellæ Imperatricis sorore, (nam Carolus neptem ex sorore Eleonora Isabellam duxerat,) impulsu coniugis in Imperatoris partes traductus à Francia & nepote Francisco prorsus desciuerat. Et plura erant quæ ab eo Franciscum abalienabant; quod gemmas suas Borbonio ad scribendum militem commodasset, quod Imperatori literas gratulatorias ob se captum scripsisset; quod Heluetios à Francico fœdere dimouisset; quod comitatũ Asten-

Legionarij milites.

Bellum in Sabaudum.

sem

sem vltrò accepisset; quod Pontifici Nicæam ad colloquium negasset; quibus postremâ hâc repulsâ cumulatis, bellum paratum in Sfortiã, Rex statuit in Allobrogẽ ipsum cõuertere, & viam quam negaret, non patefacere modò, sed inuadere atq; occupare. Accedebat iniuriæ ius quæsitũ. Quippe Rex Ludouicæ matris adita hæreditate, reposcebat vniuersam ditionẽ Sabaudi, cùm Ludouica hæres Philiberti fratris sine liberis mortui, Carolũ excluderet, fratrem quidẽ, sed natu minorem, & natum alia matre; affirmans muliebrem sexum ab Allobrogum imperio nõ amoueri. Præterea asserebat Rex Pedemontium, Nicæam, & Villafrancã appendices esse Phocensis prouinciæ, & Saluſij plurima oppida nullo iure Carolũ obtinere. Ea verbis reposcebat Franciscus, cùm Geneuenses praua hæreseos lue corrupti, seu Bernensiũ vicinorum contagio, seu Guillelmi Farelli Delphinatis doctrina pessima, exurgunt in Petrũ Balmium Antistitẽ suum, eúmq; cum sacerdotibus vrbe pellunt; vsurpato regimine. Ad eũ reducendũ Sabaudiæ Dux, qui suam vrbẽ affirmabat, rebelles exercitu premit; cùm Bernenses suppetias veniunt, & Franciscus Rentiũ Ceretem in auxiliũ mittit; per quos soluitur obsidio, & Geneua sceleris præmio fruitur. Ea postmodùm dogma suscepit, quod Bernenses admiserãt, & quarto post anno Caluinum è Francia profugum excepit, simúlq; impietatem, quam inuexit hæresiarcha nefarius; stetítque hactenus propugnaculum hæresis, & desertorum asylum, Geneua vrbs; Rege tunc nescio quam promoueret luem, quámque instituerent vniuerso orbi perniciem.

FRANCISCVS I.

Geneua rebellio. Anno 1534. De la Baulme.

XXIX.

Hæresis detecta in Francia & punita.

Sed ea grassari in Francia lues inceperat, & Francisco erat quod curaret domi atq; resecaret. Ab litterarũ cultu & studio (à fonte purissimo turpissimus riuus) scaturiebat lutulenta illa fæx, & vorago scelerum. Scientias adamabat, & excultos sciẽtiis Franciscus summoperè, maximè Vniuersitatẽ Parisiensem excolebat incenso studio; ad quam ornandam viros ex toto orbe clarissimos præmiis honoribúsq; alliciebat, ideò Professores Regios inseruit in Academiam, qui disciplinas tũ Diuinas tum humanas profiterentur, & linguas veteres Hebræam & Græcam diuturno æuo penè consepultas, euocarent è tumulo luciq; redderent. Inter illustres commendati sunt posteris, Franciscus Vatablus, Petrus Danesius, Iacobus Tusanus, & Guillelmus Postellus; per quos in Franciam litterarum amor inuectus est. Porrò quando in humanis nullum bonum sincerũ est, sine aliquo mali contagio vel mistura, cùm pleriq; docti è Germania arcesserentur; iisque in terris nemo propemodùm litteras disceret, quin simul prauum sensum de religione imbueret, facultate cuique sentiendi de Diuinis libera; hinc contigerat vt pleríq; mala infecti lue penetrauerint in Franciam virúsq; clam sparserint, obductum fuco & specie litterarum. Imò Lutherus eiúsq; asseclæ, tam opulentam prædam venaturi, discipulos submittebant omnis generis, qui corrũperent, adolescẽtes in scholis, milites in castris, in aula Proceres Nobiléſq; & ad Regẽ ipsũ Lutherus ausus perscribere, Saxonię Ducẽ conciliatorẽ admouerat. Zuinglius viperinus partus, ac de Lutheri vel discipulo vel æmulo acerrimus inimicus, eundẽ Regẽ dedicato libro tentauerat, postremò Melanchtho, suauissimâ eloquentiâ prẽditus, & melle sed heracleensi, amaro & lethali, imbuens orationem, efflagitabat colloquium, promissa vtriusque Religionis concordia. Sanè hamum

FRANCISCVS I.

vorabat Franciſcus, humaniſſimo viri ſermone captatus; niſi Cardinalis Turnonius, vir aulicam auctoritatem artibus ſanctis adeptus, pia & grandiloquente facundia, ex Irenæi ſanctiſſimi Patris lectione, Regem ab hoc colloquio abſterruiſſet; docens cum hæreticis fuga duntaxat & deliberato odio decertandum. At litteratis hominibus mulieres aulicæ accedebant, quæ ſua indole rerum nouarum ſtudioſæ mirificè, praua dogmata litteras inter & diſciplinas hauriebant auidè, ſpargebántque voluptate non modica, ſacrarum rerũ & religionis ſuo ſenſu arbitræ. In iis præſtabat Margarita Regis ſoror, ante Alenſonio nupta, mox Nauarræ Regi Henrico, quæ fæmina ingenio excellens, & fratris inſtar amantiſſima litterarum; crebro litteratorum commercio ſucco illo peſtifero mentem imbuerat aliquantùm. Et Renata Ferrariæ Duciſſa in eum errorem praua curioſitate ſeſe induerat. Illorum hominum primus conuentus Meldis habitus eſt, anno currentis ſeculi viceſimo ſecundo, Guillelmo Briſſonneto, Meldenſi Epiſcopo, in eam ſententiam abducto; & primi nuncupantur quatuor viri flagitio illo percelebres, qui Briſſonnetum corruperant; Iacobus Faber, Guillelmus Farellus, Arnulphus & Gerardus Roſſelij. Ij poſtea Briſſonneti pœnitẽtiâ, retecto crimine, & vocati in pœnam, ad Margaritam, in Nauarram perfugiunt, & donati ſacerdotiis, ex paſtoribus degenerantes in lupos, noua plurima & à vera fide multùm abhorrentia inſtituebant. Pariſienſis Senatus in eam hominum ſectam inſurrexerat, & Rege in Hiſpania captiuo, quemdam Pauanum arte textorem flammis addixerat; præterea Pratus, Cãcellarius, mox Cardinalis & Archiepiſcopus Senonenſis, ſeu cultu religionis ſincero, ſeu Pontificem vt demeteretur, eam regni peſtem ſummo ſtudio & diligentia reſecabat. Veruntamen lues prorogabatur in dies, & iam Zuingliani acceſſerant Lutherianis, Euchariſtiæ ſacramento, & ſacris honoribus perinfenſi; multiſque in templis ſpectabantur, effractæ pictæ imagines, comminuta ſimulacra quæ prius hominum cultus ſacrauerat, euerſa & diruta Chriſti hoſpitantis in terris tabernacula veneranda, & libelli impij palam affixi. Quibus Rex vt par erat, vehementer permotus, reos eiuſmodi ſcelerum comprehenſos, duci Pariſios iubet, & ipſe anno ineunte eam in vrbem profectus, religionis & pietatis
Anno 1535. vniuerſo regno ſpectaculum fuit, atque exemplum. Nam inſtituit celeberrimam ſupplicationem, quam obibat pedibus, cereum manu incenſum præferens, Proceribus domeſticis, & Magiſtratibus comitantibus: deferebatur ſacroſanctum corpus Chriſti ſub vmbella, quam attollebant tres Regis liberi, & princeps Vindocinenſis, tum Rex ſacro in Deiparæ æde perfecto, Proceres atque Optimates in Epiſcopatus aulam coactos, oratione egregia adhortatus ad auitam religionem tuendam; fletus inter obortos, & ingentes religioſi animi motus perorauit efficaciſſimè; *iuratus ſe nullam rem prætermiſſurum, vti verum Eccleſiæ cultum defenderet; nec parciturum brachio, ſi imbueret virus, imò manu propria mactaturum ſe ad aras liberos, ſi tam pernicioſa lue inficerentur.* Eo ipſo die ex Iconoclaſtis ſeni lento igne abſumpti ſunt; per vniuerſas prouincias erecta patibula, & inſtituta tribunalia in reorum pœnas; & plurimi flagello conſcientiæ acti, in Germaniam fuga elapſi ſunt, proſcripti mox, intercluſa omni ſpe reditus.

HISTO

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XVII.

SYNOPSIS.

Imperatoris in Regem querela. Ænobarbus pirata. Sfortiæ mors. Bellum tertium in Imperatorem. Dux Sabaudia pulsus. Imperatoris in Regem oratio. Imperator in Pedemontio. Rochamenij dicta. Imperator Prouinciam inuadit. Apparatus Regis in Francia. Delphini mors, & Regis constantia. Imperator Aquisextiis. Massilia obsessa. Perona seruata. Rex in Pedemontio. Regis affinitas cum Scoto. Bellum in Artesia. Res Pedemontanæ. Fœdus cum Solimanno. Regis laus. Studium pro pace. Imperatoris per Franciam iter. Belli noui præludia. Legati Regis cæsi. Bellum in Belgio. Perpinianum obsessum. Langæi virtutes & mors. Poyetus damnatus. Principes litteris pugnant. Bellum in Hannonia. Landresium seruatum. Fœdus Imperatoris cum Anglo. Turca Niciam obsidet. Pugna ad Cerisolam. Imperator irrumpit in Campaniam. Pax Crespiacensis. Anglus Bononiam capit. Belli cum Anglo series. Pax cum Anglo. Franciſci

ciſci mors, poſt aliorum funera. Henricus II. Rex. Mommorancius reuocatur. Diana Pictauienſis. Seditio Aquitanica. Bononia ab Anglo reddita. Guiſiorum domus. Briſſacus Pedemontij prætor. Merindolij pœna & vltio. Bellum Parmenſe. Bellum Cæſari indictum. Fœdus cum Germanis Proceribus. Metis occupata. Luxemburgenſes ſubacti. Apparatus ad Metenſem obſidionem. Guiſij pro vrbe apparatus. Brandeburgenſis ſe ad Imperatorem applicat. Rex de Picardia ſollicitus. Caſus memorabilis. Neſdinum captum.

I.

FRANCISCVS I. *Imperatoris in Regem querela.*

DVM ex animo ſanciendæ religioni patrum Franciſcus incumbit, Turcæ Legato agenti in aula aures non occludit. Eum Solimannus Sultanus miſerat, vti cum Rege in Auſtriacam domum fœdus inſtitueret, profecturus in Perſicam expeditionem. Ac tametſi nihil inter eos certi tunc conuenit; tamen Imperatori calumniæ in Regem præbita eſt ex eo occaſio luculenta. Etenim vt bellum Sabaudo imminens diſcuteret longiùs atque diſpelleret; primùm apud Paulum Pontificem, dein apud Principes Hiſpanos acerbè expoſtulat; Regem Franciæ cum hoſte publico conueniſſe, Legatum Turcam domi ſuæ alere; contractum fœdus, vt adiunctis armis Solimannus Hungariam, Francus Sabaudiam impetat; & iam viſcera Chriſtiani corporis à Chriſtiano Principe, quod ſummum eſſet nefas, diſcerpi impunè & dilaniari. Eam ob rem Franciſcus ratus bellum ſuſtinendum, dum ea calumnia deferueret; de Proteſtantibus Germanis multùm ſollicitus, in quibus ſpes amplæ, & ſocietatis firmæ opinio, ad eoſdem apologiam accuratam ſcribit; *ſe nullum cum Turca fœdus iniuiſſe; eam ſibi adornatam calumniam ab iis qui vltrò tributum Turcæ obtuliſſent; ab iis qui arma in hoſtem publicum comparata, in Chriſtianos Principes deriuaſſent, qui ambitionis priuatæ ſtudio, omnem rationem ſacram & publicam poſthaberent. Et fortaſſe ab Turcico bello abſtineri poſſe opportunè, dum conueniunt Principes Chriſtiani, & generali Concilio diſceptata de religione conciliant. Se in eam rem enixi ſummoperè, ac ſperare Pontificem in communia vota aſſenſurum. Quod ſpectaret ad eos, qui impietatis cauſa iuſtas pœnas dediſſent, nemini Lutherano mortem illatam; Zuinglianos duntaxat punitos, qui toto cælo à Luthero diſſentiant; quique in regno Franciæ rebellionem ſpargerent cum impietate: Proceres ipſos ſibi rem gratam facturos, ſi Francos fortè in Germania rebellionis toxicum diſſeminantes, in pœnam & ſupplicium vocent.* Ad ea confirmanda Bellaium Langæum Smalcaldim mittit, ad Proteſtantes. Cæterùm à bello toto anno abſtinuit; maxime quod Imperator Africanam expeditionem in Ænobarbum piratam celebrem ſuſcepiſſet. Ænobarbus ita à colore barbæ nuncupatus, Turcico

Ænobarbus pirata.

nomine

nomine Chairadinus, in Lesbo insula natus, cuius pater fidei Christianæ desertor, atque in Turcicam transfuga, filios in noua impietate aluerat: ij duo erant, Horucius & Chairadinus, idem qui Ænobarbus, Piraticâ susceptâ, magnas opes parauerant; quibus freti Algerianum regnum occupauerant, ac postea Tremesenum; Horucio natu maiore Regis nomen vsurpante; cui in pugna cæso Chairadinus frater successerat. Is nomini Hispanorum atque potentiæ periniquus, duas classes Hispanicas vicerat & profligauerat, atque oras Hispaniæ, insulásque Baleares, Sardiniam, ac Siciliam, assiduis incursionibus vexabat & diripiebat; tandem à Solimanno Mediterraneo mari præpositus, munerante fortitudinem viri & felicitatem. In eum Carolus ingentem classem deduxerat, Tuneto expulerat, & Muleassenum ab Ænobarbo depulsum restituerat regno. Nec Franciscus interim bellum ausus suscipere, ne fidem calumniæ faceret, de fœdere cùm Turcis inito, præstolabatur reditum Imperatoris. Qui victor postquam Panormi in Sicilia exceptus est, cùm venisset Neapolin, audit Franciscum Sfortiam Mediolanensem Principem, cui neptem ex sorore Regina Daniæ in coniugem dederat; diem extremum sine liberis clausisse. Continuò ea mors noua Principibus insinuauit consilia. Nam extincta Sfortiarum familia nouus subrogandus Princeps in eam ditionem erat; Pontifex Venetique optabant aliquem ex Italia sua designari, qui imperatoris potentiam iam propemodùm immensam frænaret aliquatenus; Franciscus quanquam fœdere Madritensi, iure in Mediolanenses cessisset, tamen sibi factam iniuriam querens, reposcebat liberis quod iis contra ius raptum affirmabat; Carolus præclara occasione arrepta constituerat sibi prouinciam optimam vindicare; tum quia ab Sfortia scriptus hæres esset; tum quod supremus dominus, deficientibus qui clientelam haberent, ius quod donaret aliis sibi addicebat: & reuerà Imperatori, nihil euenire opportunius poterat, quàm Longobardiam obtinere, fauces Italiæ: quibus Neapolitanum regnum defenderet, Germaniam continuaret Italiæ, Francum procul excluderet. Et statim Antonius Leua, heri sui conscius, arcem Mediolanensem vrbémque cæteras, erecto vexillo Imperatorio, ab excessu Sfortiæ, occupauerat. Verùm eam mentem aliquantisper Imperator occulit, dum ad effectum singula comparat. Ergo fœdus instaurat cum Venetis, facta spe nuncupandi ex Italia Principis, cui Mediolanenses conferret: etsi id in instrumento scribi noluerit; agit cùm Vellio Franciscí apud se Legato; proponítque Ducatum vni ex liberis Regis permittendum; & adiungit conditiones paulò duriores. At eas cùm Franciscus admitteret, atque postularet dari Insubres Aurelianenſi; Imperator dimisso Aurelianenſi; tertium Regis filium Carolum Enculisimensem designat, cui ex sorore neptem in coniugem daret. Iis vltrò citróq; per Legatos iactatis dum fit Regi fides obtinendæ Longobardiæ, ab ipso Langæus ab Germania reuocatus, & Venetiis Bellouacensis, qui nouum fœdus cum iis gentibus compingebant; contra Imperator instruebat exercitum, scriptis in Germania, Italia, atque Hispania copiis.

FRANCISCVS I.

Sfortiæ mors.

II.

Bellum tertiũ inter Imperatorem & Regem.

Eas ob res experrectus Franciscus, cùm sibi dari verba animaduerteret, Poyetum Cancellarium ad Sabaudum mittit, qui maternam hæreditatem

FRANCISCVS I. Anno 1536.

ditatem repoſceret; atque illicò eo pernegante, iubetur Comes Sampaulinus peruadere in Sabaudiam, quam vniuerſam facilè ſubigit. Tunc agebat Neapoli Imperator, nuptias Margaritæ filiæ cum Alexandro Medicæo multa ſignificatione gaudij celebrans; nec ideò pacis abrumpit conſilia, ſed plura & diuerſa Regi proponit, nondum ſe ſuámque mentem aperiens. At Franciſcus tantæ moræ impatiens, iubet Philippum Chabotum Admiralium cum ſexdecim peditum millibus, penetratis Alpibus inuadere Pedemontium; quod ille ſtrenuè præſtitit; & Seguſio per Annobaldum & Monteianem occupato, Taurinum vrbem primariam & Ciuaſium capit, atque amne Doria per obſtantem hoſtem tranſgreſſus Vercellas oppugnat. Proximo die impreſſione facta vrbem expugnabat, cùm adeſt Ioannes Lotharingiæ Cardinalis, à Rege mandatum deferens, vt bello ſuperſedeat, dum de pace ampliùs deliberatur. Etenim Imperator pacis ſpem oratori Francico oſtentabat, & Rex cupidiſſimus Mediolanenſium, nondum ſatis gnarus quæ mens Carolo foret, fœdere rem obtinere maluiſſet quàm armis. Chabotus verbis Cardinalis obſequentiorem ſe quàm par erat præbens; militem ab vrbe ſtatim abducit, Doriámque tranſmittit; forſan conſultior, ſi diſſimulato Regis imperio, vrbem in extremis poſitam expugnaſſet. Sanè ea res offenſionem Principis concitauit, atque *ipſi Chaboto* benenolentiæ Regiæ & potentiæ ſuæ naufragium; adeò *lubrica* eſt Regum gratia; quibus obſequium pro iniuria eſt. Interim Imperator Romam venit, magnificentiſſimâ pompâ exceptus, & iam virium ſuarum conſcius, ratus abiiciendam laruam ſimulationis; vt in conſpectu totius Europæ id ageret, in collegio Cardinalium, audiente Pontifice magna Procerum & Legatorum frequentia, prolixam & domi accuratam Hiſpanico ſermone orationem pronuntiat. *Eâ primùm cauſas Romam aduentus ſui explicabat; nempè vt ſalutaret Pontificem, vt conſilia ſua in Cardinalium Cœtu exponeret, docerétque palàm quantùm contendiſſet ad pacem validam à Rege Francia impetrandam. Tum verbis plurimis enarranit, cauſas diſſidij ipſum inter & Regem; repetita à Ludonico XI. & Carolo Burgundiæ duce origine. Dein tria in præſentia proponebat, quorum Regi optionem permitteret; primùm vt Enculiſmenſi tertio filio darentur Inſubres, modo Rex ſecuritatem præſtaret, inplenda fidei quam imraſſet. Alterum, vt ſingulari certamine dimicarent, quibus armis, quóve loco Rex conſtitueret. Tertium vt bellum inferretur, quod ipſe Imperator minabatur ſe tam ferociter illaturum, vt niſi aduerſario victo atque proſligato non conquieſceret.* Ea magnâ verborum pompâ atque iactantiâ cùm Imperator dixiſſet, & Antiſtes Matiſconenſis Regis ad Pontificem Legatus, ſibi eam Latino idiomate dari poſtulaſſet, quod Hiſpanicè ipſe non caperet; habitam orationem poſtridie interpretatus eſt Imperator; atque priorem emolliens affirmauit, *ſibi nec Regis inſimulandi, nec apud exteros afficiendi ignominia fuiſſe animum; non prouocaſſe ad ſingularem dimicationem, ſcire ſe quantus Regi animus, ſtatura quadratæ atque excelſa quanta præſtantia; quem temerè aggredi haud vellet; aliáque adiunxit quæ concionem heſternam temperarent.* At nihilominus bellum per Antonium Leuam in Pedemontio ſuſcitauerat; & dies duntaxat quatuor Romæ moratus, conuocato

Sabaudus expulſus.

Imperatoris in Franciſcum oratio.

uocato exercitu, contendit in Pedemontium. Et Leua Sesia amne transmisso, contraquam Lotharingio Cardinali promiserat, oppugnabat Fossanum, vrbem immunitam, & commeatu omni destitutam. Præluserat bello, Franciſci Marchionis Saluſſij ad Imperatorem defectio; nec eum plurima beneficia à Rege collata in fide atque officio continuerant. Donatus erat à Franciſco Saluſſiis, ob Ioannis Ludouici fratris perfidiam fiſco addictis; nuper Præfectus in vniuerſum Regis exercitum dictus erat, & omnia ad arbitrium conſtituebat, cùm aures præbet Leuæ appellanti, & defectione diu deliberata, ad ipſum tranſit. Faciebat Leua ſpem nuptiarum vnicæ filiæ, quam tamen Doriæ filio deſponderat; & Marchionatus Monferratenſis, de quo lis ipſum inter atque Mantuanum arbitro Imperatore. Præterea Aſtrologicis addictus præſagiis, attendebat Leuæ, fata ingentia Imperatori ſuo portendenti. Et Chabotus mandatum à Franciſco acceperat, vt Pedemontij vrbibus munitis præſidio, cæteras copias in Franciam mitteret, ne qua ſuſpicio Imperatori moueretur; atque ipſe Chabotus cis Alpes reuerterat, cùm Leua partitus copias Taurinum ſimul & Foſſanum obſidet; certior à Saluſſio factus, commeatu, quem ipſe interceperat, Foſſanum deſtitui. Tuebatur oppidum Pratus Mompeſatius præfectus, cum Rochamenio, & duobus peditum millibus, iámque murus infirmior tormentorum globis corruerat. Verùm impreſſionem obſeſſi tam ſtrenuè repulerant, vt Leua ipſe è lectica ſpectans, (nam podagra æger, ingredi haud poterat) periculum graue incurrerit, à lecticariis fugientibus in agro relictus, & ſpiſſiori ſegete hoſtem latens. Ea tamen Francos haud multùm iuuabant, depaſcente intus penuria; per quam acti ſunt ad paciſcendam deditionem; Rochamenio cum Leua conditiones ſcribente; vt niſi toto menſe mitterentur ſubſidia, vrbs Leuæ traderetur, ab vrbe munienda ceſſaretur interea, & militi iuſto pretio cibi præberentur; quod poſtremùm à Leua Rochamenij ſagacitas impetrauit. Ipſe cum duobus præfectis Leuæ obſes datus eſt, & ſanè Rochamenius humaniſſima indole præditus, acutóque ingenio deuinxerat Leuam; ſcribúntque reſponſa quibus Imperatoris confidentiam modeſtè retudit. Aſtam peruenerat Imperator, luſtrabátque exercitum iam coactum, & crebriùs agebat cum Rochamenio, viri vrbanitate & mirifica ſolertia captus; ſemel cùm ipſum ſuum exercitum iuſſiſſet inuiſere, rogarétque quid de eo ſentiret; reſpondit, ampliorem eſſe quàm ipſe cuperet; attamen ſuum Regem tot nobiles poſſe conſcribere, quot milites gregarios ſub ſignis ſpectaſſet; atque Imperatori longè honeſtius fore, ſi pergeret in bello Turcico, quod tantâ gloriâ inceperat; quàm principi Chriſtiano ruinam inſtruere. Aliàs cum Imperator diceret, ſe inuiſurum ſubditos ſuos Phocenſes; reſpondit Rochamenius, reperturum ipſum ſubditos rebelles plurimùm; mox perconctanti Imperatori, quoris caſtris Lutetiam perueniret; repoſuit, ſi ſingulis caſtris pugnandum foret, duodecim ad minimum numeranda; niſi primis qui aggrederetur occumberet. Ita bellator egregius, cùm patriam propugnare armis nefas eſſet, propugnabat ingenio, & inanem hoſtium faſtum ſolertibus verbis deprimebat.

Saluſſij defectio.

Du prat. Montpeſat. La Roche du Mayne.

Rochamenij dicta.

FRANCISCVS I. III.

Imperator Prouinciam inuadit.

Sed Imperator totus in perniciem æmuli incumbebat : sexaginta peditum millia habebat in exercitu, ex Hispanis, Italis & Germanis conscripta ; intumescens proxima de Tunetanis victoria, nihil felicitati suæ arbitrabatur imperuium. Passim in Italia præsagia multa nuntiabantur ; quæ Astrologi ex inspectione syderum pronunciabant ; quibus Europæ imperium & inconcussa felicitas Carolo promittebatur, & ipse gnarus, quantùm hæc opinio ad continendos populos opportuna esset, studiosè eam alebat, assentationibus & perpetuis laudationibus aures patulas commodans. Imò Antoniùs Leua inanibus ab ætate prima eius generis præsagitionibus addictus plurimùm, faciebat ingentes animos, sibi ab Astrologo significatum denuntians ; fore vt in Francia vita excederet, atque in sancti Dionysij æde conderetur ; quæ ædes cùm Lutetia distaret altero milliari asseuerabat eo præsagio Franciæ Imperium portendi Carolo. Sic per totam Italiam, spes amplissimæ futurorum euentuum, astris auctoribus, & Deo ipso promissorum vade percrebruerant, erexerantque omnium animos. Simul Germanos, sed diuersa arte abducebat à Franco : ipsiusque odium concitabat. Varia orationis exempla quam Romæ habuerat, misit ad principes. Ad Orthodoxos scribebat : Regem cum Solimano fœdus iniuisse : Solimanum ex fœdere inuasurum Germaniam postquam Francus in Italiam irrupisset : Germanos ex tota Francia partim pulsos, facultatibus raptis, partim flammis necatos crudeliter : quin libellus typis excusus est, quo bellum Francisco indicebat Carolus, nisi Turcicum fœdus eiuraret, ense proposito rubro ex alia parte, ex alia flammeo, quasi ferro & igni delenda omnia forent. Atque iis verbis natio Germanorum mirum in modùm in Francicum nomen incensa, gentem in pulpitis vt luem publicam proscindebat. Occlusâ Francis Germaniâ ; Imperator, duos præterea exercitus in Belgio & Catalaunia apparari curauerat, qui simul in Franciam impetum facerent, & perturbatam in plura distraherent raperéntque : iisque omnibus instructus, non dubitabat quin opprimeret æmulum, & victum solio deturbaret ; & verò retractanti felicitatem perpetuam, quas victorias ad vltima actus comparasset ; inspicienti validissimas copias, tam multas gentes in hostem suum conspirantes, non videbatur immeritò affulsisse spes certa. Extemplò deliberatum quomodo bellum cum hoste gereret ; & Gastius, cæterique Duces erant auctores, vt in Pedemontio gereretur ; Captum Fossanum, Taurinum expugnandum, vltra montes Francum pelli posse : eam belli causam, vt Sabaudus in ditionem suam inducatur. Et Leua peritissimus bello in eadem erat sententia, diciturque flexis genibus Imperatorem precatus, cum vt abduceret ab inuadendis Phocensibus. Verùm Imperator vindictæ studio in eam raptus expeditionem, & omisso Sabaudo, plura affectui, quàm vtilitati donauit ; quod in Principe culpæ adscribitur. Quare decem millibus bellatorum qui Taurinum obsiderent relictis, iter versus Phocenses pronuntiat, instituítque cum toto exercitu, centum machinis bellicis, mari vectis, & Nicæo portu exceptis. Porrò sic rationem itineris moderatus est, vt transmisso Varo, qui amnis Franciam Italiamque interfluit, penetrauerit

trauerit in hostium Iulio mense, eo ipso die qui Iacobo festus celebratur. Qui sanctus quoniam Hispanorum est tutelaris, ipsisque etiam Germanis venerationi est plurimùm, eum in belli stimulum adhibendum censuit Carolus. Ideò vtramque gentem in concionem vocatam, prolixo sermone incendit in bellum. Sic mira alacritate exercitus vltra perrexit; eo ordine vt Ferdinandus Gonzaga primam aciem duceret; secundam ipse cum Albano Duce, Antonio Leua cæterisque Ducibus; tertiam Gaspar Fronspergus, ex Germanis conflatam: quanquam hactenus primam Albanus egerat, præferrétque molestiam, quod loco cederet Mantuano. FRANCISCVS I.

IV. *Apparatus Regis in Frãcia.*

Rex interea postquam pacis spes omnino decocta est, ne qui arte victus esset, & armis vinceretur, omnem tum industriam tum conatum ad repellendum hostem adhibuit. Primùm scripsit præclaram Apologiam, qua concionem Imperatoris refelleret, eámque Pontifici per Oratorem proposuit: tum ad Germanos Proceres Langæum legauit; qui tametsi primis diebus conflagrante calumnia, discrimen vitæ subierit, non ausus nisi nocte tectus incedere; tamen postquam libro Germanicè & Latinè scripto confutauit calumnias; & Germani Mercatores è Lugdunensibus nundinis reduces, palam confirmarunt, quanta humanitate excepti essent in Francia; tunc paulatim deferbuit animorum incendium, & veritatis lux refulsit è tenebris. Deinde ad Heluetios Rex delegat, qui delectum impetrent nec amica gens necessitati Franciæ defuit. Etenim cum Magistratus recepissent Imperatori, se Franco subsidium non missuros, palam quidem delectum haud instituerunt, sed æquis animis passi sunt priuatim haberi, & confluere in Franciam, quibus libitum foret. Prætores in Prouincias mittit, qui inuigilarent; Henricum Nauarræ Regem in Aquitaniam, in Delphinatum Ioannem Humerium, in Campaniam Guisium, in Picardiam Florangium Maresçallum; & in Prouinciam Phocensem intentus vnicè, quò belli moles tota corruebat, ad eam confert vires & animum. Exercitum conflabat è Legionariis Francis, quem Imperatori opponeret. Iam Stuardus Aubinius Maresçallus, & Iacobus Galiotus, summus machinarum præfectus, cum octo Heluetiorum millibus, occupauerant Auenionem, venítque postea Anna Mommorancius cum summo in exercitum totum imperio, quem consequutæ sunt reliquæ copiæ. Statim de ratione belli consulitur, & Odoardi Biezi sententia potior visa est; vt castris ad Auenionem munitis, bellum duceretur; antè agris vastatis; & validissimus hostis inedia potius tentaretur quàm armis. Boneuallio & Tendæ Comiti impositum munus Prouinciam totam percurrendi, muniendi vrbes quæ defendi possent, cætera inualida oppida diruendi, & commeatum omnem destruendi. Et illi Aquisextiis, quia vrbs muniri non poterat, prorsus exhaustis, cum expeditis quatuor equitum millibus, præcurrebant hosti, exustis pabulis, vino effuso, molendinis fractis, frumento in puteos coniecto, nulla re seruata præter vites arboresque frugiferas. Munitæ vrbes sunt, ad Rhodanum Bellocadium, Tarasco, atque Arelate; cui postremæ curam præcipuam impendit Mommorantius; Bonneual & Comte de Tende. Aix.

FRANCISCVS I.

tum Massiliæ immissum præsidium cataphracti quadringenti, & octo millia peditum; Duces egregij Monspesatius, Rochamenius, Villebo, Buterius, Rocacoardus, Iacobus Ambosius, Albinius, aliique; quibus cum Imperio Barbesius Rupifocaldius præerat. Triremes tredecim Samblancardo permissæ, quibus oram illam defenderet, relictæ cæteræ in præsidium portus. Sub hæc Imperator, postquam in Prouinciam penetrauit, tametsi Antipolim & Foroiulium ceperat, tamen non plana omnia & studiis suis consentanea reperit. Primùm rustici ex angustiis montium prorumpentes, modo à fronte, mox à tergo carpebant aciem, & per inexploratas semitas profugi, tuto receptu multa incommoda hosti importabant. Semel Imperator graue salutis discrimen adiit, vitámque hostiæ vicariæ debuit: quadraginta rustici in turrim viæ publicæ admotam abdiderant se, sclopetis armati, quorum imbrem in Carolum prætereuntem effunderent. Hostem latuerunt, donec quidam è Cæsarianis clamyde fulgens purpurea, & magna stipatus frequentia præteriret, quem illi rati Imperatorem, simul sclopetos omnes exonerant, & plurimis perfossum pilis hominem sternunt. Cùm impetus in eos fieret, saxis se propugnant, pluréque perimunt, in quibus Garcilassius Vega poëta ille in Hispania clarissimus, annis adhuc iunior, tam manu strenuus quàm ingenio clarus; caput saxo ictus, paulò pòst obiit. Et adducendæ fuerunt machinæ, quibus disiecta turri capti rustici, Imperatoris iussu, laqueo pereunt; digni quos memoria posteris traderet, celebraret patria, & Romanorum Curtiis Deciisque componeret. Inde Imperator prolatandum bellum cùm animaduerteret, Ascanium Columnam ad Paulum Pontificem legat, aliósque Italiæ Principes; persuasurus vt arma caperent pro libertate Italiæ; quando ipse bellum in Francum ageret, communem hostem, Turcæ fœderatum; iussitque Ascanium suo nomine Pontifici Mediolanenses offerre, quos nepotum cui vellet traderet. Porrò pergenti, belli sors arrisit aliquantùm, & languentem spem suscitauit. Ad Brinolam vrbem, Monteianes cum Boisio Gouferio Arturi filio, cum aliquot cataphractis à Gonzaga interceptus & captus, leui iactura, at magno momento hosti ad confidentiam fuit. Nam quod alter nobilis militia esset, alter natalibus & claritudine parris, eos Imperator ostentare militibus, & iactare primam aciem victam ac deletam. Atque vt ea victoria Hispanorum animos sustollebat, ita Francorum mirum in modum depressit. Iam ad apparatus hostilis famam trepidatio totam Franciam propè excusserat, vrbes etiam Mediterraneas à periculo longè semotas tremor inuaserat, plerique gemmas atque pecuniam humo infoderant, & quasi ad portas imò in laribus hostis grassaretur, vt Franci ad extrema omnia proni sunt, calamitates omnes præceperant. In præsentia miles percelli metu, adaugere iacturam, suisque viribus haud multùm fidere. Quem metum vt tolleret Mommorancius, quod ante Ducibus visum optimum erat, castris cingit copias communitque. Loco pratorum viriditate distincto, ad Cabellionem quæ est Cauarum vrbs, castra ponit, amnes inter Rhodanum atque Druentiam; fossam circumducit, altam pedes vicenos quatuor, latam sexdecim, quà angustior

Roche-chouard

Antibe & Freint. Imperator Prouinciam inuadit.

Garcilasso de la Vega.

Brignoles.

Mommorancij castra.

Cauaillon.

anguſtior erat; agger citra foſſam ſublimis diſtinguebatur frequentibus propugnaculis, & oram aggeris ſtipatæ machinæ prætexebant. Ea contra hoſtem; interiora ad militum commodum erant conformata. Nam media caſtra foſſa diuidebat, aquis excipiendis, atque ipſis Caſtris expurgandis; tum ſingulis nationibus regiones ſuæ diſtributæ, cum rerum omnium amplo commeatu; & erectus eſt in meditullio terreus tumulus, vbi fixum prætorium; vnde Mommorancius caſtra deſpectaret, & longè in proximos agros ſpecularetur. Ad latus alterum fluebat Rhodanus, quo neceſſaria vehebantur; Druentia ad alterum, qui hoſtem pro munimento excluderet, incerto alueo, & ipſis incolis inexplorato, atque vndarum vortuoſis torrentibus perdifficilis tranſitu. Ita dux obarmabat metum operibus, & adſtrictos terrore animos relaxabat.

V. *Delphini mors & Regis conſtantia.*

Nec minus inuigilabat rebus ſuis Franciſcus; muniebat Valentiam, quæ Delphinatum vrbs eſt ad Rhodanum, certus ad eam cum vniuerſo regno depugnare, ſi fortè Carolus prima Caſtra viciſſet; excipiebat interea milites affluentes, adhortabatur mirificè, ſubmittebat in caſtra, annonam comparabat, atque omnis generis copiam. Sed repente triplici fortunæ telo percellitur, aut potius Deo probanti conſtantiam, ſe Chriſtiano animo ſubiicit. Propemodùm vno eodémque die tria nuntia moleſtiſſima accipit, primo Monteianem & Boiſſium audit captos; alterum moleſtius, refert Guiſam interceptam à Belgis. Etenim Henricus Naſſauius & Croius Comes Roeſius, vt conſtituerat Cæſar, viginti peditum millia, & ſeptem equitum, in Picardiam deſtitutam copiis, duxerant. Cùm Guiſæ imminerent, videretque hoſti imparem Guiſius, iuſſerat ciuem & militem, vrbe deſerta, ſe in arcem recipere; idque dum præſtant trepidatione magna, aduolans hoſtis vrbem tumultuantem expugnat, mox arcem. Inde oppida & pagos deformans incendiis, ad Peronam ſedet, molitúrque obſidium. Ea duo vt dolori erant, ita tertium ſuccuſſam conſtantiam euertit propemodùm, niſi eam Chriſtiana fides & pietas conſtabiliuiſſent. Dum Lugduno Valentiam venit, Franciſcum Delphinum febri captum Turnone hærere iuſſerat. Adoleſcens annos natus octodecim, ſupra eos & ſupra ſplendorem natalium præclariſſima ſpe, humanitate & generoſitate acceptiſſimus ſingulis, viua patris effigies, præter nævos quos præſtantiſſima indoles fugerat, quarto febris die, immaturo fato præripitur. Lugduni pilâ dum luderet, feruens æſtu & ſiti, poculum Frigidæ hauſerat; & febri correptus haud multò poſt, tamen patrem ſequutus, quarto vt dixi die occubuit. Quantus dolor animum patris oppreſſerit; colligat qui legit, ex aliorum mœrore; obſtupeſcere omnes ac dolore defigi propemodùm, populorum ſpem, aulicorum delicias, regni fulcrum, eo turbine decuſſum, & vberibus deflebant lacrymis, & lugebant ægritudine animi non conſolabili. Verùm ipſe Rex poſtquam propriam calamitatem in intimum pectus admiſit, & mali tum grauitatem tum ſeriem lugentibus oculis introſpexit; in dolorem iuſtiſſimum, & naturam ipſam exſurgens, habuit ſe in poteſtate; & ad veſperam coacto conſilio, de rebus magni momenti ſiccis oculis deliberauit; Regem foris exhibens, intus patrem, eo vno facinore dignus Magni nomine

FRANCISCVS I.

nomine, quod ipsi aduersa conflauerant magis quam prospera. Habita de Delphini morte quæstio est; & raptus in tormenta Sebastianus Montecuculus Italus, qui frigidam ludenti propinauerat. Venenum oblatum fatsus est, an ex vero, an vi tormentorum, incertum. Ipse Lugduni equis in diuersas partes raptantibus, membratim discerptus est. Imperator interea ad Aquasextias castra promouerat, posuerátque ad vrbem in expassa planitie, hinc inde modicis tumescentibus collibus, Larte fluuiolo alluente, cùm noua rerum facies animo felicissima quæque voluenti se offert. Primò nuntium à Pontifice Paulo accipit; is agebat Imperatori gratias ob ærumnas & vota in publicum bonum collocata; cæterùm longè commodius fore, si pace inter Christianos principes stabilita, in Turcam simul publicum hostem irent; id se percupere maximoperè, & à Deo inflammatis precibus postulare; quod si consequatur, sibi suisque iri factum abundè, nec aliud præmium, aut familiæ suæ principatum vllum cupere se, quàm optatam pacem. Tum belli ratio euadebat difficilior in dies. Iam plurimùm fames vulgatíque morbi imminuebant exercitum: nulla pistrina erant, quæ frumentum molerent, panis coctus procul Tolonio erat deferendus; adeò in castris rarus, vt vix in procerum mensis apponeretur; summus æstus fuerat, & se milites fructibus vuisque ingurgitabant; imò Germani vuas dum in Galeis premunt mustoque, eò copiosius quo securius se implent, contraxerant morbos, febres putridas, ventrisque profluuia; quibus frequentes admodùm occumbebant. Afflictus exercitus quid magni præstaret; viginti Heluetiorum millia in Francorum castra confluxerant; & vrbes proximæ munitæ plurimùm erant. Attamen ne tantus apparatus ludibrio foret, Massiliam aggredi statuit & fortunam experiri si retrò verteret.

Imperator ad Aquasextias.

VI.

Massiliam obsidet.

Ergo è castris Aquensibus secunda noctis vigilia: duodecim hominum millia selecta ex copiis, iubet ire quò constituerat: & ipse primo diluculo, cum Albano, Guastio Gonzaga, & Horneo Comite, & flore equitatus (Franspergus Germanus morbo occiderat) post solis ortum assequutus pedites, per vias obliquas ad inspectandam vrbem accedit. Nec omnino absque discrimine: nam cùm Guastio vltra misso, ipse pone parietinas dirutas consedisset, verberatus est tormentis hostium, plurimis suorum necatis; & mox ad littus pelagi cùm accederet, ab sclopetariorum cohorte propè oppressus est: vt Massilienses suo sin minus metu, saltem periculo cohonestauerit, quo Horneus Comes globo machinæ præter alios cæsus est. Tum obsidio instituta à Cæsarianis: non quod vrbem Cæsar capi posse crederet, sed ne vlla re intentata discederet: ac præstolaturus, an sortem in aduersis hactenus prosperam reuocaret. Ipsi animus erat transmittendi Rhodani, & belli in Occitaniam traducendi; ideò Guastium adspectandam Arelatem mittit. Et ille dum munimenta curiosius inspicit, machinis à Villerio in eum discussis, tantùm non occumbit, séque statim eripiens, refert Cæsari vrbem expugnatu haud facilem. Nempè eam Mommorancius, haud ignarus quo momento esset, accuratè muniuerat, instruxerátque præsidio præfectis fortissimis, Caracciolo Principe Melfitano, Bonauallio, &

Fuxicusi

Fuxiensi Carmanio. Arelate desperata Cæsar, turrim propugnaculi quæ FRANCIS-
truebatur ostium Rhodani tormentis diruere aggreditur, qua capta Rho- CVS I.
danum ponte coniungeret: verum & ab ea repulsus est, cuiusdam nobilis fortitudine, qui reus mortis se in turrim coniecerat, vt veniam criminis exoraret: Cæsar inter eas angustias famam spargit, se Francorum castra aggressurum, vt eo rumore tum suorum tum hostium sensum exploraret. Fama increbrescente flagitauerat à Rege Henricus, iam ob fratris obitum Delphinus, facultatem proficiscendi in castra; eaque impetrata ingenti lætitia exercitus acceptus, quasi flamma in fomitem missa, incendebat omnium animos. Ægrè impetum continebat Mommorancius, quem alebat velitationibus aliquot, prælij aleæ nihil committebat. Carolus hærebat suo in scopulo, cum Antonij Leuæ mors dubitantem quid consilij caperet ad receptum impulit. Leua podagræ doloribus cruciatus, obruente præterea *Massilia recedit.*
dolore animi, quod sibi præsagienti perniciem non esset fides habita, agit animam Aquissextiis ex tenui milite, industria sua & fortitudine, ad primos gradus multásque opes euectus: Carolo in paucis fidus, & in grauissimis difficultatibus tam vtilis, quàm addictus. Interea augescebat fames, morbi inualescebant, & lustrato exercitu, vicena quina hominum millia ex tanto numero recensita sunt: instruebárque receptum Carolus: cùm Andreas Doria, classem ex Hispania vehens, ad veterem Massiliam commeatum satis amplum importat. Iam machinas ad receptum imposuerat nauibus Cæsar, cùm hoc subsidio recreatus, vt suis maiores animos faceret, iubet rursum machinas deportari in castra, & militem sibi in decimum diem alimentum parare. Rex ad leuissimum hostis motum attentus, ratus quod ferebatur, Imperatorem sua tandem castra aggressurum, in ea contendit, quæ erat generositas animi. Dehortabantur Tribuni summoperè, & preces supplices adhibebant, neu se propiùs cùm hoste committeret, exhorrescebant memoriâ Ticinensis cladis, imò plura præsagia nuntiabantur, quæ Regi magnam perniciem minarentur, si ad hostem accederet. Ille tam periculum quàm præsagia flocci habens; eò maiore animo, quod priora faciebant fidem præsentibus, aduolauit celeriter; asserens interesse existimationis suæ, ne abesset; séque meritò futurum ludibrio, si qui æmulum prouocasset, non eniteretur occurrere venienti, & spectante exercitu gemino dimicare. Verùm nihil opus fortitudine fuit; & euanuerunt irrita præsagia, tam Cæsari in spem, quàm Francisco in metum; nam ille castris solutis celeriter admodùm recipiebat se, nec iste premere abeuntem voluit. Via militaris instratá cadaueribus erat, seu quos morbus sequi agmen inualidos passim extingueret; seu quos rustici effusi è montibus ferro, saxis sclopetísque confecerent, scribitúrque exercitus duobus millibus imminutus, dum Aquissextiis Foroiulium venit. Deliberauit Franciscus, an instaret hosti recedenti; erátque plurimorum sententia instandum, quòd morbo æstu, fame, & fuga iam victi, haud ægrè ab integris profligari possent; vnus Mommorancius contrà sentiens Regem ad mentem suam perduxit; vulgari axiomate nixus de ponte aureo sternendo hostibus, quibus desperationis telum nusquam

FRANCISCVS I.

prædendum est : sed eam ob rem à multis insimulatus est , vel timiditatis, quod non crediderim , vel quod verosimilius , inuidæ ambitionis , vt repulsus Cæsar sua vna gloria & triumphus foret , néve eo victo tota belli laus Regem exornaret. Carolus Foroiulij dies aliquot egit ; mox profectus Genuam , nauibus in Hispaniam soluit ; tempestate iactatus , qua sex triremes absorptæ , equis & argento facto mari haustis : eóque desiit expeditionis tantæ præsumpta felicitas , vt non mergi naufragio , fuerit summa votorum. Nec enim habenda fides Sandovallio scribenti reducem nullâ procellâ iactatum. Franciscus oram maritimam vrbésque inuisit , sanaturus plagas quas hostis fecerat ; Langæus Aquasextias missus , qui deformatam vrbem instauraret ; quanquam eam Cæsar subiici flammis noluerat ; præter palatium , quod incenderat Sabaudiæ Dux , ratus eo instrumenta capi , quibus Pedemontium Phocensibus Comitibus obnoxium esse constabat ; verùm erant deportata , & securo loco commissa. Ego instar Franciæ , tanti belli solutus periculo , tutior stilum conuertam ad proxima , quem Picardia dudum atque Italia euocant.

VII.

Perona seruata.

Post Guisam captam Nassauius & Roësius , totam Picardiam ipsosque Parisios spe iam hauriebant , validum trahentes exercitum , quem copiæ nullæ retunderent ; & verò spes haud concepta temerè , nisi *vnius vrbis* primùm infirmitas , tum inexpugnabile robur , allexisset spem , mox oppressisset. Ij Peronam in finibus Artesiæ & Picardiæ positam , cùm acciperent milite & commeatu destitui , prædam facilem rati , se in eam conuertunt , & ciues primo metu absterriti , conuasabant iam , & vitæ consulturi tecta deserebant ; cùm Estrumellus è vicinia nobilis , frumentum quod parare potuit , pecuniam suam , vxorem , & liberos in vrbem mittit ; & restauratis ea fiducia ciuium animis , consilium defensionis insinuat. Mox Sercurus cum Saruicurio inducunt duo hominum millia ; tandem Florangius Maresçallus , cui commissa Picardia erat , cum centum cataphractis & Dammartino , hostem anteueniens , vrbem subit. Vix alia eo ævo expugnatio clarior , cùm nulla sit capiendarum vrbium ratio , quam ferocissimus hostis non tentarit. Primùm assiduis machinarum displosionibus quassata muri pars , quæ portas Nicolai & Lutetiæ inter expanditur , tam spissis ictibus , vt millies octingenties diebus singulis fulminatum sit. Aperta muri labe , aggressionem hostes instituunt , sed latâ fossâ ponè murum ducta , tam fortiter repelluntur à ciuibus , vt impressione tentatâ tertiùm , quà per labem muri , quà per scalas , cæsis mille quingentis , se in castra receperint ; & in ipsam vrbem tres cohortes peruaserant , deletæ penitus , nemine vno incolumi. Ea spe deiecti , vrbi flammas destinant , & Græcos ignes in priuatas domos eiaculati , quæ plerumque penuriâ lapidum , ex lignis compactæ atque asseribus erant , immittebant incendium ; tum in proxima , ne ciuis id restingueret , machinis detonabant. Et ea lues magnam perniciem vrbi inferebat , semelque salutem desperauerant ciues , incendio per vicos grassante , & corripiente quidquid integrum erat , cùm repente sudo & sereno cælo nubes inducuntur , tantáque imbrium vis in flagrantia tecta infunditur , vt restincto incendio , conquieuerit à

d'Estrumel. Sercu. Et Saruicour.

periculo

periculo ciuitas. Id obsessi dum adscribunt miraculo, seque Deo esse magni putant, quos seruaret prodigio, vires animósque in futura augent. At magna premebantur pulueris ac globorum penuriâ; qua mox soluti sunt, Guisij comitis industria & vigilantia. Ille selectos quadringentos pedites, pulueremq; & globos, quantùm sinebant vires, iubet deportare, tum fido duci tradit, per quem paludes inter ad vrbem ducantur: dein ducentos equites & magnum tubicinum numerum agit in diuersam partem castrorum; tubisque personantibus ceu facturus impetum, vniuersum hostem nocte concubia in se abduxit; ea fraude via pediti aperta, isque vrbe exceptus est; primo diluculo hoste aduertente, & postremos obseruante murum inscendere. Ideò ad cuniculos, quod supererat vnum, conuertitur, conatus magnam illam arcis turrim diruere; & ea sat prosperè, ex hostium votis euersa est; Dammartino strenuo viro ruina oppresso; & per ruinam extemplò instituta tertium aggressio ferociſſima. At depulsi semper magna cum clade, cùm Vindocinensis & Guisius validas in opem pararent copias; plurimis scalis in murum erectis, quasi totis viribus impressionem facturi, sub noctem solutis castris abscedunt; Nassauius ad Atrebates, Roëssius versus Flandros atque Hannonios. At dum incerta obsidio pendebat, Parisienses fidem suam testati sunt, ac vigilantiam Bellaius Episcopus, ipsis à Rege præfectus impositus, magnâ cibariorum copiâ in vrbem illatâ, & ciue suas opes in stipendium militum conferente. Occitania similiter hostem suis viribus dispulit, quem ab Catalaunia irrumpentem, coëgit haud multò pòst se in sua recipere. Neque in Italia res commodius fluebant Hispanis. Scalinguenus obsidebat Taurinum, Annebaldus cum fortiſſimis viris tuebatur; hic adeò hostem nullo metu habebat aut pretio, vt in eum crebrò erumperet, prædas ageret ex agris proximis, plurima etiam oppida expugnaret; bis mille peditibus ad Sauinianum deletis. Eo successu fracti animi Italis ducibus, quorum Princeps Guido Rangonius; & socij, Taisius Francus, Gonzaga, Cæsar Fregosius, Palauicinus Vicecomes, Petrus Stroſſius nobilis, Florentiâ extorris, Caldora Neapolitanus, & Bandinus Senensis; qui decem militum millibus sub signa adscriptis, antequam Annebaldo se adiungunt, rem magni consilij roborisque suscipiunt, ne sibi iter inglorium foret. Audiunt Genuam destitutam præsidio, asseritque Fregosius suam adhuc in vrbe aliquam factionem; igitur ad eam versi, magno impetu oppugnare instituunt. Iam vexillum in summo muro erexerant, nec procul à victoria erant; cùm subsidia ciuibus opportunè missa, vires restituunt, victoribusque lauream infringunt. Andreas Doria de eorum itinere certior factus, & consilium ex infirmitate Genuæ colligens, extemplò selectos milites septingentos, Augustino Spinolæ dederat, qui triremibus celeriter in vrbem inueherentur; & ij commodum in portum inuecti sunt, cùm feruebat prælium; in quod adducti velut de cælo missi, hostem repulerunt. Ranconus cùm aberrasset à scopo, ad Annebaldum perrexit soluitque Taurinense obsidium; non ausо perstare Sechinguemo; imò alia oppida & munita quidem expugnata, Carinianum, Carmagnola, Moncalerium, & Salussij propemodùm

FRANCISCVS I.

Taurinum ereptum.

Genuâ tentata.

FRANCISCVS I.

pemodum omnes. Mox Annebaldus accersitus à Rege vt quietem caperet, Buria in præfecturam eius substituto. Atque adeò Deus ex aduersis prospera eliciebat, vt Caroli spem euentu contrario planè contriuerit.

VIII.

Regis affinitas cum Scotia Rege.

Cum Deo immortali gratias ob seruatum regnum Franciscus egisset, instituta eam in rem supplicatione, dum Lugdunum redit nouo gaudij sensu afficitur. Ad Symphoriani Fanum, qui pagus est quarto miliari infra Lugdunum, ipsi occurrit Iacobus Scotiæ Rex, eo nomine V. optima indole adolescens, qui audito Regis discrimine, suo ipse nutu conscripserat sexdecim hominum millia, vehebátque in Franciam; sed semel atque iterum vi procellæ in Scoticam oram repulsus, ipse nauigio per medias tempestates Dieppam vsque euaserat; qua in vrbe certior factus de profectione Imperatoris, miserat in Scotiam qui exercitum soluerent; dein cursoriis equis Regem salutaturus aduenerat; vt par erat humanissimè acceptus, Magdalenam Regis filiam in vxorem postulat; & quanquam Virgini honorifica petitio foret: nam & beneficium recens, & memoria patris, qui in bello suscepto pro Francia olim occubuerat, & affinitas duo inter regna mutuis officiis ab vltimo æuo sancita, haud repulsam ferebant; tamen amatoris votum dilatum est, donec Henricus Angliæ Rex consuleretur. Ad eum igitur Pommerayus missus, cùm exacerbatum haud mitigaret, re infecta rediit. Nihilominus Iacobi votis Rex annuit, & Parisiis magnifico sumptu celebrauit nuptias; etsi non admodùm faustas; nam sexto post mense, Magdelana morbo extincta est; & Iacobus mariam Guisij filiam vxorem duxit. Mox Franciscus vt par pari Imperatori reponeret, inuasurus in Belgium, bello præludit forensibus formulis; quas aranearum telas meritò dixeris, perruptas à Regibus, dum priuatos implicant. Conuocatis in Parisiensem curiam Proceribus atque Episcopis, Capellus Aduocatus Regius de inobedientia Caroli in Regem dominum suum conquestus, postulat vt Flandri, Artesij, Carolesij, regio fisco ob clientis delictum adiudicentur. Senatus censuit diem reo dicendam; & missus fecialis qui ad Belgij limites in vadimonium Imperatorem vocaret. Enimverò ille affirmauit, se quando vocaretur, venturum in Franciam, ad litem ita comparatum atque instructum, vt Franciam coacturus foret, ad implenda quæ iurauerat fœdera, Madritense & Cameracense. Rex interea cum triginta hominum millibus obsidebat Hesdinum; & quidem cuniculis muros tentauerat, quos exploratores affirmauerant inexpugnabiles machinis, quoniam terreo aggere nitebantur; sed cùm parum admodùm promoueretur, iubet Rex tormentis rem agi, quæ impetu tanto disploſa sunt, vt tertio die magna labe murus patuerit. Extemplò temerarij iuuenes iniussi in muro emicant, multa clade ab obsessis repulsi, occiso Sancerræ Comite, præclaro iuuene, vicesimum annum delibante. Et ea temeritatis specimina, multùm aliena à vera fortitudine, haud paucos rapiunt, sterili in patriam & pœnitendo facinore; Ipso attamen die deditionem obsessi pacti sunt. Tum ad Pauli Fanum ductus exercitus, quod Annebaldus iam ceperat, & in eo militari inscitiâ peccatum grauiter: nam cùm duces omnes diruendum oppidum censerent, quod intra annum vix muniri posset,

Bellum in Artesia.

Anno 1537.

S. Pol.

audit

audit Rex Castellum quendam Italum Architectum, pollicentem se sesquimense erecturum inexpugnabilia munimenta. Rex id cupiebat summoperè, quia Pauli Fanum in Picardiæ arcibus atque Artesiæ, ceu meditullium, amicos defendere, atque hostiles lacessere poterat & defatigare; vnde fidem Italo temerè habuit, dedítque in præsidium Præfecto Villobono tria hominum millia. Mommorancius interim Lillerium & Sanuenantium ceperat, præruptis forti animo quæ obiecerant ciues munimentis. Rex iis successibus lætus, seu belli tædio, seu quod clandestina consilia haud satis procederent, ratus Fanum Pauli munimentis tutum, exercitum soluit. At Comites Roësius & Burenus, sub signa missis viginti quinque hominum millibus, sua vice bellum extemplò capessunt. Nec cunctati Fanum Pauli, quod nebulo ille Italus nusquam muniuerat, aggressi vi expugnant; cæso toto præsidio, virísque fortissimis, seruato nemine præter Villebonum Præfectum & Martinum Bellaium. Dein Monstrolio in deditionem recepto, Teruanam quam destituram milite nouerant, festinant aggredi. Saluti vrbi fuit, primùm quod Mommorancius Rochepotius Picardiæ Prætor, mortuo Vindocinensi, militem in eum immisit; tum quod Annebaldus nitratum puluerem per quadringentos pedites intulit. Verùm & Annebaldo sua sedulitas & aliena temeritas periculo fuit: nam cùm in regressu iuuenes inconsiderati, & precipites stulta confidentia, trepidationem in hostium castris immisissent; Burenus intercepto ad pontem itinere, omnes profligauit, quadringentos cæcidit, cepítque Annebaldum & Piennam, alienæ culpæ damnatos. Ea rerum conuersione, reuocatur exercitus Regius, iámque Delphinus cum Mommorancio ad hostem accedebant propiùs, cùm per inducias arma discussa sunt. Maria Imperatoris soror, Belgij Gubernatrix prudentissima fœmina, cùm Arscoto interprete, verba de induciis fecisset, à Rege auditur; eæque in tres menses dictæ, Franciam inter & Belgium.

FRANCISCVS I.

Rochepot.

IX.

Res Pedemontana.

Haud ægrè in eas Franciscus assensérat, quod diu trans Alpes & fœdere & necessitate belli vocaretur: fœdere quidem, quod cum Solimanno Turcarum Sultano contraxerat, vti Imperatorem communi bello in Italia aggrederentur; Franciscus per Insubres, per Neapolitanum regnum Solimannus. Et quidem in id fœdus se Franciscus induerat, tum indignatione in Venetos, quos auellere à Cæsare nullo conatu valuerat; tum vindictæ in imperatorem ipsum libidine. Ac tametsi id fœdus nouerim meritò à plerísque coargui, quod grauia damna in Christianam rem, maximè in Venetos importata sunt eo bello; tamen forsan ab nemine minus, quàm ab Hispano reprehendendum est; cùm & ipse Imperator Carolus in Turcam bellum haud susceperit, nisi postquàm Venetos eodem implicuit; quos ea arte abducebat à Francis penitus, & obiiciebat obterendos Turcarum viribus; ídque disertè Paruta asserit, Venetorum Historicus, tam accuratus quàm perspicax. Et præter fœdus euocabat Regem necessitas. Buria felicitate nimia rem profligauerat, Humerius imperitiâ. Cæsar post Phocensem expeditionem, Monferratenses Gonzagæ Mantuano addixerat, exclusis Sabaudo atque Salussio; at Monferra-

Fœdus cum Solimanno.

FRANCISCVS I.

tensium, Casalis ad Padum vrbs cum apposita arce, propugnaculum habebatur; in eam Buria votum intendit, occupátque clandestino consilio; sed cùm opportunè se in arcem tegere haud potuisset, Guastius in eam aduolans vrbem, recipit, mactat præsidium, ij Franci mille & ducenti, Buriam, Taisium, & alios Tribunos capit. Et quidem Buria vnâ tantùm die vrbe potitus; tanta celeritas Guastij fuit, sua diligentia alienam segnitiem emendantis. Huius calamitatis causæ præcipuæ, tum Biendrasius Comes, qui pecuniam à Buria acceptam, vt instrumenta ad fodiendum redimeret, in suum vsum traduxerat; tum Ranconius, qui prauè æmulus, quod se inconsulto Buria expeditionem eam suscepisset copias quibus præerat ad defendendum eum non admouit. Sic alienâ partim Bonieres. auaritiâ partim inuidiâ, præclari facinoris gloria periit. Buterius Buria capto suffectus est. Mox Guastius Salussios subigit, at dum, Carmagnolam obsidet, Franciscus Salussius qui à Rege defecerat, glande perimitur; dynastiam fratri Gabrieli natu minimo Rex concessit, cui Annebaldi filia nupserat; at cùm paulò post sine liberis mortem obiret, Salussij vt feudum Delphinatus regno adscripti sunt. Dum Buterius viribus minor Humieres. se vrbibus continet; Humerium Delphinatum Prætorem in Subalpinos Rex cum imperio mittit, adiunctis Germanorum decem millibus, Tribuno Vittembergio. Sed cùm Humerius imperium titulo potiùs quam merito administraret, nihilque susciperet par nouis viribus, adductus statim in contemptum militum, & aliorum ducum æmulationem, qui ægrè obtemperabant ignauè imperanti, atque inscienter, Pinerolium secessit, gubernandi impotens, ibidem obsidione cinctus à Guastio. Etenim Guastius dux bello impiger, aucto exercitu ad viginti quinque millia peditum, & tria equitum, pluribus vrbibus captis, Pinerolium cinxerat, clauserátque Taurinum, sperabátque in mensem proximum se vltra Alpes Francos depulsurum. Igitur Rex vti & fœderi satisfaceret (nam Solimannus ingenti classe Corcyram obsederat) suásque res afflictas erigeret, cùm langueret febri, Delphinum cum Mommorancio profecturis in Italiam copiis præficit; ac paulò pòst ipse Lugdunum se confert. Primò laboratum in alimentis militi comparandis, quia hostis in Pedemontio frumentum omne pabulúmque rapuerat, turis locis seruanda: curatúmque abundè in Lugdunensibus, Aruernis, Burgundis, magnâ Regis diligentiâ; tum promotus exercitus, in quo Delphinus, Mommorancius, Franciscus Aumalius Guisij filius, Buria missus captiuitate, tormentis præfectus, Monteianes, Fregosius, Brissacus, & alij. Nec eo loci omiserim, quod in Re- Regis laus. gis commendationem scripsit Hispanus vnus è tot Historicis, eóque fide dignior, Sandouallius; scilicet rerum perditarum in Italia nuntium ad eum delatum dum venaretur; & extemplò lectis sicut erat ex equo litteris, postquam aliquantisper hæsit attonitus, atque altum ingemuit, vocasse Mommorancium, & defixis admiratione qui aderant, ipso momento singula quæ ad Bellum Italicum necessaria erant sigillatim exposuisse; copias, Tribunos, Centuriones, milites, commeatus, atque alimenta; quibus ex prouinciis petenda singula; vnde habendæ machinæ, vnde pulueris,

atque

atque huiusmodi cætera, & viarum descripsisse commoda atque incommoda; quasi scripta legeret, quæ designabat; tam admirabili memoria, tam accurata sedulitate, tanta animi firmitate & altitudine; intra horam dimidiam disserendo; vt dignus sit omnibus visus imperio, atque victoria quam parabat hac strenuitate; & reuerà si Franciscus tam constanter desiisset, quam incipiebat fortiter, omnes retrò Principes amplitudine & admirabilitate rerum superasset: ego ab hoc diuerticulo, in viam redeo. Guastius ad Segusij fauces custodiendas decem militum millia Cæsari Massio Neapolitano commiserat. Eæ citra vrbem sesquimilliari, per quas vnus patet ad Segusium aditus, duos inter montes arcto admodùm spatio, non tam diffunduntur quàm contrahuntur: mons hinc illinc geminus abruptus in præceps, qua vtrinque desinit, in angustum limitem conuenit, viámque admittit arduam plurimùm & coarctatam: fauces lata fossa diuiserat Cæsar, geminas arces erexerat in verticibus montium, partitúsque militem in gemina munimenta, naturam arte prouectam, venientibus Francis obtendebat. Sed non animaduerterat duos alios montes imminere iugis communitis, vel eos ob altitudinem inuios Francis arbitrabatur, quos vbi obseruat Mommorancius, selecta quatuor millia in eos per abrupta rupium ducit, ostentátque suprà capita hostium. Stupor extemplò pauor & fuga trepidantem Cæsarem à faucibus abigit, poterátque deleri, si Mommorancio equites ad persequendum fuissent. Aditu patefacto vniuersus exercitus in subalpinos progreditur, & Guastio recedente, oppida arcésque occupat, frumento & cibariis confertas affatim. Hinc solutum obsidione Taurinum, Regis ad exercitum aduentus, Guastij vltra Padum transitio, & conuersio subita Francorum vota in apicem promotura. Attamen Regi Carmagnolæ agenti placuit bellum spe pacis compescere, admisit in tres proximos menses inducias, dum de pace agitur; & hyems impendebat, desinente Novembri, & Solimannus omissâ Neapoli recedebat in Thraciam. Rex salutantem Guastium excepit perhumaniter, Montejanem Subalpinis præfecit, Langæum Taurino, vrbibúsque commeatu munitis, in Franciam redit, stabilitatem paci quæsiturus.

FRANCISCVS I.

Pas de Suse.

Anno 1537.

X. *Principum de pace studia.*

Ac de ea Paulus Pontifex contendebat summoperè Reipublicæ Christianæ intentus, iunctósque nexu concordiæ Principes immissurus in Turcam. Ij quidem pacis incensum studium ostentabant, tum defessi bello, tùm famæ causa & existimationis, quod in ipsos potissimùm ambitione & æmulatione raptos, mala publica & calamitatum series conferrentur. Verùm ita pacem optabant, vt suo quisque modo & commodo hanc confectam vellet. Rex omninò Mediolanensem ducatum petebat; nec vllam conditionem fœderis, si expungeretur ea, admittebat; contra Cæsar omnes prouincias atque victorias in discrimen vocaret, ad Mediolanenses sibi asserendos; id fundamentum simul atque fastigium palmarum suarum; in iis Italiæ imperium positum; atque vt possidebat re ipsa, se possessione deiici adeò fœdere pati non poterat; vt ad eam vindicandam, arma Europæ toti opponeret. Vnum erat inter Principes discrimen, in idem tam diuersis modis consentientes; vt Franciscus palam & apertè Mediolanenses repoſceret,

FRANCISCVS I.

repoſceret, Carolus clanculum & per ambages negaret; ne patefacto retinendi conſilio, Italiæ Principes à ſe auerteret; rurſúmque reuolueretur in bellum, quod ſibi inſtaurari non expediebat, ob Solimanni potentiam. Ideò Regem inani ſpe paſcebat, proponebat varia, & promiſſis allectum, differebat in annos plurimos, vt quod retineret mordicus dare videretur. Recipiebat ſe Aurelianenſi daturum principatum, neptem ex Ferdinando fratre ducenti in vxorem, quia virgo impubes quarto anno duntaxat apta nuptiis foret, at rurſum in controuerſiam cadebat poſſeſſio, eam Franciſco in nuptiarum ſpem flagitante, Cæſare pernegante, dum impleantur nuptiæ; ac neutro habente verbis alterius fidem, cùm eam Cæſar diceret illuſam à Rege, Rex putaret falli poſſe ab Cæſare, qui deceptum ſe crederet. Nihilominus adurgente Paulo Pontifice, ſinguli ad eum Niceam conueniendum conſentiunt, ſéque in viam haud multò pòſt conferunt. Primus Roma Niciam Pontifex venit, tum Imperator ex Hiſpania claſſe vectus Monœcum; deinde itinere terreſtri Franciſcus Villanouam ad Varum; poſtremò vterque Principum Niceam in diuerſa hoſpitia venit. Separatim cum ſingulis Pontifex egit; nec exorare potuit vt ſe inuiſerent, non quidem quod mutuo odio conflagrarent tantoperè, ſed induſtriâ Cæſaris colloquium in opportunitatem ſuam conferentis. Prolatæ in decem annos *induciæ*; nec Sabaudo exuli vlla ratione ab Imperatore conſultum eſt: qui vt arctiùs deuinciret Pontificem, Margaritam filiam Medicæi, viduam, deſpondit Octauio Pontificis nepoti ex filio Petro Ludouico, quanquam impuberi, & duodecim annos nondum implenti. Is præterea per Eleonoram ſororem à Rege impetrat, vt ſe Aquis Mortuis in Occitania ſimul inuiſerent; illic nullis arbitris, nullo conſiliorum ſequeſtro, de ſuis rebus acturos per otium, & bona fide depoſituros inimicitias. Et ab vtroque ad Aquas Mortuas ventum eſt; móxque inter mutuum aſpectum omnia beneuolentiæ ſigna oſtenſa; Rex Imperatorem in Triremi ſua inuiſit; poſtridie eum in vrbe excepit conuiuio, & pernoctantem hoſpitio; mox in ipſius triremi prandium cepit; charitatis & amicitiæ ſignificatione ampliſſima. Nec aliud eo conuentu perfectum, quàm impoſitum humano generi; credenti ex animo inſtauratam amicitiam; cùm vtriuſque ſcopus vtilitas foret; ac fructus alterius, nimirum Cæſaris, qui præclara Franciſco pollicitus, inanem ſpem aluit, & penetrauit in arcana conſilia, quæ ipſi cum Rege Angliæ & Germannis Proteſtantibus erant.

XI. *Imperatoris per Franciam iter.*

Aliquantò poſt excutiendæ ſimulationis cauſa oborta eſt. Gandauenſes rebelles in Cæſarem ad Regem legatos mittunt, qui orarent vt ſe *in clientelam ſuam & tutelam admitteret; ſe iniquis vectigalibus à Carolo Flandrienſi Comite vexari & ſpoliari, appellare ſe Regem, qui ſummus eſſet Patronus; ſe Regi & ciuitatem ſuam addicere, plures in Flandria vrbes idem expetere, & ſequuturas exemplum; quare miſeros in gremio atque aſylo reciperet, nec excluderet calamitatem, indignam opis, & emolumento excipienti futuram.* Rex poſtulatis in deliberationem vocatis, cùm auctores plurimi eſſent ea vt admitteret, nec rationum momentis deſtituerentur. Franciſcus iis neutiquam aſſentiens, & Gandauenſibus negauit quod peterent, & eorum litteras

litteras ad Imperatorem misit; affirmans se fidem datam pluris facere quàm totius orbis imperium. Imperatori gratissima ingenuitas fuit, qui quâ viâ proficisceretur in Belgium plurimùm anxius, cùm nauigatio tum Oceani tum Mediterranei maris, & procellis & periculis plurimis vtrobique obnoxia foret; statuit per Franciam magno viæ compendio in Belgium ire; promissorum vno commeatu & securitate tutissima. Ea de re primò Mommorancium appellat, quem antea Rex Comestabilem dixerat, & eo conciliato à Rege facultatem transeundi per Franciam petit, instauratis promissis de Mediolanensibus Aurelianensi tradendis. In consilium itur; & Turnonius Cardinalis censebat, *nullam fidem Imperatori habendam, nisi pollicitationes implenti; diu ipsum per promissa fucum & fraudem facere; nunc data occasione ad implenda cogatur, quæ toties recepisset; frustra fidem haberi, quæ lassisset hactenus, & ab alio malè expectari, quod ipse possit per occasionem efficere.* Contra Mommorancius habendam omnino fidem affirmabat; ab amicis Principibus amouendam procul suspicionem, vi cogi Imperatorem non posse, ingenuitate & agendi quodam candore impetrari omnia posse faciliùs. Ad eam sententiam se Franciscus accommodat; siue quod faceret ad indolem suam plurimùm, apertam & candidam; siue belli pertæsus, nouo officio demereri Carolum cuperet, confecturus officio quod bellum excluderet. Ita Baionam Regij liberi cum Mommorancio ad excipiendum Imperatorem mittuntur. Et ille callidè vbi Baiona exceptus est, petiit ab Legato Franciſci, ne quid à se exigerent quod ipse scripto traderet; ne datæ fidei violaretur integritas, dicíque posset, quid per vim & metum ab eo qui in aliena potestate esset promissum. Qua arte perfecit, vt nulla de re appellatus, securum iter per Franciam totam perageret. Et peregit quidem, Rege occurrente ad Castellum Heraldi & deducente Parisios vsque, Regiâ magnificentiâ, & quæ Franciscum maximè saperet; nam ea in pompa totóque itinere, quadragies centena millia argenti impensa; quæ commodiùs in proximum bellum seruari poterant. Irridet Mezeræus, (scriptor Historiæ Francicæ, supra omnes argumento suo dignissimus,) tum quod à Belga auctore scribitur, Carolum fuga Parisiis euasisse; tum quod à Francis Scriptoribus, deliberatum esse ab Rege de eo retinendo, idque per Ducissam Stampensem conciliatam Imperatoris gemmâ, discussum consilium; nec enim vnquam in proposito vacillauit Franciscus, & ipse Imperatorem Sanquintinum vsque honoris causâ perduxit, & Regij liberi Valencenas apud Hannonios. Iam securus sui Imperator, non illicò laruam abiecit, sed dum Gandauenses in obsequium ageret, spem etiam fouens, respondet legatis Francicis, se in eadem voluntate esse; at præstolari Ferdinandum fratrem, qui profectus ab Austria, conueniret se; statim ab eius assensu rem se perfecturum. Gandauenses interea, omni ope & subsidio destituti, iugum admittunt; rapiuntur in supplicia plurimi, omnes in multam pecuniariam, & ciuitas ipsa in seruitutem, arce intra viscera sua erecta. Tunc votorum compos Imperator, personam deposuit & Seluæ Vaurensi Episcopo Regis Legato se nihil promissi dedisse affirmat; ac reuocanti in memoriam quæ dixisset, reponit se haud

FRANCISCVS I.

Anno 1539.

Chastellerault.

Anno 1540.

FRANCISCVS I.

meminisse, nec eiusmodi quidpiam scripto mandasse. Attamen nouo illicio conatus Regem deludere; proponendum curauit, vti Belgium Aurelianensi daretur cum Regis titulo, & Carolæ filiæ suæ nuptiis; & ea de re actum haud semel, quæ postea vti & cætera promissa euanuit; post-

Anno 1540. quam Imperator obortam procellam excussit. At Rex ludificatione tandem deprehensa, mœrore plenus, indignationem in consilij auctores conuertit, præsertim in Mommorancium, qui se quodammodo Imperatoris prædem constituerat; eúmque iussit ab aula facessere & conspectu suo, nec ampliùs dum vixit recepit in gratiam; solitus dicere, se graues & necessarias eius rei causas habuisse; quanquam viris prudentibus non aliæ visæ sunt, quam arbitrium Regis credulitatem suam Mommorancij pœnâ excusantis. Nisi etiam nimium Mommorantij studium erga Delphinum, Regi suspectum fuerit, indignanti diuidi qui per tot beneficia suus foret; quique inter fratres, vni addictior, inimicitias aleret. Cardinalis Turnonius, & Admiralius Annebaldus evecti in gratiam, & in rerum regimen; quorum intelligentia minor, sed fides tutior. Et antea Chabotum Admiralium dignitatibus exauctorauerat, Poyeti Cancellarij deturbatum artibus prauis, & peculatus damnatum; quanquam postea donatus precibus Ducissæ Stampensis, restitutus est bonis & famæ. Nam in aulis Principum suos ludos inconstantia ludit; nihilque in procella à naufragio tutius est.

XII. *Belli noui praludia.*

Sic inter Imperatorem & Regem, offendentem illum, istum offensum, pax stare diu non poterat. Primùm per occulta consilia grassata discordia, mox in apertum prorupit. Cæsar cùm animaduerteret, æmulum Angli amicitia plurimùm fidere, atque allicere in arcanum fœdus Protestantes, enititur vtrumque fulcrum detractum alteri, sibi apponere. Anglum primò aggreditur, ac Catharina iam fato functa, & amoto concordiæ obice, virum leuitatis notissimæ, quippe quintam vxorem iam duxerat, in Franciscum inflammat. Dein Protestantes Proceres vt deuinciret, tum multa singulis pollicetur, tum vniuersis condonat plurima. Nec parcebat industriæ Franciscus, vt fœderatos captaret, conciliatis Regibus Daniæ atque Sueciæ, & Solimanno rursum appellato; quasi æmuli in odij supplementum vniuersum orbem euocarent. Sed nulla re molestiam magis creauit Rex Cæsari, quàm Clivensis patrocinio. Ille Martinus Guillelmi Ducis Clivensis filius, qui ausus de Geltria cum Imperatore contendere, appellauerat Regem; & ab eo susceptus humaniter, data in sponsam Ioanna Nauarræ Regis filia, quanquam impubere, sperabatur in partes Germaniam diuisurus. Æmulorum animis sic affectis, extincta beneuolentia, & prorumpentibus odiis, vnum facinus pudorem, quo premebatur bellum, excussit. Rex ad Solimannum, & ad Venetorum Rempublicam mittebat, Cæsarem Fregosium Genuensem, Ducem veteranum, & Antonium Rinconem Hispanum exulem; & eum quidem ad Solimannum, cuius in aula iam erat versatus. Ij cùm Taurino simul Venetias pererent, se lintri committunt Pado vehendos, dehortante plurimùm Langæo, qui verebatur hostis insidias; at ij dissimulato habitu

Clivensis Dux.

Legati Regis cæsi.

Anno 1541.

quasi

quasi è vulgo vectores commiserant se naui. Id cum Guastius explorasset, vt rem gratam Cæsari faceret, haberétque omnia quæ Legatis mandata à Francisco fuerant, positis insidiis infra Casalem, nauigantes intercipit, Legatos perimit; mandatis neutiquam deprehensis, quæ Langæus malum veritus sepositerat, via tutiore mittenda Venetias. Rem Guastius sic occultè patrauerat, vt crederet nullo modo emanaturam: verùm Langæus tam accuratam sedulitatem adhibuit, vt peruenerit ad fontem criminis, manifestato consilio, atque auditis tum nauicularijs tum sceleris conscijs, quos in sua potestate vir diligentissimus habuit. Franciscus exclamare continuò, appellare ius gentium, cæsos Legatos, publicæ pacis violatas sanctissimas leges; ac nisi iniuriam sarciat Imperator, bellum minari atque intentare. Ad ea Cæsar, cùm primùm facinus inficiaretur, deinexcusaret quod iniussu suo, postremò diceret iure cæsos, ex Genua & Hispania exules, qui nullam Legatorum speciem præ se ferrent; imò speculatorum instar sese occulerent; ad vltionem Rex inflammatus est. Nihilominus Cæsar bellum Algerianum quod instituerat persequutus est, ratus id quod erat, Franciscum, in absentem & religionis Christianæ causa depugnantem, haud moturum bellum. Et se omninò Franciscus continuit, dum Imperator fœdissimis procellis tota expeditione iactatus, post amissum exercitum & vniuersam propemodùm classem, inglorius vixque ereptus naufragio, regreditur in Hispaniam. Nec ea calamitate alteruttius odium deferbuerat; bellum indicit Franciscus, Carolus suscipit, & Solimanno victore vastante Hungariam, iam Austriæ imminente, quasi ad eos Christiana calamitas haud spectaret; priuatas & internecinas inimicitias obeunt. Instruxerat tres exercitus, & numerosos quidem Franciscus, in Subalpinis, in Picardia, & in Occitania. Erant in Subalpinis viginti duo hominum millia, quæ otiosa duobus mensibus habet Annebaldus, dum deliberatur, in quam potissimum partem irrumperent; tandem placuit omissa Italia, rem in Belgio geri & Ruscinonensibus. Rex postquam diuinam opem supplicatione solemni implorat; bellum extemplò in vtramque prouinciam promouet. Ducatus Lucemburgensis armorum scopus in Belgio; ductórque exercitus Aurelianensis alter Regis filius, adiuncto qui regeret adolescentem Claudio Guisio; magno vt in Francorum primordiis, bellum impetu geritur; quatuor Gelriorum millia, ab Clivensi conscripta, decursâ hostiliter Brabantiâ, cùm accessissent ad Aurelianensem, Luxemburgij vrbes quà vi quà terrore iugum admittunt. Danvillerium vi capitur, atque euertitur; Iuoium & Arlonum patent deditione: Lucemburgum & Mommedium non multum obsistunt; sic Thionvillâ (ita enim Theonis villam appellabo) vnâ exceptâ, tota prouincia Franco submittitur. Aurelianensis eo successu elatus, quasi victorias quæ sibi deforent quæsiturus, exercitu partim soluto, partim in præsidia distributo, cùm audiret pugnæ spem in Ruscinonensibus fulgere, cursoriis equis Monspelium ad patrem aduolat. Verùm Cæsariani post discessum eius Lucemburgum & Mommedium statim recipiunt, instabántque victoriæ, nisi à Guisio instaurante exercitum retrusi in Belgium essent, & rursum Mommedio expulsi. Et Anto-

Bellum inceptum gestum in Belgio.

Anno 1542.

FRANCISCVS I.

nius Dux Vindocinensis collectis Picardiæ præsidiis irruperat in Artesiam. Interea bellum in Hispaniæ finibus lentè procedebat.

XIII.

Perpinianum frustrà obsessum.

Paulus Mompesatius Occitaniæ Prorex, Regi occupandi Perpiniani spem fecerat; vrbem affirmans commeatu omni nudam & inopem, malè in nouas machinas tectam & munitam, facilè ab exercitu Regio capi posse. Rex prono animo propositum audit; adurgente gloriæ stimulo, quam haud modicam compararet, si reciperet vrbem & prouinciam quam tenuissent maiores, & Hispanus dolo magis quàm iure aut virtute eripuisset; & accedebat talionis aculeus, vt Cæsari Phocensem Prouinciam in Ruscinonensi agro rependeret: quanquam id damnatum est consilium, creditúmque potuisse Insubres obtineri, si in eos totis viribus maturè exercitus irruisset. Perpinianum assignatum Delphino, Aurelianensi fratri Belgium, locis diuersis eadémque laude, fratrum studia & æmulationem honestam, inflammaturis, periculo nullo discordiæ. Igitur euocatus ex Pedemontio cum exercitu Annebaldus, dúmque Alpes transit, & per Occitaniam lentè transmittitur, de periculo Perpiniani hostis præmonitus, vrbem suo commodo commeatu instruit, & erectis munitionibus cingit. Albani Ducis ea prouincia fuit, qui confirmatam vrbem, instructam & tectam, Mancinecæ & Cerbelloni veteranis *ducibus* tradidit, Gerundæ ipse substitit, occupato montium transitu, vti *subsidiis* incumberet, & necessaria ad propugnationem instrueret. Augusto medio ad vrbem quadraginta peditum millia, equitum quatuor, Delphinus, sociis Annebaldo, & Mompesatio ducit, Rege Monspelij hærente, vt rem vrgeret, & expeditioni intenderet; imò aduolaret, si fortè coram Imperator accederet. Primò ducum dissensio rem prolatat; tormenta admouenda vno loco Annebaldus censebat, alio Mompesatius; obtinuítque Annebaldus, quanquam ex euentu malè consuluisse ipsum constitit; tormentis postea in locum quem Mompesatius dixerat transferendis. September effluxerat, muro adhuc integro, & illibatis hostium viribus: grassabantur inter castra morbi, sæuiebátque discordia Vascones inter atque Italos, ducum æmulatione diuersa militum alente studia; Autumni imminebant imbres, ea in regione vberrimi admodùm; quas ob causas Rex obsidionem solui Delphino imperat. Ægerrimè paruit regius iuuenis, morbúmque quà dolore animi, quà ærumnis corporis, periculosum contraxit, quo vix tandem sexto pòst mense est recreatus. Eo in bello Regis, & filij Aurelianensis gemino facinore illuxit bonitas, & in hostem clementia. Milites Itali trecentas fœminas è Ruscinonensi agro captiuas duxerant, & nisi à propinquis redimerentur, vim pudori intentabant; eas propinquis cessantibus, Rex à milite redimit, donátque libertate, pudore integro. Damuillerio expugnato, miles prædæ cupidus dum in templum irruit, in quod ciuis pretiosa quæque congesserat; Aurelianensis stricto ense pro foribus sanctitatem asyli propugnans, suos milites repulit, iussu & ferro, proruentes disiiciens, non sine periculo. Mox Annebaldus in Pedemontium rediit, quod vnius Bellaij Langæi virtus propugnabat in Guastium. Affligebatur lecto membrorum paralysi correptus

Langæi virtus & mors.

Langæus;

Langæus; & ea vis animi erat in decumbente corpusculo, vt repulso Guastio, & ipsi arcibus aliquot ereptis, egregiè rem Francicam tueretur. Imò consilia tam sedulò instruxerat, vt totus hostilis exercitus in Annebaldi cassès incurrerit, capiendus facilè, si Annebaldus se regi ab auctore consilij permisisset. Elapso Guastio, commeatum redeundi in Franciam, ad res domesticas componendas Langæus petiit; atque in reditu ad Lugdunum æger vitam posuit; vir mente, linguâ, & manu in paucis præclarus; qui sapienter excogitata, eloquentissimè diceret, ac strenuè vbi opus foret exequeretur; laudatus ipsa voce Imperatoris, affirmantis Langæum linguâ & calamo plures Regi suo peperisse victorias, quàm cæteros duces armato milite. Huius frater Martinus Bellaius, qui Francisci Regis Chronicon scripsit, altérque Bellaius Parisiensis Episcopus; tota familia fide in Rẽgem, & ingenio instructissimo litteris commendanda. Atque vt Langæus magno omnium desiderio raptus est; sic paulò antè summa Francorum lætitia, deiectus erat ab rerum apice Poyetus Cancellarius. Illi ob Chabotij damnationem Stampensis infensa, data opportunitate, quod quædam in diplomate regio immutaret, in eum ceu contumacem, exacerbat Regem; qui hominem detractis sigillis mittit in turrim Bituricensem. Et adhuc viri existimationi Rex parcebat; donec tertio pòst anno, Poyeto flagitanti iudices dati sunt, à quibus de multis damnatus sceleribus, cancellarij munere spoliatus, & multatus grandi pecunia, in primum catcerem dum multam solueret, ignominiosè detrusus est; litium tricis supramodùm addictus, & earum studiosissimus propugnator, quibus tandem meritò inuolutus, sua arte periit.

FRANCISCVS I.

Poyetus damnatus.

Perstabat inter Principes bellum mutuis prouinciarum direptionibus, cùm ipsi calamis etiam præliantur, & amarissimis scriptis se proscindunt. Ad vtrumque scripserat Pontifex & nuncupatos charissimos filios, adhortatus ad pacem, ad Concilium proximum inuitabat. Ad eas litteras dum rescribit Cæsar, expostulat quod Pontifex Franciæ Regem, qui Concilio semper interceserat, eodem honoris loco titulóque reponeret, quo se Imperatorem, qui Concilium omnibus viribus promouisset; Tum addebat multa contumelioſa in Regem, præsertim de fœdere cum Turca inito. Rex cùm earum litterarum missum esset exemplar, responsum amplum & luculentum edidit, Petri Castellani viri docti industriâ; quo diluebat obiecta, & in ipsum Cæsarem reiiciebat; excusato pluribus fœdere Turcico; & aliorum exemplo Principum, & ipsius Cæsaris qui idem ambiuerit, qui cum hæreticis societatem arctè contraxerit, qui turpissimam hæresim per Germaniam totam conseuerit. Ita Principes famam inuicem & existimationem violabant, & erumpebant in vltionis libidinem, dum instauratis viribus rursum confligerent. Cæsar Pontificem in suas partes inducere vehementer optabat; atque ex Hispania in Germaniam profecturus, postquam Genuam appulerat, cum eo in Placentino agro colloqui voluit; institítque summoperè, vt Francum hostem diceret; oblata possessione Parmensis ducatus, quem in filium Pontificis conferret; imò de vendendis Insubribus sermone habito; verùm Pontifex

XIX.

Principes litteris pugnãt.

FRANCISCVS I.

quanquam obtinendæ Parmæ immenso desiderio flagraret, ab re tam iniqua alienum se præbuit, & priuatam vtilitatem Christianæ postposuit. Eam ob rem Cæsar indignatus, vt Pontifici molestiam faceret, non multò pòst societatem cum Anglo contraxit, & per Alpes contendit in Germaniam, Cliuensem totâ potentiâ oppressurus. At Regis exercitus nihil admodùm ingens patrabat, ducebat partem Annebaldus, Admiralius dictus, Chabotio nuper vita functo, partem alteram Vindocinensis, Artesiæ atque Hannoniæ infesti. Vterque copias consociare à Rege iussi sunt, dum Landresium ab hoste relictum, Rex ipse accuratè fossa atque operibus munit. Perfectis munitionibus Franciscus Rhemos ad otium secedit; & totum mensem inutiliter terit, dum Imperator magnis copiis in Cliuensem invehitur, Durámque vrbem primariam obsidet. Ideo excitatus è veterno Franciscus, vt à Clivensi Cæsarem auocet, in Ducatum Lucemburgensem inuadit, & capto Artonio, Lucemburgum obvallat. Vix dum tormenta in ruinam muri locauerat, cùm præsidiarij quanquam numerosi, perspecto vrbis situ, inæquali admodùm & oppugnationibus obnoxio, paciscuntur deditionem. Rex ciuitatis compos, quasi regnum nouum obtineret, sibi mirificè ea in re placere, pro Mediolano Lucemburgum subiicere, & eam vrbem quæ plurium Imperatorum natalis fuisset, sibi in monumentum victoriæ seponere & constituere. Eam in spem, quamvis inopportunam munitionibus, & à Francia magno viarum spatio dissitam, repugnantibus ducibus, muniri accuratè voluit; & eâ Regiâ pompâ exceptus, stabiliendo inani trophæo intendit, dum Carolus Clivensem ad extrema agit, profligátque. Etenim Durâ non incruenta victoria expugnatâ, captisque Iuliaco, Venlone, & Ruremonda, Clivensis vti opibus, ita & animo destitutus, ad Imperatoris clementiam confugit, & iugo quod imponere liberet admisso, iussus est renunciare Ducatui Gelrio, & Francicæ societati; & aliquantò post Ferdinandi filiam in vxorem duxit. Vt ea res Francisco molestissima accidit; ita Navarræ Regibus eiusque filiæ acceptissima, quæ desponsa inuitissimo animo, soluta Clivensis nouo coniugio, postea iucundius Antonio Vindocinensi enupta est. At Imperator Clivensi perdomito, validum exercitum vltrà ducens, simul Landresium & Guisam impugnat. Agebat Lucemburgi Franciscus festum Ordinis celebrans, cùm ad id nuntium Lucemburgo mover, ad pellendum hostem. Adactus tamen copiarum partem Melfitano Principi tradere, vt Lucemburgum commeatu instrueret, ad Guisam accedit, quam premebat Ferdinandus Gonzaga. Ille Regis explorato aduentu, solutis castris Landresium petit, & Bureno impugnanti adiungit copias; quanquam non integras, Carolo Brissaco postremam aciem decerpente; à quo cæsa duo hostium millia, captique plurimi. Hinc belli moles in Landresium vnum obuertitur. Id propugnabant dicti à Rege Præfecti Landa & Dessæus, cum bis mille peditibus & cataphractis ducentis; præterea sponte in vrbem aduolauerant, ad periculi famam, Aumalius Guisij filius, Nivernensis, Rupifocaldij fratres, Dandelotius, Bressius, Crepecorius, Bonivetus, cæteríque adolescentes, nobilitate illustres. Imperatoris exercitum conflabant

Anno 1543. *In Hannoniâ bellum.*

Landresium seruatum.

De Brissac.

La Lande. Et Desse.

flabant equitum sexdecim millia, peditum duodequadraginta: in quibus decem Anglorum millia. Etenim Henricus Angliæ Rex, cum Imperatore fœdus contraxerat, in Franciſci perniciem, cum eo Franciæ regnum partitus, iratus maximè, quod ſtaret per Franciſcum, quin Scotiæ regnum vti cupiebat tutò inuaderet. Nam Iacobo Rege morte rapto, poſt octauum diem quo ipſi nata filia erat, Matthæum Stuardum Comitem Lenocenſem Rex in Scotiam miſerat, qui pupillam defenderet, viduámque in Anglorum molitiones protegeret, datis etiam ad vim repellendam ſubſidiis: quo facto, & iuſtiſſimo quidem, mutatus Henricus, ſubuertente animum cupiditate, ex amiciſſimo hoſtis, & ex infenſiſſimo fœderatus euaſerat. Extemplò quadraginta & octo machinis Landreſij murus impetitur, & recenti opere nondum coalitus, diruitur non multo negotio; ruinâ tantâ vt hebdomadâ tertiâ, totum propè oppidum deiectis munimentis ſubeunti patuerit. Nec ideo hoſtis in labem auſus conſcendere, tantus erat à propugnantibus terror, fame & ærumnis obtinere vrbem intendebat. Quippe iam deficiebat alimentum; imbres aſſidui, noctium autumnalium frigus; & indefeſſa in paucitate militum opera, continuæque vigiliæ, ſic attriuerant præſidium, vt animi robur infirmitas corporum profligatura breui videretur. Idque Cæſariani, quanquam ſuis ipſi incommodis obnoxij, conſtantiſſimè præſtolabantur. Verùm Rex de ſuorum ærumnis admonitus, ne perirent præclariſſimi viri, Farâ mouens, quæ vrbs eſt ad Oeſiam in Veromanduis, exercitum ducit verſus Landreſium. Cæſar pugnam veritus, copias quæ metatæ erant vltra Sabrim, cis euocat, vt exercitum totum Regi venienti obiiceret. Atque obverſæ in frontem copiæ, dum mutuas vires velitationibus experiuntur; altera caſtrorum parte, Admiralius & Martinus Bellaius, nouum in vrbem immittunt præſidium, commeatum important, defeſſos ſaucioſque milites tutò educunt, & ſe incolumes ad Regem recipiunt. Re patrata Franciſcus, incenſis tentoriis, ſecunda vigilia, ſe in receptum dat, & tota nocte verſus Guiſam tendit. Hoſtis deprehenſo receptu, poſtremum agmen quod Delphinus ducebat inſequitur; ſed cùm Franci frontem feroces conuerterent; hoſtis in ſua caſtra, mox deſperata vrbe, ſeceſſit in Belgium: magna Præfectorum Landæ & Deſſæi laude, qui militum animos ſua fortitudine atque concordia, in omnia ærumnarum tela muniuerant. Nec tamen ea expeditio planè inanis Cæſari fuit; qui Cameraci dum regreditur exceptus, ciuibus perſuaſit, periculum vrbi eſſe à Francia, Regémque eo conſilio occupaſſe Landreſium, vt ipſos inopinantes inuaderet; nihil eſſe tutius quam ſi arcem ad propugnandum ſe exædificarent. Perſuaſi ciues arcem ſuo ſumptu ponunt, imponúntque præſidium, cui ſtipendium pendebant; ſed quod Cæſari ſacramento deuotum, ipſius arbitrio tum arcem tum ipſam vrbem addiceret. Hyeme nihil actum, præter Melſitani & Briſſaci expeditionem, qui famâ ſui aduentus Fuſtembergium Luxemburgo imminentem in fugam egerunt; ipſi ingentis vi frigoris diuexati; cùm vinum ſcinderetur ſecuribus, & palàm ad pondus non ad menſuram veniret, regreſſi ſunt, profligata hyeme potiùs quàm hoſte.

FRANCISCVS I.

Fœdus Imperatoris cum Anglo.

La Sambre.

At

FRANCISCVS I. XX.

At dum Imperator perdomabat Cliuenſem, & in Franciam odia exerebat, Ferdinandum fratrem Solimanni armis obiecerat. Ille in Hungariam exercitum numeroſiſſimum inferens, validas vrbes Strigonium & Albam Regalem vi expugnauerat, maximámque prouinciæ partem; ſimul Ænobarbum legatum cum claſſe ad Franciſcum miſerat: Proximo anno Paulinus Baro Gardiæ, orator à Rege ad Solimannum profectus, vi fœderis impetrauerat claſſem, ad bellum Imperatori inferendum. Claſſem conflabant triremes centum & decem, biremes quadraginta; quibus acceſſerunt triremes Franciæ viginti & duæ, onerariæ naues octodecim. Calabriæ ora & Neapolitana direpta, ad Oſtiam Ænobarbus ſoluit, nullóque damno importato, Pontificiam Hetruſcam, & Liguſticam oram pertranſiens, Maſſiliam venit Franciſcus Borbonius Enguiennij Dux; ſpei amplæ iuuenis, viceſimo ætatis anno primùm delibato, præfectus, claſſi Francicæ dictus, Barbarum excepit Maſſiliæ; deuolante ad Regem Paulino, deſignaturum quem in locum arma conuertenda eſſent. Ænobarbus interea, inſpecta Regis claſſe, quam commeatus deficiebat, otiíque impatiens, indignabatur in Francorum ſocordiam, qui tempeſtiuè non inſtruxerant naues, & ne ſcirent quidem quò ferendum bellum. Tandem Paulini reditus ad expugnandam Niciam claſſem immittit; eam vrbem Rex veluti appendicem Phocenſis prouinciæ concupiſcebat, cúmque opportunius nihil occurreret, eò deſtinauerat formidandum hoſtem. Tunc enimverò quod ab condito regnone cogitatione quidem vllus affinxerat, ſpectatæ ſunt in mari Francico fœderatæ claſſes, Franci & Turcæ, turpi euocantis Regis opprobrio; cùm arceſſitus in fraternas lites hoſtis publicus; quaſi fratres lentiùs in ſe furerent, niſi Turca in incrementum iræ vocaretur. Ad Alpes Maritimas, quà terra in Mediterraneum mare porrigitur, Niciam vrbem arcémque præternauigantes inſpiciunt. Arx in ſublimi & erecta rupe poſita eſt, quæ foſſioni imperuia, & fulminantibus globis impenetrabilis, vna fame aut ignauia militum expugnari poteſt; vrbs ad radicem rupis demittitur, non quidem immunita, ſed magnis copiis repellendis impar. Et ea non multo negotio victorem deditione accepit: in arcem vis, contentio, ſtudia, omneſque claſſium erectæ machinæ. Eam propugnabat Paulus Simon, Eques Melitenſis, præfectus à Sabaudiæ Duce, qui milite & commeatu inſtructus affatim, illibatus tormentis hoſtium, defenſionem ſtrenuè & fortiter promouebat. Iámque defecerat Fœderatorum induſtria, cùm interceptis Guaſtij litteris, quibus ſpem faciebat propinqui ſubſidij, terrâ maríque ad ſernandam arcem inferendi; ſoluta obſidio eſt, frendente Ænobarbo, & incuſante Francorum ſocordiam atque mollitiem, quos in opere militari ſegnes inſpexerat, adeóque improuidos, vt globos puluerémque ſulphureum à ſe ſuóque armamentario pererent; cùm ipſi vini doliis naues referciſſent. Paulino maximè ſuccenſebat, à quo multa inania ſibi promiſſa aſſereret, & quo auctore, arma Turcica ignominiam illam incurriſſent, vt nec vnum ſcopulum expugnauerint. Venit cum claſſe Antipolin, & cùm hyems nauigationem arceret, eam Tolonij conſumpſit; rediítque appetente vere Conſtantinopolin, ſtipato in naues ingenti numero captiuorum, quos ex Calabria.

Turcica claſſis, & Nicia obſeſſa.

De la Garde.

Anno 1544.

bria Liparæisque insulis legerat. Isque fuit fœderis barbarici fructus; sumptus plurimi, iactura famæ & gloriæ, ignominia nominis Christiani, & calamitosissima vincula innocentium plurima. Guastius interea exercitum quem Niciam duxerat, in Subalpinos reuexerat, sensu victoriæ & prosperitatis afflatu, in spes summas elatus, statimque Monteuicum in Saluisiis obsidet. Drossius Pedemontanus nobilis Heluetio præsidio tuebatur oppidum, quod muris vi bombardarum euersis apertum, facit deditionem; Drossio per posticum hosti elabente; móxque Heluetiis contra pacta spoliatis ab Hispano victore, & aliquot eorum occisis; quæ iniuria non impunè inferentibus erit. Buterius qui pro Rege administrabat prouinciam, cùm militum inopia premeretur, secesserat Pinerolium, iussérátque Aussunum & Vimarcatum tantisper Cariniani subsistere, dum munimenta euerterent, à Langæo incepta necdum absoluta; cùm enim oppidum retinere præ infirmitate non posset, illud cupiebat infructuosum hosti efficere. Sed gnarus eius consilij Guastius magnâ celeritate promotis copiis, recedentes Francos assequutus, postremum agmen disiicit, Aussunum capit strenuè pugnantem; tum Cariniani munimenta per otium renouat perficítque. Ea in vrbe spes Francorum vltima expirabat; nam illa Cispadanum Pedemontium iugo immisso premebat, & vrbibus quæ trans Padum erant, eripiebat spem modúmque subsidij. Ea inter Buterio nouem hominum millia Rex submittit, Francorum quatuor, Gruyerorum quinque; ij admoti Heluetiis ad Losannam & Lemanum lacum, corporum potiùs quàm animorum robore vicinis sunt similes. Et iis fretus Buterius quædam in hostem tentauerat; verùm cùm à cæteris Ducibus obsequium ægrè impetraret, Rex Enguiennium Principem, adolescentem quem dixi, ad regendos Subalpinos mittit.

FRANCISCVS I. Montdeuis. Gruyers.

XVI. *Pugna ad Cariolam.*

Statim Enguiennius animaduertit totam belli molem in Cariniano versari, séque ad eius expugnationem accingit. Enimverò cùm munitissimum esset, & quatuor mille selecti milites, bello exercitatissimi, id propugnarent; castellis circum opportunis locis erectis; tentat famem eiúsque incommoda in obuallatam vrbem inducere. Guastius perspecto consilio, militem colligit, reuocat quatuor Germanorum millia, quos Genuam nauigaturos in Neapolitanum regnum, dimiserat, pugnâ ad pellendos Cariniano hostes deliberatâ. Similiter Enguiennius ad necessitatem pugnæ adactus, cùm eam sine permissu Regis nequiret conferere, Monlucium peditum Centurionem ad Regem mittit, qui facultatem pugnandi exoret; ac pecuniam ad stipendium militum, quo non persoluto pugnam detrectarent. Re vocata in consilium, pleríque calculi prælium damnabant; *nihil alea in tanto periculo permittendum; Imperatorem & Regem Anglia vires colligere ad Franciam opprimendam, parcendum interea viribus, ij vt repellantur; nec exhauriri eas missione sanguinis oportere; bellum Enguiennius pro facultate sustineat, hosti moras atque obices nectat; sat proximo Vere in ipsa Francia periculorum fore & præliorum.* Ad eam sententiam cùm Rex ipse accederet, Monlucius audientiam postulat, & militari oratione vir confidentis & fortissimi animi, pugnæ necessitatem tam accuratè & appositè exscribit, vt Rex & ipse militaris omninò indolis, mutatâ sententiâ præliandi fecerit

FRANCISCVS I.

S. André. Dampierre. D'Assier. La Hunandaye.

potestatem; & aliquando in consiliis quidam arcanus indolis impetus præpollet prudentiæ; animúsque rapitur, quò agit ventus, non quò ducit clavus. Extemplò ad famam prælij, nobiles adolescentes ex aulæ deliciis, incitatis equis ad Enguiennium advolant; Iacobus Albo Santandreanus, Dampetrius è Claromontana illustri familia, Ambo Delphino charissimi; Iarnacus, Gaspar Colinius, Franciscus Vindocinensis, Vidamus Carnutensis, Boniveti fratres, Asserius tormentorum præfecti filius; Hunandayus Admiralij Annebaldi filius; Rupefortius, Lusarcus, Bordilio; alijque plures, quibus pugnæ copia, pro iucundissimo otio, & exquisita voluptate erat. Nobilium aduentus inflammauit militum animos, imò pecuniâ recreauit; cùm enim ad stipendium regia non tam celeriter deferretur, benignè de suo Prætori largiti sunt, quod externis numeraretur. Verùm cùm ex ærario paucos admodùm nummos Bellaius vexisset, industriâ supplendum penuriæ fuit; & iam hoste admoto lustratus est sub vexillis miles, ac promissum in crastinum diem stipendium, quo consertum est prælium; & victus hostis pro pecunia fuit. Illucebat Aprilis dies decimus quintus, alter à solemni Paschatis festo, cùm Guastius exercitu ad pugnam instructo, decem millibus hominum Francis superior, Cerisolâ ad occupandum collem progreditur. Erat collis medius Cerisolam inter & Carmagnolam, occupanti commodus ad pugnæ momentum; eúmque vt insi-

Anno 1544.

deret manè, similiter Carmagnolam prodierat Enguiennius tripartito exercitu; primum agmen ducente Buterio, qui ad famam pugnæ domo se in castra receperat; alterum ipso Enguiennio, tertium Dampetro. Hosti pariter agmen tergeminum erat; primum agebat princeps Salernitanus, secundum Guastius cum Alipando Madrucio, tertium Lanoius Princeps Sulmonensis. Ac cùm eam pugnam sua quisque ratione plures descripserint, ego ea seligam in quibus singuli propè conueniunt. Et quidem collem cùm Hispani primi occupassent, nec sine damno, tam opportuno loco inuadi possent; Monlucio assignati sunt Sclopetarij octingenti, qui velitationem instituerent; & eam acerrimam quinque horis continuis produxerunt; donec Guastius numero quo præpollebat confisus, iussit militem in planum agrum exscendere, præliúmque incipere. Verùm sepositi Salernitanum cum decem Italorum millibus, & Florentinos equites septingentos, vetuítque ne iniussu suo pugnam inirent. Immissum illicò Hispanorum agmen in Vascones: ij Germanis misti, totius exercitus robur, à Tunetano bello indurati, pro Vasconibus aggressi Gruyerios, gentem timidam atque imbellem, haud ardua opera in fugam agunt, cæsis qui obverterant frontem Centurionibus; tum in proximos Italos effusi, haud ægriùs eos sternunt ac profligant. Eam tamen palmam absque iactura non confecerant; quippe Enguiennius cum cataphractis vt Gruyerios confirmaret, in Hispanos invectus, perruperat eorum ordines & vexilla deiecerat; & simul Dampetrus Sulmonensem aggressus Principem, equitatum eius euerterat. Nihilominus vincebant Hispani pedites, & Enguiennius in desperationem actus, cùm collis interpositus alterum agmen occuleret, ratus suas passim copias profligatas, semel ensem gutturi suo admouerat,

admouerat, sibi vt funestam vitam eriperet; móxque saniori consilio in medios hostes tentabat irrumpere, vt aliena manu periret honestiùs; cùm repentè sociorum victoriâ ad suam palmam evehitur. Nam in cornu altero decem Germanorum millia à Madrucio in Helvetios Vasconésque ducta, pugnabant strenuè, victi tandem, tribus potissimùm de causis, quæ obseruandæ, quoniam in eorum victoria tota pugnæ ratio constitit. Primùm Taisius peditum summus præfectus, cùm Vascones seiungeret ab Helvetiis, eosque in Salernitanum agmen induceret, monitus est à Bellaio, sive à Monlucio, & ab vtroque vt quidem opinor, ne Helvetios desereret, qui soli aut non pugnassent, aut profligati faciliùs essent; præterea Salernitani necessariò in dimicationem acti essent, à qua iussu Guastij abstinuerunt. Tum Termæus in equites Florentinos suam turmam impulit, ac tametsi ab iis captus sit, equo suffosso, tamen sic agmen totum perfregerat atque contriuerat, vt id Germanos nullo subsidio iuuerit. Postremò Buterius in eosdem Germanos per latera suos equites immisit, dimicánsque fortiter perrupit tandem atque prosicidit. Guastius eorum cædem cùm prospectaret, nescirétque pariter quid in altero cornu euenisset, existimans se vbique victum, & Salernitani immemor prorsus, cum octingentis equitibus se in fugam genu saucius dedit. Nec Salernitanus degustauit prælium, integram aciem illibatus recipiens. Vascones interim atque Helvetij postquam Germanos insequuti erant, conuertebantur ad alterum cornu; cùm Hispani victores admoniti de Germanorum fuga, consulebant receptui, & Enguiennius cupiditate mortis flagrabat; at in eos infunditur tum equitatus tum peditatus, eripiúntque victoriam: tunc Hispani circumfusis hostibus intercepti, proiectis hastis, se equitibus dedunt; inclamantes misericordiam; & immunes excipiebantur à Francis, cum Helvetij furore perciti, memorésque cladis quam ad Mondevicum popularibus suis Hispani intulerant, in eos ferro irruunt; & Mondevicum ingeminantes; pleroſque obtruncant, è Francorum manibus rapientes, & vindictæ litantes. Eâ pugnâ cæsâ hostium dicuntur quindecim millia, Francorum ducenti pedites, equites octoginta. In iis Assierus ex plagis obiit, capti ex hostibus Madrucius, Raimundus Cardona, Mendosa, Carolus Gonzaga; præda ingens, argentum factum, omnia impedimenta; commeatus omnis, quem Cariniano destinauerat Guastius, & reperta manicarum ex ferro quatuor millia, quas Guastius ad vincendos Francos apparauerat, mittendos in triremes; accedente ad confidentiam viri crudelitate, quasi bellum crimen & victoria supplicium foret. Erat illi animus si vicisset, penetrare in Franciam, & Lugdunum intuadere, simul cùm Imperator & Angliæ Rex irrumperent; & vrbe occupata, quam vni cives propugnare haud poterant; Aratis Rhodanique beneficio, in proximas provincias dominari. Enguiennius haud multò post Carinianum recepit; Albam, aliásque vrbes in Pedemontio, terrorique erat Insubribus, cùm repetitis à Rege copiis, ceu resectis alis, volatu abstinuit, fuóque nidulo se conclusit: & erat Regi militum magna penuria atque necessitas, gemino hoste, formidabili apparatu in provincias suas perrumpente.

FRANCISCVS I.

Termes.

FRANCISCVS I. XVII.

Imperator in Luxemburgũ irrumpit ; mox in Campaniam.

Etenim per hyemem cum Imperator habuisset Germanorum comitia, Regem peracerbè accusauerat, quasi caput & fontem omnium calamitatum, quæ Germaniam inuaserant; ipsum cum Turca fœdus pepigisse; excitum hostem publicum tum in Hungariam, tum in Prouinciam; per eundem Regem interturbari Concilium, vetarique ne de religione sanciretur; quæ inculcando ita Germanos Proceres inflammauit Cæsar, vt ij reiectis Oratoribus, quos in comitia Franciscus mittebat, statuerint pecuniam publicam ad promouendum bellum in Regem; parúmque abfuerit quin eum dixerint hostem Imperij. A Germania tutus Imperator, Anglum impulerat, qui amplum exercitum inuecturus in Franciam, in perniciem Regis iurauerat; & verò Francica res subibat ingens periculum, si hostes eodem animo atque concordia gessissent bellum, quo ceperant. Nam deliberauerant rectà Parisios se conferre, perturbatam ciuitatem capere, atque in ea vniuersum regnum erciscere atque diuidere. Ego singulos persequar, quanquam vno tempore arma induxerint, ne fortè lectorem nimiâ rerum turbâ impediam. Cæsarei exercitus partem Fustembergius primùm, mox Gonzaga cum cæteris, in Luxemburgios ducit; vrbémque primariam Lucemburgum obsidet, quæ ciborum penuriâ deditionem impetrat; dimisso cum impedimentis præsidio; & quadraginta tormentis victori traditis. Sic inane illud Francisci gloriæ monumentum primo impetu captum atque euersum est. Mox capto Commercio, quod ad Mosam Castrum est; Liniacum Barium Cæsariani obuallant. Eam vrbem Briennij fratres defendendam acceperant, & quanquam obnoxiam geminis montibus, qui ipsi imminerent, propugnandam tamen promiserant fratres, maiore audacia quàm prudentia: nam illicò muris latè apertis postulant deditionem, quâ nondum confectâ, per oppositam portam hostis irrumpit, capítque oppidum, incruentâ victoriâ, Francis in captiuitatem adductis. Regem perculit improuisa deditio, coactis nondum in exercitum copiis. Attamen quæ promptæ erant Delphino tradit & fratri Aurelianensi, Annebaldo consiliis præfecto, deducendas ad Matronam amnem, & fluuio tectas Cæsari obiiciendas. In iis erant decem millia Heluetiorum, quæ fortis illa gens Regi in subsidium miserat, quanquam à Germanis comitiis de abrumpendo fœdere appellata; respondérátque *se non tam facilè odia aut amicitias ponere.* Tum Rex vt Campaniam tegeret, Ducem Niuernensem Catalaunum cum milite immittit; Comitem Sancerram in oppidum Sandesirium; adiunctis Riuiero & Landa, præclarissimo illo duce qui Landresio Cæsarem depulerat. In castra Cæsar venerat, comitantibus Mauricio Saxone, Alberto Brandeburgio, & Renato Orangio Nassauij filio; rebatúrque oppidum cæterorum instar quæ cepisset continuò expugnandum. Sed hactenus in muros & munimenta nondum in viros pugnauerat, toto mense certatum est ad machinas vrbi admouendas; quibus tandem admotis, cùm muri ruinâ ingenti paterent, Hispani primi omnium faciunt impressionem, succedunt Itali, postremò Germani, cuncti vigilantia & fortitudine Landæ ac Francorum repulsi tam strenuè, vt cæsis suorum millibus, Cæsar ab vi ad obsidium lentum deflexerit. Carpe-

Ligny en Barrois.

bant

bant interea exercitum Cæsaris, & pabula intercipiebant, Niuernensis Catalauno erumpens, Stenæo Aumalius, & Vitriaco Brissacus. Hic præcipuè cùm permoleſtus hosti interpellaret quietem, & erat Vitriacum Sandesitium inter & Catalaunum, bis mille peditibus & quingentis equitibus oppidum tenens, graui admodum clade affectus est. Franciscus Estensis Cæsariani equitatus Legatus, adiuncto Fustembergio, ductisque octo Germanorum millibus, Brissacum imparem viribus, vltrà Matronam amnem depellit, pedites ad ripam amnis interceptos cædit, captóque Vitriaco iniicit flammas; Brissacus cum equitatu Catalauno exceptus est. Vrbem interim premebat penuria tum sulphurei pulueris, tum alimentorum; & Landæ mors animos militum deiiciebat. Vir fortissimus, dum nocturnis defessus vigiliis se in cubiculum recipit, tormenti globo fortè & temerè emisso, peruadente in cubiculum, auulso capite, cæditur, & eodem die fatóque simili, Renatus Orangius, charissimus Cæsari, in castris, pilâ maioris machinæ, occidit. Iam vtrique exhauriebant constantiam, tam qui defenderent quam qui oppugnarent, cùm interceptæ à Guisio litteræ, vtrisque fecit satis, existimatione incolumi. Arcanæ notæ quibus Guisius suas litteras ad Sancerram Præfectum vrbis perscribebat, fortè delatæ ad Cæsarem (quamuis alij à Stampensi Ducissa submissas affirment) & opportunitas confingendæ Epistolæ, Cæsarem in consilium nouum impellunt. Scribit ad Præfectum nomine Guisij, vt deditionem conficeret, Regem ad mittendam opem nondum instructum, ipsi sat fore si miles incolumis educatur. Litteris lectis, Sancerra, cùm ad extremam penuriam ventum esset, haud quaquam discussis an veræ essent, quippe veras credi expediebat, fecit deditionem ampliſſimis conditionibus. Tum Cæsar Anglum appellat, vt iunctis armis quod inter se statuerant, simul Lutetiam versus se conferrent; Anglus excusat quod obsessâ Bononiâ nequiret abscedere; Cæsarem iam plura oppida expugnasse, vbi & ipse aliquot ceperit, tunc reliqua fœderis pacta impleturum. At Cæsari iam magnam partem attritus erat exercitus, multi Hispanorum cæsi, Germanorum dilapsi haud pauci; contra Regius augebatur in dies, integer adhuc recénsque virium. Ergo in pacem pronus, Anglo assentiente, vt de ea priuatim ageret, clam sermonem de abdicando bello insinuat, per Gusmanum Hispanum nobilem, è Dominicana familia Monachum, qui Lutetiæ addicebat operam studiis. Et in Regis consilio diuersæ proponebantur sententiæ.

FRANCISCVS I.

Brissaci clades.

XVIII.

Pax Crespiacensis.

Aulam regiam duæ factiones distrahebant admodùm, & à bono publico auertebant; & eæ quidem non à Principibus ortu aut potestate viris concitatæ, sed à duabus fœminis æmulatione formæ & ambitione certantibus. Ducissa Stampensis Regis dudum potens, clauum moderabatur, cùm Diana Pictauiensis exurgit: illa Sanualerio patri, vni ex Borbonij familiaribus, & consiliorũ in Regem conscio, cõmendata dignitate formæ, exorauerat veniam; & pro morte certissima impetrauerat vitam; mox nupta Ludouico Brezæo Senescallo Normanniæ, in aula versata frequentiùs quãquam iuuentutis flore emarcido, Delphinum ingenio illecebríq; instructissima mulier ita deuinxerat atq; adstrinxerat, vt ad suos nutus Principis animum gratiám-

Diana Pictauiensis.

FRANCIS-CVS I.

que quà liberet conuerterent. Enata extemplò eam inter & Stampensem æmulatio, discordiam primùm, mox odium parit; quippe Stampensis Pictauiensi & ætate suppar, & forma præstantior, & potestatis vsu stabilito, sibi æmulam nasci æquo animo ferre haud poterat. Attamen cum eam Delphino niti animaduerteret, pluréisque orientem Solem quam cadentem respicere, sibi etiam nouum paratura fulcrum, & annorum robore duraturum, ad Aurelianensem accesserat; generosissimum iuuenem, & in vulgus nobilitati percarum. Nec eam discordiam nesciebat Cæsar, perspicacissimus Principum, linceisque oculis in æmulorum mentes pervadens, qui eam vt aleret, in pacis conditionibus Aurelianensi filiam in coniugem offerebat, datis in dotem Flandris aut Insubribus, qua spe Aurelianensem atque ipsam Stampensem sic allexerat & conciliauerat, vt ab ea certior in dies fieret, de iis quæ in Regis consilio statuerentur; nec existimabat fœmina se proditionis noxam contrahere, quæ Regij adolescentis vtilitatibus impensè studeret; erátque Longavallius, pravo quidem ipse & corrupto animo, interpres & conscius omnium quæ Cæsari ambitiosa fœmina nuntiaret. Cæsar nihilominus dum de pace agitur, quoniam magnam alimentorum patiebatur inopiam, vltra progressus ad ripam exteriorem Matronæ, victum potiùs militi quàm victoriani comparans, penitùs in Franciam se abdebat. Ad amnem interiorem incedebat Regis exercitus, vno alveo tantas copias & incensa odia dirimente; at sclopetorum pilis, & militaribus iocis, lacessiti inuicem, cùm Hispani Francis Perpinianum obiicerent, illi Hispanis Carinianum reponerent: sed Cæsarem propè omnia iam deficiebant, & ad inopiam adductus exercitus, ad necessitatem cuiuscunque pacis agebatur; cùm Stampensi clam per Longavallium exponente, accipit Epernaij magnam alimentorum copiam asservari, immunitum oppidum ponte incustodito posse adiri. Sanè Delphinus pontem everti insserat, commeatum Epernaio asportari, ac corrumpi quæ deferri non possent; sed mandata in diem tertium Stampensis industria prolatata erant, intra quem Epernaium Imperator capit, & languentem militem ope commoda subleuat. At commeatu longè opulentiore idem instructus est, postquam eiusdem consilio fœminæ, Theodorici castrum occupauit, Parisiisque admotus propiùs, trepidationem in immensam vrbem immisit. Excurrebat hostis Meldas vsque, tantúsque terror Parisienses inuaserat, vt de fuga vna solliciti, cætera omnia, dignitates, honorem, domesticos Lares, Regem & patriam, flocci habuerint. Tota ciuitate ad exportandas fœminas festinabatur; Sequana linuribus, viæ curribus sternebantur; fervebat maximè quâ Aurelium itur, in subita trepidatione peribant plura quàm asportabantur; ipsa etiam salus atque incolumitas vitæ, cui fuga consuleret, in discrimen maius vocabatur; grassatoribus vias obsidentibus, & diripientibus quæ domi fuissent tuta & integra; adeò cæcus timor est, & plebeis exceptus animis, præceps in miserias ruit quas cauebat. Rex vt eum metum discuteret, Cardinalem Meudonium, Ducémque Guisium Parisios miserat; sed iis vera incassum afferentibus, cùm metui tam aures quam oculi desint; Rex ipse intra vrbem

Chateau-Thiery.

Meudon.

vrbem subiit, iusso Delphino ad eam exercitum admovere, & malum seueritate compescere tandem oportuit, promulgato edicto, quo absentes nisi seresti tuerent vrbi, dignitatibus & facultatibus, addicendis in fiscum, spoliabantur. Ea inter intrebruerant de pace colloquia, discordiâ inter Cæsarianos milites ortâ, ob Hispanæ gentis cum Germana æmulationem; ac tametsi Delphino pax admodùm iniucunda esset, sive quod Princeps artem Cæsaris mentémque intimam perspexisset, siue generositate regiæ indolis, pugnam appeteret, Cæsaríque inuadenti alienum, rependere talionem vellet, sive tectâ in fratrem inuidiâ, quem augeri tanta ditione expedire regno haud censeret; tamen qui prudentia pollebant, reuocatis in memoriam pugnis, Creciaca & Pictauiensi, abhorrebant à decretorio prælio, quo Carolus amitteret vnum exercitum, Rex totam Franciam in discrimen certum coniiceret: maximè cùm Anglus integer, victori etiam formidandus. Itaque cùm Imperator per Valesios ad Suessionenses tenderet, Gusmano Monacho commeante, actum de pace seriò, & pacta assentiente Rege constituta. Crespiaci in Valesiis agebat Cæsar, dum ab ipso Legati Gonzaga & Nicolaus Granvella Cancellarius; ab Rege Annebaldus, Nullius supplicum libellorum Magister, & Baiardus Amanuensis sanctioris Concilij, in eas leges conueniunt, quas sagacissimus Princeps Carolus insinuabat, ponebátque retia quibus solerter se expediebat, æmulum Regem incautum nimisque credulum implicabat. Per eas sancitum, vt intra biennium Carolo Aurelianensi Imperator filiam suam in coniugem daret, cùm Belgio, aut neptem ex Ferdinando fratre cum Mediolanensibus; adiunctæ plures conditiones alterutro coniugum præmoriente; deinde vrbes post Nicense colloquium captæ, restituerentur; quod iniquum planè Regi erat, restituenti plus viginti oppidis; & ab Imperatore nullum præter Sandesirium accipienti: Tum Rex in Turcam militem suo sumptu scriberet alerétque. Promulgata pace, Bruxellas profectus est Imperator, comitantibus Aurelianensi, Cardinalibus Lotharingo atque Meudonio, & Hunaldayo; iisdemque obsidibus, dum vltro citróque tum in Campania tum in Subalpinis vrbes redderentur, quod & patratum est, Cæsaris magno compendio, & gaudente Francia, quod iactura leui periculum ingens & maiorem metum redemisset. FRANCISCVS I. Crespy. Anno 1544.

XIX. *Anglus capit Bononiam.*

Verùm excusso Imperatore, superat adhuc Franciæ quod profligaret. Etenim Henricus Rex Angliæ ex pacto cum Cæsare inito, exercitum duxerat, obsidebátque Bononiam. Convenerant Principes vt Parisios rectà contenderent; sed cùm Cæsar Lucemburgum aliáque oppida caperet, & ex communi bello priuatum fructum decerperet; Henricus similiter vrbes aggressus est, Monstrolium & Bononiam, suam ipse rem promoturus fœderati exemplo. Erant quidem auctores ipsi quàm plurimi, vt in Normanniam primùm exscenderet, maiorum patrimonium, inanem viribus arcibúsque prouinciam; abductum Regem ad Campaniæ limites ad repellendum Imperatorem, imitandum Henricum V. qui per occupatam Normanniam, ad vniuersam Franciam gradum posuerat. Et verò nihil regno perniciosius obvenisset. Attamen Picardia & ipsa nuda milite admotáque

FRANCISCVS I.

motáque Caleto hostem exciuit. Igitur postquam Henricus in eam vrbem applicuit, cum triginta hominum millibus, excepítque ab Imperatore tria equitum millia, ac decem peditum; quos Comites Roësius ac Burenus adduxerant; Norfolcium ducem ad Monstrolium obsidendum mittit, ipse vallo Bononiam claudit. Biezius Marescallus Picardiæ pro Vindocinensi Legatus, & Præfectus Bononiæ, in eam Veruinum generum iam immiserat, ipse Monstrolium, quod infirmius oppidum erat se recipit. Ac trimestri spatio quo Imperator percurrebat Franciam, oppugnandis vrbibus Anglus intenderat, præsertim Bononiæ, quam patientiâ potiùs quàm armis vrgebat. Nec Vindocinensis tranquillè ipsum sinebat agere, castra perpetuis incursionibus vexans, quanquam rato milite, & abductis in exercitum regium copiis. Deinde cùm Crepiaci de pace agebant Principes, legauerant ad Henricum Cardinalem Bellaium, vti & ipse in fœdus veniret: ille cunctatione responsum differens, postquam Veruinum timere perspexit, vt metum augeret, aliquot impressiones in murum instituit; quæ repulsæ haud ægrè, Philippi Corsi Centurionis strenuitate, attamen Veruini animum expugnabant. Quippe ille, Corso dum propugnat murum interempto, prohiberi non potuit, quin de tradenda vrbe transigeret. Bononienses recipiebant se vrbem suis corporibus tuituros; certò nuntiatur, Delphinum cum exercitu in via agere, & intra triduum futurum vrbi auxilio; vis ingens imbrium ita solum diluerat, vt instituere aggressionem hostis non posset; at eos obices perrumpebat timor, nihilque Veruinum dimouere potuit quin per summam ignominiam vrbem dederet. Extemplò Anglus ciues cunctos eiicit, inducítque nouam Anglorum Coloniam. Et verò Delphinus sancita pace cum Cæsare, exercitum in Picardiam ducebat, cuius famâ Norfolcius territus, soluta obsidione Monstrolij, se ad Henricum receperat qui captâ Bononiâ, & munitâ præsidio, Caletum secedit. At Delphinus properanter inuectus, ne inanis celeritas foret, ex Tribunorum consilio, Bononiam inferiorem aggreditur; in eam nullo muro cinctam, arcta fossa duntaxat munitam, Angli tormenta & militarem apparatum omnem coniecerant. Franci in duo agmina distributi in eam perpetuadunt; primum ducit Fouquerolius alter Biezij gener, postremum Taisius, primóque impetu Anglos cædunt, ac commeatum diripiunt. Verùm Seymerus Sommersetæ Dux ex vrbe superiore, inferioris calamitate perspecta; nec dubius quin victores vna prædæ cupiditas raperet, seligit cohortes aliquot, eásque agit in prædantes Francos, qui perculsi improuiso hoste, partim cæduntur, partim in fugam mandantur, occiso Fouquerolio, & Taisio saucio, neque amplius redintegrari prælium potuit, cúmque Delphino nec machinæ essent, nec cibaria, regrediendum fuit, conatu inani, & Biezio Monstrolij hærente, vt Angli consiliis inuigilaret.

De Biez.

Fouquerolles.

XX. Proxima hyeme de pace aliquoties actum, quæ ad Bononiam ceu ad scopulum impacta; eam enim vrbem Anglus retinebat, Francus reposcebat; ad instaurandum bellum decursum est. Franciscus duos exercitus potentissimos terrâ marique instruit. In classe spes maxima certissimáque fiducia,

Belli cũ Anglo renouati.

quam

quam Admiralius regeret. Eam conflabant centum quinquaginta ampliora nauigia, minora sexaginta; triremes viginti quinque, à Paulino Gardia per fretum Gaditanum in Oceanum vectæ, & duodecim onerariæ Genuenses; nauésque conuenerant in Portum Gratiæ, ad Sequanæ ostium Rex ad spectandam classem aduenerat, lustrabátque pompam potentiæ suæ, cùm inopinato casu, obit oculis subitam calamitatem. In naui prætoria aulicis fœminis præbiturus epulum, in eam toto Oceano maximam, pulcherrimam & validissimam coquos immiserat; qui dum temerè dant operam in sentina, & tumultu solito epulas instruunt, ignem primùm in tabulatum, mox in puluerís armamentarium immitunt; quo in flammas statim acta nauis; dein pilas eiaculantibus tormentis (& quidem centum eam armabant,) & in frusta discerpta; tum ipsa miserè conflagrauit, tum proximas naues lacerauit pilis atque perfregit. Siniſtro omine nauigans classis, cùm ad Vectim insulam applicasset, nullum operæ pretium dignum sumptibus fecit. Nam cùm Anglicam in certamen elicere frustra tentasset, & Angliæ oram diripuisset, maiore tumultu quàm damno, reuocata est in Normanniam, dimissisque in Mediterraneum mare triremibus, quasi spiritu & viribus destituta, in anchoris hæsit. Vnà cum classe terrestres instruxerat copias, ex millibus militum triginta quatuor, quibus Biezium Marescallum præfecerat; eúmque iusserat ad Bononiam castrum erigere, quo excipi possent quinque hominum millia; ad claudendam vrbem; simúlque vt portus ostium castri tormentis obnoxium opitulantes Anglos non exciperet sine detrimento. Sed Biezius, vt creditum est, prorogandi belli cupidior, quo in Principes vsurpabat imperium, castrum incommodo loco erexerat, quo portus à tormentorum ictibus planè immunis, támque arcto spatio castrum designauerat, vt quingentos duntaxat homines caperet. Vnde nouum fossis oppletis instaurandum fuit. Præterea sparso rumore venturos Anglos vt Bononiam commeatu instruerent, occursurus ipsis Biezius, Tribunis repugnantibus, exercitum ab vrbe abduxit; & in Lamberto monte consedit. Quo in loco cùm crebris velitationibus Francos Angli, inuicémque lacessérent, vulnus atrox illatum est, omnibus Historicorum scripris celebratum. Franciscus Aumalius Guisij filius cùm in hostem rueret, lanceæ Anglicæ ferro in vultu læsus est; idque adactum inter nasum & oculum dextrum, cùm oblongum esset, nec admodùm crassum, per ipsum caput in occipitium penetrauit, & posteriore galeæ parte perfossa infringitur, hærétque in capite. Nec ideò saucius, quod incredibile videatur, viribus aut animo deficit, sed strenuè se ab hoste eripiens, in castra regreditur, curatus postea sanatúsque, Medicorum in cura desperantium admiribilitate quam maxima. Isque Franciscus est, qui pro patria deinceps & religione fortissimus, fidem miraculo quo seruatus est facier. Sic eo & sequenti anno bellum patratum est, gestúmque velitationibus plurimis, nulla pugna. Attamen Bononiam Angli retinebant; ac tametsi Theobaldus Roualtus castrum erectum propugnasset eximiè, repulsis Anglis qui ex vrbe proruperant; Biezius vno alteróque leuiori prælio Anglos fudisset, magnâ strage

FRANCISCVS I.

Haure de Grace.

Nauis flagrans.

De Rouant.

FRANCISCVS I. Comitée d'Oye. Pax cum Anglo. Anno 1546.

cditâ ; & Franci agrum Oium opportunum Anglis pervastassent ; imò Bononiense præsidium pestis atrox demeteret ; tamen bellum procedebat , & incendebantur certatim animi. Sed eius diuturnitas demùm pacem peperit. Anglum tantæ impensæ tædere cœptum est , iámque exhausto ærario , & subditis tributum novum negantibus , de pace agi prono animo Henricus assentitur ; & Legati conueniunt , Annebaldus cum Raimondo præside Rothomagensi ab Francisco ; ab Henrico Dudlæus Admiralius , & Pagetus arcanorum Amanuensis. Sancita pacta , vt Henrico dum viueret in pensionem annuam aureorum millia nonaginta quinque soluerentur ; octauo post anno ipsi aut hæredi , auri vicies centena millia penderentur ; tum ob priora debita nondum persoluta , tum ob præsentis belli impensas ; ísque Francisco Bononiam , castra noua & vetera tormenta , omnémque commeatum , bona fide traderet. Iurata est pax magnâ vtriusque gentis lætitiâ. Sed retenta Bononia , dum pecunia soluitur. Sic Francisco ab tantis ærumnis conquiescere licuit , indultúmque spatium ad futuram vitam cogitandam , ad quam ereptus est anno consequenti.

XXI. *Regis mors post aliorum funera.*

Sed ipsius fato morte plurium est prælusum. Primùm Carolus Aurelianensis , charissimus filius , indolis & virtutis commendatione *illustri*, febri extinctus est , simúlque spes occidit amplissimi matrimonij. Dein morbo occubuerunt Antonius Dux Lotharingiæ , Franciscus *Sampaulius* comes , frater Vindocinensis , & Enguiennius acerbissimo casu ; nam cum niveis globulis adolescentes aulici decertarent ; vnis domum propugnantibus , expugnantibus aliis , cùm propugnantibus deficerent globuli , quidam eorum per fenestram arcam proiecit , qua Enguiennio sauciatum est caput , & erepta postmodùm anima. Sed nullius fato tam vehementer Franciscus commotus est , quam Henrici Angliæ Regis ; erant ætate propemodùm pares , studiis iisdem , rebus , & bellis ab ætate prima instituti , ipsiúsque mortem sibi dictum vadimonium reputans , exclamabat crebriùs , *Frater natu maior discessit.* Et antea præclaram & forsitan necessariam occasionem belli dimiserat. Aurelianensi emortuo nutabat fœdus Crespiacum , fulcro euerso , nouúmque constitui haud dubiè oportebat ; eam in rem Oratores , ad Cæsarem , Annebaldum Admiralium & Franciscum Oliverium Cancellarium miserat ; qui responsi nihil retulerant , præter eas voces ; *Cæsarem nisi prouocetur , cum Rege illibatam pacem habiturum.* Sanè illum ingenti gaudio mors Aurelianensis affecerat , & promissi nexum supra votum exoluerat ; nec enim vlla conditione Belgium aut Insubres abalienasset. In præsentia in Protestantes Germanos bellum coquebat atque apparabat , erátque patrandi opportunitas maxima ; eò longè maior , quod in opem Franciscus imploratus à Protestantibus , eam pernegauit , pace excusata , quam contraxerat nuper. Nam Cardinalis Turnonij sententia in gratiam religionis obtinuit. *Pro fama & existimatione Regis contendebat ; fidem omnibus factam , Cæsarem pietatis causa bellum inferre , Pontificem fœderatum & in partem sumptus vocatum ; quid Cæsar , quid Pontifex , quid Orthodoxi Principes dicerent ; si Francia Rex Christianissimus pacem nuper iuratam infringeret , vt rebelles atque hæreticos , aduersus Imperatorem*

peratorem ipsumque Catholicum prepugnaret, ignominiâ Turcici fœderis nondum abstersâ. Ad ea accedebat Franciſci morbus iam ingraueſcens, & præ- FRANCIS-
nuntius futuri obitûs. Recrudeſcebat malignum vlcus, anum inter & CVS I.
veſicam enatum, anno antè octauo, quod Medicorum sævâ indulgentiâ curatum mollius, vltra ſerpebat, æſtu intolerabili concitato, mox febri correptus, lecto decubuit, ſéque ad mortem proximam Rambulleti Chriſtiano ritu comparauit. Noxis expiatis Sacramento Pœnitentiæ, fidem palam profeſſus, & qui ſpectabant adhortatus ad eam inconcuſsè ſeruandam, prouolutus in genua, magna animi demiſſione, & delictorum veniam à Deo poſtulat; tum victimâ paſtus ſacroſanctâ, præclaras Delphino admonitiones inſinuat; donec aucta vi morbi, in IESV nomine pronuntiando animam emiſit, vitæ anno quinquageſimo tertio. Verè quid- Anno 1547.
quid inuidia obgannierit, Magnus. Conformatio corporis maieſtáſque *Franciſci*
oris depingebant Regem; mens pulchriot in pulcherrimo corpore hoſ- *dotes.*
pitabatur; celeres animi motus, ad ſcientiarum arcana ſua luce peruadens, ampliſſima omnium rerum memoria quam nihil fugeret: Latinæ linguæ rudimenta vix delibauerat; ſed vi ingenij, & doctorum conſuetudine, artes omnes & doctrinas exhauſerat. Præclarus eloquentiâ naturali, Philoſophiâ, Aſtronomiâ, Coſmographiâ, atque Poëticâ; doctarum Artium mentem vt ita dicam, intimúmque animum penetrauerat; Muſicæ, Architectonicæ, Picturæ, & Statuariæ ſupra artifices ipſos peritus. Nec virtutes Regias in priuatis deſideraueris: nam erant in eo robur animi excelſiſſimum, inexpugnabilis fortitudo, aperta ingenuitas, inuiolabilis fides, inexhauſta liberalitas, magnificentia Regia, clementia facilis, humanitas ſumma, ſincerus pietatis & religionis cultus; quæque propria eius virtus, in aduerſis conſtantia, quæ proſperorum vitia nævóſque expungeret. Námque vt fatear præclariſſimum Regem ſuis nævis contactum, quos in decurſu rerum ex hiſtoriæ fide adſcripſi; attamen vti egregiè obſeruat Mezeræus, à nemine minus quàm à litterato, ſuæ noxæ Franciſco obiiciendæ ſunt, qui litteras tanto ſtudio adamauit & coluit, vt meritiſſimo iure, litterarum pater atque inſtaurator, tum vnus dictus ſit, tum omni apud poſteros ævo, nuncupandus. Nec indigni ſunt qui adſcribantur Franciſci trophæis, doctiſſimi viri, Bellaij fratres tergemini, Georgius Cardinalis Armaniacus, Monlucius Epiſcopus Valentinus, Caſtelanus Mariſconenſis, Daneſius Lauaurenſis, Pelicerius Monſpelienſis; Budæus, Baiſius, Eſpencæus, Michaël Hoſpitalius, Sangelaſius, Vatablus, Tuſanus, Adrianus Turnebus, aliique plurimi, quorum laudatio ſempiterna, ſui auctoris atque fautoris in vltima tempora propagabit memoriam. At magnificentiam ne quis in effuſionem exiſtimet diſceſſiſſe; non erit ſuperuacaneum obſeruare, poſt eius obitum quadringenta aureorum millia in ærario reperta, debitámque à ſubditis quartam vectigalium partem, nondum delibatam: quanquam nullus Principum pecuniæ minùs parcebat; in ædificiis, quæ pleriſque in locis Regio ſumptu extruxit; tum Pariſiis, tum in agris; in pretioſa ſupellectile, gemmis, periſtromatibus, tabulis pictis, ſtatuis, ſculptis imaginibus, libris, immenſo pretio com-

parandis ; vt bella, lusus, dona, & conuiuia taceam ; vt videatur expensi habita ratio ; nec effusum temerè, quod in res tam multiplices inexhausta liberalitate perductum est.

XXII. HENRICVS II.

Intus & foris res pacatæ erant, cùm Franciscus obiit ; iámque ante Henricus, eo nomine II. adhibitus regimini, atque adolescentiæ flore iam maturo, quippe annum agebat vicesimum nonum, videbatur æquali textu & serie confecturus exorsa. Attamen postquam funus patri fratribúsque posuit, & Rhemis oleo sacro inunctus est ; magnam in Aula commutationem effecit. Moriens pater imperaturo mandauerat, ne Annebaldum amoueret rebus, nam erat vir probus, alieni abstinens, & sincera mente tractabat rem publicam, ne Guisiam domum nimis attolleret ; ac præ cæteris ne Mommorancium Comestabilem reuocaret ; si regno cautum eiúsque commodis vellet. Regibus post mortem obtinere imperium rarò permissum est ; filius viuo patri obsequentissimus, veluti soluto cum vita imperio, statim Annebaldum & Cardinalem Turnonium amouet, litterisque Mommorancium clauo apponendum arcessit. Henrici in eum beneuolentiæ causa multiplex traditur. Prima quòd Delphinum Mommorancius à Phocensi expeditione studiosè coluerat ; altera quòd de eo magnam Delphinus conceperat opinionem, quasi ductu suo atque prudentiâ Franciæ regnum eripuisset ruinæ ; sed maxima & efficacissima fuerat Diana Pictauiensis, quæ ortâ in Stampensem æmulatione, sibi ad gratiam atque potentiam asserendam, posuerat fulcrum, & firmissimum stabilimen. Quippe haud ignara odij quod Stampensem inter & Mommorancium intercesserat, cuius odij instinctu, Chabotum Mommorancij æmulum damnatum, Stampensis restituerat dignitatibus, ac Regi reconciliauerat ; ipsum Mommorancium aulâ expulerat, & Francisci in eum alienationem aluerat ; gnara inquam eorum, Henrici amicitiam in Mommorancium promouebat clanculum, collaudabat viri fidem atque industriam, ac demùm in aulam honorificentissimum reditum comparauit. Nec in vnum Mommorancium Rex beneuolentiam contulit ; penitus in eam Guisij fratres admissi, Franciscus Dux Aumalius, & Carolus Rhemensis Antistes, postea Cardinalis Lotharingus dictus ; adiunctus etiam Iacobus Albo Santandreanus, qui singuli arctâ necessitudine Regi coniuncti sunt ; diuerso tamen amicitiæ gradu & sensu, vt Mommorancius coleretur pro patre, diligeretur instar fratris Guisius, Santandreanus percharus impulsu indolis haberetur. Verùm quantùm amoris flammæ, amicitiæ igniculis præualent, tantùm Diana cæteris omnibus præpollebat : mulier iam ætate prouectior, & solâ formæ memoriâ commendanda, arte ingenij admirabilíque solertiâ, mater duarum filiarum quas ex Brefæo marito susceperat, Henricum illigatum coniugio, ita mancipauerat sibi, & quodam amoris fascino dementauerat, vt regni Regísque planè compos & domina, ad arbitrium omnia constitueret atque peruerteret. Quippe Henricus, corporis dotibus supra cæteros præditus, & viribus ad omnia Martis munera præstantissimus, indole animi benigna, facili, & amante iustitiæ, virtutibus ad regendum necessariis plerumque destitutus, animi constantiâ,

Mommorancius reuocatur.

Saint André.

Diana Pictauiensis.

HENRICVS II.

stantiâ, prudentiâ, & hominum noscendorum solertiâ, aliorum ductui se præbebat. Igitur Dianæ impulsu dignitates aulæ & munera eripiuntur meritis, iisque traduntur quos sibi obnoxios faceret. Taisius rei tormentariæ Præfectus, quod de ea & Brissaco amatorium quid narrasset, aula & dignitate deiicitur; & in eius locum suffectus Brissacus, virili pulchritudine supra cæteros omnes spectabilis, qui gratiam formâ oris partam, mox virtute summa asseruit. Eadem de causa Bayardus vir integer, Scriba sanctioris Consilij, coniectus in carcerem, vitam in eo ex dolore posuit, & Villaregius muneris consors deturbatus pariter; Vallius ærarij Quæstor deiectus est; Stampensis iussa abscedere, iámque Aulæ ludibrium, in priuatas ædes se condidit, nouam impietatem amplexa, ne vitæ exitus discreparet curriculo; Longaullius ipsi chariſſimus, redemit periculum, pulcherrimis ædibus Carolo Guisio datis: ex duodecim Cardinalibus Francis, septem Romam missi, specie Comitiorum, si iam grandæuus Pontifex mortem obiret: ipsa re vt ab rerum regimine abessent longiùs. Mox Santandreanus dictus est Marescallus, Annebaldi loco, qui iussus deponere alterutram dignitatem, Admiralij aut Marescalli. Admiralatum retinuerat; dein quarto loco creatus est Marescallus, Robertus Marchanus Sedanensis, qui alteram Dianæ filiam vxorem duxerat. Ad eandem perturbationem rerum, reuocanda Biezij Marescalli & Veruini generi damnatio est; ob Bononiam Anglis traditam, qua damnatione Veruinus capite plexus est, & Biezius palam nobilitate deiectus, quod eam vrbem custodi tam indiligenti dedisset; isque paulò post in suburbio sancti Victoris dolore contabuit. Fuerat Henrico acceptissimus, & ab eo iuuene electus præ cæteris, à quo in militiam equestrem adscriberetur; quod ante in Franciscum Bajardus contulerat: creditúrque Henricus in eam seueritatem à Mommorancio impulsus, ob veterem æmulationem; sanè bonum Principem acerbitatis tantæ pœnituit; & Veruini filius sub Henrico III. retractato iudicio, patris auíque memoriam dignitati & integritati restituit. Posteà in malum omen Castenerai fatum acceptum est. Ille prouocato in singulare certamen Chabotio Iarnaco, viribus fretus, audacia, & Regis beneuolentia, cùm spectante Aula in sancto Germano, pedibus, ense, & breuiore sica depugnasset, accepto à Iarnaco vulnere, pro victo est habitus; móxque impatientia ignominiæ, abruptis plagæ ligamentis, tantùm emisit sanguinis, vt vitam simul desperanter emiserit. Interea Imperator perdomabat Germaniam, illustríque victoriâ de Saxone reportata, vrbes Smalcaldici fœderis subigebat; statim vicinis formidandus futurus, maximè Franciæ. Henricus eam ob rem limites inspecturus, pacato itinere per Campaniam & Burgundiam circumducit Reginam; imò in Sabaudiam & Pedemontium pergit, lustrans oppida, militem, & munimenta, exceptus Lugduni celeberrima pompa, & Molinis gemino Matrimonio publicum gaudium augens; vno Antonius Borbonius Dux Vindocinensis Ioannæ Albretiæ iunctus, data in dotem spe regni Nauarrici; altero Franciscus Aumalius, Annam Herculis Ferrariensis & Renatæ filiam

Du Val.

De la Mark Sedan.

Chastegneraye.

HENRICVS II.

vxorem habuit. Et ea minuta maiorum rerum prælùdia, decurrebantur tranquillè, cùm Aquitanica seditio, instàr procellæ grauissimæ, serenitatem Aulæ conturbat.

XXIII.

Seditio Aquitanica.

Franciscus vectigal salarium in vniuersam Franciam imposuerat; id cùm plerisque durum videretur, Aquitanis maximè durissimum erat, qui ad salinas admoti propiùs, & naturæ beneficio retrò vsi ab omni ætate, ægerrimè redimebant, quod aquæ instat & lucis publicum omnibus suo in solo pateret. Accedebat Publicanorum redimentium salem acerbitas, & Magistratuum, qui eam in rem vnam creati, auarè & crudeliter plebem exactionis & iustitiæ nomine diripiebant. Franciscus quamdiu imperauerat, siue quod bellis grauibus assiduè vexaretur; siue quod veneratio, mali sensum extingueret; siue quod spes proximæ pacis spem simul faceret vectigalis tollendi, quieuerat populus, nec facinore vllo patientiam læserat. In præsentia, veneratione Franciscei extinctâ, pace parta, bellisque oppressis, nulla spe leuamenti, tandem in furorem patientia desiit. Apud Inculismenses prima incendij scintilla illuxit: quidam rustici cùm Publicanos qui agebant Coniaci expulissent suo pago, pulsata Templi campana ad plebem concitandam, è proximis pagis conuenitur, dúxque eligitur Galafrus nomine. Continuò inuadente proxima quæque incendio, & quodam nobili Puymoræo seditiosos ducente; Inculismenses, Pictones, Santones, Insulæ, Marchia vtraque, Meduli, & cæteri Aquitani Oceano admoti, momento dirâ peste corripiuntur. Henricus Nauarræ Rex Aquitaniæ Prætor, Cataphractos trecentos in perduelles immiserat; sed cùm in apertam necem incurrerent, eos reuocauit. Quare nullo fræno, nullo metus aut reuerentiæ obice, effusa plebis impotentis insania, per omne nefas furorem explebat. Non modò Publicani tota Prouincia necati crudeliter, direptæ & incensæ illorum ædes, tum vrbanæ tum rusticæ, vxores & liberi, quanquam innoxij, raptati ad necem; verùm etiam plures, ad quos res salaria minimè pertinebat, aut vindictæ libidine, aut diuitiarum cupiditate, impacto odioso nomine Publicani, tractabantur inhumaniter; nullo in amentiam furentem asylo. Mox Burdegalam vrbem primariam, quod rei caput erat, atrocissima illa lues inuadit; plebs salarios Magistratus expellit, aduolat in ædes publicas, arma ex armamentario deripit, & campanâ per horas octo continuas arma nuntiante; iámque Senatu quà metu quà infitiatore nusquam obnitente, sæuit passim in Publicanos miseros rabies. Maximè in vnum coactorem tributi effusa immanitas, quem lentiùs exquisitis supplicijs cruciatum, morti demùm addicunt, mórque Sacerdotem, qui noxas confitentem audierat, eásque aperire flagitantibus pernegaret, per summum nefas obtruncant. Interim Tristanus Monnenius vrbi Præfectus neglectis mali primordiis, quæ forsan curationem admitterent, postquam immedicabile malum est, adhibet remedia, egressúsque arce Trompeta, in publicas ædes prodit, seditiosos reuocaturus à scelere. Verùm furor obstructis auribus prouectus in ipsum medicum, cohortantem Monnenium aggreditur, ipso loco mactat, discerpit membratim, artúsque sale aspersos, palam ceu venalem carnem proponit.

Puymoreau.

De Monneins.

proponit. Eo die & nocte proxima, multi Senatorum occisi, multæ ciuium opulentorum domus direptæ, necatique plures innoxij. Tandem capessente auctoritatem Senatu, compescitur tumultus, seditiosi aliquot rapiuntur in pœnam; qui campanam pulsauerant, luunt scelus capite, eorúmque capita campanæ affixa; ex cæteris quinque necati suspendio, & Vernius dux seditionis quadrupedum in diuersa trahentium vi discerptus. Henricus tumultu audito, cùm præterea accepisset Cæsarem Burenium Comitem legasse in Angliam, vt Anglo cupiditatem Aquitaniæ faceret; diploma mittit ad Burdegalenses, quo ab armis discederent imperat, pollicitus se de salinariis Magistratibus inquisiturum, & eorum scelera vocaturum in pœnam. Eo diplomate compressa seditio, & iustæ vindictæ opportunitas data. Etenim postquam conquieuit tumultus, vt majestas Regia sanciretur, dati Mommorancio atque Aumalio exercitus gemini, quos inferrent in Aquitaniam; & Aumalius per Pictones, & Santones, Langonem venit; Mommorancius Tolosa ad Garumnæ ripam Burdegalam; receptóque cum copiis Aumalio, decem hominum millia vehens, ab ipso aduentu vindictam, & truculentum animum præferens, per vrbis portam ingredi noluit. Quippe Monnenij affinis sui necem vlturus, & magno facinore è proxima solitudine in lucem amplam educturus auctoritatem, oppressam ante atque emortuam, specie vindicandæ Regiæ maiestatis, priuatos affectus in vltionem sæuam exercuit. Murum latè diruti imperat, per eius labem instructo agmine, præuiis machinis, veluti in victam vrbem ingreditur; nec admissus, se gerit aliter, quàm si vrbem vi ex hostibus recepisset. Armis ciues singulos exuit; ex iis centum & quinquaginta morte afficit; Salxij fratres & Estornacus nobiles capite cæsi; Galafrus & Talemagnus seditiosorum Tribuni, super roram mactati, & candente ferro coronati. Iussi præterea ciues cadauer Monnenij tumulo vnguibus solis educere, sepulchrum in æde maiori ponere, veste lugubri ad Mommorancij hospitium accedere, & inclamare misericordiam, vrbis immunitates suis ipsos dextris incendere, solo campanas demittere, atque in stipendium militum ducenta librarum millia soluere, interdicto Senatu: in reliquam Aquitaniam ingens pecunia indicta. Ita pœnæ de tumultu sumptæ; iustè quidem, sed vltra benignitatis limites porrectæ; Rege instar patris amplectente subditos, cui plerumque pœna citra culpam placet. Et verò Henricus, asperitate tanta improbata, Senatum & immunitates vrbi restituit; quanquam haud integras; sublato etiam ipso vectigali.

HENRICVS II.

La Vergne.

Anno 1548.

Langon.

De Saux.

XXIV. *Bononia reddita & Anglica pax.*

Ille hanc remoram amolitus, Parisiis ingenti plausu cum Regina excipitur; geminante lætitiam Ludouici ortu; quam dum epulis, choreis, præliisque ludicris celebrat, seriò de recipienda ab Anglo Bononia cogitat. Ab Francisci obitu appellatus de fœdere confirmando, responderat se tam iniquis conditionibus stare non posse; & simul copias in Scotiam miserat, ad consilia Angli retundenda. Quippè Angli vehementer optabant, Mariam pupillam Eduardo Regi suo, Henrici filio, in coniugium tradere, vt Scotiâ adiunctâ Angliæ, tota in vnum caput Britannia confluerer;

HENRICVS II.

flueret; & amplam victoriam de Scotis retulerant. Verùm cùm ea res tam ad Francum quàm ad Anglum spectaret, Henricus cum milite primum Bironem in Scotiam miserat, tum Desiæum & Andelotium cum sex millibus militum, ac Leonem Strossium cum viginti quinque triremibus. Illorum ope pulsis Anglis Scoti superiores euadunt, coactísque comitiis enitente plurimùm Regina matre, Regina infans adhuc sexennis Francis traditur, atque in Franciam vti in asylum tutum adducitur. Termius paulò post in Scotiam missus Anglum haud semel vicerat; atque ipsum Anglum intestina calamitas ob religionem vexabat. Eo rerum articulo Bononiæ recipiendæ incumbit Henricus, & Parisiis coacto clam milite, exeunte Augusto, versus Bononiam exercitum ducit; primóque impetu plurimas arces prætensas vrbi expugnat, quæ singulæ longa obsidione, si viri eas propugnarent, intentatam vim repulissent. Vna supererat turris Ordinata; quam Octobri medio imbres copiosi cùm defendissent, Rex bello in proximum annum dimisso, præclusis vrbis turrisque aditibus, reuertit Lutetiam. Anglos interea agitabant domestici motus; plebs fremebat in nobiles ob religionem mutatam & cupidissima veteris nouam eliminabat; Eduardus Seymerus Sommersetti comes & Regni protector Thomam fratrem affectati Regni accusatum, capite minuerat; & ipse à Ioanne Varvicensi Comite apprehensus, coniectus in carcerem erat. Tandem Proceres vtrique malo facturi remedium, Varvicensi Seimerum eductum è carcere conciliant, contracta vtrumque inter affinitate, & cum Franco pacem iis conditionibus feriunt. Vt Bononia redderetur, acceptis quadringentis millibus aureorum; Reginæ Scotiæ pax similiter foret, eíque duæ vrbes captæ restituerentur; addita plura de commercij ratione; & Henricus Bononiæ insigni pompâ exceptus votum anathema Deiparæ obtulit, eius imaginem in Argentea naui, adiunctis quatuor lampadibus affabrè in Argento sculptis. Mox funeribus aliquot Francia luxit. Claudius Guisius, Burgundiæ prætor plurimis in regnum clarissimus meritis, morbo extinguitur. Ille Antonij Lotharingiæ ducis frater, Renato patre, & Ferryo avo prognatus, qui Comes Guisæ & Vademontij, Iolantam filiam Renati Andegauensis duxerat, & Lotharingiam in dotem habuerat; ille inquam Guisæ & Vademontij Comes, quæ minorum natu hæreditas erat, in Franciam secesserat, & Francisco egregiè navarat operam, à quo rivum duxit Guisiana familia; magni in Francia nominis, & amplissimarum virtutum. Et confluxerant in eam Harcuria & Aumalia Satrapiæ, Maria Ioannis Harcurij filia, Antonio Claudij Abavo enubente; cesserántque in patrimonium Claudij, præter Guisiam, Harcuria atque Aumalia. At Claudio morienti sex nati erant superstites; Franciscus Aumaliæ Dux, quem deinceps Guisium nuncupabo, Carolus Rhemensis Episcopus, qui Ioanni patruo dicto Lotharingiæ Cardinali, in dignitatibus & appellatione successit; Ludouicus Metensis Episcopus, qui Cardinalis Guisius dictus est; Franciscus Claudius Aumaliæ Dux, magnus Franciæ Prior, & Renatus Marchio Elbouensis; accedebat Maria Regina Scotiæ Iacobi vidua. Et hæc necessaria ad illustrandam prosapiam erant, quæ

Paul de Termes.

Tour d'Ordre.

Anno 1550.

Guisiorum domus.

Ferry.

D'Elbeuf.

quæ proximis regnis vtramque paginam implebit Historiæ, Margaritam postmodùm Reginam Nauarræ Aula mortuam luxit; dignam cui elogium totus Orbis diceret; tantus in ea Litteratorum amor & pauperum; ingenij præclarissimi femina, & amantissimæ humanitatis, quas ob dotes decima Musa & quarta Gratia dicebatur. Lutheranorum Sectæ adhæserat aliquantùm, sed illico veritate perspecta, fraudem abiecerat, pietate eximia vitam extremam commendans. Ioannes Caracciolus Princeps Melfitanus, Marescallus, ex Prætura Pedemontij, in Franciam reuocatus, in ea obiit; vir inconcussæ fidelitatis, cuius gratia, patria & facultatibus iam diu extorris, pro patria Franciam, atque officium pro facultatibus habuit. Carolus Brissacus huic successor dictus est, tam Pedemontij prætor, quàm Marescallus, & causa vtriusque muneris amor assignatur. Quippe cùm Diana Pictauiensis pulchritudine viri inflammata, conceptum amorem haud occuleret satis, Rex zelo actus virum honoris specie ablegat in Pedemontium; mox Dianæ precibus Marescallum dicit, absenti donans, quæ præsenti negaret. Nec ea in re Mommorancium Henricus audierat, qui Pedemontio præficere Castilionium ex sorore nepotem concupiscebat; quíque in posterum Brissaco semper infensior fuit, quod id muneris inuito se admisisset: tam iniqua est aulica gratia, cui viri meritum & Regis beneficium pro iniuria est.

HENRICVS II.

Margarita Nauarra mors.

Melfitani mors.

Ea inter Princeps admodùm pius contra hæreticos pœnas instaurabat. Constitutum in eos ignis supplicium & assignati iudices, qui nullâ veniâ flagitium plecterent: raptúsque in supplicium ex ipsa Regis familia sutor; quem flagrantem cùm è feneſtra proxima Rex spectasset, mansuetudine indolis sic permotus est, vt diebus plusculis, dirum spectaculum apprehenderet oculis. Attamen Rex, sibi vno facto quidpiam ea detrahi de laude patitur: quanquam haud sponte sua, sed eorum impulsu, quibus dederat potestatem sui. Duo pagi in Phocensibus ad Druentiam erant medio amne obiecti, alter Merindolium in Phocensi prouincia, alter Cabreria, in comitatu Veniſſino, qui Pontificiæ erat ditionis. Vtriusque incolæ magnâ inter se amicitiâ agebant, secreti à reliquis popularibus, stupidi admodùm simplicésque, in antris plerúmque ædium loco versantes, à Valdensibus vt putabatur vulgò oriundi. Et quidem eorum hæresim ab tanto æuo ceu paternam hereditatem animis contumaciſſimis amplexi, dissimulabant flagitium; donec audito nouam religionem tum in Germania tum Geneuæ, palam promulgari, quæ conformis suæ admodùm esset, Geneuâ Miniſtellos arcessunt; quorum suasu deturbant altaria, imagines effringunt, & veteres Sacerdotes expellunt. Ea cùm innotuissent Aquensi senatui, fertur sententia in Merindolium admodum atrox, quâ iubebatur pagus dirui à fundamentis, ciues flammis exuri, eorum bona, liberi & coniuges fisco addici. Attamen Cassaneus Senatus præses primarius, à Rege impetrauerat differri pœnam, si forte noxij se ad meliorem frugem conuerterent. Mox Ioanne Maynerio Oppeda primario præside rem vrgente, qui Ludouici Grignani prætoris absentis vices gerebat, adnitente Cardinale Turnonio, iubetur Aquensis Senatus diplomate

XXV.

Merindolij pœna & vltio.

Merindol. Cabrieres.

D'Oppede.

HENRICVS II.

Regio, primam sententiam exequi. Id munus vni præsidi, duobus Senatoribus, & Guerino aduocato regio, in eam rem incitatissimo demandatur; simúlque Oppeda milites conscribit, qui auctoritatem iudicum promoverent. Continuò Merindolium captum atque incensum; ductus vltra Druentiam miles, legato Pontificio annuente, Cabrerias similiter vastat atque incendit; septingenti è rusticis cæsi, plures feminæ quæ in villam confugerant, iniectis flammis, miserè arserunt; cæteri qui ferro & igni se proripuerant, in triremes missi. Sanè immanitate pœnæ speciem & iustitiæ formam expungente. Et ea Francisco regnante Oppeda parrauerat. Modò sexto pòst anno id facinus retractatur, Mommorancio & Guisio instigantibus. Nam Mommorancio gratum erat Turnonio Cardinali iniuriam facere, qui pœnæ illius habebatur auctor; & Guisius Grigniano Comiti faciebat periculum, vt Grignianum opulentam dynastiam in salutis præmium obtineret, quippe Grignianus quanquam absens, postulabatur vt prætor assensum parrato sceleri præbuisse. Et plerique Procerum clam imbuti hæresi Merindolenses expostulantes fulciebant gratiâ, imò Germaniæ Protestantes acerbè apud Regem conquesti, miserorum vindictam poscebant. Causa primùm in maiori Consilio mox in senatu Parisiensi acta sexaginta diebus continuis, ingenti Aduocatorum partiúmque ambitu; tandem tota pœna in vnum recidit, Guerinum *Aduocatum* Regium, qui capite cæsus est; solutis metu & pœnâ cæteris. Quanquam ipse Oppeda pauore adeò consternatus est metu incerti iudicij, vt interno æstu concepto, mox remediis frustra adhibitis, magnis in doloribus animam egerit. Sanè in pœna Merindolij, specie pietatis vt creditum est litauerat priuatæ iniuriæ; & plerosque innoxios supplicium dirum inuoluerat. Obseruatur, quod à plerisque inspectum est, die quo Guerinus capite est plexus, eiusdem caput avulsum & cruentum in vxoris palma visum esse appictum, tristi spectaculo diebus plusculis perseuerante.

XXVI. *Bellum Parmense.*

Ista dum Henricus, vel religioni, vel humanitati condonat, noua opportunitas commouendi belli exoritur. Paulus III. obierat diem iam grandæuus; eiúsque in locum post multam altercationem suffecerant Cardinales Ioannem Montanum Aretinum, qui se Iulium III. nuncupauit, nomine infenso Franciæ, Iulij II. repetenti memoriam, cámque ob causam forsan captato. Erat Iulius in id fastigium euectus calculis Cardinalium tum Farnesiæ tum Francicæ factionis, & aduersus Farnesios gratus, ditionem Parmensem Octauio confirmauerat. At deinceps in diuersa raptus, ditionem eandem vti feudum Ecclesiæ ab Octauio repetit. In eam mentem impellebat Pontificem nomine Imperatoris Ferdinandus Gonzaga Mediolanensis Prætor, qui iam occupatâ Placentiâ, vt Parmam reciperet, quam avulsam dicebat à Ducatu Mediolanensi, ditionem longè ampliorem in Neapolitano regno offerebat Pontifici, tradendam nepotibus, si Octavio Parmam eriperet; & ipsi nepotes, alter ex fratre Ioannes Montanus, alter ex sorore Ascanius Cornu, dynastiæ cupiditate, id consilium multùm promovebant. Igitur Iulius beneficij immemor,

De Monte.

De la Cornu.

immemor, Parmam ab Octavio primùm verbis repoſcit, mox adiungit minas, dein exercitum inſtruit, quem in Parmenſem agrum immitteret. Nec Imperator minus aſper in Octavium erat, quanquam ducta Margaritâ generum, pluribúſque in ſe officiis comprobatum; ſed Parmæ cupiditate incenſus, ne in Mediolanenſibus ſcopulus ille hæreret, poſtquam fruſtra verbis eam ab Octavio efflagitat, vim parat, & Gonzagæ vehementiſſimo homini capiendæ Parmæ prouinciam mandat. Octavius in eas coniectus anguſtias, ad Henricum perfugit, ope implorata, idque bellum Henricus cupidè ſuſcipit. Non erat dubium quin Pontificem ſimul atque Imperatorem eo facto prouocaret, & ignem irarum malè conſopitum incenderet. Sed ardentiſſimus Princeps Imperatorem nihil morabatur, à quo variis affectus iniuriis, & quadam verborum contumeliâ laceſſitus, vltione flagrabat, nec immenſam potentiam verebatur; Iulium haud magno habebat in pretio, adversùs ſe ac Farneſios, vt dicebat ingratum. Accedebat Mirandulæ defendendæ periculum, quam vrbem ſimiliter repoſcebat Pontifex, tenebátque Henricus ſuo præſidio. Quippe de ea litigantibus Ludouico Pico & Galeoto nepote Pontifex Paulus eandem Franciſco Regi ceu ſequeſtro commiſerat, Franciſcus Ludouico Patruo dederat; nuper Galeotus Ludouicum Patruum trucidauerat, metúque ſupplicij ad Henricum profugus, Francos vrbe exceperat, atque vt credebatur, cum aliis agris commutauerat. Itaque ſocietas cum Farneſiis vltrò contrahitur, atque vt arctiùs necteretur, Horatius Dux Caſtrienſis frater Octavij Dianam Henrici ſpuriam in vxorem ducit. Nondum Gonzaga in vim apertam proruperat, & Parmam intercluſam arcebat cibariis, ſtabántque hactenus Cæſarem inter atque Regem inducíæ; quas ne violaret, Henrici iuſſu, Briſſacus Legionem Italicam exauctorat, mandátque militibus, vt ſolo enſe accincti, per Inſubres Mirandulam Parmámque viatorum inſtar ſeſe recipiant. At Gonzaga explorato conſilio, pleroſque intercipit; partim crudeliter necat, partim ad remos adigit, ægrè quingentis per Genuenſium montes evadentibus Parmam. Nec illicò bellum cum Pontifice actum eſt; ſed præluſum quibuſdam verborum velitationibus, per quas altera pars conabatur in alteram odium belli conijcere. Nam Paulus Termeus Regis apud Pontificem legatus, excuſabat Henricum, conteſtatus ad Eccleſiæ dignitatem ſuſceptum Octavij patrocinium; cúmque minas intentaret Pontifex Româ abſceſſerat: & ipſe Pontifex nepotem Aſcanium in Franciam legatum eam ob rem miſerat; qui exceptus honorificè, dum propugnandæ Parmæ intenditur, dimittitur tandem re infecta. Sic bello hoſtibus pronuntiato Parmam Cæſarianis copiis Gonzaga obſidet, Mirandulam Pontificiis Cardinalis Montanus; Rex ſimul vetat, ne pecunia Romam deferatur; eodémque tempore ſeverum in hæreticos edictum promulgat, datum in Caſtello Brientio, quod eſt apud Britones oppidum; palam vt faceret religionem haudquaquam in Pontifice peti, ſuſtinere Iulium geminam perſonam, & ſacrâ illibatâ, cum profana rem agi. Porrò id bellum nullo facinore magno inclaruit; cùm enim Franci penuriâ militum ſe arcibus continerent, ten-

HENRICVS II.

De Termes.

Chateau Briant.

HENRICVS II.

tata hinc inde plurima ; pauca patrata ; vnus maioris momenti huius belli partus, quod tandem Henricus Cæsari bellum indixit ; cum Pontifice postmodùm reconciliatus.

XXVII. *Bellum Cæsari indictum.*

Diu mutuæ vtrumque Principem lacessebant iniuriæ ; Cæsar præter Parmam sibi Henrici operâ modò ereptam, eum incusabat, quòd Tridentinum Concilium interturbaret, quòd amicitiam cum Turca aleret ; quòd Protestantes vrbésque Germaniæ in suum fœdus alliceret ; quòd Triremes Francicæ Præfecto Petro Strossio, bis Andream Doriam intentato periculo in fugam egissent. Reponebat Henricus ; Andelotium missum in Angliam, persequentibus Flandrorum nauibus ægrè euasisse ; eundem modo cum Cipetra captum Mediolani teneri ; Flandros ipsos Mariæ Scotiæ Reginæ, ducendæ in Franciam insidias posuisse ; mercatores Francos à Belgis direptos & spoliatos, tum inter nauigandum, tum in ipso portuum asylo, & tutissimo per publicam fidem receptu ; quid, quod Maria Belgij Gubernatrix legatum Francicum expostulantem iniuriam in desertam arcem coniecerat, conuicturum anguibus atque bubonibus ? quid Mirandulam Cæsariani obsideant ; quid ipse Cæsar crebrò in Germaniæ comitiis diceret profligandam Franciam, & subiiciendam Imperio ? & ea quidem vltrò citróque proposita ; non quidem *tanti momenti*, quin mederi malo Principes possent ; nisi alia *insanabilis ægritudo* animos corripuisset. Henricum innutritum bellis Hispanicis, & propemodùm à cunis iubutum odio aduersùs Cæsarem, incendebant repetitæ in Franciam ab ipso Cæsare expeditiones, Italiæ recuperandæ cupiditas, æstus vltionis, ac belli ardor iuuenilis, quod iam suo ductu non alieno impulsu gereret. Cæsarem nihilominùs prima cupiditas diuexabat ; nisi subigendæ Franciæ, saltem obterendæ, ne officere posset consiliis, erátque Mirandula molestissimus scopulus, in quem pax & tranquillitas omnis impingeret, cogitanti eam Franci esse, & admitti gentem in Italiam intimam, quam vel porta excludere, omni periculo cuperet. Præterea Germania iam in iugum acta, & latè propagato per Europam imperio, Regem iuuenem haud ægrè vinci & domari posse existimabat. Igitur iis animis in bellum ruitur. Ac primùm Henricus laruâ se exuit, & Oratoribus reuocatis, Prætoribus mandat vt bellum inferant, quodam operæ pretio atque facinore, quod Francum saperet. Id spectabat ad Campaniæ, Picardiæ, & Pedemontij Prætores ; qui admoti ad Regni limites, improuisum hostem occuparent ; & Campaniam administrabat Franciscus Cliuensis, Dux Niuernensis ; Picardiam Antonius Dux Vindocinensis, Pedemontium Brissacus Marescallus ; nec illi anno in Autumnum prouecto, præter incursiones in Flandriam atque Hannoniam, quidpiam patrarunt : Brissacus duo oppida munita Cherium & Sandamianum in Monferratensibus primo belli motu, victor prius quàm visus inuadit. Sandamianum Vassæi operâ ceperat, Cherium suo ductu & ope Monlucij Tribuni, ad subitas illas expeditiones, diligentiâ, fortitudine & felicitate supra cæteros omnes aptissimi. Ad eum motum Gonzaga Parmam omittit, Astámque aduolat, vti hostem retunderet, pugnam ostentans,

Quiers & S. Damian.

ostentans, cuius tamen copiam nusquam fecit. Mari res non infelicius gestæ. Paulinus Baro Gardiæ Præfectus Triremium, stratagemate plures naues capit. Eæ viginti quatuor, opulentæ mercibus nullo metu in Hispaniam nauigabant; cùm accedens Paulinus, misso Myoparone, Classis Præfectis nuntiat, Mariam Hungariæ Reginam in triremibus agere, esse officij vt eam explosis machinis salutarent. Ij fraudis ignari, testaturi gaudium & reuerentiam, postquam tormentarios globos vno impetu effuderunt, à Francis illicò expugnati, rapiuntur in prædam, captis quindecim onerariis, cæteris fuga elapsis; prædâ quadringentis aureorum millibus æstimatâ. Generosius quod à Comite Carcio Paulini Legato gestum est ad Villafrancam. Quatuordecim naues Cæsarianas in eius oppidi portu aggressus, vicit cepitque, spectante Doria cum triremibus, nec ausо opitulari obsessis; spolia, multi equi Hispanici, supellex pretiosa, tirones octingenti, qui remis addicti sunt; vt illorum temporum ferebat immanitas, & sæuo exemplo præluxerant Guastius & Gonzaga. Belli facta exordia cumulauit nati Regij ortus, qui primò dictus Eduardus Alexander, mox de patris nomine Henrici nomen habuit; tum instauratum cum Heluetiis fœdus; quanquam Pontifex & Imperator omni ope contra obniterentur; & ille religionem, hic Germanicam societatem obtenderet; gente fortissima intrepidè & constanter excolente amicitias.

XXVIII. *Fœdus cum Germanis Proceribus.*

In eo rerum cursu, magna lux Regi belli conficiendi & perdomandi hostis affulsit, cum Proceribus Germaniæ fœdus sociale. Id quod Francisco optatissimum perdiu fuerat, quod tentauerat atque affecerat tantis conatibus, quòd Cæsarem in angustias arctas compingeret, id demùm Henrico proponebatur vltrò, & obsecrabatur incensis precibus. Postquam Cæsar, capto Federico Duce Saxoniæ, Smalcaldicum fœdus discussérat, & Langrauium Hassiæ in custodiam mancipauerat, ac retinebat contra Procerum spem; Mauricius in quem Saxoniam Imperator contulerat, Langrauij gener; ipsius Langrauij filij; Ioannes Brandeburgicus Marchio, pluréque Principes & ciuitates Imperij, cùm viri libertatem exorare non possent à Cæsare, clam fœdus ineunt, adscito Henrico, cuius ope & pecuniâ fulcirentur. Fœderis erant leges; vt Vere proximo Henricus exercitum in Germaniam duceret, in belli impensas Cameracum occuparet, aut in Lotharingiæ finibus Metim, Tullum & Virdunum, vrbes Imperij: dati vtrinque obsides; missa ab Rege pecunia, & qui Legatum ad Mauricium ageret, Ioannes Fresnius, Episcopus Baionensis, Germanorum linguam & mores eruditè callens. Postquam Mauricius belli causas scripto libello proposuit, nempe vindicias libertatis Germanicæ, quam Imperator in vincula durissimámque seruitutem mitteret, & bellum ipsi Cæsari intulit; Henricus præclaram occasionem captans, validissimo instructo exercitu, sub Martij finem versus Germaniam tendit; regni administratione Reginæ traditâ, adiuncto ad consilium Annebaldo. Festinanti morbus Reginæ moram breuem intulit, cui Iuinuillæ in oppido decumbenti dum adest, Mommorancius copiarum ductor, vrbes

Du Fresne.

Anno 1552.

HENRICVS II. Anno 1552.

in securitatem datas obtinebat. Ille suspecta Germanica fide, Regi auctor fuerat, vt prima expeditione permissas Imperij vrbes occuparet; id ex fœderis legibus sancitum, id necessarium; penetranti in Germaniam parandum locum quò se reciperet, & viro prudenti tam rerum exitus perpendendos quàm fontem atque ipsa exordia. Primùm itaque Tullum solerter obtinet; tum Metim populosissimam vrbem atque ampliſſimam, sed longo pacis otio immunitam & debilitatam aggreditur, sub iugum Franciæ mittere. Laborabat vrbs intestino dissidio, optimatum & plebeiorum. Accusabant Plebei optimatum auaritiam & crudelitatem, penes eos totam auctoritatem, magistratus omnes, potentiam summam, iudicia & Tribunalia esse; rara & longinqua ad Spirenses Iudices prouocatione; se ab hirudinibus exsugi penitus atque absumi; eámque ob rem statum Reipublicæ mutari vehementer optabant. Ergo admotus ad vrbem Comestabilis, petit ab ciuibus, vt Regiis copiis alimenta transitúmque permitterent. Optimates explorato quò ea petitio tenderet, anxij animis, cùm hinc profligandam auctoritatem inspicerent, inde bellum paratum cui impares admodùm erant; & Robertus Lenoncurtius Cardinalis, Metensis Episcopus, egregiam pro Francis nauaret operam, annuunt tandem, vt Comestabilis cum Proceribus aliquot, & duabus peditum cohortibus, vrbe excipiatur. Ille in turmas selectis fortissimis vrbe admissus, occupat portas, & paucis ciuium qui obstiterant pulsis, potitur ciuitate, nullo sanguine, nullo præter industriam labore aut periculo. Simul Rex in Lotharingiam penetrat, & profectus Nancæium vrbem primariã, prouinciam totam in suas partes traducit. Dux Carolus Francisci filius infans admodùm erat, sub tutela matris Christinæ, quæ Cæsaris ex sorore neptis, haud dubiè proclivis in auunculum eiusdem commoda promotura erat; quamobrem iubetur in Flandriam facessere. Dux Carolus in Franciam ducitur cum Delphino instituendus, & futurus Regis gener; administratione prouinciæ patruo data, Vademontij Comiti. Iis constitutis Rex lustrato exercitu, quem conflabant peditum triginta sex millia, equitum sena, Metim solemni pompa ingreditur, & sancitis iureiurando vrbis immunitatibus, Præfectum constituit Arturum Cossæum Gonorium, Brissaci fratrem, tum cum exercitu per Lotharingiam in Alsaciam venit. Mox ad Argentinam accedit, ciuésque tentat de transitu permittendo. Illi Metensium exemplo edocti quanto periculo eiusmodi hospites admitterentur, transitum pernegant & reiectis quas Comestabilis inferebat, tum minis, tum pollicitationibus libertatem suam propugnant. Eamobrem Franci ad læuam conuersi, primùm Haganoam in Alsatia obiecto machinarum terrore capiunt, tum Viceburgum oppidulum, ad montes quibus Germania superior ab inferiore dirimitur. Eo in oppido Rex diuersa admodùm nuntia accipit. Ab Italia Pontifex pacem appetebat, Cardinale Turnonio annitente assentiebat bellum omittere, Parmam & Mirandulam quietas relinquere, & Castrienses Horatio Farnesio restituere; modo pecunia Francica Romam deferretur. Sic pactæ in geminos annos inducíæ, quibus ipse Imperator adscripsit. Verùm in Germania, cuius

Metis occupata.

Cossé de Genor.

Haguenau.

se defensorem Henricus dicebat, fœderatorum felicitas Regi erat infensa. Illorum exercitus Cæsarem OEniponte tantùm non ceperat, & à captiuitate propè abfuerat, qui nuper imminebat Europæ toti terribilis. Quare sibi cùm subitâ fugâ consuluisset, Ferdinando fratri pacem proponenti; aures commodas præbet, & cum libertas Langravij cardo belli esset, ipsum fœdere Passavij inito, liberum emittit; simúlque Mauricius cum reliquis Protestantibus arma ponit. Porrò dum eam rem Germani agitant; Mauricius Episcopo Baionensi apud se legato verba dabat, præclarisque promissis alebat spem credulam; donec Henricus incertus in quam partem se verteret, Sangelasium Lansacum ad Mauricium mittit, ingeniorum perspicacissimum virum, qui Protestantium animos penetraret, appellarétque de promissis Mauricium. Lansacus incerta admodùm & friuola refert; excusabat Mauricius Turcam in Hungariam inuasisse, & datam Ferdinando fidem, communem hostem armis communibus repellendi; sic aduertit Lansacus Proceribus Regem maiori formidini esse quàm Cæsarem. Adsunt præterea ab Imperij Principibus Oratores, ab Palatino, ab Præsulibus Moguntino & Trevirensi, ab Ducibus Clivensi & Vitembergico; qui Regem post plurimas gratias rogent, ne pergat vlteriùs, susceptam expeditionem libertatis Germanicæ causâ, eam ipso iuuante propemodùm comparatam; nec ipsi iniucundum fore, si icto fœdere à Cæsare impetrent, quod multis periculis armorum ope vix conficeretur. Henricus tametsi hac oratione attonitus, tamen sensu animi dissimulato egregiè, respondit, *sibi nihil acceptius fore, quàm Principum libertatem firmam & securam; gaudere se quòd incepto labore finem extemplò assequutus esset, quod laboris viæ & belli parceret; paratum se quoties ipsi exigerent operam suam atque pecuniam in Germaniæ salutem impendere; cæterùm meminissent sic prudenter pacem conficere, vt nouo bello non imposterum egeam; néve veteribus frangendis compedibus nouas cudant; ideò solidiores, & conatu multo perrumpendas.* Tum reuertit ex itinere; comperto Flandros in Lotharingiam & Campaniam irrupisse, ac Stenæo capto, vastare agros atque diripere. Sic euanuit præclara illa spes, Regisque felicitas victo Cæsari profuit; adeò in fœderibus, tam à socio quàm ab hoste periculum est.

HENRICVS II.

S. Gelais. Lansac.

Rex exercitum ob alimentorum penuriam, tripartito diuidit; partem vnam Vindocinensis per Alsatiam & Lotharingiam reducit; Rex ipse alteram per arduos & præruptos montes, magna cibariorum inopia, ipsis Proceribus desiderantibus panem; Guisius cum parte tertia per montes similiter supra Spiram flectens, Bipontem cum exercitu reliquo tenuit, quanquam ob æstumnas duobus hominum millibus imminuto, Bipontino Duci trecentos ægros Rex commendat, qui tamen omnes vno excepto occubuerunt; tum quoniam per Lucemburgenses iter petebatur, eos subigere de via voluit. Etenim Flandri Regem magnis itineribus regredi, & Annebaldum cum copiis festinare ad Mosam, audientes; ne castra inter gemina deprehensi, perirent necessariò, deportatâ prædâ recesserant; vnus Ernestus Mansfeldiæ Comes, generosus & fortis, cum tribus Gelriorum

XXIX. *Luxemburgenses subadi.*

Deux Pôts.

HENRICVS II.

riorum millibus, se intra Iuoium receperat, repagulum decurrenti Regi obiecturus. Rex de industria Thionvillam omisit, vrbem munitissimam; nec censuit defatigatum iam militem obtruendum immenso labore; quem vt præda facili instauraret, ducit ad Rupem Martiam, castrum ad Mosam, Treviros inter & Thionvillam, in quam matronæ nobiles amplo commeatu confugerant, deceptæ opinione publica Thionvillam impugnatum iri. Tormentis illicò murus diruitur, & obsidentibus de deditione agentibus, miles irrumpit, castrúmque diripit, ægrè Colinio tuente feminas. Ea præda miles recreatus Damvillerium ducitur; vrbem quam antè Carolus Regis frater expugnatam euerterat, Cæsar mox erectis munimentis instauraverat; ponendo in limitibus propugnaculo, situ ob paludes vliginosas percommodo; cuendámque dederat duobus peditum millibus equitibus quadringentis. Ad eam vrbem Annebaldus Regi se adiungit; & impugnatione non magno negotio institutâ, quoniam paludes cœli æstu exaruerant, post ruinam muri, se civitas tradit, gregario milite sine armis & sarcinis misso, retentis in custodia Centurionibus. Excurrerat Virdunum Henricus, vnam, ex vrbibus quas securitatis loco Germani dederant, eáque exceptus iurat integras immunitates, & ad castra reuertitur; Cardinalis Lotharingius, Guisij frater, idémque Virdunensium Antistes, illorum animos conciliauerat Regi. Iam à Francis oppugnabatur Iuoium, rebatúrque Mansfeldius sibi gloriæ segetem eo in campo nasci amplissimam, forti præsidio, pluribúsque nobilibus munitam vrbem ipso duce tuentibus. Verùm postquam murus in labem patuit, & Francus impressionem instrueret, præsidiarius miles, recusat ad murum accedere, atque hostem repellere, minatúrque Mansfeldio, se pugnantis terga pressurum hastilibus, dum in frontem hostis inuaderet. Et eâ ignauiâ ad deditionem adductus Mansfeldius, immenso dolore, quod aliorum socordia fraudi sibi esset ac ignominiæ. At dum Iuoium impetebatur, Robertus, Marchius Marescallus, copiis à Rege impetratis, Bullionis castrum oppugnabat; & id quidem validissimum situ, munitúmque præsidio, extra metum atque periculum erat. Quà mons in planitiem desinit, exurgit excelsa & abrupta rupes, à monte spatio divulsa modico, interiectâ fossâ admodùm latâ, in ipsa rupe vi malleorum absciſsâ; & ad ipsam arcem excipiendam, rupes ferro victa & domita intus amplis fornicibus, alto & perenni puteo, commodísque ædificiis patet; excluso aditu præterquam viâ vnâ admodùm arctâ, nec vllis tormentorum minis obnoxia. Id castrum ducatus Bullonij caput, cum proxima regione Cæsar à 30. annis obtinebat, detractum Marchiis, & annuente Leodiensi episcopo, qui sibi in eo quidpiam iuris vindicabat. Marchius ad metum inducendum, quando vim haud inferre poterat, quædam tormenta leuioris molis in proximum montem conatu multo evecta, funibúsque appensa in arcem explodit; eventu tam irrito, vt vix murus perstringeretur; attamen telo tam futili in Præfecti animum penetrante, metúmque inferente, arx Marchio deditur; qui statim receptâ totâ prouinciâ, Dux Bullonius deinceps nuncupatus est. Arcis Præfectus pœnas ignauiæ dedit, à Maria Guberna-

Roc de Mars.

De la Mark. Boüillon.

trice

trice capite plexus. Quæ cùm referretur in Picardiam irrupisse, Comestabilis ad eam pellendam exercitum ducit, multáque castella ipso in itinere famosa latrociniis cepit ac diruit; at cùm Maria rursùm se in Flandriam abderet; Henricus imminutum magna parte exercitum, sub Iulij exitum in præsidia dimisit; quieturus ipse ab ærumnosa expeditione. Sed longè grauior imminebat ærumnarum moles. HENRICVS II.

XXX.

Etenim Imperator postquam fœdere Passauiensi cum Protestantibus conuenit, ad Metim recipiendam omnes animi vires intendebat. Supra omnem molestiam acerbissimum erat ab hoste, viribus, experientiâ, solertiáque, vt rebatur ipse tam impare, Imperij limites, gloriam & maiestatem, se Imperatore, infractas esse, detritas, atque imminutas, nec quietem vllam capere poterat, donec iacturam sarciret, atque ignominiam tantam extingueret; palámque erat contestatus in cœtu Procerum, se vel ad muros Metis sepeliendum, vel in ipsis captis triumphaturum; & in eam expeditionem copias omnes ab Italia, Belgio, atque Hispania arcessebat. Et verò Germani in fœderis conditionibus omninò prætermiserant Regem; adiunxerántque duntaxat ad ludibrium; cùm ad eum res Imperij non spectarent, si quid ipsi esset controuersiæ cum Imperatore, id communicaret Mauricio, qui referret ad Imperatorem. Præterea postulanti Cæsari, pecuniam militémque ad id bellum luculenter concesserant; repente ex amicis hostes, quasi beneficium noua iniuria solueretur. Ad eum apparatum excitatus Henricus, Franciscum Ducem Guisium medio Augusto Metim miserat, dederátque prouinciam propugnandæ vrbis, longè arduam & difficillimam, sed tantæ gloriæ quanti periculi prægnantem. Dati in præsidium equites mille, quâ grauis armaturæ quâ leuis, peditum decem millia; & vltrò aduolauit præclara nobilitas; tres Regij sanguinis Principes, Enguiennius & Condæus, fratres Antonij Vindocinensis, Carolus Rupius ad Icaunam Princeps; Prior Franciæ atque Elbouius, Guisij fratres; Franciscus Vindocinensis Vidamus Carnotensis; duo Comestabilis filij, Horacius Farnesius Dux Castrinensis; & plerique magno numero alij, quorum virtus dignum amplitudine sua hostem ambiebat. Prima Guisij cura ad muniendam vrbem impensa est. Erat metis ad Mosellam & Sellam fluuios, qui cùm hinc inde muros alluerint, conueniunt in vnum alueum; ambitus patebat in nouem passuum millia; amplis suburbiis, quæ murus adiuncta vrbi vnus incingebat; in pomœrio rara propugnacula, nulli post murum aggeres, imò ædificia sacra & profana; turres veteres, nulla arte erectæ, nec se mutuò respectantes; fossa multis in locis oppleta, vrbs ipsa proximis montibus & telorum fulminantium iactibus aperta atque obnoxia; quippe retrò annis plurimis beneficio pacis tuta & defensa, secura belli munimenta omiserat. Et ad ea primùm se accingit Guisius; ac pia crudelitate, quæ membra resecat, vt corpori parcat; diruit suburbia, ædificia plura, tum profana tum sacra, muris adhærentia euertit, veneranda Templa in suburbiis posita magno animi dolore destruit, magnam partem vrbis auellit à corpore; & in humo effodienda, operas, milites, & se ipsum addicit.

Apparatus ad Metensem obsidionem.

Metis situs.

Guisij de vrbe solicitudo.

HENRICVS II.

Horis in singulos dies designatis, cuncta nobilitas, ipso præeunte, immista fossoribus, ferro humum egestam, deportabat corbibus, ad aggeres erigendos, & manu pugnatura, subijciebat humeros oneri. Tum quia munitiones tam brevi spatio nequibant perfici, eas vt suppleret, artem & diligentiam in subsidium vocat. Parati iubet loricas vimineas mille, crassiores trabes ducentas, palos & asseres immenso numero, saccos, vel humo vel lana refertos quater mille, dolia sabulo oppleta bis mille, faces mille ducentas, quibus si opus foret noctem illuminaret; ignes factitios ingenti copia; ea demùm omnia quæ ad retundendam & opprimendam vim hostis facerent. Præterea armamentarium cùm inuiseret, tormenta ænea impetitè fusa, fundi de integro iubet, recoqui tormentarium pulverem, globos nouam formam induere; nobilibus singulis cohortem suam in qua depugnarent; cohorti locum ad portas, muros, & in ipsa vrbe attribuit; peditem ad muros locat, equitem in meditullio; turbam inutilem vrbe emittit; artificibus qui necessarij aut commodi, certo numero seruatis, & septuaginta sacerdotibus; horrea inspicit, frumentum seponit; cibariorum genus omne importari curat, diripi agros ab equite; pistrina foris destruit, intus ponit; viginti plaustra ad fæcem vrbis sordésque exportandas disponit; nullam demùm curam prætermittit, quæ vrbi conuleret, & incluso militi spem victoriæ atque animos facerer. Verùm antequam hostis palam accederet, ab hoste tecto cavere oportuit. Ille Albertus Marchio Brandeburgensis, qui Passavino fœdere sponte exclusus se Regis fœderatum profectus, diripiebat Germaniam, exercitu aucto ad viginti millia peditum & duo equitum. Mox in Lotharingiam penetrans, cùm amicos iuxta atque hostes prædaretur, merito Regi suspectus, ad vrbem accedit cum copiis; tum insidias Guisio nectit, ad vrbem occupandam; modò petitis ab vrbe cibariis, modò congressum cum Guisio ipso efflagitans, modò milite in vrbem inducto, modò nocte concubia tormenta aliquot pulverémque in vrbem ipsam immittens. Sed cùm Guisius instructus egregiè, artem & dolum omne refelleret, quà vigilando, quà recusando ea concedere quæ defensori vrbis forent necessaria; iámque exercitus Regius haud multùm distaret, Albertus extimuit, ne medius deprehenderetur; & impetratâ discedendi veniâ retrò cessit. Tum palam ad Imperatorem se admovet, pactis quibus libuit conditionibus; sed cùm legio Germanorum ab eo deficeret, pluréque aliæ transfugere ad Francum cuperent; Aumalius Guisij frater, imprudenti audacia conturbauit rem, séque ipsum in exitium præcipitauit. Assignati erant forti adolescenti equites septingenti, quibus instructus exploraret Albertum, cúmque longiùs sequeretur; verùm raptus pugnæ cupiditate, cùm existimaret desertum à copiis Brandeburgicum, temerè in eum invectus, fusus & captus est, missúsque in Germaniam, diu pœnas luit temerariæ fortitudinis. Albertus suis victoriâ confirmatis, ad Imperatorem accessit, suámque stationem in castris habuit.

Gabions.

Albertus Brandeburgensis.

Aumalij pugna imprudens.

XXXI. *Rex de Picardia sollicitus.*

Rex in hostem proximum instruebat gnaviter copias; erántque in exercitu triginta peditum millia, equitum septem; quem Comestabilis frequentia

quentia magna procerum Michielium duxerat, quod Lotharingiæ oppidulum est; Rex substitit Rhemis, vt in omnes prouincias invigilaret atque intenderet. Acceperat captum Aumalium, cùm molesto percellitur nuntio, Mariam Belgij gubernatricem Roësio ductore immisisse in Picardiam viginti peditum millia, equitum bina; eósque incendiis direptionibus, stragibúsque grassari impunè. Et verò cùm Roësius in Picardiam penetrasset, tempore eodem quo transmittebat Rhenum Imperator; primùm ad Faram accesserat, sed munimentis vrbis deterritus, quæ Annebaldus vir famâ clarus defenderet, copias trifariam diuisas, facibus potiùs quàm armis instructas, in agros immittit, fœdátque omnia direptionibus atque incendiis. Septingenti pagi flammis arserunt, sacris ædibus haud quaquam parcitum, subiectæ ignibus miseræ vrbes, Nesla, Roya. Noviodunum, & Folembræum, speciosa ad delicias villa, quam Franciscus tanto sumptu tantáque cura extruxerat. Imò quod inhumanius, & ab barbara immanitate profectum, rusticorum turbæ, senum mulierum atque infantium, nullâ aliâ culpâ quàm quòd geniti in Francia forent, vnà cum ædificiis sacris in quæ confugerant, victimarum instar comburebantur. Et obseruatur luctuosissimus casus, cui principium fecit miseratio, natura progressum, incredibilis crudelitas finem. Quippe dum ad Royam templum iniectis flammis conflagrabat, pluréſque inclusi in modum miserum eiularent; miles adolescens indidem natus, & qui hosti sacramentum dixerat, miseratione impulsus, cùm Centurione inuito templi fores adiuvantibus sociis effregisset; triste spectaculum illicò delibat oculis; prima omnium mater, igne tosta propemodùm, prorumpit ex templo; & contuita militem, nosci filium; continuò in eius amplexum veniens, exclamat, *ah fili*; nec ille natura prævia matrem ignorauit, sed amplexus mutuò, cùm ea corruit, miserum affectuum pugna profligante, cùm dolor & gaudium, spes ac metus, amor & miseratio, simul mentem perfoderent. Inopinata res afficiebat omnium animos, cùm Centurio immanitate ipsa crudelior, nusquam eo spectaculo deterritus, vtrumque iubet in flammas coniici; arserúntque in amplexu mutuo miserandi, sibi quisque præfica, funus, & sepulchrum. At Roësius post atrocia illa incendia, collectis copiis Hesdinum obsidet; & infirmæ vrbe statim admissus, arcem inexpugnabilem creditam tormentis verberat; labe muro factâ, collapsus est Præfecti animus; is Sansimonius qui arcem turpiter hosti tradit. Ea res Henricum non mediocriter perculit; accessitque in cumulum Annebaldi mors, qui Faræ febri correptus occubuit. Vir hauddubiè probatissimæ fidei, qua vna nixus inter procellas aulicas immotus steterat, & Mommorancij appetitus æmulatione, in tantam potestatem virtutem vnam obtenderat; attamen voluntas in eo quàm facultas agendi melior, atque ingenium infra fidem esse credebatur. Admiralij dignitas collata in Gasparem Collinium, nepotem Mommorancij, qui iam erat summus peditum Tribunus; nec gratia supra meritum erat. Iis in angustiis cùm Rex ambigeret, quam in partem exercitū verteret, Metim an Hesdinum, fit à Guisio certior, Metim posse obsidionem ferre in mensem decimum; suas ipse copias nullo

HENRICVS II.

S. Michel.

Folembray.

Casus miserabilis.

Hesdinum captum.

S. Simon.

HENRICVS II.

metu quo liberet adduceret. Igitur exercitum Michielio reuocatum arcessit in Picardiam, iubétque vim Hesdino inferre. Roëssius ad exercitus famam, penitus retrò in Belgium cesserat; filio Hesdini cum præsidio relicto, eúmque abdicandum à se iurauerat, nisi impressionem tergeminam ferret. Verùm ille Sansimonis instar, quasi muri illi metum atque ignauiam defensoribus inderent, labe primùm illata, deditionem pacisci-tur. Et hæc Meti paulisper omissa in vnum congessi, vt modò in vnam ipsam me conferrem, nullóque diuerticulo rem tam insignem vno filo pertexerem: quanquam non est animus præclara quæque sigillatim perscribere, quæ annalibus priuatis digna sunt; excludentibus tam mult festinantis styli angustiis.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XVIII.

SYNOPSIS.

Imperator Metim obſidet. Metis ſoluta obſidio. Teruana capta & euerſa. Heſdinum captum à Carolo. Rex cum exercitu. Salernitani defectio. Senenſes Francos admittunt. Corſica occupata. Bellum in Hannonia. Niuernenſis in Arduenna. Mariemburgum capitur; & Dinantium. Pugna ad Rentiacum. Senenſe bellum. Monlucius Senas propugnat. Briſſaci in Pedemontio geſta. Saluaſonij laus. Certamen inter Francos & Hiſpanos. Quid in Belgio actum. Pugna naualis. Inducia cum Carolo. Carolus ſe Imperio abdicat. Belli cauſæ cum Philippo Rege. Guiſius in Italiam miſſus. Bellum in Flandria. Sanquintinum obſeſſum. Pugna ad Sanquintinum. Sanquintinum captum. Guiſius Caletum capit. Regni Comitia. Thionuilla à Guiſio capta. Stroſſij mors. Termeus ad Grauelingam victus. Briſſacus in Pedemontio. Claſſis Anglica repulſa. De pace primùm agitur. Contentio pro loco principe. Concilium Tridentinum. Pax Cameracenſis. Senatores hæretici.

tici. Regis mors. Franciſcus II. Rex. Guiſij ad regimen admoti. Principes à regimine excluſi. Caluini in Francia hæreſis. Hugonoti vnde. Condæus Hugonottos fouet. Coniuratio Amboſiana. Coniurationis reliquiæ. Conuentus Bellaqueanus. Aureliæ Comitia. Condæi periculum. Regis mors.

I.

HENRICVS II. *Imperator Metim obſidet.*

CAROLVS Imperator, Metenſi expeditione ſuſcepta, & deliberata quam volubat diu abdicatione Imperij, volebat id bellum, quaſi victoriarum faſtigium, & gloriæ colophonem rebus à ſe geſtis imponere: quando laus maximè ab exitu petitur; vtque illuſtrior abdicatio foret, quæ proſperas res non aduerſas abiiceret. In eam rem coëgerat centum millia peditum, equitum viginti; aderant Proceres, Dux Albanus, quem Legatum ſuum in exercitum vniuerſum dixerat; Philibertus Emanuël, Caroli filius Sabaudiæ Ducis, Ioannes Brandeburgicus, Adolphus Dux Holſtenij, Daniæ Regis frater; Ludouicus Auila Hiſpanorum Præfectus, Mediquinus Marchio Marinianus, Ioannes Manriques tormentorum Præfectus, ſeptem foſſorum millia; centum & viginti maioris molis tormenta. Eo apparatu, exeunte Septembri, Rhenum tranſmiſerat, caſtriſque ad Haganoam & Lindauium poſitis, opportunos dies octodecim cunctando conſumpſit; præſtolans commeatum nondum ſatis inſtructum; & copias quas è Belgio adducebant, Barbanſo, Amoralius Egmontius, & Naſſauius Comes. Quibus tandem auctus, ſub Octobris finem, caſtra ad Metim figit, Albano obtinente imperium, dum ipſe vexatus podagrâ, Thionuillæ ſubſiſtit. At Franci frequentiſſimis irruptionibus tantoperè hoſtem fatigabant, vt ægrè Nouembri medio collocatæ ſint machinæ, ad quatiendum murum. Iis tandem fixis, & Alberto Brandeburgico Cæſarianis adiuncto, cui ad Sancti Martini portam attributa eſt ſtatio, cœptus eſt murus diuerſis locis acerrimè verberari. Haud multò pòſt Cæſar Thionuillà in caſtra lecticâ vehitur, & candido equo ad ea inſpicienda inſcenſo, luſtrat ſingulas ſtationes, præſentiâ animos militi facit, iubétque tormenta maiori impetu in murum explodi. Erat conſilium Cæſari murum ampla labe diruere, atque aggreſſionem inſtituere, vt hoſtem ad deditionem impelleret; ac Manriques tormentorum Præfectus egregiè munere ſuo fungebatur. Directæ machinæ in muri partem, quæ à Matiæ propugnaculo ad campanam portam porrigitur; quo in ſpatio tres ſurgebant turres, Ligueria, Vaſſica, & Michaëlia: primo die fulminatum trecentis ictibus, poſtridie mille quadringentis quadraginta octo; tertio & quarto eâdem frequentiâ ſaxa verberata; & quidem fragore tanto & ſtrepitu, vt quarto vltra Argentoratum ipſum milliari, hoc eſt leucâ quadrageſimâ, exauditus ſit machinarum tonantium ſonitus. Intra quartum

Barbanſon. Egmont. de Naſſau. Anno 1552.

Muri verberati.

diem

diem amplâ ruinâ murus proſtratus eſt, & duæ turres deiectæ; mox iiſdem machinis geminæ turres depreſſæ ſimiliter; vna Inferorum dicta, Fabrorum altera: ideò in ſpem impreſſionis erectus Carolus totum exercitum inſtrui, ad eam primo mane faciendam iubet. Guiſius ad ruinam muri & turrium, aggeres ſtatuerat, diſpoſuerat tormenta ad latera; nobilitatis florem & copiarum, ipſe haſtile prætentans, ad propugnandam labem adduxerat; ſimul infrà copias porrigebat Cæſar, optabatque alterutrum, vel terrorem hoſti exercitu propoſito oculis facere, vel ſuis animos, & ad aggreſſionem quadam laudis æmulatione impellere. At neutrum conſequutus, contrarium planè eventum habuit. Quippe Franci magna alacritate comparabant ſe, atque hoſtium ſpectaculo inflammabantur: Cæſariani periculo inſpecto deterriti, & armorum fulgentium luce præſtricti, excuſantes labem nimis arduam atque imperuiam, hærentes ſemutuò reſpectabant, refrigeſcente pugnæ æſtu & gloriæ. Inter medios ordines equitabat Cæſar, & ex vultu ſuorum triſti atque attonito, animos quod conſtringeret gelu coniiciens, ingemuit; atque indignatus in tanto exercitu neminem militem in apertum murum inſilire; retrò in hoſpitium vertit; crebrò ingeminans, *Nunc me deſertum à meis video; iam mihi in terrarum orbe nulli ſunt homines.* Deiectus ea ſpe, ad foſſionem & cuniculos ſe conuertit; eóſque Albanus dies ſeptem continuos magno ardore ſub murum deducit; verùm eos partim retectos ab hoſte, partim excluſos obiectis rupibus atque immenſo frigore, perducere ad deſtinatum locum non potuit; vt eo etiam omiſſo conſilio, nihil Cæſari præter indignationem & dolorem ſupereſſet. Grauiſſima & acerbiſſima hyems erat; modò imbribus frigidis, modò nive denſiſſima, modò gelu arctiſſimo, cœlum ſolumque inhorreſcebant: iámque, vel frequentibus irruptionibus, vel iniuriâ temporis, vel morborum calamitate vulgata, detritæ prorſus Cæſaris copiæ novam formam induerant; rarus in excubiis miles, ſpiſſus deſertor; duces tam abiecti animis quàm corporibus, militaria munia moleſtè obire, deficere commeatus, & oppugnans obſeſſo ſimilior premi penuriâ, omniúmque rerum inopiâ: Attamen Cæſar impetrare receſſum à pertinacia ſua non poterat; hærebat in cubiculo ligneo, lectulo affixus, ægritudine quà corporis quà animi ſæuiente; quaſi vna mentis obſtinatione procelloſam hyemem, ſuorum incommoda, & vires hoſtium profligaret. Inviſebant ſæpius iacentem Avila, Manriques, aliique Hiſpani nobiles, eóſque percontabatur aſſiduè, quale cœlum eſſet, ſerenum an nivoſum; cùm illi ex vero dicerent, modò ningere, modò pluere, mox flare ventum perfrigidum, animaduertebant id permoleſtum audienti eſſe, & incrementum morbo afferre; qua de cauſa abſtinuerunt inviſere. Quod obſeruans Cæſar, eos appellat, atque interrogat, cur ab inviſendi officio deſiiſſent: tum Manriques inquit, ipſum eſſe in cauſa Cæſarem, cui percontanti de tempeſtate & ſtatu cœli, reſpondere ipſi falſum nollent, verum haud poſſent abſque eius moleſtia & ægritudine. Eo dicto tandem Cæſari fracta eſt obſtinatio: *optimè*, inquit, *dicis, nec æquum eſt, vt ſerenum cœlum dicas, quando pluuium eſt; ita nihil mihi ſperandum ſupereſt,*

ant

HENRICVS II.

Impreſſio negata.

Cuniculi tentati.

Cæſaris pertinacia.

HENRICVS II. II.

ant tentandum, præter receſſum. Iſque eo momento ſoluendum obſidionem conſtituit.

Metis obſidio ſoluta.

Igitur Calendis Ianuariis Cæſar Thionuillam lecticâ vehitur; nocte proxima Albanus & Barbanſo ſua quiſque caſtra quanto poteſt ſilentio ſoluit, potiùs fugientium ſpecie quàm recedentium: relicta tabernacula, arma, ſarcinæ, tormentarius puluis, & ipſa tormenta terræ infoſſa; immenſus ægrotantium numerus hoſti obiectus, & commiſſus nocti trepidantium terror. Brandeburgicus tamen quintum adhuc diem ſtationem tenuit. Niuernenſis continuò hærere fugientium tergo, & mactare extremos victoria facili: ille ad calamitatem Cæſaris multùm contulerat, equitatu arua percurſando, commeatum intercipiendo, & qui excurrerent caſtris opprimendo. At poſt cæſos aliquot recedentium, confeſtim miſeratio ſubiit in iracundiæ locum; hoſtes adeò vim non repellebant, vt ſibi mortem eſſe optatiſſimam ſignificarent; ægrè in veſtigio ſtantes, ad ſingulos gradus vacillabant, arma præ infirmitate abiecerant, conſtricta gelu membra, atque in plurimis imminuta frigore aut conglaciata, corpori reliquo dolori erant ac labori, vulturum potiùs præda quàm hoſtium. Luce prima Guiſius in fugientes præterea immiſerat equitem. Agmen vnum ducebat Rocaſurio Princeps, qui in Hiſpanicam turmam cùm inuecheretur, frontem obuertens, qui eam ducebat, interrogat Principem; quidnam inquireret, illo reſpondente, flagitare ſe dimicationem; *Ecquid*, ait Hiſpanus, *dimicare in mortuos vultis? num ſatis vobis eſt, nos victos eſſe? ſanè fugeremus, ſi vel ad fugam vires ſuppeterent.* Quo dicto Principis ardor oppreſſus eſt, & data hoſti facultas receſſus. Sed in ipſis caſtris miſerrimum calamitatis ſpectaculum Guiſium tenuit: plurima morientium millia in cœnoſa niue peruoluta, ferrum hoſtium miſericordiæ loco implorabant, multa cadauera inhumata, funus atque extremum pietatis officium efflagitabant ipſo fœtore, aggeſti circùm humo recenti tumuli, ſpiſſi nullo propè medio ſpatio, demonſtrabant morborum vim, & libitinæ atrocitatem; ipſæ etiam ſarcinæ proiectæ vulgò atque derelictæ quaſi peſte graſſante ſtupori erant potius quàm cupiditati. Guiſius humanæ ſortis ea inter egregiè memor, hoſte in amicum hoſpitem immutato, nullum officij genus prætermittit in miſeros; primùm cadauera religioſè humo infodi curat; ægros omnes deferri in noſocomia, recreari multa ſolicitudine & opportunis remediis; mox perſanatis pecuniam in commeatum largitur; & recedenti Albano tecta nauigia miſit qui offerret, ad deuehendos Thionuillam milites, quos affligerent morbi. Ita non minor Guiſio laus in ſubleuando hoſte quam in repellendo; qui ſe prorſus victorem ſed Chriſtianum exhibuit: cui hoſtis victus pro ciue iam foret; & qui crederet victoriam conſummari clementiâ, támque hominem eſſe qui vinceret ac qui vinceretur. Deinde ſolemni ſupplicatione Deum auctorem beneficij faſſus. Libros omnes qui hæreſim ſaperent diligenter conquiſitos, quorum magna copia in vrbem irrepſerat, palam in foro dextra carnificis concremari iuſſit; ciues reuocauit, damna illata quantùm ipſi licuit ſarta tecta fecit; monetam quam cuderat probâ rependit ciui & militi;

Anno 1553.

Calamitas recedentium.

Roche ſur Yon.

Guiſij humanitas.

liti ; & ſtabilitis omnibus ſe ad Regem confert. Cæſar exercitum quadraginta hominum millibus imminutum, (nam Sandouallius id diſertè affirmat) partim ſoluit, partim in Belgium ducit, quò ſe recipiebat : vrbéſque Imperatoriæ, Metis, Virdunum & Tullum corpori Francico coaluerunt, à quo multis ante ſeculis abſtractæ fuerant atque diuulſæ. Eóque recidit expeditio illa cui ortum indignatio, progreſſum ſpes certa, finem temporis acerbitas fecit. HENRICVS II.

III. Teruana capta & euerſa. Teroüane.

Enimuerò Cæſar retruſus in Belgium, vt erat exaggerato ſupra omnem fortunam animo, cenſuit dimicandum in calamitatem, & tentandam ſortem, an diuerſis locis diuerſa obtingerent. Erat Teruana, Morinorum caput, Atrebatum inter atque Audomarum, Francis percommoda, quòd in Anglos Caleto prodeuntes propugnaculum firmum erigeret, at Flandris moleſtiſſima, quòd omnes circùm agros pluráque oppida, quà diriperet atque prædaretur, quà ingenti pecunia redimere ſalutem & vbertatem agrorum cogeret. Ideò Cæſari haud dubium erat, quin Flandri propenſiſſimis animis, & effuſa liberalitate, ad eam vrbem diruendam accurrerent, quæ ipſorum inhærens viſceribus, bona, alimenta, & viſcera ipſa depaſceret. Accedebat Henrici ſecuritas, qui veluti hoſte iacturâ proximâ profligato, & ignominiâ prorſus abiecto, vno ſenſu victoriæ captus, Dianæ ſpuriæ filiæ cum Horacio Farneſio nuptias celebrabat, voluptatibus pacis in medium bellum interiectis. Igitur Cæſar collectis in Belgio copiis Roëſium præficit ; cui mox vita functo ſubſtituit Lalanium Beugnicuriam ; eíque prouinciam Teruanæ capiendæ mandat. Immenſa Belgarum lætitia cœpta obſidio : miles omnium rerum circumfluere copia ; ciues paſſim & ruſtici, pecuniam, opem, operámque impendere, ad moleſtiſſimum telum excutiendum viſceribus : viri agricolæ foſſorum munus ſponte implere, feminæ cibaria afferre, atque in caſtra ſuam omnem penum effundere. Contra in vrbe magna erat militum ac cæterarum rerum penuria : præfecturâ nuper Tuttauilla Villebo ceſſerat iam grandæuus, ſucceſſerat Loſſius, & accuſabat Villebonis indiligentiam, quod vrbem commeatibus nullis inſtruxiſſet. Eam ob rem Henricus experrecta ſolicitudine, immiſſurus militem, accerſit Deſſæum, nobilem Petracorium Landreſij propugnatione, & Scotico bello clariſſimum ; cui ſe nobiles adoleſcentes adiungunt, Franciſcus Mommorancij filius natu maximus, Martiguius, Dampetra, Pienna, Baudinæus, Bourdelius, aliíque, ſimúlque per obiectos hoſtes in vrbem inuadunt, ſe morbo Deſſæus cùm euocatus eſt recreabat, dixítque gaudere ſe plurimùm, quod ex lecto inglorio in alterum vocaretur, in quo non ignobiliter decumberet, ſed occumberet magna cum gloria. Et verò præſaga mens coniiciebat futurum. Decem dies continuos verberatus murus, pleriſque locis proſtratus eſt, & inſtituit aggreſſionem Lalanius, quæ vehementiſſima eo bello fuit, per horas decem nullo inter ſpirandi ſpatio continuata, ſemper recentibus in cæſorum locum ſubſtitutis : hoſtes tamen pulſi, defenſorum virtute, & incredibili Deſſæi gloria, qui poſtremum vitæ actum claudens, dum fortiter pugnat occiditur. Mommorancius illicò vſurpat imperium, & trecenti pedites, Brullio & Sanromano

Lalain Beugnicour.

Villebon de Loſſes. Deſſé. Martiguer. Dampierre. Pienne. Baudine. Bourdeille.

HENRICVS II.

ductoribus in vrbem penetrant. At Lalanius effossis sub murum cuniculis, vt ruinam parefaceret; postquam ij in apertum proruperant, tam amplam intulerant labem, vt deiecti Francorum animi deditionem admiserint. Quam inconsultò dum peragunt, nec sibi vllis induciis aut intentiore vigilantia consulunt; Germani & Belgæ per apertum murum irrumpentes, vrbem miseram capiunt diripiúntque immaniter: nullo sexus discrimine, cives, milites, nobiles, gregarios, viros, feminas, senes & pueros passim obtruncant; nec vlli pepercisset furor, nisi Hispani Guisianæ memores humanitatis, Francos gladiis Belgarum ereptos seruassent, atque in secura loca recepissent: ita evasit cum paucis Mommorancius. Vrbem illicò Cæsar, qui agebat Bruxellis podagrâ æger, iussit dirui à fundamentis: nec vnquam promptioribus animis obtemperatum est. E pagis proximis ipsisque oppidis, certatim omnes ad abolendam inimicam vrbem aduolare; singuli suas in domos, saxa, ligna, cæmenta, & ferramenta, quasi spólium aut trophæum ferre; vt breuissimo tempore opulenta & ampla ciuitas non modò euersa sit, sed præter locum inanem, nullum reliquerit sui vestigium; perstitítque adhuc ruinæ calamitas, vt hodie post seculum evolutum laboret scribentium fides vrbem fuisse, tantæ molis ne sepulchro quidem extante. Episcopatum Cæsar aliò transtulit, expunctâ etiam vrbis memoriâ, & à natura rerum iussâ facessere. Post id *facinus*, *Philibertus* Sabaudiæ Princeps, cùm ægrè duces parerent Lalanio, cum imperio in exercitum mittitur, qui extemplò vt ignominiam Francicam consummaret, Hesdini arcem vrbe capta oppugnat. Deliberatum erat in consilio Regis, præstaret Hesdinum deserere an tueri, valuerátque sententia peior esse defendendum; Dianæ Pictavienſis auctoritate; quæ vt Marchiano Bullonio genero suo compararet bellicam laudem, eam prouinciam ipsi confecerat, multis Nobilibus simul in propugnationem immissis. Porrò Marchius, patri & avo militari laude clarissimis, admodùm dispar, ad versanda pocula quàm arma aptior, arcem haud munitam satis non diu tenuit. Hostis primùm cùm frequentibus tormentorum pilis magnam muri partem diruisset, adiecit & cuniculos, quibus adhuc integris desperantem Marchium ad deditionem adegit: sed eodem fato quo Teruana, iniuriâ pacisceentium arx capitur atque diripitur: nempe cùm vnius hominis negligentiâ in arcis pulvere flamma exarsisset; ea statim in hostiles cuniculos serpens, eos cum ingenti fragore & damno Francorum qui insidebant muro aperuit; vnde Cæsariani proditam fidem accusántes, in arcem proruunt, obvios mactant, ducésque capiunt, Marchium ipsum, Martiguium, qui biduò post interiit, Rionem, Matiguonium, & alios. Horatius Farnesius, præstantissimus iuuenis, è sponsæ thalamo raptus in bellum, anteà tormenti globo occiderat, ingens Regi dolor, & desiderium Aulicis, quibus plurimùm gratus ob virtutem erat & humanitatem. Arcem similiter Sabaudus diruit, quam Cæsar paulò post loco commodiore instaurari curauit. Interea Regi instruebatur exercitus, & Mommorancius præmissus Ambianum, collocatis aptè insidiis, septingentos hostes cæciderat, infregerátque rerum prosperarum cursum; cùm Henri-

Hesdinum captum. Bouillon Mark.

Rex cum exercitu.

cus

cus coactum tandem exercitum ex sexaginta peditum millibus, equitum duodecim, Sabaudo in Belgium recedente, in hosticum infert. Accusatur ea in re cunctatio Mommorancij, qui naturâ lentior, maximè in militaribus rebus, ad quas se haud satis aptum agnosceret, in cogendis copiis negligentior fuerat. Et verò, nihil dignum tanto exercitu actum est. Primam aciem agebat Mommorancius, (id enim munus Comestabilis est) cum Principibus Vindocinense, & Enguiennio fratre, Mompensério, & Nivernense; alteram ipse Rex, quam ipsius nomine Guisius administrabat, simúlque aderant Ferrariensis, Roquasurio, Santandreanus, Gouferius, Crequius, Canaplius, & multi Proceres. Vario & incerto consilio progressus exercitus; primùm Bapalmam admotus est, ac statim aquarum penuria traductus aliò, Cameracenses inuisit; nec vlla re patrata perrexit vlterius, hostilem exercitum disiecturus illato prælio. Ille se ad Valencenas citra Scaldim amnem muniverat, præstolans dum desæuiret primus ille Francorum impetus. Attamen cùm Regi nuntiatum esset, spem pugnæ fieri, properauit ad Scaldim. Et primùm acerrima velitatione videbantur hostes pugnæ præluisse, cùm postridie se castris continent, & assidua tormentorum explosione Francos repellunt. Plurimi ducum censebant eos cogi posse ad prælium, atque profligari; sed Comestabilis morbus deturbauit omne consilium: nam cùm eo vno Regis mens atque prudentia niteretur, nec cæterorum haberetur ratio vlla, retrò actus est exercitus, & Autumno ingrauescente solutus postmodùm, misso in præsidia equite. Idque accessit ægrotanti Carolo leuamentum; cùm idem annus posteriore successu priorem ignominiam emendasset. At iuvat, ij vires ad proximum bellum dum reparant, quid ante Senis, & in Corsica, modò contigerit, quasi spectaculum pomeridianum, omissis paulisper gladiatoribus, in arenam inducere.

HENRICVS II.

IV. *Salernitani defectio.*

Dum Henricus ex Germanica expeditione se recipiebat, eum Ferdinandus Sanseverinus Salernitanus Princeps conuenerat Danvillerij; antea Imperatori Carolo addictissimus, mox ab eo plurimùm alienus, nocendi modum atque vlciscendi excogitabat. Odium ex amore effecerat Petrus Toletanus Neapolis Prorex, qui Salernitanum assiduis iniuriis lacessitum, ex inuidia ob collectam apud populum gratiam, calumniis præterea apud Imperatorem vexabat, atque haud semel insidiis positis in discrimen vocauerat. Igitur Salernitanus concepto odio spem Regi fecerat Neapolis occultis consiliis obtinendæ, atque auctus mutuis pollicitationibus Regis, primùm Venetias tendit, dein Cardinale Turnonio frustra Senatum ad novam societatem hortante, Constantinopolim navigat. Ibi Aramundo Oratore Francico contendente, Turcicam à Solimanno impetrat classem: & ea statim Draguto commissa, ad Siciliam vecta, Liparæis Insulis & Calabrico littore pervastatis, trecentas naves ad Neapolim applicat. Erat Dragutus Barbarossæ iam mortui successor, tam erudito magistro, artem piraticam, prædandi modum & sæviendi edoctus, & Solimanno à magistro traditus, sibi gratiam atque actoritatem conciliauerat. Ad Neapolin octiduum præstolatus, si quid parerent Salernitani consilia,

Aramond.

Dragutus Pirata.

HENRICVS II.

cùm tranquilla vrbs ageret, aduentanti Doriæ occursurus, anchoras tollit; eúmque in fugam versum captis triremibus aliquot insequutus, cùm nec Salernitanus, nec triremes Francicæ promissæ ex fœdere comparerent, versus Græciam soluit; frustra Salernitano sequente, & promissis nouis regressum obsecrante. Ea expeditio ad terrorem potius, quàm ad vllum commodum fuit, attamen Senas vrbem ad Regem traduxit. Senenses in Etruria positi, hactenus suo ipsi regimine administrati, sub tutela Imperatorum; nunc Cosmi Ducis Florentini suspectâ potentiâ, præsidium militare ad se tutandos ab Carolo flagitauerant; dederátque Imperator Iacobum Mendosam. Verùm miseri se inconsultos lupo commiserant: Nam Mendosa forsitan conscius Imperatoriæ mentis, aucto præsidio ciuem austeriùs atque acerbiùs habet, pro iugo arcem in capita ipsorum erigit; cúmque ciuitas in factiones duas scinderetur; Patriciorum & Plebeiorum, vt Plebeiis rem gratam faceret, exutos armis Patricios omnimodo vexat. At illi onere seruitutis pressi, ad Francum, quod solatium vnum & spes extrema, respiciunt, agúntque clanculum cum Turnonio Cardinale & Paulo Termeo, vt à Rege suppetias ipsis conficerent. Turnonius versabatur Venetiis, & quanquam à gubernaculo rerum deiectus post Francisci mortem, per inuidiam Mommorancij, non cessabat intendere patriæ commodis, nec priuatas iniurias ad vltionem publicam deriuabat. Ille Henrico comprobante consilium, spem Senensibus facit, qui subtegmine pertexto egregiè, adsciscunt in partes, Italos duces, Nicolaum Vrsinum Comitem Petiliani, Marium Comitem Sanflorum, & Hieronymum Pisanum: & mox cùm Dragutus oram Italiæ legeret, à Mendosa impetrant, vt sibi ad portus suos propugnandos, facultas scribendi militis foret. Sic comparati noctu in vrbem Petilianum admittunt, cum quatuor peditum millibus, in arcem Mendosam & Hispanos pellunt, ac Sanfloro deinde cum duobus peditum millibus adueniente, arcem ipsam expugnant: Mendosa cum Hispanis Orbitellam secedit, oppidum ad mare in paludibus situm. Arcem continuò Senenses diruunt, Francósque euocant, simúlque introducti Cardinalis Ferrarienſis, & Paulus Termeus, quorum alter Regis nomine vrbem administraret, alter arma & præsidium moderaretur. Inter hæc Metensi clade Imperator affectus, rebus Senensibus cùm nequiret incumbere, mox recreatus, iusserat Petrum Toletanum, Neapolitanum Proregem, ire in Tusciam, & Senensibus bellum inferre; quippe hominem turbulentum & Neapolitanis Proceribus odiosum, specioso nomine auocabat Neapoli. At illum mors Florentiæ opprimit, ídque bellum Garsiæ ipsius filio commissum, haud infeliciter procedebat, captis aliquot Senensium castris, cùm iterum ex Senensi bello nouum exoritur. Dragutus deducente Salernitano, & Francicis triremibus adiunctis, ingenti classe imminebat Calabriæ, & ipsa Neapolis in periculo erat: ad quam defendendam illicò Garsias omissa spe Senensis victoriæ, exercitum Neapolim ducit. Ita Senæ liberatæ, & datum Termeo spatium noui consilij agitandi. Id erat inuasio Corsicæ; quæ nauigantes in Tusciam Francos statione tuta exciperet, & Senensium veluti propugnaculum esset atque munimen

Senẽses Frãcos admittũt.

De Termes.

De Petilianę.

De Sainte Heur.

De Termes.

Corsica occupata.

munimentum. Diu Regem in eam expeditionem Sampetra, ipse in Corsica ex illustri familia natus, magnæ apud populares auctoritatis, tum suo merito, tum ducta in vxorem Ornania, vnica locupletissimæ familiæ herede filia; nec iuris species desiderabatur: nam ad Genuenses spectabat Corsica, in quos iam ab Carolo sexto Franciæ Reges sibi imperium vindicabant. Igitur ducta Draguti classis in Corsicam, Termeus cùm ab Garsia nihil periculi foret, iussus cum pedite in eandem transmittere, fausta omnia sub initium habuit. Plurimi è Corsis Sampetram excipiunt; Genuenses perterriti Bastiæ portum fugâ hosti tradunt; Termeus Florantium & Laiassam vrbes expugnat; Dragutus fanum Bonifacij capit, post labem muro factam, & plures institutas impressiones. Ita tota Insula, præter Caluium vrbem, quam Baro Gardiæ obsidebat, profligata erat ac subacta. Verum statim Francis retrò acta felicitas: ij quippe primordiis tarò finem attexunt; Dragutus discessit capto Bonifacio, pecuniâ Genuensium abductus vt creditur; & ipsi opitulante Imperatore exercitum instruunt, quem Doria in Insulam ducit, recipítque oppida præter fanum Bonifacij singula. Deinceps bellum euentu vario protractum, donec tandem Franci expulsi sunt, & Genuenses in veterem possessionem recepti. Brissacus interim Pedemontium tuebatur egregiè, & Gonzagæ nouas in dies obiiciebat ærumnas atque incommoda.

HENRICVS II.

Sampietro. d'Ornano.

Saint Boniface.

Caluy.

Sed Carolum atque Henricum oborta noua studia à bello aliquantisper abduxerant. Eduardus Angliæ Rex vitam obierat; & Maria soror oppressis Nortombellani partibus, & deiectâ solio Ioannâ Suffolciâ, quæ Henrici VIII. ex sorore proneptis, Gilforcio Nortombellani filio nupserat, stabilito imperio de nuptiis cogitabat. Ad eas animum & cupiditatem applicuerat Philippus Caroli filius, dictus Rex Neapolis, ac demùm obtinuerat; Maria coniugem ambiente, cuius potentia Proceres Anglos sub iugum mitteret. Id coniugium quanquam Henricus haud acceptum habuerat, tamen ad coniuges gratulationis causa Legatum miserat, peramicè exceptum & honorificè; atque Eduardus Polus Cardinalis, gente Anglus, spem pacis fecerat. Ille Roma in Angliam dimissus, ad instaurandam Orthodoxam religionem, de via conciliare Regem cum Imperatore statuerat; nec primùm ipsi Principes abnuebant, suspensis armis & militaribus expeditionibus, ad mensem Iunium. Iámque spei proximæ gaudium comes, complebat populos, tam diuturni & calamitosi belli finem præoptantes; eámque in rem Bruxellas è Francia Cardinalis profectus miro gentium plausu, viam floribus instratam calcauerat è propinquis pagis confluentibus rusticis, & faustissimum exitum apprecantibus. Sed vitream spem scopulus ambitionis statim infregit: cùm ad rem ipsam propiùs ventum est, singuli Principes quæque amplissima sibi exposcebant; adeò de iure suo remittebant nihil. Optabat quidem inducias Imperator, vt Germania interim ab illatis plagis sanaretur, saucia quidem graui illa pugna Saxonem inter & Brandeburgicum; simul ac Philippus filius potentiam in nouo regno constabiliret; iisdemque de causis repudiabat Henricus. Quapropter is confirmato in bellum animo

V.

Henricus bellum in Hannoniam infert.

De Pool.

Anno 1554.

HENRICVS II.

coactum exercitum partitur trifariam; suo cuique parti duce assignato: nam Præfectus primæ Princeps Rocasurio, qui in Arteſiam irrumpit; ſecundæ Comeſtabilis; tertiæ Niuernenſis, & tunc penitus in Arduennam ſiluam ſe abdidit. Etenim plerique omnes ex pagis & oppidis, metu ex diuiſione copiarum correpti, atque incerti in quam partem ruerent, quidquid in pretio erat cum armentis & gregibus in penitiſſimam ſiluam intulerant; tuti vt rebantur locorum aſperitate; in quæ hactenus memoria hominum nullus exercitus penetrauerat; tam multis ſalebris intricatæ ſiluæ, abruptæ rupibus, ſaxis obductæ, & viarum inſcitia inexploratæ ſunt.

Niuernenſis Arduennam ſubigit.

Orchimont. Primùm Niuernenſis Orcimontem arcem aggreditur, duodecimo milliari Meſeriis diſtantem, ac de deditione præfectum compellat. Ille ſe ſurdum eſſe reſpondet, nec vllas niſi tormentorum voces obaudire; ea porrò conuehi tam ſalebroſâ viâ non poterant, ſurgentibus paſſim obicibus lapidum; adeò vt viatori expedito irrependum propè foret, & præbendum in ſingulos paſſus adminiculum, quò vltrà pergeret. At labori improbo & gloriæ militari nihil arduum eſt. Niuernenſis per eas ſiluarum ſalebras, & rupium abrupta, tormenta leuioris molis, humeris militum impoſita, ærumnis quidem plurimis, ſed euentu proſpero, ad Orcimontem deportari curat. Ea viſa, quaſi de cœlo fulmen impenderet, terrorem præſidiariis faciunt; Præfectus per poſticum, pérque nota rupium compendia præceps euadit, milites cæteri, Niuernenſis arbitrio ſe permittunt. Aliæ arces Linchatum, Iardinium, Belrinum, vno machinarum metu expugnatæ; quippe poſtquam auditum eſt, eas circumferri, quaſi Niuernenſis caſtellorum claues ſecum afferret, procul Præfecti & milites arces deſerebant; nec vlla machina per tam difficilem viam exploſa eſt: adeò pleraque conſtant opinione, & plura metu patrantur quàm gladio. Ita pluribus caſtellis partim euerſis, partim incenſis, & prædonum illis cubilibus tota ſilua dirutis; tandem Niuernenſis ex caligine illa cymmeria in lucem prodiens, ad Moſæ amnis ripam exſcendit, quà Giuetij portus fluuio imminent. Ij medio amne oppoſiti, loci commoditate & commeantium frequentia celebres, opportuni obtinentibus erant ad reliquum bellum; atque in eorum altero Niuernenſis commeatum & noua Regis iuſſa operitur. Mommorancius interim, cùm Auenas oppugnaturum ſe fingeret, ad Mariemburgum improuiſus vertit, & deſtitutam præſidio circumſidet. Erat Mariemburgum antea pagus, ob venationem duntaxat celebris, ad quam conueniebant proximi Nobiles; at Maria Regina Hungariæ, Belgij pro Carolo fratre adminiſtratrix, & ipſa venatus amantiſſima, capta loci ſitu, eo in pago vrbem poſuerat, quam ſuo nomine Mariamburgum appellauerat, inſtruxerat munimentis ad vim repellendam, & affatim omni commeatu impleuerat. Rinſartus Præfectus ad primos tormentorum ictus debilitatus eſt, vrbem tradidit, prodiítque miles cum ſarcinis; relicta arma, & retenti aliquot Centuriones. Rex mirificè lætus, in vrbem aduolat, cuſtodiendam tradit Coſſæo Gonorio, iubet munitiones affectas perfici, & eam deinceps Henricoburgum vocari. Quippe ipſum inter & Mariam Reginam, non æmulatio tantùm

Ports de Giues.

Mariemburgum capitur.

ſed

sed odium erat; cuius causa cum Historicos lateat, eam ex effectibus multis colligimus; Maria per dira incendia grassante in Francia, & vicissim Henrico ignes rependente. Postea Rocroium in Arduennæ silvæ faucibus pagum, quia medius erat Mariemburgum inter & Malberfontanum, Rex muniri accuratè mandat; vt per eum facilius commeatus è Francia Mariemburgum importaretur. Deinde ad Mosam, quà Giuetos interfluit, ducit exercitum. HENRICVS II. Rocroy.

VI. *Dinantium captum.*

Rex altero portu occupato, cùm Nivernensis teneret alterum, medio amne copias iunxit; eóque traiecto Nivernensem inuisit, ob operam præstitam collaudatum mirificè: mox diebus aliquot consumptis, dum vehitur commeatus, tardiúsque Salsedus cibariorum curator suo munere fungitur; die tandem septimo postquam is aduenit, iuncti exercitus viam ad Dinantium capiunt. Incedebat cis Mosam exercitus regius, vltra Nivernensis; móxque ad Dinantium hic, ille ad Bovinas, amne semper interiecto conueniunt. Rex Bovinas pagum tormentis acriter verberatum, propugnantibus solis oppidanis, expugnat per militum impressionem, pluréſque ciuium suspensi ad arbores, quod audacia temeraria ausi essent in exercitum regium præliari; at simul clementiæ vti & iustitiæ Rex litauit, sepositis pueris, matronis & virginibus, deductísque in securum locum ab exercitu procul. Id enim fuit Henrico vsitatissimum, vt saluti innocentium & pudori virginum, supra omnem curam intenderet atque consuleret. Captis Bovinis ad Dinanti obsidionem vterque exercitus se accingit. Dinantenses freti arce munita admodùm, & inani præiudicio gloriæ, quod se iactarent à pluribus tum Regibus tum Imperatoribus oppugnatos decies septies, nunquam captos, se ad vim dispellendam comparant. Continuò tormenta in muros obuersa, & loco quidem gemino, cis amnem à regiis, & vltrà fluuium, qua in parte vrbs iacet, à Nivernensibus. Et quidem post vnam impressionem, quanquam arduo muro, & aliquot inuadentium cæsis, vrbs dedita est; atque arx postmodùm machinarum globis tantùm non eversa. Sed vrbs à direptione seruari non potuit: in eam immissi erant ad custodiam Franci; quos Germani rati ad prædam inductos, nocte irrumpunt ad diripiendam miseram ciuitatem, motúmque est eos inter & Francos certamen acre, donec Henricus Præfectos misit, qui dirimerent prælium. Tum ipse assuetà clementiâ & bonitate, omnes captiuos libertati restituit, aluítque præterea sumptibus suis, & commeatu quem destinauerat militi, quanquam haud multùm affluueret. Arx eversa est, situ plurimùm valida; Réxque admissò Nivernense, & Sabi amne transito, in Hannoniam penetrat. In ea cùm nullus hostis occurreret, excitata incendia, iisque Mariemmontium arsit, Mariæ Reginæ amœnissima & pulcherrima domus, arcis instar exstructa, ornata columnis marmoreis, & imaginibus tum pictis tum fictis, ex Europa tota conquisitis; præter hortos odoratissimos, & viridaria omni frugiferarum arborum specie accuratissimè consita. Idque in vltionem Folembræi patratum; quam Henrici domum Maria ipsa ardere iusserat, inuitis ipsis qui flammas subiicerent, tanta erat in ædificio admirabilitas artis. At exercitum tandem Mariemont. Folembray.

Cæsar

HENRICVS II.

Cæsar conflauerat, dederátque ducendum Philiberto Duci Sabaudiæ, nuper emortuo Carolo patre, ísque imminebat Henrico Hannoniis vrbibus circumcincto. At ille nihil veritus, cùm in Cameracensem agrum nihilominus stragem atque incendia intulisset, auctus copiis Rocafurionis, in Artesiam movens, Rentiacum castellum toto exercitu cingit. Erat Rentiacum munita admodùm arx, in Artesiæ & Picardiæ finibus, loco paludoso, & rivo alluente, quo fossa impletur. Cùm proximis castris Cæsariani Regios insequerentur, Cæsárque ipse suas copias duceret, Henricus statuit spectante Cæsare castrum obsidere, atque cum ipsius ignominia capere; aut si eam Cæsar minùs pateretur, ad pugnam elicere; quod ipsi Henrico summum erat votum. Circumfusi castello Franci erant, in proximis collibus Cæsariani; vtrisque castris intercedebat saltus, per imminentem collem porrectus, qui alterutri occupanti erat commodissimus; eiúsque obtinendi datum Guisio munus, quod egregiè præstitit, iniectis trecentis sclopetariis, & equitum turmis. Interim Henricus bombardarum ingenti strepitu arcem verberabat; quo perculsus Cæsar, deliberata re cum Tribunis, iuerat in Ferdinandi Gonzagæ sententiam, quem nuper Mediolano exciuerat; nempe vt obsessis ferrentur suppetiæ, éamque in rem saltus imminens Francis occuparetur. Gonzaga summo mane, & nimboso die, cum exercitu toto progreditur, saltúmque inuadit cum quatuor peditum millibus; Franci sclopetarij strenuè præliantes, iubente Guisio cum retrocederent; nam numero obruebantur; mox disiecto nimbo, animaduertit Guisius pugnare hostem toto exercitu. Qua de re admonitus Mommorancius, rivo celeriter transmisso, peditem ad pugnam comparat, aduenítque Guisio in extremo saltu adhuc dimicante: mox vniuersæ Francorum copiæ aciem instruunt; Réxque ipse adequitabat ordines, adhortans singulos, & flagitantibus de more Helvetiis, vt destinaret equitem quo tegerentur, pollicetur se ipsis vt amicissimis præsto futurum, eorúmque alacritatem magnoperè auxit. Hostes rati primo illo impetu Francos profligatos, cùm tenerent saltum, incurrunt in pedites, quos Gaspar Colinius & pedes ipse fortissimo animo in dimicationem ducebat; eáque admodùm atrox instituitur; & Franco anceps erat, Hispano pedite obliquè in latera iaculante, cùm Guisius equitatu toto inuehitur. In eo Alphonsus Ferrariensis, Guisij sororius, Franciscus frater Franciæ Prior, Dux Nemursius, Franciscus Rupifocaldius, Carolus Randanus frater Alvinius Pienna, Chabanius Curtonius; & Tavanius, qui eo prælio laudem amplissimam comparauit. Eo statim agmine Hispanorum equitum turma disiicitur, tum pedites repelluntur; cúmque ad saltum emergere & restituere ordines niterentur, ab Aumalij sclopetariis prohibiti sunt atque disiecti. Guisius prouectus vlterius, Germanos equites, cùm displosione facta conuerterent se, in arctum coactos in Nassouianam legionem fundit, quæ turbata & confusa ruit in proximam, eáque perturbatione dissipantur omnes ac pelluntur. Nivernius interim Hispano equiti superuenit, instauranti ordines ad oram silvæ, eúmque fundit. Nullo deinde loco pugnatum est; Ipse Gonzaga in fugam actus, & in suis castris pro mortuo

Rentiacum.

Pugna ad Rentiacum.

Anno 1554.

De Coligny.

De Tavanes.

mortuo habitus, cùm tota nocte viarum ignarus per siluæ latebras deerrasset, simul cum luce suis se restituit. Mommorancius persequentes inhibuit, nóxque imminebat, & creditus est Mommorancius Guisij gloriæ inuidisse, & intercepisse eo iussu victoriam, cuius maxima laus ad Guisium vt auctorem prælij pertinebat. Sanè tunc primùm Guisium inter & Colinium orta est contentio; & Colinius vt faceret gratum auunculo, Guisio obiecit, quod recessisset à prælio; quanquam abscesserat, vt equitatum induceret, quo adducto comparauit victoriam. Cæsi ex Francis ducenti quinquaginta, ex hostibus mille quingenti; capta Cæsaris tormenta campestria, quæ is minora sclopeta vocabat, quòd quadrigis impositæ, facilè in quancunque partem verterentur. Henricus qui in secundo agmine cum Helvetiis erat non pugnauit, vt nec ipsi Helvetij; adeò tamen cupiditate pugnæ incensi, vt Regi rem gratissimam fecerint, & ab eo donati sint præmiis. Idem cùm Tavanio calenti à prælio occurrisset, virum stricto & sanguineo ense terribilem sicut erat amplexus, sibi detractum torquem equestrem collo inseruit. Eâ pugnâ Cæsarianorum oppressa spes, qui iactabant Francos in necessitatem fugæ adactos. Postea cùm se castris contineret Cæsar, iámque annona Francis deficeret, castra Henricus soluit; Cæsare prius admonito, se dicta die palam profecturum, & præstolaturum quatuor horas in agro proximo; si forte ipse veniret in prælium. Idque præstitit, comparente nemine, recessitque in Picardiam, primum agmen ducens, Santandreano postremum. Nihilque dignum memoriâ factum, cùm insequens Cæsar tardioribus castris, penetrare in Picardiam prohibitus sit à Vindocinense; nouo Hesdino dum rediret exstructo. Iámque in Italiam versa erant vtriusque studia atque contentio.

S. André Vendosme.

VII. *Senense bellum à Strossio promotũ.*

Quippe Imperator cùm Francos pedem in Italia figere animaduerteret, rem a consiliis suis alienissimam, in eos Cosmum Florentinum Ducem incenderat; euentu tam commodo, vt cùm in id bellum nullam pecuniam raróque milites præberet, Cosmus sua vna vtilitate adductus, impensas atque pericula sustentaret. Ipsi sponte properanti novum ab Rege calcar adiectum est; qui Petrum Strossium, Florentinum nobilem, commendante Regina, & ipsa affine, Senensibus præfecit, Franciscque copiis. Ea res, quanquam Strossius militaris vir, vel ampliori munere dignus foret, Francis tamen non mediocriter obfuit. Etenim Ferrariensis Cardinalis, qui magno studio Senis administrabat rem publicam, successorem, sibi datum questus, vrbe abscessit; Cosmus præterea, qui adhuc lentius atque consultius belluin sustinebat, postquam vidit capitalem hostem obiectum, (nam Strossij patrem Medicij necauerant) mox toto nisu in id bellum incubuit; atque ipse Strossius in vindictæ potestatem euectus, plura dabat vlciscendi libidini, quàm rationibus bellicis; & inimicum in Cosmo non hostem attendens, sæpius priuatas iniurias vtilitati publicæ anteuertebat. Ducem copiis Florentinus dixerat Marchionem Marinianum; ille, vt dixi, ortu Mediolanensis, nomine Mediquinus, & redemptoris vectigalium filius, ad Medicium nomen suo alludens, appellationem Medicianam.

Strossi.

De Marignam.

HENRICVS II.

atque insignia vsurpauerat, Cosmo pollicitus insignem operam, qua dignè in optatam familiam insereretur. At cum copiæ amplæ non admodùm forent, occultis insidiis vim promouere instituit. Profecturus in Corsicam Termeus Senensibus mandauerat, vt inceptas munitiones perficerent; at illi per negligentiam mandato haud satisfecerant, séque indiligenter custodiebant. Hinc Marinianus noctu Senas occupaturus, primùm arcem proximam, quam dicebant Camoliam, scalis applicitis capit; & ipsam vrbem eodem vestigio inuadebat, cùm vnius civis Laurentij Castilionis vigilantiâ, retectus, & vocatis ad arma ciuibus pulsus est. Posteà vario euentu cum Strossio bellum ducebat potius quàm gerebat; donec ad Marcianum Strossius victus & profligatus strage ingenti; quòd contra ducum sententiam non concubia nocte, sed luce palàm, se & totum exercitum recepisset, Senensium res in angustias magnas perduxit. Nam Marinianus recenti victoria obsidet Senas, & castra munit adeò operosè, vt à prorumpente cive securior, ipsi famem necessariò inferret. Monlucius præclarus bello dux, Præfectus ciuitati atque præsidio, egregiè se ad defensionem parauerat, præsagus cladis quæ pertinaciam Strossij obruit; & recreatus ex grauissimo morbo, quo laborabat dum instituta est obsidio, electo superfluo milite, curam omnem impendit in annonæ parsimoniam; haud ignatus belli momentum ad cibaria actum, & laudem patientiæ non prælij fore. Sperabat moram temporis futuram commodo suis rebus; Strossio suppetias ex Pedemontio & ex Francia subministrandas; Florentinum Ducem tantæ impensæ tædio copias reuocaturum; ipsas acerbitate hyemis obterendas demùm, atque magnis incommodis dilapsuras. Et verò Monlucius consulebat egregiè, nisi aulica æmulatio præclara consilia disturbasset. nam Guisiis gratus, Mommorancium habebat infensum. Quippe Cosmus, cùm tantos sumptus sibi permolestos assereret, Marinianum rogauerat, vt vim vrbi inferret; iámque ad eam instruebat se Marchio, cùm de Monlucij proposito certior factus, impressione abstinuit. Etenim Monlucius admirabili vigilantia, occupabat tormentorum ictus, & quacunque machinas ad verberandum hostis obuerteret; erecti antè aggeres, fossa post murum ducta, & obiecta claustra, muri ruinam cum incremento plurimo sarciebant. Imò deliberatum habebat Monlucius, si hostis faceret impressionem, eum intra vrbem admittere, atque admissum vniuersis viribus profligare: cámque in mentem exardescebat ciuitas tota; senibus etiam matronis ac pueris ad repellendam vim comparatis. Et eas ob causas Marinianus, regressus ad propositum, statuebat vrbem obsidione & fame vltima capere. Senenses interea ad Regem legatos miserant, qui fidem suam, calamitatem, & extrema omnia, ad impetrandam opem proponerent; & vrgebant Guisij, vt ad eos seruandos Rex enitteretur. *Agi de gloria Francia & vtilitate; admissam oppressa ciuitatis tutelam, Senenses ob vnam Francium miseros incurrisse in odium Imperatoris & Florentini; haudquaquam libidini hostium permittendos, nihil Regis consiliis opportunius, quàm pedem in Italia figere; porrò in Tuscia multò commodius, qua mari adiecta classem exciperet, & media inter Neapolitanos & Insubres, terrori vtrique genti foret, atque vtramque*

Monlucius Senas propugnat.

que dirimeret, mutua ope ceu obiecto claustro abscissa. Hæc Guisius, & Brissacus recipiebat, si decem hominum millia sibi traderentur, iturum Senas, eadem viâ quam instituisset Rex Carolus post pugnam Fornonensem, & disiecturum obsidionem. Sed Comestabilis rapiente in Guisium æmulatione, ad quem Senenses perfugerant, & infensus Monlucio, quia ipsum Præfectum non dixerat, peruertebat sanum consilium, necessitate opis elusa. Dicebat, metu classis Turcicæ abscessurum hostem, & Strossium solo tympani pulsu quantùm hominum vellet conscripturum: qua inani spe abduxit Regem à præstandis suppetiis, miserósque in vltimam calamitatem adegit: nam Strossio ad scribendum militem nulla pecunia data est, & classis Turcica statim incunte Autumno discesserat. Ita Senenses constantiâ ad Aprilem ductâ, iámque herbis deficientibus, quibus diu iumentorum instar se pauerant, plerisque inter ambulandum mera inedia expirantibus, quarto die post quem nihil sumpserant alimenti, pacti sunt cum Mariniano deditionem, assentiente Monlucio. Verùm & in ipsa deditione egregia Monlucij illuxit charitas & fortitudo. Nam in conditionibus, cùm Imperator ciuibus parceret, exceptis exulibus Florentinis; Monlucius vti & illis incolumitatem conficeret; plures enim erant, & de publica re optimè meriti; Senenses alloquitur, docétque per exceptionem ciusmodi insidias cunctis ciuibus poni: quamobrem cunctis ad arma ruentibus, Marinianus noui discriminis metu, libertatem exulum à Cosmo impetrat. Tum Monlucius pacta cum hoste inire Senensibus permisit; nihil de se suóque milite pactus est, affirmans nomen suum in istius modi instrumentis nunquam adscriptum; sibi viam ferro per hostes futuram, eam si clauderent; nouóque prorsus exemplo, inuictus ex vrbe capta egressus est, cum milite, pulsantibus tympanis, armis instructus, expassis vexillis, nullo pacto prævio, vna fortitudinis securitate. Ipsum præter exules sequuti sunt octingenti cives; quibus libertas erat charior patriâ & facultatibus; atque Alcini montem siue Montalcinum contenderunt, in vmbra Reipublicæ libertatis vsum asserturi. Postea Herculis portus Francis ereptus est, reuocatus in Franciam Strossius, & diu Antibæ iussus subsistere, misso in eius locum Subisio, qui prætermissa præclara agendi occasione, res Francorum in Tuscia cæteras afflixit. At Monlucius, fremente inuidia, ab Rege exceptus est amicissimè, præmiisque donatus, torque ordinis, annua pensione, & cataphractorum equitum præfectura, primam infelicitatem ingenti fama & laude extinxit; quas tametsi amplas tamen infra meritum est adeptus, tanta viri virtus in propugnanda vrbe effulserat. Nunc vestigium paulò prouectiùs ad Brissaci gesta reuocandum.

HENRICVS II.

Anno 1555. *Monlucij laus.*

Soubisc.

VIII. *Brissaci in Pedemontio gesta.*

Ille quanquam pecuniâ rebúsque ad bellum necessariis, perstante Comestabilis odio, egeret plurimùm; tamen existimatione ex virtute parta supplente pecuniam, atque industriâ pro necessariis rebus satagente, bellum sustentabat. Valfenerias obsidebat, cùm Strossium ad Marcianum victum audiuit, recesserátque, dum facinore aliquo deiectos suorum instaurat animos. Nec diu desiderata est opportunitas; quippe Suares Figueroa

HENRICVS II.

Gonzagæ loco Mediolanensis Prætor, nobilitate quàm peritiâ clarior, obiectus scientissimo duci, breui pluribus oppidis spoliatur. Nam Brissacus Eporediam capit, vrbem in faucibus Alpium Pœninarum, & opportunam transmittendis Heluetiis; mox Biella capta accedit, vnde ampli reditus Sabaudo obueniebant. Dein vt propius immineret Insubribus Iacobi fanum, quod Santia dicitur, muniendum suscipit, vt circumpositos hostes fatigaret. Atque ex eo occasio data occupandæ Casalis; cuius rei gloria ad Iacobum Saluosonium spectat. Is Tholosæ natus, à iurisprudentiæ studiis ad martem traductus, & aperto gladiatorio ludo, lanistam professus, cum fortè nullâ noxâ comitem se patrantibus cædem præbuisset, in Pedemontium profugus, è gregario milite per militiæ gradus, vna virtutis commendatione Verrucæ præfecturam obtinuerat, & gerebat præclarissimè. Speculatores alebat quamplurimos, eorum oculis penetrabat in hostium mentem; quid in ipsis validum, quid inualidum foret explorabat; atque vt erat tam acri ad excogitandas militares fraudes ingenio, quàm ad exequendum strenuitate mirifica, nouum semper aliquid comminiscebatur & conficiebat. In præsentia noscens Casalenses pompam gaudij agere, ob cuiusdam primarij ciuis coniugium; vocatum ad epulas Figueroam Prætorem; & nullo belli metu ciuem ac militem genio indulgere; primùm quosdam milites clam in vrbem immittit; tum nocte quæ excepit nuptias, nouus Hymenæus, sopitis magnam partem vigilibus, occupatâ portâ in vrbem irrumpit, capitque vino immersam; Figueroa Tribunisque cæteris è lecto in arcem nudo corpore fugientibus. Arx aduolante Brissaco verberata tormentis, proximo die pariter capta est. Præterea Saluasonius multis facinoribus celebratus est, donec veneficus admissus in domesticis, virum egregium in flore ætatis veneno sustulit. Et id aliquantò post: nunc Brissacus collecto exercitu Valentiam expugnat, & alia in Insubribus castra, ac Vulpiano aditus intercludere incipit. At Imperator Figueroæ nimium impari Ferdinandum Albanum suffecerat, eique summum imperium in Italos omnes permiserat; aduenientsque Mediolanum Albanus, conscribit triginta hominum millia; vtque præclaras naturæ dotes quas à natura habebat, tam arrogantiâ maculabat quàm crudelitate, virtutes ac vitia ad pellendum Brissacum illicò adhibet. Postquam iactauit se anno vertente exacturum Francos è Pedemontio, & Brissacum in præsidia vrbium egit; Fraxinetum vi capit, modicum ad Padum Castellum, milliari tertio infra Casalim, ac terrorem seueritate facturus, crudelem, quod viro solemne admodùm erat, & inhumanum se exhibet. Nam Præfectum necat suspendio, Francos remo addicit, Italos omnes ferro interimit. Tum commeatu Vulpianum illato, Iacobi fanum aggreditur, vtpote munimentis nondum perfectis infirmius. Verùm pro munimentis duces erant & milites propugnabant vrbem Boniuetus, Ludouicus Biraga, & Theodorus Bedanius; Franci bis mille, Itali mille, Germani totidem, & centum equites Albani. Crebra tormentorum verberatione murus discussus in labem ruerat; nec ideò Albanus aggressionem ausus inferre, cùm subsidia è Francia missa accederent, mille quingentis suorum desideratis, atque

Iurée.

Casalis capta.

Saluoison.

Birag e. Bedaine.

atque infractâ plurimùm confidentiâ, soluta obsidione regreditur. Etenim Henricus ad Albani famam decem hominum millia ductore Aumalio miserat in Italiam; & Principes Condæus, Enguiennius, & Nemursius, cum magna Nobilium turma, vna gloriæ cupiditate, simul profecti cum milite, otium bello, imperiúmque obsequio postposuerant. Brissaco Taurini ægrotante, Aumalius copiarum ductor, Vulpianum illicò obsidet, atque actis sub propugnaculo amplo cuniculis, incensísque feliciter, facit per apertam labem impressionem; nec potuit prohibere quin Principes in primis ordinibus stricto ense murum conscenderent: pulsi Hispani sunt, capta vrbs, ac cæsi plurimi; in quibus Cæsar Toletanus Albani nepos, & Garcilassius Vega magnæ spei iuuenis; postridie arx vincentibus tradita; támque ipsa quàm admotum oppidum, munimentis nudata sunt, fossáque oppleta; cùm Francis superuacua essent, inter alia plura munita oppida. Ea deiectus vrbe Albanus Pontem Sturiam munire incipit, vt Casalim Taurino diuelleret; nam vtrique Pons interiectus est; verùm Aumalius Moncaluum intercipit, Albani consiliis prorsus euersis. Nec aliud dignum memoria gestum est, præter certamen ex prouocatione, & gentium æmulatione, quatuor inter Francos totidémque Hispanos: in Francis Dux Nemursius, Classiuassæus, Gaspar Bollerius, & Monchasius; in Hispanis Marchio Pescaria, Malespina, Alabus & Franciscus Caraffa: Nemursius cum Pescaria pari marte certauit, Monchasius Caraffam transuerberatum hasta prostrauit; Vassæus & Bolerius cæsi ab hoste sunt. Mox Thermeum Rex in Brissaci locum substituit, iterúmque restituit dignitati Brissacum; cùm viri Principes Procerésque viro nulla dignitate conspicuo obsequerentur grauatè. Nunc quædam prætermissa, racemationis instar, reuocanda.

HENRICVS II.

Aumalius in Pedemontio.

Pont d'Estute.

Classiuassé. Bolliers. Moncha.

Lentius bellum progrediebatur in Belgio: per hyemem Hispanus arcanas conspirationes texuerat: Abbauilla in periculum acta est proditione subpræfecti; Metis grauiùs implicabatur dolo Franciscanorum, qui Hispanis vestem, hospitium, & opportunitatem capiendæ vrbis faciebant, dum in eam ipsi ad comitia ordinis cogerentur; vtrobique consilia patefacta euanuerunt, non sine prodentium pœna. Tum commeatus Mariemburgum illatum bis, semel opera Satandreani, iterum industria & fortitudine Niuernensis; qui per hostes medios illibatus rem difficillimam præstitit. Belgæ interea geminas arces exædificabant, quibus suos fines in proximum hostem, tuerentur; alteram Carolomontium, in portu Giueto ad Mosam; à qua perficienda prohibiti, grassante pestilentia; alteram Philippopolim, in Namurcensium finibus, ponente Orangio, & Namurcensibus incenso studio sumptum præbentibus. Franci etiam clade ignominiosa affecti sunt. Nobiles Andegauenses, quos iure regni Rex conuocauerat, Ialla ductore (ij erant mille & ducenti equites, pedites quadringenti) cùm in Artesiam irrupissent, & præda opulenti perturbatis ordinibus regrederentur, Ossimontius Bapalmæ Præfectus, loco commodo ad abruptum pontem interceptos, ignauè præliantes fudit, occidit ac cepit; pauciſſimis in proximam siluam fuga lapsis. Fortius à Normannis in Oceano dimicatum. Ij vndeuiginti naues instruxerant; quibus Belgij oras cùm infestarent,

IX.

Quid in Belgio actum.

Charlemõt. Philippeuille.

Arriereban. La Iaille.

Pugna maritima.

HENRICVS II.

incurrunt in onerarias Hiſpanas viginti quatuor, refertas aromatibus, & eiuſmodi mercibus pretioſis; quas naues tormentis munitiſſimas Belgæ vrcas vocant. Continuò prælium atrociſſimum ſeritur; Belgæ ex amplis nauibus quaſi ex muris aut propugnaculis in ſubiectos Francos tonantibus; contra Normannis, veluti impreſſionem in murum facerent, minora nauigia applicantibus, atque annitentibus ad maiora euadere. Ita dum prælium multo ſanguine vltra horam ſextam producitur; fortè ignis in vnius Belgicæ nauis puluerem inuolat; ac repentè ea nauis ac quinque proximæ, tum Belgicæ tum hoſtiles corripiuntur incendio. Quo factum vt cæteræ pugnam omiſerint, Dieppam quinque naues è Belgicis ductæ; & longè plures occubuerant è Belgis, niſi mors Spineuilæ, præfecti claſſis, Normannicæ, & peritiſſimi rei maritimæ, cladem adæquaſſet. Dum hæc in Oceano, Mediterraneum ſuâ etiam inſignitur victoriâ. Baro Gardiæ quatuordecim triremibus vectus, in viginti quinque Hiſpanicas naues inciderat, quibus impoſita quinque Hiſpanorum tironum millia vehebantur in Italiam. Eæ tum ſecuræ in Corſico littore agitabant, quas de improuiſo aggreſſus Gardia, fundit ac diſſicit; duæ ſubmerſæ ſunt, aliquot captæ; atque è tironibus, mille partim cæſi, partim remo dati. Maiorem belli molem præter mutuam defatigationem, pax ſperata in dies arcebat. Etenim Polus Cardinalis rurſum in eam ſtudia operámque addixerat, atque Imperator, iam ſeceſſu prorſus deliberato, optabat vehementer, extremum actum regiminis pace concludere, & bellum quod in Europa tamdiu propagaſſet, ſaltem cùm deſineret ipſe, extinguere. Ideò Polo gnauiter allaborante, cùm de pace integra nondum conueniret, aſſenſu Principum in quinquennium pactæ ſunt induciæ; quarum lex præcipua, vt quiſque in quinquennium poſſideret, quæ tunc obtinebat; libera eſſent vtrobique commercia, ac fœderati quos inuicem dicerent, beneficio pacis fruerentur. Eas inducias Colinius Bruxellis coram Imperatore iurando ſanciuit, ſpectante Rege Bleſis Lalinius. Adſcriptum erat vti captiui mutuò reſtituerentur; tribus duntaxat exceptis, Mareſcallo Martio, Franciſco Mommorancij filio, & Philippo Croio Duce Arſcotio; & is quidem è Vicennarum ſaltu arte euaſit; duo alij redempti. Sed Martius in vxoris redimentis gremio expirauit, vir incorruptæ in Francos Fidei. Eius obitu Stroſſius Mareſcalli munus obtinuit, quod antea per abſentiam Martij exercebat. Poſt inducias Februario menſe contractas, ſequente Octobri Carolus Imperator acerbiſſimis cruciatibus podagræ diuexatus, & concepto ingenti humanarum rerum vel tædio vel contemptu; cùm plerumque felicitatem ſuam incuſaret, quæ ſecum vnà conſenuiſſet; fortunámque mulierem appellaret, quæ ad riualem adoleſcentem conuerſa canos ſenis contemneret; ſtatuit abdicare ſe Imperio, & regnis per tot ærumnas curáſque aſſiduas comparatis. Eam rem, quandoquidem fusè & pro dignitate à pluribus ſcripta, teritur omnium manibus, nec mei eſt inſtituti, enarrare eo loco omitto; ac orbi terrarum exiſtimandum relinquo, quando contrariæ perſtant ſententiæ, quo potiſſimùm animo Princeps prudentiſſimus, prærepto ante obitum funere, viuum ſe viuentium albo expunxerit,

Eſpineuille.

Inducia inter Principes.

Anno 1556.

Lalain.

Imperatoris ſponsa abdicatio.

expunxerit, ac potestatem quam tam vehementer ambiverat, sponte deposuerit atque abiecerit. Sanè ad facinoris laudem inclinat animus. Quæ enim præpostera illa ambitio, ea quæ concupiscas abijcere; cui in omnes imperium sit, placere obsequium; & versantem in amplissima luce, amplecti tenebras atque caliginem? Persuasum sit potiùs, quod humanitati nostræ sit maximæ laudi, Christianum Principem, prosperis aduersisque elatum & afflictum, clarum virtutibus nævisque contactum, in fallaciam humanæ amplitudinis introspexisse, ac magistro se didicisse, mundi fastigium ac votorum apicem, onus esse grauissimum, quod abdicatione sola deponitur.

X. *Belli contra Philippum Regem causa.*

Bellum quod Carolum inter & Franciscum tam violenter exarserat, eorum morte videbatur extinctum (nam statim Carolus postquam abdicauit se pro mortuo habitus, páxque illuxisse concupita tot gentibus, calamitatum serie atritis & propemodùm perditis. At repentè procella vnde minimè oportebat excita, iterum Europam acerbissimis malis implicuit; luémque belli longè fœdissimam in mortales ambitionis flatus immisit. Anno antè proximo Iulius Pontifex suo fato obierat, successerátque Marcellus Cervinus, qui vigesimo altero die, solium vacuum successori dimiserat. Is Francorum Cardinalium calculis Ioannes Petrus Caraffa, ex nobilissima Neapolitana familia, iam grandævus, nam annum agebat septuagesimum nonum, excultus scientiis, & humanarum peritissimus rerum, Pontifex dictus est, & Paulus eo nomine quartus nuncupatus. Illum multæ iniuriæ tum in se, tum in affines ab Hispanis collatæ, in Francorum partes addixerant; metuebántque viri prudentes non temerè, ne iniuriæ sensus magnum aliquod malum procrearet. Attamen Paulus sub primordia, vt se æquum amantémque patrem exhiberet, legatos ad Principes pro constituenda pace instruxerat. Nec ab optimo sene malum obortum est, ab eius nepotibus arcessendus fons calamitatis. Ij ex fratre tres admodùm erant Alphonsus Montorij Comes; Carolus eques Melitensis, & statim à patruo dictus Cardinalis; atque Antonius Montisbelli Marchio, qui illicò administrationem rerum capessentes, vt vehementi ingenio erant, dignitatum & opum cupidi, eò ardentiùs, quòd præ senio pronus in sepulchrum Pontifex, moram breuem ambitioni permitteret, cœperunt omnia perturbare atque confundere. In Columnas maximè prouectus impetus, quorum ampliſſimæ ditiones Ecclesiastico fisco addictæ; mox cum Marcus Antonius Columna Hispanorum opem imploraret, in Hispanos ipsos conuersa consilia, & impulsus à Nepotibus Pontifex in cupiditatem Neapolitani regni obtinendi. At cùm cupiditas sine Francorum auxilio frustra foret, Nepotes vti eos in desiderij partem atque emolumenti vocarent, rem Henrico proponunt, ad Cardinalem Lotharingum scribunt, eúmque suam in mentem obiecta spe luculenta pertrahunt. Nondum erat conuentum de induciis, cùm res tanti momenti in consilio Regis agitatur; sententias oppositas tuebantur Cardinalis & Mommorancius. Hic abijciendam spem nouam & erumpens bellum affirmabat. *Nunc de pace inter Principes agi; si conueniretur de ea, quomodo bellum contra*

De Montoire.

De Montbel.

HENRICVS II.

contra fidem iuratam Neapolitanis nouum inferretur? Sin bellum perstaret; an non hostium affatim supereſſet; cùm Hiſpanis & Belgis Angli accederent? quos ſingulos Francia tot laboribus ſuáque magna pernicie egrè repulisſet. Contra Cardinalis, præter inane gloriæ ſtudium, quo immoderatè flagrabat, & nomina illa ſpecioſa, *Defenſoris Eccleſiæ*, & *Patroni Pontificum*, quibus Nepotes mentis aciem perſtringebant, clàm etiam vtilitatem priuatam vocabat in conſilium. Quippe ſpem thiaræ conceperat; nec dotes ad eum apicem deſiderabantur; ad quem evectus, Guiſio fratri regnum Neapolitanum comparare poſſet; ſi quando ex Andegauenſi ortus familia, ius auitum vellet è patrum cineribus ſuſcitare. *Ille igitur Regi bellum iuſtiſſimum atque facillimum proponebat: quid enim iuſtius, quàm tueri Summum Pontificem, vindicare iniuriâ, & Eccleſiæ patrimonium per nefas raptum reſtituere Domino? Nec arduum, rem inceptam perficere, fauente Pontifice, & Caraffarum gente promouente in regno ſtudia, & excitante Andegauenſium partes, Hiſpanorum ferro nondum exciſas.* Atque in eam ſententiam raptus eſt Henricus; iuſſique Cardinales Lotharingus atque Turnonius Romam proficiſci, & rem paciſci cum Pontifice. Quanquam Turnonius, prudentiſſimus ille vir, inuitiſſimo animo ſuſcepit prouinciam, veluti præſagus quam calamitatem iret apparatum; nec profectus eſt, niſi poſt iuſſa geminata, affirmánſque lacrymantibus oculis, ſe haud ſponte ire miſerias Franciæ arceſſitum. Ii itaque fœdus pangunt cum Paulo; vt Rex Sedem ſanctiſſimam, Paulum, & Nepotes, in patrocinium & defenſionem acciperet; Pontifex vni è Regis liberis excepto Delphino Neapolitanum regnum conferret, ad quod obtinendum, Rex in ſingulos annos trecenta quinquaginta nummorum millia ſuppeditaret, atque exercitum ex duodecim peditum millibus, duobus equitum. Adſcitus in ſocietatem Hercules Dux Ferrarienſis, Guiſij ſocer, eíque imperium in omnes fœderatorum copias datum. Haud multò poſt admiſſæ ſunt, & iuratæ induciæ, imprudenter quidem, & forſan iniquè; cum ea pacta firmarentur iureiurando, quæ ſtatim ex potiore pacto violanda erant. Quippe Caraffis & Columnis per mutuas iniurias exacerbatis; eò libentiùs, quod ſinguli haberent Reges, ſuarum iniuriarum ſponſores quodammodo & fideiiuſſores; Columnæ primi arma corripiunt, inflammante Duce Albano, qui Neapolitanum regnum adminiſtrabat; nec conſcribere militem cunctatur Pontifex, vocato Stroſſio Mareſcallo, qui Martia indole, & Hiſpanis infenſus; belli æſtum atque incendium afflauit vehementius. Sic Pontifex in neceſſitatem belli intruſus, Cardinalem Caraffam Legatum ad Regem mittit, in ſpeciem vti ad pacem cum Philippo adhortaretur, ipſa re vt abruptis induciis bellum indiceret. Legatus Fonbellaquæ exceptus, Regi veluti Defenſori Eccleſiæ, & vindici ſanctiſſimæ Sedis, ſenatorium Pileum & Gladium offert, gemmarum luce capulo vaginàque ſplendentibus; orátque vt iuxta Regum maiorum Religionem, & Chriſtianiſſimi nomen, ſanctiſſimi Patris tutelam cauſámque ſuſcipiat. Re vocata iterum in conſilium; Mommorancius præter ſuperiora, adiungebat; *Iuratas modò induciás, nec integrum eſſe à re ſanctiſſima reſilire; obrutos eſſe calamitatibus populos, niſi reſpirandi ſpatium detur,*

detur, deficiendum esse sub onere. At si bellum placet, cur tam longinquum, incertum, & anceps? in extremam Italiam vires totas Francia ablegandas; at quo fulcro è depontano sene, qui spes cum vita statim extinguet; inexpertis & ambitiosis nepotibus, qui suis unius commodi studiosi, tam id ab Hispano quam à Franco petent; & ubi res malè successerit, ad hostem accedent, emolumentum ex Francorum detrimento capturi. Nihilominus Guisiorum factio, specioſissimo Ecclesiæ colore, eiusque defensionis, ad Caraffarum mentem Regem perducebat; *Inducias primùm à Cæsare violatas, qui Patrem communem per Columnam clientem & per Albanum vexari sineret; vim repelli, quod natura iis permisisset infirmissimis animalium; nec vlla religione pacis aut sacramento vetari, quin tegendo capiti manum aut brachium quis opponat.* Hæc & similia Guisij: & accedebat Reginæ assensus, quæ ab Strossio affine in eam sententiam impellebatur; at maximum pondus, quo inclinatus est animus Regis, Diana Pictauiensis adiunxit. Ea Guisiis palam addicta; siue quod Aumalius alteram ipsius filiam haberet coniugem; siue allecta Cardinalis Caroli blandimentis, qui mulierem omni officio, humili etiam atque abiecto demerebatur; siue pro feminarum indole, amaret Guisio mutare Mommorancium; eas ob causas Regem in bellum impulit, persuasum nihil glorioſius, quàm Ecclesiæ Christique sedi patrocinari. Nec Mommorancius fuit in sententia pertinax; siue tem iam constitutam perspiceret; siue vt Guisios amandaret procul bello implicitos, cuius præsagiebat infelicem exitum; ita fore vt absentium gratia primò marcesceret, mox infortunio corrumperetur penitus & deperiret; & ipse Pontificis operâ indigebat, ad soluendum matrimonij nexum, quod Franciscus filius cum Pienna contraxerat. Ita singulis ad ruinam Franciæ conspirantibus, in miseriarum voraginem vltrò prouoluitur.

HENRICVS II.

Stabilito belli proposito, eius gerendi occasio statim accedit. Albanus ducto exercitu in gratiam Columnarum, in Flaminiam penetrat, & Romæ coniuratio in Pontificis caput in lucem eruitur: Ideò iussus Mola è Corsica in Italiam duo Vasconum millia ducere, & Monlucius quem Senenses studio maximo reposcebant, se conferre Romam, ac suam operam Pontifici præstare, dum Guisio exercitus apparatur. Ipse Guisius, postquam Imperator Carolus coronam deposuerat, acerbissima hyeme, per Alpes ducebat duodecim peditum millia, armaturæ grauioris equites quadringentos, leuioris octingentos, magnâ Nobilium frequentiâ, præter Aumalium atque Elbouium ipsius fratres, & Nemursium Ducem; iamque fama aduentus Paulum liberauerat, Albano se recipiente in regnum, ad defensionem parandam. Extemplò Guisius, vt Italiæ innotesceret, Valentiam in Mediolanensibus obsidet, capítque post dierum quatuor verberationem; cùm ex præsidiariis Rhæti ad expugnantes deficerent, Italici fuga se per muros proriperent. Sic iniecta passim formidine, auctor erat Brissacus vt Guisius Cremonam contenderet, vrbem perterritam captum iri; nullas Hispanorum in Insubribus copias, Ducatum vniuersum nullò dispendio occupari facilè & subigi posse. Et in id consilium, quod prudentissimum erat, inclinabat Guisius; verùm ab eo Cardinalis fratris & Caraffarum

XI. *Guisius in Italiam mittitur.*

Anno 1557.

HENRICVS II.

tum minis tum precibus, inconsultè abductus, certum emolumentum spe incerta perdidit atque abiecit. Itaque per agrum Parmensem ad Herculem Ferrariensem socerum suum contendit; eúmque ad Rhegium occurrentem salutatum honorificè, vti prætorem totius exercitus, consulit de vniuersa belli ratione. Cùm variæ sententiæ dicerentur; affirmat Guisius sibi à Rege mandatum, vt Romam iret; vnde abscissâ deliberatione Brissacus in Pedemontium redit, de eo bello malè auguratus; at Ferrariensis copias tradere Guisio abnuit, ne ditionem suam hosti exponat, tormenta duntaxat ac sulphureum pulverem vti promiserat præbet; ac Guisius Caraffarum spe fretus, versùs Bononiam tendit. Mox placuit in Neapolitanum regnum inuadere; ac breuiori via quæ ad mare patet incedere; per Firmum, Asculum, & Ciuitatulam, eóque præiverant cohortes aliquot Pontificiæ. Et verò Albanus de aduentu eius sollicitus, limites regni inuadenti iam deserebat, se in munitas vrbes recepturus, iamque Strossius atque Monlucius Ostiam, Velitras, & Marinum eripuerant Hispanis; vt momentum belli id vnum fuerit; quod omittens Guisius, ambitione, vel aliena, vel sua qui scandebat in apicem, illicò præceps in imum corruerit. Quippe cursoriis equis aduolans Romam, vt cum Pontifice ageret, totum mensem trivit superuacuâ morâ & perniciosâ, siue Caraffarum officiis retentus, *siue* sua sponte, vt officiosis salutationibus Cardinales plurimos conciliaret. Nam eam intra moram Albanus animo instaurato, regni limites communiuerat, firmúmque præsidium in Civitatulam coniecerat. Id exiguum oppidum postquam per tres Hebdomadas Guisium repulit, accedente Albano cum copiis, liberatum est obsidione. Iámque passim cuncta erant Guisio infensa. Nam Octavius Farnesius cum Hispanis conuenerat, recepta Placentia, & Cosmus Florentiæ Dux Senis tandem à Philippo donatus, ad impensas Senensis belli sarciendas, arma & opes ipsi adiunxerat, & orto Guisium inter & Marchionem Mombellum iurgio, Mombellus Romam secesserat, Caraffas fratres abducens à Guisio. Prætereà euanuerat spes Turcicæ classis; nam offensus superba oratoris Francici voce Solimannus, centum triremes Constantinopoli continuerat, quas à Draguto ducendas promiserat Regi; iisque desideratis Baro Gardiæ nihil aggredi ausus est. Quapropter Guisius cùm à Rege instanter supplementum exposceret meditabatur regressum; tandem Pontificis ardentissimis precibus, sibi merito ab Albano timentis, retentus in Italia. Dúmque propè naufragus in scopulo hæret, ambiguus quid consilij capiat, ignominiosa clade ad Sanquintinum accepta, reuocatur à Rege, vnica post naufragium Franciæ tabula, iussus exercitum simul deportare. Ea res Pontifici nuntiata, iniucunda haud fuit; cui graues ipsi amici iuxta hostes erant; & procliui ad pacem Albano, Franci quasi superuacanei iam oneri erant atque incommodo. Nec difficulter de pace conuentum est; oppida mutuò restituta sunt; peteret veniam Albanus atque acciperet, condonarentur vltrò citróque iniuriæ, Pallianum arx in sequestrum iret; sed tota iræ moles in Marcum Antonium Colomnam & Ascanium Cornium corruit, qui deferente Hispano diris damnati sunt, Pontifice ab eorum venia contumaciissimè abhorrente. Postea Albanus Romæ iis honoribus exceptus qui mo-

Civitelle.

dò

dò Guisio præbiti erant ; quódque obseruatur , equo eodem inuectus est , verè facto ad mentem domini , qui sessores tam diuersos admitteret ; & luculento exemplo quantum Francis societati Italicæ innitendum. Quanquam is vnus societatum est nexus , vt quem adstrinxerit vna vtilitas , damni metus soluat , vel abrumpat. Guisius ad Ostiam cum duobus millibus Sclopetariorum triremes conscendit , reliquas copias per Æmilium , Ferrariam , Rhætos , atque Helvetios Aumalius duxit ; Monlucius haud multò post reuocatur in Franciam ; & Ferrariensis , Regis assensu , non incommodam pacem cum Hispano fecit. Sic Martis furor in vnam Franciam effundebatur. Verùm illa stylum calamitate tristissima vocat , in argumentum lugendum , funestissimúmque spectaculum. HENRICVS II.

XII. *Bellum in Flandriam inuectum.*

Dum Alpes Guisius transgrediebatur , simul Henricus in Artesiam arma inferebat : nec per fecialem bellum significat , sed Colinium Admiralium iubet in hosticum irrumpere , & cæco fulgetro fulmen evibrare. Ille igitur nocte quæ festum Epiphaniæ diem consequitur , cùm homines ob solemnes epulas vino & sopore sepulti sunt , Duacum occupaturus accedit , & quodam Eremita duce murum inscendebat , cùm aniculæ clamoribus excitati vigiles discussérunt consilium ; tunc Colinius ad Lentium oppidum conuersus , iam bello non dissimulato , vi irrumpens captum diripit , atque incendit , vastatísque limitibus in Picardiam redit , quam administrabat. Exclamant Hispani violatum ius gentium , summâ perfidiâ fractas inducias , prædonum instar Francos irruere , bellúmque non indictum inferre innoxiis , & fide iurisiurandi securis. Ad ea Regis nomine , scripto respondit Carolus Marillacus Archiepiscopus Viennensis ; primùm ab Hispanis fractas inducias , & religionem pacis violatam ; illos summo Pontifici bellum intulisse , imò per insidias obtulisse mortem , Artesiæ præsidia impunè grassari , atque excurrere in Picardiam , ad occupandas vrbes plurimas , Metim , Burdegalam , Alcinimontem clandestina consilia instruxisse , admisisse veneficum qui Mariemburgi puteos veneno inficeret , Marchium Marescallum præbito toxico peremisse , misisse speculatorem qui munimenta arcium delinearet. Ea Franci reponebant expostulantibus , vera quædam & alia colorata ; quando inter infensos querelarum causæ nunquam desunt. Postea Henricus equite in hiberna misso totum se ad ludos addicit , & negotiosum gaudij otium. Nempè Mommorancius retinendæ potentiæ cupidissimus , vt Dianæ auctoritati potestatem parem opponeret , summo studio parauerat nuptias alterius Dianæ , Regis spuriæ , Francisco maiori filio ; ea Horacij Farnesij vidua ; patri chariſſima , videbatur contra Guisiorum gratiam & Pictauiensis , erectura Mommorancciis validum propugnaculum. Dum igitur choreis , epulis & hastiludiis securi hostium Franci capiuntur , Philippus Hispaniæ Rex , vindicaturus iniuriam , exercitum instruebat sedulò sed dissimulanter ; quanquam paterno ære grauissimè oppressus , & exhausto ærario , pecuniâ valdè indigeret , tamen vendito patrimonio Regio , & certior famam & existimationem à primordiis peti ; laborabat ne quid peccaret in carceribus , atque in stadium

HENRICVS II.

dignus plausu orbis ingrederetur. Igitur postquam exercitus apparatus est, ductorem dicit Philibertum Sabaudiæ Ducem, iubétque extemplò in Franciam penetrare. Nec ille rectà in scopum collineat; sed tentatâ Campaniâ, & Rocroio frustra impetito, mox in Picardiam flectens, Guisæ minatur, tandem improuisus obsidet Sanquintinum. Henricus serò tandem ludis experrectus, in Campaniam venerat, Niuernense viro fortissimo, Rocroij curam suscipiente; ac dum Rhemis agit, fecialem accipit à Maria Regina Angliæ, qui bellum indicit. Quippe Philippus ab vxore inuita eam societatem belli extorserat, comminatus absentiam atque dissidium, nisi mariti sortem subiret. Nec in hostes munita admodùm Francia erat, arces commeatu destitutæ & milite, pauci sub signis externi milites, in quibus tunc militiæ robur, plerique omnes inopinata hostium incursione perculsi: Ideò missi qui Heluetios Germanósque conscriberent. At in Hispano exercitu erant triginta quinque peditum millia, duodecim equitum; inter ductores præstabant Dux Arscotius, Comites Mansfeldius, Egmontius, Barlemontius, & Megius; & accesserunt haud multò post nouem Anglorum millia, equites mille & quingenti, ductoribus Pembrocio, Clintone, & Græo. Henrici exercitus longè impar recensebat septemdecim peditum millia, equitum sena. Porrò Sanquintinum oppidum est ad Somonæ fontem, caput olim Veromanduorum, medium inter arces Faram Hamum & Peronam, situ paludes inter vliginoso admodum; atque adeo positum in finibus propugnaculum; enimverò tunc temporis inualidum, quà præsidio, quà cætero commeatu. Breulius præfectus, recens præfecturam adierat, erat turma cataphractorum præsidij loco, quam Telinius ducebat, & ducenti pedites, nec multùm spei in ciuibus, qui alieni ab defensione, perinde habebant vinci ac vincere. Mommorancius constita obsidione, perstrictus iustis querelis expostulantium, quod Admiralij negligentia immunitæ vrbes Picardiæ forent; eum iubet in obsessam vrbem penetrare, ac vitam in conatu ponere. Et ille fortiter vti erat iussus per hostium vallum pernadens, quingentos milites in vrbem inducit; statímque multis ad propugnationem prudenter mandatis, propugnaculo quod ad Insulæ suburbium erat hostem expellit; sed magna iacturâ. Quippe præter militem, cui in summa inopia parcere debuit, Telinius vir præstantissimus cæsus est; & quarto post die, tum propugnaculum, tum admotum suburbium tradere hosti oportuit. Laborabat penuriâ rerum propè omnium Admiralius: nam deficiebant tormenta, puluis, instrumenta fossoria, miles sclopetarius maximè, quódque in paucis perniciabile, erat odio ciuibus, ob nouam hæresim quam palam & propè in oculis omnium profitebatur. Ille cùm aduerteret vrbem qua adiacet Palus, ab hoste lentius premi, Valpergo in turrim campanariam ducto commonstrat, quæ regredienti via tenenda sit, mittítque ad Commestabilem ad ducendas suppetias. Comestabilis duo milia sclopetariorum Andelotio tradit, qui Valpergo duce, vel aberrans à via, vel hoste à captiuo Anglo præmonito, repulsus fortiter, ægrè quingentos in vrbem immisit; cæteris quâ cæde quâ fuga dissectis. Admiralius, cùm in dies militum inopia premeret, aduertit per paludem commodè opem posse immitti; si quædam voragines opplerentur,

Sanquintinũ obsessum.

rentur, & pauca nauigiola ad traiectionem in locis aliquot præberentur. Ea de re Commestabilem certiorem facit, comparet nauigia, se humo iniecta cumulaturum voragines. Ad monitum, Comestabilis ad Essinium progreditur, mittit qui significatum iter, hostium castra, & locorum situm exploratent; tum Faram regressus, aduocato consilio, rem deliberandam proponit: se statuisse ducto toto exercitu, per ostensam paludem subsidia in vrbem iniicere, sibi exploratam locorum distantiam, perpensam difficultatem, nec occurrere viam seruandæ vrbis commodiorem. Eo die Faram ex aula venerat Santandreanus, ac pro rerum militarium peritia qua multùm pollebat, dehortabatur ab eo consilio; nec tormenta ducenda, nec peditem, nisi quem in vrbem immittere opus esset; equitatum sufficere, qui vigilibus præcurrentibus, peditem sub ortum lucis ad paludis oram deduceret; séque ipse postmodùm periculo nullo reciperet. Aliter fieri non posse, quin admoti exercitus in prælium irent; sicque omnia nulla necessitate in grauissimum periculum agi. Cæteri duces prudenti consilio assentiuntur; solus Comestabilis in sententia pertinax fuit, seu æmulatione in Santandreanum, seu noxa magnis vitis perpetua, quos mutare sententiam pudet; quasi mutando fateantur insciciam; cúmq; Santandreanus nouis rationibus mentem suam fulciret, respõdet Comestabilis, indignatis voce & facie; sibi exploratas gerendarum rerum occasiones, id ab experientia longa didicisse; quare se suo munere fungi paterentur. Marescallus obmutuit, séque omnes in futuram perniciem cæco obsequio comparatunt. HENRICVS II.

XIII. *Pugna ad Sanquintin, & clades.* Anno 1557.

Illucebat dies Augusti decimus, qui diuo Laurentio sacer, in posterum cultus est magna Hispanorum gratulatione; cùm Mommorancius præmisso peditatu, & maioris molis tormentis quatuordecim, aduolans cum Proceribus & vniuerso equitatu, peditem assequitur, dispositísque ordinibus, circa horam decimam, Sanquintinum ad suburbium Insulæ aduenit. Hostium castra vltra Somonam amnem porrigebantur; eis amnem obtinebant suburbium quatuordecim Hispanorum signa; erántque præterea in pistrino proximo duæ sclopetariorum cohortes, tuentium aggerem, quo in vlteriorem amnem patebat transitus. Ij extemplò à Francis disiecti sunt, aggérque occupatus, tum Comestabilis iubet tormenta in hostium castra obuerti, explodíque continuò. Discerpta illicò & euersa tabernacula fragore ingenti, perturbant hostem ac terrefaciunt; Sabaudo inermi vix ad prodeundum spatium fuit, euadenti ad Egmontium metantem longius; miles reliquis disiectis tentoriis, loco abscedit, & petito circuitu ad Egmontij copias se adiungit. Sed non ideò subsidia immittebantur commodius. Conceptum inconsultò consilium, immaturum atque acerbum in lucem prodibat. Receperat Comestabilis prima luce affuturum se ad paludis oram; Admiralius nemine comparente, tolli asseres iusserat, quos superposuerat locis incommodis, ac paxillulos ligneos detrahi, quos ad commonstrandum iter infixerat, ne ab hoste deprehenderentur, qui tota die per paludem lintribus vehebatur. Et pauciora ad transitum nauigia Comestabilis tulerat; ita magno tumultu irruebant in ea milites, quæ aggrauata numero vehentium, vel hærebant vliginoso cœno implicita, vel appellere ad

HENRICVS II.

oram non poterant; vel qui ducerent deficientibus, in abditas voragines mergebantur; tum hostis tormenta in paludis oram explodebat; ita eorum qui ad suppetias designati erant, plures palude immersi sunt, multi ab hostibus cæsi, centum duntaxat Duce Andelotio introducti in vrbem sunt. Comestabilis ratus vniuersos exceptos, de receptu cogitat. Enimverò hostes trepidatione excussa, recipientem se aggredi statuunt, eámque in rem amnem transmittunt vado, quod gemino milliari patebat infra suburbium Insulæ. Admonitus quidem Comestabilis erat, custodiendum intentius vadum, ísque centum apposuerat equites, qui primo impetu hostium pulsi sunt. Postea Nivernensis eo turmam suam equestrem agit, comperítque Egmontium transmissum cum duobus equitum millibus, censebátque impetendum agmen hostile; sed ab aliis damnato temeritatis consilio, continuit se, & ad Condæum se recipit; quanquam ea temeritas seruabat exercitum, atque hoste inhibito receptum tegebat; vsque adeò in humanis virtutes incertæ sunt, & peccare in artem maximæ artis est. Condæus cum leuiori equitatu postremum agmen ducebat, incedebátque lentiùs, ceu pugnæ cupidus; cùm vniuersus Hispanicus equitatus vado pertransito, in octo agmina distributus, assequitur recedentem. Primùm hostis substitit, breui mora ad deliberandum, tum *effusis habenis* in Condæum irrumpit. Alteram alam ducebat Egmontius, *alteram Hornius* Comes, mediam aciem Monsfeldius impellebat. Primo congressu Franci disiecti sunt, siue tumultu cœpto ob raptas sarcinas, siue Niuernensis infortunio, qui lævo cornu ducto, fortè in ima valle cùm incepit dimicatio incedebat, atque ad pugnam cùm vellet frontem conuertere, subita fuga commilitonum, & hostium proximo impetu oppressus, aciem instruere haudquaquam potuit; & vir fortissimus nullo edito prælio victus est, stragi ægerrimè suum caput proripiens. Equite profligato, in peditem explodunturtormenta, tum nutantibus ordinibus, in eum victor irruit, & magnam stragem tam pugnantium quàm fugientium edit. Cæsi Francorum quinque millia scribunt qui imminuunt cladem, decem millia qui augent; cùm ad siluam magnus fugientium numerus cæsus sit: nec omnes passim sine dimicatione fuga abstulerat, in ipso prælio occubuerunt Franciscus Turenius Vicecomes Comestabilis gener, Rocamenij filius, Claudius Rocachovartius, Guro, Gulenius, Sangelasius, interíitque in castris hostium sclopeti glande Ioannes Enguiennius Condæi frater, tam generositate quàm natalibus Princeps, defletus & desideratus ab ipsis hostibus. Capti sunt Comestabilis, coxam ictus sclopeto, Dux Mompenserius, Dux Longavilla, Santandreanus Marescallus, Ludouicus Mantuani frater, Ringravius Germanorum Tribunus, Vassæus, Curto, Rocamenius, Rupifocaldius, Mombrunus Comestabilis filius, Ioannes Gontaldus Biro, Fumellus, Capella Biro; aliíque quamplurimi, nobilitate aut dignitate conspicui. Pauciissimi ex hostibus desiderati sunt; vt eam cladem nihil dixeris minus quàm pugnam. Illius culpa ad Comestabilem maximè deriuatur, qui præterquam quod totum exercitum in apertum discrimen coniecit solâ mentis pertinaciâ; multa præterea peccasse dicitur,

Viconte de Turenne. Rochechouart.

dicitur, quod impedimenta in subitam expeditionem conuexerit, ad promissam horam quod non affuerit, luce palam quod se receperit; postremò sclopetarios quod equitibus non immiscuerit, ad frænandum hostium impetum. Quæ vt vera sint, sua etiam cæteros culpa inuoluit: nam attoniti duces & stupore quodam perculsi, quasi mente & fortitudine momento deiecti; nulla de tota re cura susceptа, cæsi vel capti sunt; vt possit affirmari eo in exercitu plures fuisse milites, neminem ducem, qui nusquam splendidiùs quam in tenebris infortunij lucet. HENRICVS II.

Franciæ post tantam cladem vna relicta spes erat Nivernensis, qui dotibus imperatoriis clarus optimè affectus ad patriam erat. Ille vbi Faram tenuit, & simul Condæus Princeps, Franciscus Mommorancius, Sancerra Bourdilio, & pauci alij, missò ad Regem Compendij agentem nuntio; Laudunum venit, ad reliquias exercitus colligendas. Quanquam nec impensæ is parcebat nec operæ, ægrè coacti equites mille sexcenti, pedites quinquies mille; quorum magnam partem sua pecunia armis & equis instruxit, saucios per Chirurgos suos curauit, aluit cibis suis, plerumque quos in mensam suam coqui apparassent vulneratis largiens. Rex in calamitate haud se abiiciens, nobiles cunctos Laudunum conuocat, Reginam cum Bertrando sigillorum custode, Parisios mittit, ad confirmandos ciuium animos, Paulum Termeum è Pedemontio arcessit, & Parisiis præficit; petit ab Helvetiis inuiolata fide sociis conscribi sexdecim hominum millia, Reicrocum in Germaniam ad delectum mittit; dein Guisium ex Italia deportare exercitum iubet. Franci proceres, Regi & patriæ in ea calamitate non deerant; Parisienses sponte trecenta librarum millia conferunt, singuli Proceres, recipiunt se defensuros arcem assignatam, munituros sumptibus suis, quam victori hosti opponerent, Brissacus non operam modò; sed opes Regi addicit liberaliter, precatus vt facultatum suarum reditus in vsum belli impenderet, sibi relictis duabus dumtaxat librarum millibus quibus se vxorem & familiam aleret: attamen frustra solicitudinem tantam impendissent Franci, nisi ipse victor vota infra fortunam suam moderans, nimia mora spatium victis spem & solatium impertiisset. Quarto post pugnam die Philippus in castra venerat, & delibato lætissimis oculis victoriæ tantæ spectaculo, spolia, tormenta, signa, captiuos, curiosè; atque haud semel inspectans, frui victoria quam vti maluit. Nam haud dubiè si vltrà victrices copias intulisset, quæ erat Franciæ consternatio atque infirmitas, cepisset Parisios, regnúmque vniuersum in exitium proximum impulisset: ísque fuit Caroli patris sensus, vt scribitur, qui accepto de victoria nuntio, quæsiuit an filius Parisiis ageret; quasi innueret peritissimus senex, eo successu parum admodùm actum, nisi victor exciperetur Parisiis. Quanquam alij tradunt, ad nuntium egisse gratias Deo immortali, quod imperium filij tam felici exordio cohonestasset, simúlque diuinam reueritum iustitiam, quæ violatores pacis pœna afficeret; cæterùm de consilio quod peteret filius, se iam à mundo exulem atque extorrem nihil posse consulere, nisi vt filius viros prudentes audiat, quos consiliarios pater reliquisset: vt vt sit de Carolo; Deus eam mentem

XIV. *Sanquintinū captum.*

ab

HENRICVS II.

ab hoste amouit, pepercítque Franciæ, calamitati modum constituens. Igitur Philippus ad Sanquintinum expugnandum intendit, & murorum verberationi adiungens cuniculos, iam septem locis amplas labes intulerat; octingentos milites opponebat Admiralius, numerum longè impar rem, amplæ vrbi malè communitæ, in victorem hostem propugnandæ: nam ciues & rustici cogi ad opus, nullis minis, nullo metu, aut pœna poterant, tanto flagrabant in Admiralium odio; quare duces cæteri auctores erant, vt de dedenda vrbe ageretur; *nihil propugnanti vrbem ignominiosius, quàm si eâ per vim hostilem deijcitur, cùm nullo fructu detrimenta plura incurrat: nam vrbs amittitur, ciuis spoliatur, miles perimitur, præda hostis oppletur & sanguine, nihilque Principi præter dolorem & iacturam militis comparatur; imò nec ipse Præfectus; qui arcessit mortem, laude animi commendari potest, ob facinus quod inxta ab ignorantia ac fortitudine proficiscitur.* Et ea peruidebat Admiralius, sed sperabat si vel vnam impressionem repelleret, producendam diu obsidionem, morámque temporis quæ foret Regi pretiosissima obtinendam. At desiderium euentus fefellit, Philippus vrbem simul per ruinas omnes aggreditur, die Augusti vicesimo septimo, & per vnam irrumpens miles vrbem capit, funestátque cæde miserrima. Ciui parcitum, in armatos sæuitum maximè; Duces cæsi aut capti; Admiralius captus, & Andelotius, qui se mox victori subripuit, per paludem proximam, magnis functus periculis. Vno cursu victoriæ Casteletum à Solinaco Hispanis traditur, Hamum expugnatur, vrbs quidem indefensa; in arce plus laboris impensum: inexpugnabilis vulgò habebatur, & situ quidem commodissimo erat, sed muris aggere terreo haudquaquam fultis, extemplò ruina per tormenta inuehitur, atque arx redditur. Dein Nouiodunum & Caunium capiunt; statímque formidandus ille impetus deficit; quasi victoribus metas numen posuisset. Nam Angli de Hispanis expostulantes, in prædæ & captiuorum distributione, impetrato commeatu, discesserant; Germanorum multi similiter, ob eandem prædæ inæqualitatem deficiunt, & eorum quinque millia Niuernensis excepit: augebantur in dies copiæ Regiæ, atque aduentabat ex Italia Guisius. Quas ob res Philippus accuratè munitis Sanquintino, Hamo, & Casteleto, Bruxellas abiit, in hyberna exercitu misso. Interim Polleuilla spe occupandi Burgi in Sebusianis vrbis deiicitur. Decem Germanorum millia per Atrebatios: Sequanósque adduxerat; & alebat clandestina Sebusianorum consilia. At Niuernensis Eschenaium & Anglurium Iorsum miserat, qui vestigia eius legerent, ipsúmque vrgerent; & Vidamus Carnutensis duo scloperariorum millia vrbi immiserat; imminebátque Guisij miles, quem per Alpes Aumalius reducebat; itaque Polleuilla ne prorsus exitus intercluderetur; maturè reditu sibi consuluit; consciis proditionis Senatui Camberiensi ad meritas pœnas derelictis.

Solignac.

Chauny.

XV. *Caletum à Guisio captū.*

At Guisius in Franciam redux ingentes spiritus ad erigendas res afflictas affert; Rex illi extemplò vniuersum imperium in exercitum tradit, quod ille tam ambitiosè admittit, quàm modestè repudiauerat Niuernensis; quanquam eo fastigio non indignus. Et Guisius illicò, vt grandi aliquo

aliquo facinore expectationem impleret, Caleti capiendi consilium init. Dubium est: an primus eam mentem conceperit, an ab alio conceptam promouerit; sanè vt fatear, Senarponti Bononiæ Præfecto id plaçuisse primo consilium, datámque occasionem ex colloquio Francos inter & Anglos de pace habito, Francis Caletum commeantibus, imò accuratè delineantibus situm atque munimenta; tamen hinc Guisio nulla laudis portio deperit, qui rem difficillimam, acerba hyeme, inter hostes medius, aggressus ingenti animo, ea celeritate & fortitudine perfecit, cui exemplum à multis retrò seculis nullum est, & quam in posteris imitatio rara expresserit. Ille igitur comparatis clam quæ ad subitam expeditionem necessaria erant, sub Decembris finem, exercitum Heluetiis, & Germanis auctum, diuisum bifariam, partim ipse versus Durlanium ducit; partim Niuernensis in Campaniæ fines, quasi in Lucemburgios inuasurus. At repentè vtrobique miles regressus in vestigia, Guisio duce, ad Caleti expugnationem se accingit. Est Caletum vrbs ad extremam Picardiæ oram, mari apposita, Angusto freto trium leucarum dirempta ab Anglia: in plano iacet, nullis montibus collibúsque obnoxia, inaccessà propemodùm, quà Hamo amne circumcincta in Insulæ modum, quà paludoso agro negante vestigia, quà Oceano ad occasum in commodissimum portum excepto. Geminus ad eam patebat aditus, terra & mari, vterque sua arce defensus & munitus egregiè; terrâ per paludes eminebat agger, opponebátque in fronte Nieulæum propugnaculum; in portum similiter, Risbanum propugnaculum alterum imminebat; vrbem præterea valida & seiuncta arx propugnabat. Postrò vt ea caperentur; celeritate opus quam maximè erat: nam si mora Anglis ad ferendam opem permitteretur, euanescebat consilium. Primo anni die Guisius opus aggressus, vtrumque propugnaculum simul, Nieulæum & Risbanum, tormentis vehementissimè verberat; capítque die quarto Nieulæum ab Anglis desertum, & Risbanum deditione spontanea. Erant in eius exercitu Rochasurio Princeps, Aumalius & Elbouius fratres; Strossius Maresçallus, Franciscus Mommorancius, Termeus, Tauannius, Estreus tormentorum præfectus, Senarpo; Alegrius, pluréſque nobiles; atque tormenta mira celeritate ab Estreo administrabantur. Captis propugnaculis, vt viam auxilio intercluderet, sena hominum millia ad aggerem locat; & Termeum cum validis copiis ad Dunas occupandas mittit (i) terrei aggeres ad refringendas vndas Oceani) quà Guinis Caletum est iter. Tum maiora sex tormenta, minora tria, ante portam Aquariam locat, quasi vim totam in eam partem versurus, & nonnullas turres euertit; mox repentè quindecim maioribus machinis, quæ hostem latuerant, arcem mari adiectam fulminat. Arcem tegebat murus infirmior, nulla humo suffultus, sed vallabat fossa ampla & profunda, saxis constrata, & redundans aquis, quas è mari proximo excipit. Tanto impetu & fragore tormenta explosa sunt, vt sonitus ad Antuerpiam tricesimo tertio germanico milliari delatus sit; & sub vesperam murus satis ampla labe corruerat. In eum Guisius impressionem instituit, admirabili ordine atque prudentia. Primùm Andelotio mandat mille &

HENRICVS II. Senarpont. Durlan. Hame. Fort de Nieulay. Le Risban. Anno 1558.

HENRICVS II.

quingentos Sclopetarios ad mare Dunas inter atque vrbem locare, aggerem ducere qui ad fossam arcis pertingeret, vnde eius aqua exhauriri atque ad portum posset affluere; crates illitæ pice militi datæ, quibus per paludem firmo vestigio ingrederetur; dati & plutei in scutorum modum oblongi, texti ex vimine, papyro farta superinducti, atque aperti ad eiaculandum, iique præferratis confixi fudibus & humo infixi, sclopetorum hostilium pilas infringebant. Tum iussi Grandmontius cum trecentis Sclopetariis, ac cum hastatis totidem Strossius ad inspectandam ruinam progredi; dein cæterorum Dux Guisius in fossam præcipitat, dum desidit oceani æstus, & aquæ immersus vmbilico tenus, magna frigoris asperitate in ruinam euadit, irrumpitque adeò ferociter, vt arce occupata, Anglos propugnantes in vrbem depulerit; mox quoniam increscebat Oceanus, in castra regreditur, paraturus subsidia; relictis Aumalio & Elbovio fratribus qui arcem defenderent. At nocte proxima, Angli de pernicie sua haud dubij nisi arcem reciperent; eam totis viribus, semel atque iterum oppugnant; qua semper repulsi, suorúmque trecentis qui erant fortissimi cæsis, postridie deditionem instituunt. Dunfortius præfectus in hæc pacta assensus est; ipse cum ducibus quinquaginta quos Guisius vellet, captiui hærerent; cæteris, tum civi tum militi, vitæ & *libertatis copia* esset; commeatum omnem, pecuniam, arma, tormenta, puluerem, globos, in potestatem victoris traderent, nec victi clavum aut saxum suo loco moverent. Idque postremum speciatim cautum, quod Angli reddendam Bononiam deformauerant, pauimento; & ornamentis omnibus erutis. Iuxta pactum Guisius vrbe exceptus, ac die septimo quo impugnauerat. Nihil moræ permissum victoriæ, quæ eodem gradu Guinas deducta est, nam placuit eam vrbem quæ spectaret ad Franciam potiùs, quàm Gravelingam impetere; eíque instat tam indefessa opera Guisius, vti vrbem mox arcem vno die obtinuerit, Græo Præfecto cum designatis ducibus captiuo. Oppidum quanquam munitissimum, quod supervacuum censeretur, euersum penitus atque dirutum est. Vnum erat super Hamesium, castellum in paludibus abditum, habitúmque inexpugnabile; verùm Angli præsidiarij, accedente Guisio, correpti metu, arce derelicta in naves confugiunt: sic totum agrum Oyum, voce Gallica ab Anseribus dictum, miræ præangusto spatio fertilitatis, Franci cum Caleto recipiunt, ducentis & viginti annis, postquàm Eduardus patratâ pugnâ Cressiacâ eam vrbem ceperat. Nec Philippus Caleto subsidia immisit; siue Anglis infensus, qui à se discesserant, siue Guisij fortitudinem metuens. Angli audito machinarum fragore, diligenter quidem opem parauerant; sed appulsi serius vrbe iam capta, renavigarunt in Angliam. Ea res laudem immensam Guisio peperit, conciliauítque mirum in modum beneuolentiam populi; qua fultus imposterum spes immoderatas in fastigium multum eriget. Ac Nivernensis Herbemontium arcem in Arduennis validissimam expugnauerat, longe minore plausu quàm Guisius, quanquam fortitudine & prudentia nusquam inferior.

Hames.

Terre d'Oye.

XVI. Parisiis interim Comitia Regni habebantur, Rege pecuniam ab belli subsidium

subsidium flagitante. Et in iis vnice institutum, vt in quatuor ordines delegati distribuerentur, qui antea in tres duntaxat, Cleri, Nobilitatis, atque vt vocant tertij Status, partiti cogebantur. Ita tertius ordo in duos diuisus; nam Magistratus qui administrabant institiam vnum constituerunt, alterum populus. Orauit pro Clero Cardinalis Lotharingius, pro Nobilitate Dux Nivernensis, iique stantes; at nixi genibus, pro Magistratibus, Santandreanus, in Parisiensi Curia primarius Præses; pro populo Andreas Morterius: Regi assignata tricesies centena aureorum millia; decies centenis à Clero soluendis, à plebe cæteris. Mox cum Delphino Rex Caletum lustrat, dictóque in Præfectum Termeo, Parisiis matrimonium Delphini celebrat. Huic in coniugem data, Maria Scotiæ Regina, & regni corona sponso à Proceribus Scotis oblata, vt deinceps Rex Delphinus dictus sit: in ea pompa Guisius Magistri Palatij obiit munus, absente Mommorancio; singulis viri gratiam in apicem promouentibus; cùm ad eius merita accederet noua auctoritas, nepte ex sorore in thronum evecta. Enimverò id Mommoranciis molestissimum erat, qui depressi per Guisij elationem, iam à clavo & regimine pulsi, æmulatione exarescebant. Auxit molestiam Andelotij casus. Sub Matrimonij quod recensui pompam, Christierna à Rege impetrauerat, vt Carolum filium Lotharingiæ Ducem inuiseret: is eam in rem Peronam ductus est, cum Vademontio patruo, venítque cum Christierna Granvellanus Atrebatensis Episcopus, ac quoniam de pace spem insinuabat, ad eum missus Lotharingiæ Cardinalis. Varios inter sermones, Granvellanus dicit misereri se Franciæ, quæ non tantùm bellis externis obnoxia, gravem præterea luem viscetibus aleret, hæresin Calvinianam, quæ iam pervasisset plurimos Procerum; & is speciatim Andelotium nominat, cuius ex litteris ad captivum Admiralium scriptis id se perspexisse affirmat; præter libellum contra Missam scriptum, quem gestabat idem Andelotius, cùm Sanquitini captus est. Soluto colloquio, Cardinalis Regi significat quæ acceperat de Andelotio, quem ipse Rex habebat charissimum, tum ob fortitudinem militarem, tum quod vnà secum educatus à teneris esset. Attamen Princeps religiosissimus benevolentiam fidei posthabens, dum Monœi prandet, arcessit Andelotium, virúmque interrogat, quid de Missa sentiret. Ille vt erat elato animo & superbo, quanquam antea monitus vt responso humili & demisso Regem mitigaret, tamen arroganter asserit, Missam abominabilem esse, conatúrque blasphemiam fulcire rationibus. Rex summoperè indignatus, & religionis zelo iram inflammante, lance è mensa rapta, quam solo affligeret, Delphinum sedentem proximè imprudenter lædit, & mensa consurgens Andelosium iubet duci in carcerem; mox dignitatem, nam Tribunus erat totius Francici peditatus, Monlucio tradit, quanquam repugnanti, ne Mommoranciis molestiam novam faceſſeret. Et Cardinalis florente gratia in æmulorum deiectionem vsurus, Seniganiam impellit, feminam primariam, quæ Munerio criminalium causarum Parisiis Iudici litem intenderet: ille acceptus Mommorancio, eo flagitante eandem fœminam ob Ducis Aristotij fugam acerbè

HENRICVS II.

Regni comitia.

Rex Delphinus.

Andelotius in carcerem missus.

De Seniganiam.

HENRICVS II.

vexauerat ; modo vertente gratia & auctoritate, repetundarum iudicio damnatus, in exilium agitur. Comestabilem eæ res conturbabant plurimùm, cogitantem quantam perniciem auctoritas sua ob vnam absentiam pateretur : quare impetrato à Philippo Rege commeatu, vt Henricum de pace acturus conueniat ; primùm ab eo exceptus est frigidè ; mox captatâ mirè benevolentiâ, ac primis amoris ignibus excitatis, immisit se in illius animum penitus. Præterea ne obliuio rursum absenti officeret, Dianam Pictauiensem vicariam sibi substituit. Mulier consortis impotens tametsi primùm se addixerat Guisiis, tamen cùm eos in fastigium euehi cerneret, eósque esse qui suo nutu res non alieno moderarentur, maluit reuerti ad Comestabilem, pridem sibi notum, moderatiori indole, quæ potentiæ sociam non excluderet. Et erat alio nomine quod timeret à Guisiis : nam omni conatu Stuartæ cum Delphino nuptiis interceſſerat ingenium fortémque indolem adolescentulæ verita ; eámque ob rem Lotharingiæ Cardinalis ad Reginam versus, ipsi animum in Dianam erexerat, & Regina grauioribus verbis increpauerat fœminam. Iis igitur de causis facilè ipsi cum Mommorancio conuenit, desponsa nepte ex Marescallo Marxio nata, quæ Henrico Comestabilis filio nuberet : Hinc Mommorancius tranquilliori mente se hosti restituit. Sic per ea Aulæ commercia artésque arcanas, nascebatur factio, quæ discerperet Franciam, quæque Anglica bella atque Hispanica repræsentaret miseriarum magno incremento.

XVII. *Thionuilla capta.*

Inter hæc belli ardor inualescebat, Thionuillâ in Martis aream designatâ : ea vrbs ad Mosellam sexto infra Metim milliari, tum ipsi Meti tum Lotharingiæ vniuersæ, graui incommodo & periculo erat. Præfecti copiis æquali imperio Niuernensis & Guisius ; hic vltra amnem, ille citra metatur. Ac primùm tormenta in murum à Guisio directa ; quoniam Niuernensis in palustri & vliginoso agro non credebatur posse aggerem ducere ; satis magnam labem intulerant : verùm amnis medius, quanquam vadosus, prohibuit, ita censente Strossio Marescallo, ne eo loci institueretur impressio. Quare ad alteram Niuernensis partem perducta verberatio, & per paludem agger est cœptus ; etsi ingens & improbus labor, fossam & vallum inter medias vndas ponentibus, ocurreret statim ; tamen Strossio egregiam præ cæteris nauante operam, fossa coaluit, & ad ipsum murum deducta est. Excauabant humum, aquâ per riuulos in alias partes deriuatâ, tum fossæ latera compingebant primùm herbosâ terrâ atque argillosâ, mox tabulis atque asseribus fulciebant ; milite per crates piceas paludem totam sine periculo percursante. Sic propiùs verberata turris quæ fossam tegebat. Ac dum ad eam magno vtrinque animo concertatur, prospicítque operam Guisius Strossio colloquens, eius humero dextro innixus ; ecce sclopeti glans Strossij sinistrum latus transuerberat ; quo ictu statim occumbit, vir fortissimus, & peritissimus bellicarum rerum, infelix tamen cum suo ductu has gereret. Mox sub turrim illam acti cuniculi, ad quos exoritur dimicatio grauis ; hoste ex humilibus propugnaculis ad fossam erectis Francum repellente. Aderant Duces Niuernensis & Guisius, pugnantium animos suo periculo incendentes, nutabátque victoria ; cùm Monlucius

Strossij mors. Anno 1558.

Volmarium

Volmarium Centurionem cum militibus aliquot iubet se in illa hostium propugnacula saltu immittere ; aliúmque ad ruinam turris sursum arrepere : hic occisus illicò , Volmarius meliori sorte , accedente Monlucij filio, aliísque Nobilibus , post atrocem pugnam , hostem pellit , tenétque propugnaculum ; quod extemplò Guisij iussu eversum est. Obsessi postridie deditionem flagitant ; súntque admissi iis conditionibus , vt duci & militi sarta esset libertas , armis & sarcinis derelictis , civi cum facultatibus exeundi facultas , vrbs immunis à direptione. Et obseruata Nivernensis Guisiique humanitas , in cura ægrotorum , & pudore virginum ab omni iniuria vindicando. Arlonem postea ductus exercitus ; & quanquam initio præsidiarij milites superbè compellanti Guisio respondissent , tamen adventantibus copiis ad expugnationem immissis ; ij metu pulsi ab vrbe per oppositam portam elabuntur, igne etiam in eam iniecto : quod flammis superfuit , militi datum in prædam ; sed per ea plurimi dies consumpti sunt, cùm Guisius in Belgio omninò desiderabatur. Nec potuit festinare, incendio magnam castrorum partem invadente , quo ipsius equi , supellex argentea , & impedimenta omnia conflagrarunt. Nam interim Termeus luctuosa clade afficitur. Pleríque Guisium inuidiæ postulant , quod sponte deseruerit Termeum , cladémque amauerit , quæ victoriam suam collustraret : excusant alij , affirmántque missum in Flandriam Termeum, duntaxat vti Hispanum arceret à mittendis Thionvillam suppetiis : Ego vt crediderim non optasse Guisium Termei cladem, sic eius periculo lætum inficiari haud ausim: quid enim celeritatem tanta mora corrumperet, laudemque maximam inutili otio macularet ? præterquam quod ea mora magnum discrimen copiis attulit , dissensione Francos inter & Germanos orta , ruebántque in ciuilem pugnam , nisi Nivernensis cura & diligentia admisissent concordiam. Porrò causa celeritatis desideratæ hæc erat. Termeus loco Strossij Mareschallus dictus , cum sex millibus militum , partim Vasconum , partim Germanorum , atque equitibus mille & quingentis, iussus erat in Flandriam, qua ad mare spectat penetrare ; simúlque proruperant Villebonus , Annebaldus Admiralij filius , Senarpo , & Cauneus Comes. Statim dissectis quæ occurrerant rusticorum turmis , Termeus Mardicum , pagum vi capit , tum quarto die Dunchercham expugnat , & deinceps Bergam , cásque diripiendas permittit militi. At postmodùm cum podagrâ laboraret , Dunchercha hærens copias Villebono tradit , viro militari , sed prædatori famoso , & assueto grassari cædi atque incendiis. Ille Neoportum vsque excurrens, factâ militi flagitiorum licentiâ, eos agros & pagos fœdè crudelitate , libidine & de flagratione deturpat. Ad miseros eiulantium questus, excitatus Philippus, Egmontio mandat vlciscendi provinciam : & ille vir impiger coactis duodecim millibus hominum , præter immensam rusticorum turbam , qui vnà cùm liberis atque vxoribus ad vindictam decerpendam accurrerant , ad Gravelingam se redeuntibus obiicit. Termeus adhuc æger copiis ductis ad flumen Agnium , quo Gravelinga alluitur , statuit eum transmittere die proxima dum subsidit æstus Oceani , sicque incauto hosti elabi. Verum Egmontius eo consilio, vel explorato,

HENRICVS II.

Termeus ad Gravelingam victus.

De Chaune.

Aa

HENRICVS II.

vel prudenter præuiso, primo mane occupat amnem transire, tormentis etiam non traiectis: quamobrem Termeus post amnem transitum, aduertit hostem oppositum & distributum in aciem. Nec ideò vir fortis desponder animum, sed pugnæ necessitatem in necessitatem victoriæ vertens, & ex loci situ commodum capiens, dextram Oceano, terga amne tegit, ad lævam sepem plaustris obtendit, tormenta aliquot leviora in frontem obijcit, tum irrumpentem hostem intrepidè excipit. Egmuntius impetitus tormentis equitem per eorum globos in Termeum agit; toto impetu in Vascones verso: nam equitatus Villebono ductore metu atque ignavia conflictum vitabat; Germani hastas erexerant & à pugna incolumitatem impetraturi abstinebant, ita soli Vascones vniuersum equitum peditumque impetum loco immoti atque imperturbati, ingenti animo sustinent. At ecce duodecim Anglorum naves fortè eam oram præternavigantes, inspecto prælio, tormenta navium in Francos obuertunt discerpúntque obnoxios, nullo effugio, cùm hinc amnis, inde impedimenta fugam obstruerent. Sic dimicantes egregiè victi & cæsi sunt; plures mari & fluuio hausti; capti omnes ab Egmuntio duces, Termeus, Villebonus, Annebaldus, Senarpo, & Cauneus: è captis militibus ducenti in Angliam ducti; totidem rusticis ad explendum furorem traditi, qui rapti in proximos pagos, rapinarum pœnas dederunt sæuissimas, necati suppliciis à mulierculis, vel discerpti membratim securibus, vel laniati furentium dentibus vnguibúsque, cruore ad explendam vindictam ebibito. Ea clades Henrici res antè erectas prostrauit iterum; & plures Guisiorum æmuli, tarditatem Ducis incusabant, eò vero similius quòd ab eo vitio indoles viri abhorrebat quamplurimum, nec ea re vna Guisij fides & in patriam amor desideratus est; in Pedemontio res afflictæ, in prauam æmulationem, ceu in primam originem reuocabantur.

XVIII. *Brissaci res in Pedemontio infensa.*

Etenim post miseram cladem Sanquitinianam Rege vndecunque militem conuocante, & cordis instar sanguinem subito in metu à membris cæteris corrogante, Brissacus miserat duas legiones, & abcesserant Nobiles, qui certatim è Francia tyrocinium sub magistro tanto posituri conuolabant in Insubres. Sic Brissacus necessitate continebat se, operiens dum afflarent secundæ res. At postquam aduentu Guisij & Caleti expugnatione respirauit fortuna Franciæ, militem atque stipendium à Rege flagitat: id enim verò Guisius prohibet, cuius auctoritate Regis stabat arbitrium; summam rerum agi in Belgio, eò vires omnes & conatus vertendos; Pedemontium appendicem esse, quæ ex bello Flandrico pendeat; in eo Italiam aperiri atque profligari. Ista in speciem Guisius, cùm animum à Brissaco aversum haberet; siue quod is affinis Comestabili esset, siue quod Francorum vnus rebus gestis clarissimus, sibi comparandus atque adæquandus famam suam & gloriam prouocaret, & in aulam posset aliquando adscitus, auctoritati suæ æmulum ponere. Ideò milite atque pecuniâ detractis, Brissaco, res in deterius ibant, Gallavium & Gattinaram diruerat, cùm præsidiarius miles deficeret; dum hostes Monteclarum & Castiliolum expugnant, vrbibúsque cæteris imminent. In eas actus angustias, Gonorium fratrem ad Regem mittit flagitatum superias; illi verba

De Gonor.

dantur:

dantur, & charta vmbra pecuniæ consignatur; sed in fumum statim singula effluunt. Ipse Brissacus, exoratâ ægerrimè veniâ, Parisios venit; ac subitò subornatur illi accusator Vidamus Carnutensis, inimicus priuatim, qui administrationem in flagitium vocat, annitente Lotharingio Cardinale: ac tametsi discussa est accusatio, tamen illi pecunia in trapezitas Lugdunenses assignatur, attributione fallaci; facta ingenti spe Turcicæ classis, quæ hostem auerteret atque detineret. Et quidem eam ex centum & viginti triremibus conflatam Solimanni Legatus ad Ligusticam oram adduxerat; eo consilio vt captis oppidis quæ circumstant Genuam, ipsam rerum penuriâ ad deditionem impelleret, verùm ea spes Franco inutilis, & Brissaco ipsi perniciosa omninò fuerat. Nam Turca post acceptam pecuniam à Genuensibus, clàm indemnes ab sua classe præstiterat; & ij à metu tanto securi, nummos Prætori Mediolanensi ad cogendum exercitum suppeditarunt; quibus ille viginti peditum millia conscribit, equitum quatuor; isque erat Sessæ Dux Ferdinandi Consalui ex filio nepos; qui pluribus captis in Pedemontio municipiis, Moncaluum nuper expugnauerat, Pequinij Præfecti negligentiâ; nam hostes muri parte quam propugnabat, nullo ad repellendum conatu admiserat. Ad hæc dolorem Brissaci interna augebant; cùm miles iam detractaret obsequium, gnarus suum ducem contemptui esse; Heluetij stipendio cessante discesserant, & pleræque vrbes deficiebant ad hostem. Ita res in Pedemontio collabebantur, virtutem profligante inuidia, & aulica fraude militarem lauream disturbante. At Philippus præter ea commoda, spem ingentem de Anglica classe conceperat. Ea nauibus centum & viginti, partim ex Anglia petitis, partim ex Belgio, ductore Clintono Anglo, postquam oram Normanniæ perterrefecerat, repente in minorem Britanniam versa, ad Conquestum portum vbi sancti Mathæi cœnobium est, exponit militem. Ille, rusticis aliquot qui obsistebant in fugam actis, cùm victor vltra pergeret, à Kersemontio Britone Nobili, deiectus, & in suas naues non sine damno compulsus est. Nec quid amplius hostes aggredi ausi sunt, quanquam triginta nauibus nuperrimè aucti: nam Brossius Dux Stampensis, prouinciæ Prætor, armabat militem, & vno conflictu de re tota fusi præiudicauerant. Postmodùm classis in suos Angliæ & Batauiæ portus se recepit. At perculsi Reges mutua illa quà clade, quà ignominia, videbantur extrema omnia tentaturi, cùm improuisò affulget spes pacis. Henricus numerosissimum exercitum apparauerat; nec numerus militum distincte scribitur, nisi ex verbis Monlucij quantus demùm fuerit colligatur. Scribit enim ampliorem exercitum hominum memoriâ nullum visum; distributum in ordines cum semisse leucam occupasse, & singula agmina circumequitanti à dextro in sinistrum cornu, effluxisse trium horarum spatium. Rex eo lustrato, & excepto honorificè Guillelmo Ducis Saxoniæ filio, qui bis mille equites in societatem belli adduxerat; ab Campaniæ finibus in Picardiam tendit, immensásque copias ad Ambianum locat. Nec distabant procul Philippi copiæ, numero Francicis haud inferiores: qui exercitus si confligerent semel, magna rerum conuersio tum victori

HENRICVS II.

Vidame de Chartres.

Classis Anglica repulsa.

La Brosse.

De pace primùm agitur.

HENRICVS II.

victori tum victo imminebat haud dubiè. Quo periculo acti, de pace agi Reges patiuntur. Eam Christierna Lotharingi mater omni industria promouebat, accedebántque ad eius studia, Sabaudiæ Dux Philibertus, Comestabilis, & Santandreanus; quanquam mente diuersa singuli. Nam Sabaudus ditionem suam ab vtroque Regum occupatam, vno pacis beneficio recuperare poterat; Comestabilem vrebat Guisij potentia, diuturno bello firmata; & Santandreanum captiuitatis longæ tædebat; rémque totam Diana vrgebat efficaciter, rata bello extincto, Guisios facilè redactum iri in ordinem. Iis Reges animis affecti viros ad pacem legant; Henricus Cardinalem Lotharingium, Comestabilem Santandreanum, Ioannem Moruilerium Episcopum Aurelianensem, Albaspinam scribam sanctioris Consilij; Philippus Ferdinandum Albanum, Rodericum Gomesium, Guillelmum Orangium, Antonium Granuellanum Atrebatensem Episcopum, & Vlricum Viglium Iurisconsultum doctissimum: iisque conueniunt Castro-Cameracesij, quod in Cameracensibus oppidulum est. Suos etiam Legatos Regina Angliæ, & Sabaudiæ Dux, priuatim miserant. Et verò Comestabilis libertatem sibi & Damuillæ nato confecerat, centum septuaginta sex aureorum millibus in pretium datis; quamuis scribant aliqui pretij gratiam à Philippo factam. Primùm placuit, vt gemini exercitus & admoti propiùs soluerentur, ne militaribus animis orta fortè occasione pugnandi, pacis studia disturbarentur: & dimissi vtrinque milites, quibus alimentum & pabulum feracissimæ prouinciæ vix suppeditabant. Heluetij tranquillè & placidè discesserunt, Germani tumultuantes multo labore à Niuernensi deducti sunt. Exarmati Reges in leges pacis assentiebantur, cum Angli eam postulatis conturbant, resposcentes Caletum; quod nullo pretio Francus à se auelli sineret. Ita cùm Philippus Mariæ coniugi eam molestiam nollet obiicere, vt ipsâ inuitâ conciliaretur pax; res in Ianuarium proximum à legatis reiicitur; si fortè beneficio temporis huic nodo Gordio proferretur aliquis gladius.

De l'Aubespine. Ruy Gomes.

XIX. *Contentio inter Legatos Regum Venetiis.*

Dum hic expectatur, legatos inter Regum oritur contentio, quæ pacem ipsam afflixit propemodùm; nisi Philippi certa & indubitata vtilitas eam instaurasset. Postquam Carolus quintus Imperio se & regnis abdicat, Franciscum Vargam ad Senatum Venetum, suo & Philippi filij nomine miserat, eum ipsum quem antè Imperatorio titulo habebat Venetiis. At Episcopus Lodeuensis pro Henrico legatus, percipiens quò hæc legatio tenderet, erat contestatus se de iure suo nunquam decessurum; attamen Senatus rogatu vterque Legatus à consessibus celebrioribus se abstinuerat. In præsentia Ferdinandus Imperator dictus Legatum proprium, miserat, vrgebátque Vargas, vt post eum proximas in sedendo partes occuparet. Proponebat sibi eæ vti traderentur; *non habendam priorum temporum rationem; olim regnum Hispaniæ angustis terminis circumscriptum, modò diuino beneficio, vltrà mundi & soli limites prorogatum; quantùm accesserit finium, tantùm accessisse maiestatis & reuerentiæ; non comparandam Franciam cum multiplicibus immensisque Prouinciis, quæ sceptro Hispanico regerentur; nec de dignitate oportere Reges contendere, cum eo qui prouinciarum numero & amplitudine cæteros superet.*

superet. Eiusmodi plura Vargas, fortunam in patrocinium aduocans, cùm ius & æquitatem nequiret. Contra Nouallius, Tarbensis Episcopus, Henrici orator, instat magnoperè, vt ius Regi suo debitum, ac priores partes asserantur. *Regum maiestatem à fortunæ beneficiis haudquaquam arcessi; tam mercatorum quàm Regum opulentiam esse; diuinum quid ad venerationem Regum affulgere; & ab regnis conditis neminem Principum cum Christianissimo contendisse*; stare se iure suo, nec passurum vt præter Imperatorium, vllus orator prior consideret. Senatus quando inire viam mediam non erat integrum, pro iure stetit, ac Francico primam sedem attribuit. Et ea controuersia postea Tridenti in Concilio instituta, agitata per grauissimas altercationes, Pio IV. Pontifice, Franco similiter adiudicata est. Ac quidem de Concilio Tridentino, plura essent dicenda, quod incœpit anno antequàm Franciscus Primus desineret; & tandem concluſum est Carolo IX. tertium annum regnante; sed omnia sunt luculentissimè ac verissimè scripta in historia propria, quam edidit nuper Pallavicinus Eminentissimus Cardinalis, tanta luce veritatis, quanta laude ingenij, & scriptori hæretico tam detraxit larvam, quàm patefecit mendacia. Nunc in orbitam pacis redeamus, cui dum enarratus obex assurgebat; alium Deus & molestissimum sustulit. Maria Angliæ Regina, hydrope Londini moritur; cùm prægnantem se ex desiderio crederet, nascenti morbo remediorum contemptu progressum dederat, pestémque aluerat, qua mox extincta est. Continuò Angliam noua rerum facies occupat; Elisabeta Mariæ soror ex Anna Bolenia nata solio imponitur; ac tametsi sub initia Philippus fingeret sibi Angliæ commoda cordi esse, tamen postmodùm in suam vnius vtilitatem intendit. Igitur Ianuario ineunte Legati Castro-Cameracesij conueniunt; nec diu de conditionibus disceptatum est. Duæ quæ grauiores, partim erant sublatæ, partim mitigatæ, de Caleto & Meti, Elisabeta iam cum Henrico pepigerat; vt ipsi Rex intra octo annos Caletum restitueret cum Oyo Comitatu; sin minus, quingenta nummorum millia penderet. Metim & duas alias vrbes Imperij, Tullum & Virdunum, assentiebatur Philippus vt Henricus redimeret, & de iis placidè cum Germanis Proceribus actum. Missi erant Oratores à Rege, Marillacus Archiepiscopus Viennensis, ac Bourdilionius, ad Germaniæ Comitia Augustæ habita; & impetratus tum à Ferdinando Imperatore, tum à Germanis Principibus haud ægrè assensus, vt eæ vrbes Francorum essent. Deinde sub Martij finem delatæ sunt ad Regem conditiones eiusmodi; vt pacta antea inita forent rata; vt mutuis clientibus parceretur, exceptis exulibus, Siculis, Neapolitanis, & Mediolanensibus, Henricus Philippo restitueret Theonvillam, Mariemburgum, Iuoium, Damvillerium, Mommedium, Valentiam in Insubribus, omnes arces vrbesque quas cis vel vltra Alpes possidebat: Philippus vicissim Sanquintinum, Hamum, & Castelletum; Henricus præterea redderet Philippo Carolesium Comitatum atque Hesdini ditionem, Bovinas, & Bullionem Leodiensi Pontifici; Mantuano Duci Monferratensem, Genuensibus Corsicam; in Subalpinis Taurinum, Pinarolium, Gherium, Civasum, & Villanovam Astensem pignoris loco retineret, dum

HENRICVS II.

De Nouaille.

Concilium Tridentinum.

Pax Cameracensis.

Anno 1559.

Bourdillon.

HENRICVS II.

de avitæ successionis iure, ab selectis arbitris pronuntiatur: Henricus prior impleat fœdus, posterior Philippus datis obsidibus, Philippo Isabella Henrici filia tredecennis in coniugem detur, Philiberto Sabaudo Margarita soror; illi quadringenta nummorum millia, huic trecenta in dotem dicantur. Nemo Procerum præter Mommorantios his conditionibus adscriptum volebat, Guisius in consilio præclaram habuit ad dehortandum Orationem; Brissacus eam in rem generosè multa proponebat; sibi in militiæ præmium reposcebat exilium, se & socios commilitones iuberet Rex exulare è Francia, pollicebatur se fremente toto Hispanorum imperio obtenturum tot arces atque vrbes, quas nullo fructu modo abdicaret. Tum illam pacem miserabilem dicebat, exclamabat indignissimam, qua trecentæ propemodum arces ob pauculas quasdam recipiendas reddebantur Hispano. Canebantur surdo hæc omnia: Henricus omnino pacem expetebat, siue belli tam diuturni pertæsus; siue Mommorancij & multò magis Dianæ voluntate impulsus, quibus deliberatum erat quamcumque pacem admittere priusquam alendo bello Guisiorum gratiam & potentiam alere. Ita conditiones receptæ & apparata ad celebrandas nuptias pompa magnifica.

XX.

Senatores Parisienses hæretici.

Ac ea dum instruitur, Rex addicit curas ad plectendos *Hæreticos*; *ij* dudum propagabantur in Francia; & Senatorum Parisiensium *plures* ferebantur vulgò hac pice illiti. Sanè cùm prima Senatorum classis, quæ magna Camera vocatur, ex Edicto Castelbriantio igne Hæreticos plecteret, proxima classis, quæ turriculæ dicitur, eos dimittebat, vel leuiori pœna mulctabat. Qua de re multis apud Regem querentibus, & impulsore vt creditur Cardinale Lotharingio, qui nouam potentiam inquirendæ hæresis ambiebat, res ad Mercuriale consilium vocatur. Id porrò eiusmodi erat, vt die Mercurij, vnde nomen sumptum, Senatores lecti, in maiorem Curiam cogerentur, inquireretur de singulorum moribus, tum de vniuersis Senatusconsultis; si quid peccatum levius, verbis plectebatur; si quid grauius, amouebatur reus à Senatu: id consilium primò bis in mense, posteà semel trimestribus singulis habebatur. Conueniunt autem Præsides Diademati, duo ex singulis classibus Senatores, Regij Aduocati & Procurator; vbi res est grauior omnes adsunt. Tunc apud vocatos expostulat Ægidius Bordinus Regis Procurator, de iudiciorum varietate in plectendis Hæreticis, mox cùm Senatores sententiam dicerent & eorum aliquot in Hæreticorum gratiam tenuissent, nempè Arnoldus Ferrerius Iurisconsultus scriptis celeberrimus; Antonius Fumæus, Paulus Fuxiensis, Valæus, Porta, Viola, & omnium pertinacissimus Anna Burgus; pronuntiandum iudicium in alium diem dilatum est. Quo die deliberantibus Rex cum Proceribus interuenit; & Senatorum auditâ sententiâ, postquam grauem orationem habuerat, excandescens in Faurum, & Burgum, qui in Orthodoxam religionem blasphemas voces emiserant, iubet eos à Mongommerio comprehendi, & abduci in Bastillam arcem; in quam ducti similiter Fuxius, Fumæus, & Porta; nam Ferrerius, Valæus & Viola fugâ euaserant. Tum Annæ Burgo Iudices dati, qui sacris initiatus Ordinibus contumacissimè

La Mercuriale.

Du Faur, & du Bourg.

omnium

omnium ſententiam impiam tuebatur : verùm is altercando , & datos Iudices reiiciendo dum damnatur lentiùs ; attox calamitas miſeram Franciam percellit in capite. Perſtrepebat gaudio ciuitas Pariſiorum ad apparatum nuptialis pompæ ; aderant Sabaudiæ Dux , Albanus qui Iſabellam pro Philippo duceret , Orangius , atque Egmontius ; Réxque haſtiludium indixerat , in quo ipſe decurreret , oſtentaturus dotes egregias , vires robuſtiſſimas , atque admirabilem equitandi artem. Iam duos dies magna laude decurrerat , cùm ſub tertij finem quo deſinebat ludus , aperta galea vt captaret aërem , Mongommerium Comitem , quem fortè haſtâ erectâ ceſſantem inſpexit , ad curſum prouocat , excuſantem ſe , & repetito iuſſu tandem adactum , ſed raptus currendi ſtudio , buculam galeæ feſtinanter demiſſam haudquaquam occludit. Mongommerius in pectorale haſtâ perfractâ , cùm cohibere nequiret impetum , trunco quem dextrâ gerebat inuectus in Regem , buculam aperit , ferítque ſupercilium dextrum , penetrante in caput vulnere. Rex proſtratus ictu defertur in proximas Turricularum ædes ; nec vllam deinceps edidit vocem ; quamvis illi multæ aſſignantur : atque adhibitis fruſtrà remediis , vndecimo die à vulnere , qui Iulij erat nonus , emittit animam ; nata in cerebro vomica quæ vitam abſtulit. Magno humanarum rerum ludibrio ; cùm Rex validiſſimus , in ludo cuius peritiſſimus erat , ſuos inter Proceres , periculorum in tot bellis immunis ; nullo hoſte , nullo inimico , in feſtiua pompa & nuptiali lætitia , ludens innocente culpa occiditur. Delibabat annum a quadrageſimo primum , robuſta valetudine , quæ longævum ſenium operiretur. Pridie obitus Sabaudus Margaritam duxit , ne Rege mortuo novus obex pacem conturbaret. Et narrantur plura tam improuiſi fati præſagia ; in quibus memorabile , quod infans ſexennis à patre ad ſpectaculum deductus , vbi primùm inſpexit ſtadium , exclamauit ; Heu pater , Regem volunt occidere ; nec clamores aut fletus compeſci vlla re potuerunt , donec domum à funeſto loco relatus eſt. Porrò Henrico erant vt dixi corporis dotes eximiæ , amplæ vires , multa agilitas , membrorúmque ad palæſtram omnem mollities : animus facilis , ab ſæuitia omni alienus , clemens , benignus , & militaris gloriæ cupidus ; at qui ſe regendum Aulicis traderet , addictus Mommorancio ſupra omnem modum , quódque deterius Dianæ mulierculæ , tam cæco & obſtinato obſequio , vt vulgò creditus ſit ab impura fœmina faſcinatus.

HENRICVS II.

Regis mors.

Anno 1559.

Henrici luctum conſequentium temporum calamitas auxit ; quæ quadraginta continuos annos miſeram Franciam diſcerpſit ac dilaniauit ; eò funeſtius , quòd Francia ipſa ſuo malo potens & ferax , viperæ inſtar , tot alebat hoſtes , quot fœtus pareret ; & geminis diuiſa factionibus , impietatis & ambitionis , ruebat in perniciem neceſſàriam , tam victrix quàm victa. Ea & ſequentia , quoniam ætatem noſtram contingunt propius , & amplè ab Hiſtoricis pluribus variis linguis perſcripta ſunt , ne rem omninò actam agere videar , percurram paucioribus , quantùm ad propoſitum meum ſat fuerit. Franciſcus eo nomine Secundus annum decurrebat decimum ſeptimum cùm raptus eſt pater ; adoleſcens infirma valetudine , & animo tam imbecilli ad tantam regni molem quàm corpore , quam ſine

XXI.

FRANCISCVS II.

Guiſij ad regimen admoti.

FRANCISCVS II.

fulcro & adminiculo ferre non posset. Id in tanta Principum copia deesse non poterat; sed ex ea copia primum malum ortum est, cùm inæqualitatem originis suppleret auctoritas, & regium sanguinem repræsentaret ambitio. Nam Guisij extemplò rerum clauum arripiunt: cùm Guisios nomino, duos natu maiores loquor, Franciscum & Carolum: nam fratres alij ad eorum nutus accedebant. Quorum Franciscus rebus militia gestis clarissimus, Meti seruatâ & Caleto capto, famam omnium gentium consequutus, videbatur quolibet dignus fastigio; actuosus in paucis, vigilantissimus, qui manu qua metabat victorias, conscribebat epistolas, prudens, moderatus, liberalis, & beneficiorum haud immemor; humanitate admirabili quæ animos omnium caperet. Carolus Cardinalis, ceu ignem loco animæ aleret, perpetuo in motu, cùm non posset militarium, aulicarum rerum & consiliorum satagebat; vbi conciliandus potentior, dissimulator egregius; litteris imbutus, & eloquentia ad flectendos animos singulari. Ij Mariæ Stuartæ, quæ nupserat Regi, auunculi, ceu affines propinquiores, Regem à Turricularum palatio, in quo Henricus iacebat, Luparam abducunt; iussò Comestabile hærere ad cadauer, dum iusta peragerentur, quod Præfectorum Palatij munus est. Regina mater Catharina Medicia se ad Guisios admouet; siue cursu rapta, quem *inhibere* haud posset; siue maluit Guisiis quàm Comestabili adhærere, viro *prudenti* & considerato, quem admissum semel amoueret haud facilè; cùm Guisij turbulentiores viam ruinæ amplam patefacerent; siue nondum confirmatis artibus, quas deinceps ad regimen vsurpandum tam peritè callidéque adhibuit. At Guisij Regis potiti, illicò edictum in Senatum deferri curant, quo Rex belli administrationem Duci Guisio mandabat, ærarij Cardinali, & Reginæ matri supremum in ómne regnum imperium. Idémque Rex dixerat viris à Senatu legatis, Guisios de singulis rebus consulendos. Imò cùm Comestabilis semel iterúmque Regem conuenisset, experturus si qua dignitatis atque ætatis ratio haberetur: nam agebat annum à septuagesimo alterum; cùm occlusas Regis aures comperisset, Guisiósque in intimam mentem penetrasse, petita & accepta abeundi venia, secesserat Chantilliacum, quæ Parisios prope villa est magnifica natura & arte ad honestum otium instructissima. Continuò institutæ, quod solemne est, mutationes. Oliuerius Cancellarius, vir moribus probatissimis, sigillis præficitur, Bertrando custode Romam amandato, vt galerum Cardinalitium caperet, homine ad Dianæ obsequium mancipato. Diana ipsa aulâ eiecta est, pœna pro flagitiis leuiori, iussa tradere regij cubiculi claues, & Regum supellectilem gemmeam, quæ per immoderatam potentiam penes se habebat; Chenonsæum amœnissimam in Turonibus domum, Charo amni impositam; Catharinæ dedit, facultatibus cæteris spolianda, nisi Aumalius gener deprecator, concepta spe totius hæreditatis, exorasset fœminæ veniam. Mox Ioannes Auanso summa præfectura ærarij amouetur; Cardinalis Turnonius inculpatæ fidei, & Mommorancio odiosus, in aulam arcessitur, Catharinæ maximè voluntate, virum aduocantis quem priuatim sibi demereretur. Santandreanus Maresçallus,

Anno 1559.

Chenonceaux.

reſcallus, cùm hactenus beneuolentia Regis & ſua amplitudine fultus, alienum columen reſpuiſſet, modò ſe ad Guiſios applicat, ære alieno ſupra modum grauis, & accuſationibus multis obnoxius, ob peculatum & rapinas plurimas; vnica filia vni ex Guiſij filiis deſponſa: plerique regiæ domus miniſtri, Præfecti arcium vrbiúmque, & in ſupremis Curiis Magiſtratus, eo modo deiecti; cauentibus Guiſiis vt dignos ſubſtituerent, quíque paſſim vulgò commendati eſſent & accepti. FRANCISCVS II.

Conſtitutis ad clauum Guiſiis, vna ſupererat euertenda machina familiæ Regiæ Principes, qui ab condito regno venerabiles Francis, & pupillis Regibus in adminiſtrationem vocati, non videbantur alienum regimen æquis animis ſubituri. Ij quinque è Borbonia proſapia erant; tres in Vindocinenſi familia fratres, quæ ad Regem ſpectabat propius; Antonius, Ludouicus, & Carolus. Antonius poſtremo bello Henricum inter & Philippum exorto, Henrico Nauarræ Rege ſocero mortuo, in Benearniam venerat, regníque titulum ſumpſerat; hic virili ætate, militarium peritiſſimus rerum, tam prudens ductor, quam fortis in præliis, præterea per ærarium ſoceri locuples, vt primus è ſtirpe regia, videbatur adminiſtrationi rerum aptiſſimus; niſi virtutes ſua etiam vitia prægrauarent: nulla in conſiliis aulicis intelligentia, in ſuſceptis nulla conſtantia, imò ingens mollities, fluctuans animus, & in ſingulis hæſitans, qui ſe nulli rei ſeriò traderet; quæ vitia non tam ab indole hauſerat, quam ab aſſiduis muliercularum amoribus, aciem mentis robúrque corporis affligentibus & eneruantibus. Ludouicus Condæus, fratri longè diſſimilis, puſillo corpore, infirmis viribus, nondum collectâ per ætatem peritiâ; nam annum vigeſimum quintum implebat, arceſſebat ab animo quod defecerat corpori; generoſi animi, altíque ſpiritus, liberalis, fortis, in gerendis rebus indefeſſus, perſpicaci ingenio ſolidóque, cupidiſſimus gloriæ: ſed eæ laudes contraxerant næuos; etenim in conſiliis præceps, in agendo nimius, in aduerſis impatiens, noua hæreſi imbutus, ad factionem potiùs regníque perniciem quàm ad regimen natus putabatur. Et ille ad Comeſtabilis partes acceſſerat, contracta cum eo affinitate ob coniugem; quippe ſocrus Eleonoræ Royæ coniugis mater, nata erat ex Ludouica ſorore Comeſtabilis, quæ primis nuptiis Magdalenam matrem ipſam Eleonoræ pepererat; ſecundis Caſtilionios fratres Admiralium & Andelotium; ita in fratrum conſuetudinem Condæus implicitus, ab iis veneni luem illam contraxerat: prætereà opes illi tenues erant, dignitas nulla, nulla prouinciæ prætura; atque hinc prima cauſa diſſidij, quod Picardiam à patre & Antonio fratre adminiſtratam ipſe repoſceret, quam inuaſerant Guiſij. Carolus in album Cardinalium adſcriptus, & Rothomagenſis Archiepiſcopus, Antonio ſimilior, negligentia, & credulitate, rebus magnis ineptus, & alienæ fraudi obnoxius erat. Duo prætereà fratres ex ſtirpe Rocaſurionis obtinebant proximum gradum; Ludouicus Dux Monpenſerius, miti indole, & à tumultibus aliena, Orthodoxæ fidei ſtudioſiſſimus; iiſdémque moribus Carolus frater Princeps Rocaſurio, probitatis laude & prudentiæ clarus; amorem & exiſtimationem vulgi collegerant. XXII. *Principes regij ſanguinis.* Roche ſur Yon.

FRANCISCVS II.

collegerant. Ergo ad eos Franci conuertuntur, ij quibus Guisij odiosi forent; & maximè ad Navarræ Regem qui ortu proximus, & belli gloriâ, & regis dignitate eminebat supra cæteros. Et quidem Comestabilis, postquam Henrici deplorata est salus, Matam ad eum miserat, adhortatus vt quamprimùm Lutetiam se conferret suscepturus regimen, quod in ipsum natura virtutésque suæ contulerant. At cùm ille vel indolis cunctatione haud se commoueret, vel quod Mommorancio non satis fideret, qui in proximo fœdere Cameracensi nullam sui in Nauarram iuris rationem habuerat; mox appellatus Procerum vocibus, Condæi, Rocasurionis, Admiralij, & Andelotij, de re tota deliberauit maturius. Erant illi à consiliis Ioannes Angutus Episcopus Mimatensis, Prati Cancellarij filius nothus, Burcardus Nauarræ Cancellarius, Chabotus Iarnacus, & Franciscus Escarsius; eúmque postremum sibi clam Catharina conciliauerat. Ij auctores sunt vt proficiscatur; verùm Escarsio moram innectente sagaciter, lentè progrediebatur; admissis per singulas vrbes hæreticorum precibus, supplicantium vt fidei suæ defensionem susciperet. Vindocini pleroſque Procerum obvios habuit, Condæum, Rocasurionem, Andelotium, Vidamum Carnutensem, Antonium Portiani Principem, & Carolum Rupifocaldium; & eorum consilio constitutum, nihil vt moueret, donec Reginæ matris Regísque ipsius mente perspecta, tentasset si quid placidè & tumultu amoto obtineri posset; isque ea mente ire in Aulam pergit. At Guisij vt primum illum impetum frangerent, persuadent Regi Navarrum sectâ hæreticum, eius farinæ hominibus ducem se præbere, eorúmque ope regnum affectare; qua opinione concepta, haud ægrè Rex ad Navarrum excludendum inducitur. In Castello Sangermani Laij agebat; nullum in eo paratum Navarro hospitium; isque ad diuersorium publicum mittebatur, nisi Santandreanus officiosè suo decessisset. Cùm Rex vt ipsi occurreret, quod frequens est, prodiisset venatum, à Guisio in regionem viæ aduersam deducitur. Nec Navarrus accipitur à Rege signo vllo humanitatis; nusquam ad consilium euocatur; si de regno agit, mittitur ad Guisios, Rege affirmante penès avunculos totam esse administrationem & regimen; sibi gratum facturos, qui ipsis obtemperarent. Ausus aliquoties, Proceribus instigantibus, Regem de publicis rebus compellare, tam austeris & acerbis verbis dimissus est, vt planè abiecta spe obtinendi regiminis, ad primam indolem reuolutus, consilia antè suscepta omiserit. Ita Guisij in eum obicem confirmati, Regem Rhemos ad inaugurationem nullo metu ducunt: affuerunt Rex Navarræ & Comestabilis, pars spectabilis pompæ; amoti extemplò; & Comestabilis quidem summam Palatij præfecturam dimisit, quam inuasit Guisius, Francisco Comestabilis filio Marescallo dicto; & Navarrus in speciem deducendæ in Hispaniam Elisabetæ, amandatur in Benearnium. Imò Guisij alas festinanti adiungunt: nam eo præsente à Philippo Rege Hispaniæ litteras perlegunt; quibus expostulabat quosdam factiosos in regno Franciæ clam tumultuari, qui regni Comitia euocanda dicerent; quasi Francisco ætas aut industria ad regendum deforent; eam ob rem significabat, se

Antonius Rex Nauarræ.
d'Angut.
d'Escars.

Regis

Regis sororij totiúsque regni tutelam capere, paratósque armatos quadrageſies mille, qui factioſos in obſequium cogerent. His litteris Nauarrus cùm ſe deſignari animaduerteret, metuénſque ne Hiſpanus quod in Nauarra reliquum erat inuaderet, dum Eliſabetæ ornatus inſtruitur, feſtinat in Benearnium properanter; móxque Eliſabeta Cardinali Borbonio & Rocaſurioni perducenda in Hiſpaniam traditur; eámque Comite Albano Duce in Aquitania Nauarrus excipit, quam ad Ronceuallem Duci Infantadio committit. FRANCISCVS II.

XXIII. *Caluins in Francia hæreſis.*

Amoliti Nauarrum Guiſij, ad premendos tollendósque hæreticos aggrediuntur; tum ob cultum Orthodoxæ fidei, tum quod eam factionem ſibi aduerſiſſimam comperiebant. Porrò res poſtulat, quando ab ea tanta calamitatum procella exorta eſt, vt à prima origine tota mali cauſa arceſſatur. Nec ea alia quàm Ioannes Caluinus. Hic Nouioduni, quæ Picardiæ vrbs eſt, anno huius ſeculi nono, ex Gerardo Chauuino Notario natus, ſtudiiſque primis eruditus, ab quodam affine ſacerdotia duo impetrauit, Parochiam Pontis Epiſcopalis, & in Eccleſia Nouiodunenſi Capellaniam, vt vocant: & Ioanni erat Carolus frater, qui cùm moriens ſacroſanctâ Euchariſtiâ paſci recuſaſſet, ſub paribulo inſtar iumenti ſepultus eſt. At Ioannes decurſis primis ſtudiorum ſtadiis, Aureliam ad diſcendam Iuriſprudentiam venerat, inde profectus Bituriges, vt Alciatum audiret doctrina celeberrimum; incidítque in quendam Melchiorem Volmarium natione Germanum, à quo impulſus eſt in ſtudium Theologiæ, ſimúlque prima hæreſis luc infectus. At ea cùm in dies fermenti inſtar totam hominis mentem peruaderet atque corrumperet; iam ingens quidpiam meditans, regreſſus in patriam, duo ſacerdotia pecuniâ vendit; qua auctus venit Pariſios, & in Collegio Cardinalis Monachi clam virus ſpargit; donec ob praua dogmata ad pœnam quæſitus, pericuio per feneſtram miſſus ſeſe eripuit. Pariſiis Enculiſmam profugit, nomine diſſimulato; mox ſe in Germaniam confert, & ſermonem communicat cum hæretícorum Anteſignanis; dein reuerſus in Franciam Pictauium venit, incipítque plures contagioſa labe inficere. In iis tres celebres, quos per Franciam ad ſeminandum toxicum legat, & librum Alcini nomine de Chriſtiana inſtitutione, matricem hæreſcos ſcribit, quem Regi Franciſco I. impudentiſſimus nebulo dedicat. Mox ſeuerè Franciſco in hæreticos homines inſurgente, idem metu ſupplicij Geneuam profugit, nouæque ſectæ conditor, ibidem hæſit, emiſſariis in Franciam ſparſis, ſecurus ipſe ab metu procul atque incommodo, niſi quod morbi graues ex intemperie corporis importarent. Quippe naturâ melancholicus, & nigra bile ſuffuſus, macilento & tenui corpore, infirmo ventriculo, hemicraniâ diu laborauit; ac poſt decurſum quadrageſimum annum, grauiſſimis & acutiſſimis morbis vexatus eſt, in quorum cruciatibus tandem emiſit animam. Et ille vafri callidíque ingenij, quanquam ab Luthero voluntatem & occaſionem hæreſis hauſerat; tamen diuersâ viâ ingrediens, Chriſtianorum morum reformatorem ſe venditans, ſpecie pietatis inſinuabat impietatem teterrimam; luſus, choreas, luxum veſtium, pompámque

Chauuin.

ædium

FRANCISCVS II.

ædium à suis ablegans, & vnos Dauidis Psalmos in preces concinens; qua decepti fraude Francorum haud pauci, quibus Sacerdotum mores offensioni erant, praua simplicitate implicabantur obiectis retibus. Et verò iis temporibus Antistitum atque Sacerdotum, tam vita scandalo, quàm ignorantia contemptui erat; vt luce extincta & sale insipido, cæteros caligo inuolueret, ac putredo corrumperet. Porrò sub Francisco pestis progenita, sub Henrico in magnam molem excreuerat; siue frequenti cum Protestantibus Germanis commercio, siue belli effreni licentia pietatem & sanctitatem morum extinguente; siue insigni Aulæ corruptela, libidine, luxu, & auaritia, Procerum animos obtinentibus. Et eiusmodi hæretici per vniuersam Franciam fusi, primò Reformatores specioso titulo appellati, proximo anno Hugonoti dicti sunt, quo deinceps nomine eos nuncupabo: causa appellationis multùm incerta, vt plerumque fit in huiusmodi vocibus, quæ mera voluntate plebis casu potiùs, quam ratione certa excogitantur; arbitrantur plurimi petitum à Turonensibus nomen quod in ea vrbe hæretici plures cùm agerent, sæpiúsque ad portam quæ Hugonis dicitur, nocturnos suos cœtus concelebrarent, Hugonoti à populatibus dicti sunt, voce in vniuersam Franciam emanante. Mezeræus putat ab Heluetica voce id nominis petitum, quæ Ligam, siue societatem gentis significet, vnde ij primùm dicti Eidgonossen, & Eidgnos, & per corruptelam vocis, Hugnots; vel Huguenotti. Ita Franci in factiones ibant ob Religionem, cùm ad incendium noua & inflammatissima fax accessit ambitio. Quippe Principes Proceréſque, quibus intolerabilius Guisiorum imperio nihil erat, conuersi ad ingentem hominum multitudinem, qui oppressi pœnis ad rebellandum duces percuperent, illorum sectam primò indulgentiâ quadam amplexi sunt, tum consuetudine adamarunt, mox constantia retinuerunt, tandem pertinacia, quæ hæreticorum est, ad extremum spiritum propugnarunt. Igitur factionem Guisij perdendam atque abolendam suscipiunt. Et primùm Parisiis Regis nomine seueritissima Edicta proponunt, indictáſque pœnas nullâ veniâ infligunt. Eam curam sibi depopoſcerat Cardinalis Lotharingius, aderant impulsores Præsides Senatus Santandreanus & Minardus, Bordinus Procurator Regius, & Antonius Mouchius, Doctor Sorbonicus, qui Demochares dici voluerat, à Cardinale Inquisitor fidei designatus. Abducebantur in carcerem plures familiæ, multi cruciati suppliciis ad confessionem sceleris extorquendam; Multi palam subiecti atrocibus flammis; at pauci qui resipiscerent, & conceptam impietatem deponerent. Vnus Anna Burgus, Senator ille quem in Bastillam Henricus compegerat, grauitate pœnæ Catholicæ fidei plurimùm obfuit. Etenim Cardinalis ratus viri supplicio, qui natalibus, dignitate & fama esset clarissimus, contumaciam Hæreticorum absterrendam atque infringendam, contenderat tantoperè, vt post plurimas altercationes, multas à diuersis Iudicibus latas sententias, oppessis tandem effugiis & appellationibus, Burgus hæresis reus igne damnaretur. Deductus est per vrbis compita, ad pœnam ostentandam, & iniiciendum terrorem, passim rogis ardentibus; verùm ipse periculo mortis insanior,

Hugonoti.

De Monachy.

insanior, adhortationes ad plebem habuit, simulatâ constantiâ, & probitate morum affectatâ, tam efficaces, vt emollitis miseratione animis & innocentiæ opinione præsumpta, vulgò creditus sit, de Deo sentire optimè, qui mortem atrocissimam tantâ patientiâ & æquitate mentis admitteret. Cæteri Senatores anno proximo exortis tumultibus, custodia impunè missi sunt, at Burgus laqueo ante necatus, flammis iniectus est. Incenderat Guisios Minardi Præsidis fatum violentum, qui cum è Curia in ædes suas mulâ vectus regrediturr, luce palam perimitur sclopeti glande; & is infensissimus omnium Burgum vrgebat; nec patrator cædis vllâ diligentiâ venire in notitiam potuit. FRANCISCVS II.

XXIV. *Hugonoti ad Condæi confugiunt.*

Ea inter supplicia cùm Hugonotis vna spes salutis affulgeret, si vim aut repellerent armis aut inferrent; postquam libellis plurimis Guisiorum, vt vocabant tyrannidem incusarunt, seriò ad rebellandum animos applicant, & rebellionis ducem Condæum appellant. Ille Guisiis ob negatam Picardiæ Præturam infensus summoperè erat; cùm enim eam ab Admiralio extorsisset Guisius, postulanti Condæo, quam maiores & frater Vindocinensis summa fide administrauerant, omninò pernegauerat. Accessit edictum, quo plerique Nobiles ab Aula pulsi sunt, tam iniquè, vt vindictæ cupiditate cuncti exarserint. Quippe iussi omnes sunt, qui à Rege quidpiam flagitarent, intra proximum diem laquei pœnâ propositâ aulâ exire; & in eam rem in area Fonsbellaquæ erectum est patibulum. Ingens erat numerus ex proximis bellis mercedem aut præmium postulantium, quos vt Guisij semel vno verbo amolirentur, edictum eiusmodi acerbissimum sanè erant commenti: verùm dum importunos abigunt, sibi hostes procreant, quos in prouincias dimittunt, veluti faces instructas ad incendium. Cuncti igitur, siue Hugonoti, seu Malecontenti, instantissimis litteris Condæum vrgent, vt publicam causam Dei Franciæque suscipiat; nec diutius sinat Tyrannos extraneos in amplissimo & libertimo orbis Imperio immanitatem suam exerere. Nec Condæus multùm cunctatus est; socru & vxore inflammantibus ob religionem, stimulante iniuria quam intulerant Guisij, & fulgore gloriæ prudentiam præstinguente, quam pararet nouo regno atque imperio; ciuitates, viros, facultates, ad nutum suum atque arbitrium conuersurus. Ea mente Firmitate ad Ioarram, quod oppidulum in Campaniæ finibus obtinebat, cogit Hugonotorum Legatos, qui ab cunctis Franciæ regionibus deinceps conueniunt, & constitutam rem illicò aggrediuntur. Primùm Condæus sententias proponit, à Theologis vt affirmabat subscriptas, quanquam ij omnes nupertimam hæresim profiterentur; quibus cauebatur licere in Guisios vertere arma, Principibus regij sanguinis ducibus, qui iis in articulis sunt legitimi magistratus. Tum Condæus profert instrumenta à viris plurimis confecta; quibus constabat Guisios peculatus multifariam reos, eósque occupandi regni consilia iniuisse, atque extinguendæ familiæ regiæ. Iis perpensis, vno consensu legati statuunt; quandoquidem Rex, ob ætatis infirmitatem, sèque obtinentium accuratissimam solicitudinem, periculum

Fontainebleau.

Malcontenti.

La Ferté sous Ioarre.

FRANCISCVS II.

ingens, in quo tum ipſe tum vniuerſum regnum verſabatur, intelligere, multò minus cavere haud poſſet; Ducem Guiſium & Cardinalem ipſius fratrem comprehendi oportere, vt Comitiis regni Iudicibus eorum crimina plecterentur. Ad deliberationem perficiendam, promiſit operam quidam Nobilis Petrocorius, Gotofredus Renaudius, ſéque rei tam arduæ ductorem profeſſus eſt. Ille exiſtimatione & opibus iam decoctis, per diuturnam litem cum Tillero Senatus Pariſienſis Scriba primario inſtituerat, ac falſi compertus, Bernam ſeceſſerat, multíſque negotiis Bernenſium causâ implicitus atque evolutus, tractandorum ingeniorum artem comparauerat, pluribúſque emerſus periculis, ingentem fidentiam atque audaciam confirmauerat; Foreſtæ nomine ad tegendam ignominiam vſurpato. Huic igitur rei præficitur, ſub Condæi auſpiciis & regimine, qui ſe ducem mutum nuncupauit; vt nomine Principis tacito, cæteros in conſpirationem induceret, faciente ſpem Principe, venturum ſe in locum vbi rem confici oporteret; interea verſaturum in Aula, & domeſtica conſilia promoturum. Miſſi poſtea per ciuitates, qui ſollicitarent participes, indicerénque nova Comitia Nannetis in Britannia; in quam vrbem conuenerant tum Senatus prouinciæ, tum multi Nobiles ad celebrandum vnius Procerum ſolemne connubium. Nec vocati loco deſuñt, vel tempori; Calendis Februarij clam inter ſe conueniunt, ac Renaudius de arcani fide ſacramento exacto ac præſtito, aperuit quis eſſet Princeps, à quo mandatum acceperat; tum de re præſenti amplam & incenſam habuit orationem; de Franciæ calamitatibus, ruina religionis, Guiſiorum tyrannide, Regis periculo, plura diſſeruit; lato & ad ſeditionem apto argumento: mox propoſitâ malo medicinâ, affirmat vnam eſſe, ſi Guiſij comprehendantur; orátque vt eam in rem ſibi opem præſtent. In verba eius vno omnium aſſenſu itum eſt, decretúmque adimplendum conſilium, ducendos eſſe quingentos Nobiles ac mille pedites; qui variis itineribus Blæſiam coëant; die dicta, quæ decima Martij proximi: delecti deinde è ſingulis prouinciis Nobiles, à quibus pedites ducerentur, curam vniuerſam ſuſcipiente Renaudio. Iis ſancitis, atque inſtaurato iureiurando, ad rem maturandam in ſuam quiſque prouinciam reuertit, ſpe ingenti patrandi facinoris.

De la Renaudie.

La Foreſt.

Anno 1560.

XXV. *Coniuratio Amboſiana.*

Et verò nihil abfuit propius quàm vt patraretur: nam conſciis fides & taciturnitas ante ipſum facinus admirabilis fuit; ac patefacto conſilio audacia atque temeritas ſupra mortis metum atque periculum. Nihil Guiſiis certi innoteſcebat, latebátque vnos tam accuratos indagatores, tot inſtructos ſpeculatoribus & emiſſariis, conſilium, quod per plura capita totâ Franciâ ſparſum, contra naturam humanarum rerum, famam extinxerat, occultum in cunctis quaſi in ſingulis, nec participatione evaneſcens: raro, quod admirabilius, belli vindictam armantis & taciturnitatis commercio. Verùm ad Guiſios ex Italia atque Germania emanauerat rumor, aliquot ingens in ipſorum caput

conſilium

consilium coqui, eámque ob rem Regem Amboſiam Blæſis traduxerant, oppidum arctius, & munitum arce, in quo rariores extraneis ædes, & maior ad propugnationem commoditas. Multùm ſollicitis, & planè inſciis vnde pernicies immineret, lux repentè affulget, quæ arcanum tandem in apertum protulit. Ipſe Renaudius ſibi inconſulto laqueum inſtruit, cùm veniſſet Pariſios, Avenello hoſpiti ſuo cauſarum patrono, ſecum eiuſdem hæreticæ perſuaſionis, rem totam aperit; qui ſtimulo conſcientiæ, vel negotij momento perculſus, Vouſæo libellorum ſupplicum Magiſtro clandeſtina conſilia retegit; miſſúſque diſpoſitis equis ad Guiſium, quendam Nobilem Nivernenſis domeſticum deſignat, qui ſtatim captus, vniuerſam rem ſigillatim exponit quærentibus per tormenta: Guiſij apertis ad præcipitij crepidinem oculis, primùm ingenti metu trepidare, receſſum agitare ac fugæ aſylum; mox recepto à metu animo, confirmare ſe in periculum, Regis diſcrimine ſuum propulſare, ac quando nullum aſylum fugientibus ſatis tutum eſſet, tutari ſe fortitudine & confidentia. Arma gemina extemplò admota: Edicta regia quibus in conſcios pœnæ intentatæ, ſimúlque oſtentata clementia, iis qui deficerent indultâ veniâ: mox miſſi in vrbes varias Proceres, & delectus Nobilium feſtinanter habitus: eámque ob rem à Catharina euocati Caſtilionij fratres, qui Guiſiis prædum inſtar forent & fideiuſſorum: nec ij cunctati ad Regem veniunt, Admiralio apud Catharinam acerbè expoſtulante, de pœnis in nouam religionem illatis. Et Condæus ipſe aduenerat, coniuratorum conſilia authoritate promoturus iuxta pollicitum. At Renaudius poſtquam animaduertit patefactum conſilium, nec amplius Regem Blæſiæ agere, haudquaquam ſpem animúmve abiiciens, conſciis mira celeritate admonitis, nam diem dicit Martis decimum ſextum, & ſolertiâ accuratiſſimâ ad facinus ſingula componit: turmarum cohortiúmque itinera, duces, hoſpitia, rationem ac modum rei perpetrandæ, tam certum, vt euentus haud dubiè contigiſſet, niſi noua delatio Guiſios in periculum nouum adornaſſet. Lignerius nobilis Boius, peditum ductor, in via tentatus ab vno è conſciis, remque totam edoctus, Catharinæ eandem aperit; ipſa Guiſiis; à quibus illicò in viarum compendia turmæ immittuntur, quæ aduentantes interciperent, ducendos in vincula, vel necandos. Nemurſius ad Noiſæum caſtellum, Caſtelnauium, Maſerium, & Raunæum improuisò opprimit, ducitque Amboſiam; ex cæteris deprehenſi multi, partim interfecti, partim capti; & Renaudius ipſe dum ad colligendum militem hac illac diſcurrit, à Pardillani famulo ſclopeto perimitur; fortiſſimo animo, ſi fortitudini cum flagitio conuenit, in Pardillanum pugnans, quem gemino ictu confoderat. Cadauer primò appenſum patibulo, mox in partes diſſectum, variis locis affixum eſt. Attamen avulſo capite, quod viperarum eſt, motus & furor perſtat in corpore: quanquam edicto propoſito reis parcitum eſſet, ſi in ſuas domos reciperent ſe, nihilominus deſperatione furorem armante, cùm crederent ſe in regreſſu obtrũcatum iri, ducibus Conquevilla, Campio,

FRANCISCVS II.

Lignieren.

Maſeres.
Caſtelnau.
Raunay.

FRANCISCVS II.

& Chandio, coniurati cæteri Amboſiam circumcingunt; ſéxque horas continuas oppugnatus Rex à perduellibus fuit. Tandem turmis aduolantibus plurimis, furentes diſiecti, ſparſi in ſiluam proximam necati & capti, & ſumptæ per plures dies de ſingulis pœnæ. Quippe Dux Guiſius edicto regio vniuerſam in regnum & nullis præſcriptam terminis aſſequutus auctoritatem, eam paulò crudelius quàm poſcebat Francorum indoles & humanitas ipſa exhibuit. Toto menſe appenſi patibulis miſeri & murorum pinnis, nec ipſa nocte à pœnis ceſſante; plures annexi trabibus, & in amnem merſi; truncata capita pluribus, præſertim ductoribus, Ramnæo, Maſerio, & Caſtelnauio; viro forti, fruſtrà Proceribus veniam deprecantibus. Imò ipſi Iudici paratum in ea pœna exitium. Etenim Oliuerius Cancellarius, prouectior ſenio, cùm ad inſtruendas captiuorum lites vltrà ætatis vires deſudaret, febrim contraxit, phreneſi oppreſſus, qua die tertio obiit; mentis impos ſub exitum, quam toto vitæ curſu tam prudentem & ſapientem habuerat. Ita Guiſius auctoritatem ſanciebat ſuppliciis, ſimúlque odiis conquaſſabat, abhorrentibus Francis à ſanguine, & clementiâ furorem ſceleris ſuperantibus. Michaël Hoſpitalius Cancellarius dictus, delectu & optione Catarinæ, vt tanto in magiſtratu collocaret virum, qui *beneficium* ſuum forer.

Oliuerij mors.

De l'Hoſpital.

XXVI.

Oppreſſa tantæ molis coniuratione, & liberata præſenti exitio religione, Guiſiorum induſtriâ & vigilantiâ, non ideò pax reſtituitur animis, nec tranquillitas regno, nec religioni ipſi ſecuritas: abſciſſo trunco radices ſupererant, iterum niſi pœnitus exſcinderentur germinaturæ in nouos frutices, & amariſſimos fructus. Eæ Condæus, Admiralius, Hugonoti cæteri, & conceptum paſſim in Guiſiorum potentiam odium. Condæi animum magnæ agitabant anguſtiæ; ſuorum ſupplicia haurire oculis cogebatur, dolorem intimum diſſimulare; & metuere in momenta ſingula, ne acerbitas cruciatuum ab reo quolibet nomen ſuum tandem extorqueret. Nec tam ſedulò diſſimulabat, quin ad inimicos indicia plura emanarent. Etenim cùm ad ſpectandum vnius ſupplicium vocaretur, ingemuit, verbáque potulit, quæ ſuſpicionem plurimam facerent; & vnus è domeſticis Malinio iuniori equum ad fugam commodauerat ex equili ſuo; & Catarina adhortata eſt ipſum atque orauit, vt conſuleret dignitati, nec ſe ducem rebellibus præberet. Imò ipſe Rex audiuiſſe ſe dixerat, illum conſpirationis eſſe participem, atque adeò ducem, comminatus præſentes ac iuſtiſſimas pœnas, ſi reus foret. Nec Condæus arbitratus diſſimulandum vlterius, ne patientia aleret ſuſpicionem, ſuſpicio fidem; Rege, Proceribus, & vniuerſa Aula ſpectantibus, innocentiam conteſtatus, accuſanti ſe mendacium impingit, & ſingulare certamen indicit; tuncque adſtans Guiſius eius integritati adſtipulatus eſt laudatoriis verbis, & ſe Principi prouocanti ſocium in pugnam obtulit. Nihilominus inhærebat vtrinque ſuſpicio, & hinc Condæum vrgebat conſcientia, hinc Guiſium timor, ne quid ille noui moliretur; quem nec dimitteret nec retineret ſine diſcrimine.

Reliquiæ coniurationis.

de Maligny.

Tandem

Tandem cùm Turones Rex veniſſet, Condæo facultatem abeundi facit; & cunctantem impellunt Guiſij, metu facto, & quæſitis ſuſpicionum cauſis; ob quas ipſe miſſione accepta, cùm ſe Firmitatem ſuam in domum abire fingeret, ad Nauarrum fratrem incitatis equis in Bearniam properat. Simul cum Condæo aulâ abſceſſerant Admiralius & Andelotius; & ille contendit in Normanniam, multæ ea in prouinciâ auctoritatis. Abeunti mandauerat Catarina, vt proximi tumultus cauſam inquireret, certiorem ſe faceret, pollicita clam omnibus fore quod ipſe ſcriberet, rémque totam ipſius arbitrio perſanandam. Neque dubitauit Admiralius ſcribere, inquirendo ſe diligentius in tumultus fontem peruenisſe, nec alium eum eſſe quàm odium conceptum in Guiſios, qui ſi pergerent religionem perſequi tam acerbè, in furorem patientiam populi agerent. Id Catarina cum Guiſiis ſignificaſſet, pœnæ in Hugonotos pauliſper remiſſæ, & ipſa Catarina iis præbebat aures attentiùs, ac videbatur calamitoſam ſortem miſerari. Attamen in prouinciis incendiorum ſcintillæ oriebantur identidem: in Normanniæ pleriſque vrbibus, palam conſcio Admiralio proponebantur impia dogmata: in Phocenſi Prouincia Paulonus Mouuanius armatis hominibus conatus vrbem primariam occupare, repulſus Tendani Comitis diligentiâ, ſeceſſerat Geneuam, malo reiecto potiùs quàm oppreſſo: in Delphinatu Mombrunus Cardinali Turnonio affinis, nam fratris filiam vxorem duxerat, Valentiæ, Monte Ademari, & Romantio, Miniſtros concionantes induxerat, & ægrè depulſus ſollicitudine Guiſij, in Comitatum Venaiſſinum arma intulerat. Præterea tempeſtas impendere à Bearnio viſa; & erat Condæus formidini, ne ſuum illum violentum ignem cum Nauarri fratris frigore temperans, terribile fulmen procuderet. Idcirco Guiſius Cardinalis primùm contentione omni tentauerat, tribunal inquiſitionis inducere; in id impellentibus Pontifice & Hiſpaniæ Rege; & propemodùm inſtitutum confecerat, reclamantibus fruſtra Franciæ ordinibus, quibus placet libera pietas, nullo neceſſitatis iugo adſtricta; cùm ab eo Catarinæ ſolertiâ & Hoſpitalij induſtriâ tandem demotus eſt: quippe Catarinæ factionem perdere non placebat; nec Cancellarius id iugum imponi patriæ æquo animo patiebatur. Guiſij ea deiecti ſpe, vt reliquias coniurationis extingueren t, id comminiſcuntur; vt de ea indicant atque pronuntient ſolemnia regni Comitia: ſed prærogatiuum quoddam conſilium prius cogunt, in quo ſtatuatur de iis rebus quas agitari in Comitiis oporteret; atque ad eum cœtum conuocati Principes omnes, & Franciæ Proceres; maximè Rex Nauarræ, Condæus, Comeſtabilis, eius filij, & nepotes Caſtilionij; dies dicta Auguſti decima quinta, locus Fonsbellaquæ. Porrò Guiſij eo conſilio intendebant, omnes vno reti piſces concludere, atque in capitibus truncare hæreſim, vtque ipſi nuncupabant rebellionem. Verùm Nauarrus & Condæus, breuiori tempore excuſato, abnuunt adeſſe, vocanti Comeſtabili fide non habita, qui cum mille equitibus & tribus Nepotibus ad diem adfuit. Nec dubium erat,

FRANCISCVS II.

Mouuans.
De Tende.
Montbrun.

FRANCISCVS II.

quin si Principes eo comitatu qui dignitatem decebat in aulam veniſſent, adiunctis Comeſtabile ſociiſque, Guiſios æmulos vocaſſent in periculum, & gubernaculum rerum rapuiſſent. Sed Navarro non erat ea indoles, quæ res celeritate conficeret, placebat diuerſum conſilium, cunctationi ſuæ accommodatum; vrbes inuadere, miſcere bello prouincias, tum ponte per metum ſubſtrato, viam ſibi in Aulam facere.

XXVII. *Conuentus Bellaquanus.*

Interea Fonsbellaquæ conuentus Procerum celebratur; in quo poſtquam Rex paucis & Regina mater peroratunt, Cancellarius pro regni morbis habet orationem, & ad remedia adhibenda adhortatur qui audiant. Ab eo Dux Guiſius de belli rebus rationem reddit, inſtrumentis quibus rationes ſuæ fulcirentur palam exhibitis, & ſimiliter Cardinalis de regio ærario, docens vicena quinque centena millia ſingulis annis ſupra acceptum expendi. Eo die ſoluta eſt concio; proximo antequàm ſententiæ dicerentur, exurgit Admiralius, & Regi libellos ſupplices duos offert; qui lecti ab Albaſpina Commentarienſi cœtum vniuerſum admodùm perculerunt. Scripti erant nomine Chriſtianorum fidelium, qui per totam Franciam ſparſi erant, (ita ſe Hugonoti deſignabant,) & petebatur tum conueniendi licentia, tum flagitabantur Templa ad cultum ſuo more Deo exhibendum. Ad eos *Ioannes* Monlucius Epiſcopus Valentinus, qui in Conſiliariis poſtremus ſedebat, iuſſus ſententiam dicere, habuit orationem aduerſus Antiſtitum & ſacerdotum vitia, & mollius in Hæreticos cenſuit, quàm ab orthodoxo Antiſtite ſperabatur. Marillacus Archiepiſcopus Viennenſis, eodem propè ſenſu comitia regni cogi poſtulabat. Admiralius priorum inhærens veſtigiis, de templis impetrandis multa adiunxit aſſeruitque ad faciendum terrorem, in vna Normannia quinquaginta eſſe millia hominum, qui huic petitioni ſubſcriberent; præterea conqueſtus eſt acriter, de nouis ſtipatoribus qui Regem cingebant; quaſi munimen Regum vllum tutius foret quàm obſequentium amor, aut ſecura pace apparatus belli arceſſendus. Guiſius oratione vehementi neceſſitatem cuſtodum docuit; nec ſalutem ſanctiſſimam Regum, armis furentium rebelliúmque inſaniæ obiiciendam. Tum Cardinalis luculenter & eloquentiſſimè dixit, de religione, & templorum petitione; quæ omnino neganda docuit. In eius verba ab vniuerſo cœtu conſtituitur; vti Regni Comitia Meldis Decembri proximo habeantur; anno proximo Epiſcopi conuenirent, legarent ad generale concilium, vel priuatim Gallicum celebrarent; interim nulla iudicia in Hugonotos inſtituerentur, niſi qui armati rebellarent in Regem. Id poſtremùm adiunctum ob noua Principum patefacta conſilia. Ante conuentum Rex Nauarræ Sagam Nobilem Vaſconem ad Commeſtabilem cæteróſque ſuarum partium Proceres miſerat, qui eos doceret quid ipſe cum fratre agitaret conſilij, & fautores in ſuam mentem perduceret: dum ab iis Saga regreditur acceptis litteris, Stampis retinetur à Boneuallio, cui temerè arcana effutierat, & ad Regem perducitur. Lectæ Comeſtabilis & aliorum litteræ, omni ſuſpicionis expertes; vnus Vidamus Carnutenſis ſcribebat liberius, ſi quid

Principum conſilia.

ſuſpiceren

suſpiceret Navarrus dignum indole ſua & amplitudine, paratum ſe in quemlibet excepto Rege eiúſque fratribus arma induere, continuò Vidamus in Baſtillam raptus, & tormenta Sagæ obiecta, quorum metu falſus eſt, Navarrum & Condæum ſcribere milites, Danvillam Comeſtabilis filium Pictavij occurſurum venientibus, adductis cataphractis octingentis, quorum ope Pictavium, Turones, Bituriges, atque Aureliam occuparent; acceſſuras ad partes cum Senarponte Picardiam, Britanniam cum Broſſio Stampenſe cum Comite Tendano Phocenſem Prouinciam, Inſulam Franciæ cum Mommorancio Mareſcallo, qui omnes iunctis viribus apprehenderent Guiſios, & lite inſtructa damnarent. Ea metus extorſerat: poſt menſem cùm nihil amplius quæreretur, vltrò aperuit in charta quæ Comeſtabilis litteras inuoluebat, ſcriptum omne conſilium; ſi ea pauliſper aquæ immergeretur, fore vt characteres paterent legentibus. Dicta confirmata ſunt periculo, quo Lugdunum ægrè ſolutum eſt. Malinius iunior Navarri aſſecla, clandeſtinis cum Hugonotis conſiliis, eam vrbem occupaturus, milites multos ſubmiſerat, & Monbrunus aderat cum copiis, expeditus in proximo, Malinius ſub agendi tempus, vetatur à Navarro vltra rem perſequi, iámque ſingulos milites vrbe educebat, cùm Achonius Abbas Saviniacus Santandreani Prætoris legatus, explorato Malinij conſilio, prima nocte aliquot ipſius milites vna in domo aggreditur; aduolat Malinius, Achonum pellit, ac pontem Araris obtinet, vrbíſque partem quæ Rhodano alluitur; mox patefactis Achoni iuſſu portis euadit incolumis, ciuibus conſciis in pœnam vocatis. Eo facto Guiſij in tutelam ſuam experrecti, ſibi fidos Proceres in ſingulas prouincias mittunt, copias aſſignant, iubéntque dari internecioni, qui armis contenderent; legiones ex Scotiâ reuocatas Pedemontanis adiungunt, delectum in Germania habent peditum equitúmque, & contra vim muniti egregiè, Navarrum & fratrem ad Comitia acceſſunt: primò acerbioribus litteris, dein mollioribus, ſpe facta incolumitatis; & miſſus ad faciendam fidem Cardinalis Borbonius eorum frater, vir admodùm ſimplex, qui in fraudem actus, eos pariter in fraudem ageret, dicebátque. *Nihil Principibus in oculis Ordinum formidandum, tantum numerum virorum, qui probitate & amore in patriam præditi eſſent, non permiſſurum vt quidpiam mali in Principes Regios ſtatueretur; ni ipſi adeſſent, locum occuparent, & tuerentur authoritatem, populis impoſterum futuros contemptui, & eligendos à nemine qui ſe ipſi abiicerent.* Iis perſuaſi ſe dant in viam Principes, & Condæus quidem multum inuitus; admonente Comeſtabile, vt ſe fratres diuiderent, adeſſet Navarrus, hæreret Condæus: & ab eventu, prudentiſſimum eſſe conſilium ſtatim innotuit. Lemovicum venerant, cùm multi Nobiles magno numero Navarrum ſollicitant, admonent, ſi pergat vlterius, de ſalute actum; operam ſuam atque affinium pollicentur, ſi ducem ſe præſtet; expedita in Vaſconia ſex millia hominum, tria in Phocenſibus, totidem in Normannia; aduolaturas vndique copias, ſignum dum erigat. Ea quidem Nobiles: contra Deſcarſius herum ſuum prodens,

Lugdunum liberatum.

d'Achon.

&

FRANCISCVS II.

& multo efficacius ipsa Regis indoles, multa proponebat quæ deterrerent. Conuocata Comitia, Francorum gratiam rebellione statim excidendam, quæ præsenti flagrantissima foret; Regem Hispaniæ colorem iamdiu quærere, inuolaturum in Navarram, & reliquias regni invasurum; copias adeò dissitas, vno loco iungere, tot inter hostes quis posset? exercitum Regium circumfundi; cataphractos mille & ducentos ad custodiam Regis vigilare; eos carceres quo pacto infringeret tam exiguis viribus? Ergo Nobilibus dimissis actisque gratiis viam persequitur. Nec Condæus litteris coniugis permouetur, scribentis actum de salute ni fugâ consulat; si vir foret, moreretur armatus; sin minus, instar fœminæ fugeret; neque aduenientis lachrimis precibúsve mollitus est, sed obductis in perniciem oculis, vltra contendit. Postquam in
De Termes. Pictones penetrant, Termeus circumfusis copiis illos inuoluit, & abscisså fugæ facultate, viæ necessitatem imponit.

XXVIII. *Condæus Aurelia comprehensus.*

Comitia Meldis traducta erant Aureliam, vt vrbem suspectam Rex armis premeret, statimque ad portas, compita, arcemque ciuitatis, manipuli armatorum positi; civi, arma detracta. Et statuta in secretiori Regis consilio Condæi comprehensio, ab Rege subscripta, Mompenserio, & Rocasurione; excusantibus Guisiis, qui occulti *saxum proiicerent*. Mox subeuntibus vrbem Principibus triste præsagium singula offerunt: præter Cardinalem fratrem & Rocasurionem nemo Procerum occurrit; ab porta ad Palatium Regis circumstant armati, per vicos directi; in spectantium oculis miserationem aut contemptum animaduertunt; in Palatium per valvulam pedibus ingrediuntur; à Rege excepti frigidè, & ex fletibus Catharinæ salutantis augurati perniciem, percelluntur extemplò fulmine. Rex Condæum grauibus verbis increpitum, quòd in se & aduersus regnum consilia iniuisset, iubet comprehendi; isque à Brezæo & Chavinio, Prætorianorum Tribunis, in proximam domum abducitur; erecto ante fores lateritio castello, præsidióque imposito cum leuioribus machinis, quæ adeuntes dispellerent procul. Navarrus in hospitium dimittitur, laxiori custodia, facta potestate Regis adeundi, sed nemine præter domesticos colloquente. Nullâ morâ ad instruendam litem festinatum: & vocati è senatu Parisiensi
Brezæo. Et Chauigny.

de Thou. Christophorus Thuanus Præses, Faius, & Viola Senatores, Bourdinus Regius Procurator, & Tilletus scriba, qui Cancellario præside reum iudicarent. Condæus postquam repetitis altercationibus reiecit Iudices, tandem exclusis reiectionibus, ad obiecta respondere adactus, damnatur capite vti reus læsæ maiestatis; pœnâ dilatâ ad Comitiorum conuentum proximum; erigendo in conspectu ordinum pegmate, & patrando palàm ad terrorem supplicio. Sententiæ subscripserunt Principes omnes ac Proceres, & Togati optimates, qui singuli in cubiculum Regis vocabantur: attamen à subscriptione excusauit se Cancellarius, & Comes Sancerræ, fiens Regi affirmauit, se paratum capite minui, antè tam duro mandato quàm obtemperaret. Sanè obdurauerat animum Regis, firma opinio inducta à Guisiis, coniurasse Principem in salutem

suam,

FRANCISCVS II.

suam, & crudelem futuram indulgentiam, quæ parceret Regis peremptori, profligatori regni & religionis. Sic omninò fatum luctuosum miserrimo principi imminebat. Nauarro incumbebat calamitas sua: deerant quidem probationes quæ ad inferendam mortem sufficerent; & maiestas Regis videbatur supra eiusmodi formulas constituta: attamen fratris vindicem liberum mittere, præbere obstinatissimæ factioni ducem, stulta imprudentia foret, & odium nullo fructu ex Condæi morte incensum: nec perpetuus carcer caueret periculo, è quo educi vi aut dolo posset, viuúsque rebellium spem & studia aleret. Vnde haud erat dubium, quin quouis pacto Guisij eum metum extinguerent, nec elabi paterentur è manibus noui belli fomitem, priorísque vltorem. Admiralius consumptas artes, & se laqueo captum perspiciebat; laudabátque Andelotij fratris audaciam, qui Principes aduentantes considerans, excusatis negotiis aulà abscesserat, & se periculo propipuerat. Comes stabilis incedebat lentissimo gradu, & cunctator tam indole quàm ætate, metu præterea tardante vestigia, vocatà in opem podagrâ quâ laborabat, consistebat, regrediebatur, mutatísque hospitiis afflatum Aulæ operiebatur, quanquam irritâ morâ; reus maiestatis pronuntiatus, nisi festis natalitiis celebritati Ordinis Regij interesset. Catharina ipsa aduertit progressàm se longius quàm conduceret sibi: Principibus amotis & factione extincta, nihil amplius Guisiis opponi posse, auctoritatem suam precariam, habenarum instar reducendam quantùm Guisij vellent; iámque percenserat præcogitati mali exordia, cùm Rex adolescens ab ipsa alienior, auunculorum gratiam maternæ charitati crebrò anteponeret. Augebat metum Mompenserij vxor Iacoba Longuicia, prudens & virtutum virilium femina, quæ marito longè perspicacior, & Catharinæ in paucis accepta, periculi faciem proponebat ob oculos, quando ambitioni vehenti in apicem obex nullus foret, nullus metus. In tanta spe ac formidine omnium, dum se alij moderati fortunæ existimant, alij se deiectos in calamitatum voraginem putant, subita & improuisa conuersio, sus déque miscet, primùm affectus, dein ipsas res. Franciscus Rex dum attendit vespertinis precibus, deliquio repentino collabitur, ac reuocatus dolorem immensum ad dextram aurem conqueritur. Pridie inter venandum passus erat grauedinem molestam capitis. Accedit febris, affirmántque Medici vomicam in cerebro procreatam, & vocari vitam in discrimen. Tunc vicissim spes metúsque animos capiunt agitántque; sperare Principes, formidare Guisij; ac ij morbo inualescente Regi persuadent, vt Nauarrum arcessat, affirmétque sua voluntate, ipsis dissentientibus, captum Condæum; deinde ad Reginam Catharinam versi, preces abiectissimas adhibent, prorsúsque subiiciunt auctoritatem illam immensam. Eos inter æstus Rex morte rapitur, die quarta Decembris, vitæ anno decimo octauo incepto, regni mensibus tot impletis, quot vitæ annos impleuerat. Aliena ab quouis vitio indole, vt testabantur moderatores ipsius, Brossius & Sansacus; quem nuncupabant Regem sine vitio: At valetudine

De Longuic.

Francisci mors.

Anno 1560.

La Broſſe.

FRANCISCVS II.

dine prorsus infirma, cui cerebrum humidius refertum pituita, vna aure se purgabat, obstructis oris nariúmque meatibus. Diligebat subditos, optabátque se diligi; aliena ambitione in necessitatem discordiæ raptus. Cæterùm expediebat, Guisios, vel cœpisse nusquam, vel tardius desiviſſe; quippe opprimenda factione aduersa, & extremum agente spiritum, tranquillitas Franciæ illucebat, cùm Regis morte soluta est discordia, furori capto dereptæ compedes, & vltioni insaniendi facultas permissa. Sanè nova impietas interibat, apparatis ad eam penitus eradicandam consiliis.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XIX.

SYNOPSIS.

Carolus IX. Rex. Catharina mater regimen occupat. Regni Comitia. Catharina in Hugonottos propensior. Triumuiratus Procerum. Comitia habita Sangermani. Colloquij Poissiaci causa. Edictum Iuly. Colloquium Poissiacense. Rex Nauarrus deficit ab Hugonottis. Parisiensis tumultus in Hugonottos. Edictum Ianuarij. Vassiana cædes. Hugonotti quomodo inualescunt. Primum bellum in Hugonottos. Rothomagum obsessum. Franciæ status miserrimus. Adresij crudelitas. Monlucij seueritas. Rothomagum capitur. Nauarri Regis mors. Condæus versus Latetiam tendit. Pugna Drocensis. Heluetiorum fortitudo. Guisius pugnam instaurat. Aussuni fuga & mors spontanea. Admiralius in Normannia. Cadomum captum. Rusi Præfecti ignauia & pœna. Aurelia obsessa à Guisio. Guisius occiditur à Poltroto. Guisij laus & Christiana clementia. Pax prima cum Hugonottis. Portus Gratiæ Anglis ereptus. Rex maior dictus, anno 14. incipiente.

Guisiorum expostulatio. Regina Principem voluptate conciliat. Rex per Franciam ductus. Regina Auenione agit cum Legato Pontificio. Rex Baionæ. Reginæ colloquium cum Albano. Edictum Molinense. Gonzaga Niuernensem vxorem ducit. Causa secundi belli in Hugonottos. Metis ab Hugonottis seruata. Bellum ab Hugonottis incœptum. Rex & Regina Meldis intercepti. Heluetiorum in Regem fidelitas & fortitudo. Pugna Sandionysiana. Comestabilis læditur, & moritur. Raitri Condæo adiuncti. Condæi & militum admirabilis liberalitas. Rupellæ ad Hugonottos defectio. Pax Carnutensis cum Hugonottis. Carnutum ope Deiparæ seruatum. Valetæ audax fortitudo. Tertium bellum in Hugonottos. Hugonottorum progressus. Inculisimæ Admiralius sæuit. Grelleti Franciscani in Admiralium præsagium. Acerij copiæ imminuuntur. Regius exercitus Hugonottis impositus. Occursus ad Pampronium, & ad Iaseneulium. Pugna Iarnacensis. Condæi Principis mors. Verna nouus Briareus. Hugonotti copias reparant. Princeps Benearnius dux Hugonottorum. Conacum frustra ab victoribus obsessum. Germanicus pro Hugonottis exercitus. Pugna ad Rocabellum. Pictauium obsessum ab Admiralio. Moles ad Clanij pontem. Soluta Pictauij obsidio. Pugna Monconturiana. Admiralij victi constantia. Nemausenses pro fide cæsi. Fanum sancti Ioannis obsessum. Mongommerius in Benearnia. Admiralius in Aquitania. Admiralius versus Parisios tendit. Iesuitæ ab Hugonottis occisi. Monlucius Rabastinum capit. Pax tertia cum Hugonottis. Coniugia Regis & Guisij.

I.

CAROLVS IX.

Catharina regimen occupat.

FRANCISCO sine liberis mortuo, succedebat Carolus frater admodùm puer, ea appellatione inter Reges nonus, natus annos decem atque dimidium, ideóque tutelæ alterius atque regiminis, nec in eo occupando Catharina mater moram nectit. Nam duas inter factiones media, vtriusque ope ac beneficio, libratis hinc inde quà

spe,

ſpe, quà metu, ſperabat adminiſtrationem ſibi inconcuſſam, atque indubiam. Eam in rem ægrotante Franciſco, abiectis Guiſiis animum fecerat, & erectum Nauarrum formidine noua deiecerat. Etenim arceſſitum adſtantibus Guiſiis, increpuerat acerrimis verbis, quod cum fratre conſpiraſſet in regnum; & ab eo ſcriptum extorſerat, quo ipſi adminiſtrationem permittebat, ac pollicebatur ſe eam traditurum Reginæ, vel delatam à comitiis, idque ſcripto Nauarrus cauerat, periculo territus, ne ſi pernegaret, Regina aſſentiente obrueretur à Guiſiis. Tum poſtquam Franciſcus expirauerat, Condæum adhuc in cuſtodiâ tenuit, nec ſoluit niſi decimâ poſt die, Feram deductum à cuſtodibus; hæſitque in ea vrbe Princeps, donec arceſſitur. Præterea ad Comeſtabilem ſcripſerat, vt feſtinaret, in aulam accedere, fore cuique liberam obeundi muneris poteſtatem. At Guiſij relicto palatio in priuatas ædes ſeceſſerant, ſuæque ſorti ſe accommodantes, faſtu depoſito nouum Regem in Procerum turba conſalutauerant. Sic Catharina promouebatur in apicem, annuente ipſo etiam Comeſtabile; qui exceptus honorificè, & blandimentis fœminæ delinitus, illi ſe adiungit, ratus longè maiorem regiminis partem ad ſe peruenturam, dum mulier regeret, quam ſi Nauarrus, Guiſiuſve ad clauum ſederent. Regis cadauer Sandionyſium ad funus ductum eſt, quod permodicum fuit, nemine Procerum comitante. Quæ res Guiſiis vituperationi fuit, benefactorem ſuum ſpernentibus; ſed præſens timor bonis præteritis potior fuerat, quippe ſi abeſſent, graue quidpiam in eos comitia decreuiſſent. Et ea comitia quanquam nondum cœpta, ſub principia multam ſollicitudinem Reginæ inuehunt. Nam legatorum plerique Hugonotti cùm eſſent, præfractè aſſeuerabant regni curam, Regiſque cuſtodiam, Nauarro vt affini proximo tradendam, qui Comeſtabilis, Admiralij, aliorumque conſilio regnum adminiſtraret. Ea petitio cùm Reginam percelleret; factionem aduerſam ſtatim opponit, in qua Guiſij, Turnonius Cardinalis, Nemurſius, Santandreanus, & Briſſacus; vt factionibus agitantibus animos, à pugnâ res propè abfuerit. Tandem parta eſt tranquillitas, Mompenſeriæ ſolertia, quæ Nauarrum ita temperauit, vt iure ſuo decederet; & ſanè is prudentiſſimam fœminam reuerebatur tantoperè, vt nihil pernegare flagitanti poſſet. Conuentum igitur vt Nauarrus Regis legatus toto Regno diceretur, & ſummus belli, armorumque præfectus; cæteri magiſtratus officio ſuo fungerentur. Deinde incepta regni Comitia; habitæ orationes, & calculis omnium ſancita Reginæ adminiſtratio; ſed obex illicò quo diſſoluerentur, exoritur; cùm enim agitur de Regiis debitis exoluendis, cenſent Comitia, dona immenſa, quæ largitus eſſet Henricus II. abroganda, & repetenda à ſingulis, quæ immodica imprudentia Principis conceſſiſſet. Eo conſilio petebantur Guiſij, Santandreanus, & ipſe etiam Comeſtabilis, quibus feraciſſima Regis gratia fuerat; qui ne acceptis bonis ſpoliarentur, contendunt tantopere, Mompenſeriâ Catharinæ animum inflectente, vt ipsâ annuente ſoluta ſint Comitia, & in proximum Maium reiecta. Catharina, ſtabilito regimine, & integris Procerum factionibus,

Regni Comitia.

CAROLVS IX. Anno 1561.

Primum institutum vtriusque alendæ tenuit ; Quia tamen à Guisiis erat alienior, ferociores experta & consortis nimium impatientes, semovet eos longius, reuocatura vbi opus foret ; ac Nauarro incumbit, arcessito eam in rem Condæo, & in consilium Regis admisso, affirmante Rege ipsum innoxium, data facultate apud Senatum agendi de innocentia. Navarrum fovebat, cùm ab eo repente nova procella exoritur. Is nimirum sive à fratre stimulatus, sive ratus authoritatem suam vagam, & incertam fore, dum hærerent in Aula Guisij, primùm re leui pessundaturus eorum potentiam, conqueritur, se apud Reginam flocci esse, gratiæ & potestatis compotem Guisium sibi in omnibus anteponi ; in vno maximè, quod cùm ipse Regis diceretur Legatus, castri claves custodiendæ Guisio traderentur, se viri arrogantiam ferre haud posse ; necessario abeundum alterutri; abiturum se, si diutius alius teneatur. Ad hæc Regina omnes blandimentorum machinas admovet, quarum tractandarum peritissima erat, vt Navarrum mitiget, clavibus etiam ad se delatis ; quanquam Guisio id iniurium foret, cuius muneri, cùm Præfectus Palatij foret, custodia clavium debebatur : attamen Navarrus in sententiâ pertinax, statuerat postridie proficisci, eúmque sequebantur Regij principes, Comestabilis liberi, ac Nepotes, vt vni Guisij ad Regem hærerent : nec longa erat *via*, Parisios euntibus vt à Comitiis & Senatu vniuersum regimen obtinerent. Ita corruebat Reginæ authoritas, quam vt fulciret, Regem puerum adornat egregie ad Comestabilem inhibendum. Is arcessitum graui sermone, & supra ætatem prudenti, senem verat aulâ facessere ; si quid detrimenti eius absentiâ, Regno aduenerit, ab eo exigendam facti rationem, qui coronæ primum magistratum gereret ; idque vetuit coram duobus sanctioris consilij amanuensibus, vt grauior dictis authoritas foret, nec ausus Comestabilis persequi consilium ; imò Navarrus eius auctoritate deterritus abstinuit à proposito, ne si solus abiret, frustra profectio foret, & plurimo damno absentia ; eamobrem perstat, & novo pacto cum Regina inito, cui cæteri principes adscripserunt, confirmatur in Legatum Regis, Catharinâ pollicitâ, se nihil absque assensu eius deliberaturam. Ita proximis motibus per aulicas artes prælusum est ; cùm statim Catharina, ad alteram partem propensior, detrimentum ingens Regno infert, ac postmodùm tempestatem immanem suscitat.

II. *Catharina in Hugonotas propensior.*

Assiduâ consuetudine Admiralius eam conciliabat mirum in modum; vir apprimè solers, amplissimarum rerum ad excogitandum & patrandum capax, qui molles animorum aditus percalleret, virtutum specie spectabili commendatus, moderatione indolis, atque ingenij, verâ an simulatâ, Christianam pietatem effingens, & qui Reginæ captatâ beneuolentiâ, tum consiliorum specioſâ prudentia, tum affectato ad promouendam vtilitatem ipsius studio, tum Mompensieriæ commendatione & Valentini Episcopi, fœminæ mentem ad nutum flectebat, & quidem primùm in animum irrepserat, politicarum rerum dandis consiliis ; mox glisscente persuasione, quâ suauissimo sermonis lenocinio, quâ morum probitate qui in speciem magna vitiorum dissimulatione sanctissimi, ita mulieris

inuaserat

CAROLVS IX.

inuaserat mentem, atque insidebat, vt ad cultum impium incautam, & nouorum curiosam prope adduceret. Sanè Aula Religionem patriam eiurasse prorsus videbatur; palàm in conclauibus Condæi Principis, & Admiralij, quæ in Regis palatio designata erant; impia Ministrorum dogmata proponebantur è pulpito; aderat frequens Procerum & familiæ Regiæ consessus; Regi sacrum frequentanti nemo adstabat; esciis prohibitis, diebus, ab Ecclesiâ nefastis, omnes vescebantur; iis Quadragesimæ tempore pauciſſimi abstinebant; Imagines, sacræ ceremoniæ, & ipsum augustissimum Mysterium Hostiæ immolatæ, passim deridiculo & contemptui erant; Reginâ ad ea omnia conniuente, imò ita inclinante, vt palam nefariam sectam promoueret, commendaret verbis, maximo religionis veræ detrimento, & Regem ipsum à vero sensu conaretur abducere per suspectas Monlucij conciones. Tam præcipitem religionis ruinam vnus inhibuit Comestabilis, qui morum antiquorum tenax, & nouitatum osor capitalis, præter accuratam in orthodoxâ fide educationem, vilissima Ministrorum capita dominari in aulâ ferre non poterat. Quare eâ de re apud Reginam expostulat, docens quanto in periculo res Christiana sit; illa cùm obtenderet voluntatem Navarri, cui ipsa obsequeretur ad tempus, ne si pernegaret, excitaret hominem ad regimen inuadendum, quo occupato de Religione simul actum esset; conquieſcit Comestabilis; ratus à muliere non omnia summa exigenda. Verùm cùm animaduerteret sibi data verba, Reginam ex animo fouere Hugonottos, eiúsque exemplo in matronas Nobiles virus instillari, & manare in reliquos, ab ea cœpit palàm deficere, & noua consilia agitare. Ac primùm quidem auctoritatem opponit, atque aggreditur Colinios nepotes ab ea insania demouere, ratus Admiralium Hugonottos foviſſe, vt eorum ope fulciret potentiam, & inimicos repelleret; cæterùm auunculi votis nunquam obstiturum; eò maximè cùm potentia sit atque auctoritas stabilita. Attamen Admiralius penitus mentem novâ doctrinâ imbuerat, & pietatis specie ad ambitionis flammam accedente, arbitrabatur conscientiam esse & Religionem, quod cupiditas erat, atque ambitio; ideò auunculi monitis precibúsve flecti non potuit, & quem antea loco patris habuerat, ob amorem & immensa beneficia, modò infensum & propemodùm inimicum habere maluit, quàm à factione deficere. Dolor Comestabilis Magdalenam coniugem diu non latuit; ea ex Sabaudiæ familiâ studioſissimâ Religionis, Coliniisque infensior, quòd eos maritus anteponeret vxoris fratribus, Comiti Tendano & Comiti Villarsio; coniugem ardenter in Colinios incitat, tot beneficiorum immemores, qui Religionem patrum pessundarent, & priuatæ ambitioni Deum, diuináque omnia proderent; meminisset antiquissimum familiæ suæ symbolum, nec gloriam à pluribus sæculis partam obscurari sineret, cum tanto conscientiæ & Franciæ detrimento. Ad ea Santandreanus accedit, aulicarum peritissimus artium, qui senem metu repetundarum, de quibus in Comitiis proximis actum erat, impelleret in susceptum consilium; & vrgebat Diana Pictauiensis cum Aumalio

Triumuiratus Procerum.

De Tende. Et de Vilars.

CAROLVS IX.

malio genero reconciliata flagitantes vt conspiraret cum Guisiis, iunctisque viribus luem tetertimam propulsaret. Contra Cotheſtabilem ab eo consilio dimouebant; tum sua indoles, vno tenore, vnáque constantiâ vitam ducens, ne eâ ætate vir, si cum iis consentiat, à quibus toto vitæ cursu dissenserat, videretur inconstantiâ morum, aut vtilitatis causâ impulsus. Præterea Mareſcallus natu maximus filius, exploratæ prudentiæ & in rebus publicis exercitatissimus dehortabatur ne à Colniis discederet; certam affinitatem quam à natura incœptam tot beneficia aluissent societati incertæ anteponendam; notos esse Guisios, qui consortem potentiæ neminem ferrent; qui se in aduersis quantùm abiicerent, tantum in prosperis insolescerent; fulcrum quo crescerent amolituri statim atque euersuri; meritò Santandreanum ad repetundarum vocem exhorresce re; conditionem suam longè diuersam, qui multò pauciora & ob causas æquissimas accepisset. Et ea virum grauissimum morabantur; donec re perpensâ vidit; vnam spem Religioni pessundatæ superesse, suam cum Guisiis consensionem; nec profligata Religione posse regnum stare; simúlque prudentissimus senex fidei zelo, & patriæ amori, veteres inimicitias & præsentem vtilitatem postposuit; initâ cum Guisio, & Santandreano Mareſcallo ad defensionem fidei societate, magno *Guisij gaudio*, qui diuideret contrariam factionem, suásque partes adaugeret tanto incremento: Primùm diuino epulo ad sacramentum fidei simul pasti; humano posteà, præbente cœnam Comestabile; mox vtroque ab aula in proximas villas secedente. Et ea societas ab Hugonottis dicta Triumvitatus, sociíque qui conuenieb nt Triumviri; reuocata ad odium Triumvirorum Romanorum appellatione, tam malignè, quam falsò cùm per eos firma Religio, & inconcussa corona steterit.

III. *Comitia habita Sangermani.*

Nihilominus nondum in dissensionem apertam partes discesserant; rursumque proceres Rhemos ad inaugurationem Regis conueniunt; non sine controuersia, Guisium inter, & Mompensierium ortâ; vter partes priores inter Pares teneret. Posteà iidem principes consederunt in Senatu Parisiensi, solemni sententiâ liberante Condæum à primâ rebellionis accusatione; ac Comestabilis eundem cum Guisio reconciliauit, Rege spectante, & maximâ Procerum conuenientium in id frequentiâ. Tum legati trium Ordinum, qui Pontisaræ petitiones suas scripto mandabant, à Maio ad Augustum mensem reiecti, Comitia tandem auspicaturi, statuerant regimen Catharinæ prorsus abdicare. Cuius rei conscia perspicacissima mulier; Admiralium exorauerat, vt ad eos profectus, ab ea mente reuocaret, quorum plerique, quíque maximè pollebant, idem cum eo sentiebant de Religione; verùm non auditus est Admiralius, legatis pertinacissimè Nauarrum poscentibus; fuitque Nauarrus ipse ad eos mittendus, qui doceret se quæsito iure sponte cessisse, rogarétque in suam gratiam id paterentur; ægrè assensum, & quibusdam conditionibus in postulata insertis. Deinde Comitia in sanctum Germanum traducta, vt in ipsa arce Regia qui consulerent, in potestatem Regis traderentur. Et ea quidem habita, nullo operæ pretio, aut fructu publico.

Primùm

Primùm enata est inter Principes Regios, & Cardinales discordia, qui priores partes obtinerent, & Comitiis Principes præponentibus, discessérunt Cardinales Turnonius, Lotharingius atque Guisius: Tum à legatis Ordinum habitæ orationes; atque Ioannes Britannus, qui pro tertio Ordine perorabat, acriter in Clerum declamans, Sacerdotum vitia, & diuitias carpsit, & plura in damnum Ecclesiæ postulauit; accedebárque ad petita eius nobilitas. Quamobrem Clerus Regi decimas in sexennium quaternas concessit, plebs nouum vestigal vino impositum; eóque tanta scriptorum & petitionum moles euasit. Sed non eò Religionis discrimen constitit; quippe in colloquio Poissiaco magnum incursum est. Edictum Regina promulgauerat in Orthodoxos iniquum, & iniuriosum; eo vetabatur ne quis in posterum alteri nomina Papistarum, aut Hugonottorum obiiceret, imperabatur iudicibus vt soluerentur qui Religionis causà trusi in carcerem forent; permittebatur ob eandem causam exulibus regressus, facultas bona repetendi, modò sine offensione viuerent; nouam sectam professis, liceret bona sua diuendere, ac quò libuisset extra regnum diuertere. Porrò id edictum Parisiensis Senatus reiecerat, multis incommodis tum in Religionem, tum in tranquillitatem publicam opportunum; & ab eo plurima nascebantur damna; pessimis hominibus postliminio reuocatis, & fæce Apostatarum redeunte in Franciam, qui familias omnes, siue facultatibus repetitis; siue dogmatibus arroganter edoctis, permiscebant atque conturbabant. Ad ea incommoda persananda; proponitur habendum amicum discordes inter colloquium, in quo agitatæ de Religione controuersiæ, & conuicta hæresis, animos ab errore auocarent faciliùs, & ad veritatem adducerent. Vt huic colloquio aduersabatur Cardinalis Turnonius, & plerique Sorbonæ doctores, affirmantes cum pertinacibus frustra disceptari, & damnatas toties hæreses male retractari, sic eidem suffragabatur Cardinalis Lotharingius, siue ostentandæ eloquentiæ studio, siue proponendæ ob oculos veritatis, quæ disiectâ caligine luceret splendidius, & Ministrorum extricata laqueis restitueretur pristinæ libertati; isque in eam rem Cleri Gallici consensum impetrauerat. Qui dum cœtus cogitur, à Regina nouum edictum de Religione flagitauerat. Et quidem Rex post inaugurationem in Senatu Parisiensi, assistentibus Proceribus Edictum promulgauerat, mense Iulio, vnde edictum Iulij est appellatum; quo vetita capitali pœnâ seditio; prohibita Hugonottis sacramentorum administratio, alio ritu quam Orthodoxo; crimini hæreseos Ecclesiastici iudices dicti, non grauiore inferendâ pœnâ quam exilio; quæ obseruarentur, dum secus vel à Concilio generali, aut cœtu proximo statueretur. In quem vocati Galli Antistites, & Hugonotti Ministri, data tessera securitatis; vt coram audirentur & arguerentur; Poissiacum vicus ad Sangermanum, locus designatus, ad Augustum proximum. Eo constituto Regina ad Pium IV. Pontificem maximum mittit, qui de totâ re certiorem faceret, magnâ verborum licentia, quæ ab principum Catholicorum obsequio multum abhorrerent. Pontifex prudenter dissimulato

CAROLVS IX. Iean de Bretague.

Colloquij Poissiaci causa.

Edictũ Iulij.

Poissy.

CAROLVS IX.

dolore; quanquam id colloquium superuacaneum existimaret, instaurato Concilio Tridentino; in quo abundè ageretur de Religione, & damnandis hæresibus, tamen ne quid in eo contra dignitatem Ecclesiæ stabiliretur, néve fœminæ sibi plurimùm arroganti daretur occasio ruendi in præcipitium, legauit qui interesset colloquio Hippolytum Estensem, Cardinalem Ferrariensem, virum summâ prudentiâ, & gratum Francis, vt rebatur futurum; Estensi familiâ iam ab annis plurimis fœderatâ Franciæ; & nuper Renatæ nuptiis in affinitatem acceptâ. Verùm legato difficultates multæ obiectæ sunt. Aulam vitiis inquinatissimam reperit, nulla rerum sacrarum veneratio, Ecclesiæ dignitas contemptu summo excepta; ipse per ludibrium passim derisus & contumeliosis scriptis laceratus. Deinde Cancellarius diploma legationis reiicit, affirmans id aduersari statutis nuper in Comitiis publicis, idque à Regina iussus admittere adscripserat sub sigillo, se dissentiente id admissum esse. Et eam ob causam Senatus idem diploma ratum habere noluerat, ac postremò conditiones apponebat durissimas; Legato pollicente se diplomate suo non vsurum. Eas inter moras tum venientis Legati, tum altercantium magistratuum, colloquium institutum cœptum erat Poissiaci, ineunte Septembri magno apparatu, & Catholicorum doctorum frequentiâ.

IV. *Colloquium Poissiacense.*

Nam cum Rege & Regina Nauarrus sederat, Principes Regij, Proceres vtriusque Religionis, sanctioris consilij Senatores; ac loco distincto sex Cardinales Turnonius, Castillionius, Lotharingus, Armaniacus, Guisius ac quadraginta Episcopi, præter Parisienses Theologos; quorum præcipui Espencæus, & Sanctesius; admissúsque Iacobus Laïnius Societatis Iesv Generalis, Theologiæ scientissimus, quem Cardinalis Legatus adduxerat. Ex aduersâ parte Hugonotti, Marloratus, Beza, Ioannes Malo, Petrus Martyr, & Ioannes Spina; singuli ex ouili Ecclesiæ in luporum latibula transfugæ, suis quisque insignes flagitiis; Besa præcipuè in Burgundiâ natus, qui adolescens venundato opimo sacerdotio, ob nefariam libidinem delatus, Geneuam profugerat; abductâ illâ suâ Candidâ sutoris coniuge, vt sodomiam adulterio cumularet. Ac continuò impiissimus vir ad Calvinum magistrum applicitus, ea impietatis, atque insaniæ incrementa fecit, vt successor dignus tanto præceptore extiterit, vnus in paucis bellorum ciuilium fax, & tuba: Cæterùm à natura eximiis instructus dotibus, quas vertebat in perniciem; animo celeri ad excogitandum, ad dicendum expedita lingua, ingenio hilari, & ad iocos ficto, ore commodo & ad humanitatem mirè conformato, vt sermonis suauitate sibi facile animos conciliaret, ipsi primæ partes delatæ à cæteris, atque orandi prouincia data. Primo congressu infracta aliquantùm illorum audacia; nam iussi sunt extra septa stare, in quibus Principes & orthodoxi Doctores sedebant; postulandi animum Regina ipsa fecerat; quæ anteà petentibus, ne Antistites disceptationis iudices forent, néve alia lex præter Scripturam esset, annuerat; eodemque Sorbonæ Doctores reiecerat, flagitantes ne impuris sermonibus aures præberet; saltem haud sineret adesse Regem colloquio, ne fortè indoles tenera, ætasque incipiens,

Anno 1561.

corruptæ

corruptæ doctrinæ stillam imbueret. Actionis principio Rex paucis admonet, vt salutari consilio turbis nascentibus prouiderent; néve discederent, quin orta dissidia composuissent. Tum Hospitalius Cancellarius prolixam habet, & suspectam hæresis orationem; nam prolocutus de necessitate & vtilitate Colloquij, multis in Pontificem & Concilia aculeis, ad pacem & concordiam qui essent fratres hortatur; maximè Orthodoxos, quasi turbarum præsentium causam; admonensque ne tam immaniter dissiderent à fratribus qui eodem abluti baptismate Christum Dominum iidem colerent, atque adorarent. Vbi perorauit, exurgit Turnonius Antistitum præses, ac postulat vt quando Cancellarius de nouis rebus atque inauditis habuisset sermonem, ipsi oratio scripto traderetur. Excusante Hospitalio, iubetur Beza à Reginâ dicere, & ille primùm flexis genibus, prolixè de doctrinâ suâ disseruit; tam procaciter, tamque nefariè, præcipuè in Eucharistiam sacrosanctam, vt cuique probo horrorem iniecerit. Desierat, cùm Turnonius Cardinalis, vir in paucis pius, & veræ fidei sincerissimus cultor, toto corpore præ zelo, & indignatione contremiscens, ad Regem conuersus, testatur Antistites contra animi sententiam conuenisse, nec sine conscientiæ morsu; quippe præuidisse blasphemias impias ab hominibus eiusmodi eructandas, & Regis qui se Christianissimum diceret indignas auribus; proinde se concionem statim abrupturos, nisi habuissent mandati Regij rationem; diem se poscere, ad sermones Bezæ refutandos; luce clariùs demonstraturos Antistites, quantùm inter mendacium & veritatem interfit. Instaurato Colloquio dixit Cardinalis Lotharingus de doctrina Ecclesiæ & Eucharistiæ sacramento; & quidem tanto argumentorum robore, tanta sermonis suauitate & copiâ, vt amplum ea die de impietate triumphum egerit. Verùm & huius orationis & cæteræ disceptationis, qua cum Beza Espensius Sancteſiúsque egerunt; fructus fuit permodicus; frustra hæreticorum intellectu conuicto, cùm voluntatis peruersitas obstat: habuit, & Lainius luculentissimam orationem, ac Christianæ libertatis plenam; qua inuectus in teterrimam Ministrorum fœcem, affirmabat illos oportere amandari in Concilium; tum Reginam compellans, nam Rex tunc aberat liberè monuit, eiusmodi actiones de Religione, haudquaquam ad ipsam aliúmve spectare Principem; sed ad Pontificem sacrosque Antistites; nec fas esse colloquium priuatim instituì, dum generale Concilium iis de controuersiis Ecclesia celebraret. Reginam perstrinxit viri oratio, idque perfecit vt ea deinceps abfuerit, nec se Regemve disceptantibus immiscere ausa sit. Producta est in aliquot dies altercatio, donec solutum est Colloquium, maiore Orthodoxæ fidei damno, quam fructu. Etenim Hugonotis eo facto audacia, & temeritas aucta est; postquam tam impunè, quam impiè furorem in tam amplo consessu deblaterarunt, qui antè in antris duntaxat, & solitudinibus proponebant dogmata; mox perfrictâ fronte coram atque in vrbium cœtibus loquebantur; se gerentes pro victoribus, quia vicissent pertinacia, & durissima mentium obstinatione veritatis tela perfregissent. Regina haud insciа quam offensionem

CAROLVS IX.

CAROLVS IX. Ausance.

nem eo colloquio Pontifici & Regi Hispaniæ commouisset ; Lansacum ad Pontificem, Ausancium ad Hispanum mittit, qui factum excusarent, reique seriem enarrarent.

X.

Nauarrus Rex deficit ab Hugonottis.

Porro ex ea legatione orta est occasio Nauarri ab Hugonottorum causâ auellendi : in eam rem Ferrariensis Legatus, & Guisij dudum incumbebant, rati si Principem factioni detraherent, ruituram illicò, & auulso capite perituram. Eam ob rem cùm ille de Nauarra restituenda Hispanum vrgeret, spem Guisij obtinendæ Scotiæ fecerant ; adiunctâ etiam Angliâ ; nullâ re faciliùs promouente victorias quàm spe conceptâ ; sed addebant conditionem durissimam vt Ioannam Albretiam is repudiaret, matrimonio haud ægrè hæresis causâ soluendo, ac nouo cum Mariâ Stuartiâ ineundo. Santandreanus, huiusce strophæ artifex, & vaferrimo supra cæteros omnes ingenio, vt in eam Nauarri cupiditatem incenderet, sollicitudinem omnem intenderat ; & accedebant ipsius Nauarri domestici duo ; Alter Escarsius, fidem cuiuis pretio nundinans ; Alter Lenoncurius, Antisiodorensis Episcopus, probus quidem, sed ob credulitatem fraudi obnoxius, qui Nauarrum herum in eam spem totâ contentione animi impellebant. At is à repudiandâ vxore planè alienus, ex qua geminam prolem susceperat, ad consilia noua abducitur : nempe Hispaniæ Rex proponit Sardiniam cum Nauarra commutandam ; vxorem habeat, liberósque, sed prorsus ab Hugonottorum causâ deficiat. Et Nauarrum præter noui regni gloriam & vtilitatem, præter conscientiæ atque adeò vitæ tranquillitatem, quâ capiebatur tantoperè, iam factionis plurimum tædium cæperat ; tum quod abhorrebat à seditiosis, & turbulentis ingeniis, tum quod partim tota auctoritas ad fratrem, imò ad Admiralium tranduceretur, inani titulo sibi relicto. Quare ab Hugonottis deficiens, ad Comestabilem, & Guisios transit ; perstante spe Sardiniæ, & Triumviris pollicentibus Regni administrationem, quam Reginæ dolo occupatam eriperent. Fremebant indignatione hæretici, congestis in eum contumeliis plurimis, Bezâ ipsum auso Iulianum Apostatam nuncupare. Nec iam amplius eorum audacia intra verba stabat, sed promota vlteriùs, quantùm regni Proceres, ac Magistratus summâ ignauiâ remittebant, tantùm enitebantur, & vim sinceræ fidei inferebant. At cessantibus Magistratibus, plebs ipsa Dei causam & tutelam Ecclesiæ suscipit. Iam Admiralius sanctiori Consilio libello scripto non tam supplicauerat, quam terrorem iniecerat, quo significabat huiusce reformationis (nam sic præsumptam religionis emendationem vocabant) in Francia supra bis mille quadraginta Ecclesias numerari ; cùm Parisiis tumultus exortus, primum impetum bello imminenti fecit. Conciones geminis in locis Hugonotti habebant, extra suburbium sancti Antonij, & in suburbio sancti Marcelli, quæ postrema domus Patriarchium dicebatur, Æde sancti Medardi haud procul, & quidem die quo Ioannes Euangelista colitur, festis natalitiis, cùm Orthodoxi ad vespertinas preces campanas pulsarent ; siue casu, siue consilio, frequenti pulsatione sic Hugonottis proximis obstrepunt, vt non audiretur Ministri oratio. Missi ab Hugonottis duo, qui compescerent sonitum,

D'Escars. Lenoncour.

Parisiensis tumultus.

iique

iique cùm minarentur audaciùs, tam malè excepti sunt, vt alter occubuerit cæsus. Ad id nuntium Hugonotti furore perciti, Patriarchio erumpunt, & Beza ductore in sacram Ædem, effractis foribus impetum faciunt, passim obuios mactant, sacras vestes diripiunt, imagines pictas fictásque distrahunt, aras euertunt, proculcant Hostias sacrosanctas; Andelotio in equo instruente furentium agmen. Mox vt tota vrbe triumphum ducerent, abducunt vinctos, cruentósque vulneribus circiter triginta; in quibus decem Sacerdotes, rapiúntque in carcerem. Ad eam audaciam faciebat animos Mommorancius Marescallus, qui in ipsos propensior, prohibendi tumultus specie orthodoxis arma eripuerat, Hugonottis reliquerat; & iisdem in custodiam dederat Gabastonem præfectum Vigilum, & Rugorelium tribunum capitalium, qui armatis cohortibus euntes in concionem defenderent, & Gabasto immistus furentibus in sacram Ædem irruperat. Postridie Hugonotti instructo agmine, & ostentatâ victoriâ in concionem coëunt, magistratu obmutescente; cùm plebs indignata tantum in Ecclesia nefas patratum impunè, irruit in Patriarchium, discessu Hugonottorum iam vacuum, iniectisque flammis id absumit. Eo tandem facto experrecti Iudices, de tumultu inquirunt, & suspensi tres Hugonottorum, in quibus, Gabasto; Orthodoxi ægrè Nauarri auctoritate carcere missi sunt; & horrendum sacrilegium tam leui pœnâ affectum est.

CAROLVS IX.

Rougoreilles.

Partibus sic affectis Edictum aduenit, quod Ianuarij dictum est, quoniam eo mense primò promulgatum est, vt Iulianum edictum extingueret. Aulâ abscesserant Guisij, Comestabilis, Santandreanus, & Nemursius, Reginam studentem hæresi haud ferentes, Nauarro hærente, nec dum omninò in meliorem partem confirmato. Tunc Admiralius Reginæ & regiminis compos, edictum comminiscitur, quo sua causa atque religio stabiliretur, & radices ageret, nullo conatu deinde euellendas; atque Cancellario annuente, qui hæreticos nusquam non fouebat, vt maior edicto auctoritas foret, Senatores aliquot ab singulis Parlamentis euocat, eorúmque sententiâ Rex sancti Germani edictum pronuntiat, quo soluta impietati, licentia, fixæ hæresi sedes, & permissæ furori habenæ. Nam id Iulianum edictum abrogabat, & facultatem Hugonottis dabat erigendi templa extra Vrbium mœnia, in ea conueniendi, & cœtus frequentandi; iussíque magistratus conuenientes protegere atque defendere; permissum præterea Synodos cogere, dum vnus è magistratibus annueret vel adesset; ita hæresis sanciebatur Regiâ auctoritate, quod in Francia inauditum hactenus, & templa templis, aræ altaribus, veritati mendacium, æqua propemodùm lance, opponebantur. Tam iniquæ legi refragati sunt Proceres, Guisij, & Comestabilis id repellunt; Senatus Parisiensis ratum ægerrimè habet, donec ipse Rex in Curiam venit, iussítque in acta Senatores referre; Cancellario temperante inuidiam Legis, atque adscribente in rem præsentem duntaxat hanc edi. Sed per ea verba nihil legi detractum, & momento vniuersam Franciam labes inuasit. Sic belli causæ instruebantur, cùm id Vassiana cædes præcipitat. Vassium in Bassinia

VI.

Edictū Ianuarij.

Anno 1562.

Par prouision.

CAROLVS IX.

Oppidum Guisij erat, in quo Hugonotti templum posuerant, coibántque magno numero ad solitas conciones; id Guisio molestissimum visum est, vt sua in ditione audacissimi homines conuenirent; quos vt dissiparet atque auctoritate sua deiiceret, à vi prorsus alienus futurus, aduocatâ turmâ equestri, Vassio iter habet, cum vxore, Guisio Cardinale, cæteráque familiâ, vno ense armata. Venientem in Oppidum Parochus & Prior rogant, vt secedat paulisper, prætereátque ad villam Rusticam, in qua hæretica concio habebatur: nam conuenerant eo temporis articulo; simúlque Guisij famulitium nullo heri iussu, ad villam procurrit, atque hæreticos lacessit contumeliis: ij cùm verba regererent, ad verbera & saxa ventum est.

Vassiana cædes.

Vassi.

La Brosse.

Tum Guisius ad compescendum tumultum Brossiam iuniorem mittit, qui Ministrum arcesceret; at is in villam equo inuectus, reprimitur ab hæreticis, atque retinetur; quod audiens pater recepturus filium, coactos aliquot amicorum in eos inducit, túncque conflictus vtrinque incalescit. Quem Guisius vti opprimeret aduolans, saxo genam percussus illicò, & cruore fœdatur; simúlque domestici spectato sanguine heri furentes, in villam irrumpunt, prouoluunt fores, & quà sclopetis, quà ferro grassati, sexaginta cæsis, sauciisque plurimis, Guisij vulneri litant. Extemplo Hugonotti eam cædem quasi cogitatò & consultò patratam, *in immensum* augent, exclamant sibi vim contra edicta illatam, *superum*, mortaliúmque vindictam implorant, atque ad bellum arma expediunt. Beza tumultuantium antesignanus Reginam cum pluribus Moncæum conuenit, & prouolutus in genua questu miserabili calamitatem cæsorum deplorat, accusat Guisij crudelitatem, appellat iustitiam, comminatur, tragicasque lachrymas excitat. Admiralius atque Andelotius aulâ abscedunt, Ioanna Nauarri coniux à marito secedit, & ducto in Bencarniam filio, capitale bellum Orthodoxis indicit: iamque passim ad bellum tubis, tympanisque personant agri, atque ciuitates. Porrò quoniam hoc primo bello aperta hæresis patriam oppugnauit, lubet paucis proponere, quibus fraudibus, quave industriâ breuissimo tempore incrementum tantum adepta est, vt huic bello & consequentibus, toties victa suffecerit, atque Hydræ instar, resectis ceruicibus, capita noua genuerit, suo damno ferax, & formidanda funeribus. Præfecti Ærarij, Magistratus Vrbium tum supremi, tum inferiores; atque ipsi Prouinciarum Præfecti, & Arcium, plerique prauæ opinioni adhæserant, cæteri vel pecuniâ corrupti, vel minis deterriti, vel nouarum rerum percupidi, iuxta hæreticos se gerebant, datâ grassandi quâ libuisset insaniâ. At impunitatem semel consequuti, licentiam suam insolenter & audacissimè promouebant; cùm pecuniâ affluerent; nam in causam communem erogabant singuli prodigè; conducebant clam milites, quorum operâ ad vim inferendam arrogantissimè vtebantur. Per eos in oppidis concitabant tumultum, diripiebant Ecclesias, confringebant Icones, Ecclesiasticos depellebant, interuertebant eorum reditus atque inuadebant; per eos in agris mactabant rusticos, qui ad concionem non irent; lictores ab Orthodoxis missos obtruncabant; si qui iure contra ipsos ageret, vel vi opprimebant, vel corruptis

Hugonotti quomodo inualescunt.

corruptis iudicibus in ipso tribunali iustitiæ confodiebant. Ita vi & fraude propagabatur impietas, & correptis iam Optimatibus peruadebat in plebem: vt tam mirum sit Franciam iis bellis non fuisse hæreticam quàm proximis, vbi supra malum adhibebatur remedium, haud evasisse Hispanicam; immensâ & amantissimâ Dei prouidentiâ, primùm Religioni, tum Coronæ ipsi consulente.

VII.

1. *In Hugonottos bellum.*

Factionibus ita proritatis, cùm vtrique bellum necessarium videretur; maximè Orthodoxis, ad vim Hugonottorum prosperam reprimendam; nec ij arbitrarentur incommodum, prosperitatem pacis bello promouere, in arma haud difficulter procursum est. At enim vt ea speciosus color induceret, quique contendunt Regem atque Parisios penes se habere. Condæus quadringentis stipatus equitibus agebat Parisiis, & Catharina receperat se tradituram Regem, vbi opus foret. At vtraque spe statim deiicitur; nam Guisius exceptus Parisiis, populari beneuolentiâ fretus, eum vrbe eiicit, & Reginam cunctantem se cum Rege tradere, Fonbellaquam conuenit, Regemque Parisios ducit; perculso Principe Guisij celeritate. Cùm ille iterum Admiralij securitate & Reginæ cõditione in spem nouam erigitur. Hærentem monte Erici atque ancipitem vrget Admiralius, rapitque incitato cursu Aureliam; eam vrbem Andelotius iniecto clam milite occupauerat, portisque obtentis à fratre subsidium implorabat, idque à Principe opportunè immittitur. Parato rebellioni hospitio, accedunt ad principem litteræ Catharinæ, quibus captiuitatem Regis suámque deplorat, rogatque vt augustissima capita libertati vindicet. Nam ambitiosissima fœmina deiectam se vsu regiminis (quod exemplo Guisij & Comestabilis occuparant) impatientissimè tolerans, accinnebat bellum, & factionem alteram, quam fidam sibi crederet, impigrè incendebat. Continuò Princeps evulgato scripto, se Regis vindicem, & libertatis assertorem professus, plurimas toto regno vrbes per fautores inuadit. Non est mei propositi singulas res quæ eis gesta sunt bellis, recensere, & mandare scriptis; suos illa habent & luculentos Historicos; satis mihi sit perlustrare præcipua, atque enarrare quæ momento in rem totam fuerint. Vtrinque scripti exercitus dirimebantur angusto spatio, cùm Regina verita si confligerent, ne ipsa præda vincentium foret, ad pacem conciliandum perito colloquio, Condæum conuenit, & sermone artificioso, ad miserationem composita, demereri omni spe audientem contendit. Multa proposita, nihil impletum est, atque Admiralio bellum præoptante, pacis studia tandem discussa sunt. Regis exercitus antè infirmior, mox Helvetiis Germanisque accedentibus, multò validior, Principis copias intra Aureliam compulerat; dein profectus in Bituriges, Auaricum primariam vrbem postquam expugnauit, excepitque Santandreanum capto Pictauio, domitisque Santonibus, victorem, in Normanniam se conuertit. Eam prouinciam quatuor admodùm partes conturbabant, Hugonotti, qui validissimi armis Rothomagum, Cadomum, Dieppam, pluresque vrbes inuaserant: ij Momgomerio Duce, pluribusque nobilibus sociis præpollebant haud dubiè; Matignonius orthodoxos tuebatur pro viribus; Dux Bullionius

Rothomagum obsessum.

Matignon.

CAROLVS IX.

nius, prouinciæ prætor, fide Hugonottus, quanquam in speciem medius, tamen in eos propensior, progredientibus haud quaquam obstabat. Angli
Havre de Grace.
præterea euocati à principe, Gratiæ portum insederant, icto fœdere defensuri Principem; bis mille propugnabant Rothomagum, & noua subsidia comparabant. Eo rerum statu, Septembri defluente, Regis exercitus admouetur Rothomagum, in quo præter Regem & Reginam ipsam, erant
Prouinciarum miserrimus status.
Navarrus, Comestabilis, Guisij, plurefque proceres. At bello in Normanniam traducto, non minus discerpebatur reliqua Francia. Singulæ prouinciæ suam pestem alebant, & diffusum virus per membra singula malum fouebat, & cruciatus asperrimos. Nulla erat, quin haberet prætores geminos, alterum à Rege, alterum à Principe, quin haberet tot hostes quot incolas, singulos in diuersas partes raptante discordiâ; nulla quin cædibus atrociſſimis, crudeliſſima laniena, sacerdotum funeribus & Ministrorum suspendio, templorum incendio, rapina supellectilis sacræ, violatione omnium iurium fœdaretur & euerteretur. Politæ in agris oppidisque insidiæ, præterea in ipsis priuatorum laribus, consurgebant in patrem liberi, pater in liberos, nec vllum naturæ vinculum aut pietas affinitatis, insanam furendi libidinem cohibebat, discordia in thalamos & sacrosancta nomina peruadente. Non lubet percensere sigillatim tragœdias, quas variante fortuna modo Catholici, modo Hæretici certatim edebant; vnus
Des Adrets. Prouence.
Adretius regiones multiplices Phocensem prouinciam, Venassinos, &
Comté d'Auignon.
Delphinates, Forisienses, & Lugdunenses innumeris cædibus cumulauit; ad ludum etiam & voluptatem Orthodoxis mactatis, siue quos per decurias cæsos trabibúsque connexos committebat Rhodano, adscripto per ludibrium scommate; vt vectigal soluentibus via præberetur; siue iussis innoxiis è summa turri in subiectam rupem se præcipitare, barbara immanitate, vt sibi quisque pœna esset & carnifex. Nec Monlucius se paulò
Monluc.
melius gerebat in Aquitania, qui neminem Hugonottum deprehendebat, quin illico suspendio necaret, quanquam in eo nullum crudelitatis ludibrium, cruciatuum acerbitas nulla, sed iure belli captos, maiestatis (vt dicebat) reos diuinæ & humanæ afficiebat iusto supplicio. Et hic quà seueritate, quà celeritate, & militari peritia, Tolosam seruauit à præsenti exitio, & vniuersam Aquitaniam purgauit Hæreticis; primùm quidem armis, mox terrore nominis; quanquam Montalbanum expugnare non potuit; eâ vrbe oppugnantibus tertium ereptâ, & fato quodam rebellionem & hæresin in proximum seculum propagante. Neque Nemursius Lug-
Soubise.
dunum ab Hugonottis Subisio defendente extorquere potuit; vrbsque ampliſſima seruitutem miseram pertulit, donec pace primùm arma posita sunt.

VIII.

Rothomagum captum.
Interea Rothomagum exercitus regius adurgebat; duo defensorum propugnacula validiſſima, arcem sanctæ Catharinæ, atque amnem Sequanam inuaserant regij & interceperant; nam arcem die medio, dum obsessi ad quietem in vrbem abscedunt, summo impetu inuaserant atque expugnarant; tum ad Caudebecum in transuerso amne oppositerant carceres, submersis nauigiis plusculis, arenâ & graui saxo oppletis, catenis
Caudebec.
ferreis

ferreis vincientibus molem. Præterea tormentis crebrâ verberatione murum quatientibus, ruinâ illatâ, parabatur irruptio, cùm Nauarri vulnus interuenit. Ille in primo aggere explorans ruinam, vbi se conuertisset ad vesicam exonerandam, sclopeto læditur, glande os humeri perfringente magno dolore; nihilominus Comestabilis ductu & Guisij verberatio repetita, admoti cuniculi, occupati muri, vrbsque expugnata est. Ducum vigilantiâ temperatum est cædibus. Nam primò Mongomerius præsidij præfectus cum Anglis in expeditâ triremi aufugerat, seque receperat in portum Gratiæ; tum ciuibus parcitum, facultates dumtaxat direptæ, sumptum tamen de noxiis maioris notæ supplicium; Mandravillæ & Ducibus aliquot caput truncatum est; Mallorato Ministro, & tribus Consiliariis fauces fractæ laqueo; vt vnde voces seditiosæ proruperant, inde & pœna inciperet. In captam vrbem saucius Nauarrus inferri voluit, & per ruinam muri gestatus est, lecto feretri triumphalis, imo Libitinarij vices obeunte, nam à medicis adductus in certam spem valetudinis, & ad voluptates primas reuolutus, cùm aleam & choreas admisisset in cubiculum, imo puellæ regiæ incaluisset amoribus, febris plagæ accessit, quâ vexatus nauigium subit, vt in sancti Mauri villam gratissimam deferretur; sed horâ alterâ, inualescente morbo, extinctus est, anno ætatis quadragesimo primo: fide tam morienti ambiguâ, quam viuenti, nam Ecclesiæ sacramentis munitus, impellente Laureo Medico, qui de religione verè sentiebat; dein Mesetio altero Medico suadente, qui adhærebat Protestantibus, admisit Augustani dogmatis persuasionem; adeò turba Medicorum non corpori dumtaxat, sed animo nocet. Ab eo Henricus & Regum Franciæ nouus ramus exortus est; regnatque in posteris magna pietatis & fortitudinis laude. Capto Rothomago, cæteræ vrbes victorem admittunt præter Gratiæ portum, quem Angli tenebant. Mox Condæus hostem, versus Lutetiam, euocauit; ille in Germaniam ad scribendos milites miserat Andelotium, Scombergum, & ipsum Germanum, (à quo in Franciam traducta posteritas, magno laudis & fidei incremento) Iacobum Spisamam, Episcopum ante Niuernensem, modò apostatam & propagatorem studiosissimum hæresis. Eius potissimùm solertiâ, & eloquentiâ, à Protestantibus impetrata subsidia, ter mille equites, & peditum quatuor millia; quibus ab Andelotio deductis Aureliam, & per Lotharingiam atque Burgundiam, & Sequana in origine transito: aliisque ab Rupefocaldio supplementis, princeps auctus, Aureliâ progreditur, captisque oppidis proximis, versus Parisios tendit. Erant sub signis octo peditum millia, equitum sena, & tormenta septem trahebantur; leuissimæ in ciuitatem tam amplam copiæ. Sed principem incitabant diuersæ spes, vel vrbis per clandestina consilia inuadendæ vel conferendi prælij dum vigeret miles, vel factionis tantùm non oppressæ, eâ audaciâ suscitandæ. Itaq; versus ad Sequanam Corbelium ad eum amnem oppidulum aggreditur, vt fluuio intercluso incommodaret Parisiensibus. Quo frustra tentato, ad Parisienses accedit propius. At eos ab metu & periculo vindicant primùm Santandreanus introductis cohortibus; dein Niuernensis adolescens,

Nauarri mors.

Spisame.

Cõdans versus Lutetiam.

Corbeil.

CAROLVS IX.

adolescens, præclarissimi & laudatissimi Ducis Nivernensis qui obierat, filius, & Condæi ex sorore nepos, postremò cum toto exercitu Comestabilis, & ipse Guisius; erantque in procinctu Duces, cùm Catharina intercedit. Postquam Navarrus spiritum miserat, nova formidine agitante, ne Condæus aspiraret in regimen, eum ipsa conciliare, & inductâ pace ab armis & factione tentat abducere. Eam in rem petitum est colloquium, obitumque, ac de conditionibus pacis conuentum, à quibus Princeps haud equidem abhorrebat, nisi Admiralius retinendæ cupidus potestatis, quam vigente bello sine controuersiâ obtinebat; conturbasset omnia, disiectis è portu in procellas nouas consiliis. Bello reuocato, Condæus animaduertens frustra ad Lutetiæ muros tempus teri, nam in vrbe tranquillitas magna; à commercio, forensibus rebus, cæterisque negotiis cessante nemine, & cives per ludibrium admonebant Hugonottos, ne Parisios pro Corbelio caperent, (quod deinceps vice adagij fuit) nec vlla obsidionis species erat; tandem castra soluit, itinere in Normanniam flexo, suppetias ab Anglià excepturus, & Prouinciam, si ferret occasio, subacturus. Viam per effusos campos tenet, quando equite præpollebat, & Eura transmisso, qui passim vadosus est; versus Drocum pergit. Primum agmen ducebat Admiralius, in quo Germani, vt primi *commodiora* hospitia occuparent; secundum ipse Princeps cum legionibus; postremum in quo Franci cataphracti; Rupe-foucaldius, & Portiani Princeps. Proximis itineribus sequebatur exercitus Regis, ducente Comestabile, in quo octodecim peditum millia ex Francis, Helvetiis & Hispanis; equitum bina; per loca syluis & collibus tecta, vt equitatum hostilem excluderet. Ita ad Drocum oppidum considet vterque exercitus, geminâ leucâ & amne Eura diremptus, arctiori limite, quam vt tantis odiis intercederet.

Eures.
Dreux.

Rochefoucaud.
De Portian.

IX.

Pugna Drocensis.

Comestabilis pugnâ deliberatâ, nocte magno silentio vltra amnem copias traiicit, easque locat ad Spinam & Blinvillam, geminos pagos ad militarem viam adiectos, quam tenere Hugonotti instituerant. Ij cùm festinarent penetrare in Normanniam, vnius diei morâ assequenti hosti obiecerant se; quippe dum primum agmen longissimè à postremo distat, hæserat Admiralius dum iunguntur. Porrò illucebat dies Decembris decimus nonus, cùm incautus Admiralius primum agens agmen, in Catholicorum aciem propè præcipitat. Inhibito repente vestigio, spectat armatos ad pagum Blinvillam fuso agmine latè protendi, & consulto Principe statuit pugnâ omissâ iter peragere. Ita Condæus ad Treonem vertit, latus hosti obuertens. At Comestabilis, ne præclara elaberetur occasio tormenta explodi iubet in recedentes; quibus turbati equites Hugonotti, & euocatus ad pugnam Condæus. Nec ille cunctatus, cùm existimaret hostis exercitum in illa quam spectabat acie constare, nec Guisium cum altero agmine aduertisset, fronte conuersâ in obiectum agmen inuadit, impetitque ferociter. Primus impetus in Helvetios actus, in quos inuectus Mouyus, per apertos irrumpit ordines, simul ad hostium impedimenta prouolat, diripitque; & eosdem Helvetios princeps

Blinville.

Mouy.

ceps à tergo aggressus, cæsis haud paucis, similiter perturbat ordines: Verùm ij continuò sparsa membra colligunt, coëuntque in agmen, multò validius, quo Rupifocaldius inuehens pellitur. Simul Admiralius, prætermisso pariter Guisio, in Comestabilis equitatum incurrit, vnoque impetu conturbatos fundit, magnâ nobilium ignominiâ, qui optatissimam pugnam tam præcipiti fugâ interuertunt. At Comestabilem in suorum fugâ fortiter dimicantem hostes circumfundunt; alioſque Proceres præliantes; iam ille suffosso equo recentem inscenderat, ope Oraisonis, cùm breuioris sclopeti glande genam ictus, qua maxilla effossa & gemini dentes perfracti sunt, cùm ex eâ plagâ sanguis in os affatim redundaret, iam impos virium capitur; Giurius ad eius latus occiditur, & Aumalius equo deturbatus, quadrupedum vngulis calcatus, humero luxato ægrè seruatus est. Fuso equitatu, legiones Picardiæ & Britanniæ nullo negotio disiiciuntur, iámque in Comestabilis acie præter Helvetios nemo arma tractabat. At ij tot inter hostium agmina imperterriti, postquam repulerant Rupifolcaldium, & Germanos pedites aspectu solo & incessu terribili à pugna dimouerant, etiamnum contra quatuor equitum turmas dimicabant, Germanorum binas, totidemque Francorum, quas inuicto robore sustinebant; dum Mouyus victor eosdem aggressus per latera multis locis aperit conturbatque. Iamque defatigatos tantis laboribus deficiebant vires non animus; cæsi haud pauci, plerique saucij, armis nudi propemodùm, fractis hastilibus, sine centurionibus, nam eorum septemdecim occubuerant, hostili exercitu, eoque victore in ipsorum cladem incumbente; attamen de nulla re præter pugnam solliciti, in globos sparsi coëunt, quaterni, seni, duodeni, & hastarum fragmina, aut lancearum quæ iacebant solo, imo saxa plurimi rapientes, quibus hostem pellerent incredibili fortitudine ad mortem pugnabant; vno tandem agmine euadente ad Guisium. Et omnium calculis laudem militarem retulerunt vberrimam; equite & pedite, Francis & Germanis in eos certatim inuectis, vt inuicti roboris tam materia quam præcones forent. Guisius interim immotus cum primo agmine in statione hærebat; nulli hostium patens præterquam Andelotio, qui eo die quartana vexatus, cùm abscedens à pugna inscendisset in collem, latens agmen perspexerat, dixeratque nuntianti victoriam; credo equidem, si caudæ quam video pellem detrahimus, illicò futuri præsagus vltra progressus est. Et præstolatus opportunitatem Guisius, quamquam à Comestabile euocatus, eóque capto spectans agminis cladem, fixus in vestigio stabat; donec hoste sparso ad rapienda spolia & fugam persequendam, ac submoto Reitrorum agmine (ita deinceps Germanos equites nuncupabo) quos cupiditas prædæ pariter rapuit, præmisso Brossio cum centum & quinquaginta equitibus, cum tota acie subsequutus, in hostem irruit. Primo conflictu equitatum fundit, mox pedites tum Germanos tum Francos proculcat, deletque internecione promiscua, eodemque impetu tormenta occupat. Princeps & Admiralius tanta conuersione attoniti, recolligunt equitem, prælium instauraturi; verùm

CAROLVS IX.

D'Oraison.

Giury.

Reistres.

CAROLVS IX.

Santandreanus sclopetarios octingentos regredientibus obiicit, à quibus Reitri perterriti, frustra Principe fugam deprecante, terga vertunt, rapiúntque Francicum equitatum. Princeps superum hominumque fidem contestatus, iam manum saucius, ad receptum adigitur; at equo prolabente dum nouum inscendit deprehensus, à Danvillâ capitur. Tum Guisius Germanos mille & quingentos aggreditur, qui in parietinas se se coniecerant, & dedentibus se incolumitatem condonat. Attamen ea mora magno incommodo fuit; nam interim Admiralius syluâ cæduâ tectus, Reitros fugientes cæteróque equites excipiebat; quos in agmen compositos venientibus Guisio & Santandreano opponit, impellitque tam fortiter, vt nutantem victoriam ad se reuocarit. Nam Franci equites dispelluntur; Brossius vir fortissimus Guisium defendens occiditur, nutabantque equites quinquaginta, qui soli perstabant cum Guisio, cùm peditatus aduenies reparat prælium. Ad legionem Pedemontanam se admouet Guisius; ea ex veteranis conflata, bellis assiduis innutrita, texit illico Guisium, simulque Hispanicæ legiones à Philippo in subsidium missæ egregiè dimicabant; Sebastianus Luxemburgius, Mattiguius Præfectus Francici peditatus, bis mille sclopetarios irruenti hosti obiecerat, qui spissâ grandine irruentes reprimunt, tuncque atrocissimè pugna recrudescit; *in qua* capitur Santandreanus & consultò sclopeti glande perimitur, *tandem* præpollente Guisio nox prælium dirimit, receditque ad Neuuillam Admiralius, in castra Guisius. Eáque est pugna tam victori anceps quam victo; cùm vtrinque Duces capti sint, vtrinque cædes & fuga, & vtrinque fortes animi & ignaui. Euentus tamen Guisio palmam asseruit, cùm in castris, quod victoris est, pernoctauerit, tormentis & signis hostium sit potitus, & in reliquis pro victore se gesserit. Cæsi è Catholicis Momberonius Comestabilis filius, Annebaldus Admiralij filius, ac Dux Niuernensis, qui ante prælium ab vno è domesticis inconsultò cæsus est: numerati octies mille qui vtrinque pugnantes occiderant; maiorem partem Catholici: inter Hugonottos ceciderunt illustres Arpaionius, Salxius, Liencurius, Chandeus, Lignerius, Fredonerius; aliíque propemodùm omnes ab Heluetiis cæsi. Guisius ipsâ nocte victoriam modestiâ cumulauit; Condæum captum suo lecto excipiens, cùm cæteri in sarcinis rapti essent, eadémque culcitrâ (nullo hactenus huius euentus exemplo) victor & victus, iacuerunt æquo inter se spatio, securoque somno; imò æquâ lance, victoris modestiâ victi constantiam commendante. Et ea laus Guisio integrior fuit quàm militaris; plerisque carpentibus viri vel pertinaciam vel ambitionem, qui prætori suo appellanti non paruerat, quique substruxerat alienam cladem laudi & laureæ seræ nimium & pernicioſæ. Aussun sors in iis fortunæ lusibus haud prætereunda; qui præclaris facinoribus tantum nomen parauerat, vt miles vulgò diceret, *prudens vt Termes, vt Aussunus fortis*; At ille inter primos in Comestabilis agmine fugam ceperat, & Reginam metu impleuerat, cladem enuntians; cuius pudore ignominiæ, postridie quo dimicatum est, in Senetarium incurreus, ab eo quærit quem fugisse existimaret in primi agminis clade; cumque

Danville.

Luxẽbourg. Mattigues.

Montberon.

Arpaion. Saux. Liencour. Chandieu. Lignieres. Fredonieres.

Aussun.

Senetaire.

que responderet Senetarius, se suis periculis & cæde auunculi implicatum (nam erat nepos Santandreani) non animaduertisse qui fugerent; adiunxit Aussunus; *Aussunus est, ipse agmen fugientium ducebat; sed Deum testor vitâ rependet tantam ignauiam*, nec secus quàm iurauerat præstitit, spontanea abstinentia mortem arcessens; nec vllis Procerum precibus flecti potuit, vt sibi vnam illam noxam indulgeret; nouâ imbecillitate priorem exaggerans, qui probrum non ferret; bis profligatus tum desperatione tum metu; ac planè ignarus, quæ vera laus fortitudinis foret. CAROLVS IX.

X. *Admiralius in Normannia.*

Admiralius post Drocensem pugnam in Aureliam vnam intentus, eò fratrem Andelotium mittit, captumque Comestabilem, qui summa celeritate, ne fortè repeteretur, deductus est, tum ipse in Bituriges tendit copias instauraturus. Sed extemplo Guisio in Secalauniam transeunte, vt Aureliam obsideret; in eam vrbem Gergæo supra Ligerim occupato inducit militem, atque habita super rem præsentem consultatione, cùm obsidionem prohibere haud posset, statuit partiri Duces & copias; Andelotius cum pedite vrbem propugnaret adiunctis Durasio, Bouchauanio, Bussio, Sancyro, & Anareto; ipse cum Reitris, & cætero equitatu, in Normanniam pergeret, opulentam prouinciam, exciperet Anglica subsidia, regressurus instructo exercitu ad obsidionem soluendam. Ita ductis tribus equitum millibus, in Normanniam penetrat, peruaditque ad maritimam oram, Anglos operiens: at cùm ij procelloso mari nusquam comparerent, Reitri tumultuari incipiunt, & obstructis in promissa auribus, flagitare stipendium: Admiralius progressus ab hospitio cùm surdis verba faceret, digito commonstrans tumescentes fluctus, attollebat ad astra oculos, datæ fidei testes; tandem immanes animos ne nutibus quidem peruadentibus, inuitissimus totam illam oram vastandam permisit; atque egregiè eâ licentiâ Reitri abusi sunt, iuxta amicis & inimicis delectu nullo direptis. Cæterùm Admiralius seueriſſimus erat disciplinæ militaris vindex; isque in ea expeditione audito turmam vnam leuioris equitatus pagum expilasse, misit illico qui eos caperent, at cùm diffugientibus cæteris, capti essent dumtaxat ductor cum quinque militibus, eo in ipso noxæ loco, sicuti erant, ocreati atque chlamydati, suspendi iussit, vexillo supra capita erecto, atque vt trophæi instituerent formam, subiici pendentium pedibus parata spolia, stolas muliebres, mappas, indusia, gallinas, pernam, & rapinam huiusmodi, qua inescatur prædatorum cupiditas. Tandem decimo quinto post die suppetiæ accedunt ab Anglia legiones duæ, tormenta quatuordecim, & nummorum millia centum quadraginta. Iis auctus Admiralius, quamquam Aureliæ necessitas euocaret, tamen occasione illectus, diuisculè in Normannia hæret, ratus vt in morbis fit, membro consuli affecto ægritudine, malum in aliam partem auertendo atque abducendo. Copias itaque arci Cadomensi admouet, vrbem Hugonottis dedentibus, eaque excipitur, post murum vno dumtaxat ictu perforatum; non leui infamiâ Marchionis Elbouij, qui vrbem defensurus nuper aduenerat, vir de cætero generosus; sed adipe prægrauante, & vexante quartanâ, inertia corporis

Sologne.

Durat Bouchauanes.

Saint-Cyre.

Anaret.

Anno 1563.

CAROLVS IX.

animi robur extinxerat. Prouectus eo successu Admiralius, vrbes inferioris Normanniæ paucis exceptis vel armis capit, vel deditione, in quibus Baiocæ miserè direptæ & spoliatæ sunt, affixis patibulo Ecclesiasticis omnibus. Et calamitatis causa in Præfectum traducta. Ille Iulius Rufus Italus, qui hoste accedente illicò euanuit, & in latibulum dignum ingenio se recepit. Diu antè suis rebus prospexerat, curaueratque in ædibus Canonici familiaris, duos inter parietes conclaue apparari, parietibus ita coëuntibus, vt fraus omninò spectantes lateret. In id se receperat pugnator egregius, perna, vino, & conditis dulciariis multa copia illatis; quodque summum nefas, speciosâ virgine quam rapuerat Cadomi, secum adductâ; sed ab famulo retecto latibulo, atque perfosso, in lucem extractus est, & Cadomi affixus patibulo ob virginis raptum, iusto nouæ militiæ præmio. Brissacus interea nuper in Normanniam missus, Veterevilla reuocato, inclusus Rothomagi dolore ingenti, cùm nihil esset copiarum, quibus frænaret Admiralium; ad Reginam scribit actum de Normannia esse, nisi occurratur. Admiralium impunè diripere agros, vrbesque inuadere; radices si egerit, vix auelli posse: accessuros Anglos ad spem certam spoliaque indubia; Reitros è Germania ad fulgorem auri aduolaturos; annon commodius in origine malum resecatur, quam adultum & per omne corpus diffusum; ideo euocandum Aurelià Guisium, qui Admiralium pelleret, vinceret, atque prouinciam totam reciperet; tunc pulso Admiralio, capto Condæo, detractisque factioni capitibus, Aurelia, membraque cætera nullo negotio domarentur. Id Reginæ atque Consilio visum opportunius; Et iussus Guisius Aurelia abscedere, & ex templò in Normanniam proficisci; atque exercitus Duces in eam sententiam conueniebant, verùm ipsi omnium perspicacissimo longè aliud visum.

Iulio Rufo.

La vieille-ville.

IX. *Aurelia obsessa.*

Et verò post Admiralium fusum, Aureliam animo præcipiebat; affirmans eam vrbem vulpecularum esse latibulum, quo semel capto, venantibus bestiæ præda obnoxia forent. Armamentarij Parisiensis incendium consilium aliquantisper repressérat; flamma puluerem casu corripiens, an vt suspicio fuit Reginæ aut Præfecti tormentariæ rei, voluntate iniecta; ædes à fundamento euerterat, domósque proximas magno damno viciniæ; sed Guisius ex aliis vrbibus petito puluere, post breuem moram, positis in Secalaunia copiis, vrget Aureliam. Atque eâ potissimùm parte obsidionem admouerat, quod vltra amnem murus infirmior, nullâ humo munitus, atque arcto pomœrio, dirui facile poterat, milite scaphis & lintribus inferendo ad oppugnationem. Caput pontis quo Aurelia Secalauniæ iungitur, duæ turriculæ defendebant; tum prorigebatur sub-vrbium dictum Portereum, quod Hugonotti munierant, prætensis geminis propugnaculis, & locato præsidiario milite. In ea propugnacula, primùm Guisius impetum dirigit, in alterum quod Vascones defendebant iussus Cipetra irrumpere, ipsa præsentia Guisij rem vrgente; ad quod dum fortiter dimicatur, Sansacus in propugnaculum alterum quod tenebant Germani, scalis euadit, mactansque improuisos, penetrat

Portereau.

trat in sub-vrbium ; & Vascones à tergo incautos adoritur ; tum hostium trepidatio, fuga & cædes ; sub-vrbium capitur, multi nobiles perimuntur, in quibus Durasius ; ac nisi Andelotius ad turricularum valuas cum globo nobilium astitisset, vno impetu Guisius pontem occupabat ; Verum haud multò pòst captis turriculis pontem obtinuerat, atque tormentis octoginta quædam castella in Insulis proximis erecta diiiciebat, simul murum siue intermissione diuerberans. Sub ea iussus à Regina copias in Normanniam ducere, ducibus eam in rem deliberantibus persuadet, nullam esse debellandi hostis rationem, quam si Aurelia capiatur : idque tum argumentis tum peritiæ Ducis concessum à singulis, vt mutata sententiâ Reginam etiam in eundem sensum perducerent, potestate factâ producendæ obsidionis. Et verò eò rem generosissimus Princeps perduxerat, vt Rege & Reginâ agentibus Blesiæ receperit, intra proximum diem, vrbem se capturum, & totam Hugonottorum progeniem (eius hæc verba) exterminaturum è Francia, & promissum implebat, nisi spem cum vitâ percursor nefarius abrupisset. Is Ioannes Poltrotus Meræus nobilis Inculismensis, vir audaci & temerariâ indole, cui nullum arduum facinus videretur, diu in Hispania versatus, & in bellis Flandricis sæpius speculatorem agens ; hic cùm in Hugonottorum partes transisset, eiuratâ repentè factione, reuersus ad Catholicos, atque admissus inter domesticos Guisij, quod diu mente consilium agitabat, tandem exequitur. Guisius primâ nocte, quæ Februarij octauam decimam diem exceperat, è turriculis recedebat in Cornæum castrum, inuisurus coniugem, modo aduenientem ; tres erant eunti comites, præter Poltrotum, Rostanus, & alter nobilis, vnusque epheborum ; ij ad latera incedebant, à tergo Poltrotus, qui tenebrarum occasione arreptâ, scloporum breuiorem explodit in Guisium, tribus pilis collum inter & humeros penetrantibus. Prosternitur saucius, defertúrque ad coniugem, longè diuersus ab illo Guisio quem amantissima vxor operiebatur. Rex & Regina ad iacentem aduolant, dolorem testantur, adhibentur remedia, verùm sexto die à vulnere inter egregia clarissimæ pietatis officia diem obit ; vir toto orbe clarissimus, dignusque famâ quam fœlicitas pene perpetua comparauerat ; Meti & Caleto inconcussis æternæ gloriæ monumentis ; imò à Rothomago in gloriæ partem euocando. Nam eam vrbem cum Nauarro & Comestabile obsidenti, adductus est nobilis quidam Cœnomanus, deprehensus in ipsius occidendi consilio, quem interrogat Guisius, an non aliquâ affectus iniuriâ, sua morte vellet vltionem patrare ? quod cùm Cœnomanus pernegaret, dicerétque zelo religionis suæ eò impulsum ; *at inde (inquit Guisius) quantùm fidem inter tuam & meam intereſt ? tua impellit, vt à quo nullam accepisti moleſtiam, ei mortem inferas ; mea porrò iubet vt inferenti mortem condonem : Abi illesus, nec legi tam praue impoſterum credas.* Efficacissima dicendi ratio, quæ percussores omnes amoliri debuerat. Dignitates mortui in filios Regina contulit ; Henrico natu maximo Palatij præfectura, & prætura Campaniæ datæ, & secundo genito summi Cubicularij munus. De Poltroto interim habebatur per ludices quæstio : hic patrato flagitio, noctis beneficio

CAROLVS IX.

Guisij cades.

Poltrot Meré.

Corney.

Guisij clementia.

CAROLVS IX.

beneficio in proximum saltum effugiens, equo celerrimo vectus tota nocte per anfractus & implexas vias, idem iter remetiens, tandem prima luce defatigatus mirum in modum, ad pagum Olivetum vnà ab Aureliâ leucâ peruenerat, admissoque somno ab Helvetiis iguaris flagitij capitur. In tormentis confessus est adductum se ad hanc cædem ab Admiralio & Beza, qui tunc Aureliæ agebat; acceptam ab iis eam in rem pecuniam, cúmque animus deficeret, ab facinore à Beza rursum specie religionis ad id impulsum. Pœnas Parisiis dedit, candente ferro laceratus, & ab equis discerptus, Admiralius scriptâ Apologiâ tentauit suspicionem à se amoliri, quæ tamen penitus in posteris hæsit, suoque tempore graues tragœdias pariet.

XII. *Pax prima cum Hugenottis.*

Guisij morte immutata sunt Aulæ studia. Gaudebat Catharina in sinu virum esse amotum, prouectum iam in apicem gloriæ & auctoritatis, quicum occumberet altera factio, & ipsa potentiam suam erigeret, dum euerteret alteram, nullo deinceps turbine agitanda: putabat Guisij tumulo excitari dignitatem suam, & librandas in posterum partes suo nutu atque voluntate. Quamobrem recenti re, antequam Hugonotti recrearentur ex proximo metu, sollicitè de pace cum Condæo agit; eiusque arcessita coniuge, quam excepit amantissimè, post grauem altercationem ob Ianvarij edictum, de conditionibus cum Principe pacisci tur; mediâ inter duo edicta Iulij & Ianvarij viâ; vt Proceribus liceret suis in ædibus religionem nouam profiteri, admissis clientibus; & nobilibus cæteris fas idem esset, sed receptâ dumtaxat familiâ; in singulis prouinciis, designaretur Reformatis vna vrbs, in cuius suburbio ad suum cultum conuenirent; Principi atque assecl is condonarentur, quæ gesta hactenus. Ea constituta ante aduentum Admiralij, qui auctis copiis festinabat ad Condæum accedere, pacem repudians; exceptusque Aureliæ, nervis omnibus contendit, ad demouendum à proposito Principem; verùm cum is perstaret, cæterique nobiles pertæsi belli præoptarent pacem; ea promulgata est, quanquam Parlamentis ægrè assentientibus edicto, quo Hugonottis tanta licentia parabatur. Conciliatis in speciem animis, *nihil* antiquius fuit quam Anglos pellere; ij in Normannia portum Gratiæ obtinebant, situ & operâ munitissimam arcem; quam Franciscus I. in piscatorum tuguriis posita vrbe erexerat, atque appellauerat de suo nomine Franciscam gratiæ; sed vsu præpollente, qui sub Regum auctoritatem non cadit, nomen vetus permanserat. Eam Varvicus obtinebat cum Anglis ter mille, & Francis Hugonottis mille quingentis; ac multâ rerum affluens copia, Francorum vim non admodùm formidabat; maximè quod ij classem ad obstruendum pelagus nullam instruxerant. Brissacus postquam singula ad obsidionem composuit, oppido cincto ductis aggeribus, & locatis machinis, in castra Comestabilis venit, comitantibus Marescallis Montmorancio, & Platerio Bourdillonio in Termei locum cooptato, Andelotio, pluribusque nobilibus; mox adfuerunt Condæus, & Mompenserius; erantque in proximo Rex & Mater, qui in castra sæpius ventitantes, rem vrgebant præsentiâ. Comestabilis expugnationem totam ad-

Portus gratia receptus.

Francoise de Grace.

Platier. Bourdillon.

ministrabat,

ministrabat, & supra ætatem suamque indolem vehementior; ductis ad maris oram aggeribus, captaque turri, quæ tuebatur ostium portus, labore indefesso festinabat portum ipsum occludere. Præterea obsessos demetebat pestilentia grauis, sexagenis in dies singulos pereuntibus; & Francorum concordia eorum animos tandem profligauit, quippe desperatis ab Hugonottis suppetiis, quos viderent in perniciem suam conspirasse; paciscuntur deditionem; Varuico cum milite, armis, tormentis, & commeatu liberè prodeunte, vt in Angliam transmitteretur. Fuitque ea laus celeritatis fortissimæ; nam postridiè quam conuentum fuit, Angli mille & octingenti ad littus appulerant, & secundo post die Clito Admiralius sexaginta naues adduxerat: vsque adeo in bellis pretiosissimum tempus est, ac rependenda auro momenta sunt, quæ si effluant, frustra virtus contendit. Haud multò pòst cum Elisabetha pacis fœdus ictum est. Catharina sorti tam propitiæ vt imponeret apicem, auctoribus Cancellario & Valentino Episcopo, nouam rem comminiscitur, qua auctoritatem, penes se haberet, & Principum ambitum pro regimine regni opprimeret. Lex erat sanctissima, lata à Carolo sapiente, vt Reges Franciæ anno decimo quarto, tutelâ liberi, dicerentur in Senatu Maiores, & ipsi Regnum nutu suo regerent, & administrarent. Id sancitum in bonum publicum, cupiebat Regina in priuatum commodum vertere, haud nescia amotis Principibus, qua in Regem filium erat auctoritate, sui arbitrij futurum regimen. Vnum obstabat, quod Rex eum annum adhuc delibabat, quem impletum, vsus ad ea tempora postulabat. Sed quando nihil formulis iuris arduum est; & plerumque haud quidquam est legi infensius quam lex ipsa; Cancellarij sagacitas ab ipso iure petita, fulcit cupiditatem Reginæ. Quippe eam legem in Minorum gratiam latam affirmans, non dubitauit asserere Regi tradendum gubernaculum; cùm in causis, quæ commodo sunt, & vtilitati, annus inceptus pro absoluto semper habitus sit. Eo fundamento edictum conscribitur, quo Rex declaratur sui iuris esse; & comprobandum defertur ad Senatum Rothomagensem. Etenim id nouâ sollertiâ constitutum, vt cùm Rex in Normannia ageret, in Senatu proximo res ageretur, qui Reginæ & Cancellario ob noua beneficia erat addictior, & Senatus Parisiensis infringeretur auctoritas, quoniam videbatur edicto interceſſurus. Ita ex constituto edictum perlegitur, in Curiâ Rothomagensi, & magnâ procerum frequentiâ, Regi & Matri restituta est administratio, nemine repugnante, & Proceribus deinceps sacramentum præstantibus; isque fuit iurantium ordo & series; vt Regina Mater prima accederet, tum proximus Frater Andegauensis; dein Nauarræ Princeps, Cardinalis Borbonius, Princeps Condæus, Dux Mompensierius, Comes Delphinus eius filius, Cardinales Castilionius & Guisius, Lenoncurius; Longuavilla, Comestabilis ense districto, Cancellarius, Brissacus, Mommorancius & Burdilio Mareschalli; mox Gouferius equiti Regio summus Præfectus. Et quidem ea de re Senatus Parisiensis conquestus est, misitque, Regem qui de noua re admonerent, docerentque tanti momenti edictum ad vnam Parisiensem Curiam pertinere; sed ipse Rex

CAROLVS IX.

Rex maior dictus.

CAROLVS IX.

legatos primùm humanè excepit ; mox omnino vetuit , ne Regem in posterum pro pupillo haberent , ipsi ius & æquum litigantibus dicerent , nec se publicis Regni negotiis immiscerent , idque ore firmo & oculorum conjectu minaci , tam seuerè pronuntiauit, vt ex animo dici constaret. Nec tamen quieuit Parisiensis Senatus , donec sanctioris consilij decreto altercatio tota absumpta est.

XIII. *Guisiorum expostulatio.*

Regi Parisios regresso nouæ turbæ occasio oboritur statim , mox occidit. Guisij magno apparatu lugubrem pompam deducentes Luparam veniunt , & vindictam paternæ cædis à Rege flagitant. Cæsi mater *Antonia* Borbonia , & coniux Anna Estensis , præibant agmini , pone sequebantur Guisij filij, Henricus, Ludouicus, & Carolus, agmen claudebant eorum materteræ , & matronæ , cæteræque affines , quæ omnes ora tectæ crispo bombicino personabant lamentis , & habitu miserabili in Colinios magnam concitabant inuidiam. Rex exceptas auditásque humaniter iubet bono animo esse ; daturum operam vt tam atrox facinus plecteretur ; moxque totum negotium in triennium differt. Quippe haud dubiè designabatur Admiralius , quem cùm Princeps & Marescallus Mommorancius propugnarent ; in certum discrimen vocabatur concordia ; si in eum Guisiis licuisset inquirere. Hac scintillâ sopitâ , Catharina ad Condæum conciliandum tota se accingit , rata vt res erat , si eum semel ad se traduceret ; atque ab Admiralio totaque factione abiungeret , amoliturum se obicem potestatis , & nemine repugnante consessuram ad gubernaculum. Eo consilio præfecturam Picardiæ ipsi tradit , auidè appetitam , blandimentis omnibus atque honoribus demulcet animum , ac ferociam bello conceptam mitigatura , ad voluptates aulicis ludis & oblectationibus allicit. Et promouebat Reginæ consilia Limeulia , in ipsius Gynæcæo virgo ; quæ damno pudicitiæ deuinxerat Principem , tam arctè quidem , vt Roia vxor, seueri pudoris fœmina , dolore & indignatione vitam amiserit , coniugem spectans turpissimo otio irretitum. Limeulia mox prolem in ipso Reginæ conclaui enititur , magnâ proborum offensione ; & ignominiosè ex aulâ deiecta , Catharinam ipsam stupro assentientem probri labe commaculat. Nihilominus in Principem huiusce modi nouam machinam Regina apparat ; eum implicat Margaritæ Lustracæ amoribus , quæ vidua Santandreani , opulenta admodum inopiam Principis amplissimis opibus persanaret, & hamum is vorabat , cùm Ministris reclamantibus , nam Lustraca Orthodoxa erat , eam deserit , & Franciscam ducit , Longauillæ sororem, quam religione noua Mater imbuerat. Nec felicior sollicitudo Reginæ in eo à Coliniis abducendo ; vocauerat Admiralium in suspicionem proditionis , quasi Principem in Drocensi prælio hosti obiecisset ; nam suspicione statim extinctâ Admiralius sagacitate mirifica eludebat Reginam , & Principem reuocabat. Imo Reginæ nouæ inde nascebantur angustiæ. Quippe Catholici concepto ob Condæi potentiam metu , ac memores quàm ex animo nuper Hugonottis Regina fauerat , palam querebantur, fremebantque , hæreticis potestatem factam impietatis ; iam Guisij liberos, vt patronos & defensores fidei compellabant ; & patrui , Cardinalis Lotharingius

Regina Principem conciliat.

Limeuil.

De Lustrac.

tharingius atque Aumalius nepotes ad eam gloriam incendebant. Iámque & legati venerant à Pontifice, Rege Hiſpaniæ, & Duce Sabaudiæ, qui ob ditiones conterminas Franciæ, extinctionem hæreſis flagitabant, ſuamque operam pollicebantur. Igitur vt iis ſe quadantenus explicaret anguſtiis, Legatis priuatim Fonbellaquæ auditis, & recipiens ſe per Legatos ſingulos reſponſuram, nouo conſilio ſtatuit per vniuerſam Franciam Regem deducere; quæſitâ ſpecie ipſius oblectandi, & amantiſſimis ſubditis oſtentandi; ipsâ re vt ſingulas vrbes inuiſeret, Præfectos mutaret, conſtitueretque multa bello conquaſſata, & propius cum principum adminiſtris ageret. In viam profecta, per ſumptuoſam aulicorum opulentiam, primùm in Campaniam tendit, & Trecis pace cum Anglis iuratâ, atque fœdere cum Helvetiis inſtaurato, Barium venit, Lotharingiæ Principe magnifico ſumptu præbente hoſpitium. Eo loci choreas inter & epulas, ſuas artes Regina aggreditur; conata Proteſtantes Germaniæ ſibi certo fœdere deuincire; & appellati Comes Palatinus, Duces Vitembergius & Bipontinus excuſant fœdus, Guillelmus è domo Saxonica, & Carolus Badenſis Marchio, id vltro admittunt. Tum per Burgundiam Lugduno excepta, quæ vrbs proximo bello propugnaculum fuerat hæreſis, gubernatorem Salxium amouet, imponitque Coſſium, prætorianæ cohortis Tribunum, Rhodanum inter & Ararim arce deſignata, quæ frænaret vrbem, animoſque turbulentos compeſceret. Idem iugum Valentiæ impoſuit, muris ſpoliatæ; cùm Roſſilione, quod Turnonij Dynaſtæ caſtrum eſt, in Delphinatibus aliquandiu ſubſtitiſſet. Eo in caſtro Sabaudiæ Ducem excepit, qui citis equis Regem honoris causâ inuiſerat, & communicatis ſecreto conſiliis, ſpem hæreſis reuellendæ fecit; nouumque edictum propoſuit Rex ad imminuendam Hugonottis factam poteſtatem. Catharina Valentia Auenionem profecta, Armaniaci Cardinalis magnificentiſſimo cultu excepta, omnem induſtriam omneſque artes exprompſit. Oportebat conciliare Pontificem, quem diu ſuſpectâ adminiſtratione offenderat, quique vrgebat vehementer, vt Tridentinum Concilium iam perfectum admitteretur in Franciam. Eam in rem flagitauerat à Pontifice, mitti Auenionem Ludouicum Antinorum, Florentinum ortu, cui erant Pontificis arcana omnia explorata, vt ipſi animum aperiret; eúmque in colloquium adductum, cum Firmano Epiſcopo Prolegato, & Serbellone Comitatu præfecto, callidiſſimos & ſagaciſſimos viros in ſententiam ſuam perducit, obortis lachrymis; nam eas in poteſtate habebat, deplorata ſui regiminis ſorte & calamitate, quam geminæ factiones hinc inde diſtraherent, oſtentat ingens ſtudium hæreſis excidendæ; ſed operiendam opportunitatem, ſenſim & latenter oppugnandos Duces, Condæum & Admiralium; tum faciliùs exciſis capitibus ad cætera membra falcem admouendam; Concilium ante admitti haud poſſe, ſine certiſſima totius Regni fideique pernicie. Eo ſermone mulier peritiſſima diſſimulandi, fidem fecit Italis, ac per eos rem placato Pontifici perſuaſit; qui haud multò pòſt Cardinali Borbonio Legationem Auenionenſem commiſit. Poſtea cádem pompâ decurritur Phocenſis prouincia; moxque

CAROLVS IX.

Rex per Franciam ductus.

Anno 1564.

Salxes.

Coſſes.

Rouſſillon.

CAROLVS IX. Anno 1565.

Occitania ; & Carcassone mediâ hyeme tanta niuium vis agris incubuit, vt Rex decem dies continuos iis circumclusus in ædibus hæserit. Iis expeditus Tolosam venit, atque Burdegalam, moxque Baionam, quæ totius itineris meta, idemque viæ color & causa fuerat. Etenim Regina specie Elisabethæ charissimæ filiæ inuisendæ, cum Philippo Rege deliberare de Regni rebus intenderat ; cúmque vel præclarâ simulatione ludificari, vel aperto consilio demereri. Nam quæ mens illius fuerit, credo posteros fugit.

XIV. *Rex Baiona.*

Ad fluuium quo Francia & Hispania dirimuntur Rex sororem Reginam salutat, ductámque Baionam effusissimo sumptu prodigalitatis, contendentibus certatim aulicis excipit, diebusque pluribus per eas oblectationes capit ac capitur. Catharina interim, quasi nusquam satis aspectu filiæ impleretur, nocturnis colloquiis per ligneam porticum ad Reginæ domum annexam miscebat sermones, tum cum ea, tum duce Albano, cui Philippus consiliorum ductum commiserat. Quid in iis colloquiis deliberatum sit, Historici aliquot coniecerunt, aut ex iis quæ facta sunt, colligentes suspicati potiùs, quam assequuti, asseruerunt, constitutam internecionem, quam anno pòst septimo Carolus Parisiis cæde Hugonottorum patrauit. Ego id statum & fixum haud crediderim, Catharinæ mente & agendi rationibus exploratis ; atque si fas est *coniecturis abditissimam* rem penetrare, censuerim, Albani consilium eo quidem inclinasse, vt primùm summa papauera demeterentur, dein ferrum expediretur in cæteros ; in id enim & ipsius animus in crudelitatem pronior, & quod ipse postmodùm gessit in Flandria, consentiunt facilè ; verùm haud putauerim Catharinam persuasam id suscepisse, quamquam se persuasam fingere potuit ; atque Hispanis verba dare, vt pontificiis dederat ; *nam* à vi mulier erat alienior, nec feminæ sagacioribus artibus innitenti, ferrum aut cædes arriserunt vnquam. Postquam & occultis consiliis & apertis gaudiis factum est satis, Elisabetha in Hispaniam regrediente, Rex se in Nauarram confert, Catharinâ optante Ioannam Reginam ab hæresi demouere. Eam Neracum conuenit, adhibétque omnes *ingenij* machinas ad perficiendum consilium, inanes conatus Ioannæ pertinacia retundente, pietatis & religionis obtentâ specie. Nec aliud impetratum ab ea est, quam vt Neracum Orthodoxus cultus reduceretur, vtque ipsa Regi se comitem daret. Neraco per Aquitaniam Rex viam instituit, vbique locorum spectatis Hugonottorum vestigiis ; dicitúrque adolescentior ab teterrimo illo spectaculo, capitale odium in eiusmodi homines concepisse, quod postea tantâ illorum strage effudit ; nam occurrebant passim fractæ imagines, templa diruta, sepulchra euersa ; personabant sacerdotum lamenta & molestissimæ complorationes ; Inculisinæ præsertim, cùm videret violatos maiorum tumulos, audirétque refossos cineres, ac proiectos, non temperauit à lacrymis, fletúmque emisit, odiosi cruoris vberrimum semen. Blesiæ Nobilitatem dimittit, indicitque Molinis Optimatum cœtum in annum proximum ; ad ea quæ labefactauerat bellum restituenda, & nouis remediis persananda. Et conue-

Nerac.

nerunt

nerunt Molinas Proceres, adiunctique ex senatibus Præsides; quorum sententiis conditum est celeberrimum illud edictum Molinense, ad priuatorum lites disceptandas, cuius æquitas illibata ad nos pertinuit. Continuò in conciliandis Proceribus impensa opera, & petitum ab Guisiis Coliniisque initium; Admiralio sanctè affirmante se immunem à cæde Guisij Ducis, iubet Rex vtramque familiam depositis inimicitiis in mutuam redire gratiam; estque reconciliatio sancita amplexibus, Cardinale Lotharingio & Guisij Viduâ pro totâ gente spondentibus; adstante Guisio & silentio matris voces vt videri voluit comprobante; nisi mentis intima vulnera oculorum coniectus fulminans prodidisset. Deinceps Cardinalis cum Marescallo Mommorancio reductus in concordiam, ob illatam Cardinali à Marescallo iniuriam, dum ille pompâ solemni stipante armatorum turmâ, intraret Parisios. Sed illicò vetus odium Guisios inter & Colinios recrudescit; Dux Aumalius dum concordia iniretur, absens, postquam aduenit, Admiralium inuisere renuit; ita recto prorumpente incendio, lacessentes se minis mutuò, ad prouocationem proruunt, imo ad certamen, nisi Regina custodibus datis vetuisset ne ex vrbe prodirent; At ij dextra pugnare vetiti, linguam expediunt, séque accusationibus proscindunt inuicem; iamque Proceribus in alterutram partem euntibus, nihil commodius visum est ad premendam discordiam, quàm si ex Aulâ in suas quique domos discederent, primúsque omnium Comestabilis cum Danvilla filio Chantillium secedit, Aumalius in Aneti villam hereditatem socrus aditurus; Nam Diana Pictauiensis vitam illis diebus clauserat; Cæteri proceres se pariter in rusticas ædes recipiunt; vno, Cardinale Lotharingo Reginæ voluntate in Aulâ perstante; Ioanna Regina similiter in Nauarram redit, irâ & indignatione multùm excandescens, quod neptis Franciscæ Rohaniæ cum Nemursio nuptias nequiuisset conficere; cui spe coniugij & iurata sponsione se se permiserat. Et solutus eo vinculo Pontificis auctoritate Nemursius, ob Rohaniæ hæresim, nouo & arctiori nexu cum Estensi Guisij Vidua se adstringit, ea in vxorem ducta; quam natura corporis ingeniique dotibus cumulatam, accedente virtutis cultu sanctissimo, præstabat plurium votis desiderabilem. Adiunctum haud multò post Ludouici Gonzagæ optatum connubium, in quo fidei & amoris purissimi habita ratio, & virtuti merces constituta. Ille Federici Gonzagæ, Ducis Mantuæ filius secundò genitus, ab teneris annis in Franciam missus, adamauerat Henricam Cliuensem Niuernensis filiam; vna virtute captus; cùm Virginem nec formæ species, nec opes plurimæ commendarent; viuis etiamnum gèminis fratribus; quibus fato raptis, cùm certatim Proceres Henricam ambirent, ipsa omnibus Ludouicum antetulit; rata nullum adamare sinceriùs, quàm qui relictam & spretam à cæteris coluisset. Ita in Cliuensem familiam Gonzaga inserta est, ortaque ex iis proles, quæ in Mantuanum solium, Poloniciúmque sceptrum vocabitur.

CAROLVS IX.

Edictum Molinense.

Anno 1566.

De Rohan.

XV.

Causa secundi Belli in Hugonottos.

Inter festiuos nuptiarum plausus coquebatur grauissimum bellum, nec longè causa tantorum motuum arcessenda; vna admodum fuit ani-

CAROLVS IX.

morum de Religione dissensio contendebant singuli, tum Proceres, tum in vrbibus patresfamilias, pars orthodoxam patrum cultu sancitam tueri ac propugnare; pars inuectam nuper & admissam flagrantissimis animis defendere atque propagare; vtque flagitium armat audacia, eò insolentiùs ij grassabantur, quod nihil nisi audaciâ & temeritate impetrare posse se crederent. Inflammabat Admiralius comitem, qui suam industriam pacis otio consenescere ratus, atque auctoritatis vim euanescere, serebat belli causas, & vocandus ad gubernaculum procellas optabat. Ideo Catharina, ne occasiones vltrò supperterent, cùm Hugonottis plurima condonaret atque permitteret, exurgebat Catholicorum offensio, & expostulatio, eam vt participem hæresis accusantium. Iámque Pius V. qui Pio IV. successerat, ea opinione imbutus, per nuntium vehementer Reginam vrgebat, vt Concilium Tridentinum admitteret, hæresimque extingueret, Philippus similiter, hæresi, è Franciâ atque Germaniâ, in suum Belgium propagatâ, Reginam compellabat, vt in colloquio Baionensi promissa impleret; & Regem ipsum quanquam adolescentem legatio ab Hugonottis Francis subornata multùm incenderat: eam Protestantes Germaniæ instituerant, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Dux Bipontinus, & Marchio Badensis; qua palam postulauerant fratribus suis exercendi *sui cultus in* Francia potestatem: quare Regina exhaustis iam simulandi artibus, *nouos* calles parat, quibus tandem inuoluerentur hæretici. Cùm Philippus validum exercitum instruxisset, quem Albano Duce mittebat in Flandriam ad rebelles domandos, Catharina simulato metu, ne quid Albanus moliretur in Franciam, copias legit, & habito Helueriorum delectu, conscribi curat sex millia; simulque Hispanos querelis perstringens, non modo ad eos repellendos, sed & impetendos exercitum parat. Condæus interim quamquam de negligentia nihil remitteret, tamen cùm in Reginæ mentem haud peruaderet satis bellum Hispanicum suadebat ardenter; occurrendum Albano, prius in Belgium quàm veniret; ea nube disiecta, facilè Mediolanum aut Neapolim posse inferri arma victricia; promouendum præterea rebellionem Flandriæ, & aliquod membrum à diuulso corpore rapiendum. Eò etiam huiusce belli æstu prouectus est; vt Regi obtulerit quinquaginta nouæ Religionis millia, qui suo sumptu incœptum bellum perficerent, Rege improbante, quod vllus præter se vsurparet imperium, auderetque subditos ad rem tanti momenti conuertere. Attamen bellum parabatur in speciem, cùm plurimis argumentis in occulta consilia sagacitas Admiralij penetrat. Brissacus Marescalli demortui filius, octo cohortes peditum iussus in Pedemontium ducere, vt ab Albano caueret, earum quatuor Lugdugni reliquerat; Andelotius eam prouinciam cùm cupidè ambiuisset, repulsam passus erat: Rex mukam alimentorum copiam in Sebusianos transmiserat, quibus Albani copiæ recrearentur; eidem Andelotio negata est Marescalli dignitas, Burdilione vita functo, ac Gonotio data Brissaci mortui fratri, qui Cossæus Marescallus dictus est. Denique non relictus est ambigendi locus postquam Helvetij nuper conscripti, omissis Regni finibus, circa Regis hospitium in media Francia collocati sunt. At bello

De Cossel.

nondum

nondum erumpente ; occupandæ Meti clàm intendit Admiralius vrbi percommodæ ad excipienda Germanica subsidia, & nocendum Cardinali Lotharingio, quem persequebatur tota factio implacabili odio. Mombrunum eam in rem Genevâ euocatum, cum adductis copiis, iubet per Burgundiam atque Campaniam ad Albani latus incedere ; simúlque Andelotius Regis nomine scribit ad Vievillam seu Veteremvillam, Marescallum, Præfectum Metensem, ad se vt mitteret præsidiarium militem, eiusque loco Pedemontanas legiones exciperet. Tribuno peditum obsequebatur Vieuilla adulteratas litteras nescius, & Mombruni legio quæ Pedemontanam se dicebat, Metim intrabat ; cùm post quatuor admissas cohortes, Centurio ab quopiam interrogatus vndénam venirent, inconsultò respondet Genevâ ; qua voce Vievilla comperit fraudem, & metu dissimulato, emissum militem è vestigio reuocat cohortesque exceptas eiicit. Ea excluſi spe Sanvalerium Duces conueniunt, & Admiralij consilio bellum adhuc differtur ; quando Condæus nouâ contumeliâ aspersus, cunctationem omnem præcipitat. Comestabilis iam annis grauior, Mommorancio filio dignitatem superstitis donari poscebat : nec erat Reginæ denegandi honesta ratio ; quod tamen negare omninò constituerat ; igitur vt se difficultate illa expediat, Condæo spem facit obtinendæ dignitatis, eam si flagiter. Nec ille ad oblatam escam cunctatus, sed in Aulam aduolans, haudquaquam attendens quantam molestiam Mommoranciis facesseret, qui ipsi Religione excepta, inuiolati adhæserant, dignitatem Comestabilis à Rege ambit, magno animi ardore. Illicò Mommorancij deferunt petitionem ; sed novis ambagibus implicata Regina, cùm negare Principi haud posset, quod ipsa obtulerat, vt nunquam in subitis rebus destituebatur consilio, aliud comminiscitur. Subornat Regis fratrem Andegauensem (nam eo titulo Aurelianensem mutauerat) qui petitioni Principis intercederet. Eum sibi præ cæteris natis charissimum sensim ad potentiæ apicem mater prouehebat, miti naturâ iuuenem, & ad eius nutus accommodaturum obsequia ; iamque Consilij secretioris præsidem dixerat. Ille igitur cùm Princeps de promissa sibi dignitate Regem appellaret, loquentem interpellat, asserens se designato à Rege totius Regni Legato, nemini in posterum armorum imperium posse committi ; additque alia quæ Principi iram & dolorem facerent, spemque conceptam dignitatis abrumperent. Et quidem iram Princeps habuit in potestate ; cæterum aulâ digressus, cum Hugonottis conueniens, belli moras omnes abscidit, vltionis libidine.

CAROLVS IX.

La Vieville.

S. Valery.

XVI. *Bellum ab Hugonottis inceptum.*

Castilione quod Admiralij oppidum erat deliberata belli ratione ; nimirum vt quam primùm Regem, fratres, & Reginam interciperent, vrbes aliquot inuaderent, ac Rege potientes factionem aduersam tum armis tum edictis infringerent ; designant primum expeditionis diem, vigesimum nonum Septembris, quo Rex Moncæi erat celebraturus Ordinis festum ; & cursoribus in vrbes singulas missis, iubent expeditas esse & procinctas. His constitutis, Condæus, Admiralius, Andelotius, Rupifolcaldius, aliique traiecto Matrona, Roræum veniunt, aucti confluentium numero, qui singuli noctu & inexploratis semitis conueniebant magno silentio. Iam quadrin

CAROLVS IX.

quadringenti coiuerant, cùm Regina magnâ securitate Moncæi otians, sic de periculo certior; nec momento cunctata, Regem Meldas in proximum oppidum ducit, & Heluetios sparsos per hospitia varia sollicitè euocat. Verùm fœderati (nam ita se nuncupabant rebelles) iam ingressi viam in

Anno 1567.

proximo erant; Meldæ haud vllo munimento tectæ, sparsi Heluetij nullo negotio opprimendi; sic metus calamitatem mali præuiderat quidem, sed non excluserat. In eo angore præsens occurrit consilium, quo pernicies certa disiecta est. Regina Mommorancium Marescallum arcessit, virum ad fabricandas conciliationes aptissimum, & qui plurimum in Admiralium poterat; cúmque blandimentis omnibus delinitum ad rebelles mittit; scischitatum, quæ tumultus causa, quis finis, spemque pacis proponendis multis facturum. Idque comminiscitur solertissima mulier, vt moram temporis lucraretur, quà tutò Heluetij conuenirent. Nec frustra consilium fuit; per duas horas cum fœderatis Mommorancius agit, proponit, interrogat, dehortatur, de officio admonet; donec Admiralius audiens euocari Heluetios, soluto colloquio, citatos equos versus Meldas agit, ad opprimendos Heluetios; sed ij partim venerant; partim nocte propitia adsunt incolumes. His exceptis, & regresso Mommorancio, apud Comestabilem laborantem podagrâ de re præsenti Regina deliberat; censetque Comestabilis Meldis hærendum. *Nullum creari Regi periculum, tumultuarium Principi equitatum esse, Regi cohortes Helueticas, maiestatis lucem, fidem proximarum vrbium; ad discriminis famam aduolaturos vndique nobiles. Nihil ignominiosius Principi, quam si metu, rebellium audaciam alat ac promouehat, doceátque fieri posse quæ timeat, nullo adhuc facto pacem temeratam, posse animos coalescere; de reuocanda concordia laborandum; nec committendum trepidatione subitâ ciuilis belli incendium vt inflammetur.* Primum Regina assentitur prudenti consilio; sed paulo post seu Cardinalis Lotharingi dissensu, siue sexûs indole in timorem pronâ, in sententiam aliam rapitur. Spargitur rumor Comestabilem & Cancellarium clam inire cum fœderatis consilia; eos constituisse vrbis portam Principi tradere; creditúrque Cardinalis rumoris auctor maleuolus, siue vt Reginam in mentem suam adduceret, quam in magno periculo versari crederet; siue quod æmuli obiiciebant, vti potestatis fundum atque alimentum turbas produceret. Per eum rumorem Regina metu aucto nouum cogit consilium nocte intempestâ apud Nemursium, qui similiter podagrâ decumbebat; & de eius sententia constituitur ducendum esse Parisios Regem, & viam post secundam vigiliam incundam. Ac fecerat Reginæ animum confidentia Fifferi Heluetiorum tribuni, qui inductus in consilium, suam suorumque salutem ad tutelam Regis ostentabat, orabatque ne Rex eam subiret ignominiam, vt à Rebellibus obsidionis vim pateretur. Adstabant ad conclauis fores reliqui Centuriones, qui grato fremitu Tribuni sui voces confirmabant; ad quos Regina versa, & in pedes erecta, vultu hilari collaudata fide & fortitudine iussit curare somno & cibo corpora; ea ipsa nocte permissuram se ipsorum fidei salutem Regis, & Franciæ maiestatem: ad quæ verba, læto gentis plausu aula personuit,

Rex Meldis prodit.

Fiffer.

&

& participato per vniuersas cohortes gaudio, vrbs tota gratulantium fe- CAROLVS IX.
rocissimis dictis contremuit. Mox breui mora curatis corporibus, alacres media nocte in quadratum agmen distributi, prodeunt Meldis; Rex cum feminis & aulico equitatu tertia vigilia equo inscenso, sub crepusculum lucis, eos assequitur. Regina & feminæ medio agmine excipiuntur; Proceres, nobiles & domestici Regij à Comestabile in tres turmas partiti, tecti Heluetiis, quasi firmissimo muro, incedebant. Primam agebat Nemursius; alteram Comestabilis, in qua ipse Rex, vno omnes dumtaxat ense armati. Dum progrediuntur Heluetij summâ alacritate, turmasque Regias circumsepiunt acie, fœderati occurrunt, armisque perlucentibus perstringunt spectantium oculos. Statur in vestigio, acceditque Princeps, postulans cum Rege colloqui; móxque Rege abnuente colloquium, mutato consilio, agmen Heluetiorum aggredi statuit. At ij hastis in quamcumque partem se verteret obiectis, seruatisque ordinibus inconcussi, inhibebant impetum, & machinæ instar interno quodam automate actæ stantes, versi, & progressi, frontem, tergus & latera, ostentabant, præpilatis obarmata aculeis; tot inter capita nullo spatio spissitiem ordinum interiungente. Quatuor horas ea pugnæ cupiditas tenuit; cùm progredientes Heluetios carperet princeps, ac tentaret firmissimam illam aciem soluere; tandem desperato proposito, cùm triginta circiter inter Heluetios cecidissent, quindecim Hugonottorum, abscedit cum agmine. Interim Comestabilis Regem & Reginam præmiserat, per viam tutam & inexploratam, tegentibus ducentis equitibus, quos Parisiis Aumalius iussus adduxerat; atque ipse Heluetios postridie mane in eandem vrbem inducit incolumes. Rex qui pridie multùm defatigatus aduenerat ad vrbis portam venientes excipiens, collaudatos plurimum congiario quasi pugnâ consertâ donauit. Isque dies incrementum attulit odiis partium; quod in posterum Franciæ multo sanguine stabit, tam atroce in ipsum Regem iniuriâ, hinc veniæ spem, voluntatem inde restinguente.

XVII. *Pugna Sandionysiana.*

At Hugonotti aberratione consilij haudquaquam deterriti, nouo scelere proximum cumulaturi, postquam dies aliquot aduolantes admittunt socios, parato iam exercitu, Sandionysium oppidum occupant, & Lutetiæ intercluso amne propius imminent. Faciebant audaciam tum prosperi per alia loca successus; nam simul cùm Meldensis conatus euanescebat, multas vrbes occupauerant socij; Noüa Aureliam, Bononiam Morullerius, Gentius Suessionem, Louesa Matisconem, alij Antisiodorum, vrbesque plurimas, tum eandem alebant audaciam spes excitandi Parisiensis tumultus; cùm Regem miles rarus defenderet, ciuis postquam ipsum alimenta deficerent, aggrauaret potiùs quam subleuaret. Regina euocatis mirâ celeritate subsidiis dum ea conueniunt, quod ipsi vsitatissimum erat, de pace verba interserit; missis in eam rem Cancellario, Marescallis Mommorancio, & Vievilla, & Morvillerio, ac postquam petitiones immodicas Hugonotti vertebant in modestiora quædam postulata, Comestabilis ipse, cum filio & Marescallo Cossæo Parisiis

La Noüe. Gentis. Louese.

CAROLVS IX.

prodiens, cum Principe tribusque Coliniis de concordia agit, abscedit-que spe abruptâ, amaris à Castilonio Cardinale verbis perstrictus. Interim rebelles multis aucti copiis, oppida ad amnem supra infraque posita capiunt; iamque civi visa inedia intolerabilis, regias partes molestius adurgebat; Comestabilis moram & cunctationem Parisienses incusant, qui ipsorum incommodo bellum protraheret; imo fidem sugillant, obiiciuntque Coliniorum affinitatem, & ægrè Regis reuerentiâ à tumultu abstinent & seditione. Comestabilis tametsi haud modicam ex cunctatione spem concepisset; nam hostibus pecunia deerat, & frequentes Regij conueniebant; tamen ne querelas nimium aleret; cùm iam in vrbem venissent peditum quindecim millia, equitum tria, & Andelotius magnam hostilium copiarum partem vltra amnem duxisset, statuit leui aliquo prælio suæ famæ consulere, querelas compescere, hostisque audaciam vno facto infringere. Comperto igitur Principi supersse duntaxat mille & ducentos pedites, atque equites mille & quingentos, die Nouembris decima educit copias, componitque ad prælium. Condæus deliberatione in ipso articulo cum Tribunis inita, auctor fuerat pugnæ conserendæ; quippe aliam salutis viam haud patere, impares esse admodum copias; sed diem arctis conscribi terminis; primâ dimicatione non *haberi numeri* rationem, cum sua quemque fortitudo moueat, animusque incendat, *mox* represso impetu & numero post atrocem pugnam præpollente, noctem futuram subsidio, intercessuram mutuis stragibus, & protecturam victos vmbra caliginis. Cæterùm nihil periculosius quam sub oculos hostis recedere; id assiduâ belli experientiâ comprobatum; longéque tutius irruenti armato obuertere frontem quam tergum. Pugnâ persuasâ disponit aciem; præmissisque variis velitationibus, in Comestabilem vniuersum martis pondus incumbit. Ducebat is alam dextram, læuam Aumalius, & tegebat patrem Mommorancius Marescallus, cum octo grauioris equitatus turmis. Admiralius deturbato equitum agmine, & euersâ Parisiensium acie, cum Cossæo pugnabat, cùm Princeps magno impetu in Comestabilem rapitur; at cùm occurreret Mommorancius, atque irruentem aggrederetur ad latus, copias ipse diuidit, partem Mommorancio obiiciens, partem eodem impetu in Comestabilem agens. Ita simul Mommorăcij Pater filiusque, pari animo ac fortitudine, sed euentu longè dispari dimicant. Mommorancius postquam oppositum agmen disiecit; Admiralium impetens, fundit ac fugat, peditemque obiectum proterit; latè victoriam qua ageretur circumferens. At Comestabilis sortem longè aliam experiebatur; eius equitatum primo cõgressu Princeps euerterat, & ipse tot inter hostes solus propemodùm, fixus in vestigio pugnabat fortissimè, animi robore infirmitatem corporis fulciente. Circumfusi hostes furore summo pugnantem impetunt; iam venerandus & generosissimus senex, clavâ ferreâ caput saucius erat, iam quinque plagas ore exceperat, quod apertum patebat plagis atque aspectibus, nec dum remittebat dexteram à prælio; cùm vnus hostium Stuartus propè accedens sclopeto breuiore explosо, inter humeros loricâ perfossâ, tres glandes immittit. Eo ictu Comestabilis sternitur,

Comestabilis saucius.

nec

nec inultus tamen, quippe ad Stuartum versus, capulo ensis os tam validè verberat, vt tres ictu dentes excusserit. Ad eius casum recrudescit pugna; Aumalius, Danvilla, ac Tribuni cæteri ad eum seruandum magno impetu aduolant; contra Hugonotti instaurata audacia instaurant prælium, erepturi Principem quem premebant admodum Regij. Et incalescebat pugna atrociter, cùm nox superuenit, obiectísque tenebris dirimit odia. Regij Comestabilem expeditum ab hoste referunt; Hugonotti Condæum eripiunt; tamque opportunè, vt centesimo passu sub sessore equus defecerit. Admiralium suus etiam equus in discrimen egit, admorso fræno in medios hostes abripiens, latuitque æstu pugnæ, donec se ad suos recepit. Cæsi ex Orthodoxis octingenti; ex Hugonottis mille supra centum, in quibus Comes, Susanus, Salxius, Canius, Vidamus Carnutensis, & Vidamus Ambianensis cum filio. Victoriam singulæ partium sibi tribuerunt; quamquam melior haud dubiè superior fuit; & consentiunt omnes diremptam nocte victoriam lucémque ademptam, cùm iam Orthodoxi hostem depellerent. Sed Hugonottis audacia pro victoria fuit, qui neutiquam strage perterriti, cùm reuocatum Andelotium excepissent, circa vrbis portas decurrerunt, impunitatem temeritatis, cum nullus prorumperet, rati certam palmam. Et quidem Regios Comestabilis mors continebat; qui die pugnam consequente animam egit, anno ætatis octogesimo; quorum sexaginta quinque in famulatu quinque Regum impenderat; vir prudentiâ clarior quam felicitate, qui regendis animis quàm armis aptior, quatuor Regum potens, quatuor prælia profligauerat; victorque consiliis, vincebatur ferro; adeo vel fortuna virtuti inuidet, vel dotes Deus immortalis spargit, rarò in vnum omnia congerens, vel negligebat vulnera armis infligenda, quæ ipse prudentiâ suâ persanaret postmodum; maiori laude remedij, quod desperato morbo occurreret. At fremente inuidiâ honestissimè desiit, pro Rege, patria & religione occumbens, & quidem victor quod solatium est mortis ratissimum. Funus illi sumptu magnifico à Rege curatum; eiúsque cor in sacello Cœlestinorum ad cor Henrici Regis appositum; ne distinguerentur, quæ tanta mentium consensione conuenerant.

De la Suse. De Saux.

Hugonottis, postquam decursione ad portas erecti sunt animi, nouum consilium placuit, vti ad excipiendos Reitros Germaniam versus contenderent. Cùm tumultuari inciperent, legatos ad Protestantes miserant, qui oppressæ religioni suppetias flagitarent; ac tametsi Regina Lansacum ad eosdem legauerat; atque à fœdere hostium, Saxonem, Brandeburgicum, & Badensem abduxerat, tamen Federicum Palatinum auocare haudquaquam potuerat. Hic misso in Franciam viro, qui exploraret, an Hugonotti ambitionis causa, an Religionis bellum susceperissent, cùm is retulisset Religionis gratia bellum conflatum, Casimiro filio facultatem fecit legendi militis; legerátque is septem Reitrorum millia, peditum tria, mille nobilibus sponte accedentibus. Quos Hugonotti vti exciperent, Castris Sandionysio motis, versus Campaniam tendunt, pleraque in incessu vrbes expugnantes, ac diripientes. Hærebat vestigiis exercitus regius,

XVIII. *Reitri Condæo adiuncti.*

CAROLVS IX.

cui præfectus cum summo imperio Dux Andegauensis, adolescens primo ætatis flore conspicuus; nam agebat annum decimum sextum, virtutum omnium concitata ingenti spe, ingenio, animo, indole, & religionis cultu natalia ipsa condecorans. Cæteri Duces in exercitu erant, inter quos Guisius & ipse adolescens, summa cupiditate laudis incensus, & paternæ, quà gloriæ æmulus, quà vindictæ cupidus. Agitatis interea de pace colloquiis ac reiectis; Condæus euasit in Campaniæ fines, inde Lotharingiam tenuit; at confirmatis suorum animis, quos tædebat diuturni molestissimique itineris, audit Palatinum in proximo agere. Nusquam opportunius subleuata est factio; defessum militem spes destituerat; omnes extorres è patriâ, in hostico, sine alimentis, sine auxiliis, tam progressu vetito quàm regressu, cùm nec amicus nec inimicus occurreret, quasi in desertâ solitudine, inopes consilij agitabant. Imò sibi vt consulerent singuli, qui vniuersi non poterant, in proximam Flandriam atque Germaniam confugere miseri statuebant, nouosque lares calamitati suæ componere: sic desperantibus dum erigunt animos Condæus & Admiralius, ille humanitate promiscua & iocorum amœnissimo lusu; hic graui sermone Christianæ patientiæ & militaris gloriæ studium *inculcans*, postquam duos dies opperiendo frustra consumpserant, *tertio paucis milliaribus* Palatinum abesse accipiunt: quo animi gaudio, quàm effusâ lætitiâ, Franci Germanos vt seruatores consalutauerint, legenti perpendendum relinquitur: at Duces in eo gaudij sensu sollicitudo noua inuadit. Receperant se centum aureorum millia numeraturos, cùm Germani accederent; nec Principi duo millia erant. In iis angustiis Condæus ad Francum militem habet concionem; proponit quid promissum Germanis sit, quàm inane ærarium; vnam suppetere occurrendi malo rationem, si ipsi suo quisque peculio, quantùm vires ferrent, largirentur in publicum, & se priuatis orbarent commodis, vt communem causam sustentarent. Tum facto sermonem excipit, factumque argentum, & quidquid in preterio ipsi erat, apud Ministrum deponit; detracto etiam *digiti* annulo; Admiralius similiter argentum contulit, Ducésque cæteri, tantâ gloriæ æmulatione, vt exemplo in singulos propagato, nemo in exercitu fuerit, quin benignè necessaria sibi ad communem causam detraxerit, ipsis etiam lixis atque calonibus aspirantibus in exemplum laudis. Attamen tertia pecuniæ pars vix soluta; nam numerantem non voluntas sed facultas defecerat. Nec eiusmodi facinus in quacumque gente obuium est, vt exercitus, miser & calamitosus, integro & opulento stipendium soluat, milésque sibi de necessariis detrahat, cui vnus militandi scopus cupiditas: adeò Francis nulla virtus est ardua; quanquam in causâ aliquoties peccant, de qua ducibus credunt, de facto admodùm vno solliciti. Eo pacto capiti contendenti membra cætera collaborabant, prouincias distrahentibus motibus. Et verò factioni momentum ingens accessit Rupella, quæ ad rebellium transiens partes, ad extrema ætatis nostræ tempora, perduellionem aluit, fouitque hæresim; deploratis sæpissime rebus asylum & salus, consiliorum auctor & scelerum, quibus Francia tot annis

Rupella defecit.

vexata

vexata ac laniata est. Ea vrbs hactenus in officio hæserat, quanquam plurimi ciues Hugonotti forent, stabátque nisi Iarnaci prætoris auaritia, & Trucharesij primarij Consulis peruersitas præcipitassent hærentem. Administrabatur à primario Consule Ciuitas,& Blandinus qui dignitatem gerebat, admonuerat regem, caueret ne Trucharesius sibi succederet, sed Iarnacus donis Trucharesij captus, apud Regem contenderat vti is Consul diceretur; se ipsius fidei prædem constituens, cui Rege assentiente Trucharesius extemplo spem Iarnaci fefellit, non Blandini metum; nam cum Principe communicatis consiliis, Santerminiam eius nomine legatum admisit, ciuesque in Principis verba iurare adegit; quanto Francicarum rerum detrimento, constabit ex tota bellorum quæ secuta sunt serie. Statim Santerminia Rheam proximam insulam occupat, vastat Pictones inferiores, totamque viciniam cædibus miscet atque incendiis. Aquitaniam Monlucius vindicabat à motibus, Hugonottorum hostis indefessus, nec ætate strenuitatem animi retardante; Lectoram Fontraillio, Duci aduersarum partium solerter eripuit, & deturbabat ab Aquitania cæteros, nisi ab aula datus esset præturæ in Aquitania consors Fuxius Candala, euanescente auctoritate vbi distrahitur. Inferiores Lugduno prouincias designati à Condæo Duces tuebantur in tutelam partium; Occitaniam Crussolius Acerius; Phocensem prouinciam Cipetra Comitis Tendani filius, Delphinates Mombrunus, Vice-comites Petrocorios. Ij sex millia hominum, patratâ ad Conacum victoriâ, & captâ Blesiâ, ad Condæum duxerant. Louesa in Burgundia Matisconem tenebat, prædamque opulentam à vicinis oppidis rapiebat, cùm Niuernensis in Pedemontio scripto exercitu, Pio Pontifice mutuante pecuniam, ex improuiso Matisconem obsidet, ac muris medio flumine verberatis, Louesam ad deditionem cogit, pergénsque in Campaniam, Duci Andegauensi exercitum tradit. Quippe de summa rerum ad Carnutum vrbem agebatur.

CAROLVS IX.
Iarnac.
Le Maire.
Sainte Ermine.
Ré.
Fontrailles.
De Foix.
Candale.
Crussol.
D'Acier.
Les Vicontes.

Condæus post adiunctos Germanos, constituerat per institutum iter regredi in Franciam, ac Belsiæ agrum occupare; quo regionis feracitas & Aureliæ vrbis angustiæ reuocabant. Nam Aureliam Valleta, & Martinengus dux Italus premebant admodum, agebantque in deditionis periculum. Ergo exercitus per Campaniam in Belsiam venit, & post Aureliam liberatam, cùm exercitus Regis, munimentis tectus abstineret à prælio,metúsque ageret fœderatos,ne diuturniore mora, res suæ collaberentur, Carnutum vrbem Belsiæ superioris, oppugnare aggrediuntur; eo consilio vt vel ad pugnam hostem elicerent, vel si temperaret, vrbem ipsi caperent, Parisiorum magno incommodo, & famâ partium suarum haud modicâ. Est Carnutum ad Euram amnem, vrbs ampla, sed situ ad munimenta incommodo, ad expugnandum haud ardua; propugnabat tam Lignerius vir fortis, cum bellatorum quatuor millibus, qui suorum obiectu corporum erigerent propugnacula, hostemque pellerent. Nec virorum fortium desideratum officium est, assiduis eruptionibus hostem diuexabant, murum tormentis dirutum ductis aggeribus tuebantur; nullam quieris partem capiebant, nullam permittebant, diu noctuque obsidentium

XIX.
Pax Carnutensis.
La Beausse.
La Valette.
Chartre.
Anno 1568.
Ligneres.

CAROLVS IX.

opus conturbantes. Accedebat Mariæ Deiparæ tutela & defensio constans, quæ ab vrbe condita religiosè ab ciuibus culta, sæpe implorata calamitatem depulerat; eoque articulo spe certissimâ complebat omnium animos; affirmabantque ciues, statuam Deiparæ supra portam positam ab Hugonottis tota obsidione appetitam, innumeris sclopteorum glandibus, illibatam stetisse; commonstrántque spectantibus loculamentum imaginis pluribus ictibus violatum, Dei Matre tam fictam statuam quàm viuas tegente, & arcanum miraculum aperto prodigio comprobante. Interea Regis exercitus sui propositi tènax, hærebat vltra Sequanam, Valeta ad carpendum hostem immisso. Ille ductis septingentis equitibus, improuisus castris hostium aderat; tollebat pabulatores, intercipiebat cibaria, & tranquillitatem militis turbabat. Semel cùm Hugonotti sancti Mathurini ædem diripuissent, Deo vindictam Valeta pollicitus, atque opima ex sacrilegorum ductore spolia, in eos irrumpit in eâdem æde epulantes, & Ductore manu propria iuxta quàm vouerat cæso, internecione reliquos delet. At infixum aculeum vt Admiralius tolleret, bis mille quingentos equites legit ex copiis, curamque omnem ad Valetam opprimendum intendit. Et verò quanquam vigilantissimum ducem opprimebat subito impetu, *raptis cæliſque* excubiis, & aliquot Italorum turmis procella discussis; *nisi Valeta imperterritus*, derelictis hosti impedimentis, quingentis equitibus in discrimine cæsis, se fortiter recepisset, fronte obuersâ identidem, & alacritatem hostium retundente. Amoliti eam molestiam, vrbi nouum incommodum parant; aggressi Euram amnem reuocare ad primum alueum, & ciuitate amouere; quo haud ægrè patrato, multis commodis vrbs destituebatur: Quamobrem Regina pacis mentionem iterum iniicit, & assentiente Condæo, conueniunt ab Rege Biro, & Henricus Mesinius; ab Hugonottis Odetus Castilionius, ante Cardinalis, Telinius præclarissimus adolescens, ab Admiralio designatus gener, & Bucananius, qui in conditiones statim consentiunt; Regina amplè postulatis hostium annuente. Verùm vtrobique pacem propositam disturbabant plures. Reginam Legati Pontificis, Hispani Regis, & Senatus Veneti incusabant, quod morbum indulgentiâ aleret; *quid tam multis actum fœderibus, nisi vt hæresi licentia maior, & effrenis solueretur in quodlibet nefas impietas? Non ideo latas suppetias missaque auxilia, vt primo belli motu quiescerent arma; ducendam rem ad exitium, & plagam immedicabilem ferro excidendam.* Idem declamabant concionatores in pulpitis, & Reginæ consiliarios in suspicionem hæresis adducebant palam. Similiter in Castris Admiralius inuehebatur in pacem; affirmabat, *Proponi toxicum melle inuolutum; latere sub benignitatis larua insidias, & obruendos se postquam arma posuerint.* Nec diuersa intonabant Ministri auribus; *profligatam religionem, perditam factionem, & imminere miseris certam perniciem.* Nihilominus propositum fœdus perfectum est, Regina de querelis parum sollicita; modo rem ipsam & consiliorum finem obtineret; Condæo præterea quietem & otium præoptante; ac Hugonottis nobilibus ad tranquillitatem domesticam aspirantibus: nec Casimirus leue fuit momentum, compertâ Hugonottorum penuriâ, & stipendiis, si pax coaleſceret,

De Mesmes. Teligny. Buchananes.

Ieſceret, perſoluendis. Ita menſe Martio promulgatæ conditiones atque acceptæ; quarum erant præcipuæ, vt Ianuarij edictum inſtauratum foret ac inuiolatum; Hugonottis bona, & dignitates reſtituerentur; Principi & fœderatis nulli damno verteret proximum bellum; arces atque oppida reſtituerent Regi, ipſe Germanis ſtipendium ſolueret; recepturus pecuniæ partem ab Hugonottis; vtrinque dicto tempore ſoluerentur exercitus. Continuò per eam pacem liberatum eſt Carnutum; redditæ ab Hugonottis Aurelia, Bleſia, Charitas, Sueſſio, & Antiſiodorum; data Caſimiro ſtipendij pars, in alteram partem prædes deſignati; iſque tandem remiſſus in Germaniam. Quod vnum maximè Regina intenderat, rata pacem incertam & nutantem graui & ærumnoſo bello præponendam. Verùm cum nulla concordia animos conciliaſſet, ſed larua tantum pacis & perſona odiis inducta, extemplo abiecta eſt larua, atque ipſa odia deteriora prioribus proruperunt. CAROLVS IX.

XX. *Tertium in Hugonottos bellum.*

Ac primò conditionibus non ſatisfactum eſt; Rex Heluetios Italoſque retinuit, Condæus oppida plurima haudquaquam reſtituit; in quibus Sancerra, Vezelæum, Montalbanum, Cadurci Caſtrum, & multæ in Vivareſiis & Rutenis arces, & Rupella prætorem ab Rege miſſum excluſerat. In agris atque vrbibus ab vtraque partium cædes diriſſimæ patrabantur; Coquevilla in Belgium profecturus, vti Orangio ſtipendium faceret, Sacerdotes haud paucos inauditis cruciatibus necauerat; ipſe poſtmodùm deleto milite à Coſſæo captus, & Pariſiis truncatus capite. Contra Hugonotti in pleriſque vrbibus necabantur, leui occaſione arreptâ, paſſim quaſi victimæ publicæ & bidental teterrimum, & furore plebis, & ſententiis Iudicum mactabantur. Vna Cipetræ cædes, quia iniquiſſima, Hugonottos omnes efferauit. Is dum Nicia reuertitur, ſalutato Sabaudiæ Duce ſuo affine, cum triginta equitibus; primùm inſidiis poſitis ab Villanoua Arcyo impetitus, dein cùm eis expeditus Forgas in proximum oppidum confugiſſet, irrumpente cum trecentis equitibus Villanoua, cum comitibus trucidatur, triginta perfoſſus ictibus. Amanzæus haud multo poſt, Andelotij legatus, vir præter religionem, virtute multâ ſpectabilis, in ædium ſuarum limine dum puellam filiam manu tenet, ſclopeto perimitur. Eæ cædes Condæum & Admiralium in noua belli conſilia impulerunt. Agebat Princeps Noyerij, quod oppidum in Burgundia; Caſtillone Admiralius, haud procul, & clandeſtinis nuntiis de communibus rebus deliberabant. Iámque in Conſilio Regis eorum pernicies erat conſtituta; quippe in eam Regina prorſus incumbebat, ſeu tandem zelo religionis permota, ſeu gnara nullam regno quietem futuram, dum ea factio vigeret; Imò cùm Admirálio fidem habere haud poſſet, verebatur ne ſi ſemel in Regis animum ſe inſinuaret, ipſam atque authoritatem obtereret. Eam in rem ex addictis ſibi capitibus, conſilium arctius legit, quos in ſecretiori conclaui cum Rege de publicis rebus conſuleret: ij erant Dux Andegauenſis, Hoſpitalius Cancellarius, Ludouicus Lanſacus, Ioannes Morvillerius Epiſcopus Aurelianenſis, Albaſpina Epiſcopus Lemouicenſis, Renatus Biragus, ac Villaregius. Imò cùm Hoſpitalius palam Hugonottico bello

Cipierre.

Villeneuve. d'Arcy. d'Amanzay.

Noyers.

CAROLVS IX.

bello intercederet, siue publicæ tranquillitatis cupidus, siue vt vulgo est creditum, quod in Hugonottos propensior cum iis clàm de fide sentiret, Regem ab se abalienauit; iussus abscedere in rusticam domum, sigilla repetente Rege tradiderat, quæ donata sunt Morvillerio. Mox vt consiliis causæ species prætenderetur, Rex à Principe flagitat, vt promissa trecenta aureorum millia in Germanorum stipendium soluat, exigenda ab iis dumtaxat Hugonottis, qui cum ipso in armis stetissent. Id cùm Principi videretur iniquum, nec erat eiusmodi in pactis adscriptum; & tam graui mulcta indicta commilitonibus, defensio in posterum vetabatur; Epistolam ad Regem cum libello supplice mittit, in quo omnes expostulandi causas proponebat, sanè liberiùs atque audacius quàm deceret subditum. Etenim versabatur in præsenti periculo salus; consulebat Noyerij Princeps cum Admiralio, ignarus se ab copiis Regis circumscribi, & feræ instar reti inuolui. Quippe Reginæ visum erat opportunius vtrumque capere, nullo strepitu; eamque in rem circum armatos instruxerat. Mompenserius, & Martiguius transitum Ligeris prohibebant; Guisius erat in Campaniæ finibus, Martinengus progressus Aureliâ, quasi mutatis hospitiis, ad Burgundiam accedebat sensim; & in ipsa Burgundia Gaspar Tauanius Aumalij prætoris legatus, curam inuadendæ prædæ susceperat. Interea Princeps per repetitos nuntios de periculo certior, Augusti die vicesimâ quintâ, vna cum Admiralio Noyerio noctu proficiscitur, equitibus centum viginti comitantibus: properantem abductæ simul feminæ morabantur; Principis coniux & ipsa prægnans, cum liberis, quorum tres vagiebant in cunis, Admiralij filia, duo præterea filij, & ex fratre Andelotio nepos; è nutricum sinu nondum missi; turba miserabilis, tam ad fugæ festinationem quàm pugnæ moram inepta. Eo comitatu Ligerim ad Sancerram transit, vado forte obuio, quod extemplò aquis obrutum est; relicto Boysio Centurione qui cum ducentis equitibus fugientem tegeret; isque Martinengum & Chabanum tandiu detinuit, donec Princeps cum comitatu, transmisso amne, veniret in Pictones; inde Rupellâ magno ciuium plausu exceptus. Simul in eam vrbem Ioanna Nauarra cum liberis Henrico & Catharina confugerat; à Rege Parisios per Fenelonem amicè euocata; sed erat suspecta omnis beneuolentia quæ non saperet hæresim, cui se totam resque suas permiserat. Cùm profugit Admiralius, Odetus frater agebat in Castro Brelæo, ac tantum non oppressus, ægrè ad Normanniæ oram euasit; hinc nauigio in Angliam transmissus, magno post commodo factioni futurus. Andelotius priuata negotia in Britannia gerebat, statimque traductus ad publica, primùm nobiles plurimos coëgit ex admotis Prouinciis; Vidamos Carnutenses, Lauerdinum, Mongomerium, Nouam, Monteianum, Rabodangium, aliosque; mox equitem peditémque ad quatuor millia, quibus fretus copiis, quamquam à Martiguio multùm imminutis, vado Ligerim transit, pergitque in Pictones, quò partium vires confluebant.

Tauanes.

Chaban.

Fenelon.

XXI. *Hugonottorũ progressus.*

Et ij extemplò felicitatem prorogandam rati, Pictonum vrbes quà vi qua

quà deditione inuadunt; Niortium, Fontenaium, Sammaxentium; & effusi in Santones, vrbem primariam, cæteraſque leui opera capiunt; Mox Blauio excepti, quo in Garumnam influit Duranius; poſtremò Inculiſmà; quam vrbem obſidione expugnauerat Admiralius; vt is imperio per amplas Prouincias latè conſtituto, Themiſtoclis dictum vſurparet; *Perieramus niſi periiſſemus.* Mox tyrannide ſtabilitâ, ea immaniter in orthodoxorum cædem abuſi ſunt. Inculiſmæ ſæuitum præcipuè, quodam priuilegio dignitatis, quod ea in vrbe ſedem Admiralius fixerat. Selecti ex Sacerdotibus aliiſque fidei zelo inſignibus, quorum ſupplicia crudelitatem explerent; quidam ſclopetariis in ſcopum propoſiti, poſtquam truncati membris variis eſſent; alij humo viui infoſſi; pars igne lento toſti, aut candente ferro & oleo feruente; aliquot bini in os conuerſi, arctè reuincti ſunt, vt alimento detracto, fame adigente & dirâ neceſſitate, ſe vorarent mutuò; quatuor ad trabes illitas ſulphure alligati, qui incenſis trabibus nocte lucerent; viſique milites ad eas lucernas alea ludere. Ipſe Admiralius ſe iis ſpectaculis oblectabat; ſcribitúrque ab vno morientium de futuro fato admonitus. Is Michaël Grelletus, Franciſcanus, qui cùm ad mortem raperetur, ad præſentem Admiralium conuerſus, teſtatúſque inconcuſſam fidei ſuæ veritatem, adiunxit eundem exitum ipſi imminere, quo Ieſabella occubuiſſet, illa Prophetarum peremptrix ſæuiſſima; *nam*, inquit *per feneſtram in pauimentum proiectus trahêris ad patibulum, tuoque corpore, ſeu viuo ſeu mortuo eos cruciatus feres, eam ignominiam & immanitatem quàm modò contra innoxios Dei famulos promis.* Et diuino ſpiritu pronunciatam pœnam comprobauit euentus. Res adeo proſperas & alia promouebant. Quippe Eliſabetha Regina Angliæ, ab Odeto Caſtilionio perſuaſa, in religionis ſubſidium, centum aureorum millia, tormenta ſex, & copioſum puluerem miſerat; Rupellenſes prædâ opulenti octoginta nummorum millia ſuppeditauerant; & ex prouinciis expectabantur ſupplementa militum, maximè ex Occitania. Nam Acerius ex ea prouincia, Phocenſibus, & Delphinatibus legerat octodecim peditum millia, equites circiter ſeptingentos, ducebatque in Pictones. Is Rutenos, Cadurcos, & Petrocorios tranſmiſerat, breui incolumis euaſurus in Sanctones, cum haud modica clade afficitur. Rex dum exercitum inſtruit, quem Andegauenſi fratri committeret, Mompenſerium legatum dixerat, adiunctis Guiſio, Briſſaco, Martiguio, Matignonio, Vaſſæo, & Chatrio; qui Acerij copias carperent, & momento, ſi quod eſſet propitium, inuigilarent. Id Hugonottorum Ducum vel ſecuritas vel diſcordia illico præbuit. Primum agmen Mouuanſius & Peregorda ducebant; poſtremum Acerius; iíque inter ſe longiori ſpatio progrediebantur; contentione orta inter Mouuanſium & Acerij fratrem, & neglecto hoſte vti infirmo. Viſa res Mompenſerio ad inſidias commoda; qui & ipſe ad eorum latus incedebat; primum agmen ducebant Martiguius, Briſſacus, & Guiſius; alterum ipſe; & pernoctabat in pago Menſiniaco Mouuanſius, Petrocoris haud procul. Tum Briſſaco, ſtudio pugnæ nuſquam non ardenti, Mompenſerius tradit lanceariosmille

CAROLVS IX.

Inculiſma Catholici cruciati.

Grellet.

D'Vcier.

Acerij copiæ immunitæ.

Mouuans. Peyregourde.

Menſignac. Perigueux.

CAROLVS IX.

mille & ducentos, totidem sclopetarios; qui tentarent Mouuansium; dum ipse Acerium simulato prælio distineret. Cessit ex voto res, Brissacus cùm hostem pagi muris tectum primo diluculo nequiret perrumpere, recessum fingit, latetque proximi montis obiectu: at Mouvansius contra Peregordæ sententiam, ratus hostem profectum, ex pago prodit, militem Riberacum celeriter ducturus. Vix in planitiem apertam prodierat, cùm irrumpit Brissàcus, & equitatu in peditatum inuecto, quanquam pugnantes egregiè magnâ strage fundit; cæsi hostium Duces, Mouvansius & Peregorda, & duo peditum millia; paucis in proximam siluam dilapsis. Acerius cum reliquis copiis ab excurrente celeriter Principe exceptus est. Rupellani interim modicam instruxerant classem, qua proximas oras peruastabant, & infestabant Oceanum, captis mercatorum opulentis nauibus, & ditati prædâ vberrimâ. Iidem vrbem sancti Michaëlis, ad mare

S. Michel en l'Erm.

positam, quæ vulgo in Eremo dicitur, tandem capiunt, post tertiam oppugnationem; cæsisque incolis tum profanis tum sacris, diruunt prorsus atque euertunt; sicque altas radices in iis tractibus immittebat hæresis, quas postea tot ærumnæ positæ, tot partæ victoriæ haud reuellerent.

XXII.

Regii exercitus Hugonottis oppositus.

At Rex in grassantem luem, primùm edictis, mox armis pugnabat. Cultum omnem religionis præter vnum orthodoxum vetuerat, pœna capitis indicta, iussisque ministris Regno exulare. Tum exercitum scripserat, quem fratri Andegauensi cum summo imperio tradit, in quo viginti peditum millia, equitum septem; iamque ad Castellum Heraldi Nouembri ineunte Mompensierij copias Andegauensis exceperat. Erat Andegavensis summa expectatione in vniuersa Europa iuuenis; ore pulchertimo, & totius corporis conformatione, quæ deceret principem, animosque, vel spectata caperet: animo insignibus dotibus exaggerato; in quo ardor gloriæ, ambitio militaris, laborum patientia, summa humanitas, magnanimitas regia fortitudo intrepida; & quæ Martis strepitum haudquaquam dedecent, litterarum cognitio haud vulgaris, & eloquendi facultas mirabilis. His virtutibus interserebant se aliquot nævi; amor voluptatum, & effusa in suos liberalitas; verùm & ij condonabantur ætati, & nocebant minùs, cùm delicias negotium belli expungeret, & effusa dona excusarent omnes, pars iis ditati, pars in spem erecti. Tantis igitur virtutibus fretus, nihil ardentius expetebat quàm prælium, quo nascens virtus, gloriæ signo insculpta quodammodo, illuceret splendidiùs, & palmis sequentibus fundamentum firmius sterneret. Nec Condæus refugiebat à præliando, iam instructus viginti quatuor peditum millibus, & equitibus paulo infra quatuor millia; veritus ne penuriâ stipis defluereet miles, aut, si factâ opinione metus recederet, vrbes deficerent. Ita vno imperatores ambo consilio, quod rarissimum est, bellum administrabant; optabantque pugnam, non adeò iuuenili impetu, quàm præcogitata suarum rerum vtilitate. Et omninò dimicatum ibant, paribus animis ac propè viribus, nisi hyemis iam prouectæ acerbitas, eo anno quam superioribus longè asperior, votis interceSSisset, ac bis accinctos in prælium diremisset.

Pamprou.

Prima occasio Pamprouij, qui pagus ad Lusinianum, oblata est. Vterque

exercitus

exercitus Lusinianum tendebat, vbi ager ad metandum castra feracior; & ab vtroque missi tribuni castrenses, qui Pamprouium occuparent; ij cùm simul aduenirent, seque mutuò pellerent, adest Admiralius cum Andelotio, adductis quadringentis equitibus, & ex altera parte Martiguius cum octingentis lanceariis. Admiralius imparem cùm se aduerteret, Condæum è vestigio arcessit, turmamque in colliculo collocat; nec Martiguius in eum inuehi ausus est, ratus vltra collem vniuersum protendi exercitum. Ea opinione seruatus Admiralius aduolantem admittit Principem, & fretus totis copiis, in Martiguium, similiter impetum sustinet, existimans totum exercitum confluxisse; ita ludente humanas res prouidentia, & per metum mutuum mutuæ cædi parcente. Attamen Catholicis clades imminebat, iamque velitabantur Hugonotti, cum nox offunditur. Tunc Martiguius conscius imbecillitatis, ab stratagemate petit subsidium, tympana iubet ad Helvetiorum morem pulsari, ignes plurimos suscitari, & iuxta sepes incendiarios funes adstrictos ardere; tum silentio turmas recipit Iaseneulium, vbi Andegauensis cum toto exercitu metabatur. Die consequenti Condæus animaduerso errore, partem Catholici exercitus opprimere statuit, quæ Sansæi agebat, altera à castris leuca; & prima luce cum totis copiis in eum pagum mouit. Cæterùm error novus humana consilia iterum lusit; dies nebulosus admodùm erat, & occurrebat progredientibus bivium; altero itinere Sansæum ducente, altero Iaseneulium, primum cum priore agmine ingreditur Admiralius, alterum cum secundo Princeps, & quidem incautus; atque improuiso totis Andegavensis castris obiicitur, qui ipsa nocte Sansæo copias euocauerat. Condæus deprehenso errore, & ignarus vbinam gentium Admiralius ageret, fortitudine temeritatem emendans, extemplò geminos illos colles ad viæ regiæ latera occupat, locatque equites veluti conserturus pugnam. Nec secus Andegavensis, explicauerat copias, instruebat ad pugnam, iámque tormenta explosserat. At Condæus incredibili diligentiâ, fumi caligine campum obducente, ab vno colle in alterum, fossam ducit, ponítque aggerem ad peditem propugnandum. Interim Admiralius, tormentorum fragore audito, repetitis vestigiis, festinat ad Principem; & die toto vterque exercitus hærens in munimentis, ne loci commodo destitueretur, ab vniuersa pugna abstinuit, donec Hugonotti ad Mirebellum regressi, oppidum capiunt, Catholici versus Pictauium recessérunt ad opportuniora hospitia. Nec ideò cupiditas pugnæ deflagrabat; quippe Hugonotti vt transitum Ligeris occuparent, imminebant Salmurio, & Andegavensis auctus quatuor hominum millibus, quos ab Occitania Ioyeusa adduxerat, instaurato pugnandi studio, vt hostem avocaret Salmurio, recepto Mirabello ad cingendum Laudunum approperat. Et eò non indiligentius Princeps vertit, copiásque ad suburbia explicat. Campus erat excipiendis copiis admodùm capax, inflammati animi partium, eadem cupiditas, pares propemodùm vires; & Andegavensis disposuerat ad pugnam aciem; cùm intemperies elementorum belli insaniam temperat, & cæli inclementia frangit cædis libidinem. Intensissimo frigore Cælum, Solúmque inhorrescebant,

CAROLVS IX.

Iaseneuil.

Saumur.

CAROLVS IX.

bant, solido gelu omnia constringebantur, diebúsque proximis tenuis humor fusus è nubibus & summa humo adhærens, vi frigoris sic congelauerat, vt non equi modo sed ægrè homines stare pedibus in vestigio possent; lubricâ crustulâ, & præcipitante ad casum. Ita equites in turmas dispositi sine graui lapsu haud se mouebant; pluribúsque crura aut brachia tum luxata tum fracta, hostium armis cessantibus. Attamen per tres dies continuos in naturam furor belli pugnauit; stabántque in armis oppositæ acies, operientes vtra prior loco se moueret; sed inexpugnabili quem elementa ponebant obice, primus Andegauensis recessit, ad fouendum militem perditum gelu; mox sequutus Princeps; tantáque fuit eius calamitatis atrocitas, vt frigore in Hugonottis tria millia militum, in Orthodoxis non pauciora absumpta sint, adeò marti præter ignem & ferrum, sæuiendi suppetunt instrumenta.

XXIII. *Pugna Iarnacensis.* Basiõpierre.

Nouus annus remittebat hyemem, cùm Andegauensis copiis in supplementum admissis (nam Tendius tria Phocensium millia, duo Reitrorum Raingrauius & Bossompetra adduxerant) ad pellendum hostem castra mouet; quippe & frigore & defectionibus crebris imminutæ erant Principis copiæ. Eas inter & Regias intercedebat amnis Carentonus, quem vt transmittat Andegauensis, Castronouum pulso Hugonottorum præsidio capit, oppidum Inculismam inter & Conacum, ad amnem positum, sed ponte antea ab hostibus deturbato, qui accuratè vlteriorem ripam toto exercitu defendebant. Nam ad pontem duas legiones Admiralius locat, cum octingentis equitibus, tum cum primo agmine recedit Bassacum, Principe Iarnaci hærente, paulò vlterius quantum leucæ est spatium. Andegauensis vt stratagemate conficeret transitum, Conacum versus quo fluebat amnis exercitum ducit, ac tentato ea parte transitu, ab Admiralio se repelli facilè patitur, hærétque quasi inops consilij; donec nocte obortà, summa celeritate Castronouum regreditur, ac Biragi sedulitate, refecto ponte vetere, nouóque ex nauigiis addito, nemine prohibente, serenâ nocte, & nitente Lunâ, transmittit exercitum. Simul hostem aliâ fraude fefellerat; nam in monte spectabili deposuerat sarcinas, adiunctis octingentis peditibus & quadringentis equitibus, qui metantes latius vniuersa castra repræsentarent. Dies Martij decimus tertius illucebat, iámque hora ab ortu Solis effluxerat, cùm Catholicis festinantibus, eorum transitum Admiralius accipit, & postquam se à stupore primo recepit, Bassacum copias conuenire iubet, certus abstinendi à prælio, & recedendi Conacum. Sed illicò Catholicorum impetus perturbat consilium; nam Martiguius leuiorem equitatum festinanter in prælium rapit, séque illi adiunxerant Guisius, Brissacus, Malicornius, Pompadorius, Lansacūs, Feruaqueus, aliíque primæ laudis cupidi; simúlque omnes Bassacum irrumpunt. Admiralius ex eorum impetu colligens conflictum haud vetari posse, Andelotium, Noüam & Lupam, cum Pluualti legione opponit ruentibus, dum ipse aduenientes turmas excipit, monétque Principem actum esse de priori agmine, nisi veniat in suppetias. Noüa & Lupa dum tegunt socios, capiuntur à Martiguio, Pluualti legione cæsâ, totúmque exercitum Andegauensis adducit

Chateau neuf. Anno 1569.

La Noüe. La Loue. Pluuiant.

adducit. Contra Princeps Iarnaco aduolat, cum equitum turmis; simúlque Rupi-Focaldius, Choisius, Montander, Chandenerius, Rosinius, Rantius, Monteianes, aliíque. Verùm sinistro omine dum disponit aciem, calce equi quo Rupi-Focaldius vehebatur fortè percussus, effracta tibia læditur, rogatúrque à Proceribus eo casu mœstissimis, vt se deportari ab acie patiatur. At ille inconcusso animo, atque in dolorem primùm insurgente, monstrato vexillo, in quo appictæ erant hæ voces, *pro Christo & patria dulce periculum*; affirmánsque se non tibiis sed brachiis ad pugnam egere; nec vllum esse discrimen quin Christi causâ incurreret; adhortatus vt se sequerentur, & victoriæ magis quam ipsius Principis saluti intenderent, cum Admiralio in Mompensirij agmen irrumpit. Ad eorum exemplum instaurata egregiè dimicatio; & obseruati ex vtraque parte mira præstare, Martiguius & Andelotius; vterque dictus eques intrepidus; sanè Martiguius viginti quinque ictus ferro excepit, notis à ferro & glande impressis; atque Andelotius cùm in Monsalesij turmam irrueret, ductorem ipsum impetens læuâ speculare galeæ erigens, simul dextrâ sclopeto, in caput disploso, cæsum humi sternit. Dum ita pugnatur conflictum auxit ac postmodum soluit Andegauensis; qui recenti agmine circumfusus, & ipse fortiter dimicans, nec semel in salutis periculum raptus, tandem hostem fundit, pellítque in fugam. Condæus vnus fugientibus cæteris, omnium præter pugnam immemor, trecentis stipatus nobilibus in agmen lanceariorum inuadit; simúlque à duobus Reitrorum millibus impetitur; vnde oppressus numero, suis apum instar ad ipsum confluentibus, reparatur inflammatis animis prælium, in eo præ cæteris memoratus quidam Verna, qui annis grauior, depugnabat ad latus Principis, cum vigintiquinque tum liberis tum nepotibus, quorum cæsi quindecim, decem capti; quasi nouus Briareus quinquaginta brachiis dimicaret; & ipse Princeps equo suffosso, cùm stare crure fracto non posset, genu altero nitens submouebat hostem; donec vnus superstes, aperta galea se duobus equitibus tradit, à quibus dum ad sepem proximam ad quiescendum deducitur; ecce Montesquius, Tribunus turmæ Andegauensis, retrò accedens, in ipsius caput sclopetum emittit, occidítque incogitantem; singulis facinus vituperantibus, quanquam morte Principis haud pauci gauderent. Eáq; est pugna quam Iarnacensem vel Bassensem appellant; fuitque cædes nobilium maior quam militum; nam præter legionem vnam Pluuialti peditatus abstinuit à pugna, atque in equitatum tota clades incubuit. Cæsi ex Hugonottis septingenti; in quibus plerique nobiles illustres; Chaneuerius, Turrius, Belmontius, Monteianes, & plures; capti quam plurimi, Noüa, Subisius, Corboso, Fontralla, Spondillanus, & cæteri. Ex Orthodoxis perierunt ducenti; in quibus Monsalius, Billius, duo Ingrandij, Hippolytus Picus Mirandulæ Comes; & Lignerius præclarus ille Carnuti defensor. Condæi corpus asinæ impositum, ac Iarnacum delatum, diu spectaculo fuit, mox Nauarro redditum ab Andegauensi, Vindocini illatum in maiorum tumulum. Cæterùm quantum causa Hugonottorum detrimentum passa est ea morte, tantum fortasse ipsa Francia tulit, quæ orbata præclarissimo Principe, sibi ipsa vulnus graue inflixerat;

CAROLVS IX. Châdenier. Monsalet. La Vergne. Montesquion. La Tour. Ingrande.

CAROLVS IX.

inflixerat; poterantque odia conciliari, quod votum erat plurium, si captus vixisset. Quanquam id erat odiorum incendium, vt restingui ne sanguine quidem ipso potuerit. Quatuor liberi superstites fuerunt Principi; tres ex Roya priore coniuge, Henricus Princeps Condæus, Franciscus Princeps Contius, & Carolus qui postea Cardinalis; vnus ex Longavilla, Carolus Comes Suessionensis, quos commemorare oportuit, in paginas posteriores haud rarò vocandos. Rex accepto victoriæ nuntio, nocte mediâ eo ipso momento cubili exurgens in maiorem ædem perrexit cum aulicis; Deo solemni cantico gratulaturus: tunc Meti agebat, promoturus Aumalij operam, contendentis ne Reitri patefactâ per Franciam viâ, se Hugonottis adiungerent.

XXIV. *Hugonotti copias reparant.*

At ipsis ea victoria terrori potiùs fuerat, quàm detrimento. Etenim Acierus cum sex millibus peditum in pugnam properans, accepto cladis nuntio, eos integros Conacum receperat, & in vrbem eandem reliquus peditatus prorsus intactus confugerat; tum præcipui Duces Rupi-Focaldius, Mongommerius, Genlisius cæsi frater, Bucardus, Telinius, & Bucauanius, atque haud multò post Admiralius & Andelotius. Ac tametsi primùm clade consternati, ac charissimi Principis cæde perculsi, in Admiralium multa congererent; cuius negligentiâ incustoditus amnis hostem admisisset, quique adductum in periculum Principem, proditum ignauâ fugâ deseruisset, palámque assererent detrectaturos se tam inconsulti viri imperium; tamen Admiralij sagacitate atque prudentiâ ij statim motus conquieuerunt. Haud ignarus potentiæ suæ inuideri, qua se neutiquam abdicare cuperet, mediam init viam, qua & inuidiam mitigaret, & quæsitam potentiam retineret. Ioannam Nauarræ Reginam, Rupellâ arcessit, docétque nihil publicis rebus priuatísque vtilius, quàm si ipsa filium Benearnij Principem tradat fœderatis, futurum belli Ducem, & factionis Principem. Ioanna auidè ea suscepta Prouincia, allocuta Duces, filium ostentat, causæ publicæ non tam defensorem, quam fortunæ totius participem; primum quidem regio sanguine Principem; sed qui Princeps in ærumnis, in periculis foret; nec deliberet vllum potentiæ modum, quàm seruandis aliis, & promouendâ religione. Erat filius Henricus nomine, natus annos quindecim; dignus qui factionis spem susciteret, ardenti indole ad res bellicas facta, humanitate promiscua, blanda animorum præsertim nobilium conciliatrice. Eum igitur primi Admiralius & Rupi-Focaldius in Ducem admittunt, tum cæteri omnes; placuítque ad memoriam Condæi qui pro causâ mortem obierat, Henricum filium adjungere Benearnio, vt dignitatis consors haberetur; verùm cùm is ætate imbecillâ esset, nomen concessum potiùs quam auctoritas vlla. Et in facti memoriam Ioanna nummos aureos cudit, adscriptâ suâ filiíque effigie; addito lemmate in ea verba, *pax certa, victoria integra, mors honesta*; fine proposito quem hac electione intenderet. Eo constituto de ducibus cæteris, ac ratione belli consultantibus placuit; vti Admiralius (quod ipse solertiâ magnâ confecerat) curam armorum Principumque susciperet; vt Acierus præfecturam Andelotij administraret, Bucardi Genlisius; nam vterque morbo decumbebat,

&

& mensis post aliquot è viuis rapti sunt; vrbes propugnarent, donec copiis instauratis, occurrerent Germanis aduentantibus, ac se omninò iis adiungerent. Mox discedunt singuli in designata oppida; Admiralius cum Principibus in Ioannis fanum, Pilesius Santones, Mongomerius Inculismam, Genlisius Laudunum, Acierus Conaci substitit. Atque ad ea perficienda vincentium cunctatio spatium fecerat. Nam post triduum ad quietem impertiendam, & spolia diuidenda consumptum; postquam de belli modo actum est, ac statutum Hugonottorum vrbes oppugnandas, dum ad Regem mittitur, & deferuntur serius iussa, dum Pictavio maioris modi tormenta vehuntur in exercitum, occasio à victoribus ad victos transiit. Ac tandem Andegavensis Conacum, quæ vrbs proxima erat, oppugnare aggreditur, admovétque exercitum; sed quarto hinc die vi adactus ab obsidione abscedit. Duodecim hominum millia propugnabant vrbem, erumpebant milleni, suos etiam muros ad eruptionem ipsi diruebant, aggerem hostium, fossam, castra, velitationibus crebris conturbabant; nec eo spatio obsidentibus quies vlla permissa. Penetrandum vlterius Andegavensis censuit, vt occupatis arcibus minus communitis, vrbes in medio destitutæ, detractis cibariis caperentur facilius; eóque consilio vastatis agris Inculismensibus, Santonibus, & Lemovicibus, in Petrocorios inuadit; mittitque Brissacum, qui Mussidanum vrbem expugnaret. Vrbs illicò dedita, arx defensa, quæ dum oppugnatur, Brissacus, & Pompadorius sclopetis occidunt; ille tormentis explosis, dum ex mole prodit, hic dum inspicit fossam, & altitudinem speculatur; ambo riuales iidémque amicissimi; nam ætate suppares, & vnâ gloriæ cupiditate incensi, honestâ æmulatione, sibi mutuò stimulus & præmium erant. Agebant annum vicesimum quintum; & Brissacus summo omnibus dolori & desiderio fuit, patris vestigia assequutus propius, & charissimus militi existimatione fortitudinis non vulgaris. Strossio Marescalli filio data est Præfectura peditatus Francici, quam partiebatur antè cum Brissaco; Brissaci fratri legio & equestris turma sunt concessæ. Ita dum pari euentu bellum infertur atque repellitur, vtraque partium novâ causâ obortâ euocatur ad Ligerim, quem amnem Germanicus exercitus iam transmiserat, quique stilum etiam scribentis adsciscit.

CAROLVS IX.

Cognac.

Mussidan.

Strossy.

XXV. *Germanicus pro Hugonottis exercitus.*

Inter huius motus primordia, Condæus & Admiralius ad Fridericum Palatinum legauerant; religionis nouæ præsidem ac tutorem, qui communi causæ auxilia certa impetrarent. Nec iuerat ille inficias, quin delectum haberi permiserat, & ductorem dixerat affinem suum, Volfangum Bauarum, Ducem Bipontinum, designato Legato Volrado Mansfeldio. Sub signis erant septies mille quingenti equites, pedites sexies mille; iisque se adiunxerant Guillelmus Orangius, cum Henrico & Ludouico fratribus, in Hispaniæ Regem perduelles, & cum Hugonottis Franciæ conspirantes; ac Franci nobiles Morvillerius, Revellus, Ossonnilla, Dullius, Monyus, ambo Briquemautij, Essernæus, Feuquerius; & Autricurius, Belgas sexcenti equites sequebantur, Francos totidem, & pedites octingenti. Rex Metim venerat ad eas copias disturbandas; sed cùm nihilominus Rhenum

Reuel.

transiui

CAROLVS IX.

transmisissent, atque ad Burgundiam aduentarent, ad eas repellendas designauit ipse exercitum, quem æquo imperio Aumalio & Nemursio tradidit, validiorem pedite, at equite infirmiorem. Germani nihilominus in Burgundiam penetrant, Orangio cum nobilibus Francis primum agmen ducente, & octoginta leucarum spatio illibati, euadunt ad Ligerim. Commendantur maximè, præter Orangium Franci, Morvillerius, Feuquerius, & Mouyus, quorum vigilantia, industria & fortitudine, è tantis periculis Germani erepti sunt, inter hostes frontem, latera, & terga carpentes, detrimenti nihil admodùm passi. Quanquam ducum discordiæ Aumalij & Nemursij debuerint plurimùm, qui pari & diuiso per mutuas vices imperio, priuatæ potius æmulationi studebant, quàm publicæ vtilitati. Prouectos ad Ligerim felicitas nova vltra promouit, partem copiarum ad Polliacum vado transmittunt, quod ante inexploratum à Guerchio commonstratum est, tum Charitatem proximè admotum oppidum, quod egregio ponte amnem iungit, vltra citráque copiis aggrediuntur. Nec diu in expugnandâ vrbe laboratum. Præfectus post primam muri labem animum abiiciens; noctu aufugit, veluti subsidia confecturus, móxque Germani, dum ciuis de deditione agit, in vrbem irrumpunt, diripiunt que miserrimè. Eo transitu instauratæ spes Hugonottorum; quippe Admiralius rem desperauerat, & in dies Germanicæ cladis nuntium operiebatur. Haud cunctatus, decem millia sclopetariorum & duo equitum celeriter in Lemouices ducit, occursurus venientibus; qui magna celeritate, Ducibus Francis nobilibus, quos appellaui, præter Dullium & Feuquerium, qui Charitate obierant, inter geminos Andegavensis Aumaliique exercitus, Vigennæ præterea amne transmisso, ad Chalusium oppidum; se adiungunt sociis, ingenti omnium gratulatione & plausu. At Bipontinus triduo ante vitam posuerat, nimio vini haustu, ad quartanam febrim extinguendam, Mansfeldio in locum eius à Ducibus substituto. Andegavensis similiter auctus copiis erat, exceptis à Pontifice tribus peditum millibus, equitibus mille, quos Sforsia Santæfloræ Comes ducebat, dux bello egregius; accesserántque ab Florentiæ Duce pedites mille & ducenti equites; vt in exercitu triginta millia recenserentur. Nec pauciores in copiis Principes numerabant, quos Admiralius ne torpescerent otio, in nouum facinus suscitat. Castra Andegavensis opportuno loco posuerat, munierátque ad Rocabellum, Lemovico haud procul. Frontem hosti obiectam prima luce copiis impugnat Admiralius, instátque victoriæ proximæ; cùm Strossius adductis sexcentis sclopetariis, instaurat prælium sustentátque mirificè, per horam repulsis quatuor hostium millibus. Verùm tandem numero non virtute obrutus profligatur; sive Admiralij prudentia, qui suos per agmina singula distributos meliori ordine in pugnam promoverat; sive ipsius, Strossij temeritate ac præpostera fortitudine, qui sæpius tacitis militum vocibus impetitus, Brissaci mortui animum assiduis laudibus prædicantium, vt magno facinore laudes illas opprimeret, post repulsum hostem è munimentis progressus, pugnauit quidem fortissimè, sed equite irruente, saucius captus est. Orthodoxorum quadringenti cæsi, in quibus viginti.

Poully.

La Charité.

Chalus.

Rochabelle.

viginti duo ductores ordinum, cum Sanlupo & Roccalauro, Strossij Legatis. Idque memorandum est prælium, Henrici Nauarri primo rudimento; qui spectantibus sociis hostibúsque, ætate tam tenera inter primos ordines dimicauit, delibata fortitudinis spe & gloriæ voluptate; quas deinceps incremento tanto cumulauit. Verùm intra id facinus Hugonottorum victoria stetit; siue ob assiduum imbrem qui eo die proximoque effusus est, siue ob castrorum hostilium inexpugnabilem situm; móxque ij ad commodiora hospitia recesserunt, alimentis deficientibus. Catharina interim Comitibus Cardinalibus Borbonio & Lotharingio, in castra Andegauensis venerat, de ratione belli actura; quoniam ducum sententiæ dissentiebant plurimùm; pugnam exoptantibus aliis, aliis detrectantibus. Placuit dehortantium sensum; quando aleâ pugnæ in discrimen coniici Regnum oporteret; iactura grauissima, leui lucro; contra Germanis nihil morâ & cunctatione infensius erat, qui vel ipsi tædio, vel autumno proximo conceptis morbis, in vorandis vuis, & potando musto, deficerent; vel stipendij inopiâ tumultuantes, grauiores sociis quam hostibus forent. Ita Andegauensis missis nobilibus in Octobrem proximum, & Iunius desinebat, in æstiua exercitum diuidit.

CAROLVS IX. Sainct Loup. Roquelaure.

Verùm Admiralius nihil molestius suis rebus ratus, quam otium; postquam aliquot oppida in Petrocoriis cepit, & rursum Vigenna transito in Pictones venit, primo Niortium liberat, quod Comes Ludius obsidione in extrema adduxerat; tum Heraldi castrum occupat Hugonottis ciuibus Catholicos expellentibus, ac promouente fortunâ Lusinianum oppugnat. Vrbs quidem infirmior erat, sed admotum castrum validissimum habebatur, positum in rupe omnem aditum excludente præterquam ad vrbem; fossâ geminâ immensæ altitudinis obuallante hanc partem. Attamen vrbe post diem tertium, capta, Guro castri Præfectus haud multò post deditionem paciscitur, penuria militum, cùm plerique faucij, nec triginta sine vulneribus agerent. His facinoribus aucti animis, nihil non facilè arbitrabantur Hugonotti duces, statímque votum ad Pictauium applicant. Ea vrbs Prouinciæ caput; vna dumaxat Catholicorum in Pictonibus erat, qua si pellerentur, in ampla & vbere regione aleretur factio, atque trans Ligerim regnum nouum conderet. Huic tamen consilio repugnabat Admiralius; affirmans nihil exercitui perniciosius quàm vrbis magnæ oppugnationem; suas copias ad Pictauij mœnia detritum iri, mox ab hoste nullo negotio profligandas; multo commodius Sammaxentium obsideri posse & capi, tum Salmurium inualidum sub iugum mitti, per quod pateret vltra Ligerim transitus, bellúmque in Parisiorum fines trudi posset. Hæc tametsi prudenter Admiralius, tamen Nobilitate Pictonum vrgente, ne is infigeretur visceribus suis aculeus, si hostes potirentur Pictauio, inuitus ad eius vrbis oppugnationem adductus est. Porrò Ludius Pictonum gubernator & legatus Ruffecus se in eam receperant, cum tribus hominum millibus; & Andegauensis hostium mentem prospiciens, in eamdem mille & ducentos equites immiserat, quódque ciuium

XXVI. *Pictauium obsidione eximitur.* Du Lude. Lusignan. Guron. Ruffec.

CAROLVS IX.

animos incendebat mirificè, Dux Guisius comparandæ ex periculo gloriæ cupidissimus, vrbe se incluserat, fortunæ socius tam infensæ quam prosperæ, comitante nobilium globo, quorum præcipui Maynius frater, Mompesatius, Rupechoartius, Mortemarus, Chabotus, Clervatius, Castrobriandus, Roca Baritaldus, Clermontius Iunior, & Cassillacus; pleriſque etiam adducentibus coniuges, vt eâ confidentiâ erigerent civibus animos; Admiralius desinente Augusto copias admovet, & crebras inter prorumpentium velitationes, ponit obsidium. Est autem Pictavium situ admodum iniquo, & ad propugnandum difficili; Pomœrium ampliſſimum est, occupátque spatium quantum vrbs nulla Franciæ præter Parisios; sed agris consitum vitibúsque, vt tecta partem minimam impleant. Ipsæ ædes positæ in montis vertice, per declive iugum quamquam admodum ratæ, in imam planitiem porriguntur, in quam vrbs desinit, admisso intra Pomœrium prato, quod plerumque stagnat & paludosum est; tum cingitur muro, quem Clanius amnis præterfluit. At circa ipsum montem eminent præruptæ & excelsæ rupes, quas Dubas vocant incolæ, vnde in totam vrbem prospectus latissimus, & ampla commoditas amovendorum defensorum à muro. Vrbem eiusmodi propugnabant præter Duces & milites quos recensui, civès sexcenti, ab Hayo Prætore forensi ad expeditiones bellicas lecti; accessitque haud multo post Onosius, Sammaxentij Præfectus, qui præsidium oppidi sexcentos homines per hostium castra in vrbem induxit, & egregiam totâ obsidione nauavit operam, donec munus obiens sclopeto cæsus est. Nec propositum est explicare singula, quæ priuati Scriptores accuratè perscribunt; satis erit summa & illustria delibasse. Ergo Admiralius postquam tormenta Rupellâ advecta sunt, nihil antiquius habuit, q am murum quo pratum cingitur, assiduis ictibus verberare; ac brevi tempore viginti stadia ampla labe diruta viam in pratum atque adeò in vrbem ipsam patefaciunt; statímque nocte proxima pons ædificatur, quo miles amnem transmitteret, & propius ad ruinam muri succederet. Iam nutabant civium animi, & diversis sententiis implicati atque distracti, cùm proponerent multa, pauca exequerentur, auctores erant Guisio vt incolumitati suæ consuleret, se in tutum eruptione facta reciperet, atque vrbem quæ defendi non poterat, relinqueret suæ sorti. At ille verba eiusmodi veluti ignominiosa & opprobrij plena refugiens, ad erectum aggerem stabat cum armatis equitibus, repulsuru[illegible] cedientium ad labem impetum. Et expediti ad aggressionem Hugonotti erant, cùm obseruantes pontem amni impositum, debiliorem esse quàm vt equitem ferret; eo die ab oppugnatione discedunt. At nocte insequenti Fervaqueo erumpente, pons ille soluitur militibus sub aqua furtim natantibus, & funes resecantibus, quibus lignea moles ripæ adhærebat. Hugonotti ea spe deiecti, rursum in murum tormenta explodunt, novam labem aperiunt, atque omissa pontis cura, quibusdam navigiis & virgultis in cimbarum modum colligatis, amnem traiiciunt; móxque appliciti, frustra repugnante cive, vtramque ruinam insident. Tum propius ad

Du Mayne.

Le Clain.

Dubes.

La Hayé.

Onoux.

rem

rem ventum erat, cum fortuna adiuvante industriam, occurrit obsessis quo imminentem luem repellerent. Ludij frater cùm accuratiùs locum exploraret, aduertit ad pontem Clanij, quo amnis ad Rochereulium sub-vrbium influebat, quædam molis vestigia, qua olim fluvij aquæ coërcitæ erant; & actus in spem subitam amnis reprimendi, & in pratum quod superius erat refundendi, ad rem aggreditur. Ante arcus pontis geminam palorum seriem infigi iubet, & spissa humo oppleri inane spatium; móxque in molem cùm tormenta Admiralius verteret, pone aggerem murum validum exstruit, prætendítque ad tormentorum ictus infringendos saccos lanâ refertos. Eo commento amnis refluens ad superiora paucis horis inundauit in pratum, vndísque obruit, frustra fulminante Admiralio in pontis cataractam, lana & muro tam frangentibus quam ferentibus fulmina. Indignatus Admiralius quod conatus omnis ad vnam exigui pontis molem deficeret, accedente ludibrio quo ipsum hostes traducebant, quasi Admiralij dignitas in aquâ tam modicâ passa esset naufragium, oppugnationem in aliam partem dirigit, ad sancti Saturnini sub-vrbium, & magnam muri partem tormentorum vndecim verberatione euertit. Tum instruit militem, in labem geminam vti perrumperet; sed ante explorandum ratus, quam amplè vtraque & commodè pateret, damnatum ea pœna centurionem iubet propius ad murum succedere; isque intrepidè loco perspecto renuntiat, ruinam quidem capacem, sed saxa in intimum labrum provoluta, atque exterius interfluere riuum ad altitudinem medij corporis. Ea re Admiralius ducésque deterriti, ab parata oppugnatione tunc abstinent. Cæterùm ad eam repellendam egregiè obsessi se comparauerant; Guisius & Ludius suam quisque labem propugnabant, armis & globo nobilium cincti emicabant, suâ quisque laude & parentum gloria commendati, recentibus Metis & Fontarabiæ monumentis; erátque ingens ignium copia, quos omnis generis industria mortalium in perniciem suam ruentium temperare solet atque instruere; matronis etiam, atque infantibus expeditis ad defensionem. Igitur Admiralius eam defensionis pompam vti obscuraret, statuit noctu irrumpere in murum, tempúsque aggressionis constituit, dum mutantur vigiles, nullo tympanorum tubarúmve sonitu: Et Principes Sammaxentio venerant, vt impressionem præsentia promouerent; verùm & spes illa euanuit; cùm iussæ copiæ venissent serius, iamque illucesceret, & spectarentur propugnatores ad murum; ideò recipit Admiralius militem, novo consilio novum subsidium indagaturus. Atque existimans salutem vrbis ab inundatione amnis hactenus patratam, ad Rocherolium subvrbium, in quo pons occlusus, machinas & contentionem conuertit; eiusque murum ruina sternit; tum ad impressionem disponit militem; primum Pilesium cum sua legione, tum Briquemautij fratrem cum altera, tertio loco Germanicam legionem. At se eo loco solertissimè communiuerat Guisius; à fronte aggerem duxerat, à lateribus, præter castrum quod tegebat

CAROLVS IX. Rochereül.

Piles.

CAROLVS IX.

murum, erexerat terreos aggeres, in iisque tormenta & sclopeta maiora locauerat; concurrerátque totum militum robur. Atque vbi primùm se Pilesius in conspectum dedit, exceptus est grandine tam horribili, ab sclopetis minoribus maioribúsque effusa, ab minutis globis atque ferramentis & lato machinarum ore eructatis, vt pessundata tota legione cum paucis & ipse saucius ad murum euaserit: mox legionem alteram grando verberat, quamuis præter Duces rarus miles se in eam perniciem immisisset; supererant Germani, quos Admiralius aduolans abduxit, & recepto Pilesio, à vi inferenda temperauit in posterum. Sed obsessos inopia tum pabuli tum frumenti premebat molestiùs, turbæ rusticorum se in vrbem salutis causâ receperant, & iumenta plura adduxerant; tum iis pabulum deficiebat, tum frumenti angustiæ increscebant in dies; quare Guisius molestam hanc turbam emittere vrbe tentauerat, sed repulsam ab hoste rursum exceperat, dederátque eiusmodi iumenta in alimentum. Ipsum ciuem tædium & salutis desperatio incesserat; cohortes in subsidium missæ, in vrbem peruadere haud quaquam potuerant, multi cæsi erant, saucij plurimi, hostis affirmabat se nusquam nisi vrbe capta discessurum; &quo maior deditionis necessitas foret, conditiones molestiores, & duriores futuras; idque incommodum repugnantem Guisium tandem peruicisset, nisi hostem sua etiam mala nec minus grauia profligassent.

XXVII. *Soluta obsidio.*

Etenim in castris cibariorum magna inopia erat, fortissimi quíque vel iacebant cæsi, vel decumbebant saucij; præterea morbi grassabantur in milite, dysenteria maximè Germanis ob intemperantiam victus infensa: iámque è castris in proximas vrbes discesserant, quà morbis vexati, quà plagis, Rupi-Focaldius, Acierius, Briquemautius, Laffinius, Nocla, Channius Comes, Bloissetus, aliíque plurimi, nobilitate aut dignitate illustres. Et ipse Admiralius laborauerat alui profluuio, quanquam ex curis & vigilantia nihil imminuerat, valetudini sobrietate mirâ restitutus. Ille igitur imbecillitatis suæ nimium conscius, cùm statuisset ab obsidione discedere, & vno ignominiæ metu coërcitus, occasionem operiretur; eam luculentam Andegauensis expectanti præstat. Euocatâ exercitus parte, nec dum ausus rectâ in hostem progredi, ad Heraldi castrum copias ducit, & aperto muro instruit impressionem. Orta erat contentio Francos inter milites Italos & Germanos, quæ natio prima ad aggressionem accederet, magnitudine periculi amplitudinem gloriæ constituente; æmulationem cùm sors diremisset, ac promouisset Italos; ij quidem egregiè murum conscenderant, verùm repulsi à Loua præfecto fortiter dimicante, & Francis præ indignatione pernegantibus ad murum succedere; cæsis ducentis, retrusi in castra sunt. Interim fama obsidione Pictauium liberat; Admiralius Heraldi castrum, vt oppugnanti eripiat, solutâ obsidione recepit machinas militémque, nec Andegauensi erat in votis aliud quam Pictauium soluere; quo patrato

Laffin. La Nocle.

La Loue.

trato & ipſe copias vltrà Crauſiam educit, ad portum Pileſium tribus legionibus relictis ad cuſtodiam loci; caſtris ad Cellam poſitis, dum conuenirent cæteræ copiæ. Ita Pictauium poſt ſeptem tranſactas in ærumnis hebdomadas, metu liberatur atque periculo. Ex Hugonottis tria propemodùm millia cæſa ſunt, ex Catholicis occubuerunt trecenti milites, nobiles quadraginta, in quibus eminebant, Brianoſius frater Ludij, Billius Prunæus, Calueracus Onoſius, Plaſſacus, Vaqueria, & Renaudius, Sanſacus in vrbem ſubiit, cum amplo militum & cæterarum rerum commeatu. Nec Guiſio in ea expeditione deterenda laus eſt, quæ omninò illuſtris & eximia fuit; nam vigilantiſſimi ducis militiſque fortiſſimi functus officio, imò humum ſæpius fodiens, ad erigendos aggeres, diu noctúque coram ſingulis præſens; militem voce, ſermone, liberalitate ſuſtentans & promouens, ciuium tædium profligans patientiâ, tam ſuos conciliauerat, quam hoſtes vicerat; eas demum laudes humili modeſtia cumulans. Nam Admiralio profecto, inſtituta in maiori æde gratiarum actione ſolemni, & habenda de beneficio tanto concione, vetuit accuratè, qui dicebat è pulpito mentionem vllam ſui facere; vniuerſâ facti gloria in Deum vnum auctorem huius facinoris deferenda. Mox Turones ad Regem aduolat, ab eo ac Regina cæteriſque Proceribus immenſa gaudij ſignificatione acceptus. Et vero eum Regina deinceps chariſſimum habuit, delegítque quem Admiralio opponeret, atque in eo Catholici conſtituerunt fulcrum, & caput ſuarum partium, dignum rati qui patris nomen ſpem gloriámque in tutelam fidei ſuſcitaret. Iámque in Admiralium quaſi profligatum inſurgitur, non tam armis quam verbis, pronunciato Senatus Pariſienſis decreto; quo ipſe, Mongommerius, & Vidamus Carnutenſis, vt rei maieſtatis damnatur; quódque in Francia admodum inuſitatum, Admiralium viuum aut mortuum capienti, quinquaginta nummorum millia promiſſa in præmium; dein factitia eorum corpora in plauſtro traducta palam in patibulo à carnifice ſunt appenſa. Mox collata Admiralij dignitas Marchioni Villarſio, quaſi decretum è viuis hominem ſuſtuliſſet. Verùm quem tot exercitus non perterruerant, eum inſcripta charta haud multum permouit.

CAROLVS IX.

La Creuſe.

Port de Piles.

Villars.

XXVIII. *Pugna Monconturiana.*

Quippe vt Andegauenſi ſe viuere palam faceret, eum in munimentis aggredi ſtatuit; & Crauſia tranſito cùm perrumpere in Pileſium portum nequiuiſſet, aduocat ad Cellam copias. Attamen tectum loci opportunitate cùm excire in campos non poſſet, remenſus per Cruſiam iter, Vigenna traiecto Faiæ Vinoſæ diebus aliquot moram trahit, dum iumenta recipit, quæ Luſinianum maiora tormenta vexerant. Interim Andegauenſis feſtinantibus copiis, auctus decem hominum millibus, in vicem ſuam munimentis relictis, traiectis amnibus, ad hoſtem feſtinat. Erat illi animus pugnæ conſerendæ, ídque conducere publicæ rei exiſtimabat, tum infirmo hoſte ob Pictauienſe incommodum, tum quod Orangius

Faye la vineuſe.

CAROLVS IX.

gius in Germaniam transmisisset, nova subsidia confecturus. Contra decretum Admiralio abstinere à prælio, abducere militem in Pictones inferiores, se per otium ac legiones reficere, dum ducuntur auxilia; at existimationis & famæ gratia, ne videretur metum admisisse, ingens præ se ferebat pugnandi studium: sed celeritas hostis suorúmque importuna cunctatio excusserunt prudens consilium. Tendebat Moncontourium, qui ad Divam fluvium in Pictonibus pagus est, & in ampla S. Clari planitie direxerat ad pugnam militem, ratus longius hostem abesse; cúmque aliquandiu stetisset in ordinibus, quasi esset factum satis officio & famæ, vltra pergebat; cùm per paludosam vallem traiecto pedite, Biro mille lancearios ducens, in Mouyum equitatus ductorem inuehitur, pellítque vltra rivum qui paludem vallis influebat. Is rivus eo die pro repagulis pugnaturis fuit, quanquam Hugonotti tormentis hostium male haberentur, ereptique sint noctis beneficio. Nam extemplò magno silentio Admiralius recipit copias, atque ipsâ nocte Moncontorium tenuit, arcessitis celeriter Partenæo Principibus. Prima luce, quæ Octobris dies tertia erat, recessurus vasa colligi iubet, iterque institui versus Ervasium: sed Germani pedites detrectantes obsequium, recusant ingredi nisi soluto stipendio, accedítque in societatem tumultus Reitrorum pars maior; dum iis conciliandis laborat Admiralius horæ geminæ effluunt, viámque capere instituerat, cùm primùm Andegavensis agmen incurrit. Quare Admiralius necessitate actus pugnam capessit, disponitque militem in geminum agmen, quorum primum ipse duceret, alterum Ludovicus Nassavius, Mompenserio pariter primam Catholicorum ducente aciem, secundam Andegavensi. In Catholicorum exercitu equitum erant novem circiter millia, peditum octodecim, Flos præterea nobilitatis, Duces Mompenserius, Delphinúsque filius, Guisius, Aumalius, Longavilla, Marchio Badensis; Ernestus Mansfeldius, copiarum ductor, quas è Belgio Rex Hispaniæ miserat; Sanflorius Pontificiarum Dux, Rhingravij duo, Villarsius, Mommorancius, Toræus, Cossæus, Mareschallus, Martiguius, Valetta, Biraguius, Bassompetra, Schombergius, Scipio Picolominius, Carnavaletus, Villequerius, aliíque. Exercitus Principum constabat ex septem equitum millibus, quà Germanis quà Francis, & duodecim peditum: erántque clari Duces superioribus bellis, Noüa, Pigreferius, Acierus, Mombrunus, Blacco, Mirebellus, Baudinæus, & plures. Post dispositum vtrinque militem; maioribus tormentis pugnari cœptum est, & immotis ordinibus continuata per tres horas displosio; aliquot equitibus ex serie prorumpentibus, vel ad velitandum, vel ad hostis speciem speculandam, quibusdam etiam cum affinibus adversarum partium confabulantibus; iámque altera post meridiem hora decurrebat, cum Biro & Tauanius aduertentes præterfluere diem, elapsurum hostem si nocti permitteretur, ac tormenta regiis multùm officere; erecto in victoriæ spem Andegavensi,

Moncontour.

Mouy.

Ervaux.

Torè.

Baudiné.

Anno 1569.

ad

ad lævam aciem circumflectunt, vt à tormentis se tegerent, & extemplò post subitam velitationem, primum agmen inducit Mompenserius, mox alterum Andegavensis, atque dimicatio atrox conseritur. Per agmina singula equitatu & peditatu pugnatum est; Martisque ardor ad Calones & Lixas transiit, cæterámque castrorum turbam inutilem, qui dominorum impulsi impetu, mutuis plagis in se irruebant. Admiralius in penitissimos hostes immissus, & sclopeto ictus, pugnabat fortissimè, & Rhingravium maiorem natu, à quo erat læsus sclopeto brevi cæsum postraverat; Dux Andegavensis spisso hostium petitus agmine, deiecto vexillo, cæsis consortibus, aut in fugam actis, gravi salutis periculo equo excutitur; iam hoste victoriam inclamante. Verùm Cossæus ab Andegavensi evocatus, lento & æquo cum Helvetiis passu incedens, pugnam instaurat, revocátque victoriam; simul Villarsius, Biro & Tavanius coactum equitem pugnæ restituunt; à quibus pulsi Reitri cùm restituere aciem volunt; explorata suorum paucitate, deiecti animis terga vertunt. Admiralius postquam in Mompensirij agmen penetrauit, advertitque pauciſſimos eodem impetu secum vectos, de exitu pugnæ subdubius, ad Principes miserat, qui à periculo eos abducerent; iique silentio abscesserant, sed à multis observati, spem etiam simul sustulerant. Idem postea cùm ex vulnere sanguis vbertim in galeam flueret, ad curationem coactus se recipere, Reitros absentia ita perculerat, vt à Mompensirio haud ægrè victi sint. Sic pulso equitatu, vis prælij Germanos pedites opprimit; primùm in eos sclopetarij Franci imbrem glandium fundunt; tum Helvetij iam perculsos aggressi, in consternatum agmen irrumpunt, & grassante gentium odio, appellantes vincentium misericordiam obstructis auribus contrucidant. Francis Hugonottis Andegavensis pepercit; ij ter mille propemodùm, quibus vita concessa est; egregio Andegavensis indulgentis dicto quo Tavanium monuit, *in bellis ciuilibus non vinci gloriosius, quàm cùm minimum cruoris funditur*; & nox superveniens plurium incolumitati consuluit; cuius beneficio Comites Ludovicus & Mansfeldius cum tribus equitum millibus Partenæum integri tenuerunt. Cæsorum incertus numerus, vtraque partium ad gloriæ, vel detrimentum, vel incrementum, adaugente atque minuente: constat sex millia pugnantium cæsa, præter Calonum & Lixarum turbam: ex Catholicis occubuerunt quingenti equites, pedites perpauci. Eminebant in cæsis Marchio Badensis, Raingravius maior, Clermontius Delphinus, Picolominius & Franciscus Perussinus; saucij Guisius, Schombergius, Bassompetra, & Ernestus Mansfeldius. Memorabilis Sancyrus inter Hugonottos, qui ætatis anno octogesimo, dum in receptu præliatur egregiè, occiditur; à prima iuventute bellis innutritus. Capti Noüa atque Acierus, & ille ab Andegavensi admiratione virtutis, mucronibus capientium, atque vt famosissimo Hugonottorum, necem inferentium ereptus est. Sic vno anno victa hæresis tertiùm exscindi debuerat, nisi hydræ instar in nova

CAROLVS IX.

funera

CAROLVS IX. XXIX.

funera exercuisset; quanquam eius seruatæ laus, an vituperatio ad vnum Admiralium est reuocanda.

Admiralij constantia.

Ille nocte proxima Partenæum postquam se recepit, percurato leuiter vulnere, tota nocte ad socios Principes & ciuitates litteras scripserat, per quas imminutâ clade, quæ lixas tantùm, impedimenta, & Germanorum quosdam sustulerat; spem faciebat ac pollicebatur se factionem integram reparaturum si modica submitterentur auxilia. Tum in retinendis Francis nobilibus tota fuit impendenda solertia; ij quippe contumaciam fati incusantes, à quo tot cladibus sine intermissione vlla delerentur, constituerant omninò suos lares repetere & bellum abdicare, tam infaustum, quàm perniciosum. Quare tumultuantes supplicibus verbis aggressus, tum breuem moram temporis flagitat, tum inopiam Principum & calamitatem proponit, tum concordiæ necessitatem, ne diuisi opprimantur facilius; tandem sagacitate in eorum animos persuadendo, plerosque continet; Occitanis & Delphinatibus dato commeatu, quos inhibere non poterat. Postea de ratione belli consulitur; ac multis proponentibus vt Rupellam tutum in locum asylúmque commodum se ad instaurandas vires reciperent, contra Admiralius censuit; nihil opportunius quam libertatem recessus in vltimam Aquitaniam; ea in regione regnare Mongommerium, in transitu capi oppida posse ac prædâ Reitris satisfactum iri, & iniecto terrore instaurandam partium famam; quæ in bellis summi momenti sit. Eo persuaso, relicta Rupellæ Nauarræ Regina, quæ communi rei intenderet, ipse cum adiunctis Principibus tria Reitrorum millia, totidémque peditum per Santones & Petrocorios in Aquitaniam ducit, transitque Duranium, capto Bordo oppidulo; mox phœnicis instar ex cineribus cladis instructurus nouum exercitum. Eóque interuallo multa oppida intercipiunt Hugonotti; in quibus Nemausus famam obtinuit, tum crudelitatis Hæreticæ, tum patientiæ Christianæ. Etenim cùm nocte Hugonotti vrbem incautis Catholicis eripuissent; qui Orthodoxam fidem eiurare nollent, plusculis diebus in amplum puteum coniecerunt, partim ferro cæsos, partim aquâ mergendos. In quibus duo tum ortu illustres tum dignitate præluxerunt exemplo: alter Episcopi absentis Vicarius, cuius vices egregiè gessit, locúmque impleuit, pro eo mactatus; alter

De Georges.

è nobilissima in Occitanis familia, Robertus Georgeus, primi Consulis Magistratu functus, qui ne simulare quidem hæresim voluit, religioni quàm vitæ accuratiùs studens, fudítque pro fide sanguinem, mox præcipitatus in puteum, traductâ in posteros nobilitate Martyrij. Interim Andegauensis vrbes proximas fructum victoriæ occupat, Partenæum, Fontenæum, Heraldi-Castrum, Lusinianum, ac

Louuier.

Niortium, proditione Louuerij per insidias Mouyum præfectum mactantis. Mox Regina & Lotharingio Cardinale in Castra venientibus, & de belli reliquiis deliberantibus, proponuntur diuersa, quod deterrimum, placet. Nam cùm oportuisset Admiralium insequi, & victricibus

ac

ac numerosis copiis insistere fractis & fugientibus; ad obtinendas vrbes arma conuersa sunt, spatium victis & opportunitas exsurgendi data, & victoribus necessitas infringendi vires & animorum audaciam. Eo consilio exercitus ad fanum Sancti Ioannis admotus; quæ vrbs in Santonibus, immunita & expugnatu facilis putabatur; Réxque in castra properanter venit, iam fratris æmulus, delibaturus reddendæ vrbis gloriam: sed pro munimentis erat Pilesius vir fortissimus, qui delatus in oppidum postquam ad Pictauij murum vulnus acceperat, nunc eius defensione susceptâ, cum centum & viginti equitibus ac sexcentis sclopetariis, oppugnantibus comparabat quid agerent. In plures dies producta obsidio, pluribus etiam Catholicorum exitio fuit; nec Pilesius vocem vllam deditionis admisit, donec absumpto nitrato puluere & effosso pluribus ruinis muro, subscripsit conditionibus tradendæ vrbis, suam suorumque incolumitatem & gloriam pactus, vt cum armis sarcinisque Inculismam irent. Tria millia Catholicorum in aggressionibus cæsa, toto exercitu quasi neruis incisis ad tentandam rem vllam debilitato; quódque funestius impauidus ille Martiguius, audacia militari & strenuitate clarissimus, sclopeto cæsus est. Eo spatio redditæ Admiralio vires: conturbabat Aquitaniam, iam non de salute, quæ sarta vsquequaque, sed de victoria ipsa sollicitus, nec immeritò spes ingentes alebat. Antea Mongommerius Benearnium celerrimâ expeditione inuaserat; Damuillam inter Monlucium & Vimercatum prorumpens, Terridam qui Nauarrinum de mandato Regis obsidebat, veteranum Ducem belliquè peritissimum obsidione depulerat; intra Orthelium refugientem expugnarat, sed barbarâ immanitate pleroſque Benearnios nobiles qui se cum Terrida dediderant, contra fidem mactauerat. Ad eum receptum dum festinat Admiralius, capit Aguillonium, & Garumnæ ponte impositio Loüæ industria, nouum ex occasione init consilium, vt Aquitaniæ ipsi incumberet, Burdegalam circum copiis cingeret, & latè in prouinciam amplissimam dominaretur. Vnus Monlucius, quanquam impar omnino viribus, seruandæ patriæ vel patrimonij cupidus, in Admiralium contentionem intendebat. Verùm & ab Rege ope destitutus (nam obseruatum calamitatem Aquitaniæ haud molestam Reginæ esse, & æmulatione Damuillæ aggredi magna prohibitus, plurimùm studio & voluntate, facultate perparum poterat; cùm vnius cæmentarij peritiâ, magno incommodo grauique periculo patriam liberat. Pontis maximè fabrica innitebantur Admiralij ampla consilia, quem nauigiis imposuerat Loüa, infixis ad ea trabibus præferratis, totam molem rudentibus & vinculis ferreis astringentibus validè; pontis caput quà Vasconiæ obuertitur, propugnabant mille & ducenti sclopetarij, & tormenta octo. Ad eam molem destruendam Monlucio animum fatiganti occurrit cæmentarius, remque nullo negotio expedit; molendini machinam, quam media duo nauigia connexa sustinent (qualia eiusmodi plura Garumnæ innatant, molaribus saxis onustam secundo amne in pontem immittit: cuius impetu illico moles operosa

CAROLVS IX.

Fanum Sanctæ Ioannis obsessum.

Terrides.

Nauarrins.

Aguillon.

CAROLVS IX. XXX.

soluta & fracta est, submersa vndis consilia, & vehente amne in oceanum illata.

Admiralius versus Parisios tendit.

Itaque novum instituendum propositum fuit; iamque Admiralius numeroso exercitu auctus fretusque, statuit Parisios bello propius petere, atque ipsam aulam in metus discriminisque partem coniicere. Eam in rem Mongommerium accersit, iamque terribilis in quamcunque partem se verteret, novum iter suscipit; ab amicis provinciis opem exceptaturus, prædam ab hostilibus; vtrobique permagno commodo, cùm collectitiis copiis & præpollentibus, prædandi facultas pro hospitio
Anno 1570. & stipendio foret. Primùm itaque legens Tarni ripas Montalbanum tendit, & Rapini necem in Tolosanos Senatores vlturus; eorum villas ac patrimonia militum incendiis ac furori tradit. Tum Pyrenæos versus iter flectens, Carmanum, Oriacum, & alia minora oppida expugnat, & excurrente in Ruscinonensem agrum Pilesio, Carcassonem, dein Narbonem venit. Mox Occitanos inferiores pertransiens, traiecto Rhodano, penetrat in Delphinatum; atque rursus amne transmisso per Forisienses duos inter amnes Ararim ac Ligerim, peruadit in Burgundiam; trecentis leucis nullo damno percursis; imò copiis per supplementa militum adauctis. Atque tum demum excitatus est aulæ veternus; quos prædones & plectendos à capitalium tribunis dicebant aulici, iam imminere iusto exercitu, & in ipsa Regni viscera inferre perniciem, timore prævio inspiciebant. Eo magis quod Noüa, post libertatem redemptam, in Santonibus factionis vires sustinebat: ille Rupellanos in varias agens expeditiones, non tantùm Baronem Guardiæ vrbi imminentem classe armata, depulerat viceratque; sed latè in Pictones ipsos excurrens, Catholicos ad Lusonem profligauerat, cæsis eorum octingentis; Partenæum ceperat, Broagium vrbésque cæteras; & quanquam læuo brachio ob vulnus absciso, instabat ferocior, capite integro; vbi mens & prudentia, tam belli quàm cæterarum rerum dux & rectrix. Præterea Ioannes Sorapro Admiralio prædabatur Oceanum, ac conturbabat rationem totam commercij; isque eo tempore in Lusitanicam classem intentus, quæ Brasiliam versus navigabat, navem vnam aberrantem à cæteris apprehendit; cuius opulentia quadraginta erant è Societate IESV Religiosi, in eas oras ad promulgandam Christi legem profecti; quos pirata ille immanis, contra ius divinum & gentium, vno Religionis odio, partim ferro cæcidit, partim mari mersit; adiunctis corollis, iconibus sacris, & pietatis toto instrumento; barbarorum crudelitatem per compendium occupans, & in ipsis carceribus metam & coronam decurrentibus præstans. Ob eas causas Regina seriò repellendo malo invigilans, Delphinum Mompensierij filium in Pictones de-
Rabasteins. stinat; iubet Monlucium, Rabastinum, quæ validissima arx in Beneārnia erat expugnare; (qua in expeditione fortissimus vir immane illud vulnus accepit, vtráque genâ glande perfossâ) exercitum scribit, quem opponat Principibus; atque Andegavensi aduersa valetudine confli-

Iesuitæ interempti ab Huguenottis.

ctato,

ctato, Cossæo regimen copiarum tradit; quodque omnium existimabat efficacissimum, reuocat pacis contrahendæ consilium, primámque mentem opprimendæ sublatis capitibus factionis. Et fortasse eo consilio Cossæum ducem exercitus dixerat, quem noverat in Hugonottorum partes propendere, & magnum cunctatorem nihil in eos quod inhiberet pacem tentaturum. Et verò in Burgundia ad oppidum Arnæducum occurrit Cossæus, viam occlusurus Principibus; sed præterquam quod inter velitandum superiores Hugonotti erant; ij relicto Cossæo pergunt vlterius, atque ad Charitatem commeatu vbere recreati, ad Montargium evadentes, Parisiensibus terrori ac periculo sunt. Igitur Regina pacis studium non amplius sustinendum rata, huic incumbit tam efficaciter, vt tandem Augusto mense confecta sit; nec eam Principes detrectabant, modò Religioni suæ caveretur; nempe Reitris defectionem minantibus, Francis revisendorum larium cupidis, deficiente pecuniâ, atque Admiralio tot rapinarum tandem pertæso, tranquillitas cunctis voto erat: & Regina conditiones amplas haud grauatè largiebatur, conscia arcanæ mentis, quantíque starent impetrantibus dona in posterum. Multa itaque Hugonottis concessa; vti Orangius fratrésque in facultatum vsum, restituerentur, libera esset suæ Religionis facultas iuxta Edicta superiora, ipsi cum Catholicis ad omnia publicæ benignitatis commoda admitterentur; qualia sunt Collegia, Xenodochia, & eiusmodi alia; ad eorum lites abdicatum Parlamentum Tolosæ: & dum ea pacta implerentur, vrbes quas vocabant securitatis, id est obsidum loco, & fidei pignus, quatuor Rex iis permitteret, Rupellam, Montalbanum, Conacum & Charitatem; attamen restituendas intra biennium. Eo Edicto pax conciliata, soluti exercitus, dimissi in Germaniam Reitri, cæterique in privatas domos. Atque in Aulam revocati Comites Pacis, amor, luxus, voluptas, ludicráque certamina; maximè in coniugiis Procerum celebrandis. Nam Guisius Catharinam Clivensem, Principis Portiani viduam, duxit vxorem, quamquam invitissimus, & vitæ seruandæ vno studio actus; quippe se Margaritæ amoribus, quæ erat Regis soror, implicuerat, & virgine mutuò conciliata, aspirauerat ad eius nuptias; donec Rex ab eis prorsus auersus, priuatam Guisio necem intentaret; iusso Carolo Inculismensi, fratre spurio inter venandum amatorem tam audacem occidere. Quod cùm ille metu absterritus non præstaret, perstante atrociùs Regis iracundiâ, Guisius impulsu Reginæ & patrui Cardinalis, ad sanciendam salutem, Clivensem duxit; quamquam amore non penitus profligato. Ille deinde Catharinam sororem Mompensierij filio in vxorem dedit, veteribus familiarum inimicitiis eo pacto extinctis. Ac demùm ipse Rex, annum natus iam vicesimum primum, Elisabetham Ferdinandi Imperatoris filiam toro nuptam admovit; Anna Elisabethæ sorore Philippo Regi Hispaniæ simvl enubente: quippe obierat Isabella, Caroli soror, eiusdem Philippi coniux, immatura morte, relictâ in cunis quam susceperat filiâ. Sic

CAROLVS IX.

Arneayl-duc.

Pax tertiùm cum Hugonottis.

Villes de seureté.

Coniugia Regis & Guisij.

CAROLVS IX.

diuturnus Martis ac bellorum terror, hac breui intercapedine, non tam quieſcebat, quàm inſtaurandis viribus intendebat; mox acerbiſſimâ Franciæ calamitate, prorupturus iterum, & furorem expleturus diutius, ebibito per cauſas varias plurium ſanguine: adeò mortalibus infirma eſt ac infida tranquillitas; ac ſtare bona in veſtigio neſciunt, leuitate propriâ, & loco lubrico, pronâ in caſum.

HISTORIÆ

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XX.

SYNOPSIS.

Apparatus ad Hugonottos intercipiendos. Admiralius Regem ſalutat. Apparatus ad cædem Hugonottorum. Admiralius læditur. Cædes Sanbartolomæa. Veſini facinus generoſum. Ciuiũ cædes. Regis ſenſum, & cædium finis. Cædes Hugonottorũ in prouinciis. Quartum bellum in Hugonottos. Rupellæ obſidio. Noüæ laus & ſeceſſio. Continuata obſidio. Andegauenſis periculum. Obſidio ſoluta. Quarta pax. Sancerræ obſidio. Dux Andegauenſis Rex Poloniæ. Andegauenſis mora in Francia. Quintum bellum in Hugonottos. Mongommerius captus. Conſpiratio Procerum in Reginam. Caroli Regis morbus, & mors. Regina abſente Henrico, regnum moderatur. Henricus III. Rex in Franciam venit. Henrici primordia. Pinarolium Sabaudo redditum. Bellum continuatum in Hugonottos. Rex Coindæam amat. Rex Auenionem proficiſcitur. Cardinalis Lotharingij mors. Mulierum Hugonottarum facinus. Regis inauguratio & connubium. Bellum in prouinciis. Mombrunus captus,

affectus supplicio. Lediguerij primordia. Rex titulum Poloniæ seruat. Turbæ in Aula. Alensonij fuga. Condæus exercitum instruit. Toræus à Guisio victus. Condæi exercitus. Pax quinta cum Hugonottis. Nauarri fuga. Edictum May. Fœderis siue Liguæ origo. Bellum sextum in Hugonottos. Comitia trium ordinum. Bellum geritur in Hugonottos. Issoriacum in Aruernis obsessum. Damuilla in Hugonottos. Broagij situs. Capitur à Catholicis. Pax sexta cum Hugonottis. Iuuenes Regi familiares cæsi. Aleusonij prima in Belgium expeditio. Ordo sancti Spiritus institutus. Septimum bellum in Hugonottos. Fara obsessa & capta. Bellum in Occitania & Delphinatu. Cadurcum à Nauarro captum. Pax septima cum Hugonottis. Coqueluche morbus in Francia. Pax Hugonottis nocet. Regis plures familiares. Ioyeusa & Epernonius. Regis pietas nimia in speciem. Andegauensis seu Alensonius secundò in Belgium. Classis missa in Insulas fortunatas.

I.

CAROLVS IX.

Apparatus ad Hugonottos interciendos.

FRANCIA stabilitâ in speciem pace fruebatur, & videbantur ad pacandos motus spectare omnia, cùm eâ malaciâ prælia sæuissima parabantur. Ea nempe mente Rex & Regina tam commodas conditiones Hugonottis indulserant, vt veteri consilio repetito, excidendorum Capitum rebellionis, per insidias atque solertiam perpetrarent, quod vi & aperto bello nequiuerant: Idque fas esse persuaserant Regi; quem dicebant Iure Diuino Iustitiæ præsidem, compertis criminibus vindicem datum, tam ferro militis quàm tortoris. Etarque in eam rem arcanum à Regina institutum consilium, ex viris sibi omninò addictis, Lotharingio Cardinale, Duce Niuernensi, Comite Rhetio, & Birago. Et quidem Cardinalis, tam Religionis quàm Partium studio, Hugonotticam factionem ac præsertim Admiralium, vt sibi suæque familiæ infensissimum angue peius oderat: Cæteri Itali ortu, patriæ similitudine multisque beneficiis à Regina affecti, in eam toto animi nisu propendebant; eosque ipsa ad arcana omnia admittebat; Rhetio tamen præ cæteris intimo. Hic Albertus Gondius ortu Florentinus, quem primò mater Reginæ à cubiculo, officiisque multis charissima, commendauerat dominæ, tum ipse ingenio suo primam beneuolentiam immenso spatio magnis auctus opibus ac dignitatibus propagauerat. In id postea consilium

De Rets.

Andega

Andegavensis vocatus est, matri acceptissimus, quem ipsa ad nutus atque arbitratus suos conformabat. Igitur postquam larva pacis inducta est insidiis, primusque ille scalarum gradus positus est, vt ad fastigium perduceretur, adhibenda ars ac industria fuit: ea autem tota in simulando ac dissimulando constabat; vt Regina Navarræ, Princeps filius, Condæus, Admiralius, cæterique nobiles, arcessiti in Aulam, & reti spontaneo inuoluti, nullo periculo cæderentur. Eam porrò simulandi artem Regina ita regi filio insinuaverat; vt ille quanquam naturâ iracundior (quæ indoles ad simulandum minimè omnium apta) tamen dominandi studio, ac simul vindicandi iniurias æstu, earum sensum abstruserit penitus; tanta in potestate os & linguam habens, vt nec vlla voce, nec colore vultus, leue mentis signum produxerit; quódq; in adolescéte permirum est, deliberatum consilium perspicassimos ac suspicacissimos Hugonottorum oculos fugit ac latuit. Nam præter speculatores ab iis locatos, ab Proceribus cauendum erat perdiligenter; Ii Mommorancius, Danvilla, Cossæus, & Biro, qui existimati in Hugonottos proclives, & quidem Mommorancij Admiralio affinitate coniuncti, si deprehendissent, vel scintillam ignis latentis sub cinere, discussissent haud dubie, ac paratum incendium extinxissent. Verùm is sagacitatis solertissimæ apex fuit, vt Admiralius suis ipse artibus caperetur; quique prudentiæ ac perspicuitatis laude se cunctis anteponeret, fuerit ea in laude feminæ & adolescenti inferior. Ac primùm esca ad eum capiendum obiicitur; bellum Hispanicum, cuius ipse ductum & administrationem susciperet. Et quidem aptissima ad inescandum illecebra: etenim Admiralius sævientibus bellis ciuilibus conquerebatur frequentiùs, eorum causam pacem Hispanicam esse; Francos temperare ab armis non posse, ea in se vertere, vbi hostis desit; nec occurrere opportuniorem vllum quàm Hispanum, Regni veterem æmulum, ac inimicum iam à Maioribus; Belgium totis Franciæ viribus obruendum, ac amouendum longiùs tam infensum hostem: Ideò virum quà fraudi patebat aggressa mulier, per fictos homines consilium belli insinuat, fidemque vt faciat novi quod conceperat odij, adiungit accepisse à plurimis quos in Hispaniam miserat, maximè à Delbena, Elisabethæ præ cæteris dilectæ filiæ, oblatum toxicum à Philippo, præferebatque vindictæ cupiditatem iustissimam. Deinde versa ad Reginam Navarræ, Henrici principis cum Margarita filia coniugium offert; atque exercitum, quem ipse Henricus ad recuperandam Navarram in Hispaniam duceret. Simul vt esca alliceret efficacius, Rex in commodum Hugonottorum verba, blanditias, imperata, edicta, omni sollicitudine impendebat. Sic paulatim eorum animis exolescebat suspicio, & cicurata ferocia sensim ad illecebram & occultum rete præda accedebat. Admiralius præsertim noua coniuge captus est, Iacoba Entremontia, vidua locuplete, quam in Sabaudia natam, Duce prohibente, cùm matrimonio nequiret adiungere, Regis gratiâ & auctoritate tum coniugem habuit, tum facultates. Mox Ludovicus Orangij frater subdubitantem ipse animi falsus egit in laqueos; nam in Aulam missus, vt propius de bello illo Hispaniço agitaret, rémque totam specularetur attentiùs; secretò quidem colloquutus.

CAROLVS IX.

Anno 1571.

Delbene.

D'Entremont.

CAROLVS IX.

colloquutus est cum Rege, adhibitis Mommorancio, Damuilla & Rhetio, cæterùm persuasus, Admiralium impulit. Accessit mox alia machina, Nauarri cum Margarita coniugium, cuius rationes & conditiones vt moderaretur, primò per Telinium generum, quem plurimi & meritò faciebat; deinde per Bironem, postremò per Collæum, amantissimis litteris euocatum, & Blesiam vbi ageret Rex à Collæo ducitur, stipantibus quinquaginta Nobilibus armatis: atque à Rege excipitur, tantâ gaudij & amoris significatione, vt dubium omne timoremque abstulerit. Tum data facultas, vt Castilionem inuiseret, & domesticam rem constitueret; moxque adhibita ad Nauarræ Reginam machina: nam sagacissima mulier non satis cupidè hamum vorabat; quippe vt securitatem prudens timor parit, occultas præclara specie verebatur insidias; Catharinæ odium expugnabile vnâ vltione, filium in manus hostium tradi atque potestatem; qui vel animam, vel Religionem quam ducebat ipsa pretiosiorem animâ, vel vi eriperent, vel blandimentis excuterent; prætereà in spem venerat collocandi filij cum Elisabetha Regina Angliæ; quæ iuxta ipsum de religione sentiret; atque exemplo Condæus præerat, qui Mariam Clinensem Niuernensis sororem duxerat, quam ipsa Nauarra propè ab cunis secum instituerat, & persuasione sua imbuerat. Tandem & ipsa ab Admiralio expugnatur, qui secundùm in aulam vocatus, postulata, dona, gratias, facultates, ad primam voluntatis significationem à Rege impetrat; tam facilè atque effusè condonante omnia, vt callidissimus senex tantæ gratiæ æstu prouectus, tuta omnia, firma ac tranquilla, tum sibi tum Reginæ crediderit. Præterea fidem Hugonottis Orthodoxi ipsi faciebant; qui in Regis mentem consiliumque intimum haud penetrantes, rem dgi seriò existimabant, & acerbè de Rege ac Regina veluti in hæresim pronis querebantur: eratque tum Pio Pontifici, tum Hispaniæ Regi fucus factus tam callidè, vt Hispaniæ Rex Oratorem suum iuberet ab Franciæ Aula facessere; Pius Cardinalem nepotem cursoriis equis ad Regem misserit; intercessurum conceptis nuptiis; & ipse diploma ad dispensationem affinibus pernegabat. In Aulam nihilominus pergebat Nauarra cùm filio; ac nodùm diplomatis mors Pontificis soluit; cuius successor Gregorius XIII. seu benigniore natura, seu Regem veritus, seu maiori perspicacitate, diploma concessit Cardinali Borbonio.

Teligny.

II. *Apparatus ad eadem.* Anno 1572.

Post exceptam multo honore & arctâ in speciem beneuolentiâ Nauarræ Reginam, & constitutum locum tempusque connubij, vt more Romano & Parisiis in maiori æde ageretur; Ludouicus Nassouius rursum in aulam profectus, cum Rege de tota belli ratione deliberat, quod statim decernitur inferendum in Belgium, Admiralio Duce constituto cum summo imperio, deinde fit Belgij profligandi diuisio, vt prouinciæ citra Antuerpiam positæ ad Regem spectarent, quæ vltra ad Orangium; Strossius & Baro Gardiæ mittuntur cum nauibus in Britanniam, prohibituri classem Hispanicam, ne transiret in Belgium; demùm sex peditum millia conscribuntur, magno machinarum & bellicarum rerum apparatu. Eo articulo Regina Nauarræ morte subita rapitur, die quinto post conceptam

conceptam febrim, siue æstu nimio, dum Parisiis per officinas mercatorum discurrit, ad pannos mundumque muliebrem coëmendum; seu veneno, quod (vt volunt) odore hauserit, chirothecis tractandis cuiusdam vnguentarij Renati Mediolanensis: quamquam id ego minùs crediderim; plures enim cum Regina feminæ ad huiusmodi mercimonia admissæ; nec verisimile Reginam vnam, tractasse mercem manibus veneno infectam; sed cùm plura ad faciendam fidem conuenerint, vnguentarius & ille Italus, & famosus improbis moribus, improuisus morbus; tributum est toxico quod naturæ fuit. Quasi humano corpori ab humoribus suis vitus desit. Ea mente dilatæ nuptiæ, datumque spatium ad prædam omnem adigendam in retia. In vno Admiralio operæ pretium erat, qui Regem quidem semel bisque inuiserat, sed Parisios ingredi, amplam illam populosissimam, infensam Hugonottis, & sibi ipsi præ cæteris ciuitatem, non inducebat in animum; & timorem æquum promouerant tum arcanum quoddam naturæ præsagium; tum multæ admonentium litteræ, tam à Francis scriptæ quàm ab externis, sibi omnino caueret, nec salutem furentis populi potestati inconsultò permitteret. Sic hærentem & tergiuersantem, amicissimis litteris & securitatis obsidibus per Cauanium Rex arcessit, tum per Briquemautium Seniorem, qui discessum vrget, affirmatque hærere bellum ipsius absentiâ; postremò per Ludouicum Nassouium, Noüam, Ienlisium, & Saucurium; quibus data viginti nummorum millia, ad occupandas per clandestina consilia Belgij vrbes; euenitque felicitor, vt Ludouicus Montes interceperit, Valencenas Noüa; quo demùm facinore non dubius Admiralius quin bellum flagraret, absterso metu, magno Comitatu Parisios venit. Nec multò post consequuti sunt Principes, Henricus iam Nauarræ Rex & Condæus; vltrò nobilibus & Hugonottorum capitibus in perniciem certam confluentibus. Iamque præda omnis in casses conuenerat, cùm duo moram consilio faciunt; alterum dum Guisius selectas operas ad cædem comparat; alterum dum copiæ quas in Belgium Ienlisius ducebat quatuor peditum millia & ducenti equites ab Albano opprimerentur; quod vtrumque confectum est; victus ab Albano Ienlisius atque profligatus, & parati à Guisio percussores. Ita Augusti decimo septimo fatales nuptiæ celebrantur; in propylæo maioris ædis Parisiensis erecto pegmate, præside Cardinale Borbonio perfectum est Sacramentum; dehinc sponsa cum Catholicis in ædem inducta, ad obeunda missæ solemnia; Nauarræ Rex cum Hugonottis in proximas Episcopi ædes diuertit, dum sacra conficiuntur, epulo in ipsis ædibus instructo: quatriduum impensum choreis, conuiuiis, ac certaminibus ludicris; iamque ad tragœdiam parato choragio instructisque actoribus; de agendi modo deliberatum est. Reginæ voluntate constituitur, vt Guisius adornato sicario Admiralium cæderet, tum eo cæso cæteri haud ægrè impetu plebis ciuitate tota mactarentur. Idque Reginæ vehementer placuit; siue vt Guisium in discrimen adduceret, tota Colinij & Mommorancij factione in vindictam Admiralij ruitura; siue, quod mihi verosimilius, facti infamiam vti à se ipsoque Rege amoueret. Adornatur itaque

Cauagnes.

Ienlù & Saucour.

CAROLVS IX.

Admiralius laditur.

Louverius, idem qui Movyum per insidias Niortij occiderat, admittiturque in ædes Ville-murij; qui quondam Guisij præceptor fuerat; ad quas Admiralius Luparâ rediens, seque hospitio recipiens, incedebat. Nec facinus mora longior distulit; lento passu ingredientem, & scriptum quodpiam perlegentem, sclopeto explosso Louverius tribus glandibus ferit; & aberrante ictu quò destinabatur, manum dextram dumtaxat abscisso indice, & lævum brachium graui plagâ sauciat. Ille immotus, digito ædes vnde erupissent insidiæ commonstrat, ad Regem mittit qui factum docerent; tum innixus domestico ad hospitium secedit. Attentata cæde non patrata, consilij ratio turbabatur, & quamquam Guisiis in suspicionem vocatis, attamen nec in eos irrumpebant cæteri Hugonotti, nec à Regina cogitata dissensio oriebatur. Quamobrem dum effervescerent odia, fuit Regi in simulatione perstandum: quo ille munere functus egregiè, Navarro & Condæo expostulantibus affirmat se flagitium acerbissimè vindicaturum, palam dolorem & vehementem iracundiam exhibet, reis sceleris quicumque illi sint, minas intentat sævissimis verbis; ac iubet cives capere arma ad tumultum, si quis exurgeret opprimendum; nobilesque Hugonottos in vicum Admiralij cunctos diuertere, vt saluti tam cari capitis inuigilarent. Imò saucium inuisit humaniter, amicissimis verbis solatium facit, eoque audito remotis arbitris, quod Reginæ spectanti suspicioni, & metui fuit, regreditur Luparam. At Hugonotti fremere & indignari summoperè, atque ardere vindicandi cupidine; sed clàm auctor erat, nec tutum Guisios palam in ciuitate tam amica impetere: idcò plerique suadebant, vt Admiralius extra vrbem in securum locum deferretur, cæteri omnes abscederent, periculo certo sese eriperent, tunc de communi re tranquillioribus animis consuleretur. Et ducibus in cubiculum Admiralij conuenientibus, ita censuerat Vidamus Carnutensis; demonstrans quanto in discrimine versarentur; sibíque certissimum vrbe egredi proximo die, & cùm adhuc liceat reti erumpere. Ea Reginæ nunciata, quæ Tuilleriis agebat, propositam cædem festinarunt; & extemplo conuocato secretiori consilio, statuitur vt ea ipsa nocte Hugonotti cædantur, tum Nobiles qui sequuti Admiralium erant, tum cives, iuxta nomina antè recensita: tum deliberatum de Navarri & Condæi vita; ac de Navarro, facile assensum, vt incolumis foret; Regia affinitas, patris memoria, ipsius humanitas atque indoles cunctis accepta, fuerunt saluti; de Condæo ægerrimè conuentum vt parceretur; dura atque aspera Principis natura aggrauante odia patris & offensionem; vixque salus Nivernensis Sororij precibus data est: quibus constitutis deducendæ & patrandæ cædis prouinciam Guisius suscepit, tum futurus vindex paterni exitij, tum eo facinore Catholicorum beneuolentiam & quodammodo nouum imperium sibi paraturus, ac suo nomini.

III.

Cædes Sancti Bartolomæi. Anno 1573.

Conuenerat vti primo diluculo, quo dies sancto Bartholomæo festus inciperet, pulsata palatij publici maiore campana, cædes patraretur; & eam in rem Guisius Prætorianum militem tum è cohortibus Francicis, tum ex Helveticis ad Luparam & Admiralij ædes locauerat, tum Charronus

ronus Mercatorum Præpositus civem armatum in vrbis palatium conuocauerat; quorum illi Nobiles, ij civem mactarent. Sed Regina occupans definitum tempus, aliquo post mediam noctem spatio, iubet pulsari signum in sancti Germani æde, vt similiter in palatio pulsaretur. Statim cædis initium ab Admiralio factum, vt qui rebellionis signifer, & hæresis pertinacissimæ caput & promotor fuisset, idem ad pœnam præiret cæteris. Guisius cum equite Enculismensi ac Prætorianorum centurionibus postquam in ædes eius irrupit, in atrio hærer, dum cæteri scalas scandunt, & in Admiralij conclaue inuadunt; eorum Dux Cossinus, à Rege ad ipsius custodiam designatus, Corboranus, Cardillacus, Sarlabosius, Petrucius Senensis, & Besma Germanus. Ad strepitum irrumpentium Admiralius surrexerat stratis, & toga tectus domestica, stans vt morereturr, innitebatur parieti, cum à Besma primùm punctim in aluo, tum in ore cæsum percutitur; mox ab cæteris promiscuè irruentibus obtruncatur; statimque cadauer per fenestras in atrium subiectum à Besma & Sarlabosio proiicitur. Id iubebat operiens in atrio Guisius cum Inculismensi, qui attentè perspecto cæsi vultu, postquam strophiolo cruorem Inculismensis absterserit, impleta vltione pergit ad cætera. At Admiralij pœna vltra ipsam vitam, in cadaver prorogata est horribiliter. Nam primùm avulsum à trunco caput ad Catharinam defertur, tum plebs in ædes irruens, furorem conceptum in cadauer miserandum effundit; & repetitis tum spatiis tum diebus, omne opprobrij & lanienæ genus in artus orbatos sensu expromit. Eo momento manus & pudenda ferro demetit, proiecto in sterquilinium trunco; tum sequenti die eadem plebs rursum miserabiles trunci reliquias raptans triduum per cœnum discurrendo per vicos fune vinctas trahit, deinde in amnem proximum mergit; mox cadauer iterum raptum Monfalconem defert, furcis appendit, ignem subiicit, quo artus tosti non absumpti; & pependit abominandum spectaculum, donec cæca nocte detractum à Mommorantio, humo conditum est deformatum cadauer; elementis singulis in pœnam vocatis. Magnâ quidem plebis furentis insania; sed iusto Dei iudicio, tot Sacerdotum cædem atque Templorum ruinam plectentis; præter sua supplicia quæ animæ irrogata, latuerunt mortales. Ab Admiralij cæde festinatur ad alias; atque statim Nobiles, qui Guisij prouincia erant, corripit furor. Ii tum in Lupara, tum in vicis proximis hospitantes, involuuntur nullo negotio ac mactantur. Calamitates singulorum percurrere vt nec instituti mei, nec otij est, sic illustriores prætermittere nefas. Rupifocaldius Regi gratissimus, primus post Admiralium cæsus est; Telinius gener, oris amabilitate & suavitate sermonis, semel atque iterum percussoribus mitigatis, ab tertiis tandem confoditur; Clermontius Renellus nudus & cubiculo prorumpens, inter plebis irruentis turbam, amnem navigiolo traiiciens, perimitur à Bussi Amboso patruele; quicum litigabat. Brionius octogenarius, Principis Contij moderator atque institutor, inter alumni sui vberrimos fletus, tenellulas manus ad tegendum senem frustra obtendentis, occiditur; à Glasio Lauerdinus perimitur; Franciscus Nonpar Caumontius, ducta Maria Forcia, cum maiore filio

CAROLVS IX.

Admiralij cades.

Cossæins.

De Nonpar Caumont. De la Force.

CAROLVS IX.

obtruncatur in lectulo; filio altero qui annum decimum tertium delibabat, inter patris fratrisque vulnera, cùm crederetur cæsus, incolumis delituit sub eorum cadaueribus, donec sub vesperam ad Bironium profugit; isque est Forcia qui ætate nostra Marescallus, vitam annis pluribus factisque produxit. Plures per Vrbem sparsi mactati sunt; atque in ipsam Lupparam peruasit cædentium furor; Nauarri domesticis strage implicitis; ij spoliati armis, & è cubiculis extracti, ad intimas palatij fores abducti, obtruncantur singuli, Regis fidem & misericordiam appellantes; in iis Pilesius, Pardalanius, Martinus Bursius; ac Beluorius Nauarri pueri gubernator, podagrâ decumbens in lectulo, & in eo cæsi plures. In sancti Germani suburbio hospitabantur Rohanius, Caumontius Forciæ patruus, Vidamus Carnutensis, Mongommerius, Nocla, Segurius, alter Pardalianus, aliique, quos fors melior stragi eripuit; Maugironio assignati erant obtruncandi, sed imparatis stipatoribus, excitati vrbis fremitu è stratis miseri, iamque impetiti à militibus amnem transmittentibus, quam celerrimè in equos inuolant, plures sine ocreis, haud pauci solis dumtaxat caligis linteati; & sequenti cum equitibus Guisio sese proripiunt. Sic multiplici strage quingenti nobiles, capitum instar vilissimorum in somno & trepidatione contrucidati sunt. Verùm in publico furore vnius viri non prætermittenda est generositas: is Vesinus Cadurcus atque Catholicus, grauibus inimicitiis in Renierum Hugonottum susceptis; vterque in Cadurcis suarum partium duces erant, & à publica causa in priuatum transgressi odium, sic mutuis iniuriis exacerbauerant animos, vt nihil optarent vehementiùs quam necem æmuli. Regis mandato festinabat in Cadurcos Vesinus ea ipsa nocte qua strages edita; & ipse natura asper & intractabilis, præclaram occasionem inimici mactandi nouo modo vsurpat. Viam capessens, ad ipsius ædes primùm tendit, turbam militum effringentium fores aliquantulùm inhibet, tum ipse stipantibus duobus domesticis, in Renieri cubiculum irrumpit, & stricto gladio, parmâ prætensâ, oculisque fulmineis, inimicum prouolutum in genua ad exorandam misericordiam, iubet consurgere, & ponè se ire. Obsequutus Renierus, & ad certam mortem sequutus iubentem, equo ad fores instructo imponitur, atque in patriam modicis itineribus ab Vesino deducitur, per illud centum leucarum spatium obmutescente; donec peruentum ad Renieri domum, ad cuius fores consistens; soluto tandem pertinace silentio, saluum esse æmulum atque incolumem iubet; se prohibitum à cæde, tum honoris sui & & gloriæ causâ, tum ob conceptam de æmuli fortitudine opinionem; nunc fas esse in securitatem liberam vindicato priores inimicitias persequi, seque expeditum in certamen si vellet. Ad eas voces Reniero pugnam recusante, & se victum generositate tanta profitente; Vesinus cùm affirmaret sibi perinde esse inimicus aut amicus foret, reputaret ille per otium, vtrum sibi placeret, impulso equo hosti admiranti sese eripuit; egregiâ reportatâ victoriâ, & vindictâ toto illo itinere domitâ, laudatissimo facinore, cùm inimicum odisset simul atque seruaret.

Beauuoir.

Vesini facinus.

IV.

Ciuium cædes.

Verùm ipsa nocte dum in nobiles Guisius sæuit plebs inflammata in Hugono

Hugonottum ciuem irruebat; Mompenserius, Niuernensis, atque Tauanius zelo religionis Catholicæ, & immenso in Hugonotticum furorem odio, primas excito populo flammas subiecerunt, deinde sufficiente ad omnem immanitatem populi impetu, Niuernensis vocatus ad Reginam secesserat. Et verò per dies tres continuatos noctibus lanienam horribilem tota vrbe sexaginta hominum millia, soluta in licentiam omnem insania, impunè perpetrant: passim aures percellunt, fremitus mactantium, pereuntium gemitus & sclopetorum explosio; effringuntur fores ac fenestræ; ædes inflammantur; miseri in lectis, in scalis, in vicis circunstante turba confodiuntur; è fenestris in pilorum & sarissarum cuspides proiiciuntur, torrentur crepitante circum incendio, plagis pluribus saucij amne merguntur; truncati membris & viua etiamnum cadauera per cœnum raptantur; infantes in cunis, in parentum gremio liberi, in amplexu mutuo coniuges, nullo humanitatis sensu, crudelissimè è viuentium numero exturbantur. In amnem riui sanguinei deducuntur, vici sternuntur cadaueribus, ea in foris areisque publicis extruuntur in cumulos; vno verbo, sexcentæ domus qua direptæ sunt, qua incensæ, & quater mille homines interfecti. In his memorantur Lomenius scriba Regius, Petrus Placia primarius in Curia vectigalium præses, Terrierus clarus Causidicus, Magdalena Brissoneta Cardinalis Brissoneti neptis, Petrus Ramus ab æmulo Carpentario sicariis submissis mactatus; Dionysius Lambinus antistes ille humanioris litteraturæ, metu similis mortis extinctus est. Duo præcipui furentium Antesignani, Pesonius lanius, & Croisierus auri ductilis artifex; quorum ille centum quinquaginta vna nocte mactauit; hic brachium ostentans, sæpe iactauit se quadringentis vitam ademisse. Imo plures Catholici ab inimicis priuatis inuoluti sunt publico odio, & pro Hugonottis occisi; quales Guillelmus Bertrandi, Bertrandi Cardinalis filius, Rouillardus in Parlamento Senator, & Petrus Salseda. Regem interea varij & diuersi stimuli agitabant. Edito cædis iusso, dum se conscij comparant, animo æstuare, proximæ calamitatis stragem perpendere, atque propemodùm in misericordiam reuocari: quod Reginæ postquam nuntiatum, extemplò comitantibus Andegauensi, Niuernensi, Tauanio, Rhetio, & Birago, properat ad dubitantem, animumque sollicitè ad perficienda incepta confirmat. *Admiralij vulnere factionem totam inflammatam; Impendere grauissimum bellum, si liberi abeant; in Germania, Anglia, atque Heluetia haberi delectus; Catholicos ipsos arma sumpturos, & sibi ducem auctoritate sua electuros, qui pessundet Regiam maiestatem, suoque arbitrio bellum gerat.* Ad ea Procerum accedentibus calculis, Rex exequi quæ mandauerat iubet: sed rursum in contrarium sensum abripitur. Adstabat cum matre & fratre in cubiculo, quod areæ Luparæ imminet ad spectandam cædem; cùm ad sonitum sclopi breuioris explosi, quodam metu absterritus, nobilem ad Guisium mittit, qui iuberet abstinere à cæde, atque domum facessere, at Nobili renunciante, iam cæsum Admiralium, nec frænari posse Parisiensium impetum, reuoluitur in susceptum consilium. Die qui luctuosam noctem

CAROLVS IX.

De la Place.

Peson & Croisier.

Regis sensus, & cædium finis.

CAROLVS IX.

consequebatur, Navarrum & Condæum in cubiculum suum arcessit; *quæ ipsi vidissent suo iussu patrata asserit; vsum eo remedio ad ciuilia bella opprimenda: ad eos quod spectaret, iustam esse materiam odij & vindictæ, quod se duces factionis deterrima præbuissent; attamen ea affinitati & sanguini dari, modò mores & vitam mutarent, atque Catholicam religionem amplecterentur, viderent sibi vt ea in re obsequerentur, alioqui ad ea ferenda quæ passi essent domestici, se pararent.* Ad eas fulminantis voces, & oculorum minacium fulgura repetita Navarrus suppliciter respõdet, rogare se Regem vt vita & cõscientia illibatæ sint, in cæteris omnibus futuros se obsequentes. At Condæus paulò audaciùs, quàm calamitas præsens exposceret, dat responsum; bona & vitam esse in Regis potestate, Religionis vnum Deum tam dominum esse quam auctorem: ob quæ dicta, ita vehementissima Rex excandescens, Condæum acerbissimis ac contumeliosissimis verbis increpitum, haberi in custodia cum Navarro iussit, minitans atrociter elidendas fauces contumaci, nisi triduo proximo à pertinaci sensu deficeret. Decurso triduo, cùm Senatores quidam Parisienses Regem admonerent, quo in periculo res publica versaretur, si diutiùs plebi insanæ fas esset furere, is per præconem iubet arma deponi, ac plebem in sua tecta discedere. Ita summus ille furor coërcitus, quamquam diebus proximis plures, vel cæsi sunt, vel in carcerem rapti. Imo in æstu insaniæ, vita non paucis ab inimicis ipsis condonata est; Rex Grammontium, Durasium, Gamachium, & Buccananium seruat; Guisius plus centum periculo eripit, in quibus Briquemantius iunior; Acierius ab fratre Duce Vzetiensi seruatur; Vicecomites Paulinus & Monclarus à Villarsio, Bellievrius pluribus saluti fuit. Mommorancios fratres, in discrimen vocatos Marescalli absentia, vt creditum est, fecit incolumes; Cossæus precibus Castronovæ datus est, quæ forma corporis commendata erat Andegavensi; Biro salutem fortitudini suæ debuit, qui in armamentarium se se recipiens, tormenta in vrbem disposuit, ad frangendos primos furoris impetus: sorte vt plerumque fit distinguente reos à miseris; nec Rex qui nutauerat in cæde imperanda, firmior fuit post eam confectam, nam primò ad prouinciarum Prætores scripserat, eam cædem populari tumultu patratam; mox Guisiis instantibus, vt probaret ipse quod reverà mandauerat, in idque assentientibus tam Reginâ quam Orthodoxis Principibus; nouis litteris certiores facit Gubernatores, stragem Parisiensem suo iussu factam, ad opprimendam horribilem coniurationem, quam Admiralius cæterique conscij iniuerant, ad Regiam familiam extinguendam; eamque in rem in Senatum venit; imperatque in mortuos litem de conspiratione in Regem instrui.

V. *Cædes in prouinciis reliquis.*

Sed non vna Parisiensium strage concluſa est cædes, per plurimas vrbes grassata est, pronâ ad tumultum vbi impunè furere licet plebe promiscuâ. Rex quidem edictum palam proposuerat, quo canebatur Hugonottorum saluti, modò se in domibus continerent, nihil noui molientes; sed arcanis litteris iussi erant Prætores ad Parisiensium exemplum pernicioſam luem exscindere. Idque factum vel prætermissum est, iuxta Prætorum sensum, vel alterutri partium addictorum, vel in clementiam sævitiamve

procli

proclivium. Meldis ducenti interempti sunt ; Trecis totidem ; Aureliæ plus mille ; ad Bituricenses, Niverneuses, & Charitatis incolas propagatum exemplum. Tolosæ inter alios, quinque Senatores cum purpureis togis affixi patibulo ; Burdegalæ tardius decursum ad cædem, sed mora deinceps repensa est grauitate. Lugduni magna asperitate sæuitum, in quam vrbem plerumque colluvies externarum Gentium conuenit ; & quidem Mandelotius Gubernator, quamquam addictus Guisiis à cæde abhorrens, ad nuntium Parisiensis tumultus, optimates Hugonottorum in carcerem miserat, eos insaniæ populi subrepturus ; sed Petro Auxerra Regio Procuratore, qui ab Aula recens aderat, facem animis subiiciente, erupit carceribus popularis furor ; statimque effracto carcere quo se tutos rebantur miseri, cunctos partim mactant, partim strangulant, partim amne mergunt, partim in membra discerpunt ; ij propemodum octingenti erant ; tum per cæteram vrbem calamitas sparsa, reliquias cæde atque incendio perdit. Sic per eas in prouinciis cædes, sublata viginti quinque hominum millia. In proximis Lugduno prouinciis temperatum est à cædibus : In Phocensi prouincia Tendius Gomes, in Hugonottos pronior ; Damuilla in Occitania, in Delfinatibus Gordeus, in Burgundia Chabotius, Santeranius in Aruernia, Matisconе Guicha, Baionæ Ortensis Vicecomes, plebem continuerunt, nullo sanguine, aut raro admodum fuso. Interea lis in Admiralium instructebatur, & adigebantur ad amplectendam religionem auitam Navarrus & Condæus. Nec ille præbebat se difficiliorem ; at hic animo in voluntatem Regis obdurato, perstabat in sententia ; à Rege arcessitus, & seuerissimis minis perterritus, simulata persuasione in Catholicam religionem transiit, cum Navarro ; Cardinale Borbonio vtriusque abiurationem admittente. Mox lite in Admiralium instructa, Senatus decreto læsæ maiestatis reus dictus est ac damnatus, pœna tanti sceleris in ipsius effigiem vt constitutum erat impleta. Additi simulacro socij duo ipsi in viuis, Arnaldus Cavagnius, & Briquemautius parer, rogatus ille, hic sagatus ; qui veluti coniurationis participes, eidem supplicio addicti sunt. Eáque est cædes Hugonottorum, tam multis hæreticorum scriptis impetita, & Catholicorum apologiis propugnata ; quæ vt Romæ atque in Hispania immensis laudibus celebrata ; ita in Germania, Anglia atque Helvetiæ parte, querelis & accusationibus, tam lacessita, quàm lamentis flebilibus deplorata ; eadem ambigui apud posteros sensus ; vi & occulta cæde à Francorum indole multum alienis ; maximè cum per insidias spargitur cruor. Sanè honestiùs atque vtiliùs post pugnam Moncontурianam Hugonottorum reliquiæ aperta vi excindi poterant, si victores hæsissent fugientibus, & respirandi spatium ademissent, modò ex euentu constabit, & renascente iterum bello, molitionem tantam frustrà susceptam, & contractam apud plures leui fructu infamiam. Imò tunc perculsis instandum fuerat, promptóque exercitu Rupellam & Montalbanum, quæ duæ ciuitates profugos tuebantur, expugnare oportuit ; verùm edictis mollioribus Rex acerbissimũ vulnus exulcerauit potiùs quàm sanauit, nouum bellum in cunis atque in semine oppressurus, quod indulgentia intempestiua aluit, donec erumperet.

CAROLVS IX.

Mandelot.

S. Eran. La Guiche.

CAROLVS IX.

erumperet. Idque attributum Rhetio & Birago Reginæ Consiliariis, qui texendis consiliis quàm bello meliores, abhorrebant ab ea re qua non excellerent; & Regina ipsa arma abiiciebat, in quibus plus aleæ atque arbitrij alieni; attamen frustra efferatos tot cædibus animos rursum sperabat venturos in retia; bellumque quod inferre voluerat, ferre & repellere tandem adigitur.

VI. *Quartum in Hugonottos bellum.*

Etenim Hugonotti in proximas vrbes, Rupellam, Montalbanum, Sancerram, Nemausum; ex prouinciis singulis plures profugerant; alij in Germaniam, Angliam, Geneuam, & ad Heluetios; quidam rure in Castris tum sua tum amicorum ope tecti & defensi, illæsi perstiterant; qui omnes postquam ex metu & trepidatione colligunt animos; primo timore in vindictæ rabiem exurgente, bellum & quidem atrocissimum mouent; si perituri, honestè saltem & militum more, non pecudum. Princeps arma mouit in Cadurcis ille Renierus à Vesino seruatus, qui viginti quinque equitibus dumtaxat stipatus, cùm ducentos in fugam egisset, & Montalbanis excitauit fiduciam, & cæteris nobilibus spem erexit. Eum æmulati protinus in Occitania Hugonotti, in Rutenis, Albigensibus, & Fuxiensibus, plurimas arces, munitas vrbes occupant; & caput Rupella munimentis sollicitè instauratis, ac commeatu omnis generis collecto, pacis voces & conditiones longè auersatur. Sic repente bellum, cum extinctum putatur nascitur, odijsque maioribus ex sociorum cineribus exurgit factio. Quamobrem Rex oppugnandam Sancerram Castrio assignat, Danuillæ vrbes Occitaniæ subigendas, Villarsio Admiralio Aquitaniæ prouincias; Rupella exercitus Regij expeditio fit: Verùm antea Reginæ visum est opportunum, aggredi an oblatis conditionibus commodis eam vrbem à reliquis posset auellere; offert Rupellanis religionis suæ incolumitatem, omnes immunitates confirmat, vnum flagitat, vti à Rege Gubernatorem admittant; eúmque Bironium dicit, quem gratum Hugonottis nollet. At cùm illi Bironem respuerent, quasi donum ab hoste profectum, nec fidem vllam dictis habendam censerent, quæ nuper Admiralio fraudi & neci fuerant; vix tandem impulsi sunt vt Noüam submissum à Rege in ducem acciperent; salua Consulis & Optimatum ciuium auctoritate. Et Noüam Regina miserat cum Abbate Gadanio, futurum vrbis præfectum, haud modicâ pacis spe conceptâ, si viro quamquam Hugonotto, prudenti tamen & à motibus rebellium alieno, traderetur administratio vrbis; quam pernegabant Rupellenses, diu virum ludificati, quasi corruptum aulicis donis atque pollicitis; nec subire intra vrbem passi sunt, nisi vel omninò priuatus ageret, vel publicis armis præficeretur; quam postremam conditionem auctore Gadanio admisit; gessitque præfecturam armorum, admirabili fortitudinis & prudentiæ temperamento, primus atque intrepidus belli munera fide summa obiens, idémque in consiliis ciuem pro facultate moderans, atque in pacem inflectens Regiumque obsequium; ideò vtrique partium, quod rarissimum gratus; Rupellanis vnum arguentibus, quod audaciùs in pericula rueret, Rege de pace irrita haud expostulante,

La Chastre.

La Noue.

De Gadagnes.

postulante, fide & sinceritate mentis explorata. Igitur abiecta spe vrbis conciliandæ, dum ad eam expugnandam validus exercitus apparatur, à Birone & Stroſſio, interceptis aditibus, commeatus omnis excluditur. Est Rupella ciuitas in Pictonibus, in lato colliculo posita, molli ad portum cliuo, in quem plurimi riui è proximis agris confluentes, excipiunt Oceanum statis æstibus per canalem amplum bis diebus singulis influentem; isque portus est Europâ totâ celeberrimus atque tutissimus; alueo maris quà in latum patet mille & ducentos passus amplectente, bis mille, quà porrigitur in longitudinem. Munimenta circa muros plura ciues erexerant, singula quidem opportuna & commoda; sed à pluribus temporibúsque variis posita, minus inter se ad Machinatorum normam artísque canones conueniebant; præsidium mille armati conflabant, in quibus ducenti Nobiles; ciues bis mille facti ad militaria munia; & quinquaginta Ministri, verborum facibus atque aculeis instigaturi militum animos: murorum ambitum tormenta eingebant inæqualis magnitudinis plurima; commeatus, præter vina & salitos pisces, quorum magna copia, non abundè erat; mentium obstinatione futura pro cibariis atque commeatu. Ad eam vrbem post primam hyemem magnus exercitus admouetur, ineunte Februario; summo Duce Andegauensi, venerantque cum eo Proceres, Alensonius frater, Duces Mompenserius, filius Delphinus, Longauilla, Aumalius, Guisius, Niuernensis, Bullonius, Maynius, Rhetius, Monlucius ductoresque ordinum fama clari; imò simul in castra adducti Nauarræ Rex, Condæus Princeps, & Cossæus, vt Rupellanis detractam ab iis spem & recisa subsidia ostentarent. Antequam ad oppugnationem veniretur, præluſum est colloquiis; Birone & Gadanio prima consiliorum fila texentibus; & Noüa contentionem omnem adhibebat, vt Rupellani pacem admitterent, sed eam obduratis ciuibus aspernantibus, Andegauensis nouis tormentorum vocibus intonat, murumque acerrimè verberat. Nondum tamen spes concordiæ absumpta erat, quandiu Noüa in vrbe ageret; nam ille tum erumpendo frequentiùs, Ducis munus implebat egregiè, tum in consiliis ciuem sermonibus atque omni industria incitabat ad pacem; nec fuisset frustra tanta contentio, nisi Ministrorum effrenis audacia, & turbulentissimæ conciones, abrupissent omnem concordiam, rebellionis incendio ad furorem aucto. Nec prætermittenda Noüæ insignis patientia, quam in viro militari & pietate vera destituto, nemo non miretur. Cùm enim in consilio ciues pluribus ad obsequium Regis esset adhortatus, egredientem Minister annis iam grauis & iracundia insanus aggreditur, perque vicos plures contumelioſis verbis increpitum, quasi proditorem, tum demùm ad hospitij fores respondenti modestè colaphum infringit; ad eam contumeliam insurgunt in Ministrum Nobiles, confossuri meritò, nisi ipse Noüa interceſſisset, Ministrumque liberum misisset ad coniugem, rogans vt virum suum curaret, atque custodiret. Ille igitur postquam oleum operamque in mitigandis ciuibus perdidit, nec obtigit mors quam cupidè inter erumpendum per pugnantium tela quæsierat, ne Regi datæque fidei deforet, factâ eruptione in castra

CAROLVS IX.

Rupella obsidio.

Anno 1573.

Noüa, laus, & secessus.

CAROLVS IX. VII.

obsidentium transiit comitantibus haud paucis Nobilibus, & Centurionibus, quibus proteruja ciuium intolerabilis erat.

Continuata obsidio.

Noüæ absentia vt primùm Rupellani commoti sunt atque abstertiti, ita extemplò Ministrorum audaciâ confirmati. Hi prætensâ lætitiâ gratulati, quod emissus foret domesticus proditor, facta præsenti spe subsidij Anglici, ad quod euocandum iam diù profectus Mongommerius erat, incendunt ad pertinaciam animos; eo furoris prouecti, vt captis hostibus parci vetarent, & plectendos Saülis instar, qui Amalecitis vitam condonarent; nam Catholicos ea compellabant appellatione. Præterea Iacobus Henricus Consul primarius, vir seditiosus, & belli tubicen, lætus mirificè Noüæ defectione vniuersum imperium in se confluere, rebellionem alebat, magnum aliquid patraturus, & nomen sibi pertinaciâ quæsiturus. Ideò Andegauensis totus ad vim versus, solo salóque expugnationem intentat: iam propugnacula multa ad canalis fauces erexerat, tum intercludere canalem ipsum aggreditur. Passu ab vrbe octingentesimo transuersas naues in alueum mergit, catenis ferreis & rudentibus validis simul vinctas: deinde ne magnis æstibus cymbæ leuiores eos carceres prætergrederentur, nauium demersarum malis, transuersos malos firmè adstringit annulis ferreis; quæ tota moles subsidentibus aquis subsideret, eademque tumescente fluctu attolleretur. Addita super ad propugnandam molem noua moles, & in vndis arx posita; scilicet ad oram, nauis oneraria fluctu mersa, & in modum terrei aggeris humo & saxis oppleta, cui tormenta sex imposita, & sclopetarij assignati, ad verberandam vrbem, molémque tutandam. Deinde muri tormentorum glandibus fulminati, tam crebris ictibus, vt tres intra hebdomadas, globorum emissa sint tredecim millia. Simul intendebatur cuniculis, ad eruenda vrbis propugnacula, & aperiendam ruinam. Deiecta ampla muri parte, qui pertinebat,

De Cognes. à Fonte veteri ad portam Coniacam, & propugnaculo Euangelij saxis spoliato, impressionem Andegauensis instituit. Adornauerat machinam qua per fossam miles tutus incederet; pontem scilicet, octo pedes latum,

Fer blanc. longum centum ac viginti, ex materia leui, molli ferro tecta ad ferendos ignes, rotis opportunis ad motum facilem vecta. Eo ponte ad labem appulsi ducenti milites, scutis tecti fortiter dimicant, sed per occultas ad fossam ipsam cryptas ciue fulminante, repelluntur strage haud modica.

Casemates. Quapropter nouo labore fossam aperire & exhaurire oportuit; tum Cossino & Goæ datum munus aggressionis, lectíque eam in rem milites; verùm rationem bene constitutam, contutbauit aggredientium impetus; Guisius, Maynius, Inculismensis, & Nobiles adolescentes, iniussi omnes irrumpunt cum milite, irruuntque in fossam maiori audaciâ quàm prudentiâ; eam ob rem repelluntur similiter, cæsis trecentis, ac Guisio ægrè seruato. Quinquies diebus diuersis tentata in ruinam factam irruptio, repulsa toties visque infracta; propugnantium admirabili fortitudine & arrumnis assiduis, quippe sine intermissione irrumpebant in hostium castra, in munimenta, in aggeres, in septum nauium: ad ruinam muri extemplò munimentum firmius exurgebat; in repellendis impressionibus militum

militum labor & contentio indefessa erat; quæ illis adeo vulgaris laus fuit, vt in eius partem etiam feminæ ipsæ admissæ sint. Quippe adiungebant se pugnantibus, atque intrepidæ non tantùm intra sexus modum contendebant, subueniendo sauciis, vinum fessis & opportuna subministrando, sed virilia etiam vsurpantes munia, omni telorum genere præliabantur ad labem, ignitis circulis ac virgultis, saxis, trabibus, vndis feruentibus, atque adeò ferro & sclopetis: tanta vis à religione vel etiam falsa in animos manat. Et alebat rebellium obstinationem à Mongommerio spes concepta. Ille in Angliam profectus, in quam plerique Hugonotti elapsi ex proxima cæde confugerant, quamquam Elisabetha Regina negante subsidia, tamen priuata opera classem instruxerat, nauium sexaginta, in quibus decem magnæ Anglicæ, reliquæ exiliores ab Rupella ipsa dimissæ ad flagitandum auxilium, impositis bis mille hominibus soluit ab Anglia, & ventis ad Rupellam proiectus, cùm classem regiam quamvis numero nauium inferiorem, propugnantium numero superiorem inspiceret, atque ab Rupellanis admoneretur nihil aleæ permitteret, retrò cursum vertit, atque Bellinsulam, Britonum oræ obiectam capta arce inuadit. Quam tamen postea Mompenserio Duce armante Britones, ac Rhesio cum duodecim nauibus accedente, totam deprædatus deseruit, reuersurus in Angliam. At Andegauensis depulso Mongommerio, maiori spe obtinendæ vrbis, propugnacula diruere aggressus cuniculis, & acceptis in supplementum Helvetiorum sex millibus, per singula elementa in ruinam vrbis contendebat. Sæpius in præsenti periculo versatus, semel Vinsij, domestici vt vocant scutiferi, fide & fortitudine lethi faucibus est ereptus; ingressus cuniculum lustrabat locum oculis, cum ab oppositio cuniculo ab milite Hugonotto agnitus, explosi sclopi glande appetitur, cadebatque haud dubiè, nisi Vinsius detecto igne funis, quo emittenda glans erat, Principem obiecto corpore defendisset, & vicariam pro domino mortem subiisset, eo tamen minutioribus globulis saucio. Perfectis cuniculis atrocissima omnium tentatur impressio; atque incenso puluere cùm tartareus ille partus erupisset, ampla muri parte deiecta, ac plurimis ciuium qui connolabant ad ruinam discerptis, instituta aggressio est à Legionibus Iasi, Goæ, & Polliaci, dum Ludius ad Tadoni propugnaculum scalis applicitis ad murum euadere nititur. In muri labe pede collato per duas horas dimicatum est pugnacissimè, alternante victoria, & modo Hugonottos in subiectum aggerem, modo Catholicos in procliuem fossam detrudente. Illi nouum munimenti genus instruxerant, fumum ex alga marinisque herbis elicientes spississimum, quo tecti & securi quodammodo, per eum Vulcani tela sæuissima iaculabantur; oleum feruens in imbrem diffusum, grandinantes sclopetorum glandes & saxorum iactus, fulgurantia factitiorum ignium agmina, & minorum machinarum fulmina; quibus impugnantes tosti, obtriti, fracti, & discerpti, mille quâ cæsis, quà læsis grauiter, tandem muro deiecti sunt. Quo euentu vt demissi obsidentibus animi, sic erecti obsessis; plerumque spe infortunium deserente, & prosperitatem augente.

CAROLVS IX.

Belle-Isle.

Vins.

CAROLVS IX. VIII.

Et verò in castris militem grauia incommoda deterebant. Pabulorum & cibariorum inopia erat, pervastatâ proximâ regione, morbi plurimi quos contagium spargeret, frequentissimæ desertiones; quodque erat caput, Ducum discordia, atque in vnum consentientium, clam contendere ne vrbs caperetur. Quippe in Reginam atque Italos per quos ipsa res moderabatur, Franci proceres infensi plurimùm, nihil grauiùs metuebant, quàm vt impedimentis amotis stabiliretur imperium; rati dum staret Rupella, & factioni receptus atque asylum pateret, frenum immoderatæ potentiæ, & dominantibus metum iniici posse. Accesserantque Ducis Alensonij noua & suspecta consilia, quibus à Rege & fratre Andegauensi machinabatur deficere. Ideò in castris atque impressionibus nullus ordo; malè iussa implebantur deteriùs; rari quorum fidei Andegauensis se crederet, plures qui obsessos de consiliis certiores facerent; eratque in obsidentibus impetus, discordia, morbus, & tædium; contra in obsessis prudentia, constantia, & inconcussa malis fortitudo. Præterea in prouinciis bellum procedebat lento vestigio. Damuilla in Occitania, scriptis nouem millibus peditum, & equitibus mille, cum Nemausum aggredi debuisset, Sommeriam permodicum oppidum toto exercitu cinxit, ac post diuturnam obsidionem, cæsis Catholicorum bis mille, *in quibus* Henricus Fuxius Candalæ Comes, præclarissimus iuuenis; cepit quidem vrbem, sed copiis detritis atque inualidis, conatu nouo abstinendum fuit, & expeditio dimittenda. Villarsius in Aquitania nusquam feliciùs rem gerebat; qui post expugnata quædam oppidula, Cossadâ repulsus maiori ignominia quam clade, Valeta auctore dimisit militem, tironem plerumque & collectitium, militaribus muniis omnino imparem. Nec Rupellam arcta premebat necessitas; nam tametsi annonæ & carnium penuria foret, tamen tanta erat piscium copia, tum quos sale condierant, tum quos minutiores in ipsum littus mare deuehebat, vt alendæ tum constantiæ tum contumaciæ satis foret. Ergo ad pacem propendere inceperat Rex, eiusque occasionem collatum in fratrem Poloniæ Regnum opportunam suffecit. Quippe Legati in itinere erant; nec decebat vt Regem admotum ad vrbem conuenirent, quam obtinere toto conatu non posset. Attamen dum de pace agitur, nouas & feroces impressiones Andegauensis instaurat; effossis etiam nouis cuniculis; Guisio cum Nobilibus in propugnaculum Euangelij fortissimè euadente; sed peditibus immotis, frustra is impetus fuit; Andegauensi adeò indignante, vt sexaginta cohortes peditum missione ignominiosa exauctorauerit. Tandem postquam de conditionibus controuersis conuentum est, Rupellanis pro cæteris vrbibus, excepta Sancerra, simul pacisscentibus, soluta vrbis obsidio est, septimo mense postquam inceperat; immensis totius Franciæ sumptibus, plurimis ærumnis Nobilium, & strage militum, quorum duodecim millia, ferro ac morbo, in castris occiderant. In quibus Aumalius Dux tormento ictus periit, sclopetis nobiles Clermontalardus, Cossinus, Goas, & Poliacus, legionum tribuni: Biro in vrbem admissus est, cum feciale & tubicinibus; Andegauensis in insulam Oleronem secesserat; mox ad Regem per Britones iuit; per

Solutæ obsidio.

Sommieres.

Cossade.

Quarta pax.

Clermont. Tallard.

per vrbes singulas instar Regis exceptus. Nec erat dubium, quin si perstitisset in castris diutius, Rupellam spe externi auxilij destitutam, expugnasset tandem; sed Francis plerumque tam patientia deest, quàm abundat impetus, quódque primùm ardentissimè ambiunt, postremò leuiter & impatienter abiiciunt. Quarto illo edicto, vt vocabant pacificationis, quod promulgatum est Augusto mense, die anni vertentis quo Hugonottorum strages edita fuerat, iisdem permittebatur sua religio; Rupella, Nemausus, & Montalbanum, sancitis immunitatibus, arce & præsidio militum dicebantur liberæ, datis tantum ciuibus obsidum loco & in fidei pignus. At Sancerram beneficio pacis excluserat Rex, extremam pertinaciam extremis malis profligaturus. Eam vrbem positam in Biturigibus iam quarto mense obsidebat Chastrius, ac vi incassum adhibita, lentâ ac diuturnâ inediâ, munimentis intactis, propugnantes ipsos aggrediebatur. Et verò fames per gradus progressa, ad extremam patientiæ metam peruenerat, imò iam transilierat. Siquidem postquam obsessi, equos, mulos atque asinos veruecum instar absumpserant, mox ad canes, feles, muresque ipsos versi, nulli animalium quod duceret vitam parcitum est; deinde herbis oleribusque, ingluuies satiata; tum iis deficientibus siccas animalium pelles, quas in varios vsus artes insumpserant, detractas vsibus suis rapuerant in alimoniam miseri; chartam etiam pergamenam, tam inuolutam in codices, quam in scripta instrumenta implicitam, carptam minutim ventri ingesserant; postmodùm macerata atque perfecta, equorum frena atque ephippia, tympanorum pelles, coria cæteraque eiusmodi quæ vixissent in animalibus; quinimò exsucca ossa, cornua arida, & emissa, à brutis & hominibus stercora, quæsita diligenter, deglutiuerant auide. Plures panem ex nucum glandibus atque ardosia fissili lapide conficiebant; temperata sale & aceto massa; iisque prodigium calamitatis, quod historici scribunt, fidem facit, virginem fame mortuam, à patre ac matre in cibum voratam; eosque deprehensos dum Thyestæam illam cœnam absumerent: fame interea viceniquini in dies singulos occumbebant, perstabantque cæteri inuictâ pertinaciâ. Tandem legati Poloni ab iis appellati, quando cætera deficiebant subsidia, clementiam Regis exorarunt, ac mense septimo Chastrius discessit; permissa religione ciuibus & bonis concessis; soluendis duntaxat quadraginta librarum millibus. Attamen Ioannæus vrbis Præfectus, qui ciues ad pertinaciam tantam incenderat, noctu haud multò pòst cæsus est. Atque ipsa vrbs munimentis & muris nudata. Ita quartum ciuile bellum cœpit & desiit; magno omnium stupore; quod ea factio, truncatis capitibus, abscissis membris atque auulsis, coaluerit tamen, surrexeritque, sin minus terribilior, saltem per illam vim roborata multùm atque stabilita. Modò res postulat vt nouum Poloniæ Regem cum tota Francia consaluremus.

CAROLVS IX.

Sancerra obsidio.

Ioannæus.

Diu inter Regem & Andegauensem offensionum semina spargebantur. Vt Regum delicatissimus sensus est, quem offendit vsurpatæ potentiæ vmbra vel tenuis, Carolum haud dubiè fratris gloria & comparata auctoritas afficiebant; relata de hostibus gemina laurea, Procerum amor atque

IX.

Andegauensis Dux Rex Polonie.

CAROLVS IX.

Nobilium, Catholicorum adhærentium ſtudium, ſtipendium quod vltrò pendebant Eccleſiaſtici, Reginæque promouentis adoleſcentem felicem ambitio, Regi ſuſpicaci & tenaci regiminis haud iucunda erant. Quam tacitam offenſionem Regina perſpiciens, ne in ſpicam adoleſceret ſemen, fratres diuellere, atque Andegauenſem Franciâ cum dignitate emittere conſtituerat. Eam ob rem antè, matrimonium Reginæ Angliæ agitauerat, modò ſubiiciente Ioanne Monlucio Epiſcopo Valentino, quando ea ſpes defecerat, in nouam excitur Regni Poloniæ comparandi. Sigiſmundus Auguſtus iam annis grauior, eius regni compos, nulla prole, aut præter ſororem affine, viſus ætate ad ſepulchrum vergere, aptus creditus eſt, cui hæres tranſiturus in familiæ nomen quæreretur; miſſuſque Balanius Epiſcopi filius, qui adoleſcens in Italia equeſtribus ſtudiis imbuebatur, vt ſpecie peregrinationis honeſtæ, decursâ Germaniâ, veniret in Poloniam, Regem ſalutaret Monlucio patri amantiſſimum, & captata opportunitate Andegauenſem ob recentes palmas Europa celeberrimum in ſucceſſorem proponeret, facta ſpe ſororis in vxorem ducendæ. Et Balanius quidem profectus eſt, dum Rex & Regina de euocando in aulam Admiralio collaborabant. Deinde Sigiſmundo ſine liberis mortuo, Monlucius ipſe cupidus perficiendæ rei quam inſinuaret, contendit in Poloniam ſub ipſum tempus ſtragis Pariſienſis; Regina ſimulatè vt creditur in eum ambitum aſſentiente, quæ chariſſimum filium nullo pretio auelli à ſe pateretur. Erat Monlucio comes Baſinus procurator regius in Bleſenſi Curia, qui Latinâ ſermonis elegantiâ conueſtiret orationes Monlucij; ac primum vtrique contendendum fuit in cæde Pariſienſi excuſanda; nam facinore per vniuerſam Germaniam cum ingenti Regis Procerumque infamia peruulgato, magna ignominia redundabat in Andegauenſem, éamque rem Poloni hæretici exaggerabant in odium ambientis. Tum in ipſo ambitu contra potentiam æmulorum induſtriam vertit: Ij erant plures, Ioannes Sueciæ Rex pro Sigiſmundo filio, tunc octenni; Maximilianus Imperator pro Erneſto filio, Ioannes Moſchorum Dux, ſibi coronam illam deſpoſcebat; Poloni plurimi ſecluſis extraneis conueniebant, vti vnus è gente ſua, Rex legeretur; præterea Prutenus, Tranſiluanus, & Tartarus aſpirabant ſinguli ad eam gloriam. In tanta turba candidatorum, Monlucius rem Andegauenſi confecit. Adoleſcentia Principis, ætaſque vegeta regiminis capax, effuſæob recentes victorias laudes, immenſo vt fit locorum ſpatio adauctæ & cumulatæ, Monlucij cura & induſtria in moderandis Polonorum affectibus, verborum illecebræ à Baſino inductæ; tam peritè Nobilium animis inſinuata ſunt, vt omnium calculis præter quingentos Dux Andegauenſis Rex Poloniæ dictus ſit; erant porrò ferentium ſuffragia triginta quinque millia. Extemplò deſignantur Legati, qui in Franciam ad nouum Regem adducendum irent, iterque ſuſcipiunt, magnâ deinde pompâ excepti Pariſiis. Iamque ad fratris profectionem accuratè Rex familiam cæterumque ornatum inſtruxerat, cùm remora improuiſa molem tantam inhibet. Reginæ moleſtiſſimum erat amantiſſimum filium, vnicam ſpem, ſuæque potentiæ columen, proficiſci in remotiſſimas terras, vnde nullam opem, nullum

Balagni.

Andegauenſis mora in Francia.

nullum subsidium adipisceretur; eamque ob rem Monlucium indignanter exceperat, functum officio accuratiùs quàm ipsa cuperet. Sed re perfecta retinere filium haudquaquam poterat, quem evocaret coronæ splendor, & voluntas Regis prona emitteret, Attamen hæret in medio cursu Poloniæ Rex, & amoris anchora defigente, frustra ambitionis & metus flatibus vela implentibus, immotus subsistit. Iuvenis indole mollior, & plerumque amoribus mulierum implicatus, nuper flammam susceperat, Condææ Principissæ forma spectata; ac quanquam Condæa pudore ac castimoniâ supra ipsam formam spectabilis foret; tamen vt amor stultus atque confidens est, eùmque vana spe lactabat Guisius, Condææ sororius: ita Henricus Rex cupiditatem incenderat, vt præ amore non modò Poloniæ regnum, sed cætera orbis sceptra flocci haberet. Porrò Rex cùm amorem fratris haud nosset, tanta mora in suspicionem vocata, atque offensus arctissima ipsum inter & Guisium beneuolentia, veritus ne quid ij in suam molirentur auctoritatem, Reginæ matri significauerat, sibi eiusmodi moram intolerabilem; ac necessariò intra paucos dies, sibi aut fratri regno exeundum. Ea Regi Poloniæ cùm Catharina aperuisset, iamque seriò ad profectionem adhortaretur, animum amore insanum haud commovebat; donec per Guisium quem Cardinalis patruus palinodiam canere adegit, facta spe proximi reditus, ad iter impulsus est. Itaque Parisiis exeunte Septembri profectus, Rege & vniversa Aula deducente, iter suscipit, à se propemodùm avulsus; Rex morbo impeditus Vitriaci subsistit, Regina cum cæteris ad limites regni pergente: effusis hinc inde fletuum imbribus inter amplexus mutuos, & extremas salutationes; quamquam Reginæ à pluribus obseruata vox sit valedicentis; *Ito* (inquit) *fili, non moraberis diu.* Ita Henricus ad Coronam inuitissimus abiit, adeò humani affectus sibi invicem pugnant, nec omnibus sceptrum summa vororum est.

CAROLVS IX.

X.

Quintum in Hugonottos bellum.

Regi fratris profectio purgare suspicionem tumultuum visa, non ideò belli insaniam vel domesticæ turbæ malum amovit. Hugonotti in Occitania tumultuari antè inceperant; pacem Rupellensem repudiaverant, sive impetraturi conditiones luculentiores, sive gratiâ Legatorum Polonorum freti, sive novi belli occasionem captarent. Ij exorata conveniendi facultate, collecto cœtu primùm Milliaudi, quæ est vrbs in Rutenis, dein Montalbani, confirmata ferocia, se se ad bellum incendunt, & partiti Occitaniam in duas Præturas, quarum alteri Nemausus caput foret, Montalbanum alteri, petitiones flagitandas à Rege inserunt scriptis, quæ victorem potiùs quàm victum saperent. Illicò Occitanis Phocenses & Delphinates se adiungunt, & cuncti plura in communem vtilitatem constituunt. Dum postulata Regi proponunt, hæretque Consilium in iis admittendis aut reiiciendis, illi interea libris scriptis, administrationem Regis, leges Salicas ab condito regno stabilitas, nituntur convellere, ac maximè Catharinam, Italosque familiares impetunt. Sic bellum calamis aliquandiu geritur, donec profecto in Poloniam Henrico, & domesticis turbis Aulam agitantibus, erumpit rebellio, proditque in lucem. A Rupella & Noüa prima admota ad incendium fax. Quippe illa diuisa in partes, quarum altera

Millaud.

CAROLVS IX.

altera pacem, bellum altera amplecteretur; occasione Cœnæ in vniuersam, regionem indictæ, à Nobilibus in bellum rapitur. Eorum Dux Noüa, sive offensus quod à Rege nullam mercedem acceperat, pro fide postremo bello exhibita; sive militarium animorum more, quibus pax molestiæ est, etiam ignominiæ; hic in partes vocatis, Casa, Mirembæo, Mongvyone, & pluribus: repente inter Hilares Bachanalium epulas, Pictones, Santonesque inuadens, Lusinianum, Fontenæum, & oppida plura intercipit; tum acta in Oceanum classe Rupellani, latè toto mari prædas agunt, & mercatorum naues diripiunt, ad eorum exemplum plerique se in prouinciis commouent. In Delphinatu Mombrunus, Loriolium & Liberonem arces diruras occupat atque instaurat; in Normannia Mongommerius, Giurius, Colomberius, Danfronem & cæteras in Constantiensi agro ciuitates; Vivaresij Albenacium, & aliquot castra ad Rhodanum. Igitur ad motus tam celeres opprimendos Rex triplicem exercitum destinat; quorum in Pictones vnum Mompensierius duceret; in Delphinates & Vivaresios Delphinus filius; in Normanniam Matignonius Regis in ea prouincia Legatus. Nec illorum operæpretium magnum fuit; siue turbis familiæ Regiæ Ducum curam & animum auocantibus; siue morbo Regis in nouarum rerum expectationem erigente omnium mentes atque consilia. Mompensierius cum quatuor peditum millibus & mille ducentis equitibus, stipante plurima nobilitate, profectus in Pictones. Talmondium castrum primo capit; dein Fontenæum obsidere aggressus, postquam ab impressione repulsus est, & Noüa impendente, hæret anceps quid consilij capiat, commodùm à Regina in aulam arcessitur; inualescente ægritudine Regis. At Delphinus in Occitaniam missus non tam Hugonottis quam Damvillæ Gubernatori infestus, à bello abstinens clandestina nectebat consilia. Etenim Regina quæ dum Comestabilis in viuis ageret, Damvillam benevolentiâ prosequuta erat, cum vt Marescallo fratri æmulum opponeret; mox postquam Comestabilis morte ereptus est, ac Damvilla cum fratre se arctius strinxit, eum oderat capitaliter, eò magis quod viri indolem noramque prudentiam verebatur, quam ob rem primum Ducem Vaetiensem, priuatum Damvillæ inimicum, in Occitaniam miserat, vt eum clam interciperet positis retibus, tum cauentem sibi, ac pleraſque Occitaniæ vrbes occupantem, in obsequium vti redigeret, Villa-regium miserat, mox Martinengum, qui vel reti implicaret incautum, vel cauentem vi abduceret, aut repugnantem perimeret. Verùm cum Damvilla tam vim quam insidias sibi apprimè cauens effugisset, Martinengus litteras regis proposuit, quibus deiecto Damvilla, Delphino administratio prouinciæ tribuebatur. Res in Normannia calidius gerebantur; Matignonio Regina iniunxerat studiosè, vt Mongommerium omnino caperet; virum odiosissimum sibi, tum ob mariti Regis improuisam necem, tum ob continuam rebellionem, quam otio nullo à motibus primis interpellauerat. Agebat in Laudisano, cùm repente aduolante Matignonio circuncingitur copiis oppidum; nec ille dubius quin peteretur, Domfrontium cum triginta equitibus noctu elapsus aufugit; ad Belsiam illicò auolaturus; verùm

Anno 1574.

Loriol. & Livron.

Aubenas.

Talmond.

In Occitania.

In Normannia.

rùm ſpatio ad quietem capto, ſtatim à Matignonio rurſus involuitur, poſitiſque ad ſingulos aditus vigilibus atque cuſtodiis, fugam intercipi, ſuumque vnicè caput peti noſcit. Igitur ad defenſionem intentus, vrbem inualidam deſerit, ſeque in arcem recipit; repellitque fortiter aggreſſionem inſtructam ab hoſtibus, ducentis eorum in ruina cæſis. Id viri fortiſſimi extremum opus, & prope expirantis poſtremus halitus fuit; nam poſtea labe muri aucta & transfuga ad Matignonium milite, animo deiectus, illi ſe tradidit, ſpe ſalutis facta, non promiſſa; qui ad Reginam adductus, vltionem impleuit aliquantò poſt; damnatus vt perduellis, & in publica Pariſiorum area capite cæſus. Mox Fanum Laudi receptum, non ſine clade, Colomberio propugnatore in labe occiſo; cæteraque Normannia exacti ſunt Hugonotti, Lorgio Mongommerij filio ſimiliter capto, & patris periculum ſubituro, niſi ope vnius Catholici aufugiſſet, atque ita in prouinciis bellum lento gradu incedebat, maiore moleſtia quàm damno, dum Francia in capite laborabat.

CAROLVS IX. S Lo.

Mongommery.

XI.

Conſpiratio Procerum in Reginam.

Etenim Aula turbis domeſticis agitata, ad externa intendere minùs animum poterat. Porrò turbarum ab duce Alenſonio petendum initium. Hic Regis frater, clarus dotibus animi vitiiſque, cùm corpore eſſet deformior, matri ac fratribus parum acceptus, amotus à Conſiliis, ac leui pretio habitus, contemptum haud ferens, cum Proceribus haud paucis iam à Rupellæ obſidione inſtituerat ſeceſſionem. Erat illi intimus quidam Bonifacius Mola nobilis Phocenſis, vir ambitionis vaſtæ & cupiditatis, audax, improvidus, & temerarius, qui inſtar hederæ vti increſceret, arborem qua innitebatur ramos in immenſum cupiebat porrigere. Accedebant Proceres Reginæ infenſi, Mommorancij, Coſſæus, Turrius Vicecomes Turinius, atque ipſi Principes Navarrus & Condæus, qui conceptam flammam incenderent. At factio quandiu egit Andegavenſis in Francia, incluſa conſiliorum limitibus, nondum proruperat; eo profecto in lucem prodiit. Ea porrò Catholicos inter media atque Hugonottos, tertium mali genus conſtituit, procerum qui ſecluſa religione, in vnum publicum bonum intenderent; ad quod ſpectaret Reginam adminiſtratione deiici, atque externos ſcilicet Guiſios Italoſque, pelli è Francia. Et ea factio dicta eſt Politicorum, innixa maximè Mommoranciis; quæ deinceps multis annis viguit valuitque; quaſi Franciæ trahi in partes geminas leue eſſet, niſi accederet calamitas tertia, poſt aliarum meſſem quæ ſpicas legeret. Igitur ab profectione Regis Poloniæ, Regina haud ignara quid agitaret Alenſonius ipſumque conſtituiſſe à Rege petere Legatariam in vniuerſum Regnum Præfecturam, qualem Andegavenſis gerebat; eum vti excluderet, indolem adoleſcentis Regi exponit; variam, levem, turbulentam, Hugonottis applicitam, novarum rerum machinatricem, ambitionis immodicæ quam nihil impleret; ſimulque ad eam dignitatem inſinuat Lotharingiæ ducem, Claudiæ Chariſſimæ filiæ coniugem, ac caput Guiſiæ gentis; nec dum Rex morbo implicitus ſe ad alterutrum applicuerat. Cùm Mommorancius Mareſcallus, princeps politicæ factionis, Regem adiens, intrepidè Alenſonio legatariam poteſtatem poſtulat, iiſ-

De la Mole.

De la Tour.

Politicarum factio.

Lieutenant general du Royaume.

CAROLVS IX.

que rationum momentis postulatum fulcit, vt Rex eam potestatem fratri concederet. At Regina nulli industriæ parcens, vt concessam rem interciperet; tum Lotharingum diligenter arcessit, tum Mommorancio ab aula secedente, ob controuersiam nouam susceptam cum Guisio, iterum Regi Alensonij mores nouis coloribus pingit, & vocare in suspicionem conatur. Attamen Rex in fratrem adhuc propensior erat, cùm oborta nova res Consilium discutit. Nam Alensonius non tantùm Politicæ factioni se ducem dixerat, verùm etiam Hugonotris; iique vrgebant cupidissimè vt abiectâ larvâ ad ipsos accederet: regimenque Partium tandem capesseret. Is cùm cunctaretur, ducenti Nobiles Hugonotti ductore Guitrio ad Sangermanum vbi agebat Aula adequitant, evocaturi Principem atque abducturi; erantque auctores Navarræ Rex, Toræus, Turenius, & Nocla, vt ab Aula profugus, se iis adiungeret; sed cùm nutaret, quoniam Guitrius constitutum ad fugam tempus diebus decem anteverterat; necdum se in aleam tantam nondum satis obfirmatus coniiceret, Mola consiliorum particeps, Reginæ aperit singula; conspirationem Alensonij cum Hugonottis, indicat qui participes forent, quídve intenderent. Extemplò Regina metu & tumultu totam Aulam movet, spargit rumorem equites Hugonottos ad occidendum Regem conveniisse, Consiliariis necem comparare. Sic terrore iniecto magna trepidatione Consiliarij & togati Magistratus Parisios fugiunt; Lotharingiæ Cardinalis, Renatus Biragus Cancellarius, (nam Hospitalio nuper vita functo successerat,) Bellievrius, Morvillerius; feminarum fugientium strepitu tumultum augente; Rex tamen ea nocte hæsit Sangermani, ac postridie Parisios venit, comitantibus Navarro & Alensonio. Erupit non multò post Hugonotticum bellum in Santonibus atque in Normannia, iamque Regis morbo accessione nova mali aucto, Regina brevi moriturum prævidens, vt omnem potentiæ obicem amoliretur, conspirationis dictæ retractat seriem; vtque periculum in Mommorancios ac Cossæum, reiiceret, quos maximè auctoritati suæ rebatur infensos, ab Navarro & Alensonio separatim scriptum extorquet, quo profitebantur se à postrema conspiratione immunes, paratosque se ad Regis salutem regnique commoda vitam abiicere. Tum Christophoro Thuano primario Præsidi provinciam mandat de conspiratione illa inquirendi; & in quæstionem illicò rapti, Mola quem dixi, & Coronasius, nuper in familiaritatem Alensonij à Mola adductus, Torträus & alij. Atque in tormentis, Mola perstante magno silentio, Coronasius plura quàm perterentur aperuit; profecturum Alensonium ad Hugonottos; Mommorancium, Torträum fratrem, & Cossæum fugæ esse conscios, & consiliorum, iisque Navarrum & Condæum implicat, quæ Navarro fortiter repellente, timidè Alensonio; sententia iudicum damnati capite Mola & Coronasius, Torträus rotæ supplicio. Mox vocati Parisios Mommorancius & Cossæus, cúmque se stitissent intrepidè, in Bastillam palam abducuntur; deinde adhibentur custodes Navarro, & Alensonio; at Condæus Ambiani capiendus, explorata re, se clam vrbe proripit, & cum Toræo profugit in Germaniam. Eratque is perturbatissimus rerum status, cùm Carolus Rex morbo oppressus occubuit.

Guitri.

Coronas.

Iam ante morbo vexari inceperat, antequam frater in Poloniam proficisceretur, lenta febri correptus; & per hyemem ægritudo visa desinere, vere ineunte instaurata vehementiùs priora incommoda renovabat, cùm tandem naturâ frustra in mali vim contendente, lecto affligitur, & ad proximum exitum magno corporis & humorum motu abducitur. Vterat robustarum virium, & in flore ætatis, per dies quindecim magno dolore ærumnisque gravissimis enitebatur in morbum; agitabat se & concutiebat vehementer, erumpebat plerumque sanguis naribus auribusque, imò poris emanabat rivo tam vbere, vt semel repertus sit cruori immersus, quem hac iactatione effuderat. Donec planè exhaustis viribus, Sacramentis Ecclesiæ ritè communitus, matrem amplectens, commendánsque conjugem, natam & Carolum nothum, expiravit trigesimo Maij die, magnâ constantia, nullo affectus desiderio aut dolore, præter noxas quas in Deum patraverat. Absolvebat vitæ annum vicesimum quintum, inibatque tunc primùm regnandi consilium, extinguendis factionibus Mommoranciorum & Guisiorum; quorum familias eò deiicere statuerat, vnde ampliùs in perniciem regni nequirent consurgere, simul matrem à regimine abdicare; vt ipse regni tam rector esset quàm Dominus. Et habebat à natura, dotes ad regnandum eximias; sublimes spiritus, & cuiusvis capaces oneris, ingenium perspicax vividumque, tenacem memoriam, celeritatem in agendo admirabilem, eloquentiam firmam & robustam quæ Regem saperet; eáque à natura consequutus erat, quibus ab arte adiunxit, simulandi & dissimulandi sagacitatem incredibilem; vt in sensus animi penetrare cùm se obtegeret, nec matri fas esset tantopere pérspicaci. Quamquàm plerumque retegebant indolis vitia. Nam supra modum erat iracundus, odiorum tenax; si quem amaret, si quid optaret ardentissimus, idem & vehemens, morositate animi molestissimus, vt nihil modicè, intemperanter omnia cuperet. Tot bellorum & rebellionum tædio in vindictam & crudelitatem iam esse pronior videbatur, solitus inter venandum feræ captæ sanguini manus immergere; ac primus Regum Prætorianas cohortes in custodiam suam instituit. Emisit vocem egregiam morituras; *gaudere se quod ea ætate nulla masculæ prole decederet, quoniam viro Rege tum maximè Francia indigeret; & ipse nosset quæ calamitas esset pupillus Rex.* Attamen Reginam matrem Regentem dixit, dum abesset frater successor futurus: Idque significavit præsentibus Alensonio & Navarro, precatus ne iustæ voluntati mox intercederent. Causa mortis à variis multiplex dicta. Hugonotti affirmabāt horrore cædis Parisiensis & conscientiæ morsibus contactum animum, corpus tandem in ægritudinem adduxisse; referebantque, si habenda est fides, pœnitentiæ & doloris signa quam plurima. Contra Catholici in Hugonottos præproperam mortem ingerebant, icones cereas ab iis fictas comminiscebantur, acubus fixas, in quibus vt olim in tisione Meleagri, vita & mors Regis alligata esset; & eiusmodi effigies in damnati Molæ cubiculo reperta fuerat. Quamquam amatoria, ad amores nobilis feminæ conciliandos minimè ad id sceleris instituta esset. Sed Aulici, quorum est aliorum animum

CAROLVS IX. XII.

Regis morbus & mors.

Anno 1574.

CAROLVS IX.

ex suo metiri, & flagitia quibus plerumque obnoxij sunt, impingere aliis, suspicabantur venenum præbitum, nihilque sceleris inuium ambitioni dicebant. Ego censuerim ab ipso Rege necessitatem mortis inductam. Vehemens erat in exercendo corpore, ærumnosis rebus atque asperrimis; Ceruos incitatissimo cursu insequebatur; equos rudes & indoctos ad palæstram formabat; saltu ac choreis defatigabat corpus immodicè; pila ad extremum sudorem ludebat; arma & loricas vehementi contentione cudebat; quibus assiduus ita inflammauerat viscera, sanguinisque massam incenderat; vt humorum temperie primo corrupta, excipiente mox febri exhaustus perierit. Filiam reliquit ex coniuge, quinto post anno morte extinctam; Itidemque filium ex puella Aurelianensi Carolum, qui postea Aruerniæ Comes Duxque Inculismensis dictus, patris indolem atque ingenium repræsentauit. Nec omiserim Carolum in tanto animi impetu suauissimas artes dilexisse; poësim & musicam, & nactum vtriúsque peritissimos artifices, Ronsardum, & Orlandum Lassum, è Bauaria euocatum; Imò concinnè scripsisse carmina naturæ beneficio dura mollientis, atque asperam indolem mitigantis amœnitate Musarum. Et puerum instituerat Iacobus Amiotus, tunc Antisiodorensis Episcopus, qui primus Franciam eruditè loqui & eleganter, edocuit, & Plutarchum dedit, quem vel doctissimi Græco componerent. Elisabetha coniux, suauissimos & integerrimos mores in Germaniam retulit, & vidua ætatis anno vicesimo, constanter secundas nuptias repudiauit, vltrò cœnobio Clarissarum inclusa, Deum pro coniuge, & humilitatem pro Regno amplexa.

XIII.

HENRICVS III. Rex Franciæ.

Catharina post Caroli obitum regiminis compos, vt ambitionem implebat, sic perturbatissimo Regno implicita, imperandi libidinem curâ multiplici ac necessario motu temperabat. Duo erant quæ potestati frænum iniicerent, Procerum repugnantia, & bellum ab Hugonottis commotum, ac primùm Proceres quà compescebat vi, quà detinebat blanditiis; Mommorancium & Cossæum habebat in vinculis. Damuillam deiecerat; exulabat Condæus, Alensonium & Nauarrum, in quibus momentum maximum Vicenarum saltu abductos, Luparæ magna solicitudine custodiebat; clatratis cubiculorum fenestris, obstructis foribus, geminatis vigilibus; atque vt tam animi vincirentur quàm corpora, vno aditu ad carcerem patefacto; quo Principes in gynæceum Virginum admittebantur, vt impliciti amoris pedicis, ad libertatem minus respicérent. Tum versa ad Hugonotticum bellum, Mompenserio exercitum instruit, reuersuro in Pictones. Atque Hugonotti Mongommerij supplicio efferati, instaurato Milliandi conuentu, se ad bellum mutuo inflammantes, ad Condæum scripserant Argentorati agentem, qui eiurata religione ad eos rursum defecerat, ipsumque ducem factionis elegerant, quando Alensonius & Nauarrus suæ potestatis non essent; Isque ad delectus habendos ad Palatinum Rheni contenderat. Damuilla præterea ad eosdem accesserat, vt præturam Occitaniæ sibi assereret; eámque prouinciam cum iis partiebatur. Prima cura ad Pictones & Rupellam versa; ac postquam spe pacis

Strastourg.

Noüam

Noüam Rupellæ præfectum Regina illuſerat, repente Mompenſerium cum duodecim armatorum millibus in Pictones mittit. Ille dum neceſſaria comparantur ad Fontenæum obſidendum, Maranium occupat, oppidum Rupellæ commodis opportunum; nam quarta ab leuca, paluſtri ſitu, & per amnem Seuram mari admotum, vt Rupellenſem agrum hoſti claudit; ita ſi ſubigitur referat, prædæque obiicit. Subacto Maranio Fontenæum aggreditur, ac quamquam multa ſolicitudine à Noüa munitum, infirmioribus in tormenta muris, ad deditionem impellit; quam dum incautè paciſcuntur ciues, irrumpente milite capiuntur ac diripiuntur; Miniſtro Moulinio in ſuſpendium acto. At in Delphinatibus & Aginnatibus ſe Hugonotti propugnabant feliciùs. Filius Mompenſerij Liberonem in Dephinatibus obſidebat, oppidulum haud Valentia procul, vno ſitu validum; à quo abſcedere Mombruni aſſiduis incurſionibus adactus, graui etiam in periculo verſabatur, niſi Mombrunum ipſum perſequentem violentiſſimus boreæ flatus, ſignis euerſis, proſtratis equis, & repulſo milite, arcuiſſet. In Aginnatibus oppida duo Cleracum & Monflanquinum ciuium fortitudine Catholicorum vires repulerunt; quorum diſcordia ſuis rebus noxia, promouebat hoſtiles. Nam Regina duos Aginnatibus prætores dixerat, Valeram & Loſſium, Garumna vtriuſque imperium dirimente; imò animos diuidente æmulatione, dum alter alterius gaudet incommodo. Eratque is rerum ſtatus, cùm Henricus in Franciam venit. Sed breui tam longâ viâ ſtilo deducendus & patriæ reſtituendus, quam deſiderabat ſummoperè. Sub Ianuarij exitum in Poloniam venerat; & Cracouiæ coronatus, humanitate ac liberalitate effuſa Polonorum animos conciliabat mirificè, cùm repente deſiderio Franciæ inflammatus, dolore abſentiæ, & amoris vi contabeſcens, conclaui ſe cum pauciſſimis Francis includit, lugetque felicitatem ſortis quæ regnum dediſſet. Infortunium cumulabat Polonorum petitio, flagitantium vt ex pactis Annam ſororem Sigiſmundi duceret, virginem cui nec formæ nec ætatis commendatio foret; atque in iis anguſtiis poſito Chemeræus interuenit nuntius, Caroli Regis exitum referens; eumque paulò antè Orator Imperatoris audientibus Polonis Proceribus nuntiauerat. Tunc ſimulato dolore lecto ſe tradit, cum intimis deliberaturus quid agendum foret: è diuerſis ſententiis iucundior placuit, quæ vocabat in Franciam, in quam præterea inflammatiſſimus amor impellebat; ac decretum nocte pòſt tertia clam Polonis aufugere. Igitur omnia ad innoxium dolum inſtructa; tantaque ſagacitas ad abiiciendam Coronam adhibita, quantam Monlucius ad comparandam impenderat. In triduum indictum Regi Carolo funus; quod vt magnificentiùs foret, pannos nigros qui in officinis mercatorum proſtarent, iuſſit cunctos emi, & pridiè quam diſcederet, cœnâ excepit Proceres opulentâ, vinóque oppletos multa nocte dimiſit. Tum lecto ſe tradens, ac poſtmodùm ſurgens, per Caſtri poſticum cum paucis Francorum elapſus, raptis ſimul gemmis, inani ciſtula ad lectum appensâ, tanta celeritate decurrit, vt quamquam in ſylua proxima aberraret, die proxima

HENRICVS III.

Marans. Seure.

Du Moulin. Liuron.

La Valete & Loſſes.

Henricus Rex in Franciam venit.

HENRICVS III. Tenezin.

Peisnam pervenerit, quæ vrbs Austriæ est, extra fines Poloniæ. Polonorum vnus assequutus erat decurrentem Comes Tenezinius, supremus regni cubicularius, & Regis amantissimus, qui apud ipsum de fuga præpropera modestissimè questus, adamantem ab eo acceptum brachio inseruit, sica eam in rem modicum vulnus aperiente, & libato sanguine, iuravit, nusquam gemmam à brachio, nec amorem ex animo detrahendum; tum plenus dolore rediit; in Regis gratiam Polonorum tumultum compescens, & Francis relictis libertatem conficiens. Rex honorificè ab imperatore Viennæ exceptus, decursa Germania per Tirolenses in Italiam venit; hæsitque per decem dies Venetiis, honore & voluptate certantibus, vter iucundius oblectamentum moveret, deinde Ferrariæ, & Mantuæ eadem delinimenta expertus; Taurini aliquandiu in amitæ Margaritæ conquiescit blanditiis; ac tandem per montem Cenisium vectus lectica vitrea, per Allobroges, atque Delphinates Lugdunum expectatissimus venit ineunte Septembri; regnumque auspicatur calamitosissimum, & inexhaustum tum ipsi tum subditis miserræ seminarium; natus annos viginti tres, spe maxima regiarum virtutum, quibus præluxerat.

XIV. *Henrici Regis primordia.*

Et verò perpendenti quæ procella tam subita, vota spemque mortalium certam decoxit, duo occurrunt potissimùm, Catharinæ ambitio, atque Henrici indoles mollior. Catharinæ vna erat dominandi cupiditas, ad quam cæteram omnem cogitationem, industriam, & naturæ dotes intendebat: ipsius indolem iam sub exitu vitæ perspexerat Carolus, statuerátque regimine deturbare, moderaturus gubernaculum ipse nec perpessurus amplius alienam amentiam. Quo ea periculo liberata, & evecto in solium charissimo filio, non ambigebat, quin sibi imperium quasi postliminio redderetur, consequuturæ in res vniuersas amplissimam potestatem. Etenim filij exploratam habebat indolem, mitem, facilem, ad voluptatum vsum proniorem; qui iam gloriæ vt rebatur plenus, ad otium & tranquillitatem componeret animum studiumque; qui regnum patritus, sibi rosæ lucem & colorem, spinarum asperitatem matri seponeret; atque illas spinas eiusmodi quæ auctoritatem obvoluerent, suavitati florum anteponebat. Idcircò bellum in Hugonottos commoverat, alebatque studiosissimè, vti Henricus primo in regnum aduentu impeditus turbis & motibus, statim à limine regimen ipsi permitteret, & Ariadnam ad euolvendas ambages legeret. Nec Henricus alienior à spe matris erat; ac tametsi expectationem ingentem concitauerat sui, ob res antè actas, reportatas victorias, tot regiones lustratas, coronam iam gestam; tamen ad muliercularum amores, mollitudinem otij, & quasdam aulicorum familiaritates propensior, & adhuc iunior, curam à se regni & solicitudinem extemplò amouit; nescius coronam inter & voluptatem quantùm interesit; ac postea serùs experimento suo edoctus, qui sceptri curam ob voluptates omitteret, eum mox voluptatibus, deinde ipso regno spoliari. Is iam Taurini specimen suæ volubilitatis ediderat. Arcessiverat Taurinum Damvillam affinem suum Sabaudiæ Dux, Regique commendaverat, conciliaturus primam discordiam; exceperatque Damvillam ea cum familiaritate

Henricus,

Henricus, vt etiam in cubiculum suum cubantem admitteret; & præclari consilij auctor Damvilla fuerat, vt regni ipse clavum susciperet, atque Hugonottis pacem concederet. Idem præterea consulebant Pibracius, & Rogerius Bellegardus, multæ apud Regem novum auctoritatis; quorum ille in Senatu Parisiensi Advocatus Regius, admirabilitate ingenij ac suavitate morum passim charissimus, Henricum sequutus in Poloniam, benevolentiam adipiscebatur merito titulo; hic Termei Marescalli ex fratre nepos, & aulicis artibus instructissimus, Regi in Carinthia procul occurrerat, iámque Venetiis Marescalli dignitatem diplomate à Rege impetraverat. Verùm eidem Regi erat alio nomine intimus Renatus Villequerius datus Principi in Carnaualeti locum Gubernator, pravo obsequio, tacitâ in omnes delicias indulgentiâ, heri gratiam meritus. Ea ne à Pibracio & Bellegardo deiiceretur, Reginam certiorem facit, elabi Regis animum, conuerti ad inimicos, & nisi caueat, potestatem sibi penitus deripi. Nec illa cunctata, Chivernium ad Regem celeriter mittit, qui præclarè constituta statim peruerteret. Hic Reginæ & Biragi Cancellarij litteris, suis etiam sermonibus, Regem à suscepto consilio penitus dimovet; affirmat Mommorancium ob læsam maiestatem captum, Damvillam rebellem, atque Hugonottum cum Condæo conspirasse; Bellegardum familiarem Damvillæ; Pibracium idem cum Hospitalio sentire de religione, imbuisse penitus hæresin, quam dissimularet; ita suspectis fidem omnem detrahit, Regemque iterum ad matrem inclinat. Pibracio statim frons severa obiecta; Bellegardo haud multo post; Damvilla ægrè auctoritate Ducis elapsus, se in Occitaniam, vltione ardens contulerat. Hæc Taurini Rex: atque in limitibus Franciæ occurrenti matri asseruit; se ferre acceptum curis eius regnum, nec gesturum nisi ex ipsius nutu atque arbitrio; statimque Lugduni quod receperat præstitit. Namque toto regimine ad eam traducto, includebat se conclaui arcano, cum paucis familiaribus, Duguasio, Villequerio, Souvræo, & solitudine adepturus maiorem apud suos venerationem prodibat rarus in publicum, lecticâ clausâ cùm prodiret vectus, aut cymbâ auro illusâ Araris alveo, mollibúsque vndis inambulans. Aduolauerant Proceres, prouinciarum Prætores, à Senatibus & à Ciuitatibus Oratores, tum causâ salutandi, tum rerum gerendarum, qui à conclavis foribus excludebantur; dum intus Rex intimos illos consuleret, de vestis forma aut ornatu, de tonsura barbæ aut crinium, atque aliis nugamentis eiusmodi, tot verbis, tamque accuratis, ea rationum ac sermonis pompa, quasi de Orbis imperio ageretur. Nec modo in eos honor, sed omnis vtilitas deriuabatur; præturis & dignitatibus, vel in eos collatis, vel eorum arbitrio mercis instar diuenditis; vt statim plerique Proceres atque Optimates defessi, inani opera in priuatas domos regressi sint; noua solitudine in Aulam inducta. Atque extemplò quam malè iis auctoribus consuleretur Franciæ, vna re constitit. Ab postrema pace icta inter Francum & Hispanum, Franciæ Rex post redditas Philiberto Pedemontij vrbes, Pinarolium, Sauillianum, & Perusiam vallem tenuerat, siue vt Sabaudi fidē eo quasi nexu adstringeret, siue ob iura quæ in ditionem eius Regi forent. At dum

HENRICVS III.

Pibrac. Roger de Bellegarde.

De Villequier.

Chiverny.

Pinarolium redditum.

HENRICVS III.

dum Taurini Henricus agebat, Ducis & Duciſſæ delinimentis captus, & Bellegardi conſilio impulſus, quem vxoris Termei patrui ſui raptorem, pulcherrimæ ſuper cæteras feminæ, ſecurum Dux exceperat Pedemontio, eas vrbes reddere Sabaudo promiſerat. Mox Regni compos promiſſum vt impleret Dux flagitabat. Id plerique Regi diſſuadebant, Niuernenſis præ cæteris, qui Saluſſiorum Prætor earúmque vrbium, ſcripto docuit Regem, quanto detrimento Franciæ atque Italiæ, & Hiſpanicæ potentiæ incremento, perficeretur ea res. Nihilominus Birago Cancellario contendente, cui amplitudo Francica flocci eſſet, vrbes traditæ ſunt; & Sabaudus nullo in poſterum freno cohibitus, atque Margarita vxore mortua, ſe totum Hiſpano quo ferebat indoles tradidit: Saluſſiorum prætutam Niuernenſis vltrò abdicauit.

XV.

Bellum continuatum.

Vtque in ea re peccatum mollitudine, ſic in proxima aberratum duritie. Nam deliberatione de Hugonottico bello inſtituta, decreta eſt continuatio, imperatumque Prætoribus vt Rebelles vrgerent. Ac Mompenſerius inſtaurato exercitu Luſinianum oppugnat, atque forti propugnatione repulſus ſæpius, tandem fame arcem tertio poſt menſe omni cibario deſtitutam adigit ad deditionem; eamque poſtmodum in Europa ob Cyprios Reges celeberrimam, ac Luſinianæ familiæ nomine inclytam, *diruit à*

Le Pouſſin.

fundamentis. Simul Mompenſerij filius Poſinium oppidulum in Heluiis, ſeu Viuareſiis Rhodano imminens, vltra amnem ac citra tormentis diſpoſitis acriter verberat; ad ruinam muri immittit militem, oriturque dimicatio atrox per horas quatuor, qua pulſi Catholici octingentis cæſis. Ea iactura perculſus dum Delphinus hæret, caſu promouente, ſpem nouam ſuſcipit; præ humo nimia muro collabente, aſpectus in vrbem atque aditus parebat, nec longè aberat à calamitate; cum Santomanus luce palam per hoſtium caſtra in eam irrumpit; & nocte proxima ciuem, quem armis tueri non poterat, per montes proximos educit, eripítque periculo; pleriſque mulierum ſaucios coniuges ſuccollantibus, liberis patres infirmos ſenio; ac cæteris facultatum loco geſtantibus qui imbecilli præ vulneribus forent. Oppidum nudum captum, direptum atque incenſum eſt. Delphinus victor Priuaſio copias admouet, cùm Bellegardum eius loco Reginæ ſubſtituit, iam Mareſcallum nuncupatum à Rege; ſimúlque Monlucio, quem ſimiliter Mareſcallum dici Regina curauerat, bellum in Aquitaniæ gerendum imponit. Bellegardum autem Delphino ſuffecerat; ſiue infenſa Principi, quòd acriùs ipſa quàm cuperet bellum vrgeret, ſiue vt Bellegardum ad Damuillam propius admouendo, cui amiciſſimus foret; ipſi vel amicum Damuillam, vel laudem & honorem eriperet; rata, ſi bellum inferret ſtrenuè, perituram amicum; honorem, ſi lentè. Regem interea eo bello implicitum coquebat amoris flamma multò rapidior, quam antè Pariſiis Condææ forma incenderat. Ea flamma nec locorum ſpatio, nec Sarmatico frigore, nec coronâ, tam veteri poſitâ, quàm nouâ ſuſceptâ, vel leuiter refrigeſcens, per abſentiam ita exarſerat, vt iam reſtinguendo incendio nullus prudentiæ locus, aut conſilio foret. Dum agebat in Polonia Rex, ad amatam ſcribebat, litteris ſuo ſanguine exaratis, & regreſ-

Saint Romain.

Priuas.

Regis amor.

fus

fus in Franciam, vicinia fomitem suscitante, tum perscribebat quot diebus epistolas, tum flagrans ardenti spectandi desiderio, Parisios ire volebat cupidissimè. Imò Condæa cum pudicissimè priuatis ædibus conclusa viueret, nec expugnandæ castimoniæ spes Regi foret, Guisio canente palinodiam, & pudorem feminæ excusante; eò Rex prouexit amoris insaniam, vt statueret feminam vxorem ducere, soluto ob Condæi hæresin priore matrimonio; nam ipsa in Orthodoxa religione post Parisiensem cædem perstiterat. Eam Regis mentem Catharina per interceptas litteras cùm deprehendisset, in re illa potestatem suam versari rata; quippè si filius vxorem amatam, ingenio & prudentiâ claram, admitteret semel, auctoritatem matris inanem futuram atque emortuam; primùm metu dissimulato, Condæum clam de tota re certiorem facit, quem ad eas res delicatum admodum nouerat; dein aggressa filium, hortatur ad coniugem seligendam, insinuata Sueci Regis filia, simúlque suadet vt Auenionem proficiscatur, quò propius Damuillæ intenderet, & communicatis cum Armaniaco Cardinale consiliis, in Hugonottorum perniciem totus incumberet. Et quidem Rex Pinardum in Sueciam legari patitur, non dubius quin per longinqui moram itineris spatium esset implendi desiderij; at profectionem Auenionensem omninò reiicit, vrgetque summoperè vt eatur Parisios. Dum Regina in eo æstu plurimùm angitur, atque in dies Parisiensi itineri moras excogitat, Condææ acerbissima mors nodum illum vno ictu soluit; quæ vt improuisa, subitaque contigit, ita veneni suspicionem pluribus mouit, quamquam incertam, distractis in maritum & Reginam animis; cecidítque integerrima mulier, castimoniæ victima, vnius rea sceleris quod placeret. At parum abfuit, quin ipse Rex præ amore simul eodem fato raperetur; ad mortis nuntium supinus corruit, per biduum crebrius animo linquitur, exhaustâ omni medicorum arte; dolore mentis morbum corporis auget, vitæ fomitem alimentum pertinaciter reiicit; iamque diem tertium nihil cibi aut somni ceperat, emanabátque in vulgus mortis proximæ necessitas; cùm ab eo consilio familiarium industriâ reuocatur. Guisius, Villequerius, & Souuræus, nouo solandi genere iacentem aggressi, doloris causam exaggerant, pulchritudinem mortuæ commendant, incusant fati acerbitatem, doloris immoderantiam laudant; ita vulnus animi linientes, inducunt ad iusculum hauriendum; mox mœrorem ornant, ingenioſi ad exhibendam tristitiam, & desiderium indulgentiâ mitigantes, extorquent tandem valetudinem animi, atque ipsum Regem Regi restituunt; quem suæ mox pudebat amentiæ, affirmantem se veneficiis ad amorem pulsum. Sic persanatum haud ægrè Regina Auenionem perduxit; idque suscipiebat itineris, siue vt proposito staret, siue concepta spe Damuillæ qua vi, qua insidiis opprimendi. Ante discessum Alensonius, & Nauarrus ad sacrosanctam victimam Christi immolati iureiurando fidem suam atque in Regem obsequium addicunt, dein Rhodano Auenionem Rex nauigat. Qua in vrbe ab Armaniaco Pontificis legato regiè exceptus, ac cum eo de Hugonottorum exitio sæpe colloquutus, ad fidem ac religionem testandam se Pœnitentium

Pinard.

Auenionem Rex proficiscitur.

HENRICVS III.

societati adscribit; eumque mox Regina, Cardinalis Lotharingius, atque Optimates cæteri æmulantur; frequentes obeundis supplicationibus, & exercendis pietatis muneribus, in quibus cœtus illi versantur. Nam ea societas in cœtus varios distributa erat, quos colores vestium proprij distinguebant; porrò Rex cum Navarro immiscebat se candidis, atratis Regina, cæruleos ducebat Armaniacus. Inter quæ pietatis officia Lotharingius Cardinalis anno ætatis quinquagesimo morte extinguitur; febre ardenti correptus, dum à nocturna supplicatione regreditur, siue cœli frigore offensus, seu veneno contactus, venenatæ facis quæ præferebatur fumo exceptо. Vir haud dubiè summus, rerúmque amplissimarum dignissimus, nisi dotes animi atque ingenij ad priuatam potiùs ambitionem & familiæ commoda, quàm ad salutem & gloriam Franciæ contulisset. Hinc dolorem conceptum, qualiscumque is fuerit, Damvillæ auxit vel temeritas, vel felicitas; qui capto Ægidij Fano in Occitania, transmissurus Rhodanum videbatur; cœpitque postmodum Aquas Mortuas, arcem ad mare validam. Quamobrem indignatus Rex, Lugdunum reuertit, in ipso itinere contumeliâ novâ afflictus. Etenim Bellegardus Liberonem obsederat, inconditum tuguriorum congestum veriùs quàm oppidum, & verberauerat tormentis viginti duobus. Verùm obstinatissima defensorum propugnatione, quos præfectus Roëssius incendebat exemplo, labe frustra tentata, illusisque cuniculis, magna clade, & abiectis militum animis, hærebat in castris, victo propior quàm obsidenti. Et in obsessis duarum mulierculariū obseruata est eadem in diuersis factis fortitudo. Nam ad cuniculum erumpentem dum ferocem impressionem Marescallus instituit; mulierum vna in propugnantibus princeps reiecto hoste, bipenni hasta pugnans, subiectam in fossam impetu rapitur; at simul alia dum sæuit dimicatio, in eodem propugnaculo incredibili securitate, nens è colo filum deducebat. Is erat rerum status, cùm Rex Lugdunum reuerteret, & militari via deducente ad Liberonem, vrbem inter atque exercitum captum est iter, sed magnâ ignominiâ Regiæ sarcinæ ab obsessis direptæ, tum ipse pertransiens contumeliosissimis verbis excipitur; propudiosâ maiestatis infamiâ; moxque in castra subiens, calamitoso militum spectaculo motus, qui morbis, vulneribus, gelu, & pestilentia afflicti, nudi in cœno trahebant animam fixis corporibus, exercitum soluit; Liberone iterum salua & per flagitia sua incolumi. Bellegardi miseriam Quæstorum auaritia fecerat, qui commeatu & stipendiis militum detractis, exercitum in eam calamitatem induxerant. Atque ita bellum inceptum temerè, gerebatur ignauiter; quodque pernicioſissimum, maiestas Regia in contemptum ibat atque ludibrium.

Cardinalis Lotharingij mors.

S. Gilles.

Libero erepta.

Roesses.

Mulierum facinus.

XVI.

Regis inauguratio & connubium.

Iam nihil vetabat, quin Parisios versus contenderet Rex. Sed in itinere duæ res magni momenti confectæ sunt, Rhemis vtraque inauguratio Regis atque connubium. Inauguratus est ab Ludouico Cardinale Guisij patruo, & quædam in sinistrum omen traducta; quod die toto in ornanda veste impenso, sub vesperam missæ sacrificium perageretur; tum quod Musici cantores canticum solemne Laudis prætermiserint

Anno 1575.

per

per incuriam ; ac demùm quod Corona sponte è gestantis capite humi afflicta sit. Postridie vnctionis connubium celebratum cum Ludouica Nicolai Vademontij Comitis filia. Eam Catharina præoptauerat cæteris in Lotharingiam domum propensior, ipsamque in virginem, quæ candidæ indolis simplicisque, & ab aulico fuco alienæ, pompa Reginæ contenta in posterum, non ambiret potentiam, nec auctoritatem socrus capesseret. Et illius formam Rex dum in Poloniam proficiscereturamauerat; verum Rhemos eunti Maria Elbovij Marchionis filia novum ignem subiecerat, atque haud modicè enitendum Catharinæ fuit, Mariæ pertimescenti ingenium, vt noua flamma veteri cederet. Parisiis deinde excipitur Rex, atque auditis Hugonottorum legatis, postquam iactatæ frustra conditiones, & in nullas assensum est, breuis illa tranquillitas in necessitatem belli reuoluitur; quod non vno corpore, sed membratim fusum in prouinciis geritur. In Phocensi prouincia nobiles adolescentes occupatis aliquot vrbibus, Hugonottorum nomine, coërcentur à Rhetio Marescallo, qui Præturam susceperat, Tavanio Marescallo morte extincto : at subito ea prouincia nouo motu percellitur, distracta in partes Rasorum & Carcistarum ; cùm in Carcum Proregis legatum factio insurgeret, expostulantium Carcei peculatu exhaustam prouinciam ; iique Rasi quod raderent barbam nuncupati : his accessit Massilliensis seditio, ob noua vectigalium onera, ab Italis Redemptoribus contra vrbis immunitatem extorta. In Pictonibus Lauderæus Ludæi legatus Rheam insulam occupauerat fortiter, & Rupellæ infigebat aculeum, si in partis tuendis tam fuisset fortis quàm parandis ; sed continuò Rupellenses cymbulis vecti in insulam, Martini Fanum pugna recipiunt, necatis inuasorum haud paucis ; ægrè Lauderæo in nauigium se proripiente. Et in iisdem Pictonibus oppressus est Haius ; ille qui dicendo iuri Pictauiensis præfectus, in ea vrbe seruanda sub Guisio contenderat plurimùm ; idem vastæ spei, modo ad Catholicos, modo ad Hugonottos versus, & neutri Partium fidus, cum frustra Pictauium inuadere tentasset insidiis, in proxima villa ab inimico priuato perimitur. In Petracoriis atque Aruernis Langoiranus propugnabat Hæreticos, Montallus Catholicos ; & Petracorios vrbem Burdelius; vterque ab Hugonottis malè multati. Nam Montallus ab femina victus & cæsus est. Ea Magdalena Senecterria, siue sancti Nectarij ; Miromontij vidua, in Lemouicibus ; quæ formâ egregiâ, castitate eximiâ, & virili fortitudine prædita; iisdem dotibus promouebat Partes egregiè. Nam amantium turba comitante, sexaginta nobiles adolescentes in expeditionem ducebat, inuicta semper, & amore præuio, quem faceret ipsa, nusquam admitteret, Martis fulmen eiaculans ; occupatura verius Alcibiadis symbolum, cuius in clypeo elucebat pictus fulminans Amor. Tam molestum aculeum Montallus vt refigeret semel, coëgerat mille quingentos pedites & ducentos equites, imminebatque Miromontio Castro ; verùm Amazon petitis à Turenio quatuor sclopetariorum equitum turmis, cum agmine in hostem inuecta, post acrem dimicationem saucium fundit ;

HENRICVS III.

Belli prosequutio.

Rasars. Et Carcest.

De Cartes.

Laudereau.

La Haye.

Langoiran. Montal. Bourdeilles. Senecterre.

HENRICVS III.

obitque mox Montallus ex vulnere. Langoiranus Petracorios vrbem mox inuadit, diripitque immaniter. In Aquitania Montalbanum Valeta circum positis castris vexabat, premebatque molestiùs; cùm Noüa Rupella iam libera, ne alterum factionis caput exscinderetur, copiis in Lemouices ductis; eas strenuo adolescenti Choupeo tradit, qui Bergeraco dum festinat iter, liberato Turenio, & Langoirano transmisso, Duranio se adiungit; simúlque omnes præfecto Turenio, per Valetæ castra peruadentes, Montalbano commeatum inferunt; seque extra vrbem inuiolati recipiunt. Quo facto Valeta coactus abscedere, proximaque oppida Montalbanis cesserunt. In Occitania Damuilla, Vzetiensem Ducem repellebat; nam eo spectante Aletium primùm capit, mox Vzatum; deinde Hugonotti Possinum inuadunt, & Baisium proximum oppidum; quibus commercium & nauigatio Rhodani rursum intercluſa. Sed in Delphinatibus maiori mole bellum promotum est. Eam prouinciam Mombrunus & Gordeus suis quisque Partibus non tam vindicabant quàm discerpebant. Lediguerius Mombruni legatus Castillonium Castrum in Diensium montibus obsidebat; Gordeus supplemento Heluetiorum nuperrimè auctus cum copiis ad Castrum aduolat, erantque ad septem hominum millia; cùm mox insequitur pari propè numero Mombrunus, & Lediguerio adiunctus, die tota cum Gordeo velitatur. Nocte tectus Gordeus statuit Diam recipere se, & sub crepusculum lucis receptum instruit; sed Mombruni vigilantiam haud fefellit. Ille recedentem anticipauerat, & præstolatus dum primum agmen Gordei transinitteret pontem, qui Dromæ impositus iter interiungit; impedito ponte, Campoleonem in primum agmen immittit, & postremum, in quo Gordeus, ipse aggreditur. Extemplò equitatus Gordei funditur, turbantur sclopetarij, isque fugâ celeri Diam se recipit. Vni Heluetij vltra citraque pontem superarant; quorum alterum agmen Mombrunus ipse impetit ferociter, alterum Lediguerius; iique iuxta veterem disciplinam vtrobique in aciem quadriformem instructi, repellebant vim illatam egregiè, ac parabant recessum; cùm sclopetariis hostium angustam admodum viam hinc inde texentibus, sclopetorum glande profligati, elatis sarissis se dedunt, & emissi cum ense à Mombruno, regrediuntur in patriam. Ea Mombruno magni victoria fuit. Etenim ad eripiendum periculo Gordeum, cùm è prouinciis proximis confluerent copiæ, in eas temerè Mombrunus inuectus, ratus se inuictum post profligatos Heluetios, in densum hostium agmen infunditur, cæsísque comitibus dum equum in saltum impellit, eo prolapso ac fracto femore capitur, leui Hugonottorum clade præter Ducem. Continuo Regis ac Reginæ iussu Senatui Gratianopolitano damnandus traditur; vt rebellis luiturus supplicium; nec Condæi preces multorúmque Procerum vitam exorarunt. Regem offenderant quædam hominis rei voces, ac scriptæ litteræ; imò factum, quo impedimenta regia diripuerat. Sic decreto Senatus damnatus Gratianopoli, & truncatus capite, vir in paucis fortis, & probitate morum non vulgari, nisi eos falsa religio, & fortitudinem rebellio in Principem maculassent. Huic

Perigueux.

Choupes.

Bais.

Gordes.

Chastilon.

Mombrunus victor & captus.

Franciscus

Franciſcus Lediguerius ſubrogatus eſt ab Hugonottis, quamquam eorum plurimis Cugio ſuffragantibus; eratque Lediguerius Delphinas, è nobili quidem ſtirpe; qui adoleſcens parum inſtructus fortunæ commodis, nauauerat operam litteris, hauſeratque hæreſin à præceptore; mox alteram Mineruæ artem arripiens, inclaruerat armis, deductus per ſingulos militiæ gradus, donec multos poſt annos ad ſummum euectus eſt. Ita dum vnum Henrico regnum ſcindebatur, peribat alterum, Polonis in nouum Regem ſuffragatis. Is Sigiſmundus Batorius Tranſiluaniæ princeps, qui Anna Sigiſmundi filia in vxorem ducta, regnum adiuit. Legauerat quidem Regina in Poloniam Bellegardum & Pibracium, non tam regni aſſerendi cauſa, quàm amouendi viros ſibi parum gratos; & Bellegardus in Pedemontio hæſerat, Pibracius in Poloniam venit, fruſtraque omni opera per animi contentionem ſummam impenſa; ſub ipſum ſuffragiorum tempus reuerterat. Retinuit tamen Polonici regni titulum Henricus; in eo retinendo quam in ipſo regno conſtantior; adeò homines inania ſectamur, dimittimus vera & ſolida.

HENRICVS III.

De Leſdiguieres.

Polonia regnum Batorio datum.

Iſta in prouinciis, dum Aulam ſui etiam tumultus agitant. Tunc in ea ſcena actores præcipui, præter Regem, matrem, ac coniugem, erant Alenſonius Regis frater, Henricus Nauarræ Rex, vxor Margarita, Guiſius, ac Principum intimi familiares, Duguaſius & Buſſiamboſius; Saunea præterea aulica femina, formâ, ingenio, & ſagacitate, amoris fax & telum aureum. Tam diuerſa capita in vnum conſilium propemodùm conueniebant, vt ſenſim Regem à Catharina auerterent, eamque regimine amolirentur. Margarita & Guiſius telam texebant, & machinam adornabant. Guiſius in Nauarri intimam familiaritatem receptus, eum haud incommodè moderabatur; eidem cum Margarita iam olim optimè conueniebat; Margarita Alenſonio fratri arctâ amicitiâ iungebatur; & idem Guiſius Ludouicam Reginam ſibi affinem conciliabat, imbuebatque aulicis artibus, per quas ad animum Regis irreperet. Vnus obex obiiciebatur Duguaſius Regi intimus, & Catharinæ addictus: cui Guiſius opponebat Souuræum & ipſum chariſſimum Regi qui ob dotes animi amabilior Duguaſio, per bonas artes gratiam promouebat; minus ideò Catharinæ gratus, minúſque obſequens. Porro Catharina vt perſpicax erat, illicò tanta conſenſione mentium penetrata, nec dubia quin ſuam in perniciem tam multiplex machina compingeretur, ad eam ſtatim diſſoluendam aggreditur. Ac primùm Regem zelo incendit in coniugem, Duguaſio adminiſtro. Ludouica dum agebat in patris laribus, pudicè amauerat Paulum Ioannis Salmenſis Comitis iuniorem fratrem, ac ſi fuiſſet optionis ſuæ connubium, prætuliſſet Regi; adeò alienus ab tumore ambitionis animus tranquillitatem metiebatur mediocritate. Poſtquam nupſerat, mœrorem quemdam alebat doloremque arcanum, qui oblectationem totam depaſceret, & emanabant mœroris indicia, amor ſolitudinis, oris pallor, & ſuſpiria identidem erumpentia. Iis acceſſit Pauli Salmenſis in Aulam aduentus, qui blando vulneri facturus vel aſpectu vno remedium, Ludouicam delibauit oculis, atque vt Regi renuntiatum eſt, arcanis

XVII.

Turba in Aula.

Buſſidáboiſe.

De Saunes.

HENRICVS III.

La Langy.

colloquiis. Eam ob rem Rex verbis malè vxorem habuit, amouítque Langiam chariſſimam Reginæ feminam; quod ipſi omnium moleſtiſſimum fuit. Deinde Catharina Alenſonium & Nauarrum per Sauneam dirimit; eius feminæ amore vterque indole haud parum diuerſi, facilè ab amata muliere incenſa riualitate, in diſcordiam aguntur. Idem præſtat in

La Torigny.

Nauarro Duguaſius maritum à Margarita auellens, & ab ea Torignia rapta eſt, arcanorum omnium particeps; tum eam ab fratre Alenſonio cum diſiungere Catharinæ miniſtri haud poſſent, vtrumque apud Regem falſis delationibus conantur euertere; & ſe præſtabat Rex credulum admodùm, vtrique iam olim offenſus non mediocriter; verùm in Alenſonium totus offenſionis cumulus corruit. Is naturâ ab indole Regis diuersâ plurimùm, tum ipſi odio, tum eius intimis deſpicatui erat; vt ſæpe plures contumelias inferrent Principi, quas ægrè è vulgo Nobilis pateretur. Vnus dignitatem Principis tuebatur Buſſiamboſius; iuuenis ſummis animi corporiſque dotibus præditus, qui tum adhortando ambitionem heri ſuſcitabat, tum oſtentando inuictum animum, proſtrati propemodùm partes propugnabat, & erigebat auctoritatem abiectam. Ideò iam Duguaſio æmulus inuidiam inflammauerat, ab eo quaſi Margaritæ familiarior Regi in ſuſpicionem vocatus, mox in vitæ diſcrimen incurrerat. Etenim noctu reuertens in hoſpitium, ab armatis viris impetitus, fugâ quidem ſeruatus eſt; ſed non multò pòſt admonitus clam, peruenisſe ad Regem odium, ab aula abſceſſit. Continuò in Alenſonium, opis & defenſionis inopem, tum Regis tum familiarium contemptus incumbit, & nouis in dies laceſſitus ludibriis, priſtinæ dignitatis præter ſenſum iniuriæ nihil retinebat. Semel è choreâ indignatus proruperat, affirmans ſe contemptum Regis, & ludibria familiarium pati ampliùs non poſſe; qua accepta voce Rex, quaſi ea rebellionis indicium foret admonita matre, ea ipſa nocte, ad fratrem venit; eúmque Loſſio in cuſtodiam tradit. Poſtridie Catharina, cui non placeret eò diſcordiam ferri, vt Alenſonio nulla poteſtas exurgendi foret, eum ad Regem deducit, & flagitanti veniam, preces, lacrymas, & obſecrationes adiungit, donec irâ Regis expugnatâ, liber Alenſonius reconciliatâ gratiâ miſſus eſt. Exinde Rex in otium & ſecuritatem languidam reuolutus, noctes terebat ludis & choreis, diei partem in ornatu veſtis, partem in geſtatione; Lutetiæ vicos cum vxore rheda circumuectus, ac catulos Melitenſes mulierculis eripiens, ſtultas infirmi ſexus delicias; ex lugentium tam inanem iacturam fletibus captans voluptatem. At dum nullo metu ſecuritati indulget; Alenſonius frater priora ludibria repetens, cuſtodum illuſa vigilantia, Drocum fugâ contendit, exceptus à Buſſiamboſio opperiente; ac palam teſtatur diſceſſionis cauſas, non alias eſſe, quàm vt regni dignitas reſtitueretur, daretur pax Franciæ, Proceres liberarentur à vinculis, & muſcæ illæ aulicæ quæ circumſtabant Regem pellerentur. Ea fuga varios diuerſoſque affectus in diuerſis concitat. Lætantur Politici ducem ſibi præbitum, eumque ad quem regni ſpes proximè ſpectaret; idem Hugonotti ſibi gratulantur; haud inſcij quàtùm Alenſonius in ipſorum partes propenderet; chariſſimum

Alenſonij fuga.

Dreux.

ipſi

ipsi fuisse Admiralium, atque haud rarò Principem interminatum vltionem auctoribus. Contra Rex vehementer turbatus, in capillos inuolans, inclamabat, iubebatque, à fuga retrahi, abducíque vivum aut mortuum; mandátque Mompenserio & Nivernensi, vt Droco fugitivum includant, capiant, atque adducant. Sed Alensonius Bussij diligentia coëgerat iam octingentos equites, iisque accinctus festinabat ad Ligerim, transmissurus amnem, & Hugonottis accessurus vocantibus. Nivernensis supra Aureliam ad amnem consederat, infra Mompensérius; & capi Alensonius poterat, si arcessitus à Nivernensi Mompensérius admouisset copias; imò nisi Catharina scripto mandato prohibuisset Nivernensem ab Alensonio persequendo: ideò patuit Alensonio ad Bituriges transitus, tuto vbi premeretur, & aperto ad Hugonottos receptu. HENRICVS III.

Ea Aulæ conuersio delectum Condæi in Germania promouet. Confestim cum Ioanne Casimiro Palatini Electoris filio conuenit, de scribendo exercitu, in quem Germani atque Helvetij deligerentur; & Graffinerius Condæi domesticus, Basileam profectus, legit Helvetios ex pagis Protestantium, confluentes tanto animi ardore, vt quamquam magistratuum decretis dare Condæo nomina prohiberentur, muros saltu, natatu amnes transilirent; plerique etiam veste feminas mentiti, cùm fortissimum facinus exequerentur. Dum instruitur exercitus, Toræus qui multam pecuniam in eum delectum insumpserat, Mommorancij frater, tædio diuturnæ in Germaniâ moræ, à Condæo duo millia Reitrorum impetrat, quæ ad Alensonium duceret, iam summum Partium Ducem à Condæo dictum. Non sponte Condæus in eam expeditionem assensérat, eratque auctor vt sustineret Toræus, dum vniuersis copiis irrumperetur in Franciam, sibique membra corporis securitatem præstarent. Sed ille impatiens cladem sibi & calamitatem consciuit. Guisius prætor Campaniæ, transmissâ Lotharingiâ, Bacaram ad Rhenum venerat; pugnam capessiturus, atque adduxerat septem peditum millia, equitum tria; Proceribus comitantibus, fratre Maynio, Birone, Stroßio, & Rhetio Marescallo, qui gratia Regis exciderat. At dum hostem ad limites regni indagat, iam ille intus penetrauerat, pergebatque ad Alensonium. Igitur regrediendum celeriter fuit, atque ipsa Reitrorum iuvante contumacia, qui biduò dum stipendia reposcút, abnuunt se mouere, ad Theodorici Castrum Guisius hostem assequitur. Sub signis Toræo præter Reitros erant, quingenti sclopetarij pedites, ducenti equites, caraphracti centum; nec à pugna abstinere Toræus voluit. Eâ Reitri victi; (quorum quingenti iam desciuerant ad Guisiũ) ac Franci pariter, quamquam dimicarent tum eques, tum pedes fortissimo animo. Lavallius Comes Andelotij filius, ætatis anno decimo sexto nondum impleto, postquam in fronte agminis strenuè supra ætatem pugnauit, Argentoratum fuga elabitur; Toræus geminis amnibus transitis Sequana & Ligeri ad Alensonium cuadit; pedites destituti ab equite, per leucas sexaginta ad Bituriges per hostilem agrum recipiunt se. Guisius gemino vulnere saucius, crure & genâ alterâ glande perfossis, luculentam cicatricem reliquâ vitâ facie prætulit; hinc Orthodoxis acceptior, non tam deformatus vt dicebant, quam charactere

XVIII. *Condæus exercitum in Germ.* Graffiniere. Toré. Bacara. *Toræus vincitur.* De Laval.

Religionis

HENRICVS III. Religionis signatus. Interim multi Nobiles ad Alensonium aduolant, vtriusque religionis, quibus Reginæ regimen graue esset; in quibus Ventadourius vnius boni publici cupidus, Turenius verâ fide nondum eiuratâ, Ventadour. stipante frequenti catervâ Nobilium; simulque Noüa conuenit Principem, prudentia ille consilioque clarissimus. Nec minùs Catharina ad reducendum filium satagebat; captiuos Maresçallos Mommorancium & Cossæum Bastillâ emiserat: hunc paulò antè, vti à morbo conualescerer; illum sub profectionem iam conceptâ ægritudine ob carceris diuturnitatem, qua demùm extinctus est; non ambigens quin eorum libertatem Alensonius poscceret, ac beneficium occupatura, quod si cunctaretur alienum foret. Iis comitibus ad Alensonium properat; tantúmque enititur, operâ maximè Mommorancij, vt ad tempus bellum repressérit, induciis, semestribus impetratis. Per eas inducias, vrbes Alensonio in pignus fidei tradebantur Inculisina, Niortium, Salmurium, Bituricum, & Charitas; ac Condæo Meseriæ. At quod momentum induciarum fuerat, mox belli caput est; quippe Ruffecus Inculismensis præfectus vrbem tradere pertinaciter negat, item Montignius Bituricensis præfectus recusat; & Meseriis Condæus excluditur; atque ad arma conuolabant Principes; nisi Catharina Coniacum & Ioannis Fanum suffecisset pro negatis vrbibus. Nihilominus instruebatur bellum accuratè, & Condæus traiecto Rheno adducebat exercitum; Rexque similiter conuocauerat copias, ex Francorum, Helvetiorum & Reitrorum delectibus. Ad quarum stipendium, appellatis frustra Parisiensibus, & onera vectigalium excusantibus; à Nivernensi & Pienna mutuatus pecuniam, exercitum parat. Iam Condæus cum Casimiro, per Lotharingiam, Bassiniam, atque Burgundiam, sparsis circum incendiis, vado ad Marsiniacum transmisso Ligeri, Boios obtinuerat, per Arverniam Alensonium aditurus. Maynius regium ducebat exercitum, imparem viribus, nec castra propius ausus adiungere, vel locorum spatio, vel munimentis vrbium infirmitatem suam tuebatur. Profecturus per Arvernos Condæus, accepta ab iis pecunia, subsistit, excepturus aduentantem Alensonium, iunctisque copiis petiturus Parisios. Et eæ in agro Molinensi iunctæ, magno tubarum sonitu, tympanorum plausu, & tormentorum strepitu, Principe imperium Alensonio præclara oratione tradente. Erant in exercitu triginta hominum millia, ex vtraque religione conflati; summâ Hugonottorum lætitiâ, nec minori spe, tot Proceres, tantam turmam Nobilium, tot diuersas gentes, confluxisse ad incrementum religionis, quam paulò antè detestabilem cunctis & execrabilem videbantur ipsorum plures exscindere. At tanti exercitus nulla extitit opera; occupatæ dumtaxat Molinæ, quas infirmior Maynius deseruerat; parúmque abfuit quin Cadmæa sorte turmæ equestres inter se pugnarent, Turenio & Bussiamboso certatim inferentibus vexillum album; iurgio ægrè auctoritate & precibus Alensonij presso; cùm Politici Amboisium, Hugonotti Turenium ambitione pari tuerentur; nam vincendi cupiditas iuxta æmulum atque hostem premit.

Montigny.

Condæi exercitus.

Anno 1576.

XIX. Attamen Regi imminebat tempestas, & tardis militum supplementis, exercitu

exercitu impare, perturbatæ admodum rationes erant; vna dumtaxat spes in Catharinæ prudentia & sagacitate. Et verò istud callidissimæ feminæ & solertissimæ operæ pretium præ cæteris fuit; cùm sola se instructa, vnasque ingenij machinas admouens, exercitum validissimum soluit, capitales hostes & priuatim inimicos compescuit, magno periculo Regem vindicauit, sibique clauum in tam atroci procellâ asseruit. Nam præter externum periculum, intus erant, quæ metum facerent ac terrorem. Mompenserius rogatus exercitus præturam susciperé, excusauerat se, quod ferrum stringere in filium Franciæ haud vellet; esse Alensonio expostulandi iustissimas causas, rediturum in officium, illæ si tollantur. Præterea nuper ex aula in Aquitaniam Nauarræ Rex fuga euaserat. Id Regina pertimuerat, adstrinxeratque vincula ad retinendum, spem ambitiosam, & amoris blanditias. Saunea Siren illa pulcherrima, absente Alensonio, versa vnicè ad Nauarrum, innectebat, implicabatque animum illecebris voluptatis; accedebat spes Legatariæ in vniuersum regnum potestatis, quæ vt caperet blandiùs, excitabatur ab eadem femina. Verùm insiti in Regis animo gloriæ stimuli, metúsque ne Alensonius in Hugonottorum partibus primas obtineret, locúmque occuparet, vnde ipse dignitatem suam & securitatem aliquando reciperet; Aubignæo præterea & Armaniaco domesticis fidis sensum primum gloriæ inflammantibus, omninò statuit fuga euadere. Feruaqueus & Lauerdinus accelerabant consilium, nouâ spe factâ occupandarum in Cœnomanis & Normannia vrbium. Ille itaque simulato venandi studio, postquam die tota in nemore Siluanectensi decurrit, in suburbium proximum veluti recubiturus diuertit; tum nocte totâ & consequenti die Belsia transmissa, Alensonum venit; postea Salmurium, mox Aquitaniam petiturus, quæ prouincia admota Benearniæ, asylum & receptus tutissimus foret. Eam porrò fugam tam aptè ad mentem suam Catharina conciliat, vt plerisque visa sit eandem occulta arte adornasse; nam præter geminatos in aduersa factione Duces, & sparsam ea multiplicatione discordiam; contraria Alensonij & Nauarri ingenia, tunc in imperando vti antè in amando riualium, non videbantur in vnam eamdemque rem consensura; idque omninò comprobauit euentus. Nunc Regina enitebatur, vt Alensonium amoueret à factione, atque ad Regem perduceret, ferebátque de pace colloquia, quæ iam auribus admittebant Duces. Alensonius matris litteris captus, & suspectâ Nauarri fugâ iam præoptat pacem; Damuilla similiter ad eam inclinat; regno quodammodo in Occitania condito, quo cum deiiceret dignitas Principum, & restituenda pecunia quam in bellum legerat, suosque in vsus auerterat. Condæus vnus & Casimirus alieni à pace diuersas ob causas bellum sustentabant; cùm nutantibus aliis, & pecuniâ iam deficiente; singuli petitiones suas scripto consignant; Alensonius, Nauarrus, Condæus, Casimirus, Damuilla, Ventadurius; partim ad commodum publicum, ad priuatum partim collimantes, eásque ad Regem per legatos ferunt. At cum immoderatæ essent & Bentricus Germanus Casimiri orator, magnâ audaciâ, indignante Rege, peroraſſet, soluto colloquio, & Principibus

HENRICVS III.

Pax quinta cum Hugonottis.

Nauarri fuga.

Feruaqueus & Lauerdin.

Benthric.

HENRICVS III. Chastenoy.

quædam oppidula expugnantibus ; Catharina negotio adhibitura extremam operam, ad eos contendit , & Castenæum assignat colloquium , quò fœderati Principes eam conveniunt. Mirum , quantùm femina suæ artisolertiæque confiderit ; prandebat dum conclaue Principes subeunt ; immota corpore atque ore propemodùm , oculos duntaxat indignationis & securitatis testes conuertit , sumpto per otium cibo. At in eodem conclavi virgines erant feminæque pulcherrimæ,quas de industriâ versuta mulier hami instar atque illecebræ appositerat , gnara quâ escâ piscis caperetur. Nec cunctati Principes , Alensonius , Condæus , & Contyus , obstupescentibus Germanis stantes , nudisque capitibus ad chorum imbellem imbelles aduolant ; iamque plurimùm mitigati , à Catharinâ ad colloquium arcessuntur. Illo , alteróque ad Senones inito , res perfecta est. Primùm singulorum vtilitatibus factum est satis ; Alensonio data centum millia librarum annua ; in patrimonij incrementum , Bituriges , Turones , & Andegauenses , cum iure quod optimum esset ; Condæo vsus liber præturæ Picardiæ , & Perona vrbs ad receptum , adiunctis centum librarum millibus ; Contyo Principi , Noüæ & Noclæ singulis cataphractorum equitum turmæ ; Turenio præfectura Turonum ; Ventadurio oblata multa , acceptum nihil ; viro præclarissimo in bonum publicum intendente ; *in* Casimiro deuinciendo plus operæ & laboris insumptum est ; tandem conquievit , congestis præfecturis , militaribus donis , immensâ pecunia , atque ingenti spe. Sic priuata vtilitate oppleta , sancitur pax atque promulgatur ; qua religioni Hugonottæ data libera per vniuersum regnum facultas; iudicia omnia in Admiralium , Mongomerium , Mombrunum , & cæteros Hugonottos irrita & rescissa ; ac damnatorum memoria in integrum restituta ; Hugonottis datæ vrbes haud paucæ , & alia multa in eorum gratiam constituta. Idque Edictum Maij nuncupatum est , quod Maio mense statutum foret atque promulgatum. Nec Catharina parca in promittendo & scribendo fuit ; modò discusso turbine, Alensonium à factione auelleret; cui plurima etiam donari voluit , vti in Regem auctoritatem nouam erigeret , haberetque machinam quam ad nutum intenderet atque remitteret. Solutus est exercitus hostium : Reitri , dum expeditur pecunia, in Burgundiam & Campaniam ducti , tribus mensibus ceu flagrante bello , calamitosas diripuerunt prouincias ; Navarrus , postquam Niortij Catholicam religionem eiurauit , testatus se eam vi susceptam simulato animo coluisse, perrexit in Aquitaniam ; sorore Catharina excepta , quæ illicò libera iuxta fratrem religionem primam professa est. Idque quintum Edictum est , quod Hugonotti in defensionem suam extorserant ; quod tametsi regiis partibus conducibile fuit , procellâ discussâ , & periculo solido per verba inania dissipato ; tamen inde natum novum bellum , quo regnum tot antè seculis constitutum,ad exitium propè adductum est;& renouata interni externique mali calamitas,quæ olim sub Carolis VI.& VII.sæviisset;eò atrocior quod stimuli religionis veternum odiorum, & vindictæ amentiam incendebant ; id autem bellum,quoniam hoc primum tempore conceptum ac natum est , tantis postea incrementis alendum , paulò accuratiùs ab origi-

Edictum Maij. Anno 1576.

ne

ne exscribendum est atque pertractandum ; cui appellando Latinum nomen non occurrit ; nam fœdus aut factio non satis explicat, quod Liguam ipsi Franci dixerunt : vt præcipuo nomine tam inusitatum bellum diceretur, cuius miseriis nullum exemplum in Annalibus foret. CAROLVS IX. Ligue. XX.

Porrò id fœdus, si originem primam arcessam, ortum videtur ab æmulatione Mommorancíorum atque Guisiorum ; cùm enim Henrico II. regnum moderante, post cladem Sanquintinianam Franciscus Guisius ad apicem gloriæ militaribus factis conscendisset, ac rursum post pacem Cameracensem Mommorancius Comestabilis, recepta apud Regem familiaritate, rerum potens esset ; nascitur æmulatio atque contentio, quæ mox Rege cæso in factionem ac bellum exarsit. Quippe ad Mommorancios accesserunt Principes regij sanguinis, qui à Catharina excluſi regimine, ad nouæ religionis homines conuersi, audaciam, militem & pecuniam, ad fouendas & promouendas partes, assequuti, bellum diuturnum & perniciosissimum intulerunt. Guisij similiter, vocatâ in opem religione Catholicâ, & præclaris facinoribus gloriam tuiti, Francisci II. gratiâ, & Catharinæ in Principes odio sustentati, factionem suam egregiè propugnabant. Erat eius mens & caput vnicum, Henricus Guisius Francisci filius, qui patri haud impar, iam puer à patruo Cardinale Lotharingo ad defensionem Catholicorum admotus, strenuè & fortiter prouinciam illam impleuerat. In præsentia remis velisque passis nauigantem, repente obiecta syrtis afflixit, Henrici Regis voluntas mutata, & beneuolentia in metum & suspicionem deficiens. Etenim Henricus in memoriam reuocans, quos sibi nondum Regi animos in Carolum fratrem fecisset Guisius, vt defectionem sæpe inspirasset, vt quinquaginta hominum millia parata ad nutum affirmasset ; non dubitabat, quin eodem animo & simili auctoritate Guisius, potentiam aleret regiæ supparem. Eamque ob rem cùm statuisset æmulum sensim deprimere atque abiicere, odisse palam nondum ausus, cepit non amare, at nondum beneficiis detrahendis potens, eorum cursum intercludebat. At Guisius ea mutatione perculsus, quasi retrò reuolueretur potentia, & euanescceret, quia non crescceret ; ad asserendam dignitatem veterem, nouamque comparandam, siue vt fidem Catholicam laborantem admodùm propugnaret ; factionem in ipso regno instituit ; quæ validissima esset ope omnium Ordinum ; & in speciem honestissima, ob veræ Religionis defensionem. Opportunus erat huic compingendæ articulus, pax proxima Hugonottis concessa ; in qua tam multa iis donabantur, vt iam hæresis missa compedibus, vagandi liberè & grassandi licentiam nacta nullo fræno imposterum cohiberi videretur posse. Hunc vrgebant metum Regis considerata indoles, & perpensi Principum regiorum mores. Iam Rex in contemptum abierat ; fœminæ rerum gubernaculum tradere, nihil delibare regni præter delicias ; cum intimis adolescentibus versari perpetuò, & in conclaue abdi ; ignotum, obscurum, & tenebricosum ; nusquam militiæ, rarò in populorum oculis comparere, vti hactenus à Regibus Franciæ aliena erant, sic Francorum reuerentiam atque amorem extinxerant. Et proximi è regia stirpe Principes odium præterea incendebant ; Alensonius, quem deinceps

Ligua origo.

HENRICVS III.

nuncupabo Andegauensem, existimatus ob Admiralij consuetudinem clam imbutus hæresi, atque in Hugonottos propensus haud dubiè, quibus nuper commodissimas illas conditiones confecerat, Catholicos à se alienauerat; Nauarrus & Condæus palam in Hugonottorum castra, & templa transiuerant; vt zelo religionis suæ inflammatis, atque vt rebantur mergendis naufragio, nulla iam tabula præter Guisium vnum supereslet. Ad eum igitur Catholici omnes conuertere se, appellare opem, prouocare fortitudinem, & amorem religionis in tutelam regni inflammare. Nec ille diu appellari se patitur, imò vt compingeret machinam quam nulla vis frangeret; per emissarios fœderis formam scripto consignatam tradi singulis curat, in quam iurarent, qui auitam religionem sartam tectam vellent. Porrò scripti ea formula erat, vt à sanctissimæ Trinitatis nomine capto auspicio, tria potissimùm in scopum huiusce fœderis sibi proponerent, primùm ad legem Dei stabiliendam, eiusque cultum iuxta Romanæ Ecclesiæ ritum asserendum; tum ad Regem Henricum III. in regno firmandum, eiusque successores, & vindicandum obsequium; postremùm ad restituendas Regno & Comitiis regni immunitates, honores, & libertatem, quas Francia obtinebat Clodouæo regnante. Deinde in eas res bona & salutem suam addicebant, polliciti se habituros hostium loco, qui huic fœderi repugnarent, & ad eorum perniciem atque exitium enixuros se tota corporis atque animi contentione. Præterea iurare se obsequium Duci qui legeretur, cuius auctoritate plecterentur omnes qui officio suo fungi renuerent. Ac demùm iurabant pœnâ æterni anathematis se quod legerant scriptum impleturos; seque in id fœdus sanctissimum instè admissos, siue ad imperandum siue ad obsequendum; quod tuerentur ad vltimam sui sanguinis stillam, nullâ in contrarium excusatione prætensâ. Scriptum eiusmodi Parisiis clam per singula capita & tectorum abdita irrepebat; admittentibus primùm facinorosis, delatoribus, prodigis, & quibus malum publicum pro deperditis facultatibus foret, ac pro flagitiorum pœnis, licentia atque impunitas; mox accedentibus ciuibus, quos fidei amor, & credulitas simplex, ignaros in perniciem tectam inducbat; vt lues passim magnam vrbis partem corriperet. Postea quod fit in pestilentia, ab ciuitate in proximos agros spargitur malum, inuaditque Picardiam. Præ cæteris Franciæ populis, Picardi pietatis sinceræ & auitæ Religionis cultores, Condæum prætorem ferebant impatientiùs; modò Perona inexpugnabilis ciuitas illi in asylum & receptum tradenda, præter indignationem, commouebat metum, ne Condæus hæresin prorsus inueheret, néve belli insaniam in prouinciam & Peronam ipsam induceret. Sic affectis animis adfuit Dux, Iacobus Humerius, Peronæ, Mondiderij & Royæ præfectus, nobilitate, auctoritate atque diuitiis præpollens; qui in Condæum incensus, tum ne Perona deturbaretur, tum in Mommorancios priuatim offensus, tum zelo fidei; fœderis scriptum admittit; vocatque in consortium tum prouinciæ Nobiles, tum Peronam,

D'Humieres.

atque

atque alias ciuitates. Deinceps id fœdus è Picardia in Pictones transuolat; promouente Ludouico Trimollio, cui Hugonotti arces & oppida eripiebant identidem; & plerique Nobiles in cæteris prouinciis idem pepigerunt. Nec ea factio Regem latuerat, quam assensu tacito alebat, cupiens ea tolli Hugonottis quæ necessitate actus permiserat; nec Moruillerius, cuius in consilio summa erat auctoritas, improbabat fœdus; imò Catharina turbarum amantissima, clam fouebat incendium; & omni ope præsto erat auctoribus. Sic per ea initia, progressusque, adoleuit soboles, quæ deinceps tum inimicis tum amicis atque nutriciis perniciosa, parentem ipsum, vnde ortum habuit in exitium trahet.

XXI.

Bellum sextum in Hugonottos.

At primus eius fœderis partus bellum fuit in Hugonottos proximum, quod est numero sextum. Condæus Peronâ sibi assignatâ excluditur, conuentus ciuium, in eius perniciem celebrantur, nec Peronâ modò sed & Picardiâ pellitur; mittit Balsacium Montacutum qui apud Regem expostulet, eoque non audito, in Aquitaniam ad Nauarrum tendit. Quem posteaquam ad vires iungendas impulit, Durasio in Feruaquei locum inducto (nam Feruaqueus visus Reginæ consilia Nauarri prodere) & ipse Fanum Ioannis inuasit, atque Broagium Mirembæo eripuit, Rupellaque exceptus est, inuitis ciuibus, Ministrorum gratiâ & auctoritate; iamque videbantur in bellum ruere omnia. Illud porrò proxima regni Comitia in medium Nouembrem indicta reprimunt aliquandiu, operiente vtraque factione, quid per illud vniuersi regni consilium statutum tandem ac decretum foret. Etenim Rex ob finem geminum ea condixerat. Primùm, vt expostulantibus os & querelam obstrueret, regimen incusantibus, & trium Ordinum Comitia flagitantibus; deinde vt proximum Maij Edictum, tantoperè Hugonottis vtile & accommodatum, omnium Ordinum auctoritate peruerteret, & bellum si occasio foret potenter inferret; eos in fines curauerat in Prouinciis ad Comitia designari Catholicos Hugonottis exclusis; sed dum Blesiam illi conueniunt, ad arma conclamatur, vno Alberti, quem Luynium appellabant, facinore. Is Pontem sancti Spiritus, quod in Occitania oppidum, Rhodano adiectum, occupat, atque in eo Toræum Mommorancij fratrem improuisum capit; hinc Damvillæ & Hugonottorum querelæ, quasi violatâ pacis & iusiurandi arâ sacrosanctâ, & quamquam pòst Toræus missus sit, flagitatum acriter vt vrbs redderetur. Eos inter motus ad Comitia legati conuenerant Blesiam, iisque post supplicationes & preces datum initium, præclara Regis oratione. Sedebat sub vmbella, aderantque præter Reginas, Cardinalis Borbonius, Contyus & Suessionensis, Condæi fratres, Mompensierius & Princeps Delphinus, Philippus Emanuel Dux Mercurij Ludouicæ frater, Dux Maynius, Dux Vzatensis; atque Antistites Franciæ Pares; fuitque argumentum orationis, expostulatio de Regni calamitatibus; adhortatio ad conciliandam salutem publicam & totius regni tranquillitatem, ad euellenda bellorum ciuilium semina, corruptelam morum emendandam, &

Balsac Montaigu.

Luynes.

Comitia trium Ordinum.

HENRICVS III.

leges ad dignitatem priſtinam reuocandas. Quæ Rex tam aptè, tam eloquenter, maieſtate tanta diſſeruit, vt omnibus amori & admirationi fuerit. Eam orationem ſermone ineleganti excepit Biragus Cancellarius, & exigendæ pecuniæ neceſſitatem pluribus oſtendit. Actæ Regi ab Oratoribus trium Ordinum gratiæ; pro Clero dixit Petrus Eſpinacus Archiepiſcopus Lugdunenſis; pro Nobilitate Claudius Seneſcæus; pro tertio Ordine Petrus Verſorius Cauſidicus Pariſienſis fori clariſſimus. Tunc illicò delata ad Regem Ordinum poſtulata, ex quibus percepit fœderis fermentum in legatos plures emanaſſe; ſimulque allatum eſt quoddam ſcriptum Dauidis Pariſienſis Cauſidici, quod vt dicebatur Romam miſſum, inde ſuffragia & auctoritatem ſacram repoſcebat; porrò in eo fœderis deformitas oculis ſubiiciebatur, palámque Regnum abrogatum Regi, conferebatur in Guiſium; quod ſcriptum probiſſimus quiſque, vt ab vno capite turbulentiſſimi viri arbitratur profectum, ita nec Romæ à Pontifice, nec ab fœderatorum vllo in Francia eo comprobatum tempore affirmat. Attamen Rex cùm fœderatos ad incolumitatem Religionis prorſus incaluiſſe animaduerteret, eoſque vehementer Ducem ad profligandam hæreſim flagitare; de matris & Moruillerij ſententiâ, fœderi ſubſcripſit, ſeque illius Ducem & auctorem profeſſus eſt. Prauo ſanè conſilio, vt qui omnium eſſet Rex & parens communis, iam factionis Ducem ſe gereret, & ipsâ regiâ auctoritate, Regum luem atque perniciem aleret. Deinde agitatum de Religione, & quidem paſſim ſtatutum à ſingulis, vti Franci omnes ad Catholicam fidem & Romanum cultum adigerentur; ſed de modo & ratione adigendi diuerſæ omninò ſententiæ erant; quibuſdam ſancientibus, id debere fieri citra bellum & publicæ quietis perturbationem; aliis, qui plures erant, nullâ appoſitâ conditione, vel bello & armis aſſerendam Religionem dicentibus. In iis ſententiis ambigente Rege ad quam accederet, vt ſpatium ad deliberandum amplius foret, legatos mittit ſingulos, ad Nauarrum, Condæum, & Damuillam; qui ad Comitia inuitarent, docerentque omnium Ordinum calculos ad vnius Religionis cultum ſuffragati. Dum ij viam inſtituunt, edictum Rex ſcribit, vrgente Mompenſerio, quo princeps locus Principibus Regij ſanguinis eſt aſſertus, iique Paribus Franciæ antelati ſunt, quæcumque inſtitutio aut antiquitas dignitatis foret. Ea inter cùm legati ad Principes contendiſſent; vnum à diuerſis reſponſum accipiunt, quamquam modo diuerſo redditum; nam Nauarrus moderatè reſpondit, fieri non poſſe vt vna dumtaxat Religio coleretur in Francia; ad ſe quod ſpectaret, eam ſe amplecti, quam crederet ſanctiorem; ſi Deus aliud in mentem induceret, paratum ſe Diuinis nutibus & luci obſequi; Condæus agens auſteriùs, non admiſit legatos, cauſatus eos non legitimè conuenìſſe, nec ſe hoſtium cœtum habere pro Comitiis regni; ſimúlque haud dubius, quò ea Comitia inclinarent, ad bellum imminens delectum habet, vimque intentat. Damuilla poſtquam affirmauit tueri ſe Religionem Catholicam, negat legitimum eſſe Comitiorum conuentum; & hæreſin bello, quod apparatur, adaugendam potiùs quàm tollendam. Ita legatis Bleſiam reuerſis; & perſtante varietate ſuffragiorum,

Seneſcay.

Anno 1577.

vt

vt bellum ad tollendam hæresin inducerentur; tandem Condæo & Navarro arma iactantibus, in Comitiis Rex edictum sancit; quo primum testatus, se Hugonottos in fidem & tutelam suam suscipere, ne quid eorum facultatibus, saluti, & conscientiæ detrimenti inferatur; addebat, ad publicam tranquillitatem se postulatis Comitiorum refragari non potuisse; quæ flagitabant, ne vllam Religionem præter Orthodoxam palam exerceri in Francia pateretur; contra quod placitum si qui armis insurgerent, iubere se, vt vi cogerentur, atque perduellium instar plecterentur. Et eo decreto bellum indictum est; nec enim ij Hugonotti erant, quos à peruicacia verba absterrerent, tantis stragibus cladibúsque superstites etiam & imperterriti. Atque id Regi exploratum erat, qui simul cum edicto geminum conscribi exercitum curat; quorum alter fratri Andegauensi traditus, Maynio alter. Data erat Andegauensi legataria in regnum potestas, isque in Hugonottos vehementer incensus, quibus se despicatui esse audierat, tum ad vsurpandam nouam potestatem, tum ad vindicandum contemptum, cupidè regimen exercitus suscepit; prohibuit tamen ne Guisio alter traderetur; quem multum oderat; nec Regis æmulatio in dignitatem eius assentiebat. HENRICVS III.

XXII. *Bellum in Hugonottos geritur.*

Maynij copiæ primùm instructæ infunduntur in Pictones, pelluntque Condæum, qui Broagio iterum Mirembæo erepto, Mirembæum ipsum quamvis Hugonottarum partium obsidebat. Postquam Condæus copias Regiis inferiores in proximas insulas misit, seque Rupellam recepit, plura oppida inuadit Maynius, atque ad Rupellæ portas adequitans, circùm agros vastat, nemine erumpente, & latè potentiam in viciniam promouet. Quippe Rupellenses intestinis odiis laborabant, eratque dissidium ciuem inter & Principem, ob noui Consulis electionem; nec Condæus ipse pervidebat satis quid agendum foret, amisso consilij & suarum rerum gubernatore, Balsacio Montacuto; qui Religione Catholicus, & Ministris inuisus, in suspicionem apud herum vocatus, exorata facultate abscesserat, séque in priuatos lares receperat. Cum Navarræ Rege gerebatur mitiùs. Eum Mompensierius, Viennensis Archiepiscopus, & Biro, Bergeracum conuenerant; ac tametsi de ratione pacis nihil certi constitutum sit, tamen lentè & progressu ancipiti, studia belli intendebantur. Ferociùs ab Andegauensi arma promota sunt. Erant in exercitu duodecim peditum millia, equites bis mille supra octingentos, viginti duo tormenta: ac legati, Duces Guisius, Nivernensis, atque Aumalius; Biro tormentorum præfectus, & Chatrius castrorum tribunus, & consiliorum Andegauensis intimus moderator. Tendenti in Aruernos vrbs Charitas primùm obiecta est, quam tenebat Landius Navarri summus cubicularius, raro milite & munimentis imperfectis inualidam; attamen tres impressiones sustinuit; vrbemque mox tradit, pactus ciuium incolumitatem; quam Guisius illibatam seruauit; frementibus Italis, quod Martinengus ipsorum ductor, pugnando ad occupandum pontem cæsus esset. Mox Andegauensi & Guisio Regem Blesiam conuenientibus, Nivernensis in Arvernos exercitum ducit, & Issoriacon admouet. Vrbem Chavanacius Hugonottis commissam,

La Chastre.

Des Landes.

Issoire.

Chauagnac.

HENRICVS III.

sam, & in exitu montium positam, forti præsidio tuebatur; dum Merla centurio multis facinoribus celebris, in Cevenio tractu instrueret ad ferendam opem subsidium. Tribus è suggestis librata in murum tormenta, & verberatio incepta; primum Guisius, alterum Nivernensis, Mercurius tertium insidebant: ac ruinâ tergeminâ illatâ, constitutum vti postridiè triplex horâ condictâ inferretur impressio; veneratque Milliaudio Andegauensis, vt præsentia militi animum faceret. Die dicta Guisius cupiditate gloriæ prouectus, ratusque laudem vulgarem esse quæ consortes admitteret, fortitudine præproperâ, ante horam designatam, ruinam sibi obiectam aggreditur, & temeritas ne præcoci fortitudini deforet, nullis armis tectus: continuò Guisium tota Nobilitas, qui Francorum est genius, imitatur atque inermes pugnando strenuè ad labem euadunt. Sed temeritati suum præmium fuit. Post atrocem pugnam repelluntur Catholici, ex Nobilitate haud pauci occumbunt; ipse Guisius cum in turri solus per mediam horam vim fregisset hostium, admirabili fortitudine primam temeritatem excusans, tandem pressus numero in subiectam fossam insilit, euasitque incolumis; perstititque turri Guisij nomen atque in posteris facinoris laus. Nivernensis interea suos in castris continuit, vetuitque certantibus opem ferre; dicens opperiri se donec signum ad pugnam daretur; idque tam laudi quam vituperio fuit; dum mandatum, vel inuidiæ vel disciplinæ militaris curæ adscribitur. Ipse attamen quæ sequuta est die, continuata verberatione tam latam intulit labem, vt obsessi deiecti omni spe ad victoris arbitrium eo ipso die sese dediderint; adeò prudentia fortitudinem promouet, plusque industria quam impetu geritur.

Le Merle. Les Cevenes.

Damuilla in Hugonottos.

Parcitum feminis, vrbs direpta, & fortè concepto igne incensa est. Damvillam interea occultis consiliis eripuerat Rex Hugonottis. Aggressa eum primùm coniux, dein Bellegardus vetere amicitiâ iunctus, expugnauerant tandem dubium animum; receperatque se deserturum hostium partes, postquam vrbes in Occitania plures, in quibus clam alebat consilia, occupasset. Verùm cum Ministrorum vigilantiâ, quæ suspicassima omnium gens erat, prohiberentur consilia, eumque Monspelij ingressu arcuissent; palam hostem se professus, Monspelium intercluſis aditibus adigit ad penuriam cibariorum. Iam alterum mensem vrgebat penuria, cum Castillonius Admiralij filius, obscura nocte erumpens, ex Cevenio tractu & Rutenis, magna celeritate, instruit quatuor hominum millia; iisque fretus viam remetiens, atque in Damvillæ militem irrumpens, in vrbem penetrat, vnóque impetu in hostem reuersus, quâ parte vrbis premebatur arctiùs, fugat militem, munimenta doliaria euertit, atque ipsa dolia frumento farta in vrbem rapit; eodem facinore hostem pellens ac famem. Et ea belli appendix, cuius momentum ad Rupellam erat.

Les Cevenes.

XXIII.

Broagium captum.

Rex Pictavij agebat, ad vrgendam obsidionem Broagij. Broagium oppidum conditum nuper in Santonum ora, paulò infra Rupellam, huic celeberrimæ vrbi surgebat æmulum; situs à natura commodus incolas primùm, dein munimenta acciuerat; munimenta vtrique partium obtinendi cupiditatem exciverant. Quâ littus Oleroni insulæ adiacet, Oceanus in obiectos

obiectos agros canalem] immittit, protenditque ad duarum leucarum spatium, porrectum in latum per quingentos passus; circum paludes salsæ in agris restagnant, ex quibus magno incolarum fructu sal abundè conficitur. Canalis ostium ipsa natura maris vt prædonibus clauderet, syrtes quasdam & arenarias moles opposuit, per quas nauibus difficillimus aditus; atque vt videretur incolis maximè consuluisse, ipsi canali tranquillitatem miram conciliauit, sicque obtexit à ventorum insania, vt tutissimus Aquitaniæ portus habeatur. Ad eum canalem millesimo passu ab aditu, Iacobus Mirembæus loci Dominus situ perspecto, quædam tuguria nautis primùm posuerat; mox oppidi speciem; postremò vrbem, quam munimentis atque aggeribus accuratè cinxit; dixeratque de nomine suo Iacopolim; sed hæsit Broagij appellatio, à turri Broa, quæ iam olim erat ad Canalis limitem erecta. Eam porrò vrbem Mirembæo quamuis Hugonotto Condæus ademerat, Rupellam alteram paraturus, & munimentum insulis quas tenebat, imposuerátque cum præsidio valido Mongommerium & Manducagium Picardum nobilem; præterea ope Rupellensium classem instruxerat cui Clermonambosium præfecit. Maynius exercitum eductum Pictonibus oppido admouet, & Lansacus Regis iussu classem Burdegalâ ad promouendam obsidionem adducit. In classibus quoniam agebatur momentum expeditionis præcipua Ducum cura impensa; sed Lansacus prudentiâ & felicitate præpolluit. Primùm ad fauces canalis applicat naues, dum triremes quinque ab Monlucio equite Melitensi adductas, nequicquam hoste prohibente, excipit; deinde nauigia incendiaria ab hoste submissa, arte nautarum nullo damno intra classem recepta, suis flammis ardere incolumis spectat. Tum felicitas industriam iuuat; Clermonambosius, dum in canalem penetrat nauarchis imperitè clauum gubernantibus, tres è maximis nauibus in arenam impactæ franguntur; at contraria sorte vna ex Regiis, dum incendiariis scaphis se explicat, fluctu infra Broagium vecta, eodem loco hæret, prohibetque ne cibaria inferantur obsessis, ipsa vbere commeatu instructa. Præterea cùm Ambosius constituisset pugnare, medio die, cùm intumescit maximè fluctus, repente ventis ponentibus, & loco fixus malaciâ, Lansaci tormentis percellitur, admotis prope triremibus, donec ægerrimè ab hac fauce eductus, postea plerisque nauium dilabentibus, classem soluit. Interea Maynius oppidum vehementissimè oppugnat, capitque frontem duorum propugnaculorum; iam plerique ex obsessis ceciderant, Manducagius saucius iacebat; summa frumenti inopia erat, aqua penitus defecerat; ardebantque vehementissimâ siti omnium corpora; Lansacus canalis os mole occluserat; & nuntiabatur Andegauensis victorem exercitum ex Aruernia deportare; vnde Strossio compellante obsessos, ij faciunt deditionem, vitam pacti, arma & sarcinas. Ab eo facinore pronis animis pax conciliatur. Eam Rex plurimùm expetebat; siue otij cupidus, siue impulsus ab Andegauensi, quem expeditio Flandrica commouebat; siue omninò post calamitates componendi regni studiosus, subditos in vnum corpus coalescere cuperet; veneratque Pictauium potius ad curandam pacem quàm bellum vrgendum. Aderant

HENRICVS III.

Clermont d'Amboise.

Pax facta cũ Hugonottis.

HENRICVS III.

iam ante qui agerent cum Navarro Mompenserius, Biro, & Villaregius, & conficiebant concordiam, quam à Navarro exigebat necessitas; nam intus & foris aduersa illi cuncta accidebant; nec Condæus diu se appellari de pace patitur: discordiâ ipsum inter & Rupellenses perpetuâ, afflictissimisque Hugonottorum partibus. Nec iis vlla pax opportunior contigit; quippe cùm animos diremisset discordia, destituisset milites prima fortitudo, inuasisset auaritia, libido, & eiusmodi vitiorum colluvies; nunquam propiùs ad ruinam admoti sunt, eratque non arduum Regi factionem totam extinguere, nisi maluisset parcere, vel subditorum saluti, vel suæ sollicitudini. Pax itaque Bergeraci sancitur, curantibus Mompensério & quos appellaui; iisdem prope conditionibus, quæ postremo Edicto conuenerant; nisi quod religionis exercitium paulò arctioribus finibus conscriptum; eædem vrbes concessæ, præter Monspelium pro Bellocadio datum, nec Issoriacum restitutum est. Tum Noüa in Occitaniam missus, commodùm aduenit equis veredariis, cùm Damvilla ad pugnam adducebat copias, ac Monspelio Castillonius prodibat, ruebantque in prælium; sed iras statim caducifer novus compescuit: Franco ex temporaneo ad hostem tam deponendum, quam admittendum.

XXIV. *Regis intimi cæsi.*

Henricus tranquillitate recepta, fruiturus bono quod parauerat, regressus ad otij molliora negotia, ludo, choreis, ad pendentem annulum decursionibus, intima cum iuuenibus adolescentibus consuetudine, horas terit atque absumit; quamquam, vt res humanæ sunt, rara est prosperitas quam aduersitas sua non rumpat, nec ipsis Regibus inuiolatus est voluptatum vsus. Primus Regi dolor ab ipsis instrumentis gaudij oritur, intimis adolescentibus, quorum tres breui intervallo miserè cæsi sunt. Iam superiore anno Duguasius, Tribunus prætorianæ legionis, ab inimico priuato dum securus in lecto somnum atque impudicam mulierem opperitur, per occultas insidias occubuerat; modò florebant Regis gratia Quelusus & Maugiro; quorum Quelusus ab Entragueto prouocatus in singulare certamen perimitur, & Maugiro ab Entragueti socio; tum haud multo post Sammaigrinus, in eandem familiaritatem admissus, dum Luparâ noctu egreditur, per adornatos sicarios triginta tribus prostratus vulneribus interficitur, ingenti Regis luctu, & inani impensâ funeris dolorem solante. Deinceps in eorum locum subrogati Franciscus Sanlucius, Annas Ioyeusa Guillelmi in Occitania legati filius, Bernardus Nogaretus, & Ioannes Ludouicus frater, Valetæ filij; nec sine offensione Francorum, querentium in eiusmodi iuvenes immensam effundi tum pecuniæ vim, tum beneficiorum & dignitatum multitudinem, ingenti totius regni miseria. Quippe Rex, ne quod effunderet, deforet, edicta identidem, quæ pecuniaria nuncupant, in Senatum Parisiensem curabat deferri; quibus aut magistratus noui creabantur, aut vectigalia imponebantur, æquali reipublicæ detrimento, cùm magistratuum numerus Regem, & subditos pro tributo premat. Eas ob res marcescebat subditorum amor atque deperibat, & in Guisium inualescente fœdere conuertebatur. Cui fœderi novum fulcimentum adiungit expeditio Flandrica Andegauensis; quæ tametsi

Quelus. Et Maugiron. Entraguet. S. Maigrin.

S. Luc. De Ioyeuse.

HENRICVS III. Anno 1578.

metsi Rege inuito in speciem susceptа, tamen Regem Hispaniæ, vel impulit mox ad talionem, vt fœderatos sustentaret; vel excusandi modum suppeditauit, vt Catholicorum partes foveret in Francia, dum Hugonottos in Belgio Francus promoveret. Porrò expeditionis ea causa fuit. Recurrebant inimicitiæ Regis cum Andegavensi, & familiaribus odia mutua incendentibus, Aula Andegauensi, vt dicebat ipse, pro tortore erat; quamobrem appellantibus in Belgium aures præbet & mentem. Totius rei & consilij seriem Belgarum Historici accuratè perscribunt; mihique iam antè cùm sit persuasum in eiusmodi bella non digredi, satis erit observare, Belgas ab Duce Albano immaniter habitos, agitasse consilia noui imperij ac primùm Orangio Duce Hugonottos secessionem fecisse; atque vrbes plurimas in Hollandia atque Zelandia insedisse; tum Catholicos accessisse ad Orangium; ac consensu communi Andegauensem ad regendas prouincias appellasse. Ille cùm expeditionem susciperet, intercedit Rex, vetatque progredi, siue quadam æmulatione aut inuidentia fraternæ gloriæ, sive Bussiambosij offensus proteruiâ, & custodes occultos fratri assignat; quibus illusis Andegauensis se fugâ proripit, primùm Andegavum; dein paratis aliquot copiis in Hannoniam, bellumque pro libertate Belgarum, vt ipsi secessionem suam appellabant, instituit. Ab eo captæ aliquot vrbes; sed ortâ ipsum inter & Casimirum æmulatione aliquantò pòst in Franciam regreditur; tentaturus postea expeditionem alteram, euentu neutiquam meliore. Eos inter Aulæ variantis æstus, Rex honorandæ Nobilitati novum Ordinem condit; eúmque voluit de sanctissimi Spiritus nomine nuncupatum, quod die Pentecostes Christianis colendissimo, tum in lucem ipse Rex prodiisset, tum in geminum regnum Poloniæ & Franciæ inauguratus; idque susceperat, obscurato iam Ordine sancti Michaëlis, ac traducto ad vilissima capita, vt torquis equestris non apex gloriæ, meriti præmium, aut laudum esset fastigium, sed ignobilium mercatorum ornamentum aut dedecus, atque à nobilibus datum famulantibus in præmium aut contemptum. Eamque honestissimæ rei vtilitatem copia fecerat; nam ab Ludovico XI. institutore ad Henrici II. annos postremos, numerus equitum non impletus erat; tanta habebatur delectus ratio; mox breuissimo spatio, mulierecularum auctoritas, & Reginæ moderantis infirmitas, honoratissimam torquem humillimis collis dehonestauerat. Catharina interea agebat Neraci cum Navarræ Rege, ad reliquias belli extinguendas; quamquam incauta noui fomitem belli adduxerat, Margaritam Navarri coniugem, quæ à Rege iussa aula exire, atque ad maritum conferre se, nata iniuriam quod molestum ipsi & tædio foret, vltionem coquebat. Regina Tolosa in Occitaniam venit, amicè & beneuolè Damvillam excipiens, à quo deducta Massiliam Prouinciæ Phocensis turbas, dato in Prætorem Priore Melitano equite, Guisij fratre, oppressit, Rasorum factione extincta. Tum per Delphinates Gratianopolim venit, agitque cum Sabaudiæ Duce, recepto in gratiam Bellegardo, qui dicebatur Salussios velle occupare; reditque Parisios, cum Andegavensis post infœlicem expeditionem, ad Regem venisset, Bussiambosio ab gratia sua deiecto; idemque Ambosius haud

Alenſonius primò in Belgium.

Anno 1579. *Ordo ſancti Spiritus.*

HENRICVS III. XXV.

multò post ab Monsoræo perimitur, vindicante adulterium coniugis; Deo in tanta morum corruptela, vindicante terrorem diuinæ iustitiæ.

Septimum in Hugonottos bellum.

Tranquillitatem partam Rex putabat, cùm repentè nouo bello concutitur, culpâ haud suâ, sed alieno consilio, vel vnius feminæ vltione. Effluxerat tempus, quo vrbes obsides Hugonottis datæ debebant restitui, & fœderati Regem vehementer vrgebant, eas vt repeteret: eam ob rem ad Nauarrum miserat qui reposcerent, Abbates primò Gadanium, dein Elbenam, postremò Rambouilletum, breui temporis mora; iussis minas addens. Et Nauarrus obtemperaturus haud dubiè erat, nisi arcanis feminarum machinis, & Andegauensis consilio, in necessitatem belli coniectus esset haud volens. Nam Andegauensis, spe expeditionis Belgicæ suscitatâ, cupiebat bellum seri in Francia, cuius tædio Rex, ad militem amoliendum, pateretur arma conferri in Belgium; qua de causa Nauarrum instigabat in bellum, operam pollicebatur, ac si res minùs belle succederet, pacem certam. Catharina idem suadebat Nauarro, ne vrbes restitueret, quod in Neraci colloquio inter ipsos conuenerat; forsitan vt nouo bello Regem à veterno & voluptatibus Aulæ excitaret. Sed aculeus, supra omnes validus Margarita coniux, quæ in Regem fratrem incensa vehementiùs, tum ob veteres offensiones, tum nuper quod Rex scriptis ad Nauarrum litteris, pudorem ipsius grauiter læserat, vocatâ in suspicionem Turenij consuetudine; statuit quietem eius abrumpere, atque ambagibus belli implicare refugientem atque inuoluere. Id marito vt persuadeat, matrem imitata, insuetas ad bellum machinas admouet, blandimenta mulierum; etenim matronas virgineſque comites suo consilio imbuit, vt Regi Nobilibusque acceptæ, eos quà iocis, quà precibus, quà blanditiis, inflammarent in bellum, excitato veteri Martis Veneriſque commercio; & ipsa Regi adornat virginem, Fosseusiam dictam, quæ candida simplicitate heræ obtemperans, & tenerrimo iuuentutis flore herum alliciens, ore blandissimo Martem egregiè concinebat. Ita Nauarrus, nullo apparatu, leui & imprudenti consilio, ducibus admodum cæcis, Margaritæ odio, & Andegauensis ambitione, in bellum intruditur, quò ægrè & alienâ operâ se se expediet. Susceptum consilium aliquandiu latuit; dum arcanæ machinæ adornantur; ac mox Vere proximo maiori strepitu quàm damno erupit; Quinque prouinciæ eo statim infestæ, Pictones, Picardia, Occitania, Delphinatus, & Aquitania. Singulas persequor, in postrema vbi belli pondus, pacem reperturus. Rex ad belli fremitum, tres conscribit exercitus; quorum vnum Biro in Aquitaniam duceret, alterum Matignonius Marescallus in Picardiam, tertium Maynius in Delphinates; præterea curam dat Ludio Pictones compescendi, Mommorancio Occitanos; & is Damuilla erat, qui Mommorancio fratre nuper longâ ægritudine sine liberis mortuo, in fratris nomen & hæreditatem succesſerat: ego initium à Pictonibus faciam. Sexaginta vrbes clandestinis consiliis inuadere Hugonotti decreuerant, sed plerumque fallentibus eiusmodi machinis, quibus instruendis adornantur tam multa, duæ dumtaxat captæ sunt, Cadurcum vi, Montacutum fraude. Est Montacutum oppidulum, in Pictonum Britonumque limitibus, quod Catholici

Fosseuse.

Montaigu. Bellum in Pictonibus.

tholici cum tenerent præsidio, Boulayus adolescens nobilis magni spiritus, præfecto vrbano per insidias capto, nullo periculo occupat, atque in proxima oppida vastitatem infert; dum Rupellenses & cæteræ Hugonottorum vrbes pacem colunt, nec se inconsultis tumultibus miscent. Ludius infixum prouinciæ suæ aculeum vti auelleret, præmisso Lauderæo, copias Montacutum ducit, & vetitâ oppugnatione, (tanta fuit propugnantium fortitudo,) intercludit dumtaxat aditus, hæretque tribus mensibus, non sine iactura, erumpentibus obsessis fortiter, donec firmata pax tam obsidentes quàm obsessos soluit. In Picardia Fara obsessa feliciùs, & quidem capta. Condæus primùm ab Nauarro dissentiebat, nec se loco mouerat; siue indignatus, quod Turenium ille legatum dixerat, siue futurus factioni caput, suasque res suo auspicio ducturus. Et quidem Regi aures præbuerat, excitanti spem regendæ Picardiæ atque obtinendæ, quod erat summum eius votum; postea cùm animaduerteret spem conceptam verbis nullo facto impleri, seque inani pollicitatione eludi, aggressus ipse exequi quod Rex cunctabatur, è Pictonibus profectus celeriter, Faram per Genesium & Liramontem occupatâ portâ inuadit, obtinetque; Rege post acerbas querelas ratum habente, quod prohibere haud poterat, ac Principe recipiente, se nullum prouinciæ illaturum incommodum. Sed Picardis incensis Catholicis, cum Principe Hugonottorum antesignano, conuenire non poterat. Ij expostulant, exclamant, appellant spem fœderis, quod in meditullio prouinciæ suæ noua Geneua surgeret, idem Parisienses queruntur; idem Aumalius Picardiæ prætor; iamque Catholicorum cœtus conuocantur, arma rapiuntur, Rex vt fautor hæresis in suspicionem adducitur, cogiturque copias scribere, quas ad recipiendam Faram Matignonio attribuit. Et Condæi profectio Regem eò impulerat, qui Farâ in Germaniam contendens, instauraturus regni miserias putabatur, scribendo è bellicosissima Germanorum gente exercitu, & inflammandis in Franciam Protestantibus. Nam is primùm in Angliam nauigans, beneuolè ab Elisabetha acceptus, pollicente pecuniam, negante militem, transmittit in Belgium, atque Antuerpiæ cum Orangio colloquutus, festinabat Francofurtum ire, vbi mercatura militum; atque transigit cum Casimiro de legendis copiis in proximum annum. At Matignonio vrbem obsidenti erant octo peditum millia, equitum tria; præterea tota Aulæ nobilitas, in qua eminebant Regis gratia celebres, Arquius qui Ioyeusa, & Valeta iunior. Nec Matignonius oppido instabat vehementiùs, cùm nihil foris periculi esset, parceretque saluti militum, cunctatione prudenti: at Guisius atque Aumalius qui in castra venerant, ac Valeta iuuenis ardentis indolis, & laudem fortitudinis ambiens, moræ impatientes, rem vrgebant. Et quidem Valeta in sua statione molem erexerat, cui tormenta imposita singulas vrbis partes infestabant, adiunxitque noui generis in amne machinam, quæ librata ponderibus attolleretur ac deprimeretur, eámque sclopetarij plures insederant, propugnantium aggeres & munimenta frequenti explosione vexantes. Quibus fracti obsessi, magnâ militum cæterarumque rerum penuriâ, Matignonium de conditionibus appellant, eásque nacti,

HENRICVS III.
La Boulaye.
Du Lude.
Fara obsessa & capta.
Genes & Liramont.
Anno 1580.
Fara obsidio.

HENRICVS III.

commodas, vrbem dedunt; Valeta obstinatius muros verberante, dum pacta scribuntur; & dissimulante Matignonio; cuius prudentiæ laus facinoris debita. Quamquam eam Guisius sibi arrogauit, & Matignonium priuatum sibi inimicum creauit; quando rapina forti viro nulla molestior, quàm meritæ laudis & gloriæ. Modò ad cæteras prouincias pergo. Cùm bellum animo statuisset Navarrus, nummorum ex auro resectas ferro partes dimidias, per fidos homines ad Castillonium & Lesdiguerium miserat, cum mandato vt bellum moverent, quando ad eos cæteræ aureorum partes deferrentur. Iis paulò seriùs missis, lentiùs in Occitania bellum inceperat. Conclave iudicum ex vtraque religione lectorum paci adhæsit, & ex iis Hugonotti ita cæteros continuerunt, vt Castillonius tria dumtaxat oppida in arma egerit. Attamen præ infirmitate nihil admodum poterat, cum Nemausus Catholicorum armis appetita, quæ neutri parti favebat, ipsum admisit; & Condæus postea spem ingentem fecit. Ille ex Germania per Helvetios & Geneuenses magna inter discrimina, ad Delphinates, mox ad Occitanos profectus, erexit factionem afflictam, susceptoque imperio, multas arces cepit; conniuente ad ea Mommorancio, & securitatem sibi conficiente per metum. In Delphinatu dissentiebant Nobiles, atque ægerrimè Lesdiguerio obtemperabant, nam virtus inuidiam nondum extinxerat; suáque discordiâ Maynio aduentanti portas victoriæ patefaciebant. Numerabat in exercitu Maynius duodecim peditum millia, omnis commeatus genere affatim instructus; & inuadenti prouinciam præter vnum oppidum nihil retardabat potentiam. Id Mura, quod in montium faucibus castrum Lesdiguerius ita muniuerat, vt pati obsidium vimque hostium posset; in vrbem & arcem diuisæ erant munitiones. Iamque vrbs vnà tormentis, cuniculis & impressione impetita stabat; cum mutato tormentorum loco admonente quodam proditore; qui vrbem propugnant, coguntur se in arcem recipere, & contrà quàm Lesdiguerius iusserat, admissi à præfecto, eum adigunt ad necessitatem deditionis, exhaustis illicò cisternarum aquis; qui si vel octiduum perstitissent, perpulissent Maynium, niuium vi & acerbitate frigoris profligandum. Ille capto oppido & statim diruto, plures menses Gratianopoli agit; dies ludis atque epulis terens, Nobilesque humanitate morum ita concilians, vt voluptatis illo choragio plus quàm armis & machinis rem promouerit suam. Sed eæ appendices: corpus ipsum belli ac summa, Aquitania erat.

Bellum in Occitanis & Delphinatibus.

La Mure.

XXVI. Cadurcum primo facinore ac perdifficili Navarrus occupaverat; nam Aginnates & Cadurci erant Margaritæ assignati in dotem, & Pibracius vir ille doctissimus, Cancellarius dictus. Sed Cadurci Orthodoxæ Religionis cultores abhorrebant prorsus à Navarro; tuebaturque vrbem Vesinus, vir bello clarissimus, cum valido & numeroso præsidio: eam nihilominus invadere Navarrus statuit; quamquam seniores Duces tribuebant temeritati consilium; & verò euentus fortitudini & constantiæ Regis debitus est. Cadurcum satis ampla ciuitas, penè tota Loto amne præcincta, fluvium ponte tergemino iungit; quorum vnus dictus pons novus,

Cadurcum Captum. Cahors. Vesins.

Le Lot.

HENRICVS III.

vus, vnde Montalbanum est iter, nullis subliciis tabulis, geminâ portâ ab vtraque parte claudebatur, erectis in medio munimentis rostratis, se mutuo propugnantibus. Per eum pontem in vrbem irrumpitur, cæca nocte & procella cœli sæuiente. Ad primam portam pyloclastrum applicat Biro Salignacus, eáque perfracta, ac pulso milite qui vigilabat ad munimenta rostrata, novo pyloclastro portam alteram emovet, comitibusque Sammartino & Roquelaura, Sclopetarios mille vrbi infert. Ad strepitum pyloclastri excitus Vesinus, bipennem hastam præferens, ad pontem aduolat, oritur dimicatio, fitque promiscua pugnantium cædes; magno oculorum auriumque horrore dum caliginem noctis sclopetorum ignes dissiciunt, corúmque explosio, inter pugnantium fremitum & morientium gemitum, obstrepentis venti procellæ miscetur. Dies quinque continuos alternante victoria, nullo ad quietem spatio, vrbs calamitosa, nondum capta capitur; nec est vllum ea ætate bellicum facinus, quod maiori oppugnantium & propugnantium laude perfectum sit. Et prima nocte Vesino dum fortiter pugnat interépto, ciuis terrebatur, cùm receptis in auxilium trecentis militibus, instaurat prælium; quo occumbit Sammartinus, Salignacus & Roquelaura graviter saucij repelluntur; nec felicius Terrida & Gourdonus, qui supplementum novum adduxerant, præliati, pellebantur similiter, cive exultante & vehementer instante; pluresque Navarro auctores erant vti abscederet. Desperatæ iam rei Choupesius Dux veteranus interuenit, qui decursis magna celeritate quatuordecim leucis, per eundem pontem turbam inter fugientium subiens, ciuem in primario vico aggreditur; vnoque impetu dissectis sexcentis Sclopetariis, ædes publicas inuadit, capitque. Nec ideò ciues animus deficit; sed ad Collegium, cuius amplum ædificium erat se muniunt, spe submittendæ opis; recreati & geminatum portarum compotes. Quod postquam Regi Choupesius nuntiat; ille reliquo milite in vrbem inducto, inter ciuium tela & tectorum lapidationem, per singulos vicos pedes, sarissam vibrans, ad Collegium penetrat, seque in hostes munimentis doliariis tegit. Nec dum tamen periculo finis, sub ortam lucem diei tertij, quadringenti milites in vrbis subsidium aduolantes suburbium proximum occupant, mox ad Collegium peruasuri; extemplò in eos Choupesius & Nesda fortis centurio submittuntur, conserúntque pugnam tam fortiter, vt cæsis plurimis, reliqui pulsi suburbio, fugam instituerint. Adhuc Collegium obsistebat; cùm ipse Rex impressionem imperat, scalis ad muros, facibus ad fores admotis, quâ vi pulsi cives, nondum fracti, ad proxima doliaria munimenta confugiunt, atque ad ea intrepidè præliantur. Is conatus fuit eluctantium extremus; ab vno munimento pulsos, stupor & metus statim corripit: nec aliud præter fugam consternatis superat. Ita vrbs capitur, fœdè diripitur, obtruncatur ciuis, spoliantur tẽpla, euertuntur imagines, & præda ingens ex Sacrosanctis spoliis legitur. Eo facto Navarræ Rex, tirocinio posito, pro fortissimo & peritissimo Duce inclaruit: nullo posito inter hostes vestigio sine nouo periculo, nec prudẽtia periculorum terrore oppressa. Cadurci clades concinuerat bellicũ, & Biro cum exercitu insidebat Aquitaniã, Navarro

Esperons. Le Petard. Biron. Salignac.

Choupes.

Bellum in Aquitania.

HENRICVS III.

Navarro imminens. At tametsi Nauarrus celeritate magna intēderet, ne conuenirent Bironis copiæ, diu noctuque agros percursando, & in obuios quosque irruendo, tamen aduersarij præpollente prudentiâ, breui campis pulsus, atque in oppida sua adductus est, ita præter aliquot velitationes nihil actum momenti, quarum vna præ cæteris Nauarro infensa qua fratres Guisо & Fleixius à Pardallanio victi & cæsi sunt; iamque Biro accedente in dies milite, longè superior Neracum accesserat, eaque vrbe in Matgaritæ Reginæ gratiam abstinuerat; quamuis ea plurimùm excandesceret, quod Biro in speculam quam insidebat ipsa tormentum exploserat; cùm is equi lapsu perfracto femore sublistere ac decumbere cogitur; victoriæ cursu inhibito. Cúmque tribuni in alium Ducem haud assentirentur, filium ipse in vicem suam substituit, quindecim annos nondum implentem, sed bellicosa in

Et Pax septima.

paucis indole, & magistro patre eruditum ad summa. Hyems interim & Bironis inualetudo bellum mitigabant; dum ad pacem conuertuntur omnium animi. Eam Nauarrus vt procellæ portum concupiscebat, iam gnarus quam temere se in ea pericula induisset; Rex se in eam reuolui optabat, vt prima vel otij fila, vel consiliorum retexeret; omniumque maximè Andegauensis, postquam cum Belgis fœdus concluserat, pacem desiderabat, vt ambarum partium viribus fulciretur. Ideo in Aquitaniam

De Fleix.

aduolat, atque in castro Fleixio; (vnde colloquium Fleixiense dictum) cum Nauarro agit; statim à Rege missi ad pacem contrahendam legati, Mompenserius, Pomponius Belieurius, & Lossæus Marescallus, non sine altercatione, in pacta consentiunt; nouúmque à Rege edictum conditum, quo superiora firmata, & quædam ad explicationem adiuncta; deinde vt Na-

Anno 1580.

uarro Rex gratum faceret, Biro à præfectura Aquitaniæ reuocatus; & suffectus Matignonius, qui ingenio moderatior Vasconum ignem suâ pituitâ temperaret. Ita sopitum domesticum bellum, cùm iterum Hugonotti in extremis agerent, & leui pulsu iam præcipites ruerent. Fuitque is annus luctuosissimus Franciæ, quam præter bellum morbi infestarint; primus popularis & quodammodò cosmicus vniuerso Orbe peragrato, qui dictus est cucullatus, quod ea lues caput maximè tentaret, deinde grauis pestilentia, quam excepit mox acerbissima fames. Et quidem peste vastatæ vrbes, & ipsi agri spoliati cultoribus; Parisiis quadraginta millia morte rapta, viginti Aquisextiis, Lugduni haud pauciora: in Normannia lupi in plurimos pagos inuaserunt, rapturi cadauera, quibus nemo viuus tumulum faceret. Estque obseruatum aërem ipsum infectum contagio, ad procul dissitos morbum inuexisse, & veluti incenso telo securos locorum spatio perculisse. Ita Francorum gens obnoxia Diuinæ iustitiæ luebat delicta; enimverò grauia quæ flagellis tribus plecterentur.

Coqueluche.

XXVIII.

Pax Hugonottis nocet.

Attamen pax diuturna fessis bello animis, annos quinque tenuit, vtraque partium conquiescente, præter Catholicos, qui Petrocorios vrbem priuato consilio occuparunt, & ab inuasione impetus tetit. Rex inde pacem cepit ad mentem suam accommodare, ac demonstrare quo tandem consilio eam postulasset. Nam Hugonottis beneuolentiæ nullum signum dabat, nullum beneficium; eorum neminem in consuetudinem vel in domesticum.

meſticum admittebat, in ſenatus claſſes patebat nemini aditus, quin Religionem Orthodoxam iuraſſet; ſupremas regni dignitates, aut præfecturas arcium, veræ fidei ſinceris cultoribus committebat; eiuſmodi viros in ærarij adminiſtrationem vocabat. Deinde morbo ſuauiter medebatur; morum exemplo & ſanctiſſimis adhortationibus oppugnabat hæreſin; libros Orthodoxos euulgari typis diligenter curabat, vetabat ne cæteri cuderentur, pluresque Hugonotti per eiuſmodi modos incruentos interuallo breui reuocauit ad fidem, quàm bella & ſupplicia quadraginta annis reuocaſſent. Atque haud dubiè ſi perſtitiſſet in ea agendi ratione conſtans, factiones geminas extinguebat, Hugonottis à pertinacia ſenſim abductis, & Catholicorum fœdere marceſcente ac euaneſcente. Verùm rem bene & prudenter inceptam, gemina in familiares & in ipſam pietatem exuperantia peruertit illico. Quippe iuuenes illi, quos ad intimam beneuolentiam aduocabat, plerique Principis abuſi gratia, ſuperbi in Proceres & auari in populos, & cunctis intolerabiles, comparabant in ipſum Principem immenſum odium. Sui Regis compotes adminiſtrabant ad nutum omnia, imo peſſundabant ad implendam cupiditatem, noua in dies inſtituebant tributa; malè parta mox peſſimè dilapidabant; Franciſcus Do, ſummus ærarij præfectus, dona immenſa à Rege extorta, atque exercitum ſuâ induſtriâ peculatum, in vitia omnia atque flagitia profundebat, Charybdis inſtar reuomentis vndas quas abſorbuiſſet. Nec ipſi ſtabant in veſtigio firmi, ſe inuicem protrudentes atque deturbantes. Etenim Do deiectus, Franciſco Sanlucio locum dedit; atque Sanlucius Arquio & Valetæ occupandum ſpatium præbuit. Erat Sanlucius è Normannia nobilis, fortunà tenui, ſed corporis animique dotibus præſtantiſſimus, ingenio exculto litteris, quod natura ſubtiliſſimum finxerat; verùm idem Regis deiectus gratiâ, ſtatimque retinendus, ne Broagium ſe reciperet, à Guiſio de periculo monitus, clam ſe proripuit, conſugitque Broagium, cuius arcis præfecturam à Lanſaco emerat. Extemplò Arquius & Valeta in apicem gratiæ proueluntur, in eoſque Rex tam prono ad amandum animo incumbit, vt ab cæteris prorſus amotus, eos vnos complexus pro liberis, & reuera noua adoptionis genere non in familiam, ſed in ipſam mentem ſuam adciſcens, in poſterum liberorum loco habuerit atque promouerit. Ac primum vti eos in intimos lares inſereret, cùm filias non haberet quæ nuberent, ſorores coniugis tradere ipſis conſtituit, Margaritam atque Chriſtiernam, ſimulque eos ad nuptias comparans, vtrumque Ducem & Parem Franciæ dicit; nam Arquium ætate maiorem Ioyeuſa Vicecomitatu in Ducatum erecto, Ioyeuſæ Ducem appellat; Valetam pariter Epernonium Ducem, redempto à Nauarræ Rege Epernonio, quæ in Belſia ditio eſt prærogatiua dignitatis adiuncta, vt ij cæteros Duces præcederent, exceptis Principibus Regiis, ac qui orti eſſent ex familiis, Longauilla, Sabauda, Lotharingia, & Niuernenſi. Nec cunctatus Lotharingiæ Dux neptes ſuas ducit; ac celebraræ cum Ioyeuſa Margaritæ nuptiæ, tanto Regis gaudio tam immenſo & effuſo ſumptu, vt in eas impenderit duodecies centies aureorum millia; præter quadringenta millia ſponſæ in dotem promiſſa. Et vocati in ſumptuum

Regi intimi nocent.

Saint Luc.

Ioyeuſe.

Epernon.

Beauſſe.

HENRICVS III.

partem Principes Procereſque ; quorum ſeptemdecim , totidem epulis exceperunt coniuges , centum librarum millibus conſumptis in ſingulas; præter veſtium copiam ac ſummum pretium , quas vocati immoderato luxu in dies mutabant ; formâ & operâ tam ſingulari , ne materiam commendem , vt pleriſque forma illa conſtiterit decem nummorum millibus ; adeo Regis effuſio in proximos Nobiles contagio pravo irrepſerat. Et ea Helvetiorum dicto perſtricta eſt ; qui cùm ſtipendium pendi ſolitum flagitarent, excuſantibus inopiam tribunis ærarij , reſponderunt ; non eſſe credibile, prudentiſſimum & conſultiſſimum Principem quadrageſies centies librarum millia in vnius coniugium Nobilis impendiſſe ; nec habere in ærario vnde regni neceſſitatibus caueretur. Cum Epernonio ſponſalia dumtaxat contracta , ob teneram Chriſtiernæ ætatem ; nec ipſæ pòſt nuptiæ conſequutæ ſunt , virgine religioſam vitam amplectente , & Epernonio ad alias nuptias verſo. Ij porro ſumptus effuſi à Rege , exigebantur à populis , & exundabat edictorum copia , per quæ facultatum flos & priuatorum ſuccus eliciebatur. Atque vt Rex eâ intemperantiâ incurrebat in Francorum odium , mox aſſequebatur contemptum immoderato vſu pietatis ; nam repente in novum religionis cultum prouolutus , Rege depoſito induit cœnobitam verſari frequentius cum Religioſis , multum ſe Edmundo Augerio Ieſuitæ addicere , Societatibus pœnitentium cucullo onuſtus candido intereſſe , Hieronymitanis vocatis in Luparam immiſceri , ſimulque Canonicas horas concinere , inſtituere ſupplicationes, cilicium induere , & flagella ſubire ; vno verbo effingere Monachi auſteritatem , depreſſa dignitate Regis & auctoritate. Et verò ille indole cerea , ex animo tam ad pietatem pronus quam ad voluptatem ; cùm ad eam aliquandiu ſe applicuiſſet , conſcientiâ tactus & pœnitudine , illam repetebat ; in vtraque tam immoderatus , quàm haud ſatis conſtans ; quo fiebat vt crederetur amplecti ex animo voluptatem , pietatem ficte ; nec haberetur religio ſincera , quæ mox deſineret ; pravo ſemper ad deteriora mortalium ſenſu. Attamen ea pacem alebant in Francia , quam promouent ſtatim arma in Belgium & Luſitaniam lata.

Regis immoderata pietas.

XXVIII. *Expeditio Andegauenſis in Belgiũ.*

Atque in Belgio , Andegauenſis dignitate Ducis quaſi per ſomnium geſta , repente excidit. Belgæ Comitia Antuerpiæ habuerant ; in iis legati ab Brabantiis , Flandris , Hollandis , Zelandis , Friſiis , & Mechlinienſibus conuenerant in Andegavenſi Duce nuncupando ; Turoneſque venerant inituri pacta ; quæ ſcripto inſtrumento inita ſunt. Ea vt implerentur , Andegauenſem cum exercitu penetrare in Belgium oportebat ; nam vrgebat Alexander Parmenſis Princeps , & felici ſucceſſu rapiebat vrbes fœderatis. At copias ſine Regis conſenſu apparare perdifficile erat ; quem cum is pernegaret conſtanter , vel in fratrem æmulatione , vel ne Hiſpanum laceſſeret , vel vt Hugonottos ſuis artibus quaſi lento igne affligeret atque abſumeret , quos bellum Belgicum recrearet atque erigeret ; tandem auctoritate matris & precibus tacitè annuit , vti ex Franciâ miles Andegavenſis nomine legeretur. Imò vt expeditioni dignitas maior accedat , celebrem legationem in Angliam mittit , quæ fratris connubium cum Regina Eliſabe-

Elisabetha flagitet; qua de re actum sæpius, Regina neutiquam refragante. Et consensum in pacta, quæ scripto tradita; mox instructus exercitus, in quo quatuor equitum millia, peditum decem, & Proceres, magnique nominis Nobiles, instructi egregiè, Dux Elbovius, Sanlucius, Luynius Bellocadij præfectus, cum bis mille è Cevenio tractu militibus; Turenius Comes, Lavallius, Santagnanius, Mongommerius, Vouta Ventaduri filius; cæterique. Primò Andegavensis Cameracum versus copias movit; quam vrbem cùm Parmentis per intercluſos aditus obsideret, tuebatur Monlucius Balagnius nomine Andegavensis, pressus multarum rerum inopia. Quæ porro consequuta sunt, pro instituto meo prætermittam; nam Belgarum Historici copiosè narrant; quomodo recedente Parmensi Andegavensis Cameraci exceptus sit; vt postea exercitu magnam partem soluto, nauigauerit ipse in Angliam, & proximè admotus ad Reginæ connubium ea spe exciderit; vt in Belgium redux Brabantiæ Dux inauguratus sit Antuerpiæ; vt eandem vrbem tentanti inuadere vrbs ipsa, ducatus nomen auctoritasque perierint; postremò vt ignominiosè in Franciam reduci nihil superfuerit præter Cameracum; regno Angliæ & Ducatu Brabantiæ, fumi instar evanescentibus, non sine oculorum dolore atque molestia. Nam id dignitatibus vt fumo conuenit, quod captantes tenentesque cùm vexauerint diu, tenebrásque offuderint; illicò effluant, atque in auras spargantur. Nec feliciot contigit in Azores seu Terceras insulas expeditio; quæ Lusitanici regni exigua portio, magnam Francicæ genti ignominiam intulit, clademque non modicam. Fusè in Lusitanorum annalibus legitur, qua disceptatione, post Regis Henrici Cardinalis mortem, de regno plures contenderint; vt tota disceptatio ad Philippum Hispaniæ Regem, atque Antonium traducta, inæquales plurimùm viribus, illum regno intulerit, istum depulerit. Erat Antonius Sebastiani proximi Regis patruelis, ex Ludouico Sebastiani patruo natus, sed impari matre, imparibúsque natalibus; eum porrò tum Lusitana plebs in regnum vocabat, tum consuetudo gentis, quæ spurios aliquoties coronaller. Sed iuri ambiguo suum etiam ius geminosque exercitus Philippus obiecerat: per quos pulsus Antonius in Franciam perfugit, & honorificè à Rege, Catharinæ matris impulsu, excipitur. Quippe Catharina cùm ipsa ius in Lusitaniæ regnum obtenderet, promovebat Antonium, à quo iura redimeret, & sibi tum iure, tum possessione regnum compararet. In eam rem expedita est classis, quæ in insulas Azores nauigaret, quoniam eas pro Antonio Figuereda obtinebat: classis præfectus Philippus Strossius, Marescalli filius, ac Reginæ affinis dictus est, legatus Carolus Brissacus: multi è Nobilibus præclari iuvenes naves inscenderant: quæ viginti octo sex bellatorum millia in expeditionem vehebant ipso Antonio cum Comite Vimiosa, se præbente socium, vt coram spectatus Lusitanis animos magis incenderet. Verùm successus tam infœlix ad insulas, quàm in Belgio fuit. Marchio Sanctacrucius classis Hispanæ præfectus, conserto prælio Strossium vicit, maximè tribunorum Francorum discordiâ, quorum plerique naves abstinuerunt à prælio: Vimiosa & Strossius capti, ille vulneribus, hic saucius

De Laval. S. Agnan.

Classis missa in Azores.

Anno 1582.

Figuereda.

HENRICVS III.

iussu victoris occubuit; raptæ Francis octo naues, cæsa bis hominum millia; capti trecenti, quos immanitate barbara Marchio in proximam vrbem adductos, veluti piratas & prædones publicos, in foro necari suspendio iussit, & in iis erant Nobiles octoginta, quibus per carnificis imperitiam cum nequirent truncari capita, ferro fauces scissæ sunt. Nec feliciùs tentata iterum expeditio cessit; Emardo Chassio ductore classis ab eodem Sanctacrucio ad deditionem adacto, & remisso in Franciam. Nempe Franci in externos virtute debili admodùm erant, in se vnos forti; quasi parcerent viribus, quas mox expromerent inter bella ciuilia. Interea Mompenserius septuaginta natus annos, suo fato rapitur, auitæ pietatis & religionis studiosissimus cultor, cui Franciscus filius successit, amore in fidem & patriam haud parenti absimilis.

De Chasses.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XXI.

SYNOPSIS.

Regis contraria ſtudia. Ioyeuſæ & Epernonij artes & indoles diuerſæ. Margarita Aula pellitur. Guiſius bellum parat pro fœdere. Alenſonij mors. Legatio ad Nauarrum. Fœdus conualeſcit. Sexdecim viri inſtituti Pariſiis. Legatio Belgarum ad Regem. Bellum primum pro fœdere. Arx Lugdunenſis diruta. Maſſilia Legi ſeruata, & Burdegala. Pax confecta. Edictum Iulij in Hugonottos. Octauum bellum in Hugonottos. Lediguerij celeritas. Condæus Broagium obſidet. Condæi diſcrimen in Andegauis. Hugonotti penè proſtrati. Maynii exercitus. Cieutatij nobile facinus. Maynius Caſtillonem obſidet. Condæi exercitus. Ioyeuſæ exercitus. Epernonij exercitus in Prouincia. Prior Franciæ caſus. Ledigueriius in Prouincia. Caturigum captum. Frigus ingens. Legatio Proteſtantium ad Regem. Reginæ colloquium cum Nauarro. Odium fœderatorum in Regem, & coniuratio. Rex agit cum Guiſio. Tumultus Pariſiis. Exercitus Germanicus in Francia.

Guisius penè oppressus. Cotracensis pugna. Pugnæ series. Sanlucij facinus. Exercitus Germanorum soluitur. Almæi Germani cæsi. Heluetij cæsi à Valeta. Adhemari mons seruatus. Fœdus incalescit. Condæi mors. Guisius Parisios venit. Rex Parisiis pulsus. Verthamontius Lemouicum recipit. Rex Guisio reconciliatur. Edictum vnionis. Epernonij periculum Inculismæ. Comitia Blesensia incepta. Salussios Dux Sabaudiæ occupat. Dispositio ad Guisij cædem. Cædes Guisiorum. Nauarri & Niuernensis expeditiones. Catharina Regina moritur. Continuantur Comitia. Parisiensium rebellio in Regem. Senatus Parisiensis, in Bastillam ductus. Aurelia in Regem coniurat. Tolosana defectio, & Andegaui. Rex agit cum Pontifice, & cum Nauarro. Monitorium Pontificis. Maynius summus dux fœderatorum. Pugna ad Turones. Clades ad Siluanectum. Rex Parisios obsidet. Rex cæsus. Regis dotes.

I.

HENRICVS III.

PER inhonoras atque adeo contumelioſas expeditiones Henricus Rex non multùm de externis ſollicitus, in rem ſuam vt rebatur intentus, obibat frequentiùs antè inſtituta officia pietatis, adiunxeratque peregrinationes religioſas in loca plurima, quæ, vel patrata miracula, vel inviſentium pietas celebrant. Iámque vulgò dicebatur abiecturus coronam, & tranſiturus in Monaſterium, adeò Regis munus & maieſtatem prope depoſuerat; ſeque in cæremonias ſacras totum abdiderat. Attamen in iis pietatis officiis non deerat obtrectationi, quod iuſtè an iniuſtè carperet: identidem Rex ad voluptatum vſum, veluti æſtu indolis refluens, perſonatus choreas, & arcanos quoſdam cœtus obibat, atque alia feminarum commercia repetebat, quæ malignè interpretantibus erant maledicendi materia. Præterea per gratiam familiarium, & promulgata pecuniaria illa edicta, vt contemptum, ita odium exacerbauerat; iamque ingentis incendij fomes apparabatur. Ioyeuſa & Epernonius in ſtudia rapti contraria, iaciebant ſemina diſſenſionis; propendebat Ioyeuſa in Guiſios, quem ij multo honore & reuerentia allicie-bant; Epernonius in Navarræ Regem, infenſior Guiſiis, à quibus ſperni viſus, & antè gratioſus Nauarro; an Regis mentem perſpexerat, clam in Nauarrum propenſi. Ij tamen impari gratia, diſpares alebant animos, diuerſáque conſilia. Nam Epernonius longè prudentior, à faſtu gratiæ alienus, atque ſolido inhærens, ambitionem coërcebat in ſinu, & ignem cinere

Regis contraria ſtudia.

Anno 1583.

Ioyeuſa Conſilia.

cinere operiebat; amplas spes magnificas, speciosas, atque vt plurimum stolidas & inanes, sapienter refugiens. Contra Ioyeusa, quoniam æmulo ætate prouectior, & affinitate regia præpollebat, voluebat ingeutia, quæque fulgoris plus quàm caloris haberent. Ideo non modo fœdus iacens erexerat, sed fovebat spem se præstandi Ducem, & obtinendæ bello prouinciæ, cuius summum imperium Regis gratia assequeretur. Occitaniam destinabat cupiditas, in qua belli materia, Hugonotti plures, Mommorancius parum Regi gratus, legatus Ioyeusæ ipsius pater, atque amplæ facultates. Igitur ab Mommorancio proludendum ratus, qui Occitaniæ rostro & vnguibus adhærebat, machinam primam intentat à Pontifice; ac susceptо Romam itinere, eo sumptu & effusione quam à fortuna iamdiu hauserat, plura à Pontifice flagitat: præsertim vt Mommorancium sacris interdicat. Id cùm negaret Pontifex (is erat Gregorius decimus tertius, vir singularis prudentiæ, & à violentis consiliis alienus) præterea amicus Mommorancio, à quo Avenio & Veniſſini studiosè omni periculo tegebantur; reversus Ioyeusa contrahit morbum; quo afflictus grauiter, & penè marcido illo flore pulchritudinis, diutiùs abstinet à conspectu Regis. Nova turba præterea inter Regem & Navarrum oboritur, Margarita serente discordiam. Ea in Aulam venerat, quam desiderauerat cupidissimè; & in odio Regis constantior, quàm æquum foret, assiduis obtrectationibus famam eius lædebat, nuperque venerat in suspicionem interempti cursoris, quem Romam ad Ioyeusam Rex miserat. Quamobrem Rex palam reprehensam, iubet Aula facessere, & proficisci ad coniugem; duas mulieres quibus illa fideret plurimùm, amovet; & proficiscentem novo probro commaculat, immisso custodum præfecto, qui comitatu abeuntis inspecto, lecticam ipsius procaciter scrutatus, abduxit ad Regem domesticos aliquot de Reginæ moribus inquirendos; eamque ad coniugem deturpatam ablegat. Sed Navarrus ad probri famam Philippum Mornæum ad Regem miserat, scisciturum quæ causa ignominiæ vxori suæ illatæ fuisset; frustra tamen ea legatio fuit. Navarrus tandem vxorem admittit, invitus invitam admodum. Nec satis ipsi conueniebat cum Matignonio, qui Regi fidus, præfecturam Aquitaniæ sic administrabat, vt ipsi Navarro inane duntaxat nomen & proregis titulus cederet.

HENRICVS III.

Margarita aula pulsa.

Du Plessis. Mornay.

II.

Guisius interim vt fœdus moderaretur consilio primùm constituit viros & vrbes in partes pertrahere, antè palam quàm vexillum attolleret. Iam plurimos Proceres nobilesque ceu beneficiis, officiisque devinctos, sive offensos ratione regiminis, & gratia Regis pollentibus perinfensos, in partes perduxerat. In iis præcipui Brissacus, Chastrius, Entraguius & Mandelotius, metu atque vindicta iniuriarum, quas intulerant gratiosi illi, vel quas parabant; tum Gelasius Lansacus, Sanlucius, Gardavinsius, Regis gratia qua florebant deiecti; Comites Saultius & Susa Bréautæus, Bellovacensis Nangius; alijque centuriones fortissimi Menevilla, Saeremorus, Rhosnius, Sampaulus, Guitaldus, atque plurimi pari audacia ac fortitudine. Mox Guisius, quando Franci Regiam stirpem æstimant tanti, Cardinalem Borbonium Navarri patruum, factioni illigat, spe oblata.

Guisius, bellū parat pro fœdere.

Gardevins. Breauté. Beauvais. Nangis.

HENRICVS III.

oblata regni, atque vno gradu præferendum nepoti; virum iam vergentem in senium, immutritum otio & voluptatibus, atque ab Rubempræo cubiculario, quem pecunia redemerat Guisius ad eam ambitionis amentiam pulsum. Atque ingens in eam rem accessit momentum mors Andegauensis, qui phthisi contracta, à vena ad iecur soluta, postquam altero mense decubuit, inter religiosa pietatis signa, & prioris vitæ Christianam pœnitentiam, animam egit, morbi doloribus constantissimè toleratis; exitu pio atque adeo fortunato, vitæ licentiam, & fortunæ varietatem expungens; vsque adeo nemo ante exitum fœlix, aut miser dicendus est. Portò ea morte soluta cupiditas, atque admota spes. Erat vulgi opinio haud concepta temere, Regem liberos non posse gignere, & dicebatur eo morbo tentatus, quo capilli defluunt, & liberorum spes interdicitur. Ideo vt Regni spes ad Nauarrum spectabat, sic ad plures cupiditas, qui vt eum depellerent, simul consentiunt; nam Cardinalis Borbonius impellente Guisio ferebat se proximum, Catharina in filios ex Lotaringiæ duce nepotes amore pronior, iisdem vt Regi coniunctissimis sanguine studebat ardentius; & Guisius spem in sinu fouebat. Ita singuli suo quisque consilio colligantur, vno conuenientes vt Nauarrum excludant, supposituri alterum quem sua cuique proposuisset ambitio. Eos inter Guisius, Chamæleontis instar colorem obuium præferebat; nam Cardinali omnia pollicebatur, sororisque amori implicauerat senem, quæ vidua Mompenserij erat; apud Catharinam idem depontanum senem irridebat, ac pronam voluntatem in Lotharingi liberos ostentabat; mox Hispaniæ ministros eadem spe alliciebat, suam operam atque industriam addicens pollicitus singulis, quod ipse forsitan cupiditati suæ promitteret. Atque eorum consilia iuuit legatio ad Nauarrum institura à Rege. Ille iam ante à Nauarro edoctus, de conspirantium fœdere, cùm Heluetiorum indixisset delectum, & iussisset tormenta in Bastillam inuehi, Epernonium ad Nauarrum miserat, persuasurum, vt hæresi eiurata, ad Religionem Orthodoxam rediret, spe Regni facta, ad quam natalium prærogatiua admoueretur. Deliberauit ea de re Nauarrus, potuitque parci Francorum sanguini, si tunc temporis Antonium Roquelaurum suadentem Catholicum cultum audiuisset; sed abductus Antonij Ferrarij prauo consilio, hæsit in pertinacia, siue Aulæ ratus non multum fidendum, siue Condæi æmulatione, quem Hugonotti attollerent; móxque ipse duas inter factiones, desertus à singulis, inimicorum odio & furori pateret. Ab ea re aucta in Regem calumnia; quasi Nauarrum in hæresi confirmasset; atque addebant fautores fœderis, Geneuam idem ob studium defensam & tectam; acceptam à Rege, quam Elisabetha miserat, periscelidem; & comminiscebantur quoddam arcanum fœdus ab eodem cum Protestantibus Magdeburgi initum; eaque omnium auribus insinuabant non modo factiosi & nouarum rerum cupidi, sed ipsi etiam Parochi, Sacerdotes, Concionatores & Religiosi, tum in priuatis confessionibus, atque in colloquiis, tum in exedris palam; vt audientium plurimi in fraudem ducti arbitrarentur actum de Religione, nisi admisso fœdere, pestilentem hæresim iam in solium scandentem pellerent. Ea

Rubempré.

Andegauensis mors.

Legatio ad Nauarrum.

Roquelaure.

Fœdus conualescit.

mente

mente Patisios plures conueniunt, Parochi plures, Bruyera, Boucherus, Pelleterius, Launoyus; causidici in foro celebres, Ludouicus Orleanus Fontanonius, & Hotomanus; Acarius & Huillerius; Bussiclerius in Parisiensi Senatu procurator, Companus mercator; qui ex suis sexdecim seligunt, quos totidem vrbis regionibus sigillatim præficiunt. Deinde vrbes cæteras clam missis nuntiis in societatem fœderis pertrahunt; tum Claudium Matthæum Iesuitam vehementi zelo religionis, impulsum ad fraudem, Romam legant, qui instrumentum fœderis offerret Gregorio Pontifici, & impetrato assensu, probatissimum vulgo efficeret: idque Cardinalis Pelleuæus collaudauit pluribus, tradiditque Pontifici, magno Hispanorum Cardinalium plausu; sed inhibuit assensum Pontifex, moram in re tanti ponderis celeritate potiorem ratus. Verùm Hispanus non conquieturus donec in apertum lues occulta prorumperet, incitabatur vehementiùs legatione Belgarum, qui post obitum Andegauensis, ducis inopes, atque Orangio cæso animis consternati, plures oratores ad Regem miserant, rogatum duce Petro Melodunensi, Principe Espinæio, vt clientela susceptra Belgij, regiones illas in ditionem suam admitteret. Post diuturnam cunctationem, vocati Parisios luculentam habent orationem, sed inanem; cùm sub ipsum tempus Guisius, Hispanis tunc maximè vrgentibus, vt legationem illam dissoluerent, pacem rupit, & vniuersam bello Franciam miscuit. Quamobrem excusante Rege turbas illatas, nec se posse auxiliari cæteris, aut iis tranquillitatem facere, quandiu ipse in tempestate ac tumultu ageret, spe facta temporis commodioris, oratores dimisit. Iamque Guisius Ioinuillæ cum Hispaniæ Rege fœdus pepigerat, quo Cardinalis Borbonius post Henrici mortem euehebatur in regnum; ad bellum alendum daret Philippus Guisio in singulos menses quinquaginta duplionum aurcorum millia: & alia adiungebantur perficienda à Borbonio in thronum prouecto; data Guisio promissa pecunia, multumque auri supra promissa additum, quò plures in factionem adsciscerent. Sic constitutis omnibus, bellum prodit.

HENRICVS III. *Sexdecim vrbium institutio.*

De Pelleué.

Legatio Belgarū ad Regem. D'Espinay.

Ac præluserunt promulgata à fœderatis scripta. Primum quod Martio mense datum est, contumeliis & querelis contra rationem regiminis plenum; tum alterum à Cardinale Borbonio subscriptum, in quo de Religione agebatur, incitatis Francis ad arma capessenda, & sanciendam patrum fidem sanctissimam. Mox ad rem aggressi, plures vrbes, qua vi, quà insidiis occupant. Virdunum prima ciuitas omnium capta, nam Metensem regionem cupiebat plurimùm Guisius; deinde Tullum adiunctum; Meti quæ scopus voti præcipuus, idem exclusus est, Epernonij vigilantia ac celeritate. Ad Campaniæ limites statim progressus, Catalauno excipitur, atque Meseriis. Eandem rem duces cæteri præstant, eodem pene momento temporis; Aumalius Picardiam totam vindicat sibi, præter Caletum, & paucas vrbes, quas Epernonius regebat; Maynius Diuionem & Burgundiam adiungit, vrbesque plurimas, & arces in Delphinatibus, ope Nobilium, quos humanitate & magnificētia conciliauerat: Entraguius Aureliam vocat

III. *Bellum primum iudetis.*

Anno 1585.

HENRICVS III.

in partes, Brissacus Andegavum; vt pauci dies facinore aliquo vacui forent, & Regem infausta in singulas horas percellerent. Accessit haud multò post Lugdunensis arcis eversio, quæ Lugdunum in fœderatorum partes traduxit. Mandelotius vrbis Gubernator, cùm fœderi se addixisset, impositâ veluti iugo pravissimo arce, erat in vinculis & potestatis alienæ, tenebátque arcem Passagius præfectus Epernonio addictus, iam in Lugduni præturam oculum adiicienti. Igitur Mandelotius effracturus compedem, arcessit Passagium, mandatum regium exhibiturus, simulque solerter rumore sparso, consilium Epernonio esse, tradendæ Hugonottis vrbis, plebem iucendit, quæ extemplò ad arcem conuolans, per imperfectum propugnaculum armata irrumpit, & Imberto Grolerio per veterem specum inexploratam immittente militem, subitò expugnatur arx, diripitur, atque diruitur; tanta celeritate vt proximo die nullum vestigium superfuerit. Impunè facinus atque audacia fuit; Rege dissimulante, & Villaregio excusante Mandelotium. Tam læto successu excidunt à duabus vrbibus fœderati, Massiliâ atque Burdegalâ; quæ gemino mari non tam adiectæ, quam propugnaculorum instar impositæ, vtrinque Franciæ, vel mammæ, vel arces sunt. Idque Regis nutantem fortunam in præsentia stitit. Massiliam alter Consul Daresius Nivernensi addixerat, & Gardavinsio permovente, seditione commota, quasi Hugonotti vrbi imminerent (qua specie fœderati vrbes occupabant) aduocabat Vinsium, vt adduceret militem; sed eo cunctante Franciscus Bouquerius, probus senex, & magnæ inter cives auctoritatis, collectis tum amicis, tum inimicis, quibuscum voluit reconciliari, exurgit in Daresium, captumque in publicum palatium rapit, moxque prorege Priore euocato celeriter; statim instructa lite reum necat suspendio, cum Bonifacio tumultus socio. Sic vnius viri probitas, non vnam modo vrbem, sed totam Prouinciam à casu arcuit: Et Nivernensis postmodùm abscessit à fœdere; Regi in posterum fidus; siue abstractus à partibus præmio deficiente; siue vt constanter ipse asseruit, quod penitus in malignitatem fœderis introspiciens, mature voluerit se ambagibus cæcis expedire. Burdegalam Matignonij primò prudentia, dein fortitudo animi vindicat. Fœderatorum consilia perspiciebat vir sagacissimus; quamobrem ipsi celerius quàm deliberassent, improuisum occupaturi, transversis doliis vicos intercludunt permoventque strenuè ad prætoris ædes. Ille ex strepitu rem tentatam coniiciens, cùm auctores sui essent, vt fugâ saluti consuleret, intrepidus vir prodit ædibus, vnoense cinctus, pedes, & virgam manu gestans, quasi per otium deambulaturus. Tum ad primam munitionem progrediens, speculatorem intentantem sclopetum mollibus verbis demulcet; iubetque è suis duos domesticos dolia dimovere, ad viam aperiendam. Idem mira verborum atque oris suauitate, cùm in altera, tertia, & quarta munitione præstaret; audit portam vnam, quod ipse iusserat, obtineri à suis, atque admissum militem suas antè ædes excubare. Ergo accedente comitatu frequentiore, iam vocem erigens, frontemque caperans, à precibus ad imperium versus, dolia seditiosos ipsos amouere iubet, militem collocat in iisdem locis, ac factiosorum

Arx Lugdunensis.

Du Passage.

Massilia seruata.

Burdegala fœderi erepta.

ruin

sum duces comprehensos in carcerem mittit; vna auctoritate atque prudentia, re difficillima perpetrata; tantùm vi armatæ præpollet solertia, & tumultuanti audaciæ vera fortitudo. Aliquantò post Vallacum Trompetæ arcis præfectum, suspectum recepti fœderis, conuivio exceptum, cum vrbis magistratibus ac senatoribus, ad restituendam arcem adegit; & seruata vrbe Aquitaniam totam compescuit. Interea Rex perterrefactus motu tam subito, & imparatus à milite, repudiato consilio, quo ad Nauarrum & Hugonottorum partes impellebatur, ad Catharinam matrem, veluti ad sacram anchoram confugit; atque æstuans quibus potissimum fideret, suspecta omnium fide; auctore Epernonio quadraginta quinque nobiles legit, pleroſque Vascones, quibus salutem suam committeret. Catharina postquam terrorem supra periculum auxerat, diuque apprecanti Regi excusauerat operam, tandem quasi ægrè faceret, quod voluntate prona ambiebat, indicto colloquio Guisium cõuenit, tempúsque tricis terens, spatium dat Guisio colligendi militem; quo collecto, is audacter affirmat, se arma neutiquam depositurum, donec omnia postulata Rex impleat. Epernæi habebatur colloquium, nec fœderati à postulatis quidquam remittebant; quamquam Mompenserius Dronium fœderatum in Eraldi Castri ditione diripientem agros concidisset; Ioyeusa Elbovij copias agro Aurelianensi per Vindocinos atque Cænomanos in Normanniam depulisset; vbi præ infirmitate sulutæ sunt; atque Epernonius vix è morbo recreatus, quatuor millia fœderatorum ad Aureliam vrbem, è pluribus regionibus conuentium, disiecisset; atque in fugam victos compulisset. Verùm fœderati cum animaduerterent eo colloquio Catholicorũ animos refrigescere, eo repente soluto in singulas vrbes singuli abscedunt, toti ad arma versi, & ad Religionem, vt scripto proposuerant, Catholicam propagandam. Rex ea discessione perculsus, quasi iam præceps in ruinam ageretur, Matrem rursum appellat, orat, obsecratque, vt fœderatos conueniat, & se quouis pacto ab ærumna liberet. Ita Nemursij colloquium nouum instituitur, hinc agente Guisio, inde Regina cum Epernonio; eóque fœderatis plura quàm ante optaueranr conceduntur. Scilicet, vt edicto Rex Hugonotram Religionem prohibeat; ad eam regno pellendam fœderatis Principibus committantur exercitus; iisdem ducibus obsides vrbes dentur, Catalaunum, Rhemi, Sandesirium, Tullum, Virdunum, Divio, Belna, & aliæ addictæ; tum Cardinalibus Borbonio, & Guisio, Ducibus Mercurio, Guisio, Maynio, Aumalio, & Elbovio, qui omnes principes fœderis, miles ad custodiam designetur; tribuatur pecunia ad Virodunensem arcem erigendam, atque persoluendum Germanis stipendium. Post ea pacta edictum à Rege conditur, atque in Senatu Parisiensi perlegitur, quod Iulij dictum est, eo mense sancitum; quodque Religionem nouam regno penitus exterminabat; pœna facultatum & vitæ indicta; coactusque est id edictum ipse Rex in Senatum ferre; non tam Religionis sanciendæ fulcrum, quam auctoritatis suæ cultrum; mancipandus deinceps fœderi, atque in suam, regnique perniciem abstrahendus. Eo edicto Navarræ Rex, Condæus & cæteri Hugonotti, veluti fulmine appetiti, primo metum ac terrorem admiserunt, mox fortitudine reuocata, instruunt se ad vim repellendum.

HENRICVS III. Vallac.

Pax tentata & confecta.

Edictum Iulij.

HENRICVS III. IV.

Octauum in Hugenottos bellum.

Nauarrus ad motum fœderatorum, precibus Regis se continuerat; legauerat dumtaxat ad Elisabetham & Germaniæ Protestantes, qui ad fœdus singulos adhortaretur: mox libellis ac scriptis ius ac fidem suam tutatus, Guisium in singulare certamen prouocauerat, atque Mommorancium cum Rege & Ioyeusa reconciliauerat; atque adeo fœderatis abduxerat. In præsentia cùm suorum plerique, præ magnitudine metus atque periculi, consulerent vti ad Protestantes abscederet, exercitum paraturus, impertérrito animo in Francia hæsit, atque arctius cum Condæo vinctus, Bergeraci cœtum vocat, & stabilito resistendi consilio, vna cum Condæo festinat ad Mommorancium, eúmque sibi adiungit, tum reuertitur in Aquitaniam. Attamen Rex edicto proposito sperauerat retundi posse aculeum, si cunctaretur arma inferre; atque eam cunctationem vti conficeret, Lenoncurium Cardinalem ad Nauarrum mittit, qui cultum Catholicæ fidei suaderet. Nihilominus fœderati in incepto perstant; ac Maynius iam copias legebat ad Aureliam, quas in Aquitaniam duceret; quapropter excusante se Nauarro, ea legatione irrita, arma instruuntur, atque in Delphinatibus Pictonibusque mouentur; tranquilla Aquitania, Nauarro infirmo, & Matignonio vltro quiescente. Lediguerius in Delphinatu, partes propemodum oppressas erigit. Ille adscriptis quadringentis hominibus, haud nescius à primordiis peti auguria, & qui bene ceperit multùm promouisse, Caturigum validam & munitam arcem occupat inexpectatus; quo veluti signo excitati cæteri, ad ipsum confluunt, ac Diam præfecto in arcem acto capiunt, mox ipsam arcem Lediguerij ope, stabilitis per eos successus primordiis statuit geminas vrbes inuadere; Adhemari Montem, atque Ebredunum; quarum diuerso situ vtramque Delphinatium regionem, quà in campos funditur, quáque in montes surgit, veluti compedibus reuinciret, atque comprimeret. Adhemari Montem primò aggreditur, atque in vrbem apertam pyloclastro penetrans, præsidium in arcem impellit, oppugnatque illicò: moxque spectante Maugirone proprætore, qui cum selectis nobilibus, ac duobus peditum millibus, ad præstandam opem contenderat, turrim Narbonensem, in quam octingenti milites relicta arce confugerant, adigit ad deditionem; quódque augeat admirabilitatem, septingentos dumtaxat homines in expeditionem adduxerat. Tum ad montes conuersus, quingentos Sclopetarios, ac tres Italorum turmas, qui Ebreduno prodierant, obuios sternit ac profligat; gnarúsque eo præsidio destitutam vrbem inanem esse milite, dum per manipulos diuisas cohortes iubet accedere, & ipse ad posticum arcis pyloclastro incenso (quod Martis clauem ad apertionem vrbium dixeris) in eam peruadit, vrbique infunditur victor. Auansonio Archiepiscopo, è fœderatis vehementissimo fuga elapso, Ecclesia direpta est, & opulentiæ donariis spoliata. In Pictonibus diuersa sorte arma promota sunt. In eos Mercurius Britanniæ gubernator induxerat duo bellatorum millia, ea spe vt Condæum instruentem copias dispelleret: verùm ad Fontæneum à Condæo impetitur, pulsusque ad suburbium oppidi, cùm excludente præfecto peditatui diffideret; nocte vno cursu Ligerim tenuit,

Lediguerij celeritas.

Chorges.

Mõtelimar.

Maugiron.

Condæus in Pictonibus.

non

non sine iactura impedimentorum & militum. Ita Condæus amissō per otium supplemento, post vastatos agros ad Broagium studium applicat, captisque circa oppidum aliquot castris, quæ Sanlucius obtinebat præsidio, Rupellensibus pecuniam, nauigia, & commeatum præbentibus, Broagium ipsum obsidione obuallat. Plurimi ea prosperitate excitati ad ipsum confluunt, in quibus Claudius Trimollius, adolescens cupiditate gloriæ inflammatus, ducentis equitibus stipatus, Principi non obsequium modo, sed fidem etiam & Religionem addixerat; hæresim amplexus, siue errore conscientiæ, siue spe affinitatis, sororis nuptias ambiente Condæo. Broagium difficultates graues patiebatur, ac tametsi Sanlucius fortissimo animo erumpebat sæpius, atque arcem accerrimè propugnabat, tamen plurimis deficientibus, & spe subsidij incerta, necessariò succumbebat: quando Condæus instar canis Æsopici, spem incertam lucro certo anteferens, Broagium perdit, seque in discrimen intricatissimum mittit. Clermonamboisius, & Rochemorta præstans bello Dux, eius assensu, post Mercurium pulsum, Ligerim transmiserant, vt in citerioribus prouinciis militem legerent, & hostem propiori bello lacesserent. Ac Rochemorta in arcem Andegaui penetrauerat, arcano aliquot ciuium consilio, qui vt Brissacum, & fœderatos arce excluderent, Hugonottos vocauerant; verùm aduolante Brissato, mox Ioyeusa ipso cum copiis, sclopeti glande Rochemorta occiderat, & arcem propugnabant sexdecim dumtaxat milites. Condæus ad ea nuntia tenendæ arcis cupidus, primò statuit mittere qui obsessis opitularentur, deinde inconsulto quorumdam consilio, suscipit ipse expeditionem, & peditatu in castris ad obsidium dimisso, equitatum in Andegauos ducit. Ea res quæ summæ erat celeritatis, morâ corrumpitur; nam Condæus dum dies vndecim deliberando absumit, & quindecim alios in progrediendo, miles paciscitur, atque arcem tradit. Mox idem moræ periculum temeritate adauget; nam admissis mille & quingentis militibus, quos Clermonamboisius ea in regione conscripserat, irrumpit in Andegaui suburbia, diésque duos terit inani opera, iterumque Belfortij hæret duobus aliis, ac tandem versus ad Ligerim de receptu cogitat. Ad eum parandum Touarsium occupauerat in Pictonibus & in ripa obiecta Sancti Mauri Abbatiam; eoque loco Lauallius & Boulaya nullo arcente primum agmen transmiserant; postridie cùm tardior Princeps aduenitet, aduertit in fluuio nauigia sex oppleta milite intercludere transitum, atque vltra amnem quingentos equites imminere traiicientibus; quapropter mutato consilio statuit Belfortium repetere, & Ligerim cum Clermontio superiori loco transmittere; moxque deliberatione omnium pessima deflectit ad læuam per Vindocinenses, supra Aureliam longo circuitu amnem traiecturus. Verùm in cassès inuoluebat se nescius; Ioyeusa premebat accedentis vestigia, Brissacus vrgebat ad latus; Epernonius & Biro equite Belsiam inundauerant, Turones Maynius; Chatrius è Biturigibus tria hominum millia deducebat, ac prætexebat ripam oppositam; ex singulis pagis, oppidisque confluebant rusticus, ciuis, ac nobilis, & Condæi copias quasi lupum venaturi omnes circumcingunt. In tanto

Broagium obsidet.

Clermon d'Amboise Rochemorte.

Condæi ingens.

Touars. Laual. La Boulaye.

HENRICVS III. De Rohan.

periculo Renati Rohanij Vicecomitis consilium obnoxios eripit calamitati; ille auctor est vt copiæ vniuersæ manipulatim diuisæ, & per plura itinera digressæ sibi quæque consulant, & fortunæ salutem permittant; dein exemplo consilium fulciens, paucis comitibus in Britanniam se statim recipit. Condæus ipsa nocte, cum Trimollio, Auantino, Clermontio, & paucis aliis per Cœnomanos in Normanniam contendit, & clam insceenso nauigio, primum in insulam Greuezæam defertur, deinde in Angliam; cæteri luce orta deserti à Ducibus, magno dolore, quem futurorum metus adaugebat, legiones in cohortes diuidunt, cohortes in manipulos, & via capta, quò sua quemque fors duceret, per siluarum latibula, tenebras noctium, & transuersa itinerum tecti, pleriq; omnes salui euadunt; metu comite, & eodem asserrore securitatis; adeò incerta omnia in mortalibus sunt, dum abiectos tutatur infirmitas, valentium potentia inanis & cassa est.

V. *Hugonotti penè prostrati.*

Ea Condæi fuga, quanquam nulla propemodum strage, Hugonottorum partes afflixit; nam illicò Broagium soluitur obsidione. Matignonio cius vrbis seruandæ munus Rex mandauerat; isque primùm lentior moras nectebat; cùm aduentante iam Maynio, ne sibi ea laus præriperetur; quanquam copiis adhuc infirmior, tanta prudentia ad arcem progreditur; vt perterriti Hugonotti illicò soluta oppugnatione abscesserint, *non sine* clade in Carentoni traiectu, Sanlucio ipsorum terga carpente. Sic per vnam expeditionem concidebat factio Hugonottorum; nec eos aliud ab exitio eripiebat quam grauis pestilentia, qua ipsorum vrbes afflictatæ; vno mali beneficio hostem amouebant. In Nauarro spes vltima, magno quidem animo, sed exiguis viribus fulciebatur. Ille cùm imbecillior se munimentis vrbium contineret, adulatoribus æmulationis flammam incitantibus, Condæi infortunio gaudebat in sinu, hærebatque in Benearnia Guichiæ Comitissæ amore implicitus; qui Turenium si audiuisset, transgressus in Pictones, & Condæo adiunctus, valido exercitu fœderatos haud dubiè disiecisset. Præterea nouis edictorum fulminibus percelluntur abiectæ partes & propemodùm profligantur. Rex fœderatorum arbitrio mancipatus, edictis identidem repetitis Hugonottorum capita feriebat; armatos perduellionis pœnæ subiiciens, cæteros ad necessitatem Catholicæ Religionis adigens, nisi patria, & laribus extorres, mallent cum vxoribus, miserisque liberis in Germaniam, Angliam & Benearniam profugi, aliorum beneficio calamitosam vitam sustentare, quod cùm haud pauci præstarent, longe plures eiurabant hæresim; felici inconstantia, quæ corporum saluti, animorúmque consuleret. Ad ea mox vibratum à Pontifice fulmen accessit, in capita factionis, Nauarrum & Condæum collineans. Verùm à calamis res ad gladios progrediebatur; iam Maynius parato exercitu Pictauium venerat. Etenim duos Regis nomine fœderati conscripserant; quorum alter Guisio traditus, ad obtinendos Campaniæ limites, & repellendos Germanos; alterum Maynius ducebat in Aquitaniam ad opprimendum Nauarrum; sed eo anno haud magnum operæ pretium fuit. Iam autumnus promouebatur, cùm Matignonius ad eum à Santonibus accedit: Et copiarum incrementum, detrimento

detrimentis fuit; nam Matignonius, quà æmulatione in Maynium, quà occultis à Rege mandatis, consilia omnia perturbat, difficultatibus nouis; non commeatum suppeditat; tormentis defuit tam plaustra ad vehendum, quàm ad explodendum pilæ, & pulvis; sic elusus Maynius: conuentúmque inter ambos, vt anno proximo, affecta iam hyeme, iterum ad Garumnam coniungerentur; dum in Petrocoriis hyemaret Maynius, Burdegalæ Matignonius. Et ea Maynio expeditio fuit. Hoc Navarrus metu liberatus, se incommodo haud paulò graviore vindicat. Margarita vxor, post Sixti diploma, ab coniuge discedere vti à Christianorum sacris abscisso instituit, & Agennates qui sibi in dotem erant assignati, armis inuadere. Ligneraeus & alij nobiles, copias ex Cadurcis, ac Arvernis adduxerant, & Villanovam situ commodo oppidum sibi adiungere Regina optabat. Iam in altera vrbis parte excepta cum cohortibus erat, nam in duas partes Lotus ponte iunctus totam vrbem dirimit, iusserátque cives sibi in alteram partem patefacere aditum. Iis in turri, quæ pontem medium muniebat, cives obtemperabant; cùm primarius Consul, Cicuratius dictus, vir nobilis, & senio venerandus, eos ad fidem seruandam Regi adhortatus, arma expedit, ac pontem occludit. Regina haud ignara in vno capite virium robur & arma posita, Consulem arcessit, quasi cum coactura pacificè. Nec ille inter oppositæ, civis Consulisque officia, hæret ambiguus; quippe vt dominæ suæ, coniugi Regis, ac filiæ Franciæ obsequeretur, ad eam tendit; at simul memor, quam personam, quod munus gereret, filium vocat, pontis tradit custodiam, ac seuerè imperat, obsecrátque suppliciter, ne patris rationem vllam in posterum habeat; ipsi officium, honor, & seruanda vrbs pro genitore sit, discatque suo exemplo Regem & patriam, pro vita, parentibus liberisque habere: hoc iusso munitus ad Reginam pergit. Nec secus quàm prouiderat, Reginæ iussu ad pontem deducitur, & obiectis ori mucronibus sub aspectum filij mori iubetur, ni aperiat viam. Cùm ille deliberata morte obfirmatus sileret; filius pio stratagemate patrem seruaturus, milites ad portam propius orat accedere, & improuisus cum paucis erumpens perterrefactos in fugam coniicit, patrémque incolumem lætissimus recipit, pietate tam armante filium, quam fide in Regem exarmante patrem. Scio eiusmodi facinus in plurimis gentibus obitum à fortissimis viris, sed per exempla laus facti non perit; quæ in ciue maior est, qui nulla vtilitate vni officio obsequebatur. Ille idem consequenti die plures tubicines extra vrbem misit, & sparsa fama Regem aduentare, ad rumorem & tubarum clangorem, tantus timor Reginam inuasit, vt repente excesserit.

HENRICVS III.

Margarita à Nauarro desicit.

Villeneuve. Le Lot. Cicurat.

Ciuis nobile facinus.

Maynius postquam aliquot castra in Petrocoriis ceperat, in Aquitaniam ex condicto tendit, statimque reuocata æmulatione, transmisso Duranio ad Montalbanum obsidendum vocatus, retrò gradum ad Garumnam vertit; creditus imminere Burdegalæ, eam vt vrbem adiungeret fœderatis, diuque moras traxit, incertus consilij; quamquam diceret se venari Regem Nauarræ, qui Garumnam vltra citraque celeritate magna decurreret. Nec ille sine periculo fuit, dum ex Benearnia Neracum reuertitur, se amorem

VI.

Maynij exercitus.

inter

HENRICVS III.

inter & bellum partitus; nam Pali Guichiam inuiserat, & Caumonti cum triginta equitibus transigebat noctem, cùm repente à Comba domestico, somno excitatur, cogiturque semisopitus cymbam inscendere; atque opportunè; nam intra quadrantem Poyanus adfuit cum trecentis equitibus, qui securum in castro infirmo haud dubie capiebant. Deinceps castella quædam expugnat Maynius, & increscente ipsum inter & Matignonium primo diffidio; vere & prima æstate, per altercationes consumptis, tandem Castillonem rogatu vxoris obsidet, quæ suam vrbem obtineri ab Hugonottis iniquo animo patiebatur. Castillo immunitum oppidum, nec magni momenti, duobus mensibus Maynium tenuit, exercitúmque infregit. Sauignacus cum nongentis hominibus vrbem tutabatur, simulque Alinsius, Phocensis nobilis, legionis tribunus, muniendarum arcium peritissimus; ac Turenius, tum immittendis subsidiis, tum hostibus lacessendis, erigebat propugnantium animos. Oppugnabant vehementissimè Duces; nam Matignonius se adiunxerat Maynio, sed repellebantur vehementiùs; suaque in castra pestis irrepserat. Lugendo spectaculo, iacebant saucios inter peste afflicti, Ducum tabernacula obsidebant languentium turbæ, noctu diuque personabant morientium gemitus; tumultuabantur Helvetij, deserebant castra cohortes plurimæ; iamque Maynius despondebat animum; cùm Matignonij cura clauso amne & excluso Turenio, obsessi & ipsi pestilentia pressi, aguntur ad deditionem, honestam militi, ciui intutam, qui in prædam victori mox cessit. Id postremum Maynij facinus; cùm primi exercitus vix vmbra tenuis, & cadaueris forma supereesset. Nec ille dolorem animi sensu continuit, cùm deforet commeatus, pecunia nulla suppeditabatur, Matignonius consiliis intercederet, turbaret Helvetius, Albanus miles effunderetur in prædam, sibique ex tanta spe vnus ex ignominia dolor accederet; visus est sæpius lacrymas fundere, crebris singultibus interiungere verba & minas, vixque sibi parcere, quin Parisios furens aduolaret, vlturus gloriæ suæ exitium. Tandem impetratâ redeundi licentiâ, Parisios venit, fœderis partes promoturus in toga, quas in sago afflixerat. Simul afflictos in Pictonibus Hugonottos recreauerat Condæi aduentus. Hic ex Anglia redux, auctusque decem nauigiis, quinquaginta nummorum millibus, & luculenta spe, quam Elisabetha verbis amplis fecerat; Rupellensibus partiumque Ducibus audendi voluntatem adduxerat. Statim Plassacus Royanum ad Garumnam occupat; Lavallius captis aliquot castris ad Rupellam aditus aperit; Aubignæus Oleronem præsidio firmat; ipse Condæus quibusdam arcibus ad Fanum Ioannis captis Dampetram expugnat; tum post connubium cum Carola Trimollia initum, Broagium obsidere aggreditur. Ad eam rem Rupellenses vltrò classem submittunt ex viginti quinque nauigiis, triremibus quatuor & cymbis aliquot; statimque Sangelasius huius classis præfectus, ostium portus, quà est angustius, obstruere incipit, demersis carinis nauium, quas saburra oppleverat. Contra Sanlucius ad opus prohibendum, opponit militem, nauibus aliquot ac triremibus vectum; atque in horas sclopetis, sariissis, ipsisque gladiis dimicabatur egregiè. Ad famam operis Nauarrus accurrerat, &

Castillon.

Savignac. Alins.

Condæi reditus.

S. Gelais.

S. Luc.

septo

septo nauigiorum perfecto, æmulatione tam in Condæum, quam Sanlucium accensus, nulla quiete vrbem oppugnabat; cùm ob nouum Bironis exercitum Rupellanorum precibus reuocatur. Eum fœderatorum ardor immiserat; quippe rati Nauarrum vno metu Maynij ex Aquitania in Santones festinasse, Regem vehementer solicitauerant, vt exercitum in Pictones mitteret, quo Nauarrus belluæ instar in Rupellam, ceu in latibulum ageretur. Nec Regi pernegandi ratio modúsve fuerat; quapropter conscribit septem hominum millia, quibus Bironem præficit, cum tormentis pluribus, sed ad vsum haud quaquam instructis; id fœderatis opportunum in speciem erat; nam Biro Religione Catholicus, Nauarro infensus, & Catharinæ multis de causis adiunctus; ipsa re iisdem aduersum, quippe Regi fidus, & ad arcana consilia apposititissimus, in nouam Religionem tacito animi sensu propendebat, quod successu ipso non diu latuit. Quippe Maranum aggressus, paludum inter vliginumque voragines, fortiter atque intrepidè dimicauit; digito sclopeti glande abscisso: mox tamen Nauarro propugnanti concessit inducias, Marano abscessit, vltra Carentonum se recepit, reuexítque tormenta Pictauium, petitâ à Nauarro vehendi tesserâ. Atque eæ artes infringebant impetum fœderis, lentóque frigore æstum perdomabant; cùm Ioyeusæ ambitione Rex in procellam nouam impellitur.

HENRICVS III.

Biro in Pictonibus.

Ioyeusa in summa gratiæ prouectus apicem, immensa à Rege dona assequutus apperebat exercitus regimen. Præter Regiam affinitatem & pecuniam innumerabilem, dictus erat Normanniæ prætor, præfecturis arcium magno pretio redemptis & in eum congestis; Admiralius præterea nuncupatus, paterque ipsius Marescallus Franciæ erat dictus; inundantis gratiæ exuberantiâ. Sed amplitudine illa potestatis mentem obruente, præter adulatorum blanda deliramenta, spe regendi fœderis, accesserat ad Guisios, & vehementer exercitum ducere cupiebat. Eum instruxerat Rex, in Aruernos, Gabalos, Velaunos, Pictonesque immissurus; quas prouincias Hugonotti incursabant, atque diuexabant, eundem mox in Occitaniam transmissurus; & parabat alterum, quem in Delphinates & Phocenses induceret. Nam præterquam quod Concionatores Catholici declamabant è pulpitis, Aruerniam, Delphinatum & Prouinciam veneno hæresis penitus infici; & si Rex cessaret, exsurrecturum diuinitùs ducem, qui Philistthæos opprimeret; erat ipse Rex in pernicieim Hugonottorum propensior, volebátque tam eos tollere, quam fœderatos; in factionem vtramque iuxta offensus; sed Nauarro cupiebat parcitum, & inferre malum, quo resipisceret, non obrueretur. Igitur paratum exercitum tradere destinauerat Marescallo Aumontio, viro forti & strenuo, explorata fide, & aliena à factionum contagio. Verùm Ioyeusa eum honorem tanta contentione ambiuit, vt compos sit factus. Continuò omnis Aulicorum nobilium turba ad eum confluit, & Lauerdino dicto copiarum legato per Aruernos à Valaunis incipit expeditionem. Ad famam aduentus, Castillionius qui vexabat prouinciam, & obsidebat Competram, se in Occitaniam illicò recipit; vnde Ioyeusa Velaunis liberis, profectus

VII.

Exercitus Ioyeusa & Epernoni.

d'Aumont.

Compierre.

HENRICVS III.

ad Gabalos, aliquot oppida capit; in quibus Peyta arx, in rupe abrupta, atque inacceſſa, ipſo ſitu inexpugnabilis viſa, cùm ad eam ſcalis duntaxat ligneis atque mobilibus ſcanderetur, metu propugnantium victorem admiſit. Etenim tormenta in rupem proximam labore immenſo prouecta, per dirutum murum verberarunt defendentium animos, arxque tradita eſt. Mox Ioyeuſa ad Rutenos conuerſus capit Saluanacum; at Villemurio Mornæi ſtrenuitate excluditur; deinde copiis per autumni imbres imminutis, morbiſque increbreſcentibus, poſtquam eas in conſpectu Toloſæ luſtrauit, & ornatus ſplendorem infirmitati prætendit, Lauerdino in imperium ſuffecto, in aulam accurrit, deguſtata militari gloria, quæ plerumque vanis animis, atque inconſultis pro veneno eſt. Epernonius interea ſuum exercitum, ſuamque gloriam aſſequebatur. Etenim Regi iam à gratiæ naſcentis incunabulis, ſolemne fuerat, ex æquo vtrique impertire beneficia; primo quidem à Ioyeuſa incipere, quem ætas & natalium ſplẽdor præponerent, ſed deſinere in Epernonio, atque finem adæquare principiis. Ideo in Epernonij gratiam, inſtituerat dignitatem nouam, ſummi totius peditatus in Francia Tribuni; nam quamvis eam plures ante geſſiſſent, tamen ita adauxit, atque ornauit, vt noua admodum videretur; eamque Epernonio dederat, cum præfecturis vrbium, Metis, Caleti, Bononiæ, Lochiarum; ac Valetæ fratri, Saluſſios & Tranſalpinas vrbes regendas dederat; modo adiungit præturam Prouinciæ, atque exercitum. Deſiderabat Gubernatorem Phocenſis prouincia, Henrico magno Franciæ Priore, Henrici Regis I I. ſpurio, Aquiſſextiis ab Altonito triremis Navarcho calamitosè occiſo. Etenim cum Altonitum Prior manu propria confoderet, & repetito ictu ferrum immergeret, ille amens deſperatione, è faucibus mortis in vindictam raptus, extremo conatu in Priorem irruit, atque intra alvum pugionem abdit; obiitque Prior poſtridie, vltionis ſuæ miſera victima; litteratis chariſſimus, quos beneficiis proſequebatur, & ipſe litteris imbutus haud mediocriter. Epernonio data mortui prætura, & aſſignatus exercitus, quo Delphinates Hugonottos compeſceret, & Phocenſes eodem contagio liberaret. Valeta cum quatuor peditum millibus in Delphinatibus aggreſſus Lediguerium, poſtquam virum fortem Brionis ponte haud dimovet, Gratianopolim veniens, conſilio graſſans in fœderatos, iis duas arces, Valentinam & Gapenſem eripuerat. Porrò in Phocenſibus factiones perſtabant, & priuatæ inimicitiæ, prætentæ titulo religionis. Vinſius Catholicos, & fœderatos regebat; Cadenetus Orationis Vicecomes Hugonottos, quorum partes longe inferiores Catholicis erant; Vinſius poſt Prioris mortem, accedente auctoritate Senatus, vſurpauerat regimen, & obſidebat Alemanium caſtrum, haud procul Rhegio, loci dynaſtam capturus, qui nouæ Religioni adhærebat impenſiùs. At is ad Lediguerium affinem, imploraturus opem perfugerat, atque exorauerat vt ad eripiendum caſtrum pertenderet. Pugnâ conſertâ pellitur Vinſius, cæſis ſeptingentis, in quibus Mola ſexaginta quinque magnis vulneribus ſaucius, captis annumeratus conualuit; admirantibus cunctis vitæ tam fragilis tenacitatem; diuerſa ſors Alemanio contigit, qui in primo victoriæ ſenſu, dum galeam aperit glande perimitur:

La Peyre.

Villemur.

Epernonij exercitus.

La Provẽce.

Prioris Franciæ cades.

D'Oraiſon.

Lediguerius in Phocenſibus victor.

Lediguerius

Ledigverius moderatè vt solebat se gessit; affirmans in bellis civilibus, non agendam ad extrema victoriam: cúmque incitaretur ad fugitiuos celerius persequendos, respondit humaniter, se ad bellum non venatum ire. Dum confligebat, iam ad limites Phocensium pertingit Epernonius, qui numerosis copiis adductis, tribunisque clarissimis, vtrique partium formidandus, ab vtraque obsequenter excipitur. Continuò sollicitus de renovanda concordia, Vinsium & Cadenetum reconciliat, magnâ prudentiâ nobiles ab armis ad pacem abstrahit, atque vt fœderatos devinciret arctiùs Merindolium, Seynam & Breoulam, quas vnas arces Hugonotti in Provincia obtinebant, quà vi, quà deditione, expugnat, ciuium aliquot in pœnam traditis, offensionem palam in Hugonottos ostendens. Tum copias fratri obsidenti Caturigum adiungit. Erat Caturigum vt scripsi, sexto milliari infra Ebredunum, nuper à Ledigverio ereptis septem propugnaculis accuratè munitum; isque ad propugnandum iniecerat tres affines suos, & octingentos bellatores lectos. Diu obsidio Epernonium præter expectationem tenuit; intus strenuissimus miles, foris Ledigverius indefessæ ac vigilantissimæ celeritatis; accessit morborum languor, & hyemis aspertimæ frigus, quod eo anno acerbissimè sæuiit: nam speculatores dum intendunt vigilias, haud pauci frigore exanimati, saxorum instar indurescebant, in ephippiis fixi, & immoti; pedites stantes, & gelu calceos humo affigente & agglutinante; multi gelu conceptum viscеribus, tostis igne membris ægrè depellebant; támque atrox ea pernicies fuit, vt soluta obsidione; ex decem millibus hominum, vix tria millia superfuerint. Attamen calamitas cùm obsessis non parceret, deditum est oppidum; milite incolumi, & relicta civi religione. Mox Epernonius comitiis Prouinciæ habitis, turbisque sedatis anno consequenti, relicta fratri procuratione ad Regem venit, laurea dignus ob pacatam Prouinciam, quam per annos plures vorabat, vrebatque discordia.

HENRICVS III.

Choges.

Anno 1586.

VIII.

Legatio Protestantium ad Regem.

Regem interim audienda legatio cruciabat, rursumque ad desiderium pacis impellebat. Vbi primò conciliatum fœdus intonuerat in Hugonottos, Navarrus Pardalianum & Clermontium legauerat ad Protestantes Germaniæ, qui opem religioni oppressæ flagitarent, atque conficerent; rem pro Navarro vrgebant, Dux Bullionius, Fridericus Vitembergius, Beza Genevâ ad Helvetios missus, & ipsa Elisabetha Regina Angliæ; quorum postulatis assentiuntur Principes & delectum habent. Ij præter Protestantes Germaniæ, Fridericus Daniæ Rex, & Helvetiorum pagi Hugonotti: qui simul censuerant mittendos Oratores ad Regem per quos liberam Religionis facultatem Francis precarentur. Missi primùm à Daniæ Rege atque Heluetiis, quos Rex admisit; mox Protestantium cæterorum accessit legatio, quam Rex vti eluderet, Parisiis profectus Lugdunum venerat, fallebatque spe proximi reditus: tandem cum hæc mora maiori molestiæ Oratoribus foret, quam quodvis responsum, Rex reuertit Parisios, fecitque audientiam. Hilmerus Hemstadius Casimiri Principis Legatus, nomine omnium primùm dicit, à quibus mitterentur: ij porrò erant Electores, Palatinus, Saxo & Brandeburgicus, Principes Imperij, Archiepiscopus

HENRICVS III.

piscopus Magdeburgensis Iulius Dux Brunsuicensis, Langrauij Hessiæ, Princeps Catensis; atque ciuitates liberæ, Argentoratum Vlma, Nurimberga, & Francofurtum. Tum Scrogelus flagitata Regis facultate, Legatorum nomine, legit ex scripto quod mandatum à Principibus fuerat, atque eo conquerebantur acerbiùs, quod Rex contra fidem publicam, Pacificationis, vt vocabant, edictum abrogasset; violatam subditis fidem exaggerabant pluribus, rogabantque vti Rex liberam exercendi facultatem subditis faceret. Ad ea Rex graui oratione & seueriore vultu respondet, se Catholicam Religionem maiorum exemplo vnicam in Francia asseruisse; inuigilasse subditorum commodis vsibusque; sui esse muneris edicta condere, tollere, atque abrogare, ex variis mutationibus rerum, temporumque; ita se instituisse, & perrecturum ad Regni totius emolumentum & commodum. Deinde cum in cubiculum recessisset, scriptum sibi à Legatis traditum perlegendo; ita subita ira exarduit, vt propria manu in chartula scripserit, eos mentiri, qui dicerent, se abrogando edictum fidem fefellisse, vel in honorem suum deliquisse, eamque chartam per cubicularium ad Legatos misit. At eiusmodi intempestiua generositas, nulli commodo, & detrimento maximo fuit; Legatis concinentibus bellum, & eo intentiùs quòd se affectos arbitrarentur iniuria. Nihilominus Rex cùm *illum* à Germania turbinem multum pertimesceret, satagebat à Guisio pacem impetrare, studebatque ipsum conciliare Nauarro; propositis speciosis conditionibus, quas ille cùm repelleret, atque affirmaret consummandum negotium, & Hugonottos semel è Francia deturbandos, quod speraret confectum iri breuissimo tempore; Rex ad Nauarrum spem & colloquium vertit. Catharinæ matri iniunxerat munus colloquendi cum Nauarro, & vias aggrediendi ineundæ pacis. Ea progressa in Pictones post varias morulas obiectas ac victas, tandem impetrauerat, vt in castello Sancti Brixij, quod est propè Conacum in Santonibus, colloquium haberetur. Reginam comitabantur Mompensierius, Niuernensis, Biro, Lansacus, Rambouilletus, & Catharina Borbonia, Abbatissa Suessionensis; cum Nauarro venerant Condæus, Turenius, & Principes factionis. Eò maximè intentæ à Regina & Principibus machinæ, vt Nauarrum ad Catholicam fidem reuocarent, magna spe impletum, & luculentis promissis; at ille firmus fixúsque non tam in religione quàm in partibus, quarum vnicè fulcro nitebatur, forti animo promissa reiiciens; cum tribus vicibus conuenissent; demùm abscessérunt, re nulla perfecta, exacerbatis mutuis odiis, vt plerumque fit; cùm inanis beneuolentiæ spes inimicitias incremento maiori inflammat. Nihil interea fœderati de Regis odio remittebant, publicam calamitatem in eum potissimùm vt malorum fontem regerebant. Ad instruendos quos enumeraui exercitus, plura edicta ad pecuniam parandam conscripserat, atque in Senatum detulerat; cùm per ea magistratus noui crearentur, turbæ natæ sunt, & in ipso Senatu procuratorum querelæ; & in maiori Consilio, atque in Rationum Curia: quæ tametsi clementia Regis mox sopitæ sunt, tamen perstabat publicum in eum odium, & fœderatis ad grassandum præbebatur materia. Ij Parisiis veluti in regni capite constituti atque stabiliti,

Regina colloquium cum Nauarro.

Odiũ in Regem.

Et coniuratio.

stabiliti, conspirare in Regem ipsum incipiunt, longioris moræ impatientes: quam coniurationem tametsi Mezeræus in dubium & meritissimè reuocet, cùm vnius hominis & quidem speculatoris delatione in apertum prodierit, tamen eam, iuxta ac cæteri narrant Historici, hîc paucis inferam. Lutetiæ contagium fœderis in ordines omnes peruaserat; eam luem præses Magister in Senatum sparserat; Capella Martellus in Curiam Rationum; in subsidiorum Curiam Nullius præses; in Monetæ tribunos Rolandus; Bruyera in Castelletum; Louchartius in Regionum singulares iudices; accesserántque Vniuersitas, Procuratores Palatij, & vilissima plebis fæx Nautæ, Lanij, Baiuli, Salsamentarij, Carrucarij, aliíque eiusmodi, quibus religionis nomine nihil antiquius, cum religiosè minimè omnium viuant. Iis ad audendum faciebat animos genius Regis, qui tam ipso vsu pietatis, quàm priuata consuetudine, erat in omnium despicientia, & contemptione; & frequens pœnitentis veste peregrinationes & supplicationes obibat; abdebat se cum Cœnobitis in cellulas; mutabat identidem conscientiæ rectores; Augerio Iesuitæ Hieronymitanos substituerat, quos in Vicennæ saltu instituit, deinde Minimos in eorum loco reposuit; postremò ad Fullienses conuersa pietate, qui Ordo ex sancti Bernardi monachis coaluerat; nuper eos in suburbio sancti Honorati cœnobio condito collocauerat. Nec priuata vita splendori erat, aut commendationi virtutis; peruestigabat studiosè imagines, quas olim coloribus pictas in precum libellis apponebant veteres, easque fericis pannis intersectas ornabat, quadris inferebat, & agglutinabat parieti. Catellis Melitensibus, mulierum deliciis tam immoderatè capiebatur; vt in iis emendis atque alendis centum aureorum millia quot annis insumeret; in psittacis, simiisque non minorem pecuniam; magnà hominum turbâ, atque fœminarum ad curanda eiusmodi nugamenta, comitatum aulicum deturpante. Cùm igitur fœderatos haud moraretur reuerentia Regis, primum instituunt occupare Bononiam, cui præfectus Epernonius erat, idque Bernardini Mendosæ Oratoris Hispani suasu, qui eam vrbem portu commodam Philippo cupiebat addicere, atque ad Anglicam expeditionem armamentarium ponere; verùm consilium retectum inanem euentum habuit, vrbsque seruata est vigilantia Bernæi præfecti. Eam ob rem fœderati cum sua viderent patere consilia, in extremum acti, statuunt Regem dum Vicennis incomitatus regreditur capere, & appellato sæpius Guisio, Maynium fratrem, qui nuper Lutetiam ex Aquitania venerat, in consiliorum ducem & rectorem adoptant. At arcanas deliberationes aperiebat Regi Nicolaus Poulanius, qui fœderatis adscriptus in eorum cœtus admittebatur; atque eo vnicè referente nuntiatur Regi coniurasse participes, in ipsius captiuitatem ac consiliariorum necem; imò statuisse Regem intercipere, dum sancti Germani nundinas spectaturus inuiseret; eoque absente, in Epernonium concitatos Scholasticos, turbámque ciuium. Sanè cùm per ea monita Rex comitatu magno stipatus incederet atque custodiam intenderet accuratius, interpellatum est coniuratorum consilium, & Maynius commeatu facto abscessit Parisiis. Nec dum constat Poulanio fides, quæ speculato-

Le Maistre. Chapelle. Marceau. De Nully. La Bruyere. Louchart. Cõmissaires des quartiers.

Poulain.

HENRICVS III.

ris dictis sæpe fallacibus non habenda temerè: maximè quòd Maynium involuant, prudentem virum, atque temperatum, nec facilem tumultibus popularibus ducem. Crediderim multa fuisse à fœderatis proposita, retecta à Poulanio ceu deliberata, vt diligentiæ maius præmium foret, ex momento rerum & magnitudine periculi rependendum.

IX. *Rex agit cum Guisio.*

Hoc posito metu Rex hyemem conuiviis & choreis dum traducit, molestiam capit, primùm Castillone à Turenio capta; quam vrbem nocturna invasione scalis applicitis, nullo sumptu, nulla iactura occupaverat; quæ tot ærumnis, tantisque sumptibus fuerat Maynio. Præterea dolori incrementum accessit, ex Mariæ Reginæ Scotiæ ignominiosa morte atque iniusta, quam Elisabetha truncari capite vt maiestatis ream curauerat. Et meritò ad Regem dolor immensus pertinere debuerat, qui tametsi ad eam

Anno 1587.

seruandam commendationem sedulam, curamque intentam adhibuerat;

Pomãdiere.

missis ad Elisabetham Legatis, primum Fomanderio viro accepto, dein Pomponio Bellievrio, litteris, eloquentia, & civili prudentia spectabilissimo, tamen inani intercessione, non mediocrem contrahebat infamiam, quod verbis dumtaxat & nænia lugubri, tam atrox facinus vlciscereturVr. Funus mortuæ sumptuosissimum fecit, abblanditus, vel dolori, vel ignominiæ, quod Reginam & quidem Franciæ inultam ipse Rex pateretur. At ipsum formido Germanici exercitus angebat vehementiùs, quo tandem pacto ingruentem illam molem disiiceret: nam Navarro Ioyeusam cum copiis opponebat. Ea de re Guisium deliberaturus arcessit. Iam anno præterito Guisius Duci Bullonio bellum intulerat; tum quia Hugonottos fovebat impensiùs, tum vt eius ditionem, vrbesque Lotharingo percommodas invaderet atque obtineret. Receperat Rocroium, quod per insidias Bullonius occupaverat, & vastatis agris Sedanum ad necessitatem famis adegerat; cùm revocatus vt Virodunum defenderet, Bullonius Sedanum commeatu instruxit, admisitque in dies aliquot inducias, & eo momento arcessitus Guisius Regem Meldas convenit; statimque expostulat, de rebus plurimis in gratiam Hugonottorum patratis, quas emendaturum se Rex cùm recepisset, de ratione repellendi exercitus Germanici dum agerent; Rex arcanis verbis compellat Guisium ac precatur, vt calamitates Franciæ miseratus; imminentem à Reitris procellam quovis pacto potiùs quàm bello depellat; aleam Martis semper incertam; Germanis Franciam claudi non posse; admitti ferocem gentem in viscera; nec depelli sine gravissimo detrimento; præstare hostem excludi industria & solicitudine, quàm admissum sumptu, labore, & sanguine vltra modum effusis inhærentem avellere. At cum Guisius honestam huiusmodi pacem pernegaret, ac contumeliosam Deo & Christianissimo Regi assereret; de bello actum est, & constitutum, vt trifariam copiæ dividerentur; quarum duas partes Mompensierius & Guisius haberent, ad prohibendum hostem Campaniâ; tertiam ipse Rex vt à Ligeri arceret. Mox ille in Campaniam proficiscitur, iste Parisios, vtrimque auctâ offensione, cùm Rex æqualem sibi partem cum subdito quereretur, minorem Guisius sibi attributam ex inuidentia. Verùm Regi incumbebat permolesta angustia; nam deserendum erat iucundissimum,

HENRICVS III.

diſſimum otium, exhauriendæ belli ærumnæ, ſubeunda alea, & in alteruttam partem periculum, prompta pernicie tranquillitatis, & auctoritatis vtra pars vinceret. Æſtuabat quem in conſilium advocaret; noverat matrem in Lotharingam domum propendere; Villaregium ſuſpicabatur proniorem in fœdus, quanquàm is vno religionis zelo duceretur; idem de Nivernenſi cenſebat, nec grata prudentiſſimi viri conſilia; quæ medicamenti inſtar ſalubria erant, non iucunda, ac dabantur cum auctoritate experientiæ; Epernonio credere intutum admodùm, à Guiſiis tantopere diſcrepanti. Ideò ſe vnum adactus conſulere, atque audire, ſtatuit, vt ex eventibus conſtitit, factionem vtramque ſic imminuere, atque infringere mutuis odiis, vt poſtea obteri & tolli poſſent; eam in rem Navarrum in Pictonibus profligandum, eóque pellendum, vt Hugonottos cogatur deſerere; obiiciendum Guiſium Reitris, ſed imparem viribus, vt vel certo periculo ſe involuat, vel excidat militari illa laude & gloria, refrigeſcente populari benevolentia; Germanos clam donis conſiliiſque divellendos, profligandos incommodis, & à Ligeris tranſitu prohibendos. Hæc conſtituebat, dum Pariſios fœderati conturbant denuò, novumque bellum in viſceribus movent. Concionatores contumelioſiſſimis verbis Regem & Conſilium lacerabant; in iis Prevoſtus ſancti Severini Parochus, palam de pulpito, Regem tyrannum dixerat, hoſtem Eccleſiæ & populi; cúmque Rex grauitate rei commotus, non temperaſſet à minis; rumor ſpargitur, Concionatores in amnem mergendos (idque forſan pro merito) ac continuò Buſſiclericus vt Prevoſtum ſeruet, cum cohorte fida, in proximas Hatæ Notarij ædes, repulſurus vim, ſe recipit; miſſúmque à Rege Ianitorem conclavis retinet, moxque Ioannem Seguerium Prætorem vrbanum vi oblata repellit. At Seguerius apud Regem expoſtulat; eius querelas Cancellarius promovet, ſuadétque vt maturè malo conſulatur, & tumultus auctores rapiantur in pœnam: dicentibus ſupervenit Villequerius Pariſienſium gubernator, qui facta ſecuritate Regem amovet à vindicandi conſilio, & id voluptuarius homo conſulebat, non cauſa fœderis à quo abhorrebat; ſed quod gulæ & voluptati implicitus, abiudicaret fidem tumultibus, qui voluptatum vſum impedirent. Verùm increſcebat ſeditio, & Boucherius ſancti Benedicti Parochus, pulſata frequentiori ſono campana, ad arma Vniuerſitatem exciuerat; vnde commota plebs, Lugolyum à Rege cum ſatellitibus Tribuni capitalium miſſum, vltra pontes repulit; nec alia Regi vindicandæ iniuriæ ratio, præter diſſimulationem & patientiam fuit; auctoritatis Regiæ proximo funere, dum plebis furor obice nullo in faſtigium ſcanderet.

Tumultus Pariſiis.

Lugoly.

X.

Exercitus Germanicus in Francia.

Sed iam Germanorum exercitus imminebat. Eum Proteſtantes ſumptu ſuo inſtruxerant, præter quinquaginta nummorum millia, quos Eliſabetha erogauerat in communem cauſam. Ac mira alacritate tum Proceres tum priuati ad delectum concurrerant; matres liberos ad centuriones perduxerant; ſponſæ maritos ad expeditionem incenderant, diuenditis ad apparanda arma monilibus; opulenti militibus veſtem: alimenta tuſtici, vltrò ſubminiſtrabant: iſque erat ad Religionem promouendam ardor; cùm

HENRICVS III.

cùm arbitrarentur ſuam perſuaſionem admittendam ab omnibus, ſi ſemel Nauarrus regno Franciæ potiretur. Luſtrato exercitu annumerata ſunt in Alſatio bellatorum triginta duo millia, quadraginta ſcribit Dauila, armis animíſque inſtructiſſima ex genio gentis. Porrò præter Germanos equites, peditéſque vndecies mille, & ſexdecim millia Heluetiorum; acceſſerant Francorum primò duo millia peditum, equites quadringenti, ductoribus Guillelmo Duce Bullonio, & Ioanne fratre Comite Marchio; moxque adiunxit ſe Caſtillonius cum mille & octingentis; aliáque duo millia quæ ex variis Franciæ oppidis confluxerant. Vaſta membrorum moles, cui nihil præter vnam mentem defuit, per quam ageretur. Etenim Caſimirus receperat ſe ducturum exercitum, & nobilitate atque peritia par erat muneri; acceperátque in itineris ſumptus quadraginta nummorum millia, ſed iam gloriæ plenus vt nummis parceret, legatum ſibi ſubſtituerat Fabianum Donauium Prutenum nobilem, fortem equidem & aliquot facinoribus clarum, ſed minori, vel experientiá, vel ſplendore natalium, quàm poſtularet in capita tam diuerſa vſurpata auctoritas. Sanè Bullonio regimen Nauarrus detulerat; quia tamen iunior pro munere erat, primum agmen ducebat; poteſtatem reliquam concedebat Donauio. Nec modò Ducem tam immenſum corpus deſiderabat, ſed membra ipſa diſtrahebantur in partes, imò morbum & venenum admiſerant. Quippe Ducum æqualitas æmulationem ac diſcordiam ferebat; regebátque Donauium quidam Hugueria à Condæo miſſus ad Caſimirum, vir perfidioſus, qui mercede à Lotharingo conductus, ſuorum aperiret conſilia, & plerumque in peius verteret. Sic inſtructæ per Vogeſum montem in Lotharingiam penetrant copiæ. Et imparatus ad repellendum erat Guiſius, ſi militem numeraſſet; nam vix duodecim hominum millia habebat ſub ſignis; quamquam Dux Lotharingiæ accederet, ab Arteſia copias Parmenſis mitteret; ſuoſque amicos ipſe Guiſius priuato ſumptu arceſſeret. Sub Auguſti finem peruadit in Lotharingiam hoſtis, & capta vrbe Sarpruchio, de expeditione deliberat. Peruicit Hugueriæ doloſum conſilium, vt omiſſa Lotharingia penetrarent ad Franciam, atque omni ope ſe adiungere Nauarro contenderent; qui belli totius ſcopus, atque vnicus finis videbatur. Sic prædantes agros, ac diripientes, nam vrbes præſidia tutabantur, lento itinere ad Campaniam tendunt. Sed Guiſium pugnæ impatientia cruciabat, ferebatque ægerrimè ſub aſpectum ſuum impunè fœdari agros, & pagos incendi: quocircà colligit copias, quarum ipſe primum agmen duceret, aciem Lotharingiæ ipſe Dux, ſeque ad hoſtem admouet propiùs. Ingens erat dimicandi cupiditas, nec occaſio inueſtiganti deeſſe poterat, quæ ſtatim oblata ad Sancti Vincentij pagum, capienti propè exitio fuit. Tranſgreſſus pontem, quo fluuius Colonus iungitur, cum Caſtrio & Baſſompetra, ſpeculabatur quid hoſtis intenderet; cùm aduertit multos hoſtium equites traiecto fluuio, quem minimè vadoſum arbitrabatur, accurrere, vt receptum intercluderent; quamobrem pontem remenſus celeriter, & ex proximo colle hoſtem explorans, trecentos equites & ſclopetarios centum irruentibus obiicit; ij pellunt hoſtem

Donauu.

La Hugueric.

Sarpruch.

Le Colon.

móxque

móxque pelluntur, accedentibus hoſtium turmis, & magno in periculo verſantur; cùm Guiſius eos ad receptum reuocat; quem ipſe cum equitibus centum inſtruens feliciter, ægrè ſaluus euadit; rurſùm in Heluetios incidens, nec ſine ingenti diſcrimine, ad Lotharingum euadens. Vaſtatis agris, contendente Hugueria, placuit ad Ligerim pergere; ſéque in Baſſiniacum immittunt copiæ, medio Septembri, ſed cæcorum inſtar, quos duces deſtituunt, inuoluentes veſtigia labyrintheis erroribus atque ambagibus, progreſſi parum viæ, multum laborum, atque ærumnarum. Nam poſtquam Marchius Caſtillonium recepit, qui ex Occitania mille quingentos pedites, & trecentos equites in Lotharingiam duxerat, & ipſe viæ laboribus immaturo fato ereptus eſt; totus exercitus ad Sequanæ fontem promotus, eoque amne traiecto, & Icaunâ poſtmodùm, cùm ad Ligerim accederet, aduenit ab Nauarro Monglaſius, fertque mandata vt extemplò amnem tranſmitterent, vado Neuuiaco, quod erat proximum, nullius adhuc defenſum copiis. Eratque conſilium tam facile, quàm conducibile; nam totos quinque dies ripa amnis vacua fuit & expedita; ac prætergreſſis patebat ager fertilis, ingens commeatus, & rerum omnium ampla commoditas. At Ducum diſcordia & Hugueriæ inſana arrogantia nullum locum permittebant prudentiæ. Præterea Rex plurimos ex tribunis Germanis & Heluetiis centurionibus conciliabat pecunia, ſerebátque diſſenſionem in Ducibus; omnia exercitui detraxerat commoda, agrorum facta ſolitudine, vt nihil pabuli, nihil annonæ quod raperetur, occurreret, furnos & molendina euerterat, ſutores, cerdones, fabros ferrarios, carrucarios, artificéſque eiuſmodi, quorum opera exercitui neceſſaria eſt, in vrbes compulerat; vt Germanis præter pura elementa, commeatus nullus, commodúmve ſuppeteret. Tum ipſe Rex ad oppoſitam Ligerit ripam cum exercitu ſpectabatur, quem conflabant octo equitum millia, Francorum peditum decem, octo Heluetiorum; erántque in caſtris Mompenſerius, Niuernenſis, Epernonius, Aumontius, & Rhetius Mareſcalli; Guichanus ſummus tormentorum præfectus, Oliuerius Cancellarius, Villaregius, & Proceres magno numero; ipſo Rege ad inſtaurandam priorem gloriam, ſub tentoriis pernoctante. Sic Germani abſtracti à Ligeri, ſtatuunt retrocedere, atque in Belſiam tendere, opulenta & vbere regione ſubleuaturi penuriam. Nec aliud dignum memoria contigit, præter nocturnam dimicationem in Vimorio ad Montargirium pago; quâ experrecti ſomno Germani, ſe ſtrenuos teſtati milites, Francos repulerunt; æquâ propemodùm clade; niſi quod Germani impedimentis ſpoliati, tria vexilla primæ dignitatis rapta retulerunt. Erátque tantæ molis, tantæque machinæ ea inutilitas, cùm victoriæ nuntium, auribus inexpectatum inſonuit.

HENRICVS III.

Baſſigny.

De Neuuy.

De la Guiche.

Vimory.

In Pictonibus plura oppida Nauarrus ceperat; móxque eorum aliquot Ioyeuſa receperat; duaſque Nauarri legiones in pago cui nomen Motta Sancti Heraſij interceptas internecione deleuerat, contra pacta deditionis; ac dunuò reductis copiis in aulam regrediens, noua clade à Nauarro affectus, turmas aliquot equitum in Turonibus proffligante, æqua lance

XI. *Corracenſis victoria.* Morte S. Herais.

HENRICVS III.

aleam Martis gloriamque libraverat, cùm in ipsa aula novo dolore affligitur. Siquidem ipsius frater Henricus Comes Bouchagius, Catharina coniuge, quæ soror Epernonij erat nuper elata, piissima fœmina, atque vt creditur nimia vitæ austeritate emortua, eiuratis aulæ atque ipsius vitæ illecebris, in Capucinorum cœnobium, imò saccum, nam is pro veste est, omnium summo stupore, se induit; tamque constantem se in proposito gessit, vt nec Regis inuisentis blanditiis, nec fratris vehementi dehortatione, precibus lacrymisve, nec affinium complorationibus, nec ipsius voluptatis reuocantis illecebris, demoveri potuerit à sanctissimo vitæ instituto; sive dolore ob immaturum coniugis fatum, siue exemplo tam austeræ pietatis. Nec Ioyeusæ fletus visus erat sub larua; nam arctissimè fratrem diligebat, dixitque deinceps sæpe ex animo, nihil vitam suam morari amplius, ac post tantum dolorem, se nullo gaudio affici, aut dolore posse. Accesserat æmuli Epernonij nova felicitas, cui vxor data est Margarita Fuxia Candala, ex nobilissima Fuxiorum illa familia, quæ tot affinis Principibus, & ipsa digna Principe, rivalem gratia, honore, gloria, atque pecunia cumulabat: quem dolorem geminum vt aliquo solatio sublenaret, non ignarus Epernonium iam primas partes in animo Regis obtinere, instauratas novo milite copias reducebat in Pictones, deliberato in omnem eventum prælio; quo si victus occumberet, nihil gratiam Principis moraretur; si vinceret, quod certum ratúmque sibi persuaserat, & in apicem gratiæ reuerteretur, & Guisij laudem facinore tanto extingueret. Navarrus per eius absentiam Suessionensem Condæi fratrem conciliauerat, ac spe facta ducendæ Catharinæ, quæ ipsi Navarro soror vnica erat, in suas partes perduxerat; Contyo altero fratre adiuncturo se Germanis, vbi ad Ligerim perveniissent. Venerátque Monsoræum ad eum amnem Navarrus, præstolaturus Germanorum aduentum; cùm iis cessantibus, & imminente Ioyeusâ, retrò in Pictones, atque in ipsam Aquitaniam tendit. Regredienti oblata est occasio pugnæ imò necessitas, quæ dimicanti victoriam peperit. Contendebat Duranium amnem adipisci, & eunti duo fluvij obiiciebantur, in quibus transmittendis momentum celeritatis & salutis erat. Primus Druna vado ad Cutracum traiicitur; alter Insula qui à Petrocoriis defluës, excepto post Cutracũ Drunã, duodecimo milliari ad Liburnum oppidum in Durdonium influit. Est autem Cutracum pagus cum castello in Aquitania, in finibus Petrocoriorũ & Santonum, famã assecutus celebritate pugnæ quam scribo. Matignonius peritissimus Dux, explorato Navarri itinere, victoriam indubitatam præsumpserat; atq; à Rege iussus opitulari Ioyeusæ, copiis atq; consilio, ad eum scripserat affuturũ se Liburni cum milite, Octobris die vigesima secunda, ipse interim Cutracũ primus occuparet; fore necessariò vt Navarrus in insulæ transitu profligaretur. Et prudentissimè veteranus Imperator censuerat; nisi Ioyeusæ temeritas, & inconsulta cupiditas gloriæ, sana consilia disturbasset. Attamen properauit Drunam occupare, venitque Laverdinus ad vadum amnis cum centum viginti Equitibus, totidemque Sclopetariis, sed haud multò post, Trimollius cum ducentis Equitibus aduolat, pellitque Laverdinum, ratum vniuersas Navarri

Du Bouchage.

Bouchagius Capucinus.

De Foix. Candale.

Insle. Drougen.

Coutras.

copias

copias esse in proximo; sic ad Ioyeusam regressus, ad Rupem Chalasiam reducit exercitum; mox Navarrus horâ noctis secundâ vadum transit, & Cutraco excipitur, castello excluſus: quamquam vltra amnem tres legiones subſtiterant, cum equitatus parte & tormentis. Nocte in vtriſque castris habita deliberatio. Atque in Catholicis nullo repugnante ſtatutum eſt prælium, cunctis confidentiæ Ducis palpantibus, & ipſo tam victoriæ certo, vt iam de captivorum bonis, ac perſonis diſponeret; adeò Matignonium opperiendum haud cenſebat, qui victoriæ non tam adiutor foret quàm particeps, laudemque egregiam auctoritate ſua decerperet. In Navarri caſtris, meritò dubitatum quid expediret conſilij. Tandem pugna militaribus animis placuit; quam adduceret neceſſitas: Nam ſiue expectarent, ſiue Inſulam amnem traiicerent, ſive regrederentur in Pictones, impendebat clades vndecunque, vel copiis in tranſitu amnis diuidendis, vel poſt Matignonium adiunctum, ob inæqualitatem opprimendis. Igitur pugnâ conſtitutâ vtrinque; primus Ioyeuſa nocte concubia equitatum mittit vt Drunam traiiceret; qui in Trimollium incurrens, curſum ſtitit, & velitari dimicatione exorta, fecit Navarro ſpatium excipiendi tormenta, cæteráſque copias, quas omnes in patenti campo diſpoſuit. Non eſt initus earum numerus; ordo ſic deſcribitur. In quatuor agmina, diuiſus eſt equitatus, in duas acies peditatus; primum agmen agebat Sueſſionenſis, proximum ipſe Rex Navarræ, tertium Condæus, quartum Turenius; ad agminum latera collocati erant Sclopetariorum manipuli; peditatus ad dextram & lævam Tribunorum ductu porrigebatur: leviorem equitatum Trimollius & Vivanſius eorum tribunus in agminum frontem pervexerant; duo erant duntaxat tormenta, quæ peritè locata ab Galerando præfecto, multum incommodum hoſti intulerunt. Ioyeuſa exercitum, quem ex decem bellatorum millibus conflatum ſcribit Davila, ita compoſuerat, vt peditatus in duas acies diſtributus pugnaret poſt equitem; partitus ipſum equitem in tria agmina; primum ducente Laverdino caſtrorum præfecto, alterum Montignio, tertium Ioyeusâ ipſo; lucentibus in prima ordinis ſerie Proceribus & primæ notæ Nobilibus. Et quidem turmæ Catholicæ ornamentorum luxu & pompâ, iucundiſſimo ſpectaculo erant; refulgebant holoſericæ chlamydes ſegmentis aureis circumtextæ, inauratæ galeæ vibrante ſolis luce coruſcabant; criſtæ verſicolores inumbrabant fulgorem aëris; relucebant in armis faſciæ Phrygionum operâ laboratæ, & intextæ Amorum inanium votis ſpoliiſve; pictæ ad ornatum lanceæ; aurei enſium capuli; ipſi equi ad pompam auro & ſerico phalerati. Contra Hugonòtti ferro horrebant, & rubiginoſo; attrita arma vſu aſſiduo; nihil ad pompam quod cupiditatem hoſtibus faceret; paucos plumatilis conus attollebat; decolores faſciæ ac direptæ; vt eum cultũ Martis germanum diceres, voluptatis alterum & Amoris; iamque ab ipſo armorum ſpectaculo, præiudicares cuius victoria foret. Attamen Navarrus ſpectati voluit, & plumatile ſertum ſpecioſi candoris galeæ annexuit, vt haberent hoſtes, quem peterent, & ſui, quem ſequerentur: maximè ſub ipſum conflictum, cùm aliquot lancearij, vti ipſum ab hoſte tegerent, primam frontem

Roche. Chalais.

Vivans.

Montigny.

HENRICVS III. XII.

pugnæ occuparent ; iussit eos ad latus facessere ; quæso, inquit abscedite, obumbratis me, at spectari volo.

Pugnæ series.

Post dispositas copias, die Octobris vigesimo, signo pugnæ edito, exploduntur tormenta ; statimque Lauerdinus aduertens magnam suorum ab hostibus globis stragem edi, inuectus in Trimollium, pugnam inceptat feliciter, ipsum equo deiicit, Viuansium graui plagâ sauciat, totúmque agmen fundit ac pellit. Montinius pariter in Turenium actus, haud absimili impetu deturbat equo ipsum Turenium, agmen eius quasi cuneo fissum aperit, atque abrumpit ; ac Turenius in tumultu cùm nequiret in equum reponi, ad peditatum se contulit, pedésque egregiè conflixit : quamquam alij scribant à Souuræo & Bellegardo pulsum Turenium. Ioyeusa tam faustis auspiciis spem conceptam alens, cum spisso agmine in pugnam vehitur ; mille ducenti Lancearij in agmine erant, quos magnâ confidentiâ in Principes agit. At ipsi primùm iubent Sclopetarios in proximum hostem pilas effundere ; tum maximâ celeritate, in ipsum inuecti, lancearum impetum opprimunt, intercepto spatio, ne demitterentur ; ac conflictu acto ad gladios, intra quadrantis spatium, Ioyeusa vincitur, eius agmen funditur & proculcatur, pompáque illa ludicra, cæde & sanguine fœdatur illicò atque diripitur. Peditatus haud multò pòst, pari sorte ab Nauarri pedite disiicitur atque diffunditur, & in ipso æstu victoriæ, quibusdam victoribus Mottam Sancti Herasij appellantibus, cæteri memores, qua immanitate Ioyeusa socias legiones eo loco instar pecudum mactasset ; libidine vltionis rapti, ferro in victos grassantur, obuióque passim contrucidant. Ioyeusa tam inexpectatâ calamitate haudquaquam abiectus, mori statuit ; ac se, pugnaturus, ad tormenta confert ; móxque captus à duobus Centurionibus, ab iisdem, centum nummorum millia in redemptionem pollicitus, contra ius belli necatur, tribus sclopetorum minorum ictibus : quem videatur sustulisse fortuna indulgens, & peperisse calamitati, quam parabat victo & deturbando gratiâ Principis. Sanlucius feliciori sorte lacessiuerat mortem ; etenim fugere haudquaquam sustinens, gnarúsque quanto odio ipse Condæo foret, quámque insignis Principis generositas, cùm inter duodecim equites aduolantem cerneret ; demissa lanceâ in eum proruit, impetítque tam fortiter, vt in cursu ambo equi deiecti sint ; tum is celeriter erectus, dextram Principi exurgenti præbet, simúlque cæstum ferreum in signum deditionis, rogans vt Sanlucium captiuum admitteret. Ad quam vocem Princeps, quamquam ex casu graiter saucius, dedentem se, amplexus humaniter, odium vetus in beneuolentiam vertit, æquâ propemodum gloriâ capientis & capti. Nauarrus pugnans in primo ordine, sibi obiectos strauerat, captísque ignouerat, luctatus etiam cum Sansaci vexillifero, ne qua laus fortitudinis deforet. Vnâ dumtaxat horâ pugnatum est, ceciderúntque è victis ad quinque millia, in quibus illustres præter Ioyeusam, Sanssaluator frater, Susanus, Mallius, Brezæus, Aubijæus ; alij vel nobiles vel ductores ordinum ad quadringentos. Quingenti numerati in captis, quorum nobilissimi Bellegardus, Marescalli filius, qui mox vulneribus obiit, Halluinus Pienna, Sanlucius,

Sainct Luc.

Le gauteler. Anno 1587.

Sainct Saucour De la Suze.

Brezé Aubijoux.

Sanlucius, Castrouetus, Montignius, Monsoræus, Cipetra, & Lansacus; Lauerdinus, & Souræus fuga seruati sunt. Signa omnia, tormenta, & impedimenta rapuerunt victores; tam felici exitu, vt eorum desiderati sint duo tantùm Nobiles, ac gregarij milites triginta circiter. Nauarri modestia, & humanitas illuxit maximè in ipso sensu victoriæ: diuerterat ad Mornæi hospitium, vt cœnam sumeret, cúmque Ioyeusæ cadauer in conclaui inferioti iaceret, in superius scandit; mox cœnanti adducti in conspectum è captiuis clarissimi, & explicata sub oculos vexilla; sed is tam superbâ trophæi specie nusquam intumescens, & iniuriarum prorsus immemor, eos excepit perhumaniter, multis libertatem, spem aliis, & sarcinas suas impertitus, curâ sauciorum diligenti susceptâ; vt victo & solanti socios propior videretur, quàm victor: Ioyeusa & frater Turenio affini permissi sunt: ac Turones in sarcophagis plumbeis deportati; fecítque pro morte sumptuosissimum Rex Ioyeusæ funus, consepultam gratiam extremo officio prosequutus. Matignonius ad nuntium cladis, re nulla tentata recedit Burdegalam; ac instanti Senatui vt quippiam aggrederetur; sapienter respondit; illum præstare omnia, qui se Regis ad arbitrium flecteret, & accommodaret: Nam Regi tam expediebat, spem fœderatorum Burdegalæ premere, quàm prohibere Nauarrum victorem. Et ille vltrò laureæ fructu abstinuit. Censebant omnes, festinandum ad Germanorum exercitum, & Condæus id vrgebat vehementiùs, pollicitus se cum selectis copiis occupaturum Salmurium ad transitum amnis: Attamen Nauarræ Rex excusans militem destitutum rebus ad tam arduum iter necessariis, cùm è Pictonibus atque Santonibus, nullâ re instructi milites profecti essent spe reditus, Aquitani regressùm in lares poscerent; multi saucij essent; equi cæsi plurimi, exercitum soluit; recepto ab omnibus iureiurando, vt intra mensem proximum in Santonum finibus conuenirent, ad socialem exercitum requirendum. Dein ipse cum Suessionensi in Benearniam aduolat: Condæus Rupellam regreditur, Turenius in Petrocorios tendit; inani fructu tantæ victoriæ, quæ ab memotia hominum celeberrima atque clarissima, patrata est duntaxat vt vinceret, sibíque ipsa finis & primordium, cunæ & tumulus fuit: obsedit quidem Sarlatium in Petrocoriis Turenius, sed Nouembri medio reuocatus à Condæo, qui cupiebat ardentiùs se Germanis coniungere, Sarlatium omittit, móxque simul recessit in Pictones, auditâ Germanorum vel clade vel pace. Hæsit interim Nauarrus in Benearnia; ambigentibus qui in consilia Principum penetrant; an amore Guichiæ inescatus, & irretitus subsisteret; an, quod credidit Ministrorum gens suspicioſa, regni spe allectus, iam inciperet vtrique factioni esse infensior, & qui perditos fœderatos cuperet, vellet Hugonottos fouere duntaxat, dum in solium scanderet, abiiciendos postmodùm & deprimendos.

HENRICVS III. Chasteauvieux.

XIII. *Exercitus Germanorum solutus.*

Agebat in Belsia Germanorum exercitus, cùm Nauarri victoria famâ nuntiisque percrebuit; sed illicò primi gaudij sensus euanuit, vbi additum est, solutis victricibus copiis Nauarrum in Benearniam abditum abscessisse procul à Ligeri. Id nuntium inter viarum ærumnas atque incommoda

HENRICVS III.

deprehenſos Germanos penè ad ſeditionem agebat, niſi qui Franci militabant pecuniam ab inopia ſua exegiſſent, ad impedimenta tumultuantibus ſufficienda; nam de horum iactura grauiſſimè querebantur. Nec iam in Helvetiis maior ſecuritas. Eorum metatores Epernonius ceperat, Réxque verbis amaris increpuerat, expoſtulans, quòd contra rationem fœderis publici arma ferrent, in hoſtium caſtris; nóxque Nivernenſis eos aggreſſus, magnâ dexteritate ingenij, promiſſis comminationes interſerens, & difficultatibus quas tolerabant ab fame, morte & frigore, ſpem mercedis amplæ; dimiſit perſuaſos regreſſum in patriam. Idem cùm popularibus ſuis ſuaderent, & Nivernenſi ſolertiſſimo viro gens ſimplex fidem non haberet; Legatos clàm ad Regem mittunt, aguntque cum Epernonio, (nam ipſi rei geſtæ laudem attributam Rex voluit) vt quadringentis aurcorum millibus acceptis, ab exercitu deficerent; ſéque in lares ſuos reciperent. Attamen Bullonius Ducéſque cæteri tantopere contenderunt, vt octidui moram exoraverint, dum res tota ad Navarrum defertur. Eo ſpatio Contyus ad exercitum venit exiguo comitatu, ac tametſi magnâ pompâ armorum exceptus, tamen nec metum compeſcuit, nec tumultum duriore auditu & leviore auctoritate, quàm vt componeret commotos animos. Nihilominus conſulto periculo, ſtatuunt adverſo Ligeri ad fontem incedere, eóque tranſito per Occitanos ad Navarrum evadere; id propoſitum ſaluberrimum erat, ſi acceſſiſſet ad exequendum celeritas; ſed tam diſſonum corpus tam citò in vnius conſilij modum compingi non poterat, & Reitri ad captanda hoſpitiorum commoda tardius movebantur. Ea mora Guiſio ſpem laudis conſequendæ fecit. Noverat iam Helvetios conueniſſe cum Rege, agi cum Germanis Epernonij opera, & molem illam immenſam effluxuram penitus ſuâ nullâ gloriâ, quódque moleſtius, magnâ æmuli laude. Iam Magnium in Burgundiam miſerat, Aumalium in Picardiam, ne quid Rex in fœderatas vrbes aggrederetur, & retentis tribus peditum millibus, & mille equitibus, circumcurſabat hoſtem, iam ſecurum & infirmas copias deſpicantem. Agebant Reitri Alnæi, quod eſt permodicum ad Carnutum oppidum, clauſum muro debili, nullâ foſſâ, aut ſublicio ponte; imminebat oppido caſtrum, & tenebatur à Cholario præfecto; atque eum inter & Donavium Reitrorum ducem conuenerat, vt nihil hoſtiliter facerent; Donavius tamen inter arcem & oppidum munitionem locauerat. Eam occaſionem arripit Guiſius, ac per Chatrium conciliato Cholario impetrat, vt per caſtrum in oppidum armati inuadant. Nocte aſſignatâ cum copiis accedit Guiſius, atque opportunè ipſo die abſcedebant Helvetij, ac Reitri ingreſſuri viam ſimiliter, impedimentis onerauerant currus, paſſimque per vicos occurrebant plauſtra & ſarcinæ. Sub ortum lucis immiſſus à Guiſio pedes, per caſtrum in munimentum inuadit; dum ipſe Guiſius cum equitatu campum proximum obtinet, prohibiturus ne pulſus hoſtis turmas reponeret. Sanpaulus ortus humili ſtirpe, ſed animi fortitudine in paucis illuſtris peditem ducebat, ille in munimentum obiectum in area impetum facit; ſed repellitur à Germanis ſclopetariis; Reitris magno numero procurrentibus. Tum conſtitit

Auneau.

Pugna ad Alnaum.

S. Paul.

quod

quod in duce momentum sit, quantúmque res bellicas vnum caput promoveat; Sanpaulus postquam frustra militem ad instaurandam pugnam adhortatur, iubet castri fores occludi, & relictum in eo militem eiaculari pilas in recedentes. Enimverò mortis facies quoquoversum præsens & desperatio cùm animos susciassent; magno impetu miles in munimentum conuertitur, in aduersos perrumpit, munimentum expugnat, Reitros cædit, & in vrbem infunditur. Sanpaulus continuò in amplissimum vicum peruadens, Ioanni centurioni imperat, vt portas occupet, vetátque sollicitè ne miles in prædam abripiatur. Et verò intenditur dimicatio, Reitri velut indagine & cavea clausi feroces, capessituri pugnam arma corripiunt. Sed in magno animo arma imparia erant, & iniquus locus. Francis tela oblonga procul ferientia, sclopi maiores, sarissæ & sparsæ per vicos sarcinæ; singula pediti accommodata; Reitris aduersa omnia, sclopeta breuiora, gladij; equus in impeditis vicis inutilis; quamobrem ij sternuntur ac magna strage profligantur. Donavius viâ ferro patefactâ per portam erupit, nondum occlusam; à Francis exceptus; nec recedentes Helvetios exorare potuit, vti in victores, dum in prædam effusi sunt, conuerterent vires. Cæsi ea strage Reitri quà heri, quà famuli ad tria millia; capta septem equitum vexilla, tria equorum millia, plaustra octingenta; & præda quadringentis nummorum millibus æstimata. Sic imminuti Germani, haud victi sunt; nam adhuc sub signis incedebant bellatorum duodecim millia, qui de damno consequuti prudentiam, cautiores & diligentiores inibant viam ad Ligerim. Eos Epernonius cum Lancearijs octingentis & totidem equitibus Scloperarijs, vnà propiùs leucà sequebatur, interuallo maiori Guisius; mandauerátque Rex Epernonio, vt pace potiùs quàm armis procellam illam excuteret. Attamen ille ad Giani pontem perturbatos mille & ducentos pedites armis exuerat, leuiora tormenta sexdecim eripuerat (nam grauiora humo infoderant) & ingentem prædam collegerat: festinantes præterea maiora in dies vrgebant incommoda; vt plerumque viâ aberrantibus silvæ & rupes pro hospitio essent; nulla annonam militi; nullum pabulum equo, desertiones creberrimæ, & post Ligerim transitum immensum adhuc per hosticum iter: Eamobrem, oblatæ ab Epernonio conditiones tandem admissæ sunt; vt Reitris ad regressum securitas esset; vexilla in arculis complicata ferrent; Francis impunitas foret. Duces copiarum Marsiniaci opulento conuivio excipit Epernonius; móxque divisi in duo agmina, vno per Foresios atque Allobroges, altero per Burgundos, & Sequanos, magna celeritate regressi sunt in Alsatiam; tantæ spei & expeditionis adeò formidādæ vnà post comite ignominiâ, per obita pericula, exhaustas ærumnas, sociorum strages eam vnam reportantes in patriam; qui discordiæ fructus & multiplicium gentium opus; ratiò diuersis membris in vnam mentem coalescentibus. Pauci ex Francis iis pactis steterunt. Contyus per Castella Nobilium propemodùm ignotus ad Cenomanos recessit; Clervantius cum Helvetiis, Dux Bullonius Genevam; & vterque paulò pòst morbo interiit. Castillonius omnium fortissimus, quādo Germanos à pactis demovere non potuit, cum centum & viginti cataphractis,

HENRICVS III.

Anno 1587.

Gien.

Marsigny.

HENRICVS III. Riuirieu. *Heluetij cæsi.*

ctis, & sclopetariis equitibus centum quinquaginta, per Foresios & Lugdunenses penetrauit ad Heluios, appetitus vndique pagorum atque vrbium armis; maximè ad Reuirium, in agro Lugdunensi pagum, Mandelotio qui duobus hominum millibus iter occluserat pulso & eluso. Porrò appendix infelicis expeditionis Heluetij in Delphinatibus cæsi. In iis Lediguerius, & in Phocensium finibus oppidula plura expugnauerat, & operiebatur quatuor millia Heluetiorum, quæ ex primo illo Germanici exercitus delectu, designata erant suis successibus promouendis. Castillonius dum in Lotharingiam tendit accesserat Lediguerio, simúlque vltra Isaram rapidum & torrentem amnem, ad excipienda subsidia considebant. At in ripa amnis opposita Valeta & Alphonsus Ornanus præsto erant cum copiis ab amne prohibituri tum Heluetios, tum Lediguerium. Eos iam Mesplesius Legionis tribunus velitationibus multis vexauerat, atque Isaram tandem prætergressos Ornanus statim assequitur, & ignorante Lediguerio, vbinam gentium agerent, cum Valeta aggreditur. Ferox primò prælium, mox fuga & strages; cæduntur Heluetij, quanquam strenuè pugnarent, & statione deiecti internecione delentur; tum eo loco octingenti, tum denuò mille; capiuntur signa, & ex tanto numero centum dumtaxat superstites transeunt in vincentium castra. Lediguerius & Castillonius tertio milliari à pugnantibus aberant; prælij prorsus ignari, de Heluetiis quærendis solliciti, fugerátque perspicacissimos Duces occasio proxima, quam procul positam arbitrabantur. Dum Catholici discerpunt Huluetios, inexpectata clade in Adhemari monte obruuntur. Poëtus vrbis præfectus cum Lediguerio de seruandis Heluetiis satagebat, cùm Catholici magno numero in vrbem inuadunt, portam fabro ferrario clam aperiente, & militem in arcem compellunt. Plurimi ex Nobilibus Catholicis ad vrbem aduolant, quorum princeps Comes Susius, atque arci inclusos arctius stringunt. Illicò Lediguerius iubet Poëtum cum quadringentis sclopetariis reuolare in arcem, simul ex Viuaresiis septingentos mittit Chambaudius; sic vtrinque copiæ adaugentur. At cùm inter Catholicorum Duces parùm conueniret ob consortium potestatis, & æmulationem imperandi; Poëtus ex arce violenter erumpit, ac munimenta opposita cum non perrumperet, adiectas circum ædes perfodit, & propugnatores à tergo aggressus, pellit; mox ad alterum munimentum euadit. Susius ad primam eruptionem cùm ruentium temeritatem contemneret, tandem equo inscenso, dum incendit pugnam, perimitur; móxque cæteros metu percellente, Catholicorum editur strages: eorum cæsa duo millia, capti multi Nobiles; ísque successus Heluetiorum stragi repensus est, dedítque Lediguerio animum ad consilia noua, quæ dux vigilantissimus intermissione nulla suscipiebat; arce & iugo Vapingo vrbi impositis, quinto ac decimo die postquam inceperat, perfectis inter hostium arma munimentis.

Mesplez.

De Suse.

XIV. *Fœdus incalescit, vocato Guisio.*

Post dissolutum Germanorum exercitum, furor fœderis adeò non quieuit, vt maiora inde incrementa acceperit; Lutetiæ præsertim, quæ vrbs quam conceperat; primo insaniam, alebat studiosè atque promouebat.

bat. Et appositè ad mentium cæcitatem, nascente anno, offusa est ciuitas caliginosâ nebulâ, adeò spissâ vt die medio se inuicem homines non contuerentur; aues volando in caminos impactæ in subiecta impluuia prolaberentur attonitæ; atque ædium tenebræ facum lumine dispellerentur; mox in mentes ab oculis peruadente caligine. Etenim Parisienses religionis zelo afflati, deprædicare Alnæi lauream, efferre Guisium immensis laudibus. Eum cum Dauide contendere, qui Goliathum impuræ hæresis prostrauisset, seruatorem Catholicæ fidei nuncupare; contrà Regem deprimere; contumeliosis verbis lacessere, ac palàm in eius perniciem inire consilia. Guisius postquam reduces Germanos armis consequutus, currentibus admouisset calcaria, secesserat Nanceium, cum Lotharingo de summa rei deliberaturus; cùm semel atque iterum offensione noua percellitur. Aspirauerat in Ioyeusæ mortui spolia, quorum partem vti decerperet, omissa Normanniæ prætura, dignitatem Admiralij, non sibi, sed Brissaco addictissimo partibus ambiebat; cùm repente vtraque dignitas in Epernonium confertur, æmulum & capitalem præ cæteris inimicum. Altera offensio ex Condæi morte accessit; qui Martio mense, magnis dolorum cruciatibus, intra triduum raptus, Picardiæ præturam relinquebat Aumalio. Etenim cùm eam Princeps titulo & nomine tenus tenuisset, Aumalius ope fœderatorum, oppidorum & Prouinciæ regimen multo ante inuaserat, ac quodam Regis fretus diplomate, id ratum haberi modò postulabat; porrò Rex Niuernensem præturâ donauerat, ipsum vt à fœdere totum abstraheret, detraherétque Guisiis tanti momenti Prouinciam. At verò Condæus in Fano Ioannis animam egerat; inspectis post mortem visceribus, existimatus epoto toxico periisse; vir humanitate, generositate, & magnitudine summus; quas eximias dotes, calamitate temporum raptus, ad hæresis propagationem & ciuilis belli furorem impendit; miserrimâ boni opulentiâ, quam corrumpit vsus in malum versus. Habitæ de veneno præbito quæstiones, & Ioannes Brillandus, domesticus Principis, morte damnatus, à diuersis equis laceratus est; imo Carola Trimollia vxor, postquam peperit filium sexto mense à mariti obitu (qui postea Henricus Condæus) similiter in quæstionem vocata, diu habita est in custodia, donec Parisiensis Senatus decreto, innoxia & immunis dicta est. Interim Aumalius spreto Regis mandato, Picardiam occupabat, prouinciæ regimen vel inuito Rege obtenturus. Et antea Guisius Nanceij cum suæ stirpis Principibus & ducibus fœderatorum, de communi re egerat; & postulata ad Regem miserat, vt Rex se arctius applicaret ad fœdus; à se & præfecturis eos amoueret, qui designarentur; Concilium Tridentinum admitteret; quasdam vrbes designandas in securitatem committeret; Inquisitionis tribunal induceret; alerétq; exercitum in Lotharingiæ finibus. Ac de iis dum Rex deliberando cunctatur; ipse Guisius, cum Lotharingiæ Duce bellum inferebat Sedanio. Etenim Duce Bullonio sine liberis mortuo, Carola soror dicta heres, vti opulentissimâ dote procos incitabat, sic infirmitate sexus & tutorũ penuria cupiditatẽ Principum & vindictã hostiũ inflammabat. In iis Lotharingus ratus opportunũ inuadendi momentum

HENRICVS III, Anno 1588.

Condæi mors.

HENRICVS III.

La Nouë. Iamets.

mentum, cùm Virginem, vnus Noüa dictus à Bullonio tutor, defenderet, arma iuvante Guisio inferebat, oppugnabátque Iametium; cùm Parisiis fœtus tam diu pressus rumpit vterum matris. Sexdecim illi, quos dixi in totidem regiones vrbis distributos, novas in dies conspirationes coquebant; quas cùm ille Poulanius deferret, bile incensa Rex statuit furiosis illis capitibus iustissimas pœnas irrogare. Atque vt plebem, si fortè tumultuaretur, tum vi, tum fame compesceret, tria Helvetiorum millia Bironis ductu Latiniacum arcessiuerat; Epernonius profectus in Normanniam, vt regimen auspicaretur, ibidem conscripturus militem, alimenta vrbi detrahebat; sic nullo verante maiestas Regia reorum supplicio sanciretur. Verùm ipsi sexdecim, quà conscientiâ scelerum, quâ vicinià militum, in terrorem acti, Guisio instant, vt Parisios veniat, & laborantium partium curam, ac tutelam omnino suscipiat. Ille factâ spe aduentus proximi, in vrbem submiserat, tum illustres viros Boisdelphinum, Mainevillam, Gomeronem & Richeburgum; tum centuriones fortissimos Sanpaulum, Vasquum & Forianum; moráque nectebat, perpenso consilij quod agitabat periculo. Tandem Suessionem Nanceio venit, non Parisios statim petiturus, sed Picardiam asserturus Aumalio. At eius vicinia tum sexdecim viris confirmat audaciam, tum Regi novum incutit metum; itaque ad eum legat Bellieurium, qui significet, Regi rem facturum gratissimam, si tot inter turbas abstineat Parisiis. Guisius se nunquam profecturum affirmat, id si Rex vetat; cæterùm querelas grauissimas profert; se ac familiam suam despicatui haberi, religionem Catholicam premi, suis inimicis impertiri omnia ac permitti, nec se quieturum donec securitati suæ consulatur. Bellieurius vt dolorem leniat, factâ spe securitatis, reperit Parisios, & impetratis pluribus quàm Guisius postularet, dum profecturus Suessionem se comparat, ad deliberandum ob litteras ab Helvetiis acceptas à Rege retinetur, iussus ad Guisium perscribere, & moram excusare, factâ spe post tertium diem profectionis. Epistola cursori data, quam statim deferret; verùm is cùm ab ærario regio vigintiquinque aureos in viæ sumptus obtinere non posset, epistolam Bellieurij veredario cursori committit. Tertio pòst die nova similiter scripta epistola, cursori suo data, à quo similiter commeatus inopiâ, defertur ad cursorem publicum, & Guisio audendi factus est animus. Nam verisimiliter si speciatim litteras à Bellieurio accepisset, haud vsquam ausus foret prohibente Rege venire Parisios: sed amplissimarum rerum momenta ex leuissimis pendent, & libratam lancem quodvis permodicum in alterutram partem inclinat. Sanè mirari subit, pauciſſimos nummos defuisse ærario, vnde tot myriades in gratiosorum iuvenum opulentiam promptæ essent; adeò parsimonia vectigal est maximum, cuius defectu cætera pereant. Etenim cum sexdecim viri per fortunas suas, spes conceptas, & præsentem metum, perneceſſariâ opem implorarent; Guisius cum septem nobilibus, Parisios nono Maij venit, & per sancti Dionysij portam ingressus, ad Reginæ Catharinæ hospitium divertit: novas animorum turbas commoturus; cùm per alteram portam Guichanus summus tormentorum præfectus ad eum Regis iussu contenderet.

S. Pol. Vasquo. Forian.

Cathari

Catharina ad aſpectum viri, ingentem metum & terrorem præferens, quamvis arbitrarentur multi arceſſitum ab ea, mittit ad Regem qui nuntiaret veniſſe, eum ſe adducturam ad Luparam, ſi Rex gratum haberet. Ad improuiſum nuntium perculſus Henricus, poſtquam primos animi motus compeſcuit, adduci virum iubet, ac cogitationum æſtu iactatus, raptante hinc odio, illinc metu, ad vtrum ſe conuertat, anceps animi ambigit. Antea deliberatum habebat, virum ſi Pariſios veniret, tollere; nunc præſenti re deterretur, aliquot è quadraginta quinque Nobilibus conſulit, impelliturque ad mortem Guiſij; mox iterum metu recurrente diſtrahit animum in diuerſas partes; citato greſſu inambulat, fenestras reſerat occluditque, è portico in conclaue regreditur; fœtúque gemino mens dinulſa, eruptura in proximum partum, corpus vexat. Villequerius & Bellieurius perſpecto angore, tentant impetum premere; in cunctatione prudentiam laudant, ſubitis conſiliis nihil periculoſius, quæ pœnitudini amplum, emendationi nullum locum relinquerent. Ea inter Guiſius veniebat Luparam; Regina ſellâ geſtabatur, ipſe pedes nudo capite comitabatur, ſuauiſſimum Pariſinis ſpectaculum. Vniuerſus populus ex laribus atque officinis aduolauerat, acclamabatur frequentibus vocibus, viuat Guiſius columna Eccleſiæ; quidam humi proſtrati, venerabantur vt cælitus miſſum; ſe ſaluos & incolumes prædicabant, quandò Guiſius ipſorum curam ſuſciperet. Ille diſſimulata lætitia, modeſtus in ſpeciem, conſalutat obvios, lingua, ore, oculis, ac tota vultus conformatione, proximis gratulans, remotiſque. Eo habitu ad Regem perducitur, & percontanti à quo vocatus veniſſet, tanta verborum demiſſione reſpondet, vt Rex pacatior, eum ſumpturus prandium in Catharinæ ædes dimiſerit. At prandenti recrudeſcit odium ardórque vindictæ, decernitque extéplò exequi. Ergo poſt prandium, in Catharinæ hoſpitium tendit, hortúmque cum Bellieurio ingreſſus, in quo Regina & Guiſius deambulabant, eos aggreditur, interrogans Bellieurium, num aſſeruiſſet Guiſium non venturum Pariſios? Cùm is ſermo ad litteras à Bellieurio ſcriptas peruenisſet, iurarétque Guiſius ſibi nullas redditas, incaleſcentibus animis, Catharina Regem primò abducit, dein Guiſium ſemotis procul à colloquio arbitris. Interea Sanpaulus Guiſio fidus, in hortum cum ſtipatoribus Regis peruaſerat, & plurimi ex plebe circumſtabant Reginæ ædes, nec pauci ſupra horti muros evaſerant; quorum præſentiâ à conſilio ſuo Rex dimovetur. Solutum hinc colloquium, timórque mutuus ſummopere auctus. Conſequuenti die turba Nobilium ò Picardia & Lotharingia ad Guiſium confluit; iámque ad eum quadringenti venerant, opem qui afferrent; Ciuitas affluebat militibus, & tumultus proximus adoleſcebat. Quem vt in cunis Rex opprimeret, decimâ menſis die iubet edicto aduenas omnes vrbe faceſſere, cúmque explorantibus Villequerio & Doo cives repugnarent, proximum militem in vrbem euocat. Sub lucis ortum introducuntur ſex hominum millia, ex legionibus prætorianis & aliis Francorum atque Helvetiorum; atque in variis regionibus vrbis collocantur. At ſexdecim viri ad eam vim antè comparati, primùm in Vniverſitate, quæ vrbis regio eſt, ad arma conclamant, tum

HENRICVS III.

Rex Pariſiis fuiſus.

D'O.

HENRICVS III, factiosis vicos occupantibus erigunt munimenta ex doliis, ac Crucæus ad Sanctum Seuerinum militem in specula locat, dum Grillonus Prætorianorum Tribunus ex aduerso suum opponit, arcto admodum loci interuallo, Grillon. Ac quidem Grillono animus erat ciuem loco pellere, & deturbare illicò munimenta, quod incalescente milite præstitisset, sed Regis iussu iteraro sæpiùs vetitus, (quippe commouere camarinam illam Parisiensis populi verebatur) refrixit miles, ciuisque sua vice incaluit; catenis per vicorum capita inductis, saxis è pauimento detractis, & in ædes delatis. In eo tumultu vltro citróque commeabant viri à Guisio ad Regem, à Rege ad Guisium; isque securitate mirabili visus est in atrio deambulare cum domestico solus, patefactis ædibus, atque conclauibus, nullo custode; adeò confidentia tam est confirmati sceleris quàm virtutis. Sed increscebat tumultus, iámque post Ciuitatem vrbs, nam in totidem partes distribuitur Lutetia, sua munimenta per singulos vicos promouens, propiùs ad Luparam ea perduxerat. Angebatur Rex quid consilij caperet; diuersis suorum sententiis, cùm Catharina Guisium conuenit, ab eóque impetrat, vt Regis miles incolumis vrbe emittatur. Ægrè exoratus, ac tandem per munimenta subiens, pertendit ad publicas ædes, in quas Sampaulus quatuor cohortes prætorianas incluserat, iubétque dimitti; ac militem prius armis exutum Sampaulus ducit ad Luparam, triumphum agens de Principis potestate. Heluetios Biro & Aumontius dum ciuitate educunt, vno Heluetio præ iræ impotentia, sclopetum explodente, repentè cæteri saxorum grandine è fenestris depluente oppressi mactabantur, quamquam flexis genibus; Franciam, Guisium & misericordiam implorarent; nisi Brissacus fortè illac transiens, eos liberasset, duxissétque ad Luparam; septuaginta quà necati, quà saucij expleuerunt plebis insaniam. Post ea munimentis perstantibus conquiescit tantisper tumultus; donec postridie Anno 1588. Regis fuga iterum vrbem totam permiscet. Ad Guisium Catharina venerat, conciliatura concordiam; at ille tam multa in suam suorúmque gratiam flagitabat, vt Regina tunc animaduertens, quod obseruauerat sæpius, Guisios cùm afflat fortuna impotentes esse consortij, existimauerit, si abesset Rex, conditiones commodiores posse obtineri; eóque animo in Regis absentiam inclinasse dicitur. Et Regem ipsum plurima ex rumore vulgi perterrebant; affluere in vrbem peregrinum militem, iámque portas occupatas; imminere armatam plebem, & inuasuram in Luparam, & ejusmodi alia, quæ spargit inconsultus rumor, & pro veris habet inconsultior metus; accessit ad ea à matre monitum, quo periculi facies augebatur. Quibus tandem Rex victus, Luparâ pedes cum paucissimis prodit, quasi ad Tuleries deambulaturus (sùntque horti Regij ad vrbem appliciti) & in equili indutis ocreis, cum duodecim dumtaxat Nobilibus, equo per portam nouam euasit; iussis consequi prætorianis. Scribitur, eò plebis insaniam processisse, vt ex ripa opposita in proficiscentem sclopeta explosa sint, iactatæ voces contumelioſæ & ipsi audienti; sanè postquam milliare vnum progressus est, in ingratam ciuitatem conuersus, imprecatus illi miserias; iurauit se in eam nunquam ingressurum,

gressurum, nisi per ruinam; eóque se reducturum vrbem illam amplissimam, vt ex ipsa nihil præter memoriam criminis superesset; dolorẽ ex ignominia, spe iustissimæ vindictę sublenans. Mox Carnutum altero die peruenit. Consiliarij ac domestici fugientium instar eum sequuti sunt pars pedibus, partim sine orteis, partim togati, & vrbanis mulis inuecti; vt quenque metus ac præcipitatio agebat. Isque est dies Maij decimus tertius, qui Franciæ ignominiosus, Regi molestissimus, Guisio tragicus pessumdedisset penitus scenam & actores; nisi pòst Deus optimus maximus inuexisset è machinâ in procella sæuissima tranquillitatem. In hoc rerum tumultu, cùm passim vrbes ad fœderatos deficerent, obseruandus in paucis Guillelmus Verthamontius Regius quæstor, qui Lemouicum patriam suam, quâ erat auctoritate, Regi asseruit; ac ciuitatem ab vrbe distinctam irrumpente centurione Verthamontio, nepote ex fratre, armis in easdem partes traduxit. Eáque est familia, quæ in ramos plures propagata, fide in Principem, cultu Religionis, & doctrina semper enituit. De Verthamont.

Guisius Regis fugâ perculsus grauiter, incusánsque Catharinam, à quâ impulsus esset in barathrum, posteà animum consilio nouo erigit; vrbem lustraus munimenta tolli iubet, & sedato tumultu vrbem vrbi restituit; occupatis statim sexdecim virorum opera, Bastillâ & Armamentario; atque indicto conuentu publico, quo Magistratus municipales exauctorati, noui constituti; Capella Martello in Præpositum mercatorum dicto, & Perreusa abrogato, quem Regi fidum intra Bastillam incluserant. Post vrbem pacatam Guisius de apetiendis viis sollicitus, ne delinitam belluam efferaret fames; Sancti Clodouæi pagum & Vicennarum saltum capit sponte dedita; Corbelium expugnat post dies aliquot; sed Rostanij fortitudine Meloduno excluditur. Plurimæ interea vrbes ipsi adhæserant; numerabantur quasi appendices victoriæ Biturigum, Aurelia, Ambianum, Abbauilla, Rhemi, Catalaunum. Et in Picardia munitissimas arces inuadebat Aumalius; Epernonium in Normanniâ, nulla ciuitas præter Cadomum admittebat, & Rege mollius expostulante iniuriam, ambigebant plerique quam in partem se verterent. Catharina quæ interim Parisiis ad nectendam pacem substiterat, vno maximè obice impediebatur, Guisij sorore, ac Mompenserij viduâ. Ea tam addicta fratri quàm auersa à Rege, à quo grauissimo odio dissidebat, fratrem & fœderatos inflammabat in partes; affirmans Regem tondendum in Monachum, forticésque ostentans, quibus crinem secaret. Vt furorem fœminæ Catharina compesceret, gnara ipsa quo hamo sexus caperetur, spem nuptiarum facit cum Cardinale Borbonio, strophámque tam peritè instruit, vt mulier donans ambitioni vindictam, moderatè se in posterum gereret, pacem fratri & Parisinis suadens. Et ab ea Guisius haud repugnabat, videbátque Parisiis nihil pernicioſius Regis absentiâ; præstare vt Regem ipsum in vrbem reduceret, immergere otio ac voluptatibus, & opportuniùs priora consilia retractarer. Igitur Catharinæ consentiens, fœderatos ad postulandam pacem impellit, & post obitas Pœnitentium supplicationes, solemnem vnam instituit, quam Angelus Ioyeusæ frater, in Capucinis iam sanctitate morum

XVI. *Rex Guisio reconciliatur.*

HENRICVS III.

conſpicuus, crucem humeris geſtans, Carnutum perduxit; ſubiitque in templum, cùm veſpertinæ preces audiente Rege canerentur, ſpectauit Rex ſupplices, verbiſque commodis ſpem fecit reditus. Sequuti poſtmodùm à Senatu Pariſienſi legati, atque vrbis Conſules, quos ipſa Catharina ad Regem duxit; quódque inceptam ſpem pacis perfecit illicò, Epernonius ab aula abſceſſit. Mox Regis animum adhuc ambiguum inflexit iterum claſſis Hiſpanica, quæ parata ad Angliam invadendam, vt Oceanum navibus, ſic Europam famâ peruaſerat; metúmque Rex conceperat, ne Philippus fœderatis adiunctus, in Britanniam minorem claſſem immitteret; in quam ſibi ille ius ſcripto nupor libello vindicaverat. Tunc temporis Rothomagi Rex agebat, vt Normanniam opulentam provinciam ſibi aſſereret, ac fermè cum Guiſio pacta conuenerant, vno excepto, quod ipſe dici Comeſtabilis vellet; tandem placuit vt odioſæ Regi voci parceretur, & alio nomine eadem traderetur poteſtas Guiſio; ſicque eſt dictus militiæ Franciæ ſummus Magiſter; medióque Iulio conditur edictum quod Vnionis dictum eſt, diſcordiæ inſuperabilis fomes; nam eo tam multa Guiſio, defenſoribus partium & fœderatis conceſſa, vt Rex miſſus in compedes atque addictus ſubditis videretur; & libertas Pariſienſi tumultu tentata, modo præberet iugulum, confodienda verſo hoſtium pollice. Etenim præter iuſiurandum, quo Rex adſtringebatur, Hæreticos Principes aut qui hæreſim fouiſſent, à ſpe regni excludere, Concilium Tridentinum admittere; præter probatos Catholicos, nempe eos qui fœderatis placerent, neminem in præturas aut dignitates attollere, privatis pactis Picardiam Aumalio conceſſerat, Lugdunenſem præturam Nemurſio (is erat filius, nam pater Guiſij vitricus, non ita pridem podagrâ obierat) Pariſienſem præfecturam Briſſaco; duos exercitus inſtraeret, quorum alteri mittendo in Pictones, ducem ipſe diceret, alterum ducerot in Delphinatum Mayniusmulcæ vrbes, quæ deſignabantur, darentur in ſecuritatem Principibus, & Magiſtratus ab iis nuncupati perſtarẽt in munere. Edicto ſubſcripſit Rex, voluitque eam cum Catholicis concordiam, abrogato fœderis nomine, quod factionem nimis redolebat, vnionem Catholicorum appellari; adſcripſerúntque cæteri Principes ſacramento adiuncto, incauti quam ſibi ignominiam, & calamitatem patriæ iis pactis inducerent. Vnus Niuernenſis, quamvis extraneus præluccbat indigenis, quo affectu in Franciam eſſe debuerant, & pernegabat ſacramentum emittere; donec à Rege iuſſus iurare, ſin minus vellet in rebellionis pœnam incurrere, iuravit quidem, ſed præmiſſa proteſtatione, quantùm iuſiurandum non officeret, vel conſcientiæ ſuæ, vel legibus, quibus fundamentum regni niteretur. Conſtituta concordia, Henricus poſtmodum Carnutum regreditur; excuſatque ſe Pariſienſibus flagitantibus regreſſum in vrbem, quòd indictis in Septembrem proximum Regni Comitiis, Bleſiam ad comparanda ſingula maturè vellet proficiſci. Mox ibidem Carnuti excepit Guiſium à Catharina adductum, tantâ ſignificatione humanitatis & benevolentiæ, vt qui ex ore & toto corpore iudicarent, mirarentur iniuriæ ſenſum effluxiſſe tam citò; qui per larvam frontis

De Reünion.

frontis exulceratum animum intus perſpicerent, obſeruarent graſſari lentum incendium erupturum periculoſiùs quò cautius tegeretur.

HENRICVS III. XVII.

Et Francia in Comitia proxima conuertebat oculos, cum Epernonij periculo & felicitate ad ſpectaculum novum abducitur. Erat Epernonius excelſo animo, ac ſublimi; gratia quidem evectus ad faſtigium, ſed per eas dotes prudentiæ, fortitudinis, magnanimitatis, atque in Principem fidei, quæ ad eum apicem gradum dignè ſternerent. Verùm ſecutus gratiæ Principis, ſuique meriti, aſperior; duriórque in cæteros tum nobiles, tum etiam Principes, cumulabat omnium odia; bonis etiam & dignitatibus cumulatus, ita tamen vt eorum odiis gratiam Regis, poteſtati & auctoritati vnum ſe opponeret; immotus hactenus ſcopuli inſtar, quem verberant fluctus, non emovent. Attamen in Navarrum pronior, eum clam benevolentia arctiore colebat; non quòd à ſinceræ fidei cultu abhorreret, ſed quod vir ingenuus, ac apertus, amaret candidos mores in Principe, futurum compotem regni obſeruaret, machinámque inſtrueret, quam in Guiſios & fœderatos intenderet. Etenim ab iis tam averſo animo diſcrepabat, vt plerique exiſtimauerint, acceptam à Guiſio tutelam fœderis, ea maximè cauſa, vt Epernonium rivalem moleſtiſſimum amoveret, atque abiiceret. Ac nuper Epernonius Villaregium, & Epinacum Archiepiſcopum Lugdunenſem, privatim affectos contumelia, alligauerat fœderi; Villaregium quidem, impacto ei ſub aſpectum Regis mendacio, & Epinacum obiecto inceſtu turpiſſimo, quo apud Aulicos malè audiebat. Agebat porrò in Normannia, cùm tumultus funeſtiſſimus Regem exegit Pariſiis, contendebátque vt præturam capeſſeret; cùm audiens Regem in depreſſionem ſuam conſenſiſſe, omiſſa Normannia ad ipſum aduolat. Nimirum cùm de pace ageretur, & Catharina, Guiſius, cæterique Epernonij inimici, tam vehementer vrgebant, de eo in concordiam publicam abiiciendo, vt Rex in Bellegardum iuvenem iam ante pronior, ſeu mutandi voluptate, ſeu tædio perſeverandi, in poſtulata aſſenſerit; iuſſo Epernonio ab aula abeſſe; imò reverſum è Normannia conſilio excluſit, imperavitque proficiſci in Inculiſmenſes quorum regimen illi tradebatur; atque abdicare ſe prætura Normanniæ, quæ Mompenſerio commiſſa eſt. Sic ingens illa gratiæ moles momento ſoluitur, & coloſſus potentiæ auræ flatu excutitur. Ad Valetam fratrem idem caſus pertinuit, qui orta cum Senatu Aquenſi diſcordia, primùm Vinſij armis impugnatur, mox regia auctoritate & Senatus decreto, toto regimine pellitur, in anguſtias oppidorum aliquot retruſus; quibus ſe & auctoritatis reliquias ægrè tuebatur. Attamen ſtante Epernonio, fratri ſpes reſurgendi erat; & quidem ſtabat quamdiu præfecturis tot vrbium & munitarum arcium potiretur. Et modò nuper Inculiſmam miſſus vrbem caſtro & arce validam, quam regeret cum attributa regione, admota ad Hugonottos, & Aquitaniam, videbatur in aſylum potiùs quàm in exilium miſſus, & vindicandi facultas poſt iniuriam data. Quamobrem Henricus cum in Normanniæ reditu, Vernonij ageret, ſcripſerat ad Magiſtratus Inculiſmenſes, ne quem vllum fretum copiis intra vrbem admitterent, cuiuſcumque dignitatis foret, deſignans Epernonium;

Epernonius grauí periculo liberatur.

Villeroy. Epinac.

HENRICVS III.

nium ; at ille triduò antè Lochiis Inculiſmam venerat, feliciter an calamitosè, ex euentu proximo iam conſtabit. Etenim ciues, viri indolem aſperam & imperioſam veriti (quamquàm is humanitatem multam obtenderet, & ad modeſtiam ſimulandam caſtro non arce locauiſſet hoſpitium) clam cum Nobilibus conſentientes, ad Regem mittunt, cuius auctoritate iugum graue abiicerent. Rex fide ciuium collaudata, verbo iubet non ſcripto, vt apprehenſum Epernonium, ſalute incolumi ad ſe perducant; nam volebat adigere vt ſe præfecturis Metenſi & Bononienſi

Le Normãd. abdicaret. Coniurati quorum Princeps Normandus primarius conſul, data facultate, diem & modum conſilio apparant; nempe ſacrum Laurentio

Taian. martyri diem, quo Taianus ab Epernonio in Santones miſſus, cum pleriſque nobilibus atque domeſticis, præſidium atque opem abſtulerat; Ducem apprehenſuri cum è caſtro prodiret, ad equos, quod ſolebat plurimùm, exercendos. Et verò hic fortunam Epernonij, ſiue vt veriùs loquar, diuinam opem admirari ſubit, qui tot ac tanta in locum vnum congeſta pericula excepit ac pertulit; vt veluti phœnix ab incendio rediuiuus, & per ea illibatus diſcrimina, videretur non excidiſſe à Regis gratia, ſed in numinis præpotentis confugiſſe opem & tutelam. Res à pluribus fusè deſcribitur, ego eam paucis pro inſtituto perſtringam. Poſtquam Epernonius manè caſtro prodierat, & quidem impunè, re nondum parata, & cunctaretur in vrbem regredi, vt ſacrificio Miſſæ intereſſet; Normandus veritus ne pateret coniuratio, occupat Ducem in ipſo caſtro opprimere; & abductis decem hominibus, qui ſclopeta & breuiores gladios pallio tegerent, quaſi curſores Duci oblaturus in caſtrum ſubit; ſimul iubet Souchetum ſororium, cum decem armatis ſimiliter in caſtrum peruadere, atque auxilio eſſe pugnantibus. Caſtro admittitur Normandus nemine prohibente, & per gradus ſcandens, cum audiſſet in foricaria ſella Ducem deſidere, ad eum feſtinat, impetúmque cum armatis facit, in domeſticos obuios. Commodùm Epernonius in conclaue receperat ſe, & eleemoſynarij Sacerdotis fugâ de domeſticorum cæde admonitus, ciſtis in conclauis fores admotis certiſſimam necem excludit. Quippe Conſul deprehenſo errore, quanquam caput ſaucius, in conclaue irruit, & perfringere fores aggreditur: interim Souchetus nouam turmam inducens, primâ portâ exceptus, alterâ à comitatu & ſtipatoribus Ducis depellitur; pugnáque ortâ plurimis è turma occiſis in vrbem regreditur. Inde datum victoribus ſpatium aduolandi in conclaue ſuperius, Ducíſque ſeruandi, cum iam emouerentur fores cardinibus; Normandus nouâ plagâ læditur, adigitúrque

Souchet.

Meré. in conclaue alterum quo ſe includit. Nec ſe intra caſtri fines claudit periculum, imminet etiam foris, & conſpirans cum ciue Meræus nobilis aliíque ad arma conclamant. Cum proruperat furor, Duciſſa audiebat ſacrum in templo Dominicanorum; irruúntque in eam nullâ loci reuerentiâ coniurati, occisóque è domeſticis vno, altero ſaucio, raptam pudiciſſimam, fortiſſimámque feminam in proximas ædes coniiciunt. Tum alij cum Souchero perfoſſo caſtri muro, conantur irrumpere. Lámque Souchetus per aperturam euaſerat, cùm Epernonius ab ancilla admonitus, relicto primario

mario Consule, quem in cubiculo abditum expugnabat, ad nouum discrimen aduolat, & Souchetum obuium frustra ipsius sclopeto tentatus, glande sternit; alter qui per foramen subibat similiter cæditur; cæteríque diffugiunt. At oppresso malo domestico, vis aperta prodit, ciuésque à Meræo inflammati, pulsatis campanis castrum aggrediuntur peruadere; ægerrimè cum Nobilibus paucissimis Epernonio se tutante; tenuitque triginta horas continuas id periculum & dimicatio; quibus vir fortissimus & fortunâ suâ dignus; nihil prorsus cibi aut potus gustauit, pylocastro etiam ad valuas admoto, & per noctem muro scalis applicitis, quo tempore cùm Epernonius ad repellendos illos accurreret, repentè gradus per quos scandebat vetustate corruunt, vno dumtaxat quem calcabat stante; quasi cuncta simul pericula intus & foris virum appeterent. Tentatus etiam nouo ex amore coniugis metu, minantibus coniuratis, se illam obiecturos glandibus, ni castrum dederet; sed iam vxor exemplo præluserat, quæ profligauerat minantium voces atque audaciam, certa mortis antè obeundæ, quam mariti ad deditionem turpem impellẽdi. At Ducem omnia præter animũ destituebant: cum Taianus in opem aduolans, turmam equitum in suburbium inducit; mox Rupifocaldius cum trecentis equitibus à Nauarro in subsidium missus, metũ ciui incutit, quo iam mutuo, facilè in concordiam itur; Normandus in castro plagis expirauerat, Meræus & Nobiles vrbe excedunt; iurat ciuis obsequium & Epernonius obliuionem iniuriæ; atq; vterq; stetit iureiurando. Eo sanè facto Epernonius purgauit inuidiam, & primam felicitatem fortitudine summâ promeruit; quanquam & æmulorum casus solatio stanti esse mox potuit.

HENRICVS III.

Siquidem Rex se ad Comitia proxima comparans, factis variis & diuersis in speciem, fallebat oculos introspicientium in ipsius mentem; fœderatis palam addictus, atq; obnoxius, clam infensus & omnino contrarius. Et ad eam mentem referenda, ni fallor, grauissimorum virorum ab aula eiectio, Chiuernij Cancellarij, Bellieurij summi ærario præfecti, Villaregij, Pinarti, & Brusslarti sanctioris Consilij amanuensiũ, qui auctores ad sanciendũ fœdus cum Guisio, vel in ipsum proni, vel Catharinæ addicti, vel à fœdere non abhorrẽtes, quantùm Rex percuperet; in odium eius incurrerant. Sigilla Montelonio causidico in Senatu commissa, commendante maximè Niuernensi. Dein abundè omnia concessa Guisio atq; consortibus, Rege vestigia consilij vltrò confundente; ne deprehendantur. In Senatu Parisiensi diploma lectum, quo Guisio militiæ præfectura summa tribuebatur; vocatus in Consilium sanctius Epinacus; asserta Nemursio post obitum Mandeloti Lugdunensis Prætura; Chastrio dignitas Præfecti castrorum data perpetua; caraphractorum turmæ ac peditum legiones, quas obtinebant addicti Guisiis, adscriptæ inter exercitus Regios; quódque vnum Guisius cupiebat summoperè, ad excludendum regno Nauarrum, Cardinalis Borbonius, Regis diplomate dictus affinis stirpe Regi propinquior, quanquam iis verbis de industria vsus Rex, cum reuera patruus nepote esset propinquior; verùm nec iis agnationum iura, nec mos receptus in Francia tollebantur, quibus nepos per repræsentationem amouet patruum. Ea Henricus palàm in gratiam fœderis Guisiive; cùm aliquoties diuersus animi sensus prorumperet. Et Gui-

XVIII. *Inceptio Comitiorum.*

HENRICVS III.

sio molestissimum fuit, quòd copiis mittendis in Pictones, dux dictus est Nivernensis, ipsi Guisio iuxtà ac fœderi infensus, auxítque Nivernensis modestiâ gloriam, dignitatem recusans, simúlque recipiens, se alieno ductu cum centum Nobilibus suo sumptu per triennium militaturum; collaudauit Rex affectum egregium, iussitque suscipere exercitus regimen, nulli subiectum potestati præterquam Regiæ. Iámque Blesiam Legati Comitiorum convenerant, ad Guisij ambitionem facti fictíque; quippe studiosè enixus erat in provinciis singulis vt mitterentur, qui fœderi suisque partibus addictissimi essent. Sub Octobris initium solemni supplicatione incepta sunt Comitia, ac medio mense, post Principum Regiorum aduentum, in amplissimo consessu orationem Rex habuit. Eadem quæ in prioribus Comitiis anno antè duodecimo obseruata. Assidebant regiæ stirpis Cardinales, Borbonius & Vindocinensis; Principes, Contyus, Suessionensis, & Mompensierius; deinde Duces, Nemursius, Nivernensis & Rhetius; ad lævam Cardinales Guisius, Lenoncurius, & Gondyus; Guisius vt summus domus regiæ præfectus, ante Regem sedebat; ad pedes Maynius, qui summus cubicularius; cæteri omnes, vt cuiusque ordo & dignitas postulabat. Regis oratio singularis eloquentiæ permulsit audientium animos; zelum in Catholicam Religionem testatus; perstrinxit tacito nomine Guisium, qui legatorum suffragia arte malâ ambiverat, promisitque se vnicè subditorum commoda curaturum; adhortatus omnes vehementissimè, vt simul ad boni publici curam secum assentirent. Cæteri deinceps accuratas orationes habent; sigillorum Custos, Bituricensis Archiepiscopus, trium Ordinum nomine, ac præcipuè Cleri; Senecæus Baro pro Nobilitate; pro tertio Ordine Capella-Martellus. Ea primo consessu; altero iuratum à singulis, Rege præeunte, in Vnionis edictum; móxque inspecti codices Comitiorum, qui cùm referti acerbissimis querelis, Regem tacitè, & apertè regiminis modum proscinderent, extemplò spectata est animorum ingens offensio ac perturbatio. Postulabant à Rege vt Magistratuum immensam turbam extingueret, vetaret ne pretio redimerentur in posterum, & tributa revocarentur in eum modum, quo Ludouicus XII. ea exigebat. Tum à Comitiis flagitatum, vt Navarræ Rex diceretur à successione regni omnino deiectus, veluti relapsus in hæresim, interdictus sacris, reus diuinæ atque humanæ maiestatis; cæteráque haud pauca adiuncta, ex quibus constaret Guisium & fœderatos in comitiis dominari. At duabus maximè rebus excitata Regis offensio, invasione Salussij Marchionatus & controversiâ ob Tridentinum Concilium. Et quidem Salussiorum invasio ignominiosa in paucis Regi & Francorum nomini extitit; cuius ea causa & ratio fuit. Carolus Emanuël Sabaudiæ Dux, adolescens fervidi spiritus, animique ad res præclaras amplissimi, ducta in vxorem Philippi filiâ, cùm res Franciæ perturbatissimas spectaret, existimabat oblatum opportunitatis momentum quo laudis cupiditatem impleret. Cúmque nihil commodius, faciliúsve ad invadendum occurreret, quàm Marchionatus Salussiorum, tanto montium tractu divulsus, à Franciâ, raro præsidiario milite, nullo oppido præter Carmaniolam munito, Valeta gubernatore suis turbis in

Seneçay.

De Saluſſe.

Saluſſius Dux Sabaudiæ occupat.

Phocensi

Phocensi provincia impedito, simulato in Mantuanum bello, repentè Sansorlinum affinem cum copiis Carmananiolam mittit, à quo vrbs capta, arx obvallata est. Et ea non multò pòst obsidentibus tradita, præfecti ignaviâ, excusantis annonæ inopiam, reperta in arce quadringenta tormenta, & vis ingens cæteri commeatus præsertim armorum; vrbes reliquæ postmodum traductæ in potestatem victoris; túncque demum Franci ex tota Italiâ pulsi ac dejecti sunt; eò recidentibus amplissima Regum superiorum spe, tot pugnis, stragibus, palmis, ac trophæis, vti vltra Alpes, ne vni quidem Franco ad ponendum vestigium locus supereresset. Per oratorem se Regi Sabaudus primùm excusabat, quod irrepentem in Italiam hæresim opprimere atque extinguere voluisset; poscebátque vt pro Rege eas vrbes administraret; at postmodũ scripto libello ius sibi in eam Provinciam vindicat, æquitaté asserit vsurpationis, dicítque Salussios fisco suo ob rebellionem ab Carolo Duce olim addictos. Id dolorem immensũm Regi inussit; nec cõceptam molestiam continebat animo, apud singulos graviter de iniuria tanta expostulans: sed insania partium sic dementabat Francorũ animos, vt pauci præter vnum Nobilem Angenniũ Mantenonem tantæ ignominiæ sensum admitterent. Non cessabat Rex de indignissimo facto apud singulos conqueri, accusabat Francorum ignaviam, reposcebat ab omnibus maiorum fortitudinem, expostulabat in Francorum corpora Hispanorum mentes transiisse, contestatus superûm fidem atque mortalium. Quibus tandem commotus Guisius suam operam ad bellum obtulit; perfecitque vt in Comitiis Sabaudo bellum indiceretur: sed intra verba arma hæserunt; donec post annos aliquot Henricus IV. ius & æquitatem Franciæ bello sancivit. Nec molestiæ minus Regi attulit deliberatio de admittendo Tridentino Concilio. Quod cùm flagitarent Ecclesiastici ab annis pluribus, rem deliberandam Rex permisit Comitiis. Sed prius colloquium haberi voluit in atrio ampliore palatij, in quod convocati legatorum ex Ordinibus singulis clarissimi, & inducti qui Regias partes tuerentur, Iacobus Fayus Espessius, & Iacobus Gueslius; ille advocatus Regius, & hic procurator. Atque Espessius habebat orationem præclaram de immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ad excludendum Concilium; cùm primum à Cardinale Guisio, mox ab Lugdunensi Archiepiscopo, postremò à Sangelasio Lansaco interpellatus Concilium propugnantibus, responsis egregiis interrogantes refellit, & solutus est cœtus, plurimis fœderatorum insanis vocibus in Espessium, veluti parum Catholicum, frementibus & inclamantibus.

HENRICVS III.

S. Sorlin.

Anno 1588.

Angennes. Maintenon.

De Tridentino agitur.

Faye, D'Espesses, De la Gueste.

Ea cùm Regis animum exacerbarent, accedebant importunæ Comitiorum flagitationes, de tributorum remissione, Navarri solemni abdicatione, cæterisque, quæ auctoritati Regiæ multum officerent; atque adeò iacebat Regis splendor & dignitas, vt ad mensam instruendam sumptus deficerent, tertio Ordine centum nummorum millia ad alimenta regiæ domus suppeditante. Prætereà ex legatis plerique contendebant, vt monita in codices relata vim legum haberent, ac Regni Comitia supra potestatem Regis decreta conderent tolleréntve; veluti in Regnis Angliæ, Sueciæ, Daniæ atque Poloniæ observabatur. Cúmque ea implicarent Henrici animum,

XIX.

Dispositio ad Guisij cædē.

HENRICVS III.

obstare difficultatibus nusquam assuetum, involuebant angustiis molestissimis; atque ambagibus intricatissimis; quibus vt se expediret, statuebat tam graue pondus imperij, in matrem Guisiúmque reiicere; secessum, otium, & pœnitentiæ sanctitatem in suam sortem vsurpaturus; eóque mentis sensu, applicabat se totum ad Guisium, ad sacrosanctam Christianæ fidei victimam iureiurando, Guisio beneuolentiam sanciens. Mox in contrariam rapiebatur sententiam, memoriâ rerum præteritarum vltrò occurrente, & solicitudinem futurarum inspectione præsentium intendente. Vrgebant Comitia, vt Guisius cum summo in militiam vniuersam imperio Comestabilis nuncuparetur, Rex Nauarræ spe regni deiectus, atque indignus solemni decreto Ordinum diceretur, hoc est vt admoueretur ipse Guisius ad regnum proximè. Tum qui Guisio inimici erant, prauis delationibus illum obtundebant; deliberatum à fœderatis Regem ipsum Parisios in triumphum ducere, adimere potestatem, paucâ pecuniâ ad alimentum præbendâ, addebant alij tonsum iri in Monachum in ipsis Comitiis, & extollendum in thronum Guisium. Iis vt fidem facerent, veteres contumelias repetebant ab origine, Guisij æmulationem, ambitionem, cæteráque in ipsum & Alensonium fratrem attentata, vt vetera perpendenti, nouum nihil tam difficile, temerarium foret, aut criminosum, quin fidem faceret: tot inter argumenta vindictæ & metus; opinione conceptâ, sibi nullam spem fore incolumitatis, præter mortem Guisij. Ea deliberatâ, de modo consultans, in conclaue secretius, Aumontium Marescallum, Rambulletum & Beauuais-Nangium aduocat; rursúmque discrepantiâ sententiarum in diuersum trahitur. Aumontius honestum vtili commodóque anteferens, censebat Guisium omninò in iudicium vocandum, vsurpandas formulas iuris, accusatores immittendos, testes componendos, & occludendum calumniæ os, ne quid Pontifici atque fœderatis superfit dubij, quo per fraudem & iniustitiam raptum in pœnas reum expostulent: si Rex secus ageret, per nefas & per insidias interfectum, exclamaturos partium duces, auctum iri factionis incendium, & latentis flagitij pœnam propositam, futuram passim pro iniquo & immani facinore. Contrà Rambulletus & Nangius honestum id quidem affirmabant consilium, sed pernicioſum; imò quod perfici nullo modo posset: nam si iuris formulæ obseruandæ, ad senatum Parisiensem deducendus reus. Porrò quis accusator, qui testes, qui iudices, in tam potentem reum insurgerent? An Parisiis lis instrueretur? ea in vrbe quæ Guisium propemodùm adoraret? ij essent iudices, qui reum pro Deo haberent propemodùm? Num Pontifex, num Hispaniæ Rex, num tota Francia factione corrupta intercederet? vt ab iniuria ferocior atque atrocior emittenda esset caueâ bellua, & dandus amenti gladius quo sæuiret. Annon commodius in flagitioso consilio prædonem opprimere, proximum crimen morte excutere; de medio reum iustâ pœnâ tollere, ac dein per otium litem instruere, & iudices comparare: præsertim cùm in mora ingens sit periculum, sitque indulgentia pessima, flagitioso spatium ad flagitium facere. Ea sententia vt facilior atque paratior Regi persuasa; quamquam etiamnum dehortante Aumontio:

D'Aumont. Ramboüillet. Beauuais-Nangi.

montio : atque illicò de eo qui patraret cædem vt constituerat, Rex Grillonum accersit, sibi fide inuiolata probatum, eáque animi fortitudine quam nulla facinoris audacia superaret. Obsecrat itaque virum atque obtestatur, exaggeratis sceleribus Guisij, vt hominem facinorosum, suóque Regi insidiantem, per fidos milites scelopeto interimat, dum in Palatium subit. At Grillonus ad cædis & insidiarum vocem perhorrescens, factum excusat affirmans se pugnaturum in Guisium, si iuberet Rex, admissóque in pectus aduersarij ferro, per vulnus suum illaturum mortem; cæterum cædem & occultas insidias ab vitæ suæ proposito tam alienas, tentari à se nullo modo posse. Rex post habitum fidei & silentij sacramentum, ad quadraginta quinque conuertitur. Ij Nobiles ad custodiam Regis ab Epernonio dati, odiosi Guisio, eum odio mutuo prosequebantur, & Lognacus præfectus priuatim Guisio erat inimicus; nec illi abnuunt facinus. Mox ad vindices necis compescendos, designatur Ornanus, qui Lugduni Maynium apprehendat, Aumalium Parisiis Harlæus Senatus Princeps, Lauerdinus Chastrium in exercitu, Niuernensis atque alius Mercurium Nannetis. Aureliam præfectus Entraguius Regi addixerat. Quæ omnia quidem constituta prudenter, euentus paulò pòst disturbauit; tantùm spatij, consilium inter & rem intercedit. Momentum ad implendum facinus, ipsa Guisij vel confidentia, vel audacia fuit. Is cùm Aureliam consequi à Rege haud posset, quam affirmabat inter oppida securitatis sibi in conuentis permissam; Rege asserente non Aureliam, sed Dorlanium vrbem adscriptam; altero pòst die conuenit Regem, ac discedendi facultatem poscit, quando inimici sibi beneuolentiam Regis obstruerent; ac potestatis in toto regno vicariæ dignitatem abdicaturum se, vt domi securus & ab insidiis tutus conquiescat. Rex humanissimis verbis dehortatus à profectione, magna beneuolentiæ significatione dimittit; sed in conclaue se abdens iram effundit, statuítque quamprimùm susceptam rem exequi; séque tam assiduo metu vindicare: erátque hyberno maximè tempore obnoxius atræbilis vaporibus, qui ex liene prorumpentes in cerebrum, vellicabant id acrius, ipsúmque Regem in sæuiora quæque impellebant. Diciturque Guisius à Chiuernio Cancellario, & Mirone Medico, non ratò admonitus vt non Regi molestior foret, sub eos bilis sæuientis æstus, nisi malum vellet arcessere. Nunc Rex hoc laborans incommodo, cunctatus dies aliquot, tandem vigesimum tertium Decembris facinori assignat, iubétque pridie Consiliarios die consequente conuenire maturiùs, quoniam ipse ad Clerionsem Virginem pietatis causa proficisci vellet. Tum fidos priuatim adesse in conclaui suo mane rogat, Marescallum Aumontium, Montiguium, Rambulletum, Mantenonem, Ornanum, & alios; iubet viginti ex cohorte quadraginta quinque Nobilium venire quartâ matutinâ in cubiculum suum. Nec omninò Guisium latebant insidiæ, nam scriptis schedulis semel & iterum admonitus est sibi caueret, ac saluti fugâ consuleret; cœnantem apud Lugdunensem Archiepiscopum hortati erant familiares, vti abscederet, instabátque omnium maximè Cardinalis frater: sed con-

HENRICVS III.

Grillon.

Lognac.

De Mercœur.

Orleans.

Dourlans.

HENRICVS III.

fidentia prosperitatis perpetuæ,&cõceptus,iam olim de Rege contemptus, quem volebat mole rerum obruere, tótque impedire difficultatibus, vt ad deponendum regimen tandem adigeret; ea, inquam, extinxerunt solertiam mentis; & prudentissimum virum impulerunt præcipitem.

XX. *Cades Guisiorum.*

Itaque die dicta, summo ante lucem mane, Rex surgit, & quadraginta quinque, vt singuli accedebant, ipse excipiens, deducit in superiorem contignationem; in qua cellas aliquot ædificari curauerat, Capucinis quibuscum ageret destinatas, & longè diversos hospites in eas inductos clavi ipse includit. Luce nondum orta, iam in atrium Consiliarij venerant, cùm Rex cellis inclusos educit, singulósque ipsemet, per occultas scalas, in cubiculum primum adducit; paucis cohortatus, vt sui Regis graves iniurias vindicarent, quique in eius caput coniurassent, occuparent opprimere. Tum novem selectos datis pugionibus, in eodem cubiculo cum Lognaco locat; decem alios in conclave interius ducit cum Ornano & Montignio, armátque gladiis, si fortè Guisius aliorum manus effugeret; & comparatis omnibus præstolatur momentum magno mentis angore. At Guisius, vt plures scribunt, nocte insomni traductâ, stertebat in stragulis, hora octava tandem à domesticis excitatus; mox in atrium Consilij venit, raro Nobilium comitatu, cum dies nebulosus admodum esset. Statim confidenti periculi facies tota se obiicit, & retractanti singula, tum quæ audierat, tum quæ ipse inspexerat; Helvetios in area armatos, Larchantium Tribunum cum prætoriana cohorte scalas obtinentem, se prorsus in offensi Regis potestate esse; quodam naturæ exhorrescentis sensu atque præsagio, frigescente corpore, ignem incendi petit, ac perfusus sudore frigido, ad focum admotus, pruna sicca edens, sollicitatur animo vehementer, & insolito terrore angitur; cùm Revollus nomine Regis ipsum accersit in conclave interius. Inter aulam & conclave primum intercedebat porticus, qua transmissâ fores conclavis pulsat; admittitur; statim clausis foribus; & à novem salutantibus exceptus humaniter, ad conclavis interioris fores deducitur; tum vnus eius ensem apprehendit capulo, alter gutturi sicam immergit, tertius in crura involat, cæterique pugionibus passim confodiunt. Ille, vt erat robustissimis viribus, quamvis tot plagis saucius, totque armatis implicitus, excutit se, implexósque sicarios in oppositum cubiculi angulum pertrahit; donec exceptо renibus ferro, ad pedes cubilis Regij sternitur, & vno verbo proditionem accusans, animam agit. Rex cessante strepitu, percontatus, nunquid actum esset, iacentem inspicit, mox se in conclave recipiens; mittitque Rusæum, qui mortui vestes scrutaretur; isque deprehendens adhuc calere arteriam, adhortatus vt à Deo & à Rege veniam exposceret; mox frigidum corpus pallio obtegit, impositâ cruce ex paleâ; iacuitque per duas horas spectaculo ludibrióque obiectum. Scio alia plurima à diversis addi Scriptoribus, ad exaggerandam crudelitatem Regis, & contumeliam; quæ vt falsa, & à fœderatis excogitata, omittere præstat, quàm referre. Sicque extinctus est, vir fortissimus Henricus Guisius, in quem ad imperandum dotes natura congesserat plures, quàm priuato conduceret;

Latchant.

Réuol.

Beaulieu. Rusé.

Anno 1588.

ceret; quique tam armis quàm consilio præstans, suarum virium non ignarus, sibique nimiùm fidens, ea forsan machinatus est, quæ maiora viribus, obruerunt tentantem; nam tametsi non constat, quos sibi fines statuisset ambitio, & quò progressa foret, liberum nacta currendi spatium; tamen intra suos limites, criminosa tam multa admiserat, vt iure plexa videri potuerit, & involuta reti, quod implicaverat. Sed non morte vnius pœnæ acerbitas stetit. Ad cadentis strepitum Cardinalis frater, & Archiepiscopus Lugdunensis exciti, eversis cathedris, ad atrij fores decurrebant; quando ab Aumontio minante coërciti, Larchantio traduntur; à quo deducti in proximam tegulis contignationem, diu ibidem sine sede & foco relicti sunt. Mox variis locis, momento eodem capiuntur, Cardinalis Borbonius, Nemursia cæsi mater, Ioinvilla filius, Nemursius & Elbovius, Nobiles plures, Brissacus, Boisdelphinus, Hautefortius, Santagnanus, & Pericardus ab epistolis Guisio. Simul Richelius, capitalium in comitatu Regis quæsitor, in Comitiorum atrium subiens, apprehendit Præsidem Nullium, Capella-Martellum, Companum, & Lottablancam, Consules Parisienses, & Royium Ambianensem. Iam Regis vltio deflagrabat, cum ad eum refertur, Cardinalem Guisium furore & amentiâ raptum effundere atque evomere in ipsum probra, contumelias, minas, & execrationes; quas voces ingenium cæteroquin superbum, & violentum, in ipso doloris apice nullo fræno iactabat. Tum Regem vrgent plures, vt absolvat facinus, quod tantum inceperat; parum agi si supersit alter, armato & libero ad vltionem furore; superbiam viri inexorabilem; vitam traductam per lupanaria, atque in ganeis, cum flagitiosis hominibus, etiam supra verum exaggerant; & alia arrogantis viri facinora ad metum augent. Rex permotus iubet Bastidam, & Valencium duos è quadraginta quinque, virum confodere; excusat se Bastida; Valencius cum sex militibus perfecturus rem, ad Cardinalem festinat; sed nullo militum ausо primum ictum impingere, ipso etiam hærente Valencio, & gelu tacito brachium corripiente, regrediuntur re infecta sicarij. Dein Dugassius Rege imperante, quatuor milites prætorianos ducit ad facinus, locátque in porticu; mox Cardinalem arcessit, statim in ipsa porticu ab iis militibus, bipennibus hastis confossum. Id postridie, quam frater est cæsus, patratum; nam diem totum, noctémque proximam cum Archiepiscopo egerat, adhortationibus mutuis, ad subeundam Christianè mortem incendentes se inuicem; & peccatorum exomologesi mutuò obitâ. Atque ea nece vindicta Regis prorsus extincta est, præterquam quod iussit cadavera calce absumi, comburi ossa, & ventorum flatibus permitti cineres; ne præberetur insanæ religioni materia, & fœderati pro martyribus colerent, quos existimaret reos maiestatis. Post patratam necem, vltione impleta, datus vt solet pœnitentiæ locus, præsertim ob cæsum Cardinalem, quem character & dignitas sacrosancta ab eiusmodi nece vindicare debuerat; statimque Legatus Pontificius, qui ad Ducis mortem assensisse Regi erat visus, ipsi renuntiat, incursas pœnas maioris censuræ; compararet se ad pœnitudinem, & veniam criminis ab vno Pontifice flagitandam. Quæ post ea

HENRICVS III.

S. Agnan.

Le Roy.

La Bastide, & Valence.

conse

HENRICVS III.

consequuta sunt, & quam promptum incendium Franciam corripuit, illicò exequar; nunc Nauarri fortitudinem & Niuernensis exercitum lustraturus. Nam Maynius Lugduni hæserat, Mandelotio mortuo; vt prætura Lugdunensem Nemursio pararet.

XXI.

Nauarri & Niuernensis expeditiones.

Nauarrus postquam Rupellæ Comitia Hugonottorum habuerat, vt iis esset, quod Catholicorum statutis opponerent, eduxerat in Mercurium copias, & solâ aduentus famâ dispulerat, legione vna in receptu deleta. Quem vt in Britonibus ipsis detineret, excluderetque à Pictonibus, Sannazarij pagum oppugnare decreuerat, qui in rupe ad Ligeris ostium positus & in pelagus prominens, obtinenti ad frænandum amnem est commodissimus. Mornæus ad oppugnationem excogitauerat pluteos quosdam facilè mobiles, ad infringendas sclopetorum glandes; dum Clissonum oppidum Nauarrus obsidet. At morâ diuturnâ in obsidione protractâ; ventisque reflantibus, Sannazarium omittitur, & Beauuorium castrum ad littus maris, amplâ fossâ, & quadratis munitum turribus, Nauarrus cingit, ac penetratâ fossâ expugnat; mox infirmior, quam vt Niuernensi frontem posset obuertere, munitis quæ ceperat oppidis in Britanniæ finibus, Rupellam regreditur; eius auctoritatem conantibus Hugonottis pro potestate infringere. Niuernensi sub signis erant ad decem millia hominum, conuolantibus passim, vt ad sacrum bellum Catholicis; Lauerdinus legionibus præerat; Sagonus equitibus, Chatrius omnibus vt præfectus castrorum, Guisiis & fœderi addictissimus. Mauleonem paruo negotio Niuernensis recepit, dein ad Montacutum accinctus, ad Nanneteusium, Pictonum, & Andium preces, quibus id oppidum pro scopulo & latrocinio erat, id non sine ærumnis assequitur: dedente Columberio, atque ad Catholicos ipsos accedente. Victor arma in Ganachiam vertit; quæ vrbs modica est in Pictonibus ad Britonum fines; trium leucarum spatio diuisa à pelago, apertâ in fossam rupe, & muro firmata; stagno præterea, quod admotum est muro in proximos agros redundante; & propugnabant eximij Duces à Nauarro tempestiuè nauigiis vecti. Frigidissima hyeme oppugnationem cœperat Niuernensis, nec multum promouerat, cùm audita est Blesensis tragœdia, quanquam nulli operæ, nulli oppugnandi modo pepercerit. Iámque opem comparabat Nauarrus, inferebátque; nisi primùm successus felicior, mox inopinus morbus festinantem tardassent. Sangelasius olim imminebat Niortio, & clandestinis dolis sæpius delusis, in consilio pertinax; id admotis scalis tandem exequitur, vno dumtaxat ciuium aut altero cæso; Malicornius Pictonum Prætor, properè in arcem secedit, eámque postridie Nauarro ipsi dimittit. Spolia inter victores diuisa, saluti ciuium parcitum, templa nulla direpta; eluxítque Nauarri clementia, qui graui iniuria affectus à ciuibus, in cæsorum cadauera duo vindictam exprompsit, iussa affigi patibulo, adeo virtutes concordes sunt, nec iustitiæ nocet, qui indulget. Captum Niortium Mallezæum, & Sanmaxentium patefecit, confirmatâ Ganachiâ; cuius propugnatores, duas impressiones repellunt trecentis obsidentium cæsis; aderátque Nauarrus qui dimicantibus fortiter opitularetur; cùm repentè

Beauuoir.

Sagon.
La Chastre.
Montaigu.

La Ganache.

Saint Gelais.

Malicorne.

Mallezais.
Saint Maixant.

febre

febre corripitur, contracta pleuritide, quod nimium incaluisset, pedibus ingrediendo, vt admissum equitãdo frigus discuteret: & salus in periculo erat, Medicorum absentiâ, nisi Mornæus morbo explorato venam aperuisset, & sanguinis missione pretiosissimam vitam Franciæ donasset. Interim Ganachia acta ad extrema, defensorum & commeatus inopiâ, cum Niuernensi pepigerat; eamque ex pactis nemine opitulante admiserat. Ac solutus est statim exercitus, qui ex fœderatis plerumq; constabat; suámque in deditionem Niuernensis abscessit, solertissimè prævidens, quanta calamitas impẽderet; nec dubius quin fœd rati, se quem oderant plurimùm, armis impeterent. Haud multò pòst, Catharina Regis mater, è viuis rapta est, Guisiorum, vt est verosimilius, nece conturbata. Nam podagrâ iacebat in lectulo, cum patratum est facinus, primúsque nuntium ipse Rex tulit; his quidem verbis: *Domina, modò ego Rex sum, desiit Guisius viuere*; ad quas voces respondit, *Obsecrare se Deum, vt bene ipsi verteret; sed vereri se, ne longe ipse Rex aberraret à scopo.* Ianuarij tertio efflauit animam, ætatis anno septuagesimo secundo; femina mentis amplissimæ, verum supra ipsum sexum ambitiosæ. In eam plurimi calamitates Franciæ conferunt; ego vt crediderim ab ea peccatum sæpius, grauiúsque in excitandis alendisque factionibus; in luxu in Franciam, per immoderatos sumptus inuehendo; in pudore ab matronarum moribus ablegando; in adducendis publicanis, & tributorum redemptoribus; in tutanda Hugonotrorum impietate: tamen haud negauerim, quin sagacissimis, præsentibúsque consiliis perditas res subleuarit haud rarò, & Æoli instar quos fluctus attolleret, ipsa componeret. Sane vitam infelicissimam egit; zelo incensa, dum maritus viuit; distracta tumultibus, dum regnat in liberis, & anxia gemino malo, dum moritur, regno rapta, quod ad Nauarrum transiret odiosissimum, tot curis & noxis frustra consumptis. Rex curauit mortuæ sumptuosissimum funus atque amplissimum, cui viuæ potestatem dudum abscíderat. Porrò ipse post cæsos Guisios, cum debuisset, euocatis copiis conuolare Lutetiam, operâ inutili terebat otium Blesiæ continuando Comitia; & agendo cum legatis Ordinum: quanquam Parisiis tumultuari rebelles inciperent, Aurelia ad fœderatos accederet, Maynius incolumis euasisset Lugduno; Aumalius atque Mercurius fruerentur facultate nocendi libera. Inhærebat attentus perlegendis codicibus, audiebat præclaras & accuratas orationes, Vnionis edictum iureiurando nouo firmabat, perscribebat Apologias, ad defendendam cædem Guisiorum; & quasi res tota versaretur in verbis, in iis serendis metendisque laborem superuacaneum absumebat. Tandem cùm in dies turbæ augerentur, legatis reditum flagitantibus, & plerisque clam discedentibus, facultatem abeundi fecit, soluitque Comitia, Ianuarij vigesimo die, quarta parte tributorum remissa, vt ea specie liberalitatis deliniret animos, spe facta amplioris beneficentiæ. Tum ratus securitatem in seruandis captiuis positam: cum pridie Nemursius in mediastinum fictus aufugisset, eos ipse nauigiis vexit Amboisiam; liberatis tamen Brissaco & Boisdelphino, quorum primus in Comitiis pro nobilitate dixerat. Tum etiam Nemursiam occisorum ma-

Catharina mors. Anno 1589.

Continuantur Comitia.

HENRICVS III. Du Guaſt.

trem, Royum Ambianenſem, & Coſtablancam Pariſienſem dimittit liberos; inconſultò quidem, cùm prioris iniuriæ ſenſu, expugnante novum beneficium, vnam vindictæ flammam, ad populares retulerint. Imò parum abfuit, quin cæteri captivi mitterentur à Guaſtio, quem Rex præfectum Amboſiæ arcis conſtituerat; iámque is à Lugdunenſi Archiepiſcopo redemptus pretio, occaſionem opperiebatur, cùm admonitus Rex hominem nova pecunia redimit, redintegrata captivorum cuſtodia, poſt numerata triginta millia aureorum. Sed maiore incendio iam conflagrant vrbes, quàm vt diu ab iis ſtylum abſtineam. Ac primùm malorum fons & caput obeunda Lutetia, quando cæteris ad omne flagitium exemplo præluxit.

XXII. *Pariſienſium in Regem rebellio.*

Dux Aumalius decimo quinto die ante cædem patruelium, Pariſios venerat, cæſóſque audiuit, priuſquam Harlæus, cui ipſius retinendi curam Rex mandabat. Sexdecim viri accepto ſimiliter nuntio, primùm vrbis portas armatis occupant, dein cum accerſito Aumalio conſultant, dolorem inter & metum dubij, proniores ad fugam, ſi Rex celeriter ad ipſam vrbem, vti opus fuerat, accurriſſet; ſed poſtquam eum otiari comperiunt, confirmata audacia & depulſo metu, civem in ædes publicas convocant, & fruſtra repugnantibus Harlæo & Thuano Senatus Præſidibus, Aumalium gubernatorem vrbis conſtituunt, decreta vnione, ad aſſerendam Religionem Catholicam, & propugnandam libertatem ſuam. Hic ſummus gradus, à quo ſtatim in vltimos aguntur præcipites. Nam conciliatis qui Guiſiæ familiæ addicti erant, & Concionatoribus inſtigatis, qui turbarum inſtar totis illis turbis concinebant bellum tumentibus buccis, vniverſam plebem ad diriſſimam rebellionem incendunt. Eáque inſania ita Parochorum & Cœnobitarum mentes invaſerat, vt ex iis maximè ſeditioſorum duces nominentur; nempe Roſa Epiſcopus Silvanectenſis; Pelleterius, Pigenatus, & Bouchetius Parochi; Guinceſter, Hamilto & plures Doctores Sorbonici; Commoletus Ieſuita, Bernardus Fulienſis, Fevardentius Franciſcanus, aliique; adeò Religionis anceps eſt telum, quo boni armantur ad patientiam; imprudentes ad pugnam. Quamquam in pleriſque ſumma impietas, & extremum flagitium fuit. Et deſignatur Guinceſter, qui è ſacro pulpito auſus eſt in Regem atrociſſima probra effundere, regno ipſum deiectum affirmans, quo ſe innumeris ſceleribus ſpoliaſſet; adegitque concionem totam ad iuſiurandum, quo ſe vlturos Guiſiorum cædem promitterent; idémque ſacramentum ab Harlæo Præſide palam exegit. Sed nulla res tantoperè promovit, vel improborum audaciam, vel ſimplicium credulitatem, quàm decretum Sorbonicum; quo ſancitur, Francos ſacramento fidei & obſequij in Regem, ſolutos poſſe in eum bellum ſuſcipere; additúmque vt ad Pontificem mitteretur decretum confirmandum Sanctiſſimæ Sedis auctoritate, idémque rogaretur ad præſtandam opem Eccleſiæ Gallicanæ extremo periculo laboranti, & adſcriptum decreto nemine repugnante, poſt accuratam, liberam & maturam deliberationem, etſi duabus horis decreta ſit res tanti momenti, & ſeniores plerique abfuerint. Vt nemo miretur in omnium animos corruptelam intimè peruaſiſſe, cùm is Religioſiſſimus doctiſſimúſ-

que

que cœtus totius Europæ, in fraudem inductus sit, temporum calamitate. Hinc soluta Concionatoribus in omnem proterviam linguæ licentia, & prosciſſus omnium contumeliis Henricus Valesius (nec eum amplius Regem nuncupabant) tam effreni & insano probrorum effluvio, vt passim in templorum pulpitis, scholarum exedris, officinarum scamnis, & vicorum compitis, personarent in Henricum convitia, & in Guisiorum laudem encomia. Vnus Senatus furoris amentiam compescebat, exemplo potius quàm vllo decreto, quando & eum sexdecim virorum invadit rabies. Bussiclericus antesignanus amentium, olim ex laniſta procurator litium, modò ex procuratore fax tumultus, & rebellium princeps, rem inauditam aggreditur, prætergressus omnem audendi impudentiam. In maiorem curiam Senatorum, dum ij causis audiendis attendunt; stricto gladio, cum viginti suæ sortis sicariis irrumpit; ac præfatus se in mandatis habere, aliquot corripere è Senatoribus, qui faverent Henrico Valesio; promit schedulam scriptam, appellátque singulos. In iis designat Harlæum primarium Præsidem, Thuanum, Brissonium, Petrum Seguerium Præsides; Antonium Seguerium advocatum Regium, & alios è gravissimis Senatores; quos cum appellaret, cæteri omnes patres consurgunt, affirmántque nihil opus esse plures designare; paratos se fortunam Præsidum sequi, nec membra à capite disiungi oportere. Atque eo dicto, bini suos Præsides pedibus in Bastillam sequuntur; quò eos ducit laniſta turpissimus; móxque plures adiunxit, quos è laribus singulos rapuit, è Curiis Subsidiorum & Rationum; vt quisque Regi suóque officio studebat impensius: miserabili & calamitoso periculo, cum iustitiæ mystæ & vindices traderentur in carcerem, & pro iudicibus facinorosissimi essent. Post ea aliquot retenti in custodia; quidam dimissi pretio, haud pauci abiuratis partibus Regis amplexi sunt fœdus; Barnabas Brissonius amplis pollicitis se obstringens sexdecim viris, liber emissus est; ac Senatui dictus primarius Præses, non sine nota tacitæ prævaricationis; Segueri fratres ante fugerant. Tunc ab cunctis Ordinibus iuratum est in Vnionis Edictum, & admissa petitio Catharinæ Clivensis, quæ Ducis Guisij vidua erat, flagitantis, vt in percussores atque auctores Guisiorum cædis inquireretur. Nec subitus furoris impetus, vt plerumque fit, corruebat, cùm nemo obsisteret; imò insanior increscebat in dies. Scelus putabatur morte plectendum, si quis Henricum Regem appellaret, aut tabulam eius pictam domi haberet; prostabat quidem in officinis eius effigies, sed deformata corporis situ, vel ridiculo, vel libidinoso. Direptum est eius vestiarium, & ob quædam reperta, aucta in ipsum insania. Quibusdam Satyris affabrè fictis innitebatur Crux aurea; hinc Concionatorum declamationes, accusantium Principis impietatem, quasi idolorum specie dæmones coleret. Affirmabat præterea Genebrardus, repertam in conclavi secretiori Myronis primarij inter Regios Medici, chartam pergamenam, puram & nitentem, inscriptam characteribus magicis; quamobrem insana plebs, Regem veneficum & Sabbati Principem nuncupabat. Plerique impia superstitione icunculas cereas effingebant, quas imponebant altaribus, acubúsque pungebant; dum

HENRICVS III.

Bussilecler.

Senatus Parisiensis in Bastillam ductus.

Seguiers.

HENRICVS III.

Missæ dicerentur, per quadraginta horarum spatium, horáque vltimâ configebant, additis magicis carminibus; rati eum ictum in viscera Principis inuasurum: supplicationes noctu inibant, in quibus infantes sacros cereos ferrent, eósque extinguerent, inuerso lumine, inaudita quædam verba effutientes, per quæ vita Regis facum instar occumberet. Iámque is furor extra vrbis carceres propagatus, proxima quæque corripiebat, & oppidula admota Parisiis rabiem hauserant; præter Melodunum & Castrum Vicennarum; ac plerique Parisiensium relicto Mercurij mercimonio traducebantur in castra Martis, professi militiam, & instructis suo sumptu equitum turmis quas ducerent. Verum & vrbes longiori difficitæ spatio impingebant in scopulum.

XXIII. *Vrbes & Prouinciæ in Regem coniurant.*

Aurelia Princeps cæterarum, vexillum seditionis erexit. Entraguius Præfectus eam obtinebat, & speciem quandam arcis angulo vrbis posuerat: ille Regi fidem addixerat; ac post cædem properabat Duncius frater Aureliam, qui moneret Entraguium, sed occupauit properantem Roissius. Ille Maynij domesticus nobilis Blesiæ erat, cum aduocatus à Rege Guisius, suorum animos perterrefecit, & quidem in castelli areâ quadringentos Heluetios locatos perspiciens Roissius, suspicatus parari quod actum est; ac precatus Duci vt res intus bellè succederent, se festinare ad eas quæ foris essent instruendas, castello egreditur, atque equo insceenso, magna celeritate Aureliam aduolat. Ea exceptus ciuem armat persuasum Duncium adesse, qui præsidium Hugonottorum adduceret; igitur Duncio aduenienti portas obiicit ciuis, deinde Roissio enarrante Guisij casum incenditur in Entraguium, & cunctatus aliquot dies, cum auditur Parisienses Regem abrogasse, ipse similiter se adiungit fœderi; atque Entraguium intra arcem obsidet. Rex vti arcem atque Entraguium propugnaret, Aumontio Marescallum mittit cum legione prætoriana tam Francicâ quàm Heluetiâ. Verum eques Aumalius cum præsidio Parisiensium in vrbem venerat, & ciues magna contentione verberabant arcem; pugnatúmque tribus hebdomadis; donec Maynio aduentante Aumontius longè infirmior, ac de ipso Rege solicitus, retrò cedit. Aurelia mox arce potitur, in paucis deinceps addictissima fœderi. In Prouinciis vno prope cursu vrbes deficiunt; in Picardiâ Ambianum & Abbauilla; mox Laudunum Bodino impellente; tota Campania præter Catalaunum; in Normannia Rothomagum Parlamento expulso, Baiocæ, Falasia, cæteræque vrbes ad Sequanam; Cænomanum vrbs inuadente Boisdelphino, quem Rex dimiserat; Diuio Burgundiæ caput, & ipsa tota Prouincia; Lugdunum, fruſtra oppugnantibus Boreone Senescallo, & Grolleriis fratribus; Phocensis Prouincia, Senatu Vinsium in Valetam & Epernonium promouente; Massilia, Arelate, & Aquæ-sextiæ summo ardore fœdus complectuntur; in Delphinatu Alphonsus Ornanus Gratianopoli à fœderatis depellitur; Bituricenses cum vrbe primaria deficiunt, impellente Chastrio gubernatore: Aruernos inferiores Rupifocaldius Randani Comes cum Riono vrbe ab Rege abducit, superioribus, cum vrbe Clermontio in officio perseuerantibus, defendente Alegrio; Pictauij Episcopo & Magistratibus

Dunes. Roissieu. Boreon. Grollier. d'Alegre.

Guisij

Guisij facinus commendantibus, qui suam vrbem olim seruarat, plebs admittit fœdus; Britanniam Mercordius abducit, ingrato in Regem animo, à quo tot beneficiis cumulatus, ea ipsa beneficia in detrimentum auctoris conuertit. Sed nulla defectio acerbior, crudeliórque quàm Tolosæ fuit. Ea ciuitas, vt à primo bellorum ciuilium motu Catholicam religionem in paucis enixè coluerat, neque vllum Hugonottum intra pomœrium agere patiebatur, facilè ab incenso studio religionis, vt medium tenere difficillimum est, transibat in proximum amplectendi fœderis. Duo dumtaxat præclarissimi Magistratus tuebantur Regias partes, Ioannes Stephanus Durantus præses primarius Senatus, & Iacobus Asius aduocatus Regius. Ac Durantus optimis artibus, tum Regis tum populi gratiam conciliauerat: primùm inflammato in Hugonottos odio, librúmque scripserat, de Ecclesiæ ritibus: deinde egregiis pietatis operibus, quæ auctoritate & pecunia sua inceperat, atque perfecerat: nam Iesuitas vrbe admiserat, Capucinos euocauerat ex Italia, diúque aluerat; publicas ædes exstruxerat, ad subleuandos qui carcere claudebantur, Virginesque inopes collocandas, & integerrimis moribus ius dicebat; vt meritò non vnius Senatus, sed totius vrbis princeps haberetur. Ille, accedente auctoritate consulum quos regebat, primùm animorum impetum presserat, cùm Sangelasius Lansacus Conuenarum Episcopus, regressus è Comitiis, rursum animos turbat atque inflammat: accedit ad ipsius studia Franciscus Pola Senatus præses; qui vt inuolaret in dignitatem Duranti, eum perditum, admissúmque fœdus cupiebat. Itaque Catholici facultate à Senatu impetrata conuocandi ciuem in ædes publicas; cùm in eas omnis seditiosorum turba confluueret, iactatis passim in Regem contumeliosissimis vocibus, decreto Sorbonico fretâ audaciâ, ægrè Durantus & Asius impetrant, vti ea de re ad Senatum proximè referatur. At Senatores dum metu partim, affectu partim tergiuersantur, & re indeliberata abscedunt, tumultuante & fremente plebe; Durantus in curru impetitur à seditiosis, atque ægrè ereptus vnius famuli fortitudine, secedit in ædes publicas, mox in Dominicanorum cœnobium. Interea litteræ intercipiuntur, quas scribebat Asius ad Matignonium; rogans vt cum copiis seruaturus vrbem accederet: per eas furore inflammato, insaniens plebs in cœnobium Dominicanorum aduolat, atque effractis foribus, Durantum reposcit; & ecce eum custodum vnus in vicum adducit, iámque vir senio virtutibusque spectabilis, animorum flammas compescebat, cum homo perditissimus, aluo, sclopeti glande, perfossâ, sternit immeritum; & continuò solutâ rabie, turba in miserum gladiis ruit, cæsum per vicos ad patibulum trahit, appenditque pedibus; mox in Asium versa, raptum carcere obtruncat immaniter: necdum expletur eo sanguine furor; in pictam Regis tabulam, quam diripuerant ab ædibus publicis, iram seditiosi effundunt, cultris telam lacerant, tradunt pueris in cœno raptandam, deinde per summum nefas ad Duranti cadauer furcis appendunt. Idque postridie clam humo sepultum est, Regis tabulâ inuolutum pro linteo; consepultâ simul fide in Principem; vrbe & Senatu fœdus in posterum obstinatione summa tuentibus.

HENRICVS III.

Mercœur.

Tolosa defectio.

Duranti.

D'Asis.

Saingelais.

Lansac.

De Paule.

HENRICVS III.

Sed dolori Regis Burdegala solatio quadamtenus fuit. Eam vrbem fœderati multùm ambiebant, & fraudes iam plures texuerant, quas Matignonij perspicacitas inspexerat simul & soluerat; tandem constituunt ipsum in æde publica interimere, quandò nec fidem, nec diligentiam viri violare possent aut fallere. At irrito prauo consilio, cùm magno comitatu cinctus incederet, seditiosi Escassefortio duce, portam vrbis occupant, & munimenta ex doliis per vicos erigunt. Ad eum strepitum Matignonius, haud immemor primæ fortitudinis, pedes ad munimenta progreditur, sed stipatus ducentis Nobilibus & satellitibus suis; ac disiectis per singulos vicos munimentis, seditiosos expellit, qui porta quam inuaserant profugi abscedunt: pauci admodum cæsi; duo furcis affixi. Prudenter sociis conspirationis pepercit, quorum plurimi Ecclesiastici erant; satisque habuit vigilantiam & curas in salutem vrbis intendere. Andegavum maiore periculo Picherius Præfectus Regi asseruit. Hic arcem tenebat, cum vrbem Brissacus, libertatis datæ parum memor, in Regem incitat, impellitque vt in arcem munimentis cives se tegerent. Rex ad ea nuntia illicò Aumontium mittit, qui cum Picardicâ legione & aliquot prætorianis cohortibus, in arcem festinans; postquàm tormentis Picherius munimenta ciuium patefecit, ab ea cum Picherio prorumpens, ac Bodinæo cive, seditiosos, per vicos sigillatim pellit, Brissacum pugnantem in fugam adigit, & recepta vrbe pecuniariam multam imponit. Aliquantò pòst Gauteriorum in Normannia cædes Regias partes prostratas erigit. Nam idem Brissacus in eam prouinciam ab Andegavis profugus Gauterios sibi adiunxerat. Ij rustici erant, qui biennio ante, vt se lictorum militúmque vexationi eriperent, arma sumpserant; primùm in pago cui nomen Capella Gauterium, vnde Gauteriorum vox derivata; deinde affluente ex proximis turba, ad sexdecim millia hominum simul conuenerant. Eorum quinque millia Brissacus abduxerat, vt Mompenserio opponeret, Falesiam vrbem oppugnanti. Etenim Mompenserius contractis copiis, eam vrbem obsederat; facta spe recipiendarum plurium, quas fœderati eo in tractu inuaserant: at audito Brissaci aduentu è castris progreditur, Gauterioisque aggrediens fundit magna clade; nam cæsa tria millia; ac cæteros Mompenserius prosequutus, partim cæcidit, partim deditione accepit, armisque spoliatos ad culturam agrorum dimisit; solutâ multitudine, quæ Normanniæ gravis; populares suos depascebat. Sicque prosperi casus miscebantur aduersis, dum Rex diuerso consilio cum Pontifice primùm, dein cum Navarro agebat.

Escassefort.

Et Andegauum Picherius.

La Chapelle Gautier.

XXIV.

Rex agit cum Pontifice & cum Navarro.

Equidem postquam contra Maynium, atque Aumalium & rebelles ciuitates edicta promulgasset, & Senatum ac Rationum Curiam Parisiis in Turonum vrbem transtulisset, Blesiâ Turones ipse profectus, cùm ob Aureliæ viciniam, instituta esset Blesiæ sedes, agitare de summa rerum consilium cœpit. Ad eum conuenerant Principes, Contyus, Suessionensis, Mompenserius, eiusque filius Dombensis Princeps; Marescalli, Biro & Aumontius; ac postmodum Nivernensis, maiori fide quàm potentiâ, vno domesticorum comitatu freti. Nec multò pòst admissus est Epernonius, ac cum

Aumontio

Aumontio reconciliatus, Blesiam habuit tutandam in hostem. Atque Rex existimabat Maynium mitigari posse, & procellam discuti; eóque animo parum intentus in militem, pacare Sixtum summum Pontificem nitebatur. Post fratrum cædem, Romam ad Cardinalem Ioyeusam & Pisanium oratorem suum rem gestam scripserat; mandaverátque Gondio, vti ob Cardinalem Presbyterum cæsum, sibi absolutionem à Pontifice peteret; accesseratque aliquanto post, Claudius Augennius Cœnomanensis Episcopus; qui cùm Sixtum exorare non possent; nam Maynius legatos suos miserat, qui exaggerarent immanitatem facinoris, fœderatorum potentiam, & Regis derelicti ab omnibus infirmitatem; pependit exitus postulatione dilatâ. At spem absolutionis Pontifex fecit, si Rex Cardinalem Borbonium, & Archiepiscopum Lugdunensem custodiâ mitteret. Dum hæc Romæ prolatantur, clam in Francia novum cum Navarro fœdus parabatur. Etenim Regem opis iam indigum, & duas inter factiones ancipitem, Suessionensis impellebat vehementer, vti ad Navarrum tandem se verteret; minimè agi de Religione, in discrimen agi regnum ipsum; oportere factionem vnam per alteram premere, tum victori futurum liberum in alteram arbitratum. Contrà haud pauci ab eo consortio dehortabantur Regem: Nivernensis inprimis veritus ne eo detrimentum Catholica Religio pateretur, fierétque ab Rege alienior Pontifex; & ipse Rex sua sponte ab eo consilio aversissimus erat, tanto in Hugonottos & persuasionem impiam flagrabat odio; suadebátque proficisci Molinas Nivernensis. Sed eum necessitas ad Navarrum propiùs applicat, nam suspectis Turonensibus, in eorum vrbem, oppressurus infida consilia, venit; nec Navarrus aberat, Pictonum vrbes aliquot capiens. Ducissa Inculismensis prima suo impulsu ob publicam vtilitatem cum Navarro egit; dein Buhyus Mornæi frater, qui merebat in castris Regiis, ad fratrem contendit; mox ipse Mornæus veste simulatâ ad castra Rgia, colloquutus cum ipso Rege haud semel, sed clanculum & beneficio noctis, ne quid eius rei ad Legatum Pontificis permanaret; conventúmque vt in annum induciæ essent inter duos Reges, Navarrus Regi opitularetur, omnibus copiis: ipse haberet Pontes Cæsaris, quod ad Ligerim oppidum est: addita alia ad securitatem Navarri: maximè vt in neminem pro Religione inquireretur. Ea pacta, quamquam accuratissimè occultata, Legatus odoratus, grauiter apud Regem conqueritur, exaggerátque tam odiosi fœderis mala, operam suam pollicitus, ad revocandum in officium Maynium: Rege assentiente & optimas conditiones præbente, ad Maynium proficiscitur, quem cum nulla conditione potuisset infringere, ac dimovere à belli proposito, ad Regem non regreditur, ne crederetur assentiri pactis cum Navarro, mox Romam contendit, desperatâ concordiâ. Nec liberum Regi erat diutiùs cunctari; civitatibus passim rebellantibus, & Maynio cum exercitu imminente; eam ob rem, ipso etiam Nivernensi auctore, pactas cum Navarro promulgat inducias; quibus Avenionem & Venesinum Comitatum in Pontificis gratiam vindicabat à bello; vetuitque Navarrus graui pœnâ propositâ, ne quis Orthodoxorum templis, vel Sacerdotibus vllo pacto officeret.

HENRICVS III.

Pisany.

D'Augênes.

Buhy.

Pont de Cé.

HENRICVS III.

ficeret. Attamen Regi admodùm nocuit; quod scripto libello eam pacem purgans, Mornæus libelli auctor, multa in Nauarri defensionem adscripserat, quæ Regi ipsi videbantur hæresis tabem affingere; vnde ansa fœderatis oblata inuehendi in Regem, quem ideo hæreticum nuncupabant. Iámque eius nomen è sacris Liturgiæ precibus eraserant; verbis substitutis, pro Christianis Principibus nostris. Ac tametsi Rex eas voces illico nouo libello expunxerat, tamen perstabat furor, & Romæ Vaticanum fulmen cudebatur. Etenim Sixtus quintus Pontifex, audito Regis cum Nauarro fœdere, vehementer commotus, decretum facit quod Monitorium vocant, quo iubebat Regem, Cardinalem & Archiepiscopum liberos mittere, decimo die post eas litteras promulgatas, & vbi Rex iussa non præstaret, declarabat Pontifex eum incurrisse in censuras Ecclesiasticas; eásque grauissimas; à quibus absolueretur ab ipso vno Pontifice; atque in ipso mortis confinio, prædes daret præstandi Ecclesiæ ipsi obsequij. Id Monitorium Romæ affixum est, & in ipsa Francia Carnuti & Meldis; sed antea Oratores Regis Româ abscessérant, Ioyeusa Venetias, Cœnomanensis & Pisanius Florentiam, vnde Massiliam triremibus vecti. Per id decretum soluta omnis Regi cunctatio, & admittendi Nauarri data necessitas; cui vt per Ligerim securus transitus permitteretur, cùm Cæsaris Pontes pagum permodicum Rex designaret, Salmurium Nauarrus ardenter cuperet; hic clam Pontium præfectum amouit à præfectura dimittenda, & Lessartium Salmurij præfectum perduxit vt accepta tenui mercede Mornæum admitteret, qui Nauarri nomine vrbem & arcem haud inualidam teneret, tenuítque diutiùs. Tandem Turones Regem Nauarrus conuenit, atque exceptus magna gaudij significatione, postquam aliquoties, in rem communem cum Rege egit, constituítque potentem parandum exercitum, ad Lutetiam impugnandam, Chinonem regreditur, ad legiones cæteras adducendas, quæ pertinaciùs se adiungere Catholicis recusábant. Atque ita fœderati Hugonottis pacem confecerunt; quámque tantâ vi oppugnabant hæresim, euehebant in solium; adeò stulta & à scopo aberrantia mortalium studia, nisi ea Deus ipse collineet. Sed iam Maynius promotâ per felicitatem audaciâ Regem aggrediebatur; quibus autem gradibus eò conscenderit necesse est inuestigare.

Monitorium in Regem.

XXV. *Maynius summus Dux Fœderatorũ.*

Roissius qui celeritate Aureliam vindicauerat fœderi, eidem Ducem & caput prouidit vigilantiâ. Quippe Aureliæ exceptus, cursorem Lugdunum ad Maynium mittit, occupauítque Alphonsum Ornanum, qui sextâ pòst horâ tardior ad comprehendendum Maynium aduolat. Iam ille Lugduno Matisconem versus properabat, pòst Cabilonem, obtinuerátque Diuionem securus. Inde exitus votis Parisiensium, atque ipso progressu adauctis copiis, in eorum vrbem pro numine exceptus, (& thronum vt Regi apparauerant ciues) modestiam præferens, & Regis titulo repudiato, satis habuit sexdecim virorum potestatem deterere. Etenim illi auctoritate vsi impotenter, ad nutum cuncta administrabant; intrusis in vrbis Consilium quadraginta viris, & per eos comitiorum compotes & suffragiorum. At Maynius

Maynius commento haud absimilli; alios quatuordecim in idem Concilium arrogat, cæterósque plurimos, tum municipales vrbis magistratus, tum viros auctoritate conspicuos; vt præpollens numero suffragiorum, quoties opus foret, rem deliberatam in sententiam suam perduceret. Ab eo Consilio dictus est Regni & coronæ Franciæ Legatus, siue Locumtenens Generalis, & facto Regis sigillo, substitutum est alterum his verbis inscriptum, *Sigillum Regni Francia*, quâ auctus dignitate, postquam iurauit in leges fœderis, & nouas ordinationes sanciuit, ad cæteras vrbes, quæ amplectebantur fœdus gubernandas; ex iis pecuniam ingentem conficit; quam cum exhausissent plures voragines, & exaruisset illicò scaturigo, inexpectato felicitatis augmento, nouum casus fontem aperuit. Etenim dum Parisienses Molani ædes miles direpturus, prædam scrutatur, incidit in quadringenta aureorum millia; quæ ipse Molanus quæstor ærarij clam humi infoderat, agebátque interim in castris Regis, simulatâ inopiâ, ne Regem vel obolo subleuaret. Eo ære veluti misso cœlitus, militi solutum statim stipendium, & occasio data Maynio prodeundi ducendíque ad capiendum Regem, vt Parisini fremebant, exercitus. Et ipsam expeditionem promouent mox successus prosperi. Vrbem Vindocinum tradente Benchardo Præfecto, nullo periculo capit, atque omnes maioris Consilij Magistratus simul vno reti inuolutos implicat; deinde Carolum Luxemburgum Comitem Briennium, Epernonij sororium, expugnato Sancti Oudoëni castro, agit ad deditionem, captúmque abducit; ac tandem per Nauarri absentiam Turonensem impressionem aggreditur. Non disertè adscribunt Historici, quo consilio Maynius hanc rem tentauerit; siue à Turonensibus fœderatis clam appellatus, facta spe vrbis concitandæ, dum ex eâ Rex ad repellendum hostem prodiret, siue vt Regem progredientem ad liberiorem captandum aërem, interciperent equites, atque abducerent. Sanè parum abfuit, quin postremum id nefas perficeretur. Nam Rex prodierat, & transmisso ponte vltra Sancti Symphoriani suburbium, sudo ac sereno cœlo, equo vehebatur; cùm attonitus molitor accurrit, monétque in proximo fœderatos latere equites, Regémque si forte in comitatu ellet, reducendum celeriter. Ad quas voces Rex conuerso ore aduertit equites è valle erumpentes, breuissimo interuallo, & equo incitato se in suburbium recipit. Opportunè quidem; nam ipsa nocte vndecim leucis vno cursu lustratis, aderat Maynius, & primi equites pugnam inceptabant. Suburbium propugnabat Iarsæus, cum Rubempræo & Moncassino, munimentis aliquot erectis, quantùm loci incommodus situs patiebatur. Et illicò ad hostem excipiendum Grillonus & Curæa suburbio prodeunt, dum Rex in vrbem regreditur, simúlque admissis prætorianis Heluetiis, portam claudi iubet, opprimítque clandestina consilia. Verum pugna incalescente, fœderati cæso Iarsæo, oppugnatis munimentis, Regios intra suburbium compulerant, & ipse Maynius, quamquam multum temporis diuturniore morâ consumpsisset, horâ de meridie quarta, irrumpebat in suburbium, Regióque pellebat; cùm primùm Castillonij ferocia, dein ipsius Regis

HENRICVS III.

Lieutenant General.

Molan.

Benchard.

Comte de Brienne.

Ad Turones pugnatur.

Iarsay.

La Curée.

HENRICVS III.

aduentus, qui quingentos Helvetios per pontem adduxit, pugnam instaurant; verum iniquitate loci oppugnante, cùm Regij vndique obruerentur; Rex Grillonum iubet recipere militem, ac permittere hosti suburbium; dum nox incumbit. Aduenerant interim Navarri copiæ easque Castillonius in insula adiecta ponti locauerat, aggerémque breuissimo tempore opposuerat. Non cessabat hostis sclopetorum explosione lacessere militem, & turbare opus; imò probrosa verba, & contumelias acerbissimas iactabat in Regem; Castillonium rogans vt à percussore patris deficeret. Atque ita nox inter mutuas operas effluebat, & expectabatur in crastinum longè gravior dimicatio; cum ad ortum lucis, copias educit Maynius, atque incensis aliquot suburbij ædibus, eâdem celeritate, quâ venerat, se ad Vindocinos recipit. Die medio Navarrus Turones cum reliquis copiis venit: nec persequendi hostis aut spatium aut voluntas fuit. Atque vt ea fœderatis ignominiosa expeditio fuit, sic pernicioſa Siluanecti obsidio. Eam vrbem Bouteuilla detraxerat fœderi, admisso ad propugnandam Toræo Mommorancij fratre; cùm Aumalius & Mayneuilla adductis quatuor hominum millibus, & affluentibus Parisinis iuvenibus, oppugnationem validè instituunt, maximè postquam Balagnius quatuor hominum millia in supplementum adduxit. Nam intererat Parisiensium, eum obicem tolli, quo reliqua Picardia recideretur quodammodo. Eius seruandæ datum à Rege munus Longavillæ, præclarissimo adolescenti, ac Noüæ, qui veterani prudentiâ iuvenis animum regeret; nec spatium erat cunctandi vlterius. Nam Toræus ad extrema actus, eo die spoponderat vrbem dedere, nisi auxilio leuaretur. Itaque Noüa Compendio, quod à Rege stabat, educit copias, maiore animo, quàm numero fretas; plerique enim convolauerant Nobiles, sed equites octingenti dumtaxat, pedites mille & ducenti; simul Aumalius atque Balagnius disposuerant militem, quamquam incompositè, ex nimia securitate & contemptu hostis. Longius à pedite equitatus abscesserat, irruebátque in Regios, cùm Noüæ stratagemate statim percellitur. Ille tria levioris molis tormenta intra ordines occulta invexerat; quæ sub initium pugnæ laxatis suorum ordinibus, tam peritè explodit, per intervalla repetita, dum hostis succedit; vt multiplici glande deiectis ferocioribus, cæteri facile in fugam acti sint; ipsis Ducibus Aumalio & Balagnio leuiter sauciis & in fugam raptis. Nec pedes ad resistendum constantior; nam illicò abiectis animis terga vertit, in paludes proximas siluarumque latibula sese abdens: Mayneuilla dum ad tormenta fortiter pugnat, cæditur. Occisa fœderatorum duo millia, capta plura vexilla, decem tormenta, omnia impedimenta, & locuples à Parisiensibus præda, qui in castra officinis positis, mercimonium instituerant. Eáque clades cumulata est Saveusæ infortunio, qui cum ad Maynium ducentos Lancearios è Picardia nobilitate lectos adduceret; primùm in Lorgium, deinde in Castillonium incidens, conserto prælio vincitur, capiturque toto agmine quà cæso, quà capto; eâ animi indignantis desperatione, vt amotis vulnerum ligamentis, mori per furorem summum

Ad Siluanectium Fœderati casi.
Bouteuille.
Toré.

La Noüe.

Saveuse.

mum maluerit, quàm donari à Rege venia, adeò animos insania partium, amórque Religionis à religione omni abstraxerant. Sed ipsis fœderatis longè maior pernicies imminebat. HENRICVS III.

Nam ad Regem post depulsum Maynium confluebat tota nobilitas, atque Helvetij ab Sancio lecti, tandem per Sequanos in Burgundiam, inde in Belsiam properabant; Réxque ducto exercitu, Gergæum, Gianum, & Charitatem ceperat; vt cæteræ ad Ligerim vrbes, præter vnam Aureliam, sui imperij essent; ardebátque eam vrbem semel expugnare; sed cum vniversi Duces, atque adeò milites, Parisios belli scopum facerent, eò ductus exercitus, & rapta aliquot per viam oppida. In iis Stampæ post diem quartum vi expugnatæ, & Sangermano præfecto abscissum caput, qui educatus inter Ephebos Regis, prima beneficia, tam ingrato animo corrumpebat. Poissiacum similiter vi captum & cives aliquot fixi patibulo. Mox Pontisara, dum expectantur Helvetij, vallo cincta. Eam Alincurius Villaregij filius propugnabat, adiuncto Hautefortio, pugnacissimo duce; sed Biro Marescallus post institutam oppugnationem, cæsum Hautefortium, & Alincurium grauiter saucium, vrbem ad deditionem compellit; moxque adventibus Helvetiis, quibus Longavilla & Noüa sese adiunxerant; iámque sub signis quadraginta hominum millibus numeratis, seriò ad obsidendam Lutetiam curæ copiæque adhibitæ. Rex in Sancti Clodovæi pago agebat, Navarrus Meudonem & Carantonem tenebat; vt totus amnis supra, infráque penes Regem esset, vrbsque propemodùm in angustias acta. Etenim Maynius à Mompensieria ante reuocatus, postquam Parisiensium rabiem præclaris pollicitis confirmauit, spe facta subsidij à Pontifice & ab Hispaniæ Rege, suburbia munimentis firmauerat; ita partitus eorum propugnationem, vt Chastrius ea, quæ vltra amnem, defenderet, ipse quæ citra sunt, tueretur ingenti solicitudine. At sibi conscius infirmitatis, gnarúsque quàm incerta ab externis forent auxilia, & quàm parum ignauæ plebi fidendum; statuerat, cum cætera omnia defecissent, cum lecto agmine in hostem irrumpere, & honesto exitu fata, vel lacessere prospera, vel infelicia cumulare. Rex porrò secundam Augusti diem designauerat, ad impetenda suburbia; plerisque civium qui bonarum partium erant, intra arma capturis, dum foris triplicem aggressionem Rex institueret. Verum ipse pridie illud diei, nimirum Augusti primo, lethali vulnere inter Prætorianorum hastas securus sternitur. Perseuerabant Concionatores in Regem è pulpitis blasphemas voces evomere, & inoleverat passim plurium animis, missa illa è Tartaro tetra opinio, licere Tyrannum perimere; cùm è Patrum Dominicanorum familiâ, ea opinione imbutus parricida exurgit; qui vno ictu, si furori fides, Tyrannum tolleret, vrbem liberaret, séque Cœlitum albo statim ascriberet. Is Iacobus Clemens, in Senonensi regione natus, anno ad vicesimum quintum accedente, nuper inauguratus Sacerdotio; qui stupida indole, atque adeò durâ & peruicaci, susceptit nefarium facinus, horribile atque tartareum, in nullo Francorum Regum tertiæ stirpis patratum hactenus. Is siue au-

XXVI. *Parisios Rex obsidet.* Sancy. Estampes. Poissi. Alincour. Hautefort. Meudon. Et Charanton. Anno 1589. *Rex cæsus.*

HENRICVS III.

De la Gueſle.

ctores ſceleris nactus, ſiue vno ſuo impulſu; nam incertum id admodùm, cùm paraſſet cultrum, litteráſque ad Regem, tum ab Comite Briennio, tum ab Harlæo Præſide; has fictas, illas veras; quamquam inſonte Briennio & captiuo; ſolus vrbe egreditur, & à Gueſlæo Regio procuratore, in quem fortè inciderat, in hoſpitium ductus, cœnæ adhibitus, atque in ſomnum miſſus, poſtquam incredibili confidentiâ ſecuritatem animi vel ſimulauit vel fecit; nam parricidali cultro cibos ſecuit, Gueſlæo interroganti præclare ad ſingula reſpondit, & ſopore alto tota nocte ſtertuit; mane ad Regem ab eodem Gueſlæo ducitur expoſiturus res magni momenti, quas ipſi ſoli communicatas volebat. Admiſſus cum iuberetur quidquid afferret enuntiare, perſtánſque in ſententia vni Regi rem prodere, ad eius aurem, poſtquam litteras dedit, applicitus, recedente Bellegardo, dum Rex aurem præbet, cultrum eductum è manicâ in eius aluum abdit, deſerítque immerſum, viſceribus cum ſanguine prorumpentibus. Rex qui ſe aperto in plagam pectore veſtiebat, repente exclamans, cultrum extrahit, eóque duo vulnera parricidæ infligit, os frontémque ſaucians; cùm accurrens Gueſlæus capulo enſis Monachum percutit; accedúntque duo è quadraginta quinque Nobilibus, qui primo iræ impetu, diriſſimum percuſſorem pluribus plagis confodiunt perimúntque; pœnâ leuiori, pro tanto támque horribili ſcelere. Eo die de vulnere Regis ſpes bonæ conceptæ, & viſcera intacta affirmabant Medici; at ſequenti, qui dies Auguſti ſecundus, quo in vrbem parabatur aggreſſio, recrudeſcente vulnere, deſperatum eſt, Réxque in proximam mortem adactus. Obiuit religiosè Sacramenta Eccleſiæ, ſemel atque iterum noxas Sacerdoti confeſſus, & reuocato in memoriam Monitorio illo Pontificis, teſtatus ſe obſequentem Eccleſiæ filium, veniam petiit, eáque impetratâ, emiſit animam, haud dubiis veræ & ſinceræ religionis indiciis. Parricidæ cadauer ab equis diſcerptum eſt, membra igne conſumpta, proiectíque in ventos cineres. Atque eo flagitio periit Henricus Valeſius, ætatis anno trigeſimo nono fermè impleto, vltimus Valeſiæ ſtirpis; quem inſtructum à naturâ præclariſſimis dotibus, in tranſuerſum rapuerant, praua inſtitutio & ſuorum temporum corruptela. Nam corpore ad maieſtatem Regis conformatus, ore & oculis mirificè ad conciliandum amorem perfectis, membris ad palæſtram omnem aptaris; animo præterea erat, ad virtutum ſementem exculto; magnificus, liberalis, generoſus, & fortis; ad pietatem & religionem veram inclinatiſſimus, ſobrius admodùm temperánſque, ad ſingulas eloquentiæ partes ſuprà quàm dici poteſt effictus. Verum eas laudes ſuccreſcens ætas calamitate temporum deterebat. Quippe in ea corruptiſſima Henricus incidens, nactus omnia virtuti contraria, præclaris dotibus maturitatem afferre non potuit. Nam in Aulâ corruptâ, & voluptatum mersâ illecebris, ad eas, vel renitente animo raptus eſt; educatus à Matre, candorem & ingenuitatem peſſumdedit; incidens in amicos & familiares, qui in ſua commoda publicam rem Regíſque gloriam referrent vnicè, populis extitit grauis, exactor moleſtus, & odioſus; implicatus factionibus, belliſque ciuilibus, deprehenſo ab vtraque factione periculo, dum vtramque

que conatur extinguere, perit ab altera, infortunio potiùs quàm noxâ laborans. Attamen consideranti, quàm infelicem exitum assequuta sint tam præclara initia, præter diuina iudicia, quæ intuitus mortalium latent, videtur Machiauelli Politica impia vocata in æquissimam pœnam; posteríque Reges admoniti, Christiano potiùs quàm humano consilio populos regere. Sanè eo tempore fallacissima illa gubernandi ratio sic inualuerat, vt vnum imprimis Machiauellum diceretur Henricus legere atque amare; & Cornelium Tacitum, eius doctrinæ fontem ac fundum Guisius vnicè amplecteretur; vt nihil mirum sit, vtrique tam prauè sua consilia cecidisse, & mortem illatam in votorum fastigio: eo tamen discrimine, quod repentina Guisium extinxit, Henricum lentior, producto ad salutem animi spatio, ne pietas frustra esset, forétque idem pœna & præmium.

HENRICVS III.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XXII.

SYNOPSIS.

Henricus IV. Rex. Marollij pugna. Deliberatio Procerum, & Regis. Epernonij discessus. Fœderatorum sensus & consilia. Rex in Normanniam venit. Pugna Arcensis. Rex Parisios aggreditur. Regis inopia & industria. Rex in Normanniam reuertitur. Caietanus Legatus in Francia. Hispanorum consilia. Apparatus ad pugnam Iuriacensem. Pugna Iuriacensis. Parisij obsessi. Cardinalis Borbonij mors. Supplicatio Parisiensis. Dux Niuernensis Regi se adiungit. Fames Parisiensis. Soluta obsidio à Parmensi. Gesta in prouinciis. Lediguerius Gratianopolim capit. Sandionysium seruatum. Nox farinarum. Carnutum Rex capit. Ianinus in Hispania. Diplomata Pontificia in Regem. Cardinalis Borbonij iunioris cupiditas. Sabaudiæ Dux irrumpit in Prouinciam. Pugna ad Ponchar-ram. Guisij libertas. Noüæ mors. Brissonij & aliorum cædes. Sexdecim viri pœna affecti. Turenius Dux Bullionius. Obsidio Rhotomagensis. Parmensis Rhotomagum venit. Obsidio repetita.

repetita, & soluta iterum. Epernæum receptum. Clemens Pontifex. Res gestæ in prouinciis. Ioyeusæ mors. Barryj mors, & vxoris fortitudo. Valetæ mors. Arelate Regi asserta. Lediguerius in Pedemontio victor. Comitia Parisiensia. Guisius ad regnum admotus. Regis conuersio. Surenense colloquium. Inducię trimestres. Barriera captus. Rex laborat ob conuersionem. Maynius perstat in fœdere. Vitrius Regem agnoscit. Nemursius in custodiam datus. Lugdunum Regem agnoscit. Regis inauguratio. Rex Parisiis exceptus.

I. HENRICVS IV. MAGNVS dictus.

POST Regem cæsum, regnum excidendum, & inconcussa maiestas Franciæ deturbanda, non immeritò prudentibus videbantur. Nulli cæso liberi, proximus sanguine Henricus Nauarræ Rex, ad quem omninò ius regni spectabat; sed Hugonottum religione, tum fœderati tum Catholici omnes abdicaturi, certùm ius in incertum vocabant; iámque Fœderi Religio non tam color erat bellandi quàm causa. Et quidem nusquam benigniùs aut liberaliùs Dei clementia indulsit Franciæ, quàm cùm eam ex immensa illa & inexhausta voragine emersam eduxit; cùm enim necessariò vel externus Rex, vel Hæreticus eueheretur in thronum; externum amouit, mutauit Hæreticum, & lege regni stabilita miraculo, naturæ potiùs quàm ipsi legi vim intulit. Id porrò miraculum non primò statim patratum voluit; ne crederetur humanum quod Diuinum fuit; post longiorem moram perfecit, vt Franci in posterum toto mundi æuo, se suúmque Regnum vnius Dei beneficium noscerent. At quæ calamitates ad ea bona strauerint gradum, inuestigare paucis necesse est. Ad nuntium tam infaustæ necis, castra regia dolor & timor repentè inuadunt. Henricum præcipuè inuoluebat intricatissimus labyrinthus; vt credi posset, diadema vnis sentibus tribulisque intextum, ad ærumnas pœnásque animi oblatum & datum, non ad gloriæ & maiestatis fastigium. Præsens & inductabilis in procella scopulus, Religio erat; nam perseueranti in hæretica persuasione, Pontifex summus, Hispaniæ Rex, fœderati, & vniuersa Francia, præter paucissimos repugnabant: at in Orthodoxorum sensum transeunti, fidi veteréque assęclæ defuturi, incertis & nutantibus ad quos se conferret; vt hinc atque inde fulcris deficientibus, frustra insurgeret in spem tam arduam; partium alteri odiosus, suspectus alteri: nec satis laudi conducebat & gloriæ, in sua religione antè constantem, vnâ coronæ spe, extemplò fidem & persuasionem primam deponere. Accedebat ad animi æstum atque angustiam, quod neminem non suspectum vocare in consilium posset; nullo dubio quin quisque in religionem eum impelleret, quæ sibi ipso vsu accepta & probatissima foret. Nec momentum leue partibus fuerat Mariuautij casus, qui

Henrici initium.

Anno 1589.

Mariuaut.

HENRICVS IV.

qui ætate robustior, & militia exercitatissimus, singulari certamine à Marollio adolescente, quem prouocauerat victus, & lancea cæsus, Parisiensibus animum auxerat, Regiisque infregerat. Extemplò quàm non temerè Rex angeretur, ex Procerum Nobiliúmque dissensu constitit. Nam quamuis ex Catholicis, primi omnium Marescallus Aumontius, Giurius atque Humerius, nulla conditione se, vitam & facultates Regi obtulissent; & Bito Marescallus, Sancio egregiè dehortante, depositæ obtinendæ ditionis cupiditate, cum eodem Sancio, Heluetios ipsi Regi mancipasset; attamen plerique Nobiles Catholici cogitabant de secessu ac deliberabant. Ac nocte quæ eas animorum turbas sequuta est, Principes Proceréque Orthodoxi in vnum cœtum de re tanta acturi conueniunt; atque in tres sententias diuersi animis dirimuntur. Prima coronam nullâ conditione Regi deferebat; quam proponebant Longauilla, Giurius, Rambulletus, & eorum asseclæ; altera planè contraria apponebat difficillimam conditionem, vt eo momento Rex fidem Catholicam profiteretur; sin id præstaret, tota res ad Comitia regni deferretur; & eius erant opinionis duces, Dous, Manonius, Entraguius, Dampetra, & Vitryus. Ex iis duabus tertia nata est, auctoribus Mompenserio & Francisco Luxemburgio Pinæo Duce, in cuius hospitio deliberabatur; vt Regi obsequium statim adiceretur, iis tamen conditionibus, vti intra sex menses curaret se de vera religione doceri; interim Hugonottos suâ interdiceret, nullam iis præfecturam permitteret, liceretque Nobilibus ad Pontificem legatos mittere, qui deliberationis suæ causas explicarent, sic existimabant regno simul consultum & religioni. Post plurimas altercationes, & verba vltro citróque acerba, quæ propemodùm in iurgia desinebant, tandem præpollente Pinæi consilio, in tertiam sententiam itur, & eidem datur Prouincia Regis totius cœtus nomine adeundi. Nec Regi traducta nox sine sollicitudine; seorsum ipse cum Birone, Noüa, Castillonio, Guitrio, & Lasinio deliberabat, Mornæo procul absente; omniúmque calculis statuitur, eo articulo temporis perstandum Regi in religione: isque eo consilio Pinæo eloquenter dicenti, concessit omnia quæ petebantur; vno excepto, quod Hugonottis vsum religionis non interdiceret, sed Catholicam in singulas vrbes restitueret, atque Ecclesiasticis reddi facultates curaret; idque iureiurando sanciuit; promulgauitque scripto edicto, cui Principes & Proceres plures adscripserunt. Epernonius tamen ac Vitrius detrectant adscribere; vterque vt præ se ferebant, conscientiâ ducti, ne Regi Hæretico assentirentur; & Vitrius quidem ad fœderatos defecit, abdicatâ prius Dorlanij præfecturâ, quam ab Henrico III. obtinuerat, ne qua hæreret proditionis macula in defectione, ac Epernonius in Inculismensem prouinciam præturam suam profectus est, affirmans se tam alienum ab fœderatis & Hispanis, quàm ab Hugonottis, nec vllis Regis precibus teneri potuit; siue, vt ipse excusabat discessum, se ac bona in priuatos æmulos & inimicos, absentiâ commodiùs quàm præsentiâ defensurus, & acceptâ molestiâ, quod Marescalli ante ipsum Ducem & Parem Franciæ adscripsissent edicto; siue, vt accusabant alij, quod pluribus contumeliis in Regem.

Aumont. Giury. Humieres. Sancy.

Deliberatio Procerum.

Et Regia.

Epernonij discessio.

gem illatis, pertimescceret iustam vltionem; ac præterea refugeret mutuari pecuniam Regi, quam præsenti inopiâ & necessitate denegare haud posset. Sanè ea discessio in paucis Regi molestissima fuit, diúque occultum in Epernonium odium perstitit. Hæsit tamen aliquandiu, dum castra Rex mouet, quem in Normanniam sequutus, post solutas Henrico Regi exequias, discessit, abductis duobus peditum millibus & quingentis equitibus. HENRICVS IV.

II.

Fœderatorũ sensus & cõsilia.

At Parisiis, & in cæteris vrbibus fœderatis, Regis morte confirmati sunt ad constantiam vel pertinaciam animi. Parisiis præcipuè, post effusam immoderato sensu lætitiam, & solutam in omne conuitiorum genus proteruiam, fœderati mentes longè cupidiùs adhæserunt. Et Regem quidem nuncupari optabat populus, sed Orthodoxum, qui maiorum & Ludouici sancti religionem profiteretur; Optimates erant in eadem sententia, & qui antè abhorrebant à fœdere, post Henrici necem, arbitrati fœdus sanctissimum esse, quod hæreticum amoueret à solio, id propugnabant acerrimè, cæterisque auctores propugnandi erant. Is sensus bonorum in Clero & in Parlamentis; nam Principes Procerésque, vt plerumque fit, religionem obtendebant in speciem, sua quisque commoda & priuata emolumenta interregno captabat. Maynius præsertim, vt reliquorum dux auctoritate & ambitione, cupiditatem supra omnium vota erigebat. Nec deerant, qui ad coronam animum inflammarent; præcipuè soror Mompensieria, quæ vasti spiritus & solertissimi femina, existimaret nihil audenti arduum, atque vno gradu qui à throno distet, vnico nisu in eum posse conscendere; addebátque multa in cupiditatem non mouendam modò, sed implendam. Nec parum ea Maynium quanquam moderatum afficiebant; quis enim ab imperio summo adhorreat; eóque animo sparsis clam vocibus explorauit Parisiensium sensus; quos vbi alienos ab consilio suo prospexit, simúlque pericula quibus se ad perniciem certam immergeret; reíque difficillimæ seriem eruditè exponerent prudentissimi viri Villaregius, & Ianinus Præses Senatus Burgundici; pedem dum licuit à præcipitio retrahens, deliberauit quid eo articulo statuendum foret. Ac suadebat Ianinus, vt edicto proposito testaretur se post Regem cæsum deposuisse sensum iniuriæ, vnà Religionis causâ in armis agere; appellare se Francos omnes ad eam tutandam, & adducendum Nauarræ Regem ad ipsius cultum; quod vbi præstaret, paratum se arma deponere, & iurare obsequium. At eo consilio cùm belli finis instaret, nec arbitraretur Maynius in suam rem esse, tam citò desinere, vnde imperium emanabat; aliud instituit; quo voluntati populi satisfaceret, summæ ipse auctoritatis & regiminis compos; Regem dicendo Carolum Borbonium Cardinalem, iam longæuum senem, qui captiuus apud hostem agebat; séque vt antea Locumtenentem Generalem regni nuncuparet. Idque de consilio quadraginta virorum & optimatum perfecit, & Rex promulgatus est Carolus eo nomine X. At Rex qui tunc ætatis annum decurrebat sextum à trigesimo, posteaquam exercitum multorum secessione immunitum videt, & frustra per Villaregium appellatum de concordia Maynium, depositâ spe capiendæ Lutetiæ, statuit in Normanniam proficisci, opulentam

HENRICVS IV.

& admotam prouinciam, cuius tributis sublevaretur, & ab Anglia expectatam opem exciperet. Solututus castra, vt honori consuleret, fingit se proficisci vt funus Regi mortuo faceret, duxitque copias Compendium

Rex in Normanniam venit.

vsque, vbi pro ratione temporis factum funus, & cadauer in æde sancti Cornelij positum, dum in tumulo maiorum Sandionysiano suo pòst tempore conderetur. Perfectâ cæremoniâ plurimi magno numero Nobiles, impetratâ discessûs veniâ, suas res curaturi priuatim, abscedunt; Rexque trifariam quod reliquum erat copiarum diuidit, partem tradens Longavillæ qui in Picardiam iret, alteram Aumontio vt tueretur Campaniam; tertiam ipse in Normanniam duceret; eo tamen intervallo, vt non ægrè cùm necessitas posceret ad communem opem conuenirent. Tertiam partem Regi assignatam implebant tria peditum Francorum millia, legiones duæ Helvetiorum, & equites mille supra ducentos; occurritque Mompensierius Normanniæ Prætor, cum ducentis nobilibus, & mille ac quingentis peditibus; erántque simul cum Rege Proceres, Princeps Contyus, Carolus Valesius magnus Franciæ Prior, summus leuioris equitatus Tribunus, Biro Marescallus, Damvilla Mommorancij frater, Castillonius, Rohanius, Dux Mombasonius, Forcia, Baqueuilla, Lanchantius,

La Force. Pont de l'Arche. De Chartres.

& plerique nobiles. Copiis tam modicis cincto, patebant tamen arces haud paucæ; nam exceptus primùm Ponte Arcuato; dein Dieppâ, vrbe & arce, Emato Chattio equite Melitensi eodémque præfecto, fidem generositate magna addicente; móxque Cadomum cum arce adiunctum, & aliquot oppida in vicinia capta, Regis nomen in eo tractu spargebant. Eo successu Dieppenses elati, Regi instant vt Rothomagum oppugnet, impensûs in octiduum polliciti; susceptique Rex oppugnationem, quibusdam clandestinis consiliis fretus. Nec conatus spe cassus extabat, cùm incensis molendinis, & occupatis commodioribus locis, ad portas sederet; cive admodum perterrefacto, quanquam Dux Aumalius & Brissacus mille & ducentis equitibus vrbem obtinerent. Et in ea mentium consternatione euocandus Maynius fuit, qui toto exercitu educto Parisiis, cùm

Eu.

veniisset Rothomagum, Rex longè infirmior soluta obsidione, versus Eusium mouet, capitque oppidum; nescius quanto in discrimine ageret: etenim Maynius amne transmisso, & exercitu aucto ad quindecim peditum millia, quatuor equitum, magnis itineribus ad se festinabat; erántque sub signis, qui supplementa adduxerant, Henricus Marchio Mussipontanus Lotharingiæ Ducis filius, Christophorus Bassompetra cum Reitris Germanis; Iacobus Collaltus cum legionibus Germanicis, Nemursius & Balagnius. Rex Dieppam secesserat; atque obruebatur haud dubiè, nisi Maynius celeritatem primam inhibuisset; colloquutus in Hannonia cum Parmensi, moram deinde trahens in aliquot oppidis expugnandis. Attamen Regi certum exitium erat, nec prolatatione mali seruabatur; iámque Maynius Parisios & in Hispaniam ipsam litteras scripserat, quibus affirmabat clausum Bearnium (nam ita Regem fœderati vocabant) nec elabi posse, nisi in piscem versus insiliret in pelagus. Et verò pluriini grauitate periculi moti & perculsi, Regi auctores erant, vt sparsis

per

per loca commoda copiis, se malo eripere, atque inscenso naujgio, vel in Angliam vel Rupellam evaderet: hærebátque Rex anceps consilij; cùm Biro Maresçallus militari & fortissima oratione inflammato Rege,& repudiato formidoloso consilio,ad constãtiam & ad victoriam firmauit animos. Nam omninò Regi standum in vestigio erat; quippe ad regnum itur fortitudine & audacia,non fuga & absentia;& enitenti in obices atque repagula, perrumpendum est necessario & inferenda vis. Ergo Rex statuit ad Dieppam munire se, & vires hostium repellere fortiter atque infringere. HENRICVS IV.

III. Supra Dieppam sesqui altera leuca, Arca est castellum proximæ pugnæ famâ clarissimum, in colle arduo positum; infra collem pagus est, eodem cum castro nomine; tum Betuna amnis, qui Dieppam illabitur; ac paulò longiùs Martingliſa alter pagus, cum leprosorum nosocomio. Eum locum ad muniendum Rex destinat, & continuò opus aggressus, amplo aggere pagum castro iungit, latéque munimenta in proximos agros circumducit. Ligonem ipse tractabat fossor diadematus, cæterique exemplum æmulati certatim nobiles militésque die post tertio opus perficiunt. Tum ipse cum Francis peditibus in castello hæret, in pago Maresçallum locat cum duabus Helvetiorum legionibus & vna Germanorum; equitatu inter castellum & Dieppam fuso. Haud multò pòst Maynius totum exercitum ad Arcam adducit, non quidem in frontem, sed à tergo, occupato Martingliſa pago, & misso ad Poletum suburbium equitatu. Est Poletum Betuna amne ab Dieppa diremptum suburbium, quod dominatur in pontem subiectum, atque ipsi vrbi ponte annectitur. Illicò Rex nouas munitiones hosti obiecturus, Arcam pagum ducto aggere operit, trecentos milites in nosocomium immittit, & Castillonium cum nongentis ad Poletum propugnandum designat; qui magna celeritate, certatim contendentibus civibus, munimentis locum imbecillum firmat. Mox eum in locum Rex ipse festinat, & equitatu extra suburbium posito, aliquot velitationibus hostem repellit, dum simul eum Biro à nosocomio retundit, per magnum Priorem & Damvillam. Mox aliquot dies quieti agunt fœderati, nullâ re tentatâ, ob discordiam ducum, cùm Marchio Mussipontanus, Nemursius, Dux Aumalius, Eques eius frater, singuli rebus suis intenderent, nec in publicum satis, in spes avulsi suas consulerent. Demùm die Septembris nono post decimum, statuit Maynius conatu omni intendere, ad Regem munimentis suis deturbandum. Eam in rem occupare nosocomium primò oportebat; itaque post noctem mediam transmissis vltra Betunam copiis, existimabat prima luce improuisum Regem oppressum iri. At ille cum Birone mira diligentia rem ad pugnam instruens,octingentos Helvetios in nosocomio locauerat, prærexuerat aggerem, quingentis Lansquenetis,duabus legionibus Helveticis,& Francis aliquot; tum equitatus partem, tam levioris quàm gravioris, ante munimenta Priori magno tradiderat.Primus statim conflictus equites miscuit: Sagona fœderatorũ dux præclarissimus,sclopeti glande femur à Priore ictus, equo deiicitur,& lapsu extinguitur; Aumalius novo agmine pugnam instaurat,& cataphractos Regis equites pellit;aderátque Maynius qui pulsos opprimeret; *Pugna Arcensis.* *Sagone.*

HENRICVS IV.

cùm Damvilla educta Galatij Heluetica legione fusos excipit, atque instaurat; sclopetariis tam spissam grandinem effundentibus, vt Maynius fixo vestigio, nouam oppugnationem per pedites instituerit; Nemursio equitatum in Damvillæ Heluetios inuehente. Ita incalescit pugna, cùm improuisa res spem ac metum mutuò, vtrique partium infert. Collalti milites, cum ad marginem aggeris accessissent, nec facilè in eum perrumpi posse animaduerterent, consilio siue ante ad dolum prouiso, siue ex metu periculi repentino, quasi facturi deditionem, Regi salutem precantur, ac pileos sariſſis summis imponunt. His fide habita, Germani qui aggerem tutabantur, manus officiosè præbent, & magnâ lætitia transgressos in munimenta excipiunt. Biro prudentior in eos impressionem parabat, at se inhibuit, cùm ij addictos Regi se profiterentur; iamque multi è centurionibus Regem adierant, dextram osculati, & obsecrantes vt Bironem compesceret, transire se in ipsius castra bonâ fide, nec aliud petere, nisi vt soluerentur stipendia. Interea Nemursius Damvillæ Heluetios tantâ ferociâ aggreditur, vt loco pulsos propè in fugam ageret; quod Germani illi obseruantes repente fide violatâ in Germanos atque Heluetios arma obuertunt, expellunt munimento, & Bironem aduolantem deturbant equo, ac propemodùm necant. Ea re factus animus fœderatis, & à prima munitione in alteram momento irrumpitur; eodémque impetu in nosocomium: Rex profligabatur haud dubiè, parúmque abfuit quin eo torrente simul raperetur; cùm Maynij cunctatio spatium fecit ad rem instaurandam. Et quidem Rex vbi se ex periculo collegit, fortissimo animo intercursans suorum ordines, perturbatos sistit & præcipitem fugam, donec Arcâ festinans Castillonius, duas legiones in certamen infert. Tunc Germanis atque Heluetiis instauratum robur, & dimicatio repetita; Regísque præliantis ductu, ereptus hosti Biro, & capti à Rege Comes Belinus, & Tremblecurius Tribunus; deinde Mompenserio & Noüa sparsum equitem reuocantibus, primùm nosocomio hostes eiecti, mox interiori munimento, postremò ampliori; vt verè rapta è manibus palma dici posset, & oblata per somnum victoria diffluxisse. Cæsi è Regiis aliquot nobiles, & ducenti milites; ex fœderatis sexcenti, in quibus haud pauci clari vel natalibus vel militari peritia. Et eo conflictu de toto bello præiudicatum est, cùm Rex viribus tantò inferior, vinceret, quia vinci non posset, & hostium fraudem fortitudine animi emendaret. Maynius se intra castra postquam duos dies continuit; ea, nocte media soluit, ac dies totidem copiis circumductis, rursum Dieppam inter atque Arcam se munit; tentatísque per decem dies, modò Arcâ, modo Dieppâ, quà impressionibus, quà tormentis, atque vtrobique repulsus fortiter, tandem die vndecimo versus Picardiam se recepit. Iámque Rex Longauillam atque Aumontium vocatos exceperat, sub hostis aspectum vrbes Gamachiam atque Eusium expugnauerat, prouocaturus in prælium; sed festinans Maynius penitus in Picardiam se abdebat.

IV.

Rex Parisios aggreditur.

Regressus in Normanniam Rex, Anglorum copiis ab Elizabetha missis recreatur; ij erant militum quatuor millia; allata simul ducenta

librarum

libratum ac viginti millia, & commeatus in bellum plurimus. Eo ſupplemento firmatus Rex, conſilium aggrediendæ Lutetiæ reuocat; eò magis, quod inteſtina Catholicos inter & Hugonottos diſſidia iam animos ducum diſtrahebant, Mompenſerio inſtigante Catholicos, & ferente impatientiùs diſſenſum Regis à vera religione. Itaque tranſmiſſo ad Meulancum Sequana, exercitum Rex verſus Pariſios ducit, ſpe certa vrbis per clandeſtina conſilia occupandæ, ſi foris vim inferat, hoſte ad munimenta tutanda abducto; eámque ſpem fecerat Blancomenilius Præſes in Senatu diadematus; patefacturum ſe vrbem, ſi intra ſuburbium Rex penetraret; & ille inuadenda deſignat, quæ ad Vniuerſitatem ſpectabant. Ea porrò Pariſienſes lato & ampliſſimo, per agros aggere communiuerant; locatis per interualla tormentis; quamquam nihil admodùm à Rege metuerent. Nam plebem inanibus ſpecioſiſque rumoribus lactabant fœderati, & nuper Maynius quinque vexilla ad eos remiſerat, rapta à Germanis dum per fraudem in Arcenſe munimentum inuaſerant, quibus Mompenſeria aliquot alia à ſe artificiosè facta adiunxerat; eáque magnâ pompâ per vrbem vecta ſunt. Dein imago Dieppæ vrbis ære ſculpta vænibat à baiulis, addideratque ſitum oppugnationis Maynius, qua conſtabat Regem terra marique obſeſſum, poſt Anglicas copias profligatas, deditionem repoſcere; ac breui captum ductum iri Pariſios; eóque ſtulta credulitas amentiæ venerat, vt plerique feneſtras locarent, & in vico Sancti Dionyſij pegmata erigerent ad ſpectandum captiuum. Verùm is ad munimentum oppoſitum iam adequitabat; quod poſtquam perſpexit, atque animaduertit amplius eſſe ſpatium, quàm vt commodè propugnaretur; in diem craſtinam, quæ Nouembris prima, oppugnationem indicit; quæ ante lucem inſtituta eſt. In tria agmina peditatum diſtribuerat Rex; in primo Angli, Duce Birone cum filio & Guytrio, in ſuburbia Sancti Victoris & Sancti Marcelli impetum faciunt; in ſecundo Aumontius, cum Damvilla, & Bellegardo, Sancti Iacobi & Sancti Michaëlis ſuburbia impetit; in tertio Caſtillolonius & Noüa ampliſſimam Sancti Germani regionem aggrediuntur; diſpoſiti à tergo equites ad promouendam impreſſionem. Primo impetu amplum illud munimentum perrumpitur, difficultas ad ſuburbia paulò maior; ſed intra horam profligatum eſt prælium, & in ſingula admiſſi Regij; potuítque vrbs ſubigi, ſi maturè Aumontius in portas Sancti Iacobi & Sancti Michaëlis intendiſſet tormenta. Sed breui interuallo reſtauratus ciui eſt animus, & portæ ſimo & trabibus firmatæ excuſſerunt impetum. Caſtillonius & Noüa ad Neſleam portam repulſi ſimiliter, Roſneo duce propugnante vrbem, & Sanſeurino centurione erumpente in ipſum ſuburbium. Rex plebe fauſtè acclamante in ſuburbium Sancti Iacobi amicè ingreditur, & Caſtillonij vindictâ oppreſsâ, qui victimas paternis manibus Pariſienſes mactabat, hæſit aliquandiu opperiens Politicorum conſilia (nam ita qui Regis ſtudebant partibus vocabantur) donec celeritate magna aduolans Maynius cum toto exercitu, Regi conſilium excuſſit; iſque à ſuburbiis receſſit, abductis quadringentis captiuis, cùm quingenti ciuium in conflictu cecidiſſent.

HENRICVS IV.

Blanc Meſnil.

Roſne. S. Seurin.

HENRICVS IV.

cecidissent. Erat animus Turones petere, & proximas regiones seruitute hostium vindicare. Primùm ad Vindocinenses conuersus, Stampas in via expugnat; mox arcem, quam diruit, infestam Stampensibus, & calamitatis causam multiplicem. Tum per Belsiam subiens, in Vindocinenses; Vindocinum capit, ac diripit; præfecto Benchartio, qui tam ignauè Henrico III. vrbem rapuerat, truncato capite. Mox Turones aduolans, ingenti omnium Ordinum gratulatione exceptus, admittit magno lætitiæ sensu Venetum Oratorem: etenim prudentissimi Patres vno assensu ipsum in Regem Franciæ habendum censuerant; quamquam Pontifice & Hispaniæ Rege omni ope in Senatu intercedentibus. Post breuem moram ad Cœnomanos Rex conuersus; vrbem primariam à Boisdelphino occupatam, & immenso sumptu communitam, adigit in deditionem; dein profectus Laualliam in Britanniæ limites; mittit Principem Dombensem in ipsam Britanniam, qui Mercordio obsisteret, partésque regias promoueret; Tauanium in Burgundiam, Bironem Mareschallum qui Alensonium caperet; ac tandem ducto in hyberna exercitu, nobiles in suos lares dimisit. Fuit enim hæc quatuor annis proximis bellandi ratio; vt cùm Rex inopiâ pecuniæ laboraret, bellum gereret sumptu Nobilium; qui per hyemem ex domestica parsimonia nummis aucti, vere regrediebantur, apparatu ad bellum instructi: paritérque miles gregarius in prouincias missus, prædam ex hoste faciebat, tuebatúrque in ipsum suas quisque vrbes & oppida. Nec omittenda Regis industria singularis, inter eas penuriæ difficultates, & contraria suorum studia. Nam Hugonotti acerbissimè conquerebantur ob duritiam Francisci d'O Præfecti ærario, à quo ne assem quidem possent emungere, cùm in Catholicos benignior foret; atque ipsi Catholici Regem à religione sua alienum ferebant in dies impatientiùs. Attamen ille & Hugonottos demulcebat priuatim, promissa in religione constantia, & futuræ prosperitatis consortio, & Catholicos spe conuersionis retinebat; de Pontifice, de ipsa Ecclesia, & personis sacris, honorificis verbis nusquam non colloquens; agebat cum Nobilibus quàm familiariter; cum gregario milite humaniter, capiebátque singulos dexteritate ingenij, ore, habitu, sermone, passim cunctis gratus & acceptus, vt ipsi tam domi quàm foris enitendum in hostem fuerit; nec laborandum minùs in profligandæ penuria, quam in potentissimo hoste subigendo.

Laual.

Mercœur.

Regis inopia & industria.

V.

Rex iterum in Normanniam inuadit.

Falaise.

Anno 1590.

Postquam Alensonium Biro expugnauit, Rex post breuem moram, per anni noui auspicia, in Normanniam irrumpit cum copiis; atque Argentano capto, Falesiam vrbem vallo cingit. Est Falesia in colle posita, subsidente circum valle, defensa castro validissimo, quod vrbi ipsi adiungitur; obtinebátque tum vrbem tum castrum Brissacus cum legione Picardi Tribuni, quæ inter fœderatas pugnacissima habebatur. Rex à castro, quod plerumque illi vsitatum erat, oppugnandi initium petit. Auxilio erat ipse loci situs, nam castro munimentum erat stagnum amplissimum atque altissimum; quod frigoris asperitate in gelu coaluerat, tam durum & firmum, vt eo commodè tormenta regia inueherentur; sicque opportunitas maxima in euidentem perniciem ibat. Directa tormenta post continuam

verberatio-

verberationem, postquam latam muro labem intulerant, appellat Rex Brissacum de deditione; qui cùm magnificè ad ostentationem vanam respon-
HENRICVS IV.
deret; haud multò pòst ad deditionem ipsam impellitur. Quippe miles in proximam turrim evadens, quam aperuerant tormenta, cum nullus hostium spectaretur, arcessit socios, quibus aduolantibus porta effringitur, vnde è castro patebat in vrbem aditus; simulque vno impetu in vrbem irrumpitur, pulsisque leui opera ciuibus, vrbs ipsa capitur atque diripitur. Et in ipso conflictu exemplum editum calamitosæ virtutis, & amoris sua miracula renovantis. Inter cives pugnabat Chesuajus, adolescens mercator, simúlque virgo quam perditè amabat, ad eius latus dimicabat; vterque tam generosè & fortiter, vt ab ipso Rege obseruati, iussi sint, quantùm Martis ardor sinebat, esse incolumes. At cùm adolescens sclopeti glande repente stratus esset, virgo salute quam offerebat hostis repudiata, se pugnans in confertissimam aciem abdidit; donec ad necem saucia regressa tandem, in exspirantem adolescentem incumbit; ac pro geniali toro pugnam nacta, sanguinem sanguini, plagam plagæ infundens, in dilecti ore animam mittit. Duósque amantes vocauit posteritas; vt haberet Francia quos eo in genere Hispanis componeret. Brissàcus mox deditionem castri paciscitur, sibi & quindecim salutem asserens: opulenta supellex Bironi concessa, & pauci milites necati suspendio, pluribus alioquin sceleribus graues. Multæ postea in eo tractu vrbes Regi traditæ; Domfrontium, Lexovium, Baiocæ, Vernolium, & ipsum Honflorium, post dictum aliquot propugnationem. At ipse Rex ad Honflorium Bironem dimiserat, cum ala equitum & sclopetariorum expedita, raptus ad Mulancum seruandum. Etenim Maynius, frequentibus Parisiensium vocibus lacessitus, expostulantium quod desidere in vrbe militem pateretur, ipsum eduxerat expugnaturus proxima oppida, quæ Rothomagum intercludebant Lutetia. Captis igitur ad Oesiam aliquot oppidulis, & recepta non multo labore Pontisara; Mulancum aggreditur, quod vnum cum Ponte Arcuato, addicebat Sequanam Regiis. Erat Mulancum castrum potiùs quàm oppidum amni impositum, & tutabatur præfectus fortissimus Berenguevilla ab Aumontio datus, qui fortitudine atque industria non vulgari diu conatum impetumque hostium fregerat. In extremis erat, cùm Rex in opem advolat, infertque in castrum militem; sed repentè eo reuocatur, vt cæteras copias in Nemursium tueretur. Semel atque iterum admirabili pernicitate profectus in Normanniam Rex, & Mulancum redux, sedulitatem partitus, vrbem simul tutabatur & copias; donec Maynium omninò avulsurus, Poissiacum expugnare aggreditur; vrbemque per scalas inuadens, in proximum pontem impetum vertit; quem tormentis dum verberat, Maynius necessario abductus Mulanco, cum toto exercitu Poissiacum venit; quo tandem tempore Rex voti compos ad Drocum obsidendum copias amovet; omittitque pariter Mulancum Maynius, de re maiori sollicitus; nam Parmensem conuenit, ad militem exorandum; quo fretus, Regi imminebat, Drocensi obsidione soluta. Sed militaris expeditio interpellanda paulisper, dum in Pontificis

Amoris vis. La Chesnaye.

Meulanc.

Berengueville.

HENRICVS IV. VI.

cis Hispanique consilia introspiciam ; quibus moles fœderis tantoperè nitebatur.

Caietanus Legatus in Francia.

Sixtus summus Pontifex, mortem Henrici cum gaudij sensu acceperat; ac tametsi hæsisset anceps aliquandiu, cùm ad Navarrum confluxisse Nobiles audivisset; tamen postquam per oratorem fœderatorum accepit, Catholicos omnes Navarrum eiurare, & Carolum Cardinalem Regem nuncupasse; imò Navarrum ad Dieppam in extrema actum; se ad fœdus vertit, statuitque in Franciam Legatum mittere, qui fœderatos ope & consilio promoveret, vt Francia tota vni Regi & Orthodoxo addiceretur. Eum itaque dicit Henricum Caietanum Cardinalem, virum ætate, scientia, & peritia rerum conspicuum; cui adiuncti Episcopi decem & Bellarminus Iesuita doctrinâ iam tum orbe toto percelebris. Nec Pontificem moverat, quod legati duo fratres, privatis vtilitatibus adstricti essent Hispano; nam sperabat eam ob rem Legatum futurum acceptiorem Hispano, rémque faciliùs promovendam; cùm ipse cæteroquin Legati prudentiæ, fideique prorsùs confideret. Iam anno præterito se Legatus in viam dederat, ac Taurini summis honoribus à Sabaudo exceptus, & ab eo in suam ductus sententiam, Lugdunum vix pervenerat, cùm Maynium & Mendosam oratorem Hispanum agentem Parisiis, de aduentu suo certiores facit; ac Rege cæterisque suarum partium Orthodoxis neutiquam monitis, per Burgundiam Parisios proficiscitur. Ea in vrbe sub initium Ianuarij incredibili gratulatione excipitur; defertque in Senatum Pontificium diploma, quo sua auctoritas constituebatur; quamquam molestè tulerit, dictum antea Regem Cardinalem Borbonium; cùm illius eligendi auctoritatem illibatam sibi admodùm cuperet. Ad dum ille Pontificiam potestatem propagat: rem suam Philippus Hispaniæ Rex agitabat. Bernardinum Mendosam apud Henricum III. oratorem, statim à Guisiorum cæde, à Rege abscedere iusserat, & Lutetiam venire ad fœderatos; vt eos iuvandi tam opportuna occasio caperetur. Eam in rem Mendosa, cum quadraginta virorum plurimos, inopum civium ac devotorum multam factionem, Cœnobitas pleroscque, partim pecunia, partim specie religionis pellexisset, atque in mentem suam perduxisset, rem proponit in amplissimo Vnionis consilio, speciosam quidem & ad aspectum primum perutilem, at omninò Regi regnóque ipsi pernicioſam; vt se Francia tutelæ ac defensioni Hispani Regis subiiceret; multáque addit ad exaggerandam Regis immensam potentiam. Id cum Hispanicæ factionis homines, laudibus in cœlum tollerent, affirmaréntque Regno ac Religioni nihil salubrius obvenire posse; contra Maynius eiúsque asseclæ, subita re permoti, cùm moram ad deliberandum reposcerent; Mendosa ad mitigandam postulationem, multas conditiones adiungit, quæ fidem facerent, rem totam in Franciæ commodum verti; eæque tam coloratam boni formam induerant, vt Maynio recusandi modum excuterent. Verùm ille, post consultos prudentissimos viros, præcipuè Villaregium & Brissonium Præsidem, atque angue perspecto qui lateret sub frondibus, deliberationem in aduentum Legati reiecit; quippe rem tanti esse momenti,

Hispanorum Consilia.

in

in qua religionis apex ageretur, vt de ea nihil absque summi Pontificis auctoritate constitui posset. Sic obiectus flagitationi Hispanorum obex, quo repressa prima ambitio. Post Legati aduentum, cùm Mendosa idem propositum vrgeret vehementissimè, nec minori constantiâ repugnaret Maynius; Legatus veritus, ne contentio in vim atque arma erumperet, ab ea spe Hispanos dimouet, maturuisse nondum consilium docens, atque aliam viam oportere institui. Itaque illi nouum consilium capiunt, spreta vt præ se ferebant vtilitate, seruandæ Religionis vnam gloriam expetunt; affirmant obruendum semel Bearnensem, excidendam vno conatu hæresim in suo capite; eámque in rem magnas copias offerunt. Porrò idem diuerso modo intendebatur. Nam Maynius admissis ab Hispano copiis, vel vinceretur, vel vinceret; si succumberet, se totum Hispano tradere cogeretur; sin euaderet victor, cùm validiores essent copiæ Hispanicæ, etiam victor mitteretur sub iugum. Nec id Principem sagacem latuit; quapropter ab Hispano militem cupiebat modicum, multam pecuniam, per quam delectum suo arbitrio faceret; nec alieno ductui mancipparetur: at cùm obstinatiùs repugnaret Mendosa; ipse ad Parmensem profectus in Belgium, duo equitum millia impetrat, ductore Philippo Egmontio, Egmontij viri fortis filio, cui Albanus vitam ademerat. Per eam occasionem Philippus Rex vulgato scripto mentem suam manifestam facit, occultque; nempe obsecrabat Principes cunctos Christianos, vt ad liberandum Carolum X. Franciæ Regem arma adiungerent; expurgarent eandem hæresi, ad obsequium Regis Christianissimi totam adducerent; mox simul ipsum hæresis virus, ab cæteris prouinciis pellerent, tunc demùm omnes viribus iunctis Terram Sanctam Turcis eriperent, testatus Deum maximum superosque cœlites, eum vnum armorum & votorum scopum esse ac finem, vt per ea Ecclesia prorogetur, extinguantur hæreses, ac quique populi suo legitimo Principi obsequantur. Ea erat occulta animorum dimicatio, dum Maynius instructo exercitu palam vim parabat. HENRICVS IV.

VII.

Apparatus ad pugnam Iuliacensem.

Ad eius exercitus famam, discesserat Rex ab Drocensi obsidione, ac retro versus Nonancurium oppidum ceperat, euocatis è nobilitate quàmplurimis, ad pugnam si res sua poscret conferendam. Et ab ea dehortabantur haud pauci, obtendentes *incertam martis aleam, superiores hostium vires; ineluctabilem perniciem, si Rex vinceretur; vtilitatem non admodum magnam si vinceret; præstare, egentem pecuniâ hostem morâ absumere, atque adscititias copias cunctatione lenta disiungere.* Contra Nobiles plerique, duces, centuriones, & ipsi milites pugnam reposcebant; & Biro Maresc allus summæ ob experientiam auctoritatis, necessitatem prælij insinuabat. *Si cederet Rex, existimationis & gloriæ iacturam certissimam, qua vna nitebatur belli spes atque victoria; abiecturos se Nobiles, qui tanta martis cupiditate nunc flagrant; nec ambigi de victoria posse, si ad prælium fortissimi illi animi adhiberentur.* Nec cũctatur Rex id amplecti consilium, quod ipse vehementissimè omnium concupiscebat. At verò in Maynio longè diuersa mens; nam à prælio abhorrebat prorsus; nouerat Regis copias quanquam numero impares, robore tamen atque peritiâ superiores, metuebat ne victor aut victus in Hispani potestatem Nonácouit.

HENRICVS IV.

ipse recideret. Attamen suorum flagitationibus dederat, & Hispanorum petitionibus, vt ad Drocum soluendum admoueret propiùs copias, certus tamen abstinendi à pugna; seque inter ac hostem, amnem interiicere. Verùm compoti consilij sui esse non licuit. Vrgent è fœderatis vehementissimi, *luem regni & calamitatem belli vno dumtaxat prælio excidi posse; quid Dux cunctaretur? quid opperiretur adeo viribus ipse superior? an non auctoritatem regiam vsurpatam, in eum vltimum produci cuperet; sueque promotor ambitionis, promoueret Francie calamitates? Iam à Bearnensi quamplurimas vrbes occupatas, nutare plurimas, & longè plures statim accessuras, si fœderatus exercitus tanto maior viribus, se absterreri metu exhibeat.* Ad ea Egmontius, adolescentiæ æstu & cupidine gloriæ feruidus, instabat ardentiùs, ac minabatur, se solum cum Belgico milite inuasurum in hæreticos, si abstineat Maynius; mox ipsum adhuc cunctantem impulit nuntius, referens Regem Nonancurio discessisse, ac Vernolium versus recedere. Quo nuntio Duces cæteri rati Regem fugere, vno impetu prælium expetunt impetrántque; simul rapti in equos, nullo ordine ponte Iuriacensi Euram transmittunt; non dubij quin fugientem Regem assequuti, eum certa & inevitabili clade afficerent. At ille Nonancurio quidem erat profectus, sed ad hostem rectà properabat; occurrúntque improuisò ab vtroque exercitu velites; tam attonito Maynio, quàm gaudente Rege, atque exclamante, venisse commodùm, quod ipse quærebat. Atque extemplo Rex admirabili peritia copias in pugnam explicat, nec secus Maynius dirigebat suas; intercedente vnius leucæ spatio & pago medio. Attamen eo die inhibita est pugna; præter leuiora prælia ad pagum obtinendum, quem tandem assequutus est Rex. Quippe is de industria abstinebat, cùm propè in momenta evocati Nobiles cum turmis suis confluerent: nam ipso manè accesserunt præsidia ex Normanniæ vrbibus; tum intra diem

La Guiche.

Contyus Princeps, Guicha summus tormentariæ rei Præfectus, Mornæus & Parabera, Trimollius cum trecentis nobilibus Pictonibus; Comes Sampaulus, & Noüa, singuli suis Nobilium turmis accincti. Similiter Maynius continebat se, vel brevi mora se confirmaturus, vel opperiens dum se hostis moueret; mox inclinante in vesperum die, stetit in vestigio, donec idem hostis ad petendum hospitium iret, & ipse loca commoda quæ designabat occuparet. Perfrigida nox vtrobique levi somno transacta; ipse Rex recumbens in straminea culcitra, per moras breviissimas speculatores mittebat, qui explorarent an Maynius amnem ad recessum traiiceret. Postquam certò rescitum est, nihil in castris moveri, nec dubitatum, quin die proximo præliandum foret; Rex ad vigiliam tertiam, Martis die decimo quarto, singula ad proximam pugnam componit. Ingens est camporum & aperta planities, duos inter fluviolos Auram & Ittonem, qui mox adiuncti in Euram confluunt; porrò vltra Euram est Iuriacum pagus, Eura vado difficili, ponte coniungitur, quem à tergo fœderati dimiserant; frontem hosti obvertentes, vtroque exercitu in patenti planitie explicato. Rex in agmina suum equitem tribuit; in quibus nulli Lancearij erant; sex designata, quatuor ducebant Aumontius, Mompensc-

Aure. Itton. Iury.

rius,

'rius, Biro filius, & Rex ipſe, pugnantibus in prima regij agminis ſerie, Proceribus Tribuniſque, & colluccntibus mirificè armorum ſplendore; attributi ſingulis turmis pedites ſui. Quintum agmen ex Reitris conflatum agebat Theodoricus Schombergius, poſtremum Biro Mareſcallus ſeduxerat ſemoverátque ab cæteris, inſpecturus pugnam fixo veſtigio, & neutiquam initurus, niſi neceſſitas cogeret: erántque in exercitu octo millia peditum, equitum duo. At Maynius longè numero ſuperabat, nam ſexdecim millia implebant copiæ; eáſque eodem propè cum Rege ordine, vt fit in civilibus bellis, inſtruxerat: ſtabat ipſe in medio, cum Francis cataphractis trecentis, ad lævam Egmontius cum ſpiſſo Lanceariorum agmine; & Nemurſius ad dextram, Reitri ductoribus Brunſvicenſi notho, & Baſſompetra; tum Francorum agmen agente Aumalio. Sic oppoſitæ acies hæſerunt aliquandiu; donec Rex advertens ſolis lucem & venti flatum in ſuorum oculos ferri, emendaturus errorem, iubet turmas ingredi, deflexo ad lævam inceſſu; ſimúlque Maynius alterum cornu in eam partem impellit. Poſtquam Rex prece fervida Deum compellauit, induítque galeam candentibus plumis refulgentem; tum antequam demitteret buculam, ad proximos verſus; *Commilitones, inquit; nos ſimul eandem aleam ſubimus hodie; ſimul vobiſcum vincam aut moriar: ſeruate ordines; vóſque in eos ſtatim renocate, in eo victoria; vobis pro vexillo meæ iſtæ pluma ſint: luſtrate illas oculis, nuſquam occurrent niſi in via gloria atque victoriæ.* His dictis iubet explodi tormenta.

HENRICVS IV.

Anno 1590.

VIII.

Pugna Iuriacenſis.

Et auſpicatus feliciter pugnam fulminantibus machinis, Aumontij fortitudine delibat victoriam. Ille irruentes leviores equites, diſiicit ſtatim, móxque Regi ſe adiungit, dum prælium ineunt agmina ſingula. Biro filius in Reitros infunditur, & in fugam agit; dein Vallonum acie circumfuſus, dum fortiter pugnat, gemino vulnere os & tibiam læſus, in diſcrimen adducitur; donec advolantibus centum equitibus, liberatur, & Vallonum agmen diſpellit. Mompenſerius qui alterum Reitrorum agmen ſolo inceſſu diſiecerat, in Nemurſium ruit; Schombergius in Aumalium. Pari propemodùm ſorte, opperiente victoria momentum in quam lancem propenderet, ab Regis, Mayniíque agminibus. Et quidem Maynius cum Egmontio & Brunſvicenſi, qui diſiectis Reitris ad Vallones accceſſerat; lancearios mille ducentos & quadringentos ſclopetarios equites, impellit in Regem: ac prima glande ſclopetariorum ſiniſtram regij agminis alam concuſſerat: caſu etiam atque errore conturbante aciem regiam. Etenim Rhodius generoſiſſimi animi adoleſcens, vexillifer Regis, illicò in fronte ſaucius, fuſo cruore in oculos, habeniſque ferro hoſtili abſciſſis, equi ferocitate extra ordines rapitur: ſimul alius inſequitur, temerarius iuvenis, qui cùm galeæ albicantes plumas impoſuiſſet, fidem pluribus fecit Regem abſcedere; quem haud pauci ſequuti ſunt. Sed extemplò ipſe Rex ſpectandum ſe dedit: irruitque in Egmontij confertiſſimam turmam, & in illam ſegetem lancearum ferream, pugnámque atrociſſimam conſerit. Idpoſtquam agmen magno impetu ſoluit atque aperuit, aggreſſus per latera, quadrantis vnius ſpatio fractum diſiicit, & in fugam agit. Primo

De Rhodes.

HENRICVS IV.

concursu Egmontius à Franco Nobili glande læso capite occubuerat; simúlque Brunsuicensis post multiplices plagas animam miserat; iámque cætera agmina strage consimili pellebantur; cùm Maynius peregregiè Imperatoris functus, militísque officio, postquam cum Nemursio, Aumalio equite, & triginta equitibus, fixus in campo suos in ordines reuocare frustra conatus est; nihilque præter horrorem circumspicit; tandem lento passu ad Iuriaci pontem versus, eum transmissum exscindi iubet, Meduntámque se recipit; Nemursius, Aumalius, Tauanius Vicecomes, Rosneus & Balsompetra, per apertos campos Carnutum fugerunt. Rex quanquam victor nondum comparebat, fugerátque suorum oculos, dum se abdit in Vallonum aciem; tandem spectatus magnâ lætitiâ, dum rediret cruento ense, obtrito apice galeæ, armisque pluribus locis ferro hostium tusis; reuocabátque ad locum quem antea disignauerat viginti equites, quando nouo periculo tantùm non obruitur. Vallonum agmen illibatum hactenus in eum prorumpit, instaurátque pugnam; sed opportunè Magnus Prior, Aumontius, Trimollius, Giuriúsque, cum equitibus aliquot, ad Regem aduolant, vnóque impetu hostile agmen fundunt ac dissipant. Ita Rex victor se victricibus turmis restituit. Nec Biro Marescallus abstinuit se, quin Regem admoneret; *Id enimuerò*, inquit, *non æquum est, Domine vt Rex Bironis partes agat, cum hodie Biro munus Regis obierit.* Etenim ille cum suo agmine pugnâ cessauerat, momento ad victoriam magno, prohibens hostes, ne se colligerent ac restituerent prælium. Profligato equitatu, leui negotio pedites victi sunt; Franci & Germani internecione deleti omnes propemodùm; frustra Germanis arma submittentibus, recenti ad Arcense munimentum perfidia. Supererant duo Heluetiorum agmina, in quos tormenta agi Biro mandauerat; cùm Rex prono ad conciliandam gentem affectu, eos appellat de deditione; quam illi admittunt, pacti regressum in patriam, & signa dimittunt, quæ benignè restituit Rex, curauitque intactos duci in patriam. Certâ tandem victoriâ, ad insequendum hostem versa celeritas; iam ad Euram amnem, Iuriacensem pontem, & in ipso pago magna erat strages hostium edita, móxque Rex cùm eo loco vadum impeditum esset, ac Raitri pugna instaurata passim cæderentur, Anetum regreditur, vbi patebat amnis vado percommodo, eóque transito præcurrebat cum viginti equitibus, quando in agmen incidit ex ducentis equitibus; quamobrem suos præstolatus, haudquaquam Maynium assequi potuit, qui Meduntæ nocte proxima habens, mox Sandionysium cum turma equitum obtinuit. E tanto fœderatorum exercitu, quater mille dumtaxat seruati, cæsi reliqui, capti, aut deditione dimissi, signa, tormenta ac impedimenta penes victorem fuerunt, luculentis spoliis miles ditatus est, Regi oblata viginti equitum vexilla, peditum signa sexaginta, cæsi ex Regiis Balsac Entraguius, Scombergius, Marchio Nesleus, Feuquerius & quinquaginta circiter nobiles. Nec victoria dignior in ipso conflictu Rex, quàm post ipsam partam, in hostem clementiâ, in suos humanitate, superbiam vincens & arrogantiam. Proclamari iussit vt Franco parceretur, vnique extranei cæderentur; admisit omnes qui se dedere cuperent, plu-

Mantes.

Anet.

De Nesle.

rimos

rimos etiam eripuit ferro vincentium ; captiuos humanissimè habuit ; palmæ gloriam communicatam cum suis voluit, ingentes gratias agens singulis, ipsósque collaudans, laudem, qui regnum non posset, modestè partitus, dicitúrque ipso die prælij dum cœnaret, redeunti Aumontio ad infimum gradum occurrisse, & iussisse secum mensæ accumbere ; his additis amantissimis vocibus ; *Æquum esse admitti ad epulum, qui ad sponsi connubium tantum contulisset.* Atque ea est Iuriacensis palma, quæ Francica indole, nulla fraude, nullis insidiis reportata, veræ fortitudinis præmium fuit, vt victi, quod est rarissimum, vnum vincentium robur excusarent. HENRICVS IV.

IX. *Parisiorum obsidio.*

Primus victoriæ fructus, Medunta & Vernolium ad Sequanam vrbes Regi patent ; nec vlla erat ciuitas quæ victorem si adesset ad portas excluderet. Vna tamen videbatur digna præ cæteris, quæ palmæ fastigium & summa laus foret, Lutetia. Et suadebat Noüa, ad eam Rex se victoria recenti conferret, affirmans indubitatè, vrbem clade perturbatissimam, nullo duce, nullis munimentis vallatam, haud difficulter expugnari posse. Nec dissimilia vero suadebat. Sed dissentiebant cæteri, quorum princeps Biro ; auctores vt vi abstineret, ac vrbem tam amplam fame & inedia, sub iugum mittere aggrederetur. Creditúsque est Biro timuisse, ne tam citò bellum desineret, suáque opera superuacanea foret ; Ministri præterea atque Hugonotti, multis indiciis suspicati, Regem haud ægrè à persuasione sua abscessurum, cupiebant multiplicari ærumnas, per quas eum suæ factioni vincirent arctiùs. Ita mora dierum quindecim, quibus Meduntæ Rex ad reparandum exercitum egit, saluti Parisiensibus fuit. Secesserat Sandionysium Maynius, miserátque Nemursium ad Parisienses, cui res suas commendans, ac Villaregio, Mompenseriæ, cæterisque fautoribus, iuit Suessionem, ad conficienda è Belgio subsidia, & cum Parmensi acturus commodiùs. Et verò Nemursius vrbis gubernator à Consilio dictus, sedulò propugnandæ illi incumbit, is annis iunior, sed animi robore, audenti confidentia, & deliberandi prudentia, iuuentutem fouens temperánsque, vrbem afflictam recreare & munire cœpit. Annonam infert, quantam angustiæ temporis passæ sunt, instaurat muros, collocat cæteras munitiones, tormenta magno numero fundit, tundit sulphurei pulueris vim immensam, militem in præsidium præter ciuem constituit, mille ducentos Germanos pedites, Francos totidem, mille Heluetios ; Vitrium euocat Meldarum præfectum cum cataphractis centum quinquaginta, centum alios inducente Mendosa, amnem supra & infra catenis ferreis claudit, & inflammatis Parisiensium studiis ad Regem hæreticum repellendum, apparat accuratissimam propugnationem. At Rex lentiùs Meduntâ progressus, exequuturus institutum consilium, & inediam vrbi illaturus, expugnabat oppida quæ vrbem alerent. Iam clausâ per Meduntam Normanniâ, intercluſurus Campaniam atque Burgundiam ; Corbolium, Lagniacum, Melodunum, Monteræum, & plura alia capit ; tum postquam colloquium cum Villaregio, & Mocenico Cenedæ Episcopo frustra

HENRICVS IV. Sens.

fuit; atque vrbem Senonum irrito & pernicioso conatu impetiit, Parisios tandem sub Aprilis exitum exercitu cingit. In eo erant quindecim peditum millia, equitum tria; copiæ longè ad subigendam amplissimam vrbem inferiores; sed Regi virtus pro numero erat, civi numerus pro incommodo, atque detrimento; nec multitudo aliud contulit, quam necessitatem patientiæ & incrementum miseriæ. Quatuor potissimùm oppugnandi rationibus Rex vrbem aggressus est; vi, arcanis consiliis, amicis colloquiis, & extrema inedia. Vim adhibuit primùm, statim inhibuit. Noüa ductore suburbium sancti Laurentij aggressus invadere, per Aumalium equitem Noüa graviter læso, repulsus est post impressionem tergeminam, abstinuitque in posterum vim inferre. Arcana consilia cum plerisque civium instituerat, & per ea tentata vis aliquoties, verum diligentiâ summâ Nemursij, & sexdecim virorum perspicacitate incredibili, per fidos exploratores penetrantium in omnium mentes, evanescebant consilia, eorúmque auctores in pœnam sæpius rapiebantur. Colloquia haud rarò inita tum

De Pisani.

Legati cum Pisano, tum Gondij Cardinalis & Archiepiscopi Parisiensis cum Rege, effectum haud disparem sortita, nihil admodum promovebant; cùm ea fœderati eo dumtaxat animo instituerent, vt plebem miseram spe proximæ pacis lactarent; spatiúmque Maynio ad instruendam opem conficerent. Ideò tota ratio oppugnationis, ad vnam famis necessitatem reciderat. Porrò eam priusquam exponam, lubet singula quædam obseruanda percurrere, quæ ad rationem obsidionis visa sunt conferre.

Cardinalis Borbonij mors.

Etenim Cardinalis Borbonij mors fœderatorum causam multùm conturbauit. Ille ætatis anno sexagesimo sexto, longè morbis quàm annis infirmior, Fontenæi, vbi agebat captivus, animam egerat; larvámque illam Regis simul extinxerat. Isque casus vehementer Maynium exagitauit; veritum ne detractâ potestatis suæ personâ, aut ab se auerterentur tandem fœderati, aut Hispani noua consilia molirentur. Hoste tamen ad portas hærente, conspirarunt omnium animi ad medelam malo faciendam; decreuitque Maynio tum Senatus, tum ciuitatis Consilium vicariam in vniuersum Regnum præfecturam; móxque Sorbona decretum edidit, quo sanciebat, nefas esse iure Diuino hæreticum Regem admittere, ac nominatim Henricum Borbonium percellebat, vt hæreticum, relapsum, sacris interdictum, indignum prorsus cui deferretur obsequium, eiúsque assecias graui in Deum noxa peccare, qui promoverent hæreticum. Postquam animos eo decreto quasi clavo sanctissimo fixos confirmarunt, gemina supplicatione præludere defensioni mentibúsque commodum visum

Supplicatio gemina.

est. Primam instituunt cœnobitæ Monachi, qui corrogabant stipem è publico. Præibat Rosa Silvanectẽsis Episcopus, cum Priore Carthusiensium, Crucem lævâ, bipennem hastam dextrâ gestantes, sequebantur longis ordinibus cæteri in familias suas distributi, galeis loricisque supra religiosas vestes armati, cincti gladiis, ferentesq; partim hastas puras, sclopeta partim, partim scuta, & oblonga scuta, concinentes sacra carmina, quæ crebris sclopetorum explosionibus interiungebant, quorum vna glande spectantis Legati Sacerdos minister est cæsus. Altera supplicatio longè gravior fuit atq; modestior.

Eam

Eam ducebant Nemurſius, Aumalius, cæterique Proceres, Tribuni, & Duces, ſupremi Magiſtratus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, cæterique Epiſcopi, qui inflammati concione Oratoris ſacri, Legato vota admittente, iureiurando ſinguli ſe obſtrinxerunt, ad Religionis Catholicæ, Patriorum defenſionem, & hæretici Principis repulſam. Mox eam religionem credita eſt benignitas Dei præmiari, largo commeatu à Sampaulo Tribuno in vrbem inducto. Etenim cum Rex Laudunum celeritate magna contendiſſet, in quam vrbem auxiliares copias adduxerat Maynius, eúmque velitationibus prouocaret ad prælium, deinde audito Sampauli propoſito, eadem celeritate regreſſus in caſtra, commeatum intercipere nuſquam valuerat. Sed maioribus in dies auxiliis & ſupplementis militum, caſtra augebantur. Contius Princeps multas è Turonibus, Pictonibus, atque Andegauis duxerat copias; Vicecomes Turenius, diuturna ægritudine nondum recreatus, vectus lecticâ, mille equites, quater mille pedites; Humerius è Picardia trecentos equites & legiones duas adducunt; ac confluebant certatim Nobiles. Vnus tamen præ cæteris Regi acceptiſſimus Dux Niuernenſis Ludouicus Gonzaga; maximi ponderis in vtram partem ſe verteret, ob religionem, fidem & probitatem, cæteráſque dotes; exoptatus à Rege maximè, ipſiúſque partium Orthodoxis, quod nemini Catholico videretur cauſa repudianda, quam ille probaſſet. Ille ab Henrici III. morte, tam ab factione fœderatorum auerſus, quàm religionis ſtudio ab Rege alienus, domi hactenus hæſerat; ac poſt ſedulam deliberationem, ſtatuerat ſe Regi addicere, ſed reuocato ad Religionem ſinceram; quod vt perficeret; nulla conditione, nullo fidei præmio petito aut admiſſo, Regem adit, facultates amplas in rem publicam offerens, largitúſque non modicam partem, cùm res ipſæ poſcerent. Dignus in paucis, quem ob fidem in Franciam illibatam, Annales noſtri poſterorum memoriæ tradant. Poſtmodùm Chiuernius Cancellarius qui duas inter partes medias ſteterat, ſe ad Regem vertit, & peramanter exceptus, donatur ſigillis, quæ hactenus Mareſcallus Biro obtinebat; ciúſque aduentu reuocata maieſtas Togati Conſilij. Móxque oppidum Sandionyſium redditum Regi; cùm iam Pariſij extremâ inediâ laborarent.

HENRICVS IV.

Sainct Paul.

Dux Niuernenſis.

X.

Fames Pariſienſis.

Nam ſterili eo anno Campaniâ, modicam annonam inuexerant in vrbem tum Nemurſius, tum Sampaulus; ac toto Maio plebi haud incommodè fuerat; mox priuatorum exhauſtis horreis, abſumpta inani ſpe, quam Mompenſeria in dies mouebat; ac Mendoſa fruſtra ſtipem inopi turbæ largiente, cùm deficeret panis quem pecunia miſeri emerent; continuò in lamenta & eiulationes perrumpit calamitas, poſtulátque à Rege ciuis, vt turbam miſerorum liceat vrbe emittere. Id cùm Rex alieno conſilio, haudquaquam ſua ſponte, ad miſericordiam prona, pernegaſſet; iámque iumenta, canes, & feles in alimenta rapta eſſent auidè, atque herbæ, frondéſque arborum, oleo, adipe, & fœtenti ſeuo incoctæ, famem luſiſſent potiùs quàm mitigaſſent; mors vna in votis & optatis erat. Cardinalis Gondius, Pariſienſis Epiſcopus, quamquam à factione alienus, tamen inſtar boni paſtoris, templorum vaſa ſacra & anathemata pretioſa

ad

HENRICVS IV.

ad alimentum plebis distraxerat; Caietanus Legatus & Mendosa effusè stipem spargebant in miseros, & Mendosa opulentam supellectilem totam vendidit, vno cochleari ex argento seruato. Concionatores præterea inflammatis orationibus alebant miserorum constantiam; bis diebus singulis perorabant; animo pabulum luculentum dabant, ieiuno & infirmo corpusculo cùm nequirent præbere; collaudabant ferebántque in cœlum patientiam morientium, Martyribus pares deprædicabant; Religionis causam obtendebant miseriæ; iisque potissimùm constantiam ciuium an contumaciam ad extremam vsque calamitatem laudando atque incendendo Martyrij specie perduxerunt. Traducto per eam miseriam Iunio, noua per Iulium incrementa accedunt; miseri agentes animam aut trahentes, nam eadem calamitas spectabatur in vicis, in compitis, in templorum atriis, in nosocomiis; plures quotidie tetertima fame extinguebantur; nec turbam modò, sed opulentos etiam malum conflictabat. Haud pauci per muros in castra hostium penetrabant, & languentes artus vltrò ferro obiiciebant; lentam illam ac funestam mortem quouis periculo grauiorem censentes. Nec optimus Rex ad ea nuntia temperabat à lacrymis; ísque auditus Deum implorare cum gemitu; *O Domine*, inquiebat, *tu tantæ miseriæ causam agnoscis, sed præsta vt eos seruare possim, quos pertinacia hostium in exitium vocat.* Affirmabátque nihil esse mirum, si nequaquam fœderis principes miserarentur hunc populum; qui non Reges, sed Tyranni essent; aut si Hispani ad lanienam Francos adducerent, cum ij Francos tam veteri odio prosequerentur; ipsum se, qui frater, dominus, & Rex Parisiensiũ esset, eorum calamitates sine dolore haud posse accipere. Eo sensu plurimis facultatem fecit egrediendi; indulgebátque militibus clam victum suppeditantibus ciui. Augebatur interim fames, & pauciſſimis admodum supperebat panis. Narrantur calamitatis exempla, quæ fecerunt fidem, quia quondam contigerant; nihílque tam incredibile visum est, quin faceret miseria tanta credibile. Tredecim hominum millia fame extincta sunt; per eam humanitatis & sanguinis abrupta vincula; Germani milites, qui in Templo agebant vigilias, loco solitario, pueros venabantur, & exaudita sunt matrum lamenta lugentium liberos; visi pater & filius pugnare inter se furore insano, ad frustulum panis auferendum; imò scribitur in matronæ viduæ opulentæ, postquam obierat supellectili, repertum esse infantis femur; ancilla fatente heram cadauera duorum liberorum, quos fames extinxerat, in alimentum clam sepe-suisse, feretris plumbo onustis ad cæremoniam funeris; ipsam raptos artus sale maceraſſe; mox horrore cibi tam infandi, dolore ac miseria expiraſſe. Et ipsa vrbis facies, non erat à calamitate ciuium multùm absimilis; Templa in nosocomia defecerant, ædificia pleraque diruta, ereptæ fores atque fenestræ, nam in focum ligno non suppetente, detrahebantur ædibus tigna & asseres: vici aut morientium cadaueribus strati, aut herbis succrescentibus solitudine vastâ deformati, pullulabat è cadaueribus vis bufonum atque serpentium, superstites ipsi detritos atque absumptos artus inediâ trahebant ægerrimè, sibique inuicem horrori potiùs quàm solatio erant. Adeò ciuitas illa voluptatum sedes & deliciarum, instar

instar veteris Niniues, necessariâ pœnitentiâ abstergebat noxas, & singula in consortium culpæ admissa, mutabantur in pœnam. Regi interim suadebat Noüa vt vim inferret, quam nusquam afflictissimi ciues repellerent, sed ille abstinebat, siue certissima spe vrbis reddendæ, cùm augeri non posset miseria, siue vrbi parceret, quam diripiendam necessariò vi illata cerneret, siue solutum iri videret exercitum, in amplissimæ vrbis præda & opulentia mersum, siue ipse voluptati indulgens & otio, impetrare à se vim nequiret. Nam agebat frequens cum Pontia, Rupeguyonis vidua, & Monte Martyrum atque Poissiaci Virginum Præsides inuisebat familiariùs quàm deceret; eiúsque exemplo plerique Tribuni & pars magna militum, meretrices habebant in tabernaculis, vrbe sufficiente hanc mercem, vt in iis castris Venus hospitari, non Mars videretur. Sed miserrimam vrbem iam proxima subsidij spes recreabat. De Pont.

XI. *Soluta obsidio à Parmensi.*

Quippe Alexander Farnesius Dux Parmensis & Belgij Prætor, omninò iussus à Philippo Rege Parisios seruare, cum duodecim peditum millibus, & tribus equitum supra quingentos, relicto Belgio per Picardiam Meldas veniebat. Ea in vrbe opperiebatur Parmensem Maynius, cum copiis Lotharingis & Francicis, accesserántque Dux Aumalius, Chastrius, Menelæus, Balagnius, Sampaulus, & Duces alij; festinánsque lento incessu Parmensis, per hospitia singula castrametatus, sub Augusti exitum Meldas intrat. Eo loci immotus sex insumit dies in regionis tabulis perpendendis, ac postquam diu & attente lustrauit singula, colles, nemora, vias, stagna, fluuios, abrupta & plana itinerum; haudquaquam properans ob clamores Parisiensium eiulantium; tandem exploratis omnibus castra mouit, ausus asserere soluturum se obsidionem, & spectante Rege quampiam vrbem capturum. Venítque Clayam, qui pagus est tertia infra Meldas leuca, septima supra Parisios. At in castris Regis inopinatus aduentus perturbabat consilia. Venturum tanto exercitu Parmensem, dum flagrabat in Belgio bellum, sibi persuadere nemo poterat; ideò cùm famam Rex inanem haberet & mendacissimam, neglexerat vias occupare, & molestiam venienti obiicere. Modò cùm eum recta Parisios contendere nuntiatur, deliberantes diuersa consilia distrahunt. Noüa & Mornæus auctores sunt vt tribus hominum millibus ad vrbem relictis, ad ipsum propius explicetur exercitus, obiiciendus venienti, & pugnam si posceret res, conserturus; idque Regi perplacebat consilium, iámque aciem in Bondia planitie totam instruxerat; at Bito alienus ab ea sententia, siue contradicendi prurigine, siue ne vlla res absque ductu suo ageretur, Regem amouit ab eo consilio; quod intutum diceret, tam prope Parisios in dimicationem venire; eúmque tantùm non inuitum, Cellas abducit, quatuor supra vrbem leucis, tribus infra Clayam. Eodem die veniebat Cellas Parmensis, iámque metatores designabant hospitia, cùm à Regiis superuenientibus depelluntur, & ipse Rex geminos Duces Parmensem & Maynium aduentantes propiùs, amouet. Mox vtrimque ad pugnam disponuntur exercitus; sed Parmensis speculaturus Regium, in collem proximum aduolauerat; spectabátque ordinatissimas copias, in quibus sexdecim peditum millia, Menelay. Chelles.

HENRICVS IV.

equitum septem, & eorum Nobiles quater mille, ac septem Principes; atque vt peritissimus rerum bellicarum, ex aspectu insuperabile robur existimans, depositò præliandi consilio, regressus ad copias, iubet in loco commodo paludem inter & siluam, castra ponere militem, & ligonem tractare pro gladio. Militem Romano more instituerat, studere disciplinæ, castra vallo ac fossa cingere, sibi arcem quocumque duceretur ponere, suáque opera humum effodere; ita vnius diei spatio castra munita sunt, vt Regi inspectanti spes omninò pugnæ adempta sit: septem dies velitando traducti; tandem octauo Parmensis, quis & quantus imperator esset exhibuit. Die nebuloso copias ad Lagniacum vertit, vrbem ad Matronam, vnâ admodùm leucâ distantem, & occupatis extemplò opportunis locis, castrisque assueto more communitis, vrbem amne medio tormentis verberat. Serius res nuntiata Regi; festinavitque Biro cum Magno Priore, qui iam dicebatur Arvernorum Comes, ad hostium castra conturbanda, sed munitionibus excluſi, post diuturnam velitationem abscedunt. Statim ad inducendum vrbi subsidium, per Gournæum pontem missæ legiones duæ, & cum equitum turma Aumontius. Sed iam impressio inducebatur in murum, & quatuor hominum millia amne strato navigiis immiserat in vrbem Parmensis; primique Itali fecerant aggressionem Capisucchio Duce; qui primò repulsi, mox Hispanis instaurantibus impetum, regressi, labem muri invadunt, atque vrbem postmodum. Laffinius eam propugnabat cum quingentis militibus, atque Aumontius serius cum aduenisset, totumque agmen perturbatè immitteret, post conatum inanem recessit; receptis propugnantium plurimis; Parmensis curâ templis & Sacerdotibus parcitum; Et seruatus Sanjoannes Hugonottus legionis Tribunus, inuentus ad Laffinium saucium, instar Presbyteri linteatus, & Crucifixi imaginem præferens, veluti læsum ad Christianam mortem hortaretur. Vrbe capta, extemplò Parisiis libertas asserta; ingens per Matronam commeatus inuectus, & calamitosissimæ ciuitatis salus restituta; cœpitque inopia Regis exercitum profligare. Quamobrem ex ducum sententia, statuit recipere se, & exercitum soluere; sed ægerrimè ab Parisiis mentem & spem abducens, misso Castillionio tentauit per Sancti Iacobi suburbium, scalis applicitis clam in vrbem inuadere: nec longè spes ab successu abfuit; iam euadente per scalas milite; nisi pauci Iesuitæ qui fortè eo loco dormientibus cæteris intendebant vigilias, exclamassent ad arma; quo clamore excitus primùm causidicus, peremit obvium militem: mox tumultu aucto, abscedendum Castillionio fuit. Ita Rex in Picardiam secessit, auctis vrbium præsidiis, missisque in præturas suas Principibus. At Parmensi instabat Maynius, vti incepta perficeret, atque vrbes caperet, quæ Sequanæ imminent, eúmque occludunt Parisiensibus. Atque inuitus ad expugnandum Corbelium tradit copias, ratus octauam post diem vrbem captum iri. Sed Grangæ Præfecti & Rigauti centurionis fortitudine, in mensem propugnatio tenuit; iámque morbis inter militem grassantibus, decreuerat Parmensis regredi: nec contineri à Maynio potuit: de quo expostulabat acerbiùs, quod penuriâ commeatus tandiu producta esset obsidio, & causatus Belgici belli necessita

Lagny.

Capisucchi.

S. Ican.

Corbeil.
La Grange.

HENRICVS IV.

necessitatem, magnis itineribus contendit in Flandriam. Quamquam non sine dolore animi, ac molestia itineris. Nam Corbelium paucissimis diebus postquam profectus est, à Givrio per applicitas scalas receptum est: & ipse Rex cum mille expeditis equitibus, in quibus Nivernensis, Longavilla, & Givrius, sequutus recedentem ad Belgij fines, multis affecit incommodis, lentiores carpens, & impedimentorum partem diripiens. Et eum fortita euentum est Parisiensis obsidio; quæ inuictæ civium patientiæ, Nemursij indefessæ solicitudini, Henrici Regis clementiæ & indulgentiæ, Parmensis Ducis peritiæ, atque prudentiæ, libertatem debuit. Nemursius cùm ob facinoris gloriam, Maynio fratri concitet invidiam, nec ab eo Normanniæ præfecturam impetraret Lugdunum secessit, nouam Toparchiam in vrbe amplissima & regionibus proximis, paraturus.

XII.

Quæ in provinciis gesta.

Dum hæc toto anno ad primariam vrbem gerebantur, æstu Martis à capite in reliqua membra diffluente; multis in prouinciis variè atque atrociter bellum gerebatur. In Andegavis, Cœnomanis atque Pictonibus, Contyus vrbes varias expugnabat; & capta Feritate Bernardi, Cœnomanos planè expurgauerat; Britanniam Dombensis Princeps & Mercordius armis & copiis partiebantur, vario & diuerso successu; misera direptione Prouinciæ, cùm vtrobique sat virium esset, ad mutuum detrimentum; minus ad æmulum depellendum. Et Mercordius infirmiorem se ratus, Hispanum euocauerat, qui ducta classe, & Blaveto capto, milite quidem iuuabat Mercordium; nam Ioannes Aquila quinque millia bellatorum aduexerat, sed præterea immissurus radices, Blavetum portu commodum veluti ostium Prouinciæ, accuratè muniverat tenebátque: etenim Britãniam iure præcipuo Philippus Isabellæ filiæ vindicabat, ob matrem è Valesia stirpe oriundam. Campaniam tuæ etiam turbæ agitabant. Dinteuilla Trecas occupaturus, immiserat militem, nec infeliciter procedebat consilium, cum plebis rapientis arma fortitudine, miles non sine magna clade repellitur; nec Lotharingi vicinia parum fovendo incendio conferebat; nam ille post captam Villefrancam oppugnabat Fanum Menechildis, ab ea postmodùm abstractus, Nivernensis vigilantiâ; cui eius Prouinciæ Rex præfecturam commiserat. Aquitaniam Matignonij compescebat prudentia; qui solerter Burdegalẽsem Senatum adduxit ad Henrici Regis obsequium; cùm enim hactenus edicta Senatus sigillo Henrici III. munirentur; Matignonius clàm ad obsignandas publicas litteras Henrici IV. sigillum induxit, priore confracto, ac quãquam Senatu sub initium reclamante, mitigauit postea omnium animos, rem inceptam perfecit; atque Regis imaginem, non æri modò, sed animis Burdegalẽsium iusta fraude insculpsit. Occitaniæ partem Tolosanus Senatus cum Ioyeusa addicebat fœderi, partem longè maximam Mõmorancius asserebat sibi; in Regem propensior quàm in fœderatos, & Comestabilis dignitatẽ obsequio suo redempturus. Sed in Arvernis & Delphinatibus Regiæ partes maiori gloria & fructu promotæ. In Arvernis victoria ad Issoriacum parta, eodem propè tempore, quo Iuriacensis, cumulauerat prioris famam atque Aruerniam Regi totam tradiderat. Issoriacum vrbem in eo tractu percommodam, partium Duces, Randanus Comes fœderatus, & Regij ceperant

La Ferté-Bernard. Blavet. Villefrãche. Sainte-Menehoud. Randan.

HENRICVS IV.

vi illata, atque amiserant. Eam obtinebat Randanus, cùm Magistratus Claromontani ope Nobilium vrbem noctu inuadunt, & Randanum arce clausum oppugnant acerrimè. Sed cum is adductum vrbi subsidium deleuisset, nouis auctus copiis, sua vice arce progressus, vrbem impugnat, & aggressionem vehementem infert. Interea Gilberti Deffiacij diligentiâ, Rossignacus Præfectus superioris Arueniæ, Lauedanus Vicecomes, Chaseronius, Chabanius, Curtonus, aliique Nobiles, ad seruandam vrbem conueniunt; iámque aduentantibus occurrit Randanus cum copiis numero superioribus, miscétque prælium, in quo ipse fortiter pugnans, sclopeto cæsus capitur (ac eo die plagâ interiit) cæteríque post acerrimam dimicationem, partim cæduntur, partim dispelluntur; arx statim reddita, & vrbs liberata. Et salutem ciues peculiariter diuinæ opi adscripserunt; quod toto mense quo vrbs sua, quà obsessa, quà obsidens, assiduè versata in periculis erat, quinque dumtaxat homines periissent; similiterque in atroci illa pugna, tres è Regiis nobiles cecidissent. In Delphinatibus Lediguerius egregiâ operâ atque indefessâ tutabatur regias partes; non in ea modò Prouincia, sed in vicinis Phocensibus, Lugdunensibus, Forisensibus & Boiis; admirabili celeritate, fortitudine, & fœlicitate, tricorporis instar Geryonis, in plura loca & expeditiones partitus; vbique præsens & vbique victor. Nec dubium est quin Sabaudiæ Dux & Nemursius regiones proximas nullo negotio corripuissent, nisi vigilantissimus dux, eorum consilia, conatum, & vim armatam discussisset, oppressisset, atque dispulisset. Non lubet vagari per singula, quæ priuati Historici, ac Videllus præsertim dignè & luculentè exscripsit; illustriora percurram, in quibus memoranda Gratianopolis. Ea ciuitas Delphinatum primaria, in conualle inter montes posita, sic ab Isara amne alluitur, vt vltra amnem qui ponte iungitur, plura ædificia in duos vicos porrigantur. Eam vrbis partem cùm ciue quodam participe occupasset Lediguerius, ac turrim qua munitur pons, eodem impetu perrumpere nequiuisset, adhibito pyroclastro, nam clathri ferrei vim machinæ retuderant, tormentis vrbem obiectam per amnem medium verberabat; At cùm verberatione non plurimùm promoueret, deesséntque copiæ ad vim inferendam, ab ingenio & stratagemate supplementum arcessit; nam silentio suos emittit, mox luce palam magno tubarum & tympanorum sonitu quasi missas supperias, rursum admittit; simúlque sparso per fidos homines rumore Gratianopoli, ad se è Phocensibus missa tria militum millia, per eosdem ciuem ad pacem & concordiam adducit: scriptúmque illicò instrumentum deditionis; quo accuratè Catholicis cauebatur, excludebatur Albignius pro fœderatis Præfectus, & Senatores qui Romantium secessérant in vrbem reuocarentur. Eóque pacto vrbe potitus est; cuius præfecturam mox à Rege impetrat; eámque init, animis omnium mirâ clementiâ, & humanitate conciliatis, inimicorum acerbissimum odium beneficiis profligans & sincerâ beneuolentiâ. Nam clarissimus vir, sic ferrum tractauit, vt humanitatis nunquam oblitus, bis eumdem hostem non rarò vinceret, armis primùm, tum comitate atque officiis. De Phocensi Prouincia,

Deffiat. Rossignac. Chaseron.

Lediguerius capit Gratianopolim.

Albigny.

cia, vno conrentu plura postmodum congeram, nunc ad Regem Parisios- HENRICVS IV. que regredior.

Et quidem Parisienses annum malè nouo consilio auspicantur. Sandionysium illis infixus erat aculeus, qui ad portas admotus, premere quodammodo ciuitatis pedes videretur. Eum vt refigeret Eques Aumalius Ducis frater, qui agebat Parisiis, & ob fortitudinem militarem, gratissimus ciuibus, erat in omnium ore & laude; occupare oppidum in peruigilio diuæ Genouefæ constituit. Et spem promouebant haud pauca; oppidum propè apertum, fossarum aqua gelu constricta, rarus in præsidio miles, fame & frigore obrutus & prope exesus; Lauerdinus Præfectus reuocatus à Rege. Qua spe impletus Aumalius vrbe cum Belimo secunda noctis vigilia, magno silentio educit militem, ducentos equites & pedites octingentos, & immissis eorum aliquot per fossam ac murum, cæteris que per apertam portam introductis, in vrbem iam captam irrumpit. Dominicus Vicus, dux bello fortissimus, à Rege Lauerdini loco nuper dictus Præfectus oppido erat; is excitatus hostium discurrentium fremitu, vna fortitudine in deliberationem vocata equum extemplo inscendit, iussisque extingui facibus, quæ in aliquot ædibus collucebant, cùm incurrisset in equites quinque, qui nocte ipsa cum tubicine festinabant ad Regem, eos secum educit, atque sex è domesticis, iisque stipatus, in hostem prorui. Fortè eum in angusto vico obuium habet, & illicò sex sclopetis explosis, non sine cæde, tubicinem iubet bellicum canere, mox vnum appellat, mox alterum; varia & diuersa imperat, militem verbo in loca plura distribuit, & fide facta copiarum ingentium, ferro in hostem stricto irrumpit: eo commento, iniectus hosti timor, aucta trepidatio, & ex Vici dimicantis fortitudine fuga inducta; primi hostium in Aumalij agmen conuertuntur, id confundunt; móxque passim omnes fugam corripiunt; canente tubicine, & Vico magnis vocibus cohortes appellante. Ita vno quadrante ingens turba vrbe expellitur, præter aliquot tum captos, tum cæsos; in quibus ipse Aumalius cæsus repertus est. Nec ausus fugientes consequi Vicus, tormentorum glandibus eos prosequitur; vrbe seruata tum consilio, tum fortitudine; quamquam sine consilio nulla fortitudo. Mors Aumalij permoleste Parisiensibus accidit; quibus erat viri ferocia pro propugnaculo, mors eadem Maynio non iniucunda, quam & existimatus est intulisse, ob latentem æmulationem, & diuisam aliquatenus auctoritatem. Parisienses liberatio ingentis periculi non solatur; nam Rex sub Ianuarij exitum clam inuadere in eorum vrbem parauerat. Equi erant farinâ onusti, quos lecti sexaginta è fortissimis centuriones, rusticorum habitu in vrbem agebant; consilium erat occupandæ portæ sancti Honorati; dum dispositæ per intervalla turmæ irrumperent; prima è loricatis quingentis constabat, & ducentis sclopetariis, alteram agebat Biro filius, tertiam Noüa; postremò Heluetij, cum scalis & huiusmodi instrumentis, ac duobus tormentis, ad perrumpenda vicorum munimenta. Iámque omnibus apparatis; ipse Rex tertia noctis vigilia, in primi agminis fronte pedes cum Longauilla & Epernonio (is ad Regem nuper cum lectis copiis venerat)

Seruatis Sandionysium. Anno 1591.

Belim.

De Vic.

Nox farinarum.

HENRICVS IV.

opperiebatur apertura portæ, vno Nivernensi ob plagam veterem equo insidente. Sed portam Parisienses humo obstruxerant, concepta suspicione, atque intra vrbem, suspicione vna impellente, se accuratè ad repellendum hostem instruxerant; Rex irrito consilio, Silvanectum secedit, milite statim in hiberna dimisso. Periculi facies sexdecim viris opportuna visa ad inducendum in vrbem Hispanorum præsidium, quippe sexdecim viri aversi à Maynio, quem tyrannidi suæ infensum senserant, Hispanorum auctoritate se in eum munierant; cámque factionem incenso studio promovebant; atque in præsentia à Mendosa Oratore, Hispanicum militem ad tutelam vrbis reposcunt. Compellatus à Mendosa ad assentiendum Maynius, quanquam aduersariorum exploraret consilium, tamen ratus externis præsidiis rebellionem in Principem fulciri longè securiùs; nec ausus Regi Hispaniæ quod flagitabat ardentiùs denegare, rem Senatus deliberationi permisit; à quo non sine altercatione constabilita re, Hispanorum quatuor millia inducuntur Parisios; Meldas ad sexcentos.

XIV. *Carnutum captum.*

At Rex elusa inuasione Lutetiæ, ne otiaretur exercitus, expugnandum oppidum suscipit. Postquam in varias partes discurrendo, distraxit hostium animos, & arma à designata vrbe procul abduxit; iubet illicò Bironem Marescallum, qui Dieppæ agebat, Carnutum cingere; & ille cùm fingeret se ad Regem proficisci, qui in Senonibus versabatur; repente inexpectatus sub initium Februarij copias Carnuto admovet, cingitque tam arctè, vt subsidia à Chatrio submissa penetrare nusquam valuerint. Eam porro vrbem appetierat Rex, quæ magni momenti fœderatis erat, cùm haberet Belsiam in potestate, & Lutetiæ horreum censeretur quodammodo; atque adeo capta, Regias partes existimatione erigeret, fœderatas deprimeret, ac novum quoddã Turonibus à Cardinale Borbonio institutum consiliũ discuteret ac difflaret. Rari milites vrbem propugnabãt, cum Bourdeserio Præfecto duo dumtaxat Nobiles; sed ciues zelo religionis ad tria millia arma induerant, ac spe tutelæ Beatissimæ Virginis militum munia obibant fortiter. In castra Rex venerat, verberabátque vrbem ad portam; qui locus cùm munitissimus foret, frustra vis tormentorum adhibita, & fuit Regi opperiendum per dies plusculos, donec Dieppa pulvis mitteretur. Sic producta prætet spem obsidio, acerbitas hyemis, ligni penuria, cum Regios milites divexarent, ex consilij sententia Rex statuerat obsidione discedere. Vnus Chiuernius Cancellarius animum ad perstandum fecit; huic enim quia conducebat oppidum capi (nam in ea Prouincia facultates habebat opulentas, & Prætor erat Aurelianensium & Carnutensium) occurrebant ad idem capiendum spes & consilia. Ille igitur inducta magna commeatus in castra copia, & mutata verberatione, vrbem inferiorem quà amnis alluit tormentis peti curat; nec cunctatur Rex post aperram labem aggredi impressionem. Verùm & ea parum prosperè cedit, cives fortissimè irrumpentem pellunt, ad murum cuadere iussus miles non potuit; aduolant Tribuni, Centuriones, & volonum multi; eorum sexaginta cæduntur, longè plurimi sauciantur; dum conturbatus Rex tanta fortiũ strage, abscedere iubet ab impressione. Repetitæ iterum impugnationes

La Bourdaisiere.

cum

cum repellerentur, æstuarétque Rex consilij inops; machinam comminiscitur Castillionius, Mathematicarum peritus, qua peruinceret contumaciam ciuium; scilicet pontem ab telis hostium tectum, qui amnem iungeret; militémque ad ruinam muri nullo periculo duceret. Postquam ea machina perfecta est, atque aduecta, Carnutenses deiecti animo, paciscuntur deditionem, nisi Maynius intra octiduum opituletur obsessis. At ille Theodorici castrum obsidebat, quod ad Matronam oppidum est, cóque se conuerterat, deposita spe Carnuti seruandi; atque oppidum quidem vi expugnat sed neutiquam misso auxilio, Carnutenses Regi vrbem tradunt; luculentâ annonâ & pecuniâ multati, in contumaciæ pœnam, præfectura vrbis Sourdio data, exercitus tribus hominum millibus imminutus, vt se instauraret, in hiberna missus. Post eam expeditionem aliquandiu bellum intersistit, & armis quiescentibus pugnatur consiliis. Villaregius non bona Maynij fide Regem appellauerat de pace, mox solutis colloquiis, Maynius Rhemis agit cum Lotharingiæ Duce, Sabaudo oratore, & Cardinale Pelva, vt de communi re consultarent, præsertim quem Franciæ Regem nuncuparent. Cùm eam prædam appeterent singuli, necdum tamen eius rapiendæ maturuisset occasio, consensu omnium re prolatata, decernitur Ianinus Præses ad Hispaniæ Regem Orator, qui fœderatis Catholicis opem imploraret, impetrarétque tam validas copias, vt semel omnium conatu exigeretur Nauarræ Rex, atque hæresis obrueretur. Erat Ianinus percaratus Maynio, singularis prudentiæ, iusti cupidus & æqui amantissimus. Ille cum Philippo colloquutus, & exaggerato fœderis, ni succurratur periculo, ad Ioannem Idiacum de re tota actutus dimittitur, à quo tandem de Philippi mente certior fit, eum iam in fœdus immensam pecuniam expendisse, minus iustum esse, vt in aliena commoda effusus, sibi suóque regno officiat. Adiungebat Idiacus, regnum Franciæ deberi Isabellæ Philippi filiæ, quæ ex Valesiorum stirpe nata esset, eam nupturam Ernesto Archiduci, Belgio in dotem dato, Reges Franciæ appellandum vtrumque, magno ipsius regni incremento, cui accederet Belgium; tum ipsum se omni ope enixurum, vt Benearnius cæterique hostes pellerentur. Ad ea Ianinus modestè Salicæ legis impedimento proposito, spem tamen multam à Maynio facit, impetrátque decem aureorum millia Maynio singulis mensibus danda, præter copias, quas Philippus promittit, ad pellendum Nauarrum. Sic Ianinus regreditur in Franciam, explorato Hispanorum consilio, docétque Maynium, quantùm in lubrico ageret, cum hinc inde tam socius, quàm hostis ipse vrgeret.

De Sourdis.

De Pelue.

Ianinus in Hispania.

Idiaques.

Dum ea Hispanus consilia agitat, nouam etiam machinam ab ipsa Roma in Regem intentat; ea Gregorius XIV. Pontifex maximus. Anno præterito Sixtus Pontifex mentem & gratiam abalienarat à fœdere: Pinæo ab Regiis Catholicis legato Romam veniendi facultatem fecerat, Legatum vetuerat, eosdem Catholicos ne interdiceret sacris, & Oliuarium Oratorem Hispanum, vehementer instantem, vt Nauarro omnem spem regni adimeret, à se multa indignatione exegerat. Is iam alienus à fœdere, haud multò post, primùm correptus febricula, deinde morbo grauiore

XV.

Diplomata Pontificia in Regem.

HENRICVS IV.

grauiore, extinguitur, ætatis anno septuagesimo; vir amplissima mente, quam summum fastigium non implerer. Ea morte Caietanus Legatus, veluti absoluto munere, discedit è Francia, Philippo Sega Placentino Episcopo in suam vicem relicto; móxque comitiis Cardinalium dicitur Pontifex Vrbanus VII. Ioannes Baptista Castagneus Genuensis, qui cùm die post electionem decimo tertio, obiisset, pompa Imperij per somnium delibata; suffectus est Cardinalium calculis, Nicolaus Sfondratus Mediolanensis, qui Gregorius eo nomine XIV. nuncupatus est. Ille haud dubiè fœderatis, & multò magis Hispanis addictus, contra Sixti sensum, in eorum partes totum se inclinat. Ac post solutam obsidionem Lutetiæ, ad Parisienses litteras dederat, solatus miseriam & collaudatâ constantiâ; tum alias ad Segam; quibus studium suum testabatur in Franciam, maximè in Parisienses, in quorum tum defensionem, tum solatium ob priora incommoda, designauerat numerosum exercitum, atque in singulos menses quindecim nummorum millia, in eiusdem vrbis opem impendenda. His præmissis, duo in Regem instruit fulmina, alterum sacrum, profanum alterum. Primo Martij gemina promulgat diplomata, quæ Monitoria vocant, vno Præsides & Ecclesiasticos Franciæ interdicit sacris, nisi decimo quinto post die, recedant ab obsequio, comitatu, & terris Henrici Borbonij; eosdem intra dies proximos quindecim, beneficiis spoliat, eodémque Regem hæreticum & relapsum dicit, ideo regnis & ditionibus orbatum: alterum diploma perscribebat ad Laicos, hortatus similiter, vt Henricum desererent; sin minus id agerent, paternam clementiam in seueritatem Iudicis conuersurum se minabatur. Tum cuso eo fulmine, alterum apparat. Indicit delectum, quo scribuntur Heluetiorum sex millia, Italorum duo, ac mille equites; iisque ducem dicit Herculem Sfondratum neporem ex fratre, quem magna pompa Montis Marciani Ducem appellat. Porrò ad ea omnia suppetebat ærarium, in quod Sixtus congesserat auri quinquagies centies millia. Dum copiæ instruuntur, missus in Franciam Landriacus, qui afferret diplomata atque promulgaret; isque postquam Maynium, Rhemos conuenit, ea per Franciæ vrbes, typo cusa vulgat, & in ipso Regis cubiculo clam deferri curat. Verùm id fulmen detrimentum Regi nullum grauius intulit. Extemplo Curia Senatus quæ Catalauni sedebat, exurgit, ac diplomata decreto abrogat; pœna in Landriacum nuntium dicta, ac Rex postmodùm euocato & audito consilio, edictum promulgat, quo de Gregorij credulitate conquestus, qui inauditum se sententia tam atroci percelleret; ac testatus sibi animum esse, Catholicam fidem tueri ac seruare illibatam, diplomata remittebat ad Curias Senatorum, qui iuxta regni leges de iis statuerent; atque adhortabatur Cardinales & Præsules Francos conuenire extemplò, vt prouiderent iuxta Canonum decreta; ne quid detrimenti pateretur Ecclesia Gallicana. Id edictum corroboratur statim à Senatu Turonensi, qui iuxta decretum Curiæ Catalaunensis abrogat diplomata, adiunctis in ipsum Gregorium acerbissimis verbis, & Clerus per Legatos Meduntam conuenit. Sed lentiùs in eo cœtu res procedebat, ob arcanam Cardinalis Borbonij conspirationem. Ille Cardinalis Borbonij

Gregorius XIV.

Miles Pontificius.

Cardinalis Borbonij cupiditas.

hæres,

hæres, ante Vindocinensis, nunc eodem nomine Borbonius dictus, fratris Suessionensis impulsu, spem regni alebat, & ante Turonibus haud paucos è Catholicis conciliauerat, in spem suam vrgendam; mox ab ea aliquantisper auulsus, Rege in consilia penetrante, dissimulabat quidem ambitionem, sed Regis votis intercedebat, altercando & vtilitatem Ecclesiæ præ se ferendo. Dum res cunctatione Præsulum trahitur, Medunta à Maynio propemodum occupatur; eámque ob rem Rex tum Præsules, tum Consiliarios Carnutum ire iubet, tutiorem in locum. Qua tandem in vrbe, frustra repugnante Borbonio, statuitur à Præsulibus, diplomata nulla & iniusta esse, atque ab Regni hostibus suggesta; contestantur tamen, se ab obedientia sanctissimæ Sedis nusquam abscessuros. Et quidem Borbonius adiungi curauerat, vt à Præsulibus mitterentur ad Pontificem oratores, sed eam legationem prohibente Rege, Borbonius secessit in priuatos lares. Nec alterum intentatum à Pontifice fulmen, ac nepoti traditum, maiori damno Regi fuit, vt constabit statim. Imò nec diplomata prohibuerant Regem, quin edictum in Hugonottorum gratiam conderet; quod illi iam ante vehementer efflagitauerant; quo edicta in eos annis huius seculi octogesimo quinto, & octauo scripta, abrogarentur; reliquis prioribus reuocatis, adiunxítque vt in rem præsentem id obseruaretur, dum Rex de religione caueret accuratiùs. Et ipse per ea consiliorum certamina, bellum identidem repetebat. Nam Louuerium vrbem eo tempore opulentam in Normannia, per arcana consilia occupauerat, Birone inuadente; ac Noniodunum in Picardia ceperat, spectante Maynio, cum vniuersis copiis fœderatorum; magno incremento ad Regis potentiam & gloriam accedente. Ac dum is ad excipiendum Germanicum exercitum properat; ad Sabaudiæ Ducem conuertendus est stylus, in Phocensibus & Delphinatibus spem primùm, mox cladem & ignominiam promouentem.

HENRICVS IV.

Louviers. Noyon.

XVI.

Is, postquam ciuile bellum Franciam miscuit; ac cæsis Guisiis, in præceps omnia ruere videbantur, naufragæ nauis rapturus spolia, prouincias suis finibus adiectas cupiditati suæ sepositerat; Delphinates, & Phocensem Prouinciam. Eæ quoniam Arelatense regnum constituerant olim, atque in id regnum quædam iura intermortua suscitabat, censuit non omittendam opportunitatem; nec teneri Salussios commodiùs posse, quàm si repetendi detraheretur facultas; eamque spem contracta cum Hispano affinitas alebat plurimùm: Nam Catharinam Philippi Regis filiam vxorem duxerat. Post necatum Regem, ad Senatum Gratianopolitanum miserat oratores, qui coronam sibi flagitarent, qui è Francisco magno oriundus esset; ac responderant integerrimi Senatores, deliberationem eiusmodi spectare ad regni Ordines vniuersos, orare se interim ne tranquillitatem prouinciæ perturbatam velit. Ea spe repulsus, ad Phocenses se vertit; quos nouerat zelo Religionis vniuersos propemodùm abreptos fœderatorum ardore. Primùm optimatum animos inuadit pecuniâ, spargítque auri sementem vbernimam Massiliæ & Aquisextiis, quæ duæ vrbes summæ auctoritatis, obsitum altera, altera ob Senatum, perducerent cæteras in sententiam suam. Erant præterea duo in Phocensibus momenti amplissimi, vir & femina;

Sabaudiæ Dux i. Prouincia Phocensi.

HENRICVS IV.

De Carces. De Sauit.

Comes Carcensis, & Comitissa Saltia; quos Sabaudus partim pretio, partim spe regiminis sibi addixerat. Comitissæ erat nomen Christina Aguerra, nuper Agoutio Comiti Saltio nuptæ, ac vasti spiritus, ingens animus, capax curarum virilium; eáque se ad Sabaudum applicuerat, cuius nomine & pecuniâ nixa, vsurparet regimen, tenerétque imperium; nec enim permitteret ad ipsum auctoritatem totam deriuari. Idem erat sensus Comitis Carcensis, qui Prorex dictus à Senatu, eiusmodi fulcrum appetebat, quo ipse dominaretur, nec Dominum vsquam arcesseret. Sic per eos Sabaudus, & per aurum effusum Masiliæ Magistratus conciliauerat; qui cives aliquot Regi fidos, Villagios, Viasios, Pennas, & Arenas vrbe expulerant; similiter è Senatu Aquensi plurimos in suas partes adduxerat; tam incensis omnium animis, vt vocatis comitiis, designati sint Oratores, Rastellus Episcopus Rhegiensis, & Ampusius Consul primarius, qui Sabaudiæ Ducem conuenirent, vocaréntque ad defensionem Prouinciæ; Senatus addidit; vt Regiorum facultates (eos Bigarratos quasi variegatos nuncupabant) fisco addicerentur. Ita bellicum in Prouincia canitur, Carcius auctoritate Senatus delectum habet, & statim Sabaudus Comitem Martinengum mittit cum copiis, dum ipse ad certissimam prædam se comparat, & Genevensi bello se expedit, quod moram cupiditati necessariam faceret. Regiæ partes in tanto discrimine solo Valetâ fulciebantur, qui vnam industriam suam & fortitudinem opponens tot hostibus, atque evocato cùm necessitas posceret Lediguerio, sustentabat bellum, ac retundebat furorem impetus; & Manoscum secesserant aliquot Senatores, qui Regis auctoritatem decretis suis defenderent. Interea Sabaudus, omissis Genevensibus, misso ad socerum Philippum Legato, spem amplam, & certam opem ad Prouinciam inuadendam adeptus, dum apparantur copiæ, ab Niciensibus primò Foroiulium venerat, dein Draguinanum, & progressus cum milite, plura per iter oppida expugnabat; donec occurrentibus Oratoribus qui referrent Comitia, rogatus Aquassextias venire, equis veredariis, paucissimis comitantibus, in eam vrbem accurrit: Exceptus incredibili optimatum & populi plausu, in Senatu sedet admittitque Prouinciæ regimen sub titulo Proregis, sub Corona Franciæ. Ea dignitate auctus, Salonium aggressus, oppidum capit, & habet per hyemem Comitia Aquissextiis. Mox ad Massiliam animum applicat; Ampusius consul ipsi addictissimus, cæsus ad Tarasconem erat, dum eam vrbem occupare, per arcana consilia nititur; Carcius ab eodem Valetæ industriâ avulsus, maiori damno quàm fructui erat; vna supererat Saltia, quæ profecta Massiliam, cùm primò à Consulibus magno vitæ periculo pulsa esset; deinde per Casaucium, turbulentum & potentem civem excitata clanculum factione, consules inuicem pellit, viámque Duci sternit; qui vrbe magnificè exceptus, iam inexpugnabilem potentiam ratus, ad abigendum Valetam, is vnus adhuc surgebat scopulus, solicitudinem adhibet. Id vt perficeret, Martinengo Berram oppugnandam mandat, dum ipse magna celeritate, in Hispaniam properat, instructurus præsentia sua subsidium. Et quidem Valeta adiuncto Lediguerio Berrâ Martinengum depulerat

Ampus.

Bigarrats.

La Valete.

Salon.

Casaux.

Berre.

depulerat, eo ad Sparonem pagum profligato, & munimenta ad Berram erecta euerterat, sed Lediguerio ad pellendum Nemursium reuocato, Berram immitti commeatus nequiverat, & Martinengus obsidionem instauraverat. Dux interea regreditur ex Hispania, cum triremibus quindecim, vecto amplissimo commeatu, ac mille Hispanis, quos vbi ad Cieutatem exposuit, pergit Massiliam, & exclusis portu triremibus, comitatu paruo admittitur. Eam vrbem Casaucius priuata tyrannide obtinebat. Quippe vir omnibus vitiis ad tyrannidem præditus, ambitione, audacia, & crudelitate, quam pro Sabaudo obtinebat potentiam, degustato semel imperio, traducit ad se leui negotio, & stipatus facinorociss imis viris, quibus publicæ calamitates pro reditu sunt atque stipendio, optimum quemque repugnante nullo perimebat; atque obiecto per calumniam nomine vel hæretici vel Bigarrati, tollebat passim aduersarios; stabilita, per metum omnium, auctoritate. Ille Sabaudum in odium plebis induxerat, testatúsque se vrbem Regi Catholico, quem Franci dicerent conseruare, idque sibi imperatum à Maynio, Sabaudi potestatem everterat, suam erexerat; nec ipsi admisso præter hospitium quidquam in vrbe permissum est. Sabaudus dissimulata iniuria, missisque Genuam ad minuendam suspicionem triremibus, Aquassextias venit; & continuò ad Berram capiendam vertit curam solicitè. Primùm Carceus (nam ad Sabaudum Saltiæ industriâ rursum transiverat) civium consilio, noctu in vrbem trecentos pedites & centum ac viginti equites immittit; qui adiuncti civibus vrbem captam inclamant, & victoriam Duci. Mesplesius oppido præerat gente Bearnius fortissimus vir, & audentior magnitudine periculorum; is paucissimis militibus cinctus, nam ad eum decem dumtaxat duodecímve convenerant, eosque ad honestæ mortis laudem cohortatus, in hostem hastam puram præferens ducit, & beneficio noctis paucitatem occulens, eámque voce & dextrâ emendans, in obvios ruit; quorum duce cæso, cæteri perterrefacti, atque numerum expugnantium animo reputantes, aguntur in fugam, & vrbe pelluntur. Fraude victa, vim totam Dux adhibet. Quatuor hominum millibus, mille quingentis equitibus, & tormentorum verberatione continua, oppidum muris nudum propemodùm, fossa destitutum, fame & inediâ oppressum, infrequenti milite propugnatum, post geminas impressiones, quas Mesplesius fortiter dimicans fregit, obtinet tandem deditione; per quam præsidio incolumitas pacta. Et Mesplesij fortitudinem Dux admiratus, egredientem pollicitis muneribúsque aggressus, vt sibi adiungeret, postquam virum ab officio demovere non potest, equum Neapolitanum dono mittit, & quatuor aureorum millia collo equi appensa; fidei præmium accipienti, quando pretium mentis esse non poterant. Potitus Berra Dux cæteras vrbes cupiditate vorabat, iámque Arelaten admissus Biordi ciuis perfidia, nihil votis metuebat contrarium; cùm ipsa Berra pro discordia est & votorum scopulo. Etenim eam vrbem restituere Saltiæ ex pacto debuerat, quam cùm retineret, femina contemptus impotens, præsertim Valetâ clam fomitem subiiciente, Aquisextiis civem in ducem inflammat, curátque ipsi infensos

HENRICVS IV.

Cieutat.

Berra reddita.

Mesples.

Pertuisane.

Consules dici. Dux ad preces Aquensium castrum Puechium oppugna-
HENRICVS IV. bat, & è vestigio Aquas festinans, abdicat Consules, nouos creat, Sal-
tiam cum Crequio filio quem ex priore marito susceperat, in custodiam
Puech. tradit, ac diligenter inuigilat seruandis vrbibus. Frustra tamen impensa
vigilantia. Saltia primùm cum Crequio fallit custodiam, Helmetij cum
producta barba vestem induta, ac filio in rusticum ficto; continuóque Mas-
siliam profuga, Casaucium ciuesque cæteros in Sabaudum inflammat, &
arrepta occasione Casaucius, expugnaturus omninò morientem Ducis au-
Meolhon. ctoritatem, triremem eius capit, Meolhonium eiusdem Legatum cœnobio
Sancti Victoris tormentis depellit; ac Consul dictus cum Ludouico Axio
tyrannidem firmat ac stabilit. Accesserunt ad obruendum Ducem infau-
stæ bello expeditiones; nam Puechi obsidionem soluit, post tormenta
Dair. quater millies explosa, & Dianiam à Lediguerio & Valeta passus est capi,
& ad Vinonem, immunitum pagum repulsus à Mespleso, à Valeta in
fugam actus est; vt iam oppidis plurimis deficientibus, se intra Arelaten
concluserit, mox tota prouincia exigendus; spe inani, plausibúsque po-
puli instar auræ euanescentibus, & immensis sumptibus dolorem & igno-
miniam parientibus.

XVII. Magnum momentum ad Ducem frangendum fuerat Lediguerij victoria
Pugna ad Poncharram. in Delphinatibus reportata; Amedeus Caroli Emanuelis frater nothus,
exercitum ex Sabaudis scripserat, adiunxerátque validas ex Hispanis Ita-
lísque copias, Hispanis præerat Oliuara, Dux multi nominis, rebúsque
Beljoyeuse. gestis supra modum confidens; ducebat Italos Beljoyosa Comes; erántque milites ad decem millia; quibus Amedeus Moretellum castrum ad Isaram oppugnabat. Ad eius expeditionis famam Lediguerius; cùm de Gratianopoli ac de tota Prouincia ageret [illegible], iámque Gratianopoli ex Regiis multi abscessissent; relicta Prouincia in Delphinatum festinat, adducítque Mespletium cum septingentis militibus, simulque è Delphinatibus militem conuocat. Amedeus ad auram aduentus, soluta obsidione, Poncharram recesserat, qui in Delphinatu pagus est, admotus ad Sabaudiæ limites; agrósque proximos castris implebat. Nec cunctatus Lediguerius præmissis Murco & Morgo, qui tentarent hostium vires, cum reliquis copiis, & erant quatuor hominum millia, ad hostem contendit. Ipsa die castrorum situm speculatus, vt peritissimus erat militarium rerum, in tugurium redux, ordinem pugnæ charta descripsit, quam in consequentem diem apparabat, & indubitatam victoriam suis pollicitus, alacritate duces incendit. Eo sermone cum obiicerent duces turmas hostium constare ex lancearijs, quos ipse nullos haberet in acie; lancearum vsum eleuat verbis, affirmátque se vno ense in quemlibet lancearium pugnaturum. Neo
Anno 1591. verbo res defuit. Die orta quæ Septembris fuit decima octaua, disponit ad pugnam copias, Amedeo atque Oliuara explicantibus in ampliſſimis pratis totum exercitum, & hic pridie in Lediguerium multa iactauerat, irrisá militum paucitate, atque victoriam ex inani fastu præsumpserat. Verùm palmæ statim forti facinore præludit Lediguerius; quippe cùm hostium dux demissa lancea extra ordines solus procurrerer, Lediguerius

vetans

vetans ne suorum vllus se moueret, ac memor quantùm pridie lanceārum vsum abiecisset, facto verba sanciturus, in ruentem progreditur, & currentem vestigio fixo opperiens, ense stricto lanceam amouet, eumdémque in decurrentis equitis buculam immergens, cæsum humi sternit, prælibátque victoriam. Tum hostis equitatum adducit ad prælium, primóque impetu non ignauè pugnat; sed extemplò, cùm dispositi ad latera sclopetarij, in eos grandinem ferream funderent, deflexo paulùm cursu, pluribusque agminibus in vnum collectis, terga vertunt, & citato cursu fugam arripiunt. Pedites destituti ab equite post leuissimam dimicationem, & ipsi cæduntur; passimque per campos fuga & strages hostem pellit & sternit. Amedeus equo Mommelianum obtinuit, Oliuara diu fuga inter siluas sparsa, delituit; Belioyosa cum duobus Italorum millibus in Aualonem castellum proximum se receperat, mox se vincentium arbitrio tradens. Eâ victoriâ præda ingens parta, ducentis nummorum millibus æstimata, triginta peditum signa, & vexilla aliquot capta; præter cæsa hostium quatuor millia; tam leui iactura eorum qui vincerent, vt tres dumtaxat milites desiderati multi scribant; quamquam centum cæsos affirmat Expillius, qui pugnæ interfuit: idque militaris scientiæ operæ pretium fuit; qua Lediguerius præstantissimus, sic dispoſuerat copias, explorata antè hostis ignauiâ, vt victoriæ ambiguitatem omnem detraxerit. Atque illicò victor cum Mesplesio in Phocensem prouinciam aduolat; impigerrimus vir, cui bellum pro otio, castra & expeditio pro voluptate & quiete forent. Ea Regi faustè nuntiata, dolorem sopiunt geminum, ob vnius libertatem & necem alterius. Quippe superiori mense Carolus Dux Guisius, se in libertatem iusta fraude vindicauerat. Arctè in Turonensi castro custoditus, citharœdi opera sericum funem nactus, quem in ipsam cytharam Lyristes indiderat, eóque luce palam per fenestram dimissus, dum custodes prandent, ad amnis ripam cursu prouecto, tandem in paratos equites incidit, saluúsque ad Chastrium excipientem euadit. Id quamquam Regi molestissimum accidit; tamen molestiùs tulit Noüæ mortem; cuius fidei, peritiæ, & fortitudini fidebat plurimùm. In Britanniam ad Principem Dombensem eum Rex miserat, qui adolescentis Principis militiam regeret, & Lamballam arcem oppugnabat Princeps, cum aperto per tormenta muro, ad ruinam propiùs inspiciendam, Noüa ipse scala inscensa se prodit hostibus; ac repente sclopeto explosо, ac per glandem saxo in spectantis frontem illisо, scalâ deiicitur, ac cæco vulnere post aliquot dies expirat, anno ætatis septuagesimo, magno Regis luctu; qui cùm viros optimè omnium nosset, ciusmodi iacturas pernicioſissimas omnium ducebat; cum vrbes recipi, pecunia reparari posset; viros semel raptos mors nunquam redderet. At Regem paulò post Rothomagensis obsidio totum abripuit, quam narrare ante quàm aggrediar, Parisiensium atrocissimum facinus exequar stylo.

HENRICVS IV.

Aualon.

Guisij libertas.

Noüa mors.

XVIII.

Diu inter Maynium & sexdecim viros serpebat discordia; vna discordiæ causa imperij æmulatio atque consortium. Quippe Maynius impatienter ferebat, ciuium turbam ac propemodùm fæcem, in auctoritatem

Sexdecim viri cadè in Senatum grassati.

HENRICVS IV.

summam assurgere, sibi pares plebeios viros incedere, imò in plurimis superiores partes ambire & rapere; quamobrem eam factionem verbis deprimebat, spoliabat auctoritate atque potentia, & ad eam infringendam opperiebatur articulum. Ij contra, vt se in eius potentiam tutarentur, confugiebant ad singulas aras; primò Nemursium tollebant in cœlum, cuius vigilantiâ liberati ab exitio fuerant; mox ad Guisium nuper missum custodiâ verterunt animos, quódque Rex ipse post libertatem Guisij prænuntiarat, opponebant nepotem patruo, facilè anteposituri, si se occasio daret. At cùm ea subsidia incerta admodùm & remota forent; intus Hispanorum opem sibi adsciuerant; eorúmque auro iam deuincti, quibus fidem operamque addixerant, & freti auctoritate in famosum scelus assurgere audent. Iam querelas acerbissimas in Maynium absentem proposuerant; iam Gondium Cardinalem Episcopum Parisiensem vrbe exegerant; quod pacis studiosior, ciuibus insinuabat concordiam; iámque perscripserant ad Hispaniæ Regem, orantes vt Franciæ coronam caperet, & regno afflicto Regem è sua stirpe imponeret; cùm impellente Placentino Episcopo, comminiscuntur Vnionis novum iusiurandum, quo secreti ab factione sua Politici (nam ita Regi fidos nuncupabant) vrbe similiter pellerentur. Eo iureiurando omnes Regij sanguinis Principes coronâ excludebantur. Ista dum coquunt, vna res improuisa lentum furorem in Parlamentum ipsum incendit. Brigardum Parisiensem civem sexdecim viri apud Senatum quasi perfidiæ & proditionis reum detulerant, eiúsque necem cupidissimè ambiverant, pro concepto in eum odio, quoniam olim addictissimus Guisiis, in Politicorum partes transierat. At cùm is Parlamenti sententiâ dimissus esset, tam pœnæ quàm culpæ immunis, furiosi accusatores in Senatum ipsum insurgunt. Inflammatissimi inter eos erant Cromæus in ampliori Curia consiliarius, Pelterius Parochus Sancti Iacobi, Hamilto Sancti Cosmæ Parochus, Gardinus, Bruyera, & Caunæus; ij coniurato Brissoni exitio, qui Senatus Princeps erat, & existimatus in Regis causam proclivior, ita telam texunt, vt cives in consilium vocati, inscij ipsorum furori assentirentur. Nam cùm dicerent esse haud pauca, quorum necessitas, tam multos in deliberationem vocari non sineret, decem constituunt, qui referrent in eiusmodi rebus omnium auctoritatem, tum Bussiclericus nouam comminiscitur fraudem; puram chartam profert, in qua Vnionis sacramentum perscriberet, & quoniam spatium perscribendi non erat, in eadem charta curat evocatos cives sigillatim chirographum apponere; tum deinde in arcano decem virorum consilio, supra chirographa sententiam in designatos reos conscribit. Tres è toto Senatu designati, tum ob priuatas Cromæi inimicitias, tum quia crediti partibus Regiis addictissimi; Barnabas Brissonus Princeps Senatus, Claudius Archerus Senator, & Ioannes Tardifus in Castelleti Curia consiliarius, & hic postremus, quia Nivernensi erat percarus. At cùm eos tollere per occultas insidias primò statuissent; mox apertis indiciis palam grassari furore aucto constituunt: ac per summum scelus, iustitiæ formam & speciem ad facinus longè iniquissimum adhibere. Et eo consilio, decimo

Crome.

Bussiclerc.

L'Archer. Tardif.

quinto

quinto Novembris; secunda ante lucem hora, Bussius, Louchardus, Aurousius comitantibus pluribus Brissonum venientem in Curiam apprehendunt, atque in Castelleti carcerem abducunt; similiter Choulerius alia turba cinctus Archerium capit, Hamilto Tardifum, & in eundem carcerem compingunt. Nec furor conceptus moram sceleri fecit; illicò Brissonus coram Cocherio vno ex sexdecim viris sistitur: ac de pluribus interrogatus, quasi cum Rege consilia iniisset, cùm se egregiè tueretur, prorumpit Cromæus, ore vesaniam proferens, ac sententiam mortis innocentissimo viro pronuntiat, tanquam reo læsæ maiestatis, tum diuinæ, tum humanæ. Exclamat vir consultissimus, peccari in iuris & iustitiæ formulas, inquirit quis sibi litem intenderet, quod crimen, qui testes, quis iudex: illi immoti clamoribus moriendum pronuntiant; móxque supplicem aspernati, ac rogantem vt breve spatium indulgerent, dum in ipso carcere librum de formulis iuris absolueret, iubent se extemplò ad mortem parare, ac vix quadrante horæ ad deponendas Sacerdoti noxas permisso, ad ipsius cubiculi fenestram carnificis manu strangulatum appendunt; virum doctrinâ & eloquentiâ celebrem, de litteraria re optimè meritum, vt scripta testantur, sed cupidiorem primariæ dignitatis, quam vt obtineret, fœderatis primùm addixerat se, mox vt retineret in Regem conversus; nescius quàm periculosè duobus equis innititur, qui decurrit in stadio. Mox Archerius & Tardifus ad eius latera fractis faucibus iussi pendere, & eorum cadavera nuda postridie palam in Greua, affixa patibulis. Eo flagitio vt terrorem sexdecim viri cunctis iniecerant, atque erexerant iacentem potentiam, ita ipsi mutuo metum conceperant; quando magna scelera, dum patrantur cæca sunt; perspicacissima, cùm patrata sunt. Iámque Maynius post diuturnam deliberationem, lætus admodùm, eò inimicorum furorem ruisse, vt necessariam pœnam arcesserent, aduentabat Parisios; nec ipse protsus periculo immunis, cùm haud pauci inflammarent reos; ad implendum facinus, quod affecerant, dimidiatum peccatum pœnæ obnoxium; cumulatum, impunitati & præmio, asserentes, & Brissoni necem vna Maynij cæde defendendam; sed vel scleratissimis columnas aliquando ipsum scelus figit, nec mortalium improbitatem, semper Deus sinit scandere in apicem. Igitur Maynius postquam vrbe frequentissimo populo est exceptus, ac mente dissimulata, de ratione inferendæ pœnæ deliberat: primùm à Bastilla cœptum aggreditur, eámque Bussiclerico eripit. Tum adhortatus Senatum vt reos iusto supplicio plecterent, cùm ij seditionis metum excusarent, rogarénteque vt ipse in iustitiæ tam immanes violatores lentas iustitiæ formulas non adhiberet, quæ potentibus securitati potiùs quàm terrori essent, persuasus; postquam blandimentis variis eorum trepidationem illusit, eosdem solus scriptâ sententiâ morte damnat, munúsque Vitrio exequendi dat. Novem lecti ex pluribus, quorum pœna patrato crimini satisfaceret, vetarétque novum; ij Cromæus, Crucæus, Cocherius, Launæus, Bussiclericus, Aurosius, Emonotus, Aumelinus, & Louchardus. Summo mane postremi quatuor quos memoraui, capti & ad Luparam ducti, iubente Vitrio,

HENRICVS IV.

Auroux.

Brissoni cædes.

Grieve.

Sexdecim viri pœnas asserti.

HENRICVS IV.

Vitrio, illicò à carnifice trabi appenduntur; cæteri fugâ elapsi sunt; Bussiclericus per tegulas vno tectus indusio fugiens, postquam diu latuit, clam in Belgium fugit, prima laniſtæ arte repetita, cùm ex tanta præda nihil præter inopiam retulisset. Crucæus Mompensetiæ precibus datus est. Reliquis à Maynio parcitum, sed graui pœna veritum, ne in priuatos cœtus ciuis conueniret, maximè qui sexdecim viros se dicebant. Quo supplicio terribilis illa tribunorum plebis factio sic debilitata est & contrita, vt in posterum malum illi in votis potiùs quàm effectu fuerit. Deinde Maynius quatuor diadematos Præsides in Senatum intrudit, Charterium, Haqueuillam, Nuillium, & Ioannem Magistrum, per quos in amplissimo illo consessu auctoritatem suam propagaret. Quâ domi constitutâ, ad obsidionem Rothomagensem quam Rex instituerat, liberiùs curam & operam vertit.

XIX. *Obsidio repetita.*

Etenim Henricus post captum Nouiodunum, suscepturus rem maioris momenti, præstolabatur sociorum auxilia; cùm Comes Essexius ab Elisabetha missus eum conuenit, facítque certiorem tria Anglorum millia vecta esse in Picardiæ littus, & sua mandata ad executionem opperiri; simul à Vicecomite Turenio litteras accipit, Germanicum exercitum transmissum vltra Rhenum, & in agrum Metensem propediem affuturum. Itaque Birom data prouincia Anglorum excipiendorum, ipse cum caraphractis octingentis, & sclopetariis equitibus trecentis ad Germanos proficiscitur. Ij erant equites quinquies mille quingenti; pedites vndecies mille; scripti a Principibus & ciuitatibus Protestantibus, Saxone, Brandeburgio, Hessio & Palatino; impensis Elisabethæ & curâ Turenij, cuius diligentiæ delectus ille erat tribuendus; quanquam penes Analthinum Principem erat imperium. Postquam Rex duces & milites dispositos in aciem salutauit, per agmina singula discurrendo; duxítque Virodunum prouocatum hostes; nam in eam vrbem Duces Lotharingus, Mayuius, & Monsmarcianus contraxerant copias, nec hostium vllus vrbe se mouet, regressurus in Franciam, rem momenti magni constituit. Catharinam Bullionij Duciſſam plures & nobiliſſimi proci appetebant; Duces opulentiſſimi pro filiis quique; Mompenserius, Lotharingus, & Niuernensis; verùm postulantibus repugnabant & adiuncta à moriente Duce conditio, vti hæres soror esset, si viro Hugonotto nuberet; atque vtilitas Regis, quæ dotem tam opulentam dari Principi cæteroquin potenti non sinebat. Eapropter Rex Turenium in eas nuptias selegit, qui cum sponsa de fide sentiret, cuiusque ditio & facultates in Lemouicibus positæ, longè à Sedano, consiliis intercederent, si qua vnquam in Dynasta prævalido oborirentur; præterea fortissimi viri fidei atque ærumnis honestum præmium grato in officia animo constituebat; atque vt coniugium maiori dignitate obtineret Turenius, eum Franciæ Marescallum dicit. Atque is sponsæ donum dignum suo genio conciliaturus, scalis applicitis Sthenæum validam vrbem Lotharingo eripit, claues nuptæ in sponsalitia offerens. His compositis Rex ad obsidionem Rothomagi totum se impendit. Eam vrbem tantis copiis expugnandam susceperat, tum ad preces Elisabethæ, quæ eam in rem opem.

Turenius Dux Bullionius.

opem subministrabat, verita ne Hispani aut fœderati occuparent Prouincias ad mare positas, vnde facilis in insulam suam transmissio; Bataui in idem consilium classem promiserant; vrbes cæteræ Normanniæ Regi eam in rem instabant vehementiùs, magno commeatu ad expeditionem instructo; nec ab ea aberat Regis vtilitas, quando capto Rothomago, cuderentur Lutetiæ compedes, & necessaria inferretur captiuitas. Porrò Maynius ad hostilis exercitus famam, non dubius quin Rhemi aut Rothomagum obsiderentur, primùm Virodunum venerat, ad excipiendas Pontificias copias. Nam illæ Duce Montemarciano per Insubres in Sabaudiam profectæ; mox per Sebusianos & Sequanos Virodunum tenuerant, imminutæ multùm & debilitatæ, tum viarum difficultatibus, tum contractis morbis; simúlque Maynius copias à Parmensi flagitabat, Rhemis ipse propius inuigilaturus, ac filio Aguilonij Duce Rothomagum misso. Mox in eandem vrbem venerat Andreas Villarsius è Brancasiorum familia nobili, ductis in præsidium mille cataphractis, ducentis equitibus sclopetariis & peditibus mille & ducentis, idémque in periculi & gloriæ partem non admissurus consortem Aguilonium ad patrem remiserat; mox sedulo in annonam conuehendam, erigenda locis commodis munimenta, & roborandos ciuium animos, strenuitate magna incumbens. Iam Biro cum Anglis se ad vrbem admouerat, diúque hæserat, nulla re tentata, præter aliquot velitationes, Essexio insuper prouocante ad singularem pugnam Villarsium; quam cùm ille obire excusaret, quod summum vrbis Præfectum eiusmodi prælia nefas esset conserere; Nouember mensis transigitur. Ac primo Decembris Rex cum Germanico exercitu in castra aduenit. Continuò locatis circa vrbem copiis, atque in pago Dernetalio capto hospitio, Rothomagenses per fecialem hortatur, vti Regem suum excipiant, qui cùm hæreticum Regem ignorare assererent, fossam duci ad cingendam vrbem Rex iubet. Sed lentius opus difficile procedebat, totus December in fossa aperienda & aggeribus ducendis impensus; solum gelu induratum, niuésque assiduæ; crebræ & feroces obsessorum eruptiones, ducum promouentium operas, lenta quædam & hyemi accommodata cunctatio; pretiosissimum tempus in primo illo conatu absumpserant. Interim Parmensis ad opem ciuitatis cum luculentis copiis accedebat.

HENRICVS IV.

Villars.

De natal.

XX. *Parmensis Rothomagum venit.*

Ille diu appellatus à Maynio, cùm moueret se lentiùs, siue ob vetera cum Maynio ipso dissidia, siue ægerrimè abstractus à Belgio, cui Mauricius Orangius adolescens feruidus immineret, siue vt conditiones à Maynio luculentas auferret, tandem sub Nouembris finem Bruxellis proficiscitur, cum decem peditum millibus, equitum tribus, tormentis quadraginta, ac duobus curruum millibus, quibus in hostico pro munimentis se cingeret, omni præterea commeatu refertis, ne qua re in alieno egeret. At postquam Landrecium in Regni finibus venit, negat se progressurum viterius, nisi ipsi ciuitas concedatur, ad receptum commodum, & reponenda tormenta. Sic Fara necessario data, vbi secretius cum Maynio de postulatis Philippi habet colloquium; ac præcipuè de Isabella in regnum euehenda, quæ postulata cùm Maynius ad Comitia Francorum reiiceret, de iis quan-

La Fere.

HENRICVS IV. Anno 1592.

tocyus conuocandis initur consilium; quanquam in ea Maynius verbo potiùs quàm voluntate assentiretur. Tum Peronam, dein Abbavillam promotæ copiæ. At Rex ad progressum hostium, Birone ad Rothomagum relicto, cum tribus equitum millibus partim cataphractis, partim sclopetariis, iis occursurus improuisus aduolat, ac primo impetu Guisij impedimenta rapit, agménque disturbat. Tum incedentibus moram obiecturus, loca commoda ad viam adiecta, diuersis stationibus occupat, hostem incursionibus variis divexando, ac spatium impetraturus Longavillæ, Trimollio, Aumontio & Bullionio (sic enim Turenium in posterum nuncupabo) quos ad castra Rothomagensia cum copiis euocauerat. In eo pugnandi genere, duæ contingunt magni momenti occasiones, si victores iis institissent. Prima quæ Regem in præsentissimum discrimen adduxit, eiusmodi est. Decreverat aggredi hostem dum rivum ad Aumaliam obiectum transmittit, atque interiunctas copias profligare; ea mente dimissis versus novum castrum Reitris, ad Aumaliam cum Francis hæserat, progressúsque ad hostem explorandum, videt vniuersum exercitum sub signis ingredi. Ibant quindecim peditum millia, equitum sex, in tria agmina distributi; primum ducebat Guisius, medium Duces Parmensis, Maynius & Monsmarcianus, postremum Comes Chalignius Lotharingiorum Præfectus; Bassompetram sequebantur Helvetij, Motam tormenta; lecticâ Parmensis ob ægritudinem in mediis copiis vehebatur. Vbi Rex animaduertit totum exercitum incedere, & ordinatissimas spectat acies, mutato consilio, Nivernensem iubet quam celeriter Aumalia educere militem, simulque impedimenta Mortemarum vehenda dimittit, ac quoniam id tam celeriter perfici non posset, quin recedentem hostis opprimeret, eum remoraturus cum selectis cataphractis centum quinquaginta, & quinquaginta equitibus sclopetariis aduenienti occurrit, admotúsque ad primum agmen, quod conflabant equites quadringenti, propius eo intervallo quo breviora sclopeta explodererentur, quingentesimo quoque passu, obvertebat frontem, sclopetisque explosis agmen inhibebat; donec ad Aumaliam ventum, in qua centum sclopetarij retardabant equites hostium; dum ex pago sarcinæ recipiebantur. At Parmensis, postquam accepit Regem inter velites præliari, sclopetarios equites omnes immittit, ac qui eos fulcirent equites leviores; & opprimebantur sclopetarij Regij, cùm ipse Rex semel & iterum in hostile agmen perrumpendo, eos quidem & sarcinas expediuit; sed vniuerso hostium equitatu obrutus, captus propemodùm, tandem sauciatur, glande renes quà lorica deficit delibante. Et verò fortissimè omnium dimicauit, ac demum pleriſque è suo agmine cæsis, in silvam proximam se recepit; salutem fortitudini & fortunæ, hoc est Deo debens; quanquam creditur Francos, qui pugnabant in primo agmine de industria dimicasse ignaviùs, & recedendi fecisse spatium, cùm Hispanis Regis capti gloriam inviderent. Nox interveniens securitatem Regi integram peperit, Parmensi nolente cæca nocte in regionem tectam silvis, arduamque collibus inexplorata via penetrare. Nec ille abstinuit quin animum & fortitudinem Regis miraretur, cùm

Chaligny.

Mortemer.

cùm desideraret prudentiam, dato Regi responso, quærenti quid de eo receptu sentiret; omninò egregium illum esse atque militarem; at ipsum se nunquam in eum locum venturum, vnde mox cum periculo recedendum foret. Quod ad pompam dictum non ad veritatem, eventus contrarius statim ostendet; cùm in eas Parmensis se angustias inducet, quibus explicari summæ erit laudis atque prudentiæ. Et verò, tametsi Biro apud Regem ipsum de ea audentia expostulauerit, Elisabetha eiusdem prudentiam litteris honorificis & amantissimis appellauerit, Francique Proceres precibus multis apud eum contenderint, neu sacrosanctum caput in pericula tam aperta coniiceret; tamen & generositas indolis bellicæ, & necessitas rerum, & ipse nobilitatis Francicæ genius, & belli natura, quæ ampla commoda magnis periculis tribuit; eiusmodi audaciam exigebant à Rege, ac traducebant in virtutis materiam. Interea vterque exercitus statiua ad Rothomagum posuit; Regius quidem protectus aggeribus, & cuniculis ad vrbem adactis, quanquam lenta vis haud plurimùm promoueret; fœderatus ab vrbe longiùs, anceps qua potissimum ratione vrbi opem ferret. Nam inter Duces non conueniebat admodùm; Lotharingij post Chalignium à Chicoto captum, deserebant militiam; dissidebat à Parmensi Maynius, erántque inter ambos graves causæ discordiæ; Monsmarcianus ambiebat summum imperium, ob Pontificis patrui dignitatem, & dissensione ducum gliscente in milites, ægrè Hispani & Franci temperabant à prælio; adeò discordiam mentium vtilitatis ratio haudquaquam compingit. At eam difficultatem soluit illicò Villarsij facinus; quam alteram occasionem afflictandi Regis lentè hostis arripuit. Rothomagenses tum cives, tum milites per felices eruptiones eò cupiditatem pugnandi perduxerant, vt nihil accideret ipsis iucundius, quàm vbi in hostem ducerentur; inter præclaros duces ac Tribunos Boscorosæus per fidos speculatores castra hostium accuratissimè exploraverat; noverat peditum fractum, tuguria ægris & sauciis oppleta, Regem cum equitatu Dieppam profectum, ob arcana in eam vrbem fœderatorum consilia, è quatuor legionibus, quæ ad sanctæ Catharinæ arcem, tuebantur aggerem duas valdè infirmas, ab duabus cæteris distare longiùs, quæ Dernetali capiebant hospitia. Ille igitur tentandam eruptionem persuadet Villarsio. Qui selectos magno numero milites cùm disposuisset, turmasque equitum ad excipiendum peditem constituisset, die Februarij vigesimo sexto, hora septima matutina, pluribus locis in designatum aggerem erumpit; primóque impetu legiones duas Boissi & Pilesij opprimit. Passim editur strages & internecio, cæsorum cruor in fossas redundat, agger euertitur, fossa cumulatur; Boscorosæus recta ad tormenta festinat, tormentarium pulverem perdit incendio, tormenta quinque ad vrbem devehit, cætera impactis clavis obturat, tentoria & tuguria inflammat; munimenta diruit, & obsidionis instrumenta rapit, duabusque horis ferro passim ac flammis grassatur. Biro interea, qui Dernetali agebat, fugientium tumultu excitus, equo inscenso ad pugnam rapitur; sequuntur Helvetij, atque instant victoribus, móxque occurrente Villarsio pugna instauratur; cuius beneficio

HENRICVS IV.

Boscrosé.

Boisse, & Piles.

HENRICVS IV. D Espinay.

victores se tutò in vrbem recipiunt, ac postmodum ipse Villarsius, Bironis femore inter pugnandum saucio. Cæsi eo conflictu è Regiis quingenti, in quibus Pilesius iunior, Espinæus Marchio, Belsuncius Tribunus militum, & centuriones duodecim; centum capti, & in vrbem abducti, Pilesius Tribunus & Larchantius stipatorum Regis Præfectus, plagis obierunt. Eo successu clarus Villarsius, scribit ad fœderatos, se eorum opem haud desiderare, beneficio Dei liberatum se metu ac periculo; vnam pecuniam reposcere se ad soluendum stipendium militi, post fortissimum facinus. Quæ Parmensis considerans, auctor erat vt extemplò irrumperetur in castra Regia; ex tumultu & trepidatione turbata; Bironem iacere vulnere, Regem cum nobilibus abesse; cæteros consternatos indubitatè profligatum iri. Contra Maynius obtendebat munimenta castrorum, affuturum Regem, non tentandam fortunæ gratiam; perfecisse se quod intenderent, vrbem seruatam, nunc immittendum cum stipendio militem; cæterúmque exercitum hospitiis commodis recreandum, dum Regis copiæ in statiuis absumerentur. Nempe extimescebat ne Rege profligato, sua etiam potentia occumberet, & vniuersa Francia penes Hispanum esset. Et inuitus Parmensis ad eam sententiam iuit, atque immissis in vrbem octingentis militibus; Somona transito, recessit in Picardiam itineribus lentis; noua etiam offensione in Maynium subiratus, quod eo suadente sancti Spiritus oppidum frustra oppugnasset, coactus ob paludes restagnantes abscedere, deinde copias in proximos pagos distribuit, sparso rumore se in Flandriam regredi.

XXI. *Obsidio repetita.*

Porro Henricus per eius absentiam instaurato obsidio, studium omne & contentionem ad subigendam vrbem adhibebat; præsertim allaborabat in amne claudendo; atque supra vrbem nauigiis armatis geminisque arcibus ad ripas positis; infra euocatis Batauorum nauibus, quas adduxerat Philippus Nassauius, fluuij commodo ciues excluserat; reparatis munimentis instituerat verberationem; ac consilia arcana fidorum aliquot ciuium clam alebat. Verùm & ea singula Villarsij fortitudo atque industria primùm repellebat; nam consilia & vigilantia aperiebat, & seueritate pœnæ discutiebat, & vim securitate tanta contemnebat, vt ad portam sancti Hilarij posito stadio, ausus sit inspectante hoste ad annulum appensum decurrere, & eiusmodi otiosæ pacis obire munia, quasi procul ab omni periculo tam abessent muri quàm animi. Attamen sensim ipsius vires infringebantur, ferociissimi quique cæsi aut saucij erant; deficiebat annona, & plebis illa alacritas in dolorem & metum deflectebat palàm; quapropter haud nescius quàm ruentis semel sit præceps casus, scripsit ad fœderatos, nisi intra diem octauum, qui Aprilis vigesimus secundus, præberentur auxilia, necessariò se admissurum Regem. Nec à fœderatis adhibita vlla cunctatio; extemplò reuocatæ quas sparserant copiæ, duodecim hominum millia, equitum quinque, ac relictis impedimentis, occupata via celeriter, diebúsque quatuor milliaria nonaginta confecta, tresque amnes præter Somonam transiti. Hostis regressum postquam Rex qui Dieppæ agebat à Birone accepit, in castra regrediens, reuocat quos dimiserat nobiles,

Soluta iterùm per Parmensem obsidio.

statuítque

statuírque hostem pugnâ excipere; sed lustrato exercitu, & deprehensa equitum imbecillitate, prudentiore consilio, soluta obsidione, Dernetallum deserit, atque exercitum ad confligendum disponit, si hostis instaret. Et erat in ea Parmensis sententia vti instarent; Regis exercitum ærumnis fractum, & missionibus imminutum vim ferre non posse; ipsi necessariò recedendum, atque in recessu, vt plerumque fit, cladem grauissimam perferendam: Ita Guisius atque Hispani censebant. At Maynius & Franci Nobiles affirmabant: vrbem omninò esse liberandam; perstare adhuc grauissimas compedes, dum infra amnis clauderetur; agere in nauibus Batauos, & Oceani occupare commercia; eos oportere necessariò pelli, capi Calidobecum; aperiri Rothomago Gratiæ portum vbérque feraciſſimum; nec aliud Regi esse optatius, quàm vt fœderati ipsum persequantur, & distrahantur ad vtramque amnis ripam, dum receptis Nobilibus ferocior tandem exsurgeret. Nihilominus in sententia perstabat Parmensis, & querebatur sibi palmam rapi è manibus; sed præpollente Maynij voluntate Calidobecum ductus exercitus, & peracta obsidio. At Parmensis dum obsidendum oppidum inspectat propiùs, glande missa læditur, qua brachium ad carpum desinit, membro ad doloris sensum delicato; quem tamen vir fortis in potestate sic habuit, vt sermone continuato, qui colloquebantur ex vno cruoris in manum affluxu plagam percepertint. Nec ideo ad curationem recessit, donec obseruasset, quam in altitudinem æstus Oceani intumescceret, & mandasset quæ in oppugnatione erant necessaria. Haud multò post tormentis impetita Batauorum classis coacta abscedere, & destitutum ea ope oppidum, & muris infirmis, deditionem pacisciturr, Parmensi refrænante Vallonum impetum, qui ob vulnus Imperatoris militem deditum tollere constituerant; & affirmante, *Belli appendicem tam esse vulnera, quàm defensionem; non haberi in eo dignitatis aut meriti rationem; functos officio qui se propugnassent; & Martis aleam, tam Imperatori quàm militi periculosam atque ambiguam.* Post captum oppidum, nuntiatur Regem magno exercitus incremento, breui affuturum; ire sub signis septem equitum millia, peditum quindecim, & in dies plures expectari. Quapropter habita consultatione, Parmensis censebat, transeundum amnem, quem venienti hosti obiicerent, aut Bonam Insulam occupandam, situ infra Calidobecum commodo, excipiendis ex portu Gratiæ cibariis & commeatu: at repugnans Maynius contendebat, Calidobecum à Rege illico capiendum, atque Rothomagum in easdem coniiciendum angustias, commodius Yuetoti statuenda castra, qui pagus tertia est leucâ supra Calidobecum, adduxitque inuitum in sententiam suam Parmensem. Nec secus contigit quàm Parmensis præuiderat; nam Rex aduenies extemplò loca commoda occupat, infestat incursionibus, & cibaria intercipit, crebrisque conflictibus nihil audentes vexat. Vno præcipuè in discrimen ingens acti fœderati. Ij pagum munierant admotum propius ad castra Regia, quem aggreditur Rex, ac post acerrimam dimicationem pellit propugnantes magna clade, agitque turbatos in castra, iisque perterritis victor instat. Summo in discrimine, Maynius Guisiúsque primi pugnam

HENRICVS IV.

Caudebec.

Parmensis vulnus.

Isle bonne.

HENRICVS IV.

egregiè sustinent, franguntque impetum; Parmensis quanquam æger & vexatus febre, sella vectus intercursat ordines, militemque incendit; ac tormenta perite librata, Regis vim retardant, servantque omninò periclitantem exercitum. Biduo post nocte castra soluunt, atque ad Calidobecum amne tecti considunt. At nec securos ea mutatio præstitit; Biro filius agmen leviorum equitum, paulò à castris semotum, profligat ac delet, & peditatus Regius in hostilem ibat, duabus Vallonum legionibus iam pulsis ac victis, certo victoriæ præiudicio, cùm inhibet impetum Mareschallus Biro; non sine suspicione malignioris consilij, ne parta semel victoria, ipse vt apud filium timere professus est, nulli esset vsui, suam in domum ad ferendam cramben dimittendus. Attamen fœderatis imminebat certa pernicies; ægrotabat Parmensis, & periculosè; Maynius recrudescente morbo venereo, quem Parisiis antè contraxerat, privato incommodo intendebat; multi in copiis morbis afflicti, plures vulneribus, magna alimentorum inopia, & inducta omninò pereundi necessitas. In eo calamitatis articulo, Parmensis vocatis in consilium virtutibus suis, vnam evadendi comminiscitur viam, si clam in aduersam Sequanæ ripam transmitteret, ac celeriter obtineret Parisios. Qua re constituta, & Maynio repugnante in idem consilium perducto, nam vrgebat periculi magnitudo; deliberatum prudenter exequitur admirabili celeritate. In vtraque amnis ripa duo castella ponit, sibi obversa; alterum quod citra erat, duce Bossuo Comite, designati ad propugnandum mille ducenti pedites, cum tormentis quatuor; alterum oppositum tutantur octingenti, è pugnacissima legione Borlotæ. Dein Rothomago vecta silente nocte nauigia, trabibus tecta atque asseribus, ad vehendum equitatum ampla, & eadem nocte quæ vigesimum Maij diem præcedebat, vltra amnem transmissi, primùm equites Franci, mox pedites; deinceps tormenta & impedimenta; & sub crepusculum lucis Hispani pedites, Vallones & Itali; demùm luce orta Rex traiectum hostem animaduertit, & venatoris instar, cui præda capta elabitur, conturbatus atque sollicitus, postquam stuporem & dolorem discussit, iubet tormenta in collem proximum duci, quæ in transmittendos disploderet, agmenque ipse in castellum agit. Verùm frustra conatus impensus est, Parmensis mille sclopetariis prohibuit ne tormenta regia ducerentur; ac Rainucius cui castelli Bossui curam pater commiserat, munere functus eximiè, peditatum omnem in nauigia mittit, & ipsa tormenta; postremus omnium inter spissa vrgentium hostium tela scapham subiens. Maynius ad curationem ibat Rothomagum; at Parmensis mira celeritate copias rapiens, quarto die Carentonem supra Parisios venit, ponte strato nauigiis exercitum traducit; immissisque in ipsam vrbem mille & quingentis Hispanis, Theodorici castrum se recepit: frustra Rege per Pontem Arcuatum submittente copias ad persequendum; nam præuerterat Parmensis diligentia, & accurata in disponendo recepiu sedulitas. Ille dies quindecim in Theodorici castro tranquillè subsistit, ac ne victum aut fugientem Rex diceret, Epernæum capit vrbem ad Matronam, tum pecunia ad stipendia militum recepta, reuertit in Belgium. Et hæc postrema

Receptus Parmensis.

De Bossu.

Charenton.

clarissimi

clariſſimi Ducis expeditio fuit, & forſan difficillima qua bellicoſiſſimum Regem diſpulit, tulit, luſit; receptu admirabilior quàm ingreſſu; nec vſquam imperio dignior, quàm cùm fugit. In ſpe repetendæ Franciæ vir ſummus obiit, anno exeunte, ipſo die, quo lecto decubuit, equo inſcenſo, nec morbi ſæuitiâ à negotiorum cura abſtractus; vt ſin minus ſtans, & inter arma obierit, ſaltem inter curas Imperatorias, & materiam laudis, ſublimem animam miſerit. HENRICVS IV.

XXII.

At Henricus, poſtquam nec Rothomagum nec Parmenſem habere potuit in poteſtate, dimiſſis Nobilibus, & parte copiarum, quinque peditum millia, equitum tria in Campaniam ducit, vt Parmenſi inuigilet; ac eo recedente, Epernæum oppugnare aggreditur; ſed magno dolore ſtatim percellitur, Birone Mareſcallo tormenti glande cæſo, dum vrbis munitiones explorat. Vir fortiſſimus de Rege ac patria perbenè meritus; ſed creditus ad Hugonottorum religionem propenſior; atque ideo conuerſioni Regis interceſſiſſe; non contentus mediocribus, ſumma captabat; vt laborum & periculorum, ſic poteſtatis & gloriæ; cuius arbitrio nec ipſe Rex auſus repugnare. Gratiæ patris & auctoritati ſucceſſit filius, non multò poſt Admiralius dictus; cedente Epernonio; eò Regi acceptior, quod fortiſſimus iuvenis aulicis artibus militarem animum nondum infecerat. Vrbs obſidionem tribus hebdomadis tulit; qua tandem deditâ, Rex Germanos equites moleſtos admodum remiſit in patriam, ac Prouino capto, vt Campaniam totam interdiceret Pariſienſibus, quoniam Meldas nolebat expugnare; arcem molitur in Gournæa inſula ad amnem Matronam, Nivernenſis conſilio, traditque ſeruandam Odeto Noüæ Franciſci viri illius clariſſimi filio; ac diſpoſitis aliquantiſper belli conſiliis, de concordia cum Maynio agit. Sanè vtrumque ſua incommoda dimovebant à bello: Parmenſem inter & Maynium ortæ erant inimicitiæ graves; ipſi Maynio moleſtiſſimi omnium imminebant Hiſpani, ac auctoritatem imminutum ibant, atque infractum; quippe Comitia vehementer flagitabant; & verebatur Dux ne eorum compotes vſurparent potentiam, Regémque arbitrio ſuo dicerent. Et is Comitiorum terror ipſum patiter Regem inuaſerat; quippe ſi ſemel Rex ab ſe alter legeretur, ſpem pacis abruptam, æternum bellum, ſempiternam diſcordiam, ac ſciſſam immedicabili malo ſpectabat Franciam: in Vaticano præterea noua in dies cudebantur fulmina, quibus tandem, ne Catholici avellerentur à partibus ſuis, metus erat, atque periculum. Anno ſuperiore occubuerat Gregorius Pontifex, ac ſucceſſor Innocentius IX. ab primordiis fœderatorum cauſam amplexus; Epiſcopum Placentinum Cardinalem dixerat, vt maiori dignitate Legati Pontificij munus tueretur. Deceſſerat quidem altero menſe, ſed nuper in ſedem evectus Hippolytus Aldobrandinus, nuncupatus Clemens VIII. confirmata legatione Placentino Epiſcopo, palam teſtabatur ſibi acceptiſſimum fœdus, vt Regi repetita Pontificum fata, geminarent hoſtes, non tollerent. Expoſtulabat Regina Angliæ, quod ſuas copias ſuſtuliſſet Rothomagenſis obſidio, nullo operæpretio; atque in novum ſubſidium repoſcebat Caletum & Guiſnas.

Epernaum receptum.

Bironis mors.

De pace agitur.

Clemens Pontifex.

In

HENRICVS IV.

In iis difficultatibus, aliisque plurimis, Rege & Maynio assentientibus, Villaregius & Mornæus clanculum conueniunt, acturi de conditionibus; multa eo colloquio sæpius repetito, acta, dicta, proposita, & repudiata; ac labor tantus nullum euentum sortitus est; magno Villaregij dolore, qui animo sincero pacem exposcebat. Nam Hispani in id consilium peruadendentes, quo spes omnes suæ interibant; quà minis, quà blanditiis auocant Maynium, & ad Comitia euocanda refugientem impellunt. Interim variè in Prouinciis bellum gerebatur. In Britannia Cranum oppidum, in Cœnomanorum & Britannorum finibus positum, obsidebant copiis iunctis Contyus & Dombensis Principes; erántque sub signis octo hominum millia; ac plerique Nobiles, patraturi rem magnam nisi discordia incessisset. Etenim per eam producta obsidione ad quadragesimum diem, cùm immineret Mercordius, Dombensis qui vltra Oudonium amnem statiua posuerat, ad eum excipiendum, per amnem ad Contyum transit; ac siue incuriâ, siue perfidiâ, cùm iussi Præfecti non euerterent pontem, eo Mercordius transmittit copias, atque in hostem attonitum, perculsum, inopémque consilij, augente terrorem consiliorum dissensione, dum receptum parat, idem inuehitur. Agebat primum agmen Contyus, posterius Dombensis, atque identidem ora fortiter obuertebat; cùm Mercordius eo omisso, progressus ad latus, & in primum agmen inuectus, illud statim fundit; quippe Contyus suspicatus proditionem, in fugam agitur, neque ab ea agmen posterius inhibere Dombensis potuit; metu concepto miles disiicitur, nullo prælio edito, & ipse Dombensis postquam contentione omni enixus est, ad retinendum equitem, eúmque ad permouendum, in irruentem hostem inuectus est sæpius; tandem Gonteri castrum recessit. Ea fuga potius quàm victoria fuit, cæsis dumtaxat septingentis, at captiuis plurimis; captis præterea tormentis omnibus, & signis triginta quinque. Sourdeacus tamen regias partes in Britannia ea strage prostratas erexit; qui sex hominum millia Brestum oppugnantia, generosa eruptione fudit fugauítque. Dombensis mortuo patre Mompenserio, à Rege euocatus præfectus est Normanniæ, Britanniæ Aumontius Marescallus; instauratâ in iis prouinciis belli miseriâ. Occitaniam agitabat etiam calamitas sua, quam Ioyeusæ mors & Barij fatum cumularunt. Ioyeusa Marescalli filius, fraterque Ducis qui ad Coutrasium occubuerat, præclarissimus adolescens, & militari indole quam prudentia supra ætatem regeret, gratissimus Tolosanis; eorum rogatu Villemurium expugnandum susceperat. Propugnabat vrbem Temineus, Cadurcorum Prætor, & Mommorancius, non tam Regiarum partium quàm suarum promotor; veritus ne vrbe capta, Ioyeusa in Occitania præpolleret, nam spem sui multam concitauerat iuuenis, in eum immittit selectas copias. Eæ improuisum Ducem adortæ, cùm equitatum è castris paulò longiùs amouisset, simul Temineo prorumpente ex oppido, egregiè præliantem ac præclari Imperatoris munus implentem, perterrefacto ac fuso milite, abscedere cogunt; ísque dum vi actus per pontem quem Tarno amni imposuerat, versus Tolosam se recipit in alteram ripam; pontem obruente multitudine fugientium, præcipitatur

Res gesta in Prouinciis.

Sourdeac.

Ioyeusa mors.

Villemur.

Temines.

tatur in fluuium, trabe præterea in caput impacta, ruinâ simul & aquâ extinctus. Tolosani præclari iuuenis mortem eluxerunt, & Ducem ex eadem familia petituri; cùm nemo supereſſet præter duos demortui fratres, quorum alter Cardinalis, alter Capucinus, minus ad res gerendas apti videbantur; eos tamen de ſuſcipiendo regimine appellant. Et quidem Cardinalis vltrò conſiliorum adminiſtrationem accepit, excuſauit armorum. Quamobrem omnium precibus ad Capucinum verſis, qui Pater Angelus dicebatur, & vi adhibita vt è cœnobio educeretur, cogunt ad capiendum armorum regimen; prolato Prælatorum ac Theologorum decreto, ceu machina validiſſima, qua expugnatus eſt reluctantis animus; eo enim ob tutelam fidei & Religionis indicebatur neceſſitas permutandi cum lorica cilicij, vel noxæ lethalis. Et ea opinione perductum virum docent poſteriora, quando militiam atque imperium vir ſummus pietate, proniore animo depoſuit, quàm dimiſiſſet capucium & veſtem horridam. Ita Ioyeuſa occubuit, Barrius obſcuriùs, ſed apud poſteros glorioſiùs. Hic Leucatæ Præfectus, à fœderatis per inſidias captus & Narbonem ductus, oppugnatur vitæ periculo, iubetúrque ad vxorem ſcribere, arcem vt reddat: teſtatus ille fidem in Regem acceptiorem ſalute, clam litteris in ſtrophio exaratis carbone, duo verba ſcribit; ſeruare arcem, aut mori, & complicatum ſtrophiolum deferri ad vxorem curat. Ea Franciſca Ceſelya, quæ marito capto, nec indigna nuptiis viri fortiſſimi, tuendam arcem ſuſcipit, & fortitudine per ſtrophiolum aucta, imperterrita hoſtium minis, mariti necem certiſſimam intentantibus, amorem credidit in obſequio & imperata fide, quàm in metu atque ignauia clariorem; tamque minas, quàm formidinem repulit. Coniux interea crudelitate hoſtium faucibus linteo preſſis extinguitur, poſtquam ſæpe appellatus nihil de propoſita fide immutauit; nullo quidem prælio læſúſve vulnere, ſed robore animi prorſus inuicto & facinore, quod pugnæ æſtum & victoriæ laudem adæquet. Cadauer delatum ad coniugem, filium & milites ad vindictam incendit, erátque materia Loupianus captiuus nobilis, quem tamen ipſa ſeruat incolumem, mittítque liberum quia innoxium, atque deinceps eâdem animi conſtantia ab hoſtium vi arcem tutata eſt, anníſque plaribus iubente Rege, & amante virtutem feminæ, tenuit; viduitate perpetua memoriam coniugis proſequuta.

HENRICVS IV.

Bar. à mors.

In Phocenſi Prouincia Valetæ mors, res optime conſtitutas perturbat. Hic dum Rocabrunam oppugnat pagum ignobilem, qui Foroiulio incommodabat, atque inermis reponit ad tormenta loricam vimineam, glande hoſtili tempora tranſuerberante, poſt horas aliquot animam emittit; ad ſummum gloriæ faſtigium natus, ſi ritè currentem vita vlteriùs promouiſſet; nihil debuerat gratiæ fratris, præter quandam publici odij partem, quod expunxerat virtutibus ſuis; generoſitate, magnificentia, pietate, & humanitate ſingulari; tanta in Regem fide; vt nulla ope, nulla pecunia fretus, ſua induſtria & fortitudine, Sabaudiæ Ducem in Prouincia fregerit, partéſque Regias multùm prouexerit. Eo demortuo cùm Nobiles ac Tribuni de Prætore flagitando à Rege inter ſe agerent; Vaſcones quorum magna in

XXIII. *Valetæ mors.* Roquebrunæ.

HENRICVS IV.

Prouincia copia, cæteros adigunt vt Epernonium peterent; ac continuò Melplesius & Escarrauaguius ad Regem contendunt; impetrántque à repugnante, vt Epernonius diceretur Prætor. Quippe ille voluntatem Regis nihil moratus, apparabat se ad profectionem, scripto milite, suis auspiciis obtenturus prouinciam. Id dum præstat, Arelate Sabaudus excluditur; tentabat præsidium in vrbem immittere, annitente Riueria primario Consule, cùm exurgit ciuis, pellit præsidium, obtruncat Consulem, & Biordum ipsum principem factionis, suámque vrbem futuro Regi obsequuturam, atque à Patribus alienam seruat. Sabaudus exclusus, cùm ex tribus primariis vrbibus, vnam Aquassextias sibi addictam cerneret, nec munitione, nec situ, nec maris portu commodam; abscessit ab infelici expeditione, & Aquensibus facta ingenti spe, profectus est Niciam, vt Antipolin, Venciam, & aliquot oppida ad confinia Vari tueretur. Verùm Lediguerius arcessitus à Regiis cum modicis copiis in Prouinciam penetrat; oppida quoquò se verteret recipit, & magna celeritate Antipolin aduolans, clam eam occupat, Varóque transito, in Nicienſem terram peruadit, eam impunè diripit, atque ad Niciæ muros Duce inspectante pulsum militem cædit. Hinc regressus cùm Venciam obsidet, Nemursij fraude qui fractis induciis Viennam occupauerat, reuocatur in Delphinatum, & erat in Prouinciæ finibus Epernonius, quicum haud admodùm conueniebat; quas ob res retrò vertit propria curaturus. Atque illicò Sabaudiæ Dux Antipolin recipit, & Arelate tertij Consulis dolo ad fœderatos accedit, séque adiungit Senatui; nec Epernonio aduenienti præstat obsequium. Ille capto Montourosio castro, Antipolin obsidet, cogítque ad deditionem; mox hyeme sæuiente se Tolonium recipit. At Lediguerius Sabaudiæ Ducem Antipoli procul in Pedemontium euocauerat. Postquam in Delphinatum regressus, ad pugnam Nemursium nequit adigere, móxque solutis copiis idem Nemursius Lugdunum recedit; aggreditur ipse Lediguerius rem laudis plenam, & fortitudine sua dignam. Valeta pepigerat fœdus cum Venetis, Florentino, & Mantuano Ducibus, ad repellendum Sabaudiæ Ducem; ea conditione vt mensibus singulis reciperet centum librarum millia, postquam vrbem in ditione Sabaudi cepisset. Substitutus à fœderatis in Valetæ locum Lediguerius, vti ostenderet nihil ea mutatione deperditum, adoriri Sabaudum in ipso Pedemontio statuit; ac Genebra monte sub Septembris finem transmisso; Perousiam capit, ad Vigonem hostem munitum magna strage pellit, ac Briqueratium octaua ab Taurino leuca sex erectis propugnaculis cingit ac munit. Excitus hac impressione Dux, Taurinum aduolat, militem euocat, & quem modò ad Niciam victorem viderat, eum in præsentia quasi cœlo vectum vltra Alpes iterum victorem stupet, ac posuisse trophæum victoriæ, quem depulsurus nouâ insuper plagâ percellitur. Sex tormenta per iuga Alpium incolarum ope vehi curauerat Lediguerius, ac recepto supplemento militum, copias ad Cauorsium admouet. Erat Cauorsium Briqueratium inter & Taurinum; tum arx, tum pagus, arx in sublimi & abrupta rupe posita eminet, in decliui pagus; tuebantur arcem sexcenti milites,

Arelate Regi asserta.

Lediguerius in Pedemontio victor.

Perouse. Briqueras.

Cauours.

Villafrancæ

Villafrancæ copias vniuersas Dux continebat, exploraturus hostis consilium. Ibi audito tormentorum fulmine, quæ in Cavorsium arcem explodebantur, educit militem, agitque in Lediguerium; sed directam aciem non ausus impetere, frontem conuertit in Briqueratium, parúmque abfuit, quin incautam vrbem expugnaret; nam avulsis palis, & præfecto cæso, iam propugnaculum miles inscenderat, cùm præsidiarij præfecti nece nusquam deterriti, tam fortiter irruunt, vt è propugnaculo iam spe victorem deiicerent, & ad receptum adigerent. Eum instituebat ipse Dux, cùm ad Gresillanam assequitur Lediguerius, infertque dimicationem tam atrocem, vt Dux ad suos tegendos raptâ sarissâ, pedibus pugnans, frontem irruenti sæpe conuerterit; donec locorum asperitate inhibitus Lediguerius, se ad Cavorsium recipit: nec vlla spes erat obtinendæ arcis, præter vnam verberationem tormentorum; quæ in rupem arci imminentem, labore improbo atque inexhausto postquam vexit Lediguerius, infregit propugnantium animum; atque arcem deditione accepit. Mox præsidiis in Pedemontio constitutis, dum hyems desæuit, reducit equitem in Delphinatum primus, qui post raptos Salussios, & inustam Franciæ ignominiam, instaurauerit patriæ gloriam, & Francorum arma victricia trans Alpes revexerit. HENRICVS IV.

Ea gerebantur in regni finibus, mox in capite Monarchia laborauit. Quippe Philippus Hispaniæ Rex, in eam toto incumbens animo, adegerat Maynium ad indicenda regni Comitia, abducto in partes Legato Pontificis, (is vt dixi Cardinalis Placentinus) & vi pecuniæ expugnandis eorum suffragiis qui Legati forent. Post diuturnam cunctationem, quando vltra prolatare non potest Maynius, scripto proposito indicit Comitia, vrbem in quam conuenirent Parisios, proximúmque Februarium dicit, quo Legati adsint, ad inquirenda remedia, per quæ Orthodoxa religio salva & illæsa perstaret. Iis Legatus adhortationem adiungit, palámque admonet conueniendum vt Regem dicant Christianum atque Catholicum. Plerique è Legatis postquam conuenerant, & rem auspicati à diuino cultu; post supplicationem & concionem feruentem quam Genebrardus habuit, ardentissimus inter fœderatos; primo consessu in atrio Luparæ habitæ sunt orationes à Maynio, Legato, & principibus Ordinum. Percurrere singula, non est animi mei; nam cùm ea Comitia spuria & adumbrata fuerint; instituta ad regni leges excidendas atque euellendas, nec vllius ponderis præter ludibrium; ea curiosus in Meseræo perleget accuratè perscripta; ego summa dumtaxat capita delibabo. Post Comitiorum auspicia, Maynius Suessionem proficiscitur cum quadringentis equitibus, ad deducendos Oratores Philippi; ij erant Dux Feria, Baptista Tassius, & Iacobus Mendosa, vulgò Doctor ob scientiam iuris nuncupatus. Quibus colloquutus, vt laude militari Comitiorũ Legatis innotesceret propiùs, suis ductis copiis, contendit ad exercitum Hispanicum, quem adduxerat Carolus Mansfeldius, Ernesti filius, ex quinque hominum millibus conflatum; iunctóque milite obsidet Noviodunum, cúmque longiùs abesset Rex, Turones & Salmurium profectus, post tres hebdomadas nulla ope recreata

XXIV. *Comitia Parisiensia.*

Anno 1593.

HENRICVS IV.

vibs deditionem paciſcitur. At ærumnis oppugnationis fractus exercitus, adhiberi ad Pariſienſium vota non potuit, Franci plurimi ordines deſerunt, atque Hiſpani reducuntur in Belgium. Feria interim cum ſociis profectus Pariſios, admiſſus in Comitia orationem habet, in Philippi Regis ſui laudem, & exaggeratis beneficiis, quæ idem in proximos Reges, Franciſcum, Carolum, & Henricum contulerat, ac immenſis ſumptibus quos Vnioni ſuppeditauerat, tandem hortabatur vt Catholicum Regem deligerent, cui vires eſſent ad eos contra potentiam hoſtium defendendos; & plurima pollicitus, Philippi litteras ad Comitia perſcriptas tradit. Ad eam orationem Pelleuæus Cardinalis Comitiorum nomine reſponſurus; enumerat ſumma beneficia, quibus olim Franciæ Reges perditam ab Arianis & Saracenis Hiſpaniam iuuiſſent & recreaſſent; mox ad omnium tædium in Philippi laudes effuſus, gratiam primi ſermonis noua offenſione obliterat. Deinde ſupplicatio noua celebratur, in qua deportata Sanctorum Lipſana, ad diuinam opem implorandam ituris in eligendi Regis ſuffragia. Iámque Rhemis reuerterat Maynius, rumórque increbuerat, ex colloquio Surenenſi, de quo mox dicam, Regem ad Catholicam fidem acceſſurum; cùm Oratores Hiſpani, die dicta, quæ Maij vigeſima erat, propoſituri quæ ſententia ſui Regis foret, circa noui Regis electionem, conuocatis aliquot Legatorum in Legati Cardinalis ædes, cum Pelleuæo, Maynio, Aumalio, & Elbouio, Feria; aſtantibus Taſſio & Ibarra, ſermonem habet. In eo conqueſtus de colloquio Surenenſi, proponit Iſabellam Reginam Franciæ nuncupandam, quæ orta ex Henrici II. filia natu maxima, maribus ſtirpis deficientibus, expetebat ius, quod natura tribueret; mox explicat quæ ad tutandum regnum Philippus offerret. Octauo poſt die in Comitiis Mendoſa eandem rem flagitat, conatus inducta plurimarum legum fatragine, mulierum iura & hereditates firmare. Cùm admodùm pauci ex Legatis aſſentirentur, per Taſſium proponit Feria, Iſabellam nupturam Erneſto Archiduci, forti & Orthodoxo Principi, ex filia Franciæ orto ſimiliter; quod cùm Franci aſpernarentur ardentiùs, affirmarétque Maynius iis odioſiſſimum eſſe externi cuiuſcumque nomen; tandem Feria poſt dierum aliquot conſultationem, declarat, nupturam Iſabellam ſi Regina dicatur, Principi Francico, quem Rex Catholicus nuncuparet, iiſdem ſubſidiis quæ propoſuerat regno ſubmittendis. Id cùm Maynium improuisò percelleret; mouerétque æſtum cogitationum, quodnam caput diadema illud inuolueret, & ambitionem contutbarent, tum ſpes tum metus; ecce Pariſienſis Senatus decretum emittit; quo iubebatur Præſes Magiſter, cum duobus Senatoribus adire Maynium, atque admonere in conſpectu Procerum, caueret ne Corona Franciæ detrimentum pateretur, euerſis Regni legibus, quibus ipſum ſtabat, nec ſineret ſpecie Religionis coronam ad externos tranſire. Præterea omnia in eam rem fœdera, declarabat nulla & irrita, vtpote in legem Salicam conſtituta, & contra ſtatuta intemerata hactenus & inuiolata. Et ea fortiter repræſentauit Magiſter Maynio. Quæ ſingula Feriam cùm in anguſtias agerent, is vt ſemel nodum Gordium ſolueret, aduocatis Principibus & Optimatibus in Legati ædes,

Pelleué.

ab

ab Philippo nominat qui Isabellam duceret, Carolum Guisium Ducem, Regisque voluntatem consignatam scripto exhibet palam. Ea voce seu fulmine ictus hærebat Maynius, nec à stupore verba impetrabat, cùm Bassompetra Lotharingi Orator leuaturus angorem, intercedit huic electioni, dum de ea Lotharingiæ Dux certior fieret; dicítque tam multa, vt Feria in diem octauam supersederit, dum ad Lotharingum defertur nuntium. Interea electione vulgata, ad Guisium singuli Proceres, Legati, nobiles, ciues, concurrere, ambire, salutare, deducere, & nascentis Regni occupare gratiam; vt ædes Maynij quasi æstu refluente momento inanes, afflatæ repentina lue viderentur. Vxor postquam triduum lamentis & fletibus se absumit, dolorem tandem incendente indignatione, exclamat, minatur, conuiciatur marito; *Eò tot ærumnas & pericula exhausta, vt nepoti patruus, Imperator militi, dux fortissimus delicaulo iuueni, addicat se atque subjciat; enimuerò id maritus præstet, quando animi fortitudo deficit se potius morituram, quàm ignominiam tantam vt perferre sustineat.* Nec surdo ea conuicia canebantur; tacitum Maynium elusa coquebat ambitio, quóque propiùs se ad fastigium spectabat admotum, eò molestiùs patiebatur se deiici; spe non tantum falsa, sed in contrarium versa. Quapropter neruos omnes ad discutiendam electionem intendens; Guisium ipsum aggressus, docet quantam fraudem eâ illecebrâ obiicerent Hispani; donis etiam expugnat, qui apud eum pollerent; ambit Legatos, ac verbis & scripto eam in rem libello palam commonstrat, nihil esse regno periculosius; ac tantoperè contendit, vt ipso etiam Guisio assentiente, maxima Comitiorum pars, actis Feriæ gratiis, excusauerit se ab Rege nuncupando, donec validiorem exercitum Hispani mitterent, & maiores copias, ad eum Regem quem dicerent propugnandum. Quo propugnaculo cùm Hispanorum machinam elusisset Maynius, vrget admittendas inducias, quas Rex proponebat; eásque quanquam dissentientibus Hispanis, in trimestre proximum conficit, veritus ne omninò infirmior, inter odia Hispanorum & Regis potentiam interciperetur. Eo maximè, quod Regis in Catholicam Religionem conuersio, videretur, si perstaret bellum, ciuitates plurimas abductura à fœdere. Et quidem in contrahendis induciis pollicitus est Maynius, missurum se ad Pontificem Oratores, qui absolutionem Regis postularent. Sed illicò ambitionis fascino præpollente, instaurat cum Hispanis concordiam, nouo sacramento se Vnioni astringit, non accessurum se ad Nauarræ Regem, nec cum eo acturum; adiunxítque plura in tutelam fœderis, Legato & Feria iurantibus simul. Tum è Legatis Comitiorum aliquot dimittit, qui referrent in Prouincias quæ statuta essent; ac deinde Legato vehementer vrgente, admittit in Comitiis Concilium Tridentinum. Ea comœdia in Comitiorum scena est acta; in quibus Legati, plerique extorres à patria, sine iure ac potestate intrusi, nullus Princeps regij sanguinis, nullus qui Regni dignitatem gereret, Senatus nullus, sed eorum laruæ dumtaxat, alieno auro ceu machina in theatrum inducta, luserunt ridiculum illud drama, quod depinxit eruditis coloribus satyra eo scripta tempore, titulo Catholici Hispanici; veritatem condiens figmentis

HENRICVS IV. *Guisius ad regnum admotus.*

HENRICVS IV.

oppositis, & austeritatem materiæ voluptate formæ emolliens. Vnam tamen optatissimam rem promouit comœdia, Regis mutationem in melius, quam Deus optimus eo spectaculo festinauit; imò Franciæ perituræ succurrit, tum re seria in comicam versa, tum educta re tanti momenti ex inani scenæ sipario. Sed appellat me desideratissima cœlo solóque illa conuersio.

XXV. *Regis conuersio.*

Hugonotti dudum pertimuerant ne Rex ab se tandem deficeret, erátque machina ad vetandum id efficacissima Plessimornæus, qui Regi ob fidem & impensam multis laboribus operam charissimus, & in sua persuasione confirmatissimus, vt erat ingenio solerti & callido, Regem ipsum magna solicitudine in eadem alebat & stabiliebat. Eum abductum Parisiis, Turones duxerat, deinde Salmurium, docuerátque accuratissimè modum, quo fraudem Catholicis oblata spe conuersionis faceret, perseueraret nihilominus in religione, ac tandem ad eam Optimates, & vniuersum regnum adduceret. Multa Rex in eam spem pollicitus, Parisios versus regreditur, Novioduno opem submissurus, cùm vrbis captæ nuntium accipit. Simul Meduntam venientem molestiæ plures vno impetu obruunt, sororem vnà secum abduxerat, grauis doloris causam, quoniam se inuito Suessionensi vellet enubere; cùm audit Franciscum d'O in se coniurasse; palam affirmare plurimos Proceres & consilij principes se abscessuros, nisi Catholicam fidem amplecteretur; Cardinalem Borbonium à Maynio in spem regni erigi, nec appellanti aures occludere; imminere Comitiorum Parisientium diem, in quibus Hispani ad arbitrium animos flecterent; præterea scrupulum conscientiæ tollebant Ministrorum haud pauci; qui partim aulica assentatione atque obsequio, partim quod in ea opinione essent, asserebant salutem in alterutra religione comparari posse; eundémque scrupulum rursum instigabat Iacobus Perronius, docens salutis spem in vna Orthodoxa fide elucere, idque sanciens tanta eloquentia, tam eruditis & exceptione maioribus argumentis, vt sæpiùs procacem Ministrorum linguam compesceret. Ea primùm concusserant Regem, nondum avulserant, fecerantque conuersionis spem plurimam, cùm adiunxit nutanti momentum haud leve Surenense colloquium.

Surenense colloquium.

Sub anni primordia post vulgatum Maynij scriptum Catholicos ad Comitia conuocantis; Principes Proceréque, qui Regi adhærebant, eius permissu, atque instigante Duce Niuernensi, (alij Gasparem Scombergum nominant) ad Maynium cæteroque ipsius asseclas scribunt, rogantes vt conuenirent de rebus publicis, ac maximè de Religionis cura acturi. Deliberauit diu Maynius quid responsi daret; tandem admisso colloquio, quanquam repugnantibus Hispanis & Cardinale Legato, cùm sperarent Maynius abducere se à Rege posse Catholicos; consentiunt partes venire Surenam; qui pagus est altero milliari Parisiis distans; missique sunt à Rege Reginaldus Belna Archiepiscopus Bituricensis, Regi-chauignius, multo iam senio orbatus oculis, sed animi perspicacitate iacturam corporis compensans, Rambouilletus, Scombergus, Belieurius, Thuanus, Poncarræus, & Revollius; à Maynio venerunt Petrus Espinacus Archiepiscopus

Surene.

De Beaulne. Le Roy-Chauigny.

piscopus Lugdunensis, Villarsius Rothomagensis Præfectus, Comes Belinus Gubernator Parisiensis, Laurentius Aquensis, Bernardus Burgundus, aliique; quibus adiunctus est Villaregius, vt Vicus Regiis. In eo cœtu actum maximè de Religione, & repetito sæpe colloquio, Belna tandem spem certam facit conuersionis quam Rex cogitabat, & quamquam fœderati assererent, vnius esse summi Pontificis de conuersione Regis iudicare; ac postea Legato & Hispanis expostulantibus colloquium soluerint; tamen id Regem magnam partem impulit in consilium sanum, & Catholicos emolliuit, ad Regem commodiori tempore accipiendum. Iamque Deus ad eum peruincendum humanas adhibuerat machinas, Antistitum indignationem, discessionem minantium; Nobilium expostulationes, diuturnitatem belli tribuentes eius pertinaciæ; populorum lamenta & gemitus; pecuniæ inopiam, Perronij doctam eloquentiam, & adiungunt plures, Gabrielæ Etreæ, quam vnicè deamabat, potentes blanditias; quibus commotum singulis Deus ipse se adhibet, atque impulsu sui sanctissimi Spiritus nutantem voluntatem ad sinceræ conuersionis desiderium applicat. Nam id opus humanis artibus derogant posteriora; nec eiusmodi planta sine Dei cultura coalescit. Et verò nusquam præsentiori ope laboranti Franciæ opitulatus est Deus; quæ si in hæresi contumaciter Rex perseuerasset, scindebatur immortali discordia, præda haud dubiè venanti futura. Itaque persuasus Rex Scombergo & Revollio mutationem proximam pollicetur, quam in colloquium referrent; eáque vt celebrior fieret, scribit litteras ad Antistites, viróque doctrina illustres, tum è suis partibus, tum fœderatos rogans vt adessent die dicta, ipsum edocturi quæ ad religionem veram spectarent. Et in ea sententia perstitit, Hugonottis quamquam reclamantibus, & Ministrorum voce conscientiam inani metu pungentibus. Sandionysium venerant euocati à Rege Antistites, Bituricensis, Nannetensis, Carnutensis, Cœnomanus, Perronius designatus Ebroicensibus infulis; Ludouicus Seguerius Decanus Ecclesiæ Parisiensis, & eiusdem vrbis Parochi tres; Benedictus, Morenna, & Sauagnacus, Iulio medio; simulque Rex vt cum iis ageret. Antea disceptauerant an Regi impertiendæ absolutionis facultatem haberent; idque pernegabat Cardinalis Borbonius; ambitionis flamma nondum extincta, imò adhuc integra, si Rex staret in hæresi; cùm eam continuis promissis Maynius & Hispani certatim alerent. Attamen maior consultantium pars licere censuit, non appellato Pontifice. Eámque ob rem noluit Henricus Cardinalem cum cæteris dum docetur admittere. Igitur cum reliquis conclaui incluſus, per horas octo continuas, percontabatur de dubiis, respondebat paucis Bituricensis, tum Perronius pluribus, & eloquentia singulari: agitatum maximè de Sanctorum inuocatione, de peccatis Sacerdoti priuatim aperiendis, ac de Pontificis potestate. Postquam dubitanti satisfactum abunde est, dies dicitur absolutioni Dominica proxima. Ea Iulij vigesima quinta, qua Rex domo prodiens, in Principum, Procerum & stipatorum magna frequentia, candida veste præter pileum & calceos nigros, ad templi Sandionysiani fores progressus, occurrenti Bituricensi Archiepi

De Vic.

D'Estre.

Merenne. Et Chauagnac.

Anno 1593.

HENRICVS IV.

Archiepiscopo, adstantibus Cardinale Borbonio, & Antistitibus cæteris, interroganti quis esset, quidve inquireret, respondet se Regem esse, ac velle admitti in gremium sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ; deinde procumbens in genua, fidei confessionem ex scripto legit, traditque Bituricensi. Mox in ædem ducitur, concinitur sacræ lætitiæ canticum, deponit peccata apud Bituricensem, ac solemni sacro præsentem se sistit; à prandio vespertinis precibus & concioni interest; tam effuso omnium gaudio, tantâ frequentiâ Parisiensium, qui contra Legati & Maynij iussa conuolauerant Sandionysium, nouam pompam inspecturi; vt eo die renasci Rex tam solio suo videretur quàm cœlo. Et verò illa conuersione, non modò in cœlum aditus Regi patefactus est, sed & in ciuitates, quas hactenus Religionis cura occluserat; quod statim exscribam; vt regnum Franciæ tam pietatis Regis, quàm fortitudinis fœtus sit.

XXVI. *Inducia trimestres.*

Post patratam conuersionem, in tres proximos menses pactæ sunt inducíæ, vtrisque partium non incommodæ. Nam prostratas res subleuatum iri sperabat Maynius, morâ temporis colligendam pecuniam, reparandum militem, & impetranda Hispanonum auxilia; quibus nunc destitutus, potentiæ hostis obnoxius erat. Porrò Regi vmbra illa & species pacis erat perutilis, quæ sensim emolliret populos, ab insania belli auerteret, faceretque desiderium amoliendi hospitis tam importuni. Iámque plures Antistites & Togati in fœderatis illustres clam transituri, ipsius gratiam appellabant. In eo sensu lætitiæ, quædam metum & molestiam faciunt. Meloduni deprehenditur nefarius parricida, qui ad necandum Regem furorem armauerat. Is Petrus Barriera, natus annos viginti septem, qui primùm Aureliæ nauicularius, dein miles, suscepto consilio perimendi Regis, quasi sancto & religioso; (nam eo tempore dogma illud pestilentissimum passim in sacris pulpitis, scholarúmque subselliis, ab Henrici morte asserebatur.) Idem consilium aliquot Sacerdotibus & Cœnobitis communicat; è quibus confirmatus; præterquam ab vno Dominicano Italo, Brancaleoni ab eodem ostenditur, à quo deinde Meloduni agnitus, capitur, traditúrque iudicibus; quorum sententia iustis supplicijs damnatus est, atque affectus. Et molestiæ fuit expostulatio Elisabethæ; quæ audita conuersione, ad Regem scripsit amarissimas litteras, fidem accusans ac promissa toties instaurata, & mutationem Religionis cupiditati regnandi tribuens. Reuocabat itaque auxiliares à Britannia copias, & minabatur se discessuram planè ab eius consortio. Nec modicè Regi enitendum fuit, ad mitigandum dolorem fœminæ, quam non modo exacerbabat religio, sed contemptus; quo affectam se existimabat, tanti consilij haudquaquam particeps; scripsit plurimas ad excusationem litteras, ac Batauis in eandem rem supplicantibus, præter communem singulorum vtilitatem, tandem exorauit iratam, & pacauit sensum iniuriæ. Accessit præterea Hugonottorum legatio, plora in tutelam Religionis suæ flagitantium; iique à Rege Meduntæ auditi sunt; remissi postea in prouincias, cum facultate conuocandi Synodos, tum prouinciales vt vocant, tum nationales;

Petrus Barriera captus. Barriere.

Querela ob conuersionem.

HENRICVS IV.

postulatorum concessis, aliis in commodius tempus reiectis; cùm in præsentia Catholicis hæc legatio iniucunda foret, & crederetur obfutura absolutioni, quam Rex à Pontifice summo expetebat. Etenim is vnus amovendus obex supererat, & absorbenda summa difficultas; vt Clemens Pontifex comprobaret Regis absolutionem, eúmque vinculis dirarum solueret. Idque tum Hispani, tum fœderatorum contumaciſſimi conuersioni opponebant; eam affirmantes fictam, dolosam, atque insinceram, imò inefficacem & momenti nullius, quando vnius esse Pontificis Romani dicerent, de sinceritate eius ferre iudicium, eam admittere, atque adstricta à superioribus Pontificibus vincula soluere. Atque ea Maynius ambitioni suæ obtendebat; ac tametsi per Villaregium, Ianinum & Zametum, produci in duos menses inducias postulasset atque impetrasset; ac Villaregius vir sinceri & prudentis consilij, auctor esset plurimus, vti se ad Regem conferret, admitteretque opulentas conditiones quas ille offerret: tamen abductus præcipiti illo cursu potentiæ, & ambitionis fascino dementatus sanam mentem abiecit, rursúmque se Hispanis tradidit. Quam in spem Mompesatium priuignum in Hispaniam legat; qui apud Philippum excusaret infelicitatem euentuum, postularet valida auxilia ad implendum de Isabella consilium, ac rogaret haberi rationem suæ erga Hispaniam fidei, si Franco Principi virgo Regia nuberet. Hæc solerter Mompesatius præstitit, adiunxítque plura ad vtilitatem inducíarum probandam, institítque Philippo, vt omninò absolutionem Regis Romæ prohiberet. Quibus demitigatus Philippus, omnia ample ad postulata pollicitus, Maynij spem excitauerat, & pertinaciam mentis. Qua deprehensa Rex negauit petenti vlteriores inducias; decerpturus conuersionis fructus iam maturos quos ratio inducíarum vetaret legere.

Maynius persuat in fœdere.

Montpesat.

XXVII.

Ac Vitrius omnium primus ad deponendum errorem fœderatis illuxerat. Qui cæterorum dux zelo Religionis Catholicæ, post Henrici mortem ab hæretico Rege defecerat, idem Procerum & Nobilium anteſignanus statim ad Catholicum Regem se conuertit. Meldas gubernabat, fœderatam vrbem & Parisiensibus ob situm commodam; Eam porrò, quod ante de Dourlanio præstiterat, dimittere voluit libertati suæ, ne fœderati conquererentur transitionem suam ab perfidia fore. Itaque ciuibus in publicas ædes conuocatis palam facit, se ad Regem ire, cui obsequium statuisse addicere, dimittere se vrbem liberam & compotem consiliorum; attamen auctorem esse, vt se imitentur, ac Regem quem dedisset Deus agnoscerent. His dictis, cum equitum turma vrbe egreditur, iussa vxore vasa colligere, ac cum liberis & familia subsequi. Continuò Magistratus ac ciues regressi ad deliberandum, vno consensu Præfectum suum æmulari constituunt; missíque qui eum reuocarent; ad coniugem properant, quæ iam currum profectura inscenderat; eam retinent; redeuntem Vitrium cum plausu excipiunt; Regíque in posterum totos se addicunt. Rex ciuitati immunitates haud paucas largitur, Vitrio ac liberis vrbis præfecturam, ac viginti nummorum millia. Semel portis ad reditum patefactis, plures ciuitates Regis clementiam appellare visæ:

Vitrius ac Melda Regem agnoscunt.

HENRICVS IV. Anno 1594.

Aquensis impellente Carceo, vt se Epernonij vexationibus liberet, accedente Senatus decreto, Regi subiicitur; cuius vrbis Archiepiscopus Genebrardus, studio fœderis inflammatissimus, secessit Massiliam, contumaciam suam exilio plectens. Maynij priuignam Carceus habebat in matrimonio, eiúsque partes indefessa opera hactenus fouerat, atque adeò secessione tam molesta vitrico, quàm accepta Regi. Aquensium facinus imitati extemplò sunt Lugdunenses & Aurelianenses, magni in vniuersa Francia ponderis. Lugdunensium mutationi superiore anno Maynius ipse præluserat. Nam eam vrbem & totam Præturam adiuncturus Burgundiæ, & in amplissimis regni limitibus formaturus tetrarchiam, constituerat Nemursio Lugdunum eripere, vterino quidem fratri, sed suspecto & molesto, post ortam ex æmulatione discordiam, & ambitione pari propemodum aspiranti ad regimen. Data Espinaco Archiepiscopo cura perficiendi consilij, nempe vt Nemursius deiectus gubernaculo traderetur custodiæ, idque erat præstandum per ipsos Lugdunenses, qui Nemursio perinfensi, à quo tributorum onere oppressi, plurimisque affecti iniuriis & contumeliis, credebantur sponte ad vltionem promptam ruituri. Nam Nemursius inter præclaras animi & corporis dotes, id imbuerat vitij, vt amplexus vnicè Machiavelli fallacissimi Ducis politicam, per eius artes imperium sibi constitueret: nescius in quos scopulos ac procellas se se induerent; qui tam perfido Gubernatore se committerent mari. Duo erant in castro Petræ-cisæ, quæ Lugduni mutis arx imminet, captiui nobiles, Andelotus & Belregardius; qui communicatis consiliis conueniunt ad excutiendum Nemursij iugum, & ciuitatem Regi addicendam. Id ciuibus Regiarum partium cùm significassent, visum erat difficilius vno eodémque tempore Nemursium eiicere & Regem admittere; incedendum per gradus, & Nemursium primò capiendum, mox sensim obedientiam Regis populo insinuandam. Et primum confectum erat, Espinaci calliditate ciues ad vindictam iniuriarum clàm instigantis; qui Disimæum Viennâ cum ducentis equitibus evocatum, ad portam Rhodani tenuerant & eundem Nemursium accurrentem vt opitularetur Disimæo, corripuerant similiter, ac postridie incendentibus duobus captiuis, captum in Petram-cisam custodiendum abduxerant. In præsentia visa est opportunitas ad perficiendam rem maturuisse. Tres bonorum partium Consules, Iaquetus, Liergus, & Seva, clàm excito Alphonso Ornano, qui nocte cum copiis ad suburbium Rhodano proximum venit, primo mane irruunt in armatos, qui stabant ad pontem Araris, & Thierrium fœderatorum ducem aliquot cæsis eo loco pellunt; tum ciuibus ad arma vocatis, & erectis doliaribus munimentis; Regis nomine adhuc tacito; alios Consules suis in ædibus custodiri curant, & aliquot regionum Tribunos, quos Penones vocant; sicque omnium comparant animos, vt Epinaco in ædibus publicis peroranti, vix aures præbitæ sint, nedum voluntates. Consequenti die, paratis omnibus; Regi salutem apprecatus populus, passim gaudio gestiens per vicos discurrit; viri, feminæ atque infantes momento fasciam candidam præferunt; atque Liguæ seu fœderis simulacrum sagæ veteris forma, raptatum

Nemursius in custodiam datus.

Beauregard.

Disimieu.

Lugdunum receptum.

raptatum per compita, flammis comburunt, cum insignibus Hispanis, Sabaudis, & Nemursij Ducis; ædes sacræ & priuatæ personant læto plaudentium strepitu, cives plebi dant epulum, Ornanus cum nobilibus vrbe excipitur; tum Consules additi fœderi abrogantur; ac statuitur ne quis in posterum Italus Magistratum publicum in vrbe gereret. Rex civibus multam gratiam habuit; qui se vltrò nullis conditionibus ipsi addixerant; firmatisque immunitatibus, beneficia plurima in benemeritos contulit. Chatrius haud multò pòst Aureliam & Bituricenses, quos pro fœderatis administrabat in obsequium Regis traducit similiter. Is ab Albaspina Episcopo Aurelianensi abductus à fœdere, & à Campogastæo, qui Regius in Curia Procurator, ne fœderi famularetur, ab primordiis belli vrbe prodierat, militiam professus in castris Regiis; idémque Chatrius in Feriam subiratus, qui præsidium Hispanicum Aureliam conabatur immittere, cum Rege egerat, vt Marescallus diceretur, sibi & filio eadem gubernatio relinqueretur, pecunia quantùm pactus est ad reparandos belli sumptus daretur; atque vrbibus Aureliæ & Bituricensi immunitates quæ Meldis & Lugduno concederentur. Tum ad exemplum Vitrij conuocatos cives alloquitur, aperit consilium discessionis ad Regem, adhortatur ad idem præstandum; atque vno consensu, (nam prudenter fœderatos domi continuerat datis custodibus) exclamant omnes Regem admittendum. Idem haud multo post Bituricum præstitit. Iámque fœderis illa & religionis opinio deterebatur; quam vt Rex excuteret, statuit inaugurationem solemnem obire. Ea quando Rhemos hostis obtinebat, Carnuti instituitur; nec dubitatum, quin ceremonia ritè impleretur; quippe iam antea Iuo Carnutensis, celeberrimus scriptor sanctitate morum & doctrina, libellum ea de re ediderat; probauerátque in Caroli Crassi commendationem, Franciæ Regem alia in vrbe inaugurari posse quàm Rhemis. Ac Carnutum Regi commodum visum est, tum ob Deiparæ religionem sanctissimam, tum impellente Chivernio Cancellario Carnuti Gubernatore. Sacrum chrisma petitum Turonibus, quod olim divo Martino ad sananda contusa lapsu membra cœlo tulerat Angelus, quódque summa religione in Martini æde asseruatur; Regem porrò vnxit Nicolaus Thuanus Carnutensis Episcopus; aderántque Principes qui Pares referrent, Contyus, Suessionensis, Mompensierius; ac Duces Pinæus, Rhetius, & Ventadurius; Matignonius Marescallus pro Comestabile, Longavilla, & Belregardius, summi Præfecti, alter cubiculo Regio, equili alter; Cancellarius, Episcopi atque Optimates. Mox Regi ab Thuano torquis sancti Spiritus, iureiurando præbito datus est. Et cœlo gratam vnctionem fuisse, statim palam fecit Parisiorum reductio.

HENRICVS IV.

La Chatre. d'Aubespine. Châpgasté.

Regis inauguratio.

Sub initium anni Maynius Belinum Comitem præfecturâ Parisiensium abdicauerat, virum maturæ & probatæ virtutis, alienum à vi & seditione, atque in Regem postquam in tuto erat religio, pronum haud modicè; id summopere Hispani expetiuerant, & sexdecim viri, quorum factio Hispanorum ope resurgebat, perfecerántque vt Brissacus in Belini locum

XXVIII. *Rex Parisiis exceptus.*

HENRICVS IV.

subrogaretur. Attamen senatus ad retinendum Belinum studio summo contenderat; iteratis decretis compellans Maynium, rémque propius ad ciuilem tumultum adduxerat; conquiescens tandem ne remedio morbus augeretur, ægrúmque perderet, momentum opportunitatis opperiebatur. Id paulò post Brissacus ipse exhibuit; qui memor iniuriæ ab Elbouio acceptæ, à quo Pictauio deiectus erat atque deturbatus, cum Rege illicò paciscitur, ac tradendæ vrbis init consilium. In id vocati qui Regias partes promouebant, Magister Princeps Senatus, Vairius consiliarius, Huillerius Mercatorum Præpositus, Langlesius & Neretus Consules; ac maximè Langlesius, qui totius molitionis curam & gubernationem suscepit. Commodùm Maynius cum vxore & liberis Suessionem secesserat, ad excipiendas Hispanorum copias; creditúrque Brissaci consilia penetrasse, sed inferre vim non ausus, maluit absentia sibi consulere, & impendentis naufragij seruare reliquias. Dicta facinori dies vigesima secunda Martij; eáque ratio instituta, vt Langlesius aggerem à Templi porta ad portam sancti Dionysij vacuum præstaret; ab ea porta ad nouam Brissacus; ij vtramque patefacerent, & Neretus portam sancti Honorati; Grosserius Tribunus regionis quæ ad sanctum Paulum porrigitur, exciperet præsidia Meloduno & Corbelio missa, & amne subuecta, atque ea in armamentario locarer; Rex parceret ciuitati, indultâ priorum criminum veniâ, atque ipse cum milite ingressus per portam sancti Dionysij, inter Hispanos & Vallones interponeret obicem. His constitutis Rex Syluanecto prodit, simulata Bellouacum versus expeditione, ac nocte flexo itinere, Sandionysium venit, locum ante militi designatum, & Tribunos alloquutus, patefacto consilio, grauissimâ pœnâ propositâ, ne quid Parisiensibus inferretur incommodi; tum silens proficiscitur, cum duobus equitum millibus, totidem peditum; mittítque Sanlucium Brissaci affinem, qui exploraret, vtrùm ex pacto apparata essent in vrbe singula. Eo renuntiante quadrare omnia, Vitrium denuò mittit, qui cum Brissaco perspectis omnibus, securitatis fidem Regi facit. Et ea nocte sexdecim viri consilij quidpiam subodorati, Feria admonito, armauerant se, & Feria Brissaco obeunti vigilias custodes assignauerat, cum mandato vti eum occiderent, si quid foris strepitus inaudiretur. Se iis feliciter Brissacus expediuerat, & metu extincto, quiescebant sexdecim viri, cùm ciues bonarum partium euocati, designatum aggerem occupant; ac portæ ex condicto aperiuntur. Tum Regius miles nullo tumultu ingreditur, occupat compita; séque in iis locat; ciues lecti per vicos discurrunt, salutem Regi apprecantes, ac schedulas scriptas disseminantes, quibus Rex veniam omnibus, etiam sexdecim viris indulgebat, iámque plebs familiariter immista militi, lætitiam admiratione mistam profitebatur. Hispani & Vallones, qui diuersis in locis stationes posuerant, magno militum numero circumcincti & circumuincti propemodum, se loco non mouent; vna Germanorum statio vim patitur; qui cùm recusassent ad Brissaci iussum salutem Regi optare, partim cæduntur, partim in amnem proximum demerguntur. Sic tranquillis omnibus Brissacus atque Huillerius ad Regem in suburbio præstolantem contendunt;

Du Vair. l'Huillier. Langlois. Nere.

Sainct Luc.

dunt; dátque Huillerius vrbis claues, Brissacus fasciam Phrygio opere laboratam; huícque Rex suam fasciam donat; simúlque Franciæ Marescallum dicit; tum hora decima matutina, vrbem ingreditur, per eandem portam, per quam sex ante annis dissimili longè apparatu prodierat Henricus III. ac rectà in ædem Deiparæ progressus, armatis quingentis præuiis, magna Procerum Nobiliúmque frequentia, decantato hymno solemni, actísque ob tantum beneficium gratiis, Luparam in palatium Regium, cibum sumpturus venit. Interea miserat ad Feriam, qui ipsi & Hispanis securitatem offerrent, arma & sarcinas; quæ illi accipientes vrbe egressi sunt, illæsi atque incolumes; simúlque Saulucius ad Cardinales Plancentinum & Pelleuæum, ad Nemursiam & Mompenseriam missus, qui Regis nomine securitatem eandem præstaret; quam Legatus admittit, vrbe cum comitatu egressus, & in itinere versus Romam morbo oppressus occubuit; Pelleuæus cùm in lecto æger decumberet, audito Regis improuiso aduentu, ad parietem versus, haud multò post emisit animam. Nemursiam & Mompenseriam alloquutus Rex, morum & sermonis humanitate sic conciliauit, vt cum altera eodem die luserit; alteram planè in beneuolentiam suam addixerit. Ipsa die restitutum vrbi commercium, apertæ officinæ, priuata negotia repetita; quódque admirabile tranquillitatis indicium; Noüæ impedimentis iniectæ manus à lictoribus publicis, ob æs patris alienum, quod contraxerat in expeditione Siluanectensi, prædem se pro dissoluendo commeatu Regio constituendo. Bastillam post aliquot dies Burgus Præfectus Regi tradit. Mox in vrbem reuocata dignitas, tum Senatus, Turonensi & Catalaunensi curiis in Parisiensem immistis; tum Cleri atque Nobilium. Tanta victoria nullius Franci sanguine partâ, & clementiâ Regis tot contumelias condonante, vt illius excepti neminem pœnituerit; visúsque sit paterfamilias restitutus hereditati paternæ, qui collapsum patrimonium magna cura sarciret ac restitueret. Eo die in singulos annos instituta publica supplicatio, in beneficij tanti memoriam, ac deducente Rege primùm incepta. Data Præfectura vrbis Francisco d'O, quam ante obtinebat, ciuitati sancitæ immunitates; Magistro, & Huillerio, nouæ Præsidum dignitates datæ in Senatu, & Rationum Curia; Vairius & Langlesius dicti Magistri libellorum supplicum; sic bene meriti vocati in præmium: nemo in pœnam; vt totum facinus clementia & bonitas, nullâ mali aut metus mixturâ, sibi arrogarent.

HENRICVS IV.

Anno 1593.

Du Bourg.

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XXIII.

SYNOPSIS.

Rothomagum, & aliæ vrbes Regi addictæ. Laudunum captum. Rex bellum Hiſpano indicit. Caſtelli parricidium. Ieſuitæ pulſi ex Francia. Res in Britannia. Res in bellum vocatæ. Nemurſij libertas & mors. Vienna capitur. Res in Burgundia. Conflictus ad fontem Francicum. Rex in Burgundia, & Lugduni. Res in Picardia. Durtanium ab Hiſpanis captum. Cameracum ab Hiſpanis captum. Niuernenſis mors. Rex ab Pontifice abſolutus. Maynij & aliorum fœdus cum Rege. Aumontij mors. Epernonij varij caſus in Prouincia. Maſſilia recepta. Faræ obſidio. Caletum ab Hiſpano captum. Ardea capta. Medicæus Legatus in Francia. Fœdus cum Anglo. Ambianum ab Hiſpanis captum. Ambianum obſeſſum à Rege, & receptum. Archiducis ad caſtra aduentus. Britannia pacata, receptus Mercordius. Edictum Nannetenſe. Inſulæ Maſſilienſes receptæ. Barrauſia arx capta. Pax Veruinenſis. Dux Sabaudiæ in Franciam venit. Perronij cum

Mornæo

Mornæo colloquium. Bellum in Ducem Sabaudiæ. Regis coniugium cum Maria Medicæa. Bironis coniuratio & mors. Iesuitæ in Franciam reuocati. Comes Aruerniæ captus. Bullionio parcitum. Rex Venetos cum Pontifice conciliat. Pax Veruinensis laborat. Inducie Batauorum cum Hispano. Causæ belli in Hispanum. Henrici magni cædes, & dotes. Parricidæ pœna. Ludouicus XIII. Rex. Maria Mater Regens dicta. Iuliaco datum subsidium. Condæi in Franciam reditus. Regum connubia. Turbæ in Aula. Comestabilis mors.

I.

HENRICVS IV.

POSTQVAM Rex nullius detrimento exceptus est Parisiis, ac religionis & pietatis palam specimina plebe spectante haud pauca edidit; atque Vniuersitas Parisiensis abrogatis decretis prioribus Henrico Regi iurauit obsequium; cæteræ passim vrbes ceu curato fascino ad officium redeunt. Rothomagum atque alia Normanniæ oppida in Villarsio rediguntur: ille quanquam difficilia admodum reposcebat; nimirum Admiralij dignitatem, quam Bironi Rex impertierat, Sacerdotia opulenta, quæ sibi famulantibus concesserat Rex; arcem Fescampiam quam Boscorosius tanta fortitudine Regi addixerat; magnam vim pecuniæ ad alienum æs dissoluendum, Legionem & turmam equitum, præfecturam Rothomagi & attributæ regionis; ea tamen omnia Rex donauit; siue vt virum fortem sibi compararet, siue vt eundem & potentissimam vrbem Hispano detraheret, quem excluſus Villarsius appellabat haud dubiè. Aliæ vrbes statim ad Regem versæ, Præfectorum operâ, dignitatem sibi asserentium; atque vnâ fideliâ dealbantium parietes duos: Regiam fidem, & suum commodum; Monterolium & Abbavilla in Picardia; Trecæ & Senones in Campania; Rionum in Arvernia; Aginnum, Villanoua, & Marmanda in Aquitania. Ita bellum dum auro geritur, & cruore nullo vrbes comparantur; Ernestus Mansfeldius ad interpellandum cursum illum felicitatis, Capellam arcem validam in Picardiæ finibus, cum octo peditum millibus, & equitibus mille, è Belgio irrumpens obsidet; oppugnátque tanta vi, vt post diem decimam quartam ad deditionem adegerit. Rex de periculo arcis sollicitus, diligenter quidem evocauerat copias, sed seriùs ad servandam vrbem apparatus, Laudunum in Picardia munitam vrbem, quanquam cõmeatu non instructus admodum obsidet. Propugnabat vrbem Burgus, vir strenuus qui Bastillam tradiderat, erátque à consiliis Ianinus Præses, cum Sommariua altero Maynij filio; isque diutius quàm censuerat Rex, vrbem tenuerunt. Primùm lentè procedebat obsidio, quæ incepta nullo consilio, & Rege imparato, commeatus penuria & instrumentorum, tardè vrbem clausit: Deinde Bironis dolor, ob concessum Villarsio Admiralij munus progressurum

Rothomagũ & alia vrbes Regi addictæ.

La Capelle.

Laudunum captum.

HENRICVS IV.

surum opus retardabat. Vir animi impotens, Villarsio infensus, tum ob dignitatem ereptam, tum ob virtutis æmulationem, quod Villarsij laudes suæ menti stimuli & aculei forent, indignabatur sibi parem antelatum quodammodo; nec Maresealli dignitatem habebat in pretio, quam ipsi Rex contulerat, iam vulgatam copia, & consortium numero imparem ad implendos spiritus qui eminere sine socio cuperent. Volebátque Biro omissis omnibus Parisios regredi, nisi Rex indolis gnarus, mitigasset iram & dolorem immensis laudum præconiis, quibus viri fidem & fortitudinem prædicabat. Interim Maynius Bruxellas ad Ernestum Archiducem properauerat, quem è Germania Belgio præficiendum Philippus vocauerat: mandaueratque Ernestus Mansfeldio vti opitulari vrbi tentaret. Atque is copias eò adduxerat, locauerátque in colliculo tertio ab ipsa vrbe milliari; geminique exercitus per dies novem se tormentis mutuò lacessentes, intendebant vrbi, quà patefaciendæ, quà claudendæ. Verumtamen Mansfeldius cùm hactenus frustra contenderet, Farà quam tenebant Hispani, per tecta siluis itinera, commeatum amplum vehi in vrbem iubet. Eum Biro prohibendum suscipit, hostémque quanquam numerosum tam validè aggreditur, vt post atrocem pugnam, in fugam egerit, sexcentis occisis. Ab ea strage Mansfeldius nocte concubia castra soluit, & per Faram se in Artesiam recipit. Nec ideo obsessis deiectus est animus, sed tergeminam impressionem ad labefactatum murum repellunt fortiter; mox cùm quarta appararetur, deditionem faciunt in duodecimum diem, nisi Maynius succurrat; quo non comparente, impleta est deditio; Regis clade non modica

Givry.

& magno dolore omnium ob Givrij mortem, quem fortitudo bellica, & humaniorum litterarum scientia, tam ad pacis commoda, quam terrorem belli commendabant. At ea ciuitas quamvis carò empta, aliarum plurium portas reserabat; nam statim Pictavium Regem appellat, fratrum Sammartanorum fide atque industria; eaque vrbs Elbovium Ducem Regi addixit; Theodorici castrum, Perona; Roya, & Mondiderium, Ambianum ciuium ingenti voluntate; Bellouacum, Noviodunum mox accedunt; vt Rex totius Picardiæ potiretur, præter vrbes tres, Suessionem, Hamum, & Earam; quas præsidiis coërcebant, Maynius, Aumalius, atque Hispani. Imò iam ab ipso deficiebat sua stirps atque familia. Quippe Guisius Gubernator Campaniæ pro fœderatis, à Maynio iam antea dissidens, Rosnij operâ cum Rege contrahit, atque ipsi addicturus Rhemos, quos Sampaulus fortis ille miles, dictus à Maynio Maresealus, positis arcibus velut compedibus vinciebat; orto dum per vrbem incedit iurgio, Sampaulum ictum directo ense interficit; ac paulò post euersis arcibus Regi vrbem tradit. Similiter Dux Lotharingiæ opera Bassompetræ cum Rege conuenit; fœdusque pangit ad controuersias omnes disceptandas.

II.

Rex bellum Hispano inducit.

Et ea Maynium adducere debuerant, vt rebus suis aliquando consuleret, cui non ab vno Rege periculum esset; sed ab aliis, apud Philippum contendentibus vehementer, vt nece vel perpetuo carcere plecteretur, cui fœderis detrimenta omnia vni tribuebant. At Philippo tantam perfidiam auersante, statuerat Maynius in Burgundiam proficisci, quæ vna dum-

taxat

taxat prouincia sibi admodum fida, nisi vindicaretur ab armis & consiliis Regiis, nulla tabula naufraganti supererat. Igitur in eam versus, Philippo persuadet, vt copias quas in Insubribus legerat, in eam prouinciam destinet, & ipse audito vrbes Antisiodorum, Matisconem, atque Aualonem defecisse ad Regem, cum aliquot turmis equitum Diuionem properat; quam & ipsam vrbem haud pauci tentabant ad Regem traducere. Eorum duces Iacobus Verna, Consul primarius, vt Gauius Centurio; & consilia adeo promouerant, vt ipsorum nece arbitratus sit Maynius securitatem esse comparandam; quibus capite cœsis vrbem ingreditur. Eas ob res Henricus, cum Maynium ab Hispano nequiret auellere, rem suscipit, tum ipso consilio arduam & perdifficilem, tum euentu damnatam, & ipso rerum cursu pernicioſam. Indignabatur sibi tantam molestiam à Philippo afferri; Contra ius Nauarram auitum imperium retineri; indignantem nouo Proceres insuper stimulabant aculeo; *intestini & diuturni belli causam opprimendam; non posse commodius extingui incendium, quàm si flammæ fomes & alimentum ignium subtrahatur; erupisse ab vno Hispano discordiam belli; reiciendam in eum molestiam, & qui alienum bellum suo commodo aleret, id tandem intra viscera semel admitteret.* Addebant præterea Hugonottos multa meditari, inuestigare ducem cui se traderent, quando spes suas interciderat conuersio Regis; nec opportunius auocari posse à secessione, quàm si quod cupiebant ab annis plurimis, Hispano bellum denuntiaretur. Idque Bullionius præ cæteris vehementissimè contendebat, tum ex sua indole turbulentus, tum vt Sedani possessionem sibi stabiliret, ac Mauricio Orangio fratrio suo rem gratam faceret. Etenim Catharinam coniugem exulerat, eius testamento hæres dictus, & Elisabetham Mauricij sororem in coniugem duxerat, nihilque opportunius ad retinendam noui imperij possessionem, quam si Franciæ Regem Hispano opponeret, & flagrante bello sibi consuleret. Aliquot prudentiores dehortabantur Regem ab hoc consilio; *qui adeo nouo bello profligare Franciam non deberet, vt paci studere potius, ad sananda vulnera prope letalia debuisset, atque eam quouis pretio tandem redimere; circumspectaret se, summque imperium; quæ prouincia sub plagis & calamitate non gemeret; qua regio hostem visceribus suis non aleret; quæ ciuitas deformata incendio non emitteret fumum; admotas illico flammas correptura.* Nihilominus Rex, tum impetu suo, tum impulsu Procerum verentium pacem, & propagato bello, propagantium potentiam suam & vtilitatem; bello habenas imprudenter laxat, missisque in Luxemburgium Bullionio, & in Artesios, Hannoniósque Balagnio, nullo præter rusticorum prædam emolumento, bellum tentat; scriptis ad Hannonios atque Artesios litteris, quibus minabatur se Ianuario proximo illaturum bellum Regi Hispaniæ, nisi is suas copias ab eorum prouinciis abduceret atque amoueret; quibus litteris cùm responsi nihil datum esset; Rex ad instruenda arma Parisios venit; nouo statim periculo implicandus. Nam de via se in cubiculum recipiebat cùm in turba Procerum parricidali ictu percellitur; demittebat se ad excipiendos Montignium & Ragnium, qui salutaturi accesserant; cùm cultro in os impacto, labro inferiore scisso, & excusso

Verne. Gau.

Chastelli parricidium.

HENRICVS IV.

dente sauciatur. Et commodùm dimiserat se, nam patricida in guttur ictum intendebat. Continuò cùm ex fluxu sanguinis pateret vulnus, lateretque patrator flagitij, nam is in turba cultrum abiecerat; à Suessionensi apprehenditur adolescens, annorum nouemdecim, qui primùm scelus pernegans, Parlamento est traditus, cui flagitij seriem patefecit. Is nomine Ioannes Chastellus, Parisiensis mercatoris filius, flagitiis multis implicitus existimauerat se eorum non posse exorare veniam, nisi te grandi parrata in Dei gloriam; quam melancholica indoles, ex tetterrima priore bello opinione concepta, sibi fingebat implendam, in cæde Regis, quem adhuc hæreticum plures nuncupabant. Is ab Senatu meritis postea damnatur & addicitur pœnis; membra candenti forcipe laniatus, discerptus trahentibus in diuersum equis, atque igne consumptus. Iesuitas, è quorum scholis dimissus nuper erat patricida, quanquam innocentes inuasit odij flagrantis ob fœdus, vetus inuidia. Paulò antè Vniuersitas Parisiensis litem iis intenderat, vti vrbe pellerentur, erátque causa in Senatu disceptata ambitu magno, & adiudicata Iesuitis, multorum Procerum commendatione, præcipuè Cardinalis Borbonij, & Ducis Nivernensis. In præsentia Borbonio extincto, post Guignardum appensum patibulo, tota Francia exulare iussi, obtemperant; mox abipso Rege cum maxima laude reuocandi; quibus exilium non tam pœna, quàm probatio fuit; & reuocatio, innocentiæ præmium, non culpæ venia. Attamen Parlamenta Tolosanum & Burdegalense, non steterunt decreto Parisiensi, & Iesuitas incolumes in Collegiis ditionis suæ conseruarunt. Et ea ad apparatum Hispanici belli, quod priusquam aggrediar, obseruare lubet quod in Britannia geritur. Eam Aumontius Regi vindicabat, Mercordium & Hispanos dirimente discordia & cupiditate, cùm suarum quique rerum satagerent; præcipuè arx Crodonia Aumontio ærumnis & gloriæ fuit; ea supra Brestum ad Oceanum posita, quadringentis Hispanis propugnantibus, diu Marescalli vires & copias fregit; tandem vi capta, & per Sordeacum à fundamentis euersa. Atque in ea ingens grati animi editum est specimen. Siquidem cùm vetuisset Aumontius, ne cui Hispano dum in arcem irrumpitur parceretur; mox audit Anglum militem, Hispano vni pepercisse, eum occoluisse in tabernaculo, excipere commodè, ac deliberatum morte vicaria captiuo vitam asserere. Arcessitus ab Aumontio Anglus, haud inficiatur, affirmátque se olim in Belgio ab eodem Hispano captum & seruatum, paratúmque vitam ponere ad seruatorem tuendum. Virtutem militis admiratus Aumontius, ac lætus reuocatum in tempora sua facinus, quod prisci sæculi esset, incolumem vtrumque dimisit, & opulentis affecit muneribus. Post arcem diruram Maclouienses, scriptis conditionibus se Regi tradunt. Nec omiserim stratagema, tunc primùm, quod legerim, vsurpatum. Cùm centum equites è fœderatis ab Aumontij agmine premerentur, nec effugio locus aut vires essent; ij alvearia quæ fortè occurrebant, per viam mediam, quà insequebatur hostis euertunt, illæsique effugiunt; apibus in sequentium equos repente conuersis, aculeisque pungentibus quadrupedum ora, & penitus à pugnæ serie diuellentibus; nouo prorsus scloperi & glandium genere in bellum inducto.

Anno 1594.

Chastel.

Res in Britannia.

Crodon.

Grati animi specimen.

S. Malo.

Apes in bellum vocata.

Bellum

HENRICVS IV. III.

Bellum in Hispanos publico programmate postquam inductum est; vis illius repente è Belgio in Burgundiam vertitur. Nemursius postquam decem menses in custodia hæserat, vt ingenio vaferrimo erat, iterum luserat custodes, & famuli vestem indutus, quasi foras purgamenta alui efferret, haud deprehensus euaserat, & continuò amicis euocatis, & tribus Helvetiorum millibus à Sabaudo acceptis, Lugduno vltione flagrans imminebat. At Henricus Mommorancius, quem in posterum dicam Comestabilem (nam eam tandem dignitatem à Rege impetrauerat) profectus ex Occitania, cum mille cataphractis, & equitum sclopetariorum quatuor millibus, iussus est hærere in Lugdunensi Prouincia, isque statim Vienna Nemursium claudit; vnde Helvetiis ad Sabaudum regressis, & Nemursius ipse in Sequanos ad Comestabilē Castellæ profectus, fecit Viennæ capiendæ opportunitatem. Nam Disimæus pollicitis à Comestabile expugnatus, eum Pipeto excipit, quæ Viennæ arx erat, & trium validissima; mox ipsa vrbe, emisso Nemursij præsidio. Nemursius aliquantò post in grauissimam ægritudinem incidit, qua tandem è viuis raptus est; sanguine per os & nares erumpente identidem; donec eo penitus exhausto, vita soluta est; sic adolescens feruida & turbida indoles, sanguinem cui bellum pepercerat, morbo dedit, per intervalla moriens, non sine veneni præbiti suspicione. In Nemursij nomen & dignitatem successit frater Sansorlinus Marchio. Simul in Burgundiam propagabatur felicitas Regis; nam Belnenses, Belino primario Consule impellente, præsidium à Maynio impositum impetu facto oppresserant, & Birone admisso arcem expugnarant. Belnensium exemplum æmulati Augustodunenses, excepto Birone similiter, se à seruitute Maynij vindicauerant, & Senecæus se & Aussonam Regi addixerat, & Diuionenses, profecto ad Comestabilem Castellæ Maynio, in eius Legatum Vicecomitem Tauanium arma rapuerant, castrumque vrbi admotum obsederant. Sed eos Tauanius in angulum vrbis compegerat; domabátque penitus, nisi imploratus cadentium precibus Biro, spem extemplò, & primos impetus erexisset. Ille Tavanium vrbe pulsum in Talanum adigit; quæ arx erat dimidia leuca ab ciuitate, simúlque eam arcem & castrum oppugnat, & quoniam metus ab hoste proximo erat, Regi auctor est, vt omissa Picardia, adducat in Burgundiam copias, minacem hostem amoliturus. Siquidem Ferdinandus Velascus Castellæ Comestabilis, Prorex Mediolanensis, in Sequanos exercitum duxerat, quindecim peditum millia; & tria equitum; exorante Maynio, vt Burgundiam sibi assereret. Isque primo aduentu Lotharingos qui Regis stipendiis merebant, conclusos Vesulio, agris depulerat, venerátque Græum, quæ ad Ararim vrbs est Sequanorum, & iniecto ponte transitum apparabat. Eam ob causam persuadente præterea Etræa, quæ masculo nuper susceptо, illi Sequanorum imperium ambiebat, Rex in Burgundiam profectionem indicit copiis; ac de Picardia minùs sollicitus, cùm Ernestus Archidux nuper obiisset, ac Fontanus Comes dictus Belgio Prætor, dum Albertus veniret è Germania, non videretur paruo interuallo magnum aliquid moliturus; imò Mauricius Bullionij sororius

Nemursius liber, Vienna pellitur, & moritur.

Anno 1595.

Pipet.

Bellum in Burgundia.

Aussones. Tavanes.

Talan.

Gray.

HENRICVS IV.

Saint Paul.

sponderet se in Belgium moto exercitu irrupturum, duces eo in limite, militésque constituit; quàm prudenter euentus docuit. Sampaulo Comiti, cui Picardiæ præturam attribuerat; mortuo fratre Longauilla, Duci Niuernensi, Bullionio Marescallo, ac Villarsio Admiralio, curam finium ac prouinciarum tradit, iussis si hostis irrumperet, adiungere copias, & vtius Niuernensis subesse imperio; quibus stabilitis per Campaniam Diuionem venit. Ibi inspecta arcium oppugnatione, statuit ea Torignio Matignonij filio relicta, cum cataphractis ducentis & quingentis equitibus sclopetariis ad hostem procurrere, explorare incessum, & transitum in vnum alterumve diem impedire. Cùm totum agmen distribuisset in turmas, Marchionem Mirebellum & Aussonuillam præmiserat, qui hostiles copias explorarent; quoniam audiuerat eas vltra Ararim transmissas; sequebatur Biro cum Baronis Luxij turma; Rex in pago cui Fons Francicus nomen est cum turma hæserat; cæteri equites longè constiterant. Porrò Comestabilis Mayniúsque cum toto exercitu ingressi, in pago Sansena designauerant hospitia, atque incedebant, cum eorum velites Mirebæum obuium fundunt; ísque excipitur Bironis agmine. Collis pagum vtrumque Sansenæ & Fontis Francici dirimebat, vetabatque aspectum mutuum; eámque ob rem aduenisse hostis exercitum Biro non deprehenderat, nisi postquam primo toto agmine imperitum se vidit. Etenim Maynius vbi Francum comperit procurrisse, non dubius quin ipse Rex conflicturus inter primos aduolasset; vrgebat Comestabilem vt immitteret totum exercitum, indubitatam & præclarissimam victoriam spondens; atque vno capite difficillimum bellum profligatum iri. At Comestabilis præter indolem lentam, & proniorem ad tranquillas pacis artes quàm belli feruidas, vel haudquaquam ratus Regem nudum viribus eò processisse, siue fortitudinem vel destitutam formidans, se à conflictu inhibuit; ægrè sinens Maynium mittere Francorum turmas, & quingentos Hispanos equites; Francos ducebat Houdanus, Hispanos Binellus. Ij Bironem lentè recedentem retrudunt ad Francicum Fontem; cùm Rex de periculo Bironis certior factus, cum centum dumtaxat cataphractis, sed lectis singulis, in aciem prorumpit, séque hosti ruenti obiicit. Loricam indutus, solo pileo caput obtexerat, cùm stricto ense in confertam turbam extemplò se abdit; dimicabant in eius agmine, Duces Trimollius atque Elbouius, Pisanius Marchio, Inteuilla, Roquelaurus, Montignius, Plessiliencurius, Mirepoxius, & Iuuenalis Vrsinus; qui cum eo simul in hostes prorumpunt; ij erant octingenti in tria agmina distributi; quos Oudanus & Sansonius agebant, Binelli Legatus, cùm ille irruere recusasset; Oudanus in Bironem deflectit; rectà in Regem Sansonius, & post atrocem dimicationem, Sansonij agmen, cæso ipso à Rege pellitur; ac paulò post Biro, duabus plagis saucius, reuocatam è prælio turmam Regi adiungens, cum eodem in reliquum equitem rapitur; parique successu Rex victum profligat, & ad spectantem Maynium dissicit. Instabat victoriæ, in Maynium ipsum procursurus, cùm aduertit interiectam siluam, obiectósque sclopetarios; inhibitóque vestigio sistit; frustra Maynio Comestabilem obsecrante, vt moueret se, totúmque

Conflictus ad Fontem Frãcicum.

Houdam. Binelle.

Plessilien-cour. Mirepoix. Sanson.

Mirebeau. Aussõuille. Fontaine Françoise. Sainct Seyne.

túmque exercitum tam inferiori Regi infunderet. Per moram illam breuem, accedunt ad Regem octingenti equites, quiè castris ad conflictus famam decurrerunt; aderántque Aruerniæ Comes, Chiuernius Cancellarij filius, Curæa, Aramburcus, Sangeranus, & alij; quibus spectatis Comestabilis prætendens aciem totam accurrisse, se Sansenam eo die recepit, ac postridie Græum; exclusis vrbe Francis, etiam qui conflictu proximo saucij erant. Et is conflictus est, nec numero pugnantium, nec clade memorabilis; nam cæsi dumtaxat centum & viginti; sed periculo Regis & fortitudine prædicatus; nam vt ipse testatus est, aliàs ad quærendam gloriam dimicauerat; tunc omninò ad vitam tuendam; quam tam multis necessariò obiecit periculis, vt nemo vnus in suo agmine esset, quin gloriaretur Regi sua opera salutem assertam. Et ipse plures litteris ad diuersos scriptis collaudauit, fidémque affirmantibus fecit. Sibi vtraque partium adscripsit victoriam; sanè laus maxima ad Regem pertinuit, & prouidentia Dei singularis, qui nudum capite, tot inter hostium tela immunem, vel à leuissimo vulnere præstitit.

HENRICVS IV.

Aramburc. Saintgerant.

Ab eo conflictu Rex Diuionem secessit; vt geminas arces expugnaret, simúlque contendit Maynio prope ad desperationem acto tabulam naufragij clementiam suam subiicere. Quippe Maynius cùm Velascum ad submittenda arcibus auxilia permouere non posset, statuerat Sommariuam in Pedemontium proficisci, inde in Hispaniam rationem belli redditurus Philippo. Sed Rex miseratus pereuntis sortem, Ligneracum ipsi fidum arcessit, portum beneuolentiæ iactato Duci præbiturum se spondet; tandem Hispanorum incertam opem & fallacem deserat; Cabilonem recedat; dum de pactis agitur; liberum iter & securam moram pollicetur. Ea Maynium renuntiata expugnant; simulata Diuionum versus expeditione, turmas Francicas à Velasco impetrat; eásque Cabilonem deducit, fruiturus beneficio Regis, & suo commodo pacem confecturus. Atque illicò à Tauanio impetrat, vt Talanum arcem Regi donet, idémque præstat de castro Diuionensi. Per quæ Diuione liberata omni incommodo, & Senatu voluntate Regis instaurato, Rex ipse exercitum in Velascum ducit. At cùm is se contineret intra munimenta, nihil maioris momenti actum est; cúmque ad subigendas Sequanorum vrbes intenderet Rex, intercessione Heluetiorum prohibitus; quorum interest eam gentem neutrius Regum partes tueri, abstinuit à proposito; mox peste in vtroque exercitu sæuiente, ipse Lugdunum versus recessit, Comestabilis Mediolanum; tota Burgundia præter Seurram & Cabilonem in regias partes vindicata. Lugduni Rex multa constituit ad pacandas Prouincias quæ bello agitarentur; nam Sabaudo permisit inducias, & is Briqueratium & Cauorsium fortiter receperat, dum Lediguerius Regis iussu Epernonium in Prouincia premit; mox eadem inducias indulget Mercordio; Boisdelphino in partes suas accepto, quem Franciæ Marescallum dixit; idem inducias beneficium concedit Maynio, & Præturam Phocensium Guisio donat, amoturus tandem Epernonium, quem pati eo loco non poterat. Sed de eo infra pluribus dicam; nunc ipsum Regem festinantem in Picardiam stylus

IV.

Rex in Burgundia & Lugduni.

Seurre.

HENRICVS IV.

assequetur. Fontanus Comes iussus à Philippo copias inferre in Picardiam, Castelletum ducto exercitu cinxerat, & verberabat acriter; Fatam eadem gens atque Hamum vrbem obtinebat, Orvillerius castro insidebat, à Francis atque ab Hispanis iuxta appellatus, vt ea arce admitterentur; Humerius bello ille strenuissimus dux & militi charissimus, impetrauerat ab Orvillerio, vt via ad arcis fossam præbita, irruendi facultas in Hispanos daretur, & Hispani vrbem tutabantur mille sexcenti, veterani omnes, plerique ductores ordinum, qui se in arcem accuratè muniuerant. Eam ob rem strenui omnes in Picardia Franci adiunguntur Humerio, Chauneus, Sessevallius, Maillius, Pequinius Vidamus Ambianensis, Insula Mariuansius, Haraucurius, Desclusæus, cæteríque haud pauci; quorum Principes Sampaulus Comes, & Bullionius. Ij magno animo in primum munimentum Hispanorum inuadunt, & repelluntur crebra sclopetorum grandine, Hispanis è proximis ædibus explodentibus. At cum Humerius impetum redintegraret, sclopeti glande sternitur; cuius nece Franci ferociores irrumpunt in munimentum ædesque proximas; sed in eas Hispani flammas iniiciunt, sic pugna nova flammas inter cooritur; ac perstitit atrocissimum illud dimicandi genus horas quatuordecim; iactantibus incendium ventis, & alterutram partium accessu aut recessu iuuantibus. Tandem Bullionius per incendium obiectum peruadens, per mediam vrbem ad oppositam portam irrumpit; eámque Sampaulo patefacit; vnde ambo Hispanorum pugnantium terga adorti, victoriam patrant. Cæsi omnes propemodùm in vindictam Humerij. Aduolabat in suorum opem Fontanus, sed audita cæde, regreditur in castra, ac Castelletum paulò post obtinet deditione. Eo potitus ad Cameracum animum applicat, quod dudum animo meditabatur; idque Aumalius & Rosneus efficaciter suadebant. Quippe Aumalium Senatus Parisiensis seueritas ab spe omni pacis abduxerat; eum vti reum læsæ Maiestatis damnauerat turpi iudicio, discerpi quadriiugis, & exauctorari nobilitate; aliaque adiuncta cum ingenti infamia; idque in Aumalij forma fictitia exequutus carnifex erat. Ea acerbitas tum Aumalium prorsus Hispanis addixit, tum Rosnacum reconciliationis spe deiecit, fortissimum virum, dictum à Maynio Marescallum; qui flagrans vindictæ libidine, Cameraci oppugationem Fontano insinuat; sed veluti proluturum deducit Dorlanium; quæ vrbs est in Artesiæ finibus, octaua Ambiano leuca. Ad famam obsidij, Franci Duces opitulaturi conueniunt; Sampaulus, Bullionius, & Villarsius; contraxerántque quatuor hominum millia; præter equites quadringentos, & pedites septingentos, quos Nivernensis ducebat. At cùm statuissent Nivernensem non opperiri, quanquam vnius diei itinere haud longè abesset; copias seligunt, quas in oppidum clausum immitterent; eæ erant pedites sexcenti, equites septingenti. Rosneus postquam eorum deprehendit consilium, Fontano intrepidè auctor est, vt pugnaturus occurrat, discordiam hostium aperit, pollicetur victoriam, & ipse militem eductum castris componit in aciem. Atque is conflictus diuersè narratur; constat ducum discordia atque inuidia, Bullionij nempe & Villarsij, victas copias, deletum peditem,

Res in Picardia. Humieres.

Dourlens. *Dorlanium ab Hispanis capitur.*

peditem, & fusum equitem, quanquam minori strage: Villarsium qui postremum agmen ducebat cum Sellevallio & quinquaginta illustrioris notæ cataphractis, dum strenuè pugnat, perfosso equo captum, & cum eodem Sellevallio ab Hispanis contra ius belli sclopeti glãde interfectum; haud paucis Bullionium accusantibus; quod per inuidiam fortissimum virum hosti obiecisset. At eadem mox discordia Nivernensem à Bullionio dirimit, negante Nivernensi regimen belli admittere, desperatis rebus perditis, & Bullionio excusante se, quod summum imperium non haberet. Interea Hispani vi in castrum Dorlanij penetrant, & ab eo in subiectam vrbem prorumpentes, omnia delent internecione; militem, ciuem, feminas atque infantes obtruncant promiscuè; vindices vt profitebantur sociorum, qui Hami ceciderant. Nobiles plus trecentis perempti, septem dumtaxat incolumitas data; præfecti vrbis fratres Halluimus & Ronsoyus occumbunt, alter in prælio, alter vulneribus; duo mortalium millia per eam vltionis libidinem cæsa. Mox victor hoc euentu lætus, postquam Picardiæ vrbes plures tentauit, ab iis exclusus Nivernensis vigilantiâ, tandem Cameracum decem millibus hominum admotis obsidet. HENRICVS IV.

V. *Cameracum ab Hispanis captum.*

Balagnius Monlucij Episcopi filius aliquot antè annos Cameracum tenebat, Imperatoriam vrbem amplam & validam; is diu adhæserat fœderatis, nuper in Laudunensi obsidione Regem conuenerat, ope adiuuerat, & ab eo Marescallus dictus, impetrauerat, vt Cameracum iure summo seruaret, sub tutela Regis. Verùm idem vicinis Artesiis atque Hannoniis molestissimus erat, ob prædas frequentes ex eorum agris vi raptas, & exactas pecunias; tum ipsis Cameracensibus odiosus, ob auaritiam & tributorum plurimorum onus, & contra tot hostes vno Regis nomine se tutum ratus, septingentos dumtaxat milites habebat in præsidio, & frumentum totum vxor diuenderat, magno pretio, cùm annonæ penuria eo anno foret. Continuò ad primum Fontani motum, Nivernensis de tanta vrbe sollicitus; filium in opem miserat Ducem Retelensem, præclarum adolescentem, annos sexdecim natum; qui ducibus Vaubecurio & Buttyo quadringentos equites in vrbem intulit; per stationes hostium plurimas, non minori felicitate quam animo. Simul Dominicus Vicus præclarissimus ille propugnator vrbium, diuersa parte irrumpit cum ducentis equitibus. Atque is extemplò aggressus suam artem, ingruentem hostem repellit tam strenuè, vt quanquam in castra ad viginti hominum millia confluxissent, tormentis septuaginta duobus murum verberarent, & quinque rusticorum millia fossorum opus implerent acerrimè; tamen Vici strenuitas & vigilantia, per septem hebdomades obsidionem nulla inctura vrbis prottaxerit. Nec Fontanus spem vltra promouebat; nam dicebatur Nivernensis cum selectis copiis Peronæ ad inferendam opem intendere; Rex magnis itineribus profectus Lugduno brevi affuturus, & Autumno adulto imminebant imbres; exercitus imminutus erat atque infractus; & adhuc vrbis portæ ad subsidium excipiendum quatuor patebant. Quas ob res Fontanus soluebat obsidium; nisi primùm Barlota iubibuisset, proposito periculo ne proximæ prouinciæ desperatu re cum Balagnio paciscerentur, deficeréntque ad Regem; deinde Rosneus

Vaubecour. Butry.

HENRICVS IV.

ſpem certam feciſſet capiendæ vrbis, per arcana conſilia quæ regebat. Et verò Cameracenſes Balagnij iugum ferebant moleſtiùs; tum ob tributa vt dixi grauia, tum quod omnia per iniuſtitiam geſta, data militi graſſandi licentia, & vxoris arrogantia cupiditatem viri cumulante. Et quidem Cameracenſes ad Regem, vbi cœpit obſidio, legatos miſerant; qui ſe & vrbem eius imperio traderent, rogarétque vt haberet tueretúrque pro ſubditis, extincto Balagnij dominatu; & moleſtiſſimè repulſam tulerant; nam Rex Etrææ impulſu, quæ fauebat Balagnio, auerſatus preces, imperium reiecerat; quas ob cauſas appellanti Roſneo aures præbent, & cum muro labem admodùm leuem intuliſſet hoſtis, & minaretur impreſſionem; illius periculum, quod nullum erat, ciues prætendentes, repente munimentis per vicos erectis, & diſpoſita in arcem ſtatione, exclamant, excipiendum Hiſpanum atque ad portam excepturi feſtinant. Ad eum tumultum Balagnio prodire arce non auſo, coniux Buſſiamboſij viri illius fortiſſimi & miſerrimi ſoror, quæ tota obſidione partes vigilantiſſimi ducis obiuerat, in vrbem ſubiens, ſariſſam manu geſtans, ciues aggreditur expugnare precibus, obſecrationibus, promiſſis, iureiurando, ipſa mollitudine ſexus, & calamitatis miſeratione; quæ cum induratos non frangerent; Vicus poſcebat, ſaltem præſtolarentur, dum ſecurum & commodum fœdus ſcriberetur. Sed iam Hiſpani omnem moram ſuſtulerant, ciuibúſque poſtulata omnia concedebant, in vrbem admiſſi; Vico ægrè Francos inducente in arcem. Nec ea diu in eorum poteſtate fuit, poſtquam Vicus inſpectis horreis deprehendit, vix annonam in diem octauam ſufficere, ita poſt inducias breues, & deſperatum à Niuernenſi ſubſidium, qui cum Bullionio conuenire non poterat; arx Fontano dedita. Balagnius, leui ſenſu doloris, ambitione qua intumuerat, per ignauiam preſſa, arce egreſſus eſt; coniux fortior an ambitioſior, die ante deditionem altero; poſtquam marito exprobrauit amariſſimis verbis ſocordiam, ſe includit thalamo, animámque dolore & deſperatione confoſſam emittit; tantus horror fuit futuræ ignominiæ, præſentíſque imperij amor. Rex interea citatis equis Lugduno profectus, Bellouaci accipit deditionem arcis; augente moleſtiam, tacito ſenſu accuſationis, quod ſua culpa incurriſſet in damnum; atque id palam Biro expoſtulabat; quod mulierculæ vnius blanditiis amiſiſſet ciuitatem tum amplam. Iſque dolor Niuernenſi prorſus innoxio ſummam moleſtiam ac mortem attulit. Quippe Rex, cùm occurreret nemo in quem indignationem effunderet, ſibi culpæ ſuæ admodùm conſcius, proponerétque in conſilio in victorem hoſtem impetum facere, dehortatus eſt Niuernenſis, ob ſummum periculum nullo emolumento Regi adeundum; At ille; *Tibi ſit*, inquit, *eiuſmodi metus, qui ab hoſte ſeptima leuca ſemper abfuiſti.* Qua voce Niuernenſis vt pugione confoſſus, paulò poſt decubuit, & accedente ægritudine ob ærumnas in eo bello poſitas, anno ætatis quinquageſimo ſexto deſiit viuere. Omninò alio donandus præmio, propter inconcuſſam in Franciam fidem, & impenſam tum militia, tum conſiliis ſolicitudinem. Sed ea Aulæ plerumque merces eſt, vt præclara facinora calamitate vna deterantur; noxius ſit, qui infelix; nec Principi ſit vllum beneficium, quod

Niuernenſis mors.

quod desinere potuit : Rex ne militem frustra euocasset, Faram, quam vnam citra Somonam vrbem obtinebant Hispani, mox obsidet; cùm in castris acceptissimo nuntio dolorem solatur. HENRICVS IV.

VI.

Expetita tandiu absolutione à Clemente Pontifice impertitur; quæ res cùm Orbe toto celeberrima fuerit, paulò fusiùs enarranda est. Postquam Rex eiurauerat hæresim, miserat Niuernensem ad Clementem Pontificem, qui de ea conuersione referret, & absolutionem solemnem reposceret. At Clemens fœderatorum ardentissimo ambitu abreptus in opinionem, mutationem eiusmodi fraudulentam esse & mendacem, certus non admittendi Oratoris, Possevinum Iesuitam præmiserat, qui Niuernensi litteras Pontificias daret, quibus Pontifex testabatur se ab Henrico Borbonio Oratorem nullum admissurum. Nihilominus perrexerat Niuernensis, & tacita Oratoris appellatione Romam ingressus, & Clementi colloquutus, contentionem omnem, industriam, quæ in solertissimo Principe plurima erat, & obsecrationes adhibuerat, ad flectendum Pontificem; sed nondum matura re, infecto negotio regressus in Franciam erat. Hæserat Romæ Arnaldus Dossatus, natus in Francia, sed diuturna consuetudine, Romanorum peritissimus morum, & Aulæ Pontificiæ inspector sagacissimus; qui gnarus negotiorum esse momenta, quæ si præhendantur, optatus euentus consequitur; animaduertit Pontificem pœnitere iam primæ duritatis, quam si daretur occasio, emendaturus esset clementiâ. Rem itaque clàm vrgens, accipit à Pontifice, auditum iri Oratorem, si eum Rex mitteret; & continuò Perronius ad grandem illam operam designatur. Postquam is præmisso Anissone sacerdote multæ solertiæ, Romam quarto mense aduenit; noua illicò pugna & dimicatio oritur; non armis quidem & ferro miscenda, sed verbis & scriptis, & ingeniorum contentione acerrima. Etenim ij, qui Maynio & fœderatis receperant, Henricum nunquam Romæ absolutum iri, videbántque extremum morientis fœderis spiritum eo vno remedio contineri; nullam non mouent machinam, vt impendens malum amoliantur; eas contra machinas Dossatus curas & vigilantiam, Perronius iustissimam causam, & mirificam eloquentiam opponebant; & ipse Deus Pontificis animum in id consilium prorsus inflectebat. Duo doctissimi & sapientissimi Antistites, in eam rem conferebant plurimum; Franciscus Toletus Cardinalis, & Cæsar Baronius Pontificis confessarius. Et Toleti eam in rem admirabilis opera; qui ortu Hispanus, & è Iesuitis in Cardinalium cœtum cooptatus, vtramque rationem offensionis in Regem æquitati posthabuit; & pro auctoritate qua pollebat in Pontificem, ipsum adhortari, impellere, & propemodùm cogere ad impertiendam absolutionem Regi, non cessabat. Igitur Pontifex admisso Oratorum libello, de eo ad collegium Cardinalium refert, significátque auditurum se singulos in conclaui suo, seorsum proposituros quid censeant. Tum ne in tanta re inconsultò quid constitueret; indicit preces solemnes per omnia vrbis templa; atque ipse summo mane semel atque iterum, opem Diuinam imploraturus, paucis domesticis comitantibus, nudis pedibus, humili & supplice habitu, è Palatio ad maiorem

Rex à Pontifice absoluitur.

Dosset.

HENRICVS IV.

Deiparæ ædem incedit, fusisque ardentissimis precibus, sacrum facit, regressus in palatium eâdem demissione animi, corporisque, benedictionem nulli impertiens. Tandem post revulsos obices omnes, quos hostes obiecerant, in sexdecim conditiones conventum est; quarum erant præcipuæ; vt Rex in Bearnia instauraret Catholicam religionem; intra annum Condæum Principem ab Hugonottis reciperet, curarétque Orthodoxa religione institui; admitteretur Tridentinum Concilium, iis exceptis quæ observari non possent, quin tranquillitas regni turbaretur; cætera ad pietatem Regis confirmandam & stabiliendam, & palam omnibus contestandam spectabant. Iis constitutis, & re in Consistorio deliberata; Septembris decimo sexto consedit Clemens in Pegmate ante fores sancti Petri erecto, & adstantibus Cardinalibus cum Pontificia Curia, Perronius ac Dossatus in eius conspectum admissi; legunt primùm libellum Regis supplicem, exhibito in eam rem mandato; mox lecto decreto Pontificis, quo priorem absolutionem Regis abrogabat; Procuratores eiurant hæresim, ac Catholicam fidem profitentur; tum prostrati ante Pontificem, eius manu virga leviter pulsantur humeros, dum psalmus *Miserere* concinitur; quo absoluto exurgit Pontifex, fundit aliquot orationes, tandem in solio considens, absolutionem pronuntiat, extrema dicentis verba excipiente populo faustis acclamationibus Regi & Franciæ, ac tormentis Adrianæ molis gratulationem latè intonantibus. Mox apertæ S. Petri valvæ, in ædem Procuratores inducti, & deducti ad sepulchrum sanctissimorum Apostolorum. Eumque finem sortita est celeberrima cerimonia, quâ Ecclesiæ totus restitutus est Rex, fœderis partes abiectæ prorsus atque infractæ. Ac Rex continuò ratum habuit Procuratorum negotium; toto regno gratiarum actiones instituit; atque in posterum erga Pontificem, ac Romanam Sedem se memorem gratissimumque exhibuit. Haudquaquam omittenda grati animi signa, ab Pontifice & Rege, in eos qui hanc curam susceperant. Nam Dossatus & Perronius Cardinales dicti sunt; & Anissonus in eam dignitatem erat designatus, morte raptus, cùm ad ipsum ruber pileus missus est. Is Carolus nomine, in sancti Antonij Commendarius, ad perpetuam absolutionis memoriam, Romæ Crucem amplam de suo posuit, atque inscripsit; quæ extat etiamnum; præclarum monumentum Anissonæ familiæ; dignæ quæ in Laurentio, Ciue Lugdunensi, eximiis ornato dotibus, Consulatum vrbis adipisceretur.

Anno 1595.

VII. *Maynij cum Rege fœdus, & aliorum.*

Primus huius absolutionis partus, Maynij & fœderatorum reconciliatio fuit. Maynius Regis clementia magna securitate Cabilone exceptus, agebat de fœderis conditionibus; quas luculentas amplissimasque obtinuit; tum ipsius Regis pronâ ad benefaciendum & parcendum indole, tum Etrææ commendatione; quæ susceptis à Rege liberis; & in spem erecta connubij, vt solium iisdem pararet, accedebat ad Principes, fulcrum paratura: & futuris Principibus Regiis perinfensis; nam eorum intererat suos liberos pellere, videbatur Maynius appositus fore ad tutelam. Illi ergo Rex præter veniam præteritorum, benignè tum ipsi, tum assèclis largiens plurima, & debita ab ipso contracta persoluens, tres ad securitatem vrbes permittit,

permittit, Sueſſionem, Cabilonem, & Seurram ſiue Bellegardam; tantiſque beneficiis cumulat, vt non ſubdito peperciſſe viſus ſit, ſed parem propemodùm deuinxiſſe & conciliaſſe. Nec iis contentus, quæ credi poſſent inuito animo condonata, ipſum animum adiungit; manu excipiens Maynium ſalutantem, & flexo poplite ſcriptum obſequium verbis humillimis confirmantem, primò tergemino amplexu ad pectus admouit, deinde ea ſermonis humanitate obliuionem præteritorum, ac præſentem beneuolentiam teſtatus eſt, totóque ore ingenuitatem mentis aperuit; vt Maynius ab eo digreſſus, ſuis aſſerneri; tum demùm ſe victum eſſe à Rege; & quantum antea contraxiſſet dolorem, quod ab eo victus armis eſſet; tantam modo ſe percipere voluptatem, quod victus eſſet à Principe tantæ generoſitatis & virtutis. Et quàm vterque ex animo ageret ex poſterioribus patuit; cùm Maynius nuſquam in poſterùm ab obſequio iurato deflexerit; nec Rex in promiſſis quidquam immutauerit, ſtans ad verbum pollicitis; nec forſán vlla res tot inter bella dignior, quam miretur poſteritas; cùm inter æmulos rivaléſque imperij, alter auctoritatis memoriam poſuerit, alter iniuriæ; tutúmque ſubdito fuerit, diuiſiſſe regnum cum Principe. Maynio adiunxerant ſe Nemurſius & Ioyeuſa Duces; amplis ſimiliter conditionibus: & Ioyeuſa Toloſam cum reliqua Occitania, tandem abiunctam à fœdere in obſequium adduxit; iſque Mareſcallus à Rege eſt dictus: impetrata à Pontifice votorum commutatione per Ioyeuſam patruum, vti ea inſtar Melitenſium Equitum obſeruaret: luſitque per aliquot annos in ea mundi ſcena perſonam Ducis: donec aſpirante cœleſti gratia, ſponte abdicato poteſtatis & voluptatis choragio, rurſus ſe induit in Capucinorum pauperiem; repetita humilitate illuſtrior; atque iterum fortunæ felicitatem condemnans. Sic coaleſcentibus in corpus prouinciis, curabatur Francia per membra ſingula; Britannia adhuc & Phocenſi Prouincia diſtractis in partes. Et in Britannia Mareſcallus Aumontius in obſidione Comperij caſtelli occiderat; dum Lauálliæ viduæ amore captus, certatim cum riuale Sanlucio eam arcem oppugnat, quæ dominam Lavalliam excludebat; brachium glande ſaucius, oſſibuſque confractis, ex vulnere aliquantò poſt obiit; militi charior, ob liberalitatem & militarem in agendo indolem ac fortitudinem, ſupra quodvis periculum promptam ſemper, atque expeditam. Laverdinus in mortui locum Mareſcallus dictus eſt. Inde aucta Britanniæ infelicitas, & Mercordij pertinacia; qui tamen in aliquot menſes traxit inducias, à ſorore Ludouica Henrici III. vidua exoratas à Rege. In Phocenſibus Epernonij robur ferox, & animi firmitas indomita calamitatibus, ſe ac Prouinciam in extrema diſcrimina impellebat. Animo conſtituerat eam præturam retinere, quam dicebat ſibi datam in pretium Admiralatus, adiuráтque hereditario quaſi iure, quam Valeta frater geſſérat, ſuiſque ærumnis atque ipsâ vitâ hoſti rapuerat: vtque erat obſtirmati in ea quæ ſemel deliberauerat animi, nulla difficultate, nullo periculo deterreri à propoſito poterat. Rex contrà omninò ſtatuerat eum auocare; ſeu viro infenſus, ob primam diſceſſionem in Enculiſmenſes: ſeu veritus ne potentiam,

Ioyeuſa.

Aumontij mors.

Comper.

Epernonius à Prouincia abſcedit.

HENRICVS IV.

nimiam adipiſceretur, & factionem tertiam cum Mommorancio cui affinis erat ſuſcitaret; ſeu facturus rem gratam Phocenſibus, & Prouinciam pacaturus, quæ à Prætore internecino odio diſſidebat. Eáſque ob res primùm clanculùm, & diſſimulanter per Senatum Aquenſem, & quoſdam Nobiles faceſſebat ei difficultates; deinde per Ledigueriũ, qui partim armis, partim conſiliis Epernonium ab obſidione Aquenſi deduxerat; atque arcem ſancti Eutropij Aquenſium iugum euerterat; tandem rem perſequens planè & apertè, Guiſium Prouinciæ Prætorem dixerat, Epernonio abrogato. Guiſius Aquiſſextiis effuſis omnium exceptus animis, tum de recipienda Maſſilia, tum de Epernonio pellendo cogitat. Ac primum quidem poſtquam feliciter exequutus eſt, aggreditur alterum; cuius momentum erat in Santropetij arce expugnanda. Quippe Meſpleſius eius arcis Præfectus, & Regi quàm Epernonio accommodatior, ab eadem deiectus ab Epernonio, ipſam voluntate Regis oppugnabat, iámque Epernonium opem inferentem cum clade repulerat, cùm Roquelaurus Epernonio amiciſſimus, à Rege miſſus, infracturus amici contumaciam venit. Nuper Epernonius ingens diſcrimen Brignolij ſubierat; quidam ruſticus Bigna nomine vindicaturus publicum odium in Prætorem, duos ſaccos ſulphureo puluere oppletos in hoſpitium Epernonij tulerat, tritico ad tegendam fraudem in ſaccorum ora ingeſto, atque intus abdiderat ſclopeti machinam, quæ adſtricto funiculo, dum ſacci aperirentur ad inſpiciendum triticum, puluerem excitato igne incenderet. Nec abberrauit à conſilio fraus, dum in conclaui ſuperiore Epernonius prandet, hoſpes exploraturus triticum reſoluit vinculum ſacci; ac repente eructante incendio, Epernonij cœnaculum peſte inuoluitur, hoſpes conflagrat, ac tota domus concutitur. Sed in proximo mortis confinio ſeruatus Epernonius; tabulati pars in qua conſidebat intacta perſtitit, per apertas feneſtras erumpente foras incendio, laqueari conclauis immune ab pernicie fuit, vno tibiali ac barbæ altera parte, tam atrox periculum Epernonius luit. Attamen reuocato diſcrimine, quod in arce ſancti Eutropij ante adiuerat, cùm vna inclinatione corporis pilam tormenti euaſit, qua colluſores duo obtriti ſunt; animóque recogitans tanti non eſſe dignitatis vmbram & conſtantiam in propoſito, audit Roquelaurum, ac ſe voluntati Regis totum ſubiiciens, ad eum contendit, donatus prætura Lemouicenſium, & centum aureorum millibus, ad farciendas impenſas. In quo luſiſſe videtur Prouidentia, cumulandæ pericula, & agendo ad ſummum apicem; vt conſtaret vnde mortalitas noſtra poſſet emergere, & haberetur exemplum humanæ firmitatis, & inconcuſſæ conſtantiæ. Nunc pedem refero, & ad Maſſiliam me conuerto.

Saint Tropés.

Brignoles.

VIII. *Maſſilia recepta.*

Poſtquam Guiſius Gratiam, Hieras, & alia oppida adiuncta fœderi, Regi reſtituit, & obſidionem Santropetanam inſtruxit, ac Berram quæ vna Sabaudi erat, erectis circum caſtellis incluſit, totum ſe ad Maſſiliam vnam applicuit. Et erat operæ pretium dignum conſilio atque induſtriâ; nam vim atque arma vrbs ipſa & Tyrannorum potentia excludebant. Ij quos dixi Carolus Caſautius & Ludouicus Axius, quorum alter Conſul perpetuus,

perpetuus, alter Viguerius, vnanimi consensu ciuitatem regebant, & optimo quoque vel necato vel pulso, tyrannidem stabiliuerant. Vmbra fœderis quandiu steterat, illius specie auctoritatem firmauerant, nomine tenus adhærentes Maynio; ipsa re ad arbitrium vrbem moderantes; at post Maynium reconciliatum, detractâ tyrannidis laruâ, deliberauerant quid consilij caperent. Eos Rex appellabat, & multiplici præmio rependebat flagitiorum finem & abstinentiam criminum; attamen ij, quod est pronum & obuium sceleratis, vt ignoscentibus minus fidei habeant, æstimatâ ex sceleribus pœnâ, potiùs quàm clementiâ, repudiatâ indulgentiâ Regis, ad Hispanum accedunt, tradituri vrbem, quam seruare non poterant; rati præmia certiora crimini, quam pœnitentiæ fore. Itaque dum in Hispania apparatur exercitus, iubetur à Philippo Andreas Doria octingentos milites cum commeatu immittere; qui in vrbem inducti reliquis ciuibus, qui bonarum adhuc partium erant, dolorem mouent, iugo nouo atque grauissimo in cernices vrbis imponendo. Inter eos duo viri erant, quibus visa est molestissima illa mutatio; Stephanus Bernardus, & Petrus Libertatius; & Bernardus quidem aduena Senator Diuionensis à Maynio in ciuitatem missus, vt pro fœderatis iustitiam administraret atque Duumuiros ad Regem perduceret; erat Libertatius ciuis Massilienſis, è Corsica oriundus, vnde olim patres sub Henrico II. pulsi à Genuensibus, receperant se & profugos lares Massiliam: iisque diuersa ratione ad liberandam vrbem intendebant. Libertatius familiaris erat Casautio, atque ab eo in consiliorum partem admissus, isque vt vidit euocari in vrbem Hispanum; admitti Genuenses, & coloniam nouam cum nouo imperio collocari; reuocatis priscis inimicitiis Genuensium in maiores suos, metu & odio instigantibus, tum stimulante præclarissimi facti laude & gloria, si tantam vrbem oppressa tyrannide restitueret Regi, constituit in rem tam necessariam & glorioſam omni opè niti atque incumbere. Itaque consilio primùm cum Notario communicato, ac per eum Nicolao Bausseto, qui vrbe profugerat, mente patefacta, cum Guisio de patranda re conuenit, diémque dicit Februarij decimam septimam. Is porrò erat ordo consilij, vt cum Duumuiri manè ex porta ad explorandum prodirent, quod præstabant quotidie, Libertatius minorem pontem attolleret, per insidias posita Guisius obtruncaret Duumuiros, Libertatius cætera auctoritate sua perficeret. At in ipso opere improuisa multa contingunt; primùm nox procellis, imbribus & tonitribus turbida Guisio & Libertatio multam solicitudinem attulit; attamen festinat Guisius atque militem Lamanoni commissum in insidiis opportunis locat; deinde Duumuiri horâ consuetâ haud quaquam prodeunt; tentatus morbo Casautius non prodibat, ac serius Axius aderat, proditurus, arcessito consorte, qui cum Hispanis staret ad portam. Prodit tamen Axius cum duodecim sclopetariis, quos cum Lamano pelleret, ad portam refugit, & incurrens in clathros quos dimiserat Libertatius, proditione comperta, iuxta murum effugiens, ab amico funè tractus intra vrbem recipitur. Mox statio militum quæ supra aggerem stabat, ignara consilij, pilas in Lamanonem

HENRICVS IV.

Libertat.

Anno 1595.

Lamanon.

HENRICVS IV.

explodit ; quamobrem Guisius se proditum ratus retrò cedit. Interim Libertatius hærebat ad portam anxius animi, cùm Casautius tumultu audito stipatus satellitibus ad portam properat, simulque Libertatius ab necessitate audax consilium capit. Ad eum admotus, & proditorem appellans qui Hispanis patriam traderet, sclopetum in eum explodit, & adhuc stantem impacto ense transverberat; statim satellites in fugam aguntur, præter aliquot qui sclopetis in Libertatium actis, cùm illæsus staret, fugam corripiunt. Libertatius portæ compos & proximæ stationis, dimittit equitem qui arcessat Guisium ; & in Axium ruentem se comparat. Quippe ille cum quadringentis hominibus & Casautij filiis, sparso rumore cum leuiter saucium, ad expugnandam portam aduentabat ; pugna conseritur, qua repulsus Axius, cùm adesse Guisium audiuisset, ad stationem portus recedit ; plurimis ex fæce plebis exceptis. At Bernardus, quem simulatus morbus in vrbe contra Casautij iussa tenuerat, ex ædibus togatus prodiens, sarissam vibrans & strophio candicante in pileo, ciuibus sex dumtaxat comitantibus, Casautium mortuum nuntiat, & Regi vitam apprecatur ; iis breui spatio se plures adiungunt, & cuncti excepto per aliam portam Lamanone, impetum in Axium faciunt ; qui metu perculsus inscenso nauigio in sancti Victoris cœnobium transmittitur. Simul à Libertatio Guisius per portam inductus, postquam iuratus libertatem vrbis asseruit ; in stationes cæteras irruit, & rebelles passim timor & trepidatio corripit ; Doria obuersis proris, triremes subducit ; Hispani proiectis armis, partim in triremes, partim in arces confugiunt ; reliqua turba se adiungit victoribus, & breui intercuallo, vna quatuor hominum cæde, ciuitas è grauissimæ seruitutis iugo vindicatur. Postridie redditum sancti Victoris castellum, septimo die arx Deiparæ quæ à Custodia dicitur; iisque excluſi tum Axius, tum Casautij liberi, Genuam profugi, vitam miseram & ignominiosam traxerunt ; Libertatio præter facinoris gloriam datum ius nobilium, dignitas Viguerij, arcis Deiparæ præfectura, ac quinquaginta nummorum millia. Ciuitati immunitates suæ assertæ ; nec Guisio præturæ auspicium potuit illustrius vllum obtingere ; quam exscindere tyrannidem, & Regi Mediterranei maris oculum vindicare.

De la Garde.

IX.

Faræ obsidio.

Ea dum prosperè contingunt in Phocensibus, ingens vulnus Franciæ in Picardia infligitur. Rex ab anno superiore Faram obsidebat, cúmque asperitas hyemis oppugnationem iustam vetuisset, per sparsas copias & erecta castella intercluserat aditus ; mox circa vrbem aggeribus ductis atque munimentis, cum Maynio in castra venerat, fame atque inedia hostem oppugnaturus ; nam vi hactenus parcendum censuerat. Quippe munitionibus vrbem validissimam Aluares Osorius propugnabat, peritissimus & veteranus dux, cum luculento præsidio : simúlque in vrbe erat Colasius Prosenescallus Montis Adhemari, qui perstans in fœdere, dictus erat Faræ Comes ab Rege Hispaniæ, vrbem tradens, dum reditu fruceretur. Albertus Archidux Cardinalis, Rodolphi Imperatoris frater, nuper ex Hispania Bruxellas venerat, regimine Belgij susceptο, & spe facta coniugij Isabellæ, ad quam implendam lecto exercitu percupiebat aliquid dignum expectatione

Colas.

tione patrare. Ac primùm in Faram intentus, per Nicolaum Baſtam aliquot tritici ſaccos in eam infert; deinde cùm Franci eiuſmodi conatibus viam occluſiſſent; famam ſpargit, ſe cum toto exercitu ad conſerendam pugnam affuturum. Ea res credita euocauit plurimam Nobilitatem in caſtra Regia, ſemper aduolantibus Francis ad pugnæ copiam, vt ad certam victoriam. At repentè Albertus, famam luſit, Francorum ſpem, & vigilantiam Regis, damnúmque grauiſſimum infert, vnius hominis indignatione; is Roſneus, quem dixi Mareſcallum à Maynio nuncupatum. Vir fortis ſæpe in Franciam regreſſum tentauerat; vno pretio ſi ſibi Mareſcalli dignitas permitteretur; at cùm nullam prouinciam, nullam vrbem reſtitueret, præter ſe nullo emolumento futurus, negauerat Rex vnicum hominem tanti redimere; minus aduertens, aliquando pluris vnum virum eſſe quàm plurimas vrbes; quando per homines & comparantur vrbes & perduntur. Dum hæc clàm aguntur, per Francos qui fortitudini viri inuidebant, defertur ad Ibarram, eum agitare regrediendi conſilia; atque Ibarra infenſiſſimus Francis in Archiducis conſilio illius mortem decernit; curátque arceſſi, vt præſenti ſtatim ſignificetur iudicium. Verùm arceſſito & venienti dat ſeruulus ſchedulam, qua monebatur effugere, ſi ſaluum ſe vellet. Ea lecta, pauliſper in veſtigio ſtetit; ac memor quid olim cum Maynio de Caleto ſtatuiſſet, confirmato animo, in conſilium ſubit; ac flagitata audientia, quanquam repugnante Ibarra; rem de occupando Caleto proponit, exhibétque tam certam, vt omnium calculis ſuſcepta ſit; atque ipſi ab Alberto permiſſa exequendi facultas. Nec mora, raptis cohortibus aliquot, cùm ſimularet ad Monterolium vertere, improuiſus Caletum inuadit, atque vno propemodum momento Nieulæum & Risbanum capit; conſequente Alberto cum vniuerſo exercitu; in quo erant quindecim peditum millia; equitum tria. Ad eam expeditionem imparatus ciuis, & Bidoſſanus præfectus haud ſatis pro momento vrbis inſtructus, tormentorum fulminibus ita perterrentur, vt poſt labem muro illatam, & impreſſionem paratam, paciſcantur vrbem dedere, atque in arcem recedere, quam etiam redderent poſt octauam diem, niſi ſubmitterentur auxilia. Hiſpanis interea non modò ciuium terror, ſed ipſa elementa, ac cœli mariſque ratio obſecundabant. Primùm leuis rumor percrebuerat, hoſtem Caletum meditari: Regemque is parum affecerat, vrbis ſitu & munimentis fidentem. Deinde cum Monterolio immineret idem Rex, Carolum Monlucium Mareſcalli nepotem ex Petro filio cum duobus hominum millibus Monterolium miſerat: iſque incepta Caleti oppugnatione, cum Comite Sampaulo, Serillaco, Belino, nouo equite & pedite, inſcenſis nauigiis, venerant opitulatum obſeſſis: ſed reflantibus ventis & mari intumeſcente, ad locum vnde ſoluerant pulſi ſunt. Ipſe Rex cum octingentis equitibus à caſtris profectus, quorum curam dedit Comeſtabili, Bononiæ hæſit, procella maris nauigationem claudente. Batani ſimiliter omni ope enixi ad ſuperandam ſæuiſſimam tempeſtatem, ſex quidem nauigia ad Caleti oram admouerant, ſed portu excluſi & tormentis obiecti hoſtium, re imperfecta receſſerant. Campagnolius Bononiæ præfectus felicior: qui

Caletum ab Hiſpanis captum.

Bidoſſan.

Cãpagnol.

HENRICVS IV.

qui lectos ducentos quinquaginta milites, per caliginem noctis, subsidente æstu, per canalem in arcem induxit. Rex sperabat interim luculentam opem submissum iri ab Elisabetha, eáque scripserat quidem exercitum, sed ab Rege alienior, postquam eiurauerat hæresim, copias in Anglia continebat; in præsentia Sancius celeriter euolauerat opem imploratum; atque ea Caletum ipsum in opis pretium reposcebat. Sancius fortiter ad id postulatum responderat, Regi acceptius fore, Caletum obtinere Hispanos quàm Anglos; quando minus doloris sit, spoliari ab hostibus quàm ab amicis, & ab illis rapta repeti facilius possent, quàm quæ donata fœderatis essent. Ita cùm puderet Reginam diutius opem negare, iubet Comitem Essexium

Sancy.

cum Sancio proficisci; sed is cùm in momenta nouas difficultates opponeret, venit in Franciam patrata re, & Caleto capto. Siquidem Campagnolius arce exceptus, cùm deditionis pactum infregisset; Albertus auctore Rosneo cortinam muri ad portam spectantem verberat vehementer; is cùm humo fultus leui esset atque fabulosa, extemplò dirutus, & in latam ruinam apertus, hosti patuit ad impressionem; quam cùm geminam intulisset, Bidossano præfecto occiso, tertiam instituit, atque victor in arcem penetrat; cæsi passim qui occurrebant victori, ad septingentos; capti Campagnolius, & aliquot centuriones; parcitum cæteris, qui in Templa aut

Anno 1596.

in ædium intima receperant se. Rex dolore ingenti ob cladem tam insignem; postquam proximarum vrbium firmauit præsidia, ad Faram regreditur, eámque tandem deditione obtinet; quanquam commeatu in duos menses instructam. Etenim Albertus, timens ne si extrema opperiretur, Colasius Regi esset tradendus, Osorium iusserat pacisci conditionibus commodis; quas obtinuit, egressus cum Colasio. Lætitiam eo successu

Ardræ capta.

concepram nouum infortunium repente conturbat; Ardræ ab Hispano deditione præfecti acceptæ. Nam Albertus moratus Caleti duodecim dies, ad reparandum murum, & vrbem instaurandam; hinc profectus, captisque Hamo & Guinis ad primam compellantis vocem, Ardras aggreditur; vrbem Caleto imminentem atque incommodam, à qua nouem dumtaxat

Annebaut.

milliaribus distat. Eam Annebosius Præfectus cum suo præsidio tuebatur, adduxerántque Belinus & Monlucius mille & quingentos in virium sup-

Lauedan.

plementum; primùm inferiorem vrbem Albertus inuaserat; sed eam Lauedanus, trecentis Hispanorum cæsis receperat. Mox iterum Hispani in eam inuadunt; pulsisque ac cæsis propugnatoribus occupant; iam ciue præ metu nutante, & stragem tum Durlanij tum Caleti patratam sibi obiiciente in trepidationis argumentum. At robur omne Monlucij mors excussit, qui tormenti pila occisus, visus est vires omnium infregisse simul atque rapuisse. Belinus ipse animo perterrefactus, muro adhuc integro, Rosneum appellat de deditione. Repugnabant equidem tribuni cæ-

Main ferme.

teri, Annebosius, Manifermus, & Ramburius, & recipiebant quique tuenda periculo suo propugnacula; sed Belino vrgente, & ciue extraneam perniciem formidante; deditio facta est, missique vrbe mille & ducenti milites. Et intentatum Belino periculum propter ignauiam, datique à Rege iudices; Etræ commendatione, amotum periculum, extincta ignominia,

ignominia, recepta Regis gratia, & Belinus ipse datus Condæo adolescenti institutor & præfectus morum; adeò Regis animum mulier vna inflectebat atque conuertebat, Albertus expeditione felicissima & fortissima celebris, regressus in Batauos, Huistum vrbem laureato exercitu cinxit & cepit; vna Rosnei morte redemptam; qui in obsidione occisus est, iusto præmio defectionis, rara in eiusmodi transfugis prosperitate. Nec toto bello facinus vllum illustrius fuit, ad celeritatem, fortitudinem, & felicitatem; vt Albertus primo tirocinio imperatorum curas & fortunam æquauerit. Postea Biro in Artesiam ter irrupit, ferro ac flammis fœdè pagos agrósque vastans atque incendens, multo metu ac damno illato; sed iacturam grauissimam alienum damnum minùs sarciebat; nec malo suo hostis incommodum medebatur.

X.

Legatũ Rex excipit.

Hispanorum per eas excursiones retuso impetu, Rex medicaturus interni regni plagis intendit. Ac fœderatorum occultas reliquias Legati Pontificij aduentus extinxit. Is erat Alexander Medicæus Cardinalis & Archiepiscopus Florentinus, qui postea Pontifex Leo XI. vir multæ doctrinæ, compertæque prudentiæ; qui Hispano haud vsquam addictus, videbatur ad Regis animum & præsentem opportunitatem aptissimus, & mittebatur à Pontifice, vt à Rege approbationem absolutionis exciperet. Parisiis acceptus pompa magnifica, gratissimum habuit Condæi pueri occursum, quem Rex obuium misit, Catholica fide institutum; ísque paulò post admisit Trimolliam Condæi matrem, eiurantem hæresin, postquam innoxia ab mariti cæde pronuntiata est. Tum fœdus cum Elisabetha non sine negotio instauratur; vrgentibus qui Legatorum tuebantur partes, Bullionio, Sancio, & Vayrio; erátque præter alia pactum, vt quatuor Anglorum millia Regina scriberet, quæ in Francia Regis stipendiis mererent; neuter fœderatorum pacem absque consensu alterius cum Hispano faceret; idémque mox statutum est cum Batauorum Ordinibus. Dein Rex Optimates è singulis prouinciis conuenire Rothomagum iubet, ad deliberandum de regni commodis: & quidem in conuentu dicta plurima, vt fieri solet, cum pompa verborum; proposita multa, pauca impleta; vnum effectum est, vt ad curandam Regi pecuniam, Magistratibus stipendia vno anno vacarent, & mercibus tributum nouum impositum; datáque Rosnio summa ærarij præfectura; quam abstinenter, industriè, & sedulò gessit, magno publicarum rerum compendio. Dum in ea solicitudine annus elabitur; nouúmque inceptum Rex traducit Parisiis, in cura rerum apparandarum, ad obsidionem Atrebati, quam animo destinabat; cásque res Ambianum, quod munitissimum oppidum erat, deportari iubet; móxque spe pacis, quam ostentabat Philippus Rex, remissis paululum belli studiis, genio indulget paulò liberiùs, epulas inter & choreas; repentè veluti experrectus è somno, calamitate afficitur, molestissima omnium, quam tot inter aduersa tulisset hactenus; si rei series & consequutio perpendatur. Est autem eiusmodi. Ferdinandus Tellius è Portocarrera nobili in Hispanis familia, vir bellicosæ & ardentissimæ indolis, statura paruus, sed animo excelso & ad sublimia aspirante, Durlanij Præfectus, cùm

Fœdus cum Anglo contrahit.

Ambianũ ab Hispanis capitur.

HENRICVS IV. Anno 1597.

aduertisset Ambianenses suam vrbem custodire ignauiùs, ad eam occupandam consilium vertit. Atque ij, cùm præsidium, immunitatem obtendentes, renuissent admittere, nec cohortes quidem Heluetiorum agere in suburbiis passi essent, noctu quidem non incautè se custodiebant; sed interdiu remissis vigiliis, quasi ad tutelam vrbis sol lúxque ipsa sufficeret, somno aut suis rebus operam dabant. Tellius ab exule de eorum socordia certior factus, dolum componit, atque impetratis ab Archiduce copiis, vndecimo Martij munitissimam ciuitatem nullo periculo occupat. Circa octauam matutinam sexdecim milites, rusticorum veste & habitu, ductore Ognano, ad portam vrbis subeunt: primi humeris aut capite canistros aut saccos nucibus pomisve oppletos gestabant, tum quatuor plaustro paleam & palos vehebant; primi ad portam dum se defessos simulant, depositio onere acquiescunt, & veluti per incuriam saccis eversis, nuces aliquot ac poma effundunt, dum plaustrum sub clathrum ferreum portæ subvehitur; continuò milites, qui ex fæce plebis considebant ad portam, vt legerent fructus per lasciviam discurrunt; atque Ognanus explosò sclopeto breviore, quo signo monebat commilitones, facit in civem impetum; signo admoniti, qui proximè in insidiis erant, advolant, ac plaustro demissos clathros sustinente; custodes cædunt, ac in fugam pellunt. Tum ipse Tellius cùm dispositis copiis, pedite primùm mox equite, porta exceptus, in vrbem ingreditur quadrato agmine, compita posito milite occupat, custodes locat ad templorum fores, in quæ conuenerant plerique civium, audituri concionem quadragesimalem; ac curatis omnibus, militem ad diripiendas ædes dimittit. Nemo civium in improuisa clade arma corripuit; nemo ad repellendum hostem contendit, partim considentes in templis, partim somno lectis affixi, frustra Campana pulsante bellicum, perculsi repentina formidine, iisdem in locis quasi magico carmine hæserant, séque spoliandos nulla strage præbuerant. Prætor prouinciæ Comes Sampaulus, eodem terrore actus, inscenso equo celeriter Corbeiam fugit. Sicque vrbs validissima in potestatem hostium venit; dolo virtutem admirabiliter acuente; Tellij laude & gloriâ celeberrimâ, qui dispositam fraudem ad eventum perduxit; fortitudine, solertia, atque prudentia vocatis in consortium doli militaris; quam laudem postea robore animi incredibili in apicem vexit.

XI. *Ambianum à Rege recipitur.*

Nocte concubia tanti infortunij nuntium dormientem Regem excitauit, & arcessiuit ærumnarum ingentem cumulum. Deliberantem illicò quid consilij caperet, dehortabantur plures ab obsidione, & erant causæ dehortandi grauissimæ; *Consternatio totius Franciæ in repentina re Procerum multos, plureſque vrbium, nondum ex animo coaluisse: hærere in mentibus fermenti Hispanici haud spernendas particulas, ipsos Hugonottos propemodùm defeciſſe, frequentes cœtus indicere atque obire, & in regno iam ab regno secedere: vniuersum belli commeatum atque instrumentum paratum Ambiani, occupatum simul ab hoste cum vrbe: vnde pecunia, tempus, & modus, ad nouum apparatum? quæ per tumultum ac trepidationem fiunt, depraua tè fieri atque instituì: recipiendos animos post vulnus tam graue, adhibenda ægro fomenta*

&

& remedia ; mox de sanitate & repellendo malo cogitandum. Ea plures ; sed Lediguerius, cuius sententiæ accessit Rosnius, eadem ob causas suadebant obvallandam vrbem extemplò. *Excutiendam atque profligandam ingenti ausu formidinem ; non dandum spatium nec aperto hosti nec occulto, ad roborandas vires & confirmandam audaciam ; arduum sanè opus, & difficillimum facinus, sed forti in ærumnas ipsas enitendum, virtutem in periculis perfici ; nec oppressam malis Franciam recreari posse, nisi vna Ambiani expugnatione.* Atque itum in eam sententiam, iussúsque Biro cum tumultuario nulite proficisci, qui vrbem primùm à Belgis dirimeret, mediúmque se interponeret, dum Rex de pecunia paranda sollicitus, Parisiis in Senatum venit, ac supplicibus verbis Regem propè oblitus poposcit subsidium. Quo præbito, per mutuam ab opulentis tum viris tum civitatibus sumptam pecuniam, ac mirâ Rosnij ærarium administrantis industriâ, impenditur delectibus labor ; ac Elisabetha post plurimas obsecrationes, quatuor millia Anglorum submisit ; sex legiones, suis merentes stipendiis ; suffecerunt prouinciæ quinque, Normannia, Francia, Bituriges, Aurelianenses, & Turones ; euocata ad Regem tota Nobilitas ; tum generosi exemplo Principis, tum lentiores Senatus decreto, quo qui domi hærebant, inusti ignominia ab iure Nobilium decidebant. Toto Aprili progressæ sunt copiæ, Maio castra posita, ac Bironis ductu clausa aggere vrbs, ponte iunctus Somona, & erecta castella opportunis locis ad aggerem : duodecim in castris peditum millia, equitum quatuor ; paruo quidem numero, sed lectus miles & validus, nusquam imminutus, supplementis frequentibus reparantibus labem. Iunio mense Rex cum Proceribus in castra subiit ; Etræámque adduxerat ; quàm illicò dimisit, Bironis admonitu, amouitque longiùs offensionis causam à milite ; in mediis castris, hospitium locat in amplo S. Magdalenæ templo, ipsa castra per vicos in ciuitatis modum distributa ; illata omnia non ad necessitatem solùm, sed ad commodum atque delicias ; Nosocomia tum sauciis, tum ægris separatim posita, destinatus ad tumulos mortuorum ager ; cohortibus singulis assignati Sacerdotes tum clerici, tum religiosi ; vt ea castra ordo posuisse, disciplina regere, & promouere ipsa pietas videretur. Sic paratus miles oppugnationem aggreditur ; aperta fossa, & tormentis tonantibus. Contra Tellius, cui Caraffa Montenegrius Italus sese adiunxerat, opponebat quinque militum millia, & sexaginta tormenta posita in munimentis, at se ipsum munimentis omnibus potiorem. Ac tam strenuè, & vigilanter se gessit ; vt ad fossam vrbis nisi tertium post mensem Rex non euaserit ; ad vestigia singula, singulos obices singulásque pugnas obiiciens. Tres memorantur eo toto tempore eruptiones, suis etiam mensibus vt ducibus distinctæ. Primam ipse Tellius cum Montenegrio Maio mense instituit ; qua erumpens cum quingentis equitibus, ad pontem Longiprati contendit, castellum cœpit, ac duabus horis potitus est ; donec Biro recepto vi castello, ipsum ad vrbem magna clade repulit. Alteram duxit Gusmanus, qui in vrbem obsessam quingentos equites ante immiserat ; eósque cum trecentis peditibus, in tres turmas partitus, in castra infundit ; primo impetu profligatus agger ; atque

HENRICVS IV.

Montenegre.

Longpré.

HENRICVS IV.

cæsi è Francis trecenti, verùm Boulayo aduolante repulsus impetus, & ipse Gusmanus cum vexillifero & designatore hospitiorum ab Boulayo cæsus; vna, quod mirum, perimente tres sclopeti glande; adeò vna mors pluribus viris sufficit. Tertiam & pernicioſissimam simul instruxerant Iulio mense duo duces, Archius & Durandus, singuli cum trecentis peditibus & centum equitibus, qui per diuersa loca irruentes; postquam aggerem per quingentos passus euerterant singuli, simulato timore, se ad fossam vrbis recipiunt, Franco persequente; cùm illicò in persequentem explodunt tormenta ex loco inferiore, atque ex fossa rursum erumpunt quingenti milites, qui magnam stragem edunt, ibántque ad tormentorum suggestum, nisi Angli occurrissent, repulissentque impetum obiectu corporum, cæsi Francorum quingenti; duo Tribuni militum, & centuriones triginta. Ita ducti tres menses per summas difficultates, operibus, tormentis, pugnis, cuniculis, fossis, aggeribus, vtrobique adhibitis, donec tandem à Francis ad fossam ventum est, & Tellius assidua dimicatione, morbisque pestiferis exhausto iam milite, præter occulta ciuium consiliantium consilia, opem ab Archiduce reposcebat. Ille iam ante multâ diligentiâ, instruebat exercitum, habebátque sub signis octodecim peditum millia, equitum quatuor, tormenta sexdecim. Eo apparatu cùm statuisset rectà Ambianum tendere, ad opitulandum obsessis, præmittit Contrerasium cum nongentis equitibus, qui viam exploret. At ille cùm maiore audacia quàm prudentia, ad Ambianum staret, Rege ipso cum Nobilibus aduolante, in receptum primùm, dein ad fugam actus, amissis quadringentis equitibus ægrè nuntium ad Archiducem retulit. Tellij mors Francorum spem longè vltra promouit; is dum in propugnaculo apparat eruptionem, latere sclopeti glande perfosso occiditur; magni vir animi; cui mors restituendæ vrbis dolorem abstulit; nec rapuit, nisi adhuc victorem: suffectus in præfectum Montenegrius omnium calculis. Quamquam mors Francis luctu gaudium rependit illico, cæso Sanlucio tormentorum Præfecto, summo omnium desiderio: cui belli artes, humaniores scientias atque disciplinas vt non detraxerant, sic exculta humanitas non inuiderat belli peritiam Martisque audaciam. Interea Albertus Durlanio cum toto exercitu profectus decimo tertio Septembris, tertio pòst die ad castra peruenit, lentè duobus primis ingressus, tertio præter expectationem accelerans, die medio ad aggerem venit, ad Longopratum, vbi Somona iungebatur ponte. Rex eo die ab castris aberat, venatum profectus, ratus Archiducem vt lentè incedebat, non accessurum nisi sub vesperam. At eo inspecto, vt in colle proximo vniuersas copias in conspectum dedit, Francorum castra trepidatio illicò inuadit, tumultu duces & milites conturbantur, deseruntur primæ stationes, ac si Albertus impetum militum prosequutus vel assensu esset, pugnam & victoriam inclamantium, indubitatè vincebat, vrbémque seruabat. Verùm ipsa occasio opportunitate sua sæpius fallit, támque retundit quod est supra spem, quàm repellit quod infra est. Deliberauerat Archidux abstinere à prælio, statuerátque dumtaxat militum duo millia, & quingentos vrbi inducere, quos delegerat tradiderátque

La Boulaye.

De l'Arc & Durand.

Archiducis ad castra aduentus.

Contreras.

Saint-Luc.

que

que Buchoio, quamobrem primo hærens consilio, nouum haud suscepit. Trepidationem interea primi oculunt Mompensierius & Niuernensis, qui obiecto in aggere equitatu leuiori, spatium Maynio faciunt, euocandi è tumultu peditis, & tormenta sex aduehendi. Dum hæc aguntur arcessitus Rex aduenit, atque edoctus à Maynio, defendi castra non posse, nisi Longopratо antè communito, copias quidem euocat, de euentu prælij mirè anxius atque solicitus: atque ex colle in vallem Archidux festinabat, cùm opportunè explosis tormentis, quæ locauerat Maynius, atque hostem magna strage diripientibus, reducit Archidux copias, omittítque certam victoriam, quam auolantem non apprehendet in posterum. Nam nocte proxima Maynius egregio munimento Longopratum texit, & Rex vltra amnem, Noüam mittit, Montignyum & Vicum, qui Buchoium ponte impositо transmittentem cum clade expellunt; & ipse Archidux desperato subsidio recessit in Belgium. Rex à ducibus ab eo persequendo inhibitus, altero postridie egit cum obsessis de deditione, vrbémque accepit, tradente Montenegrio, atque militem educente cum signis & impedimentis. Vrbs administranda Vico tradita est, arxque imposita, ad eiusmodi casus prohibendos. Rex cum copiis ad Atrebati portas equitauit; móxque tentato frustra Durlanio, victor Parisios reuertit, summo ciuium plausu exceptus. Videtúrque ea expeditione calamitas Franciæ desiisse, cùm euanuerint clandestina multorum consilia, & sequuta pax sit optatissima, penitúsque fœderis factio interciderit; ipso Maynio cæterísque fœderatis, impigerrimè omnium & strenuissimè ad lauream Regísque gloriam contendentibus. Porrò pacem aliquantisper duo retardarunt, Sabaudiæ Dux & Mercordius, quos ego eo loco properanter decurram.

De Buquoy.

La Noüe.

Montigny.

De Vic.

XII.

Mercordius & Britanniæ pacem flagitant.

Ac Mercordius quanquam victus sæpius ambitionem suam non vincebat; tam altè in animum Britanniæ dominationem immiserat; atque ab ea nullo damno, nulla strage abductus, corruebat in extremam perniciem, nisi occurrisset Regis bonitas & indulgentia. Scombergius diu cum eo egerat, nec peruicaciam expugnabat; quapropter post Ambianum captum Regi auctor est, vt in Britanniam veniat, Mercordium oppressurus vel armis, vel amoturus auctoritate; simúlque Hugonottos ad tranquilliorem animum reuocaturus. Atque Rex cùm Brissacum renouare in Mercordium bellum iussisset, atque ab eo occupatum esset Dinantium; Februario mense proficiscitur, cum lectis copiis; traditis Comestabili decem millibus hominum, per quos Archiduci inuigilaret. Venienti in singulis propè oppidis qui cum Mercordio stabant singuli duces occurrunt, sibíque pacti veniam, tradunt vrbes & militem; vt Mercordius propemodùm destitutus opo atque consilio, ad feminas, solum calamitatis perfugium, fortunam suam spémque vltimam tulerit. Eæ Coniux Maria Luxemburgia, atque Etræa, quam nuper Rex Ducissam Belfortiam dixerat; quarum altera propositis filio nuptiis, altera delinimento amoris, seruauere Mercordium. Atque Luxemburgia clàm à Belfortia appellata de spondendis filiæ nuptiis, quam susceperat vnicam, cum Cæsare quem peperat Regi Belfortia, petentem repulerat, ambitione supra fortunam surgente;

Dinan.

Anno 1598.

De Beaufort.

HENRICVS IV.

venerátque Andegauum aditura Regem, & expugnatura iracundiam. Verùm ab Regis colloquio excluſa fuerat, & Scombergus agens cum legatis Mercordij, imponebat conditiones, vt is Britanniâ cederet, veniam conſequuturus à clementia Regis. Quam ob rem perturbata mulier, conuerſa ad Belfortiam, petitas nuptias vltrò oſtentat, offert, ingerítque; ac per eas expugnata femina, Regem ipſum expugnat, & pacta commoda marito impetrat; cui plura longè quàm ſperauerat indulgenter conceſſa; adeò feminis potentes ſunt machinæ; quibus plerúmque pro iure voluptas eſt, efficaciſſima apud mortales pugnandi ratio. Deinceps Rex ſalutantem Mercordiũ excepit benigniſſimè, curauitque ſponſalia contrahi Cæſarẽ inter, quem dixit Ducem Vindocinenſem, & Franciſcam Mercordij filiam, effuſiſſimo ſumptu, quorum ſponſus quartũ annum implebat, ſponſa ſextũ; eundémque poſtea Vindocinenſem Britanniæ Prætorem conſtituit. Id in Andegaui caſtello confectum; atque vltra Rex perrexit in Britanniam, conquaſſatam teterrimo & diuturno bello prouinciam ſtabiliturus & recreaturus præſentia ſua; quod eximiè præſtitit. Præterea Nannetis in gratiam Hugonottorum edictum ſanxit, quod dictum eſt Nannetenſe, deſcriptum in plura capita, quæ leguntur palam. Atque ij iam à tribus annis, malo in Regem animo ob conuerſionem, conuocatis frequentibus cœtibus, ſin minus conſpirauerant palam, ſaltem formam Reipublicæ in Monarchia conſtituerant; & Rege oppugnante Ambianum, tum opem omnem flagitanti detraxerant; tum apertà conſilia in eum machinati, Briſſacum inſtigauerant ad rebellandum. Et præſentem moleſtiam futurorum metus adaugebat, cùm inſpicerent fœderatos Regi acceptos charóſque admodùm, cùm recogitarent eorundem in ſe inextinguibile odium; ac metuerent, nec immeritò quidem; ne idem ab Rege in ſuam perniciem impetrarent, quod non pridem per Henricum III. perfeciſſent. Rex ad eum ſubleuandum metum, Calignonium & Emericum Vicum, deinde Scombergum miſerat; qui nouum fœdus cum iis ſcriberent; & moderatè quidem rem gerebant Mornæus & Noüa; ſed cæteri plures ægrè ab armis & ſeditione temperabant; quos dicebantur incendere Trimollius & Bullionius. Eas ob cauſas ratus ferociores animos mitigandos, edictum conceſſit; largitus Miniſtris ſtipendia, non ex decimis, vt flagitabant ipſi impudenter, ſed ex ærario. Ad pacem interea inclinabant cætera in prouinciis; & Florentiæ Dux pro inſulis Maſſilienſibus cum Rege paciſcitur. Eas quippe flagrante bello fœderis occupauerat pulſo Bauſſeto Iſiæ præfecto; & miſſo fratre ſpurio Ioanne Medicæo cum quinque triremibus, palam aſſerebat, quod inuaſerat clàm & per inſidias; haud pauciſ prælijs conſertis cum Guiſio, qui retenta vna inſularum oppugnabat alias. Nunc fœdere peculiari eas Regi dimittit, promittendi ducenta aureorum millia in factas impenſas. Ita Britannia & Phocenſis prouincia bello liberatæ, quo atrociſſimè vexatæ fuerant & direptæ; ipſæ in perniciem ſuam ſæuientes, & furentium inſtar infligentes ſibi vulnera letalia. Nec quid ad pacem momento fuerat Ledigerij laudatiſſimum & fortiſſimum facinus; qui Caſtellum Barrauſium Sabaudiæ Duci eripuit. Hic Crequium Ledigerij generum

Edictũ Nannetenſe.

Inſulæ Maſſilienſes.

D'Iſ.

De Barraux.

in

in Moriena pugnantem nuper per insidias cœperat; eóque successu elatior; per Castellum Barrausium, quod magno sumptu in limite Delphinatum posuerat, videbatur admotis prouinciis immisisse iugum ineluctabile. At Lediguerius, vt promissis staret, nam affirmauerat Castellum Regi poni, séque id capturum, cùm perfectum esset; modò post absoluta accuratissimè munimenta, & immissos ad defensionem bellatores mille; rem cogitatam aggreditur atque exequitur; tanta prudentia & fortitudine, vt scalis admotis, noctu quidem, sed instructo præsidio & vim repellente, intra duas horas Castellum cœperit; militem partim cæciderit, partim deditum cœperit; potitus validissima arce, iactura duorum militum. Capta præter Præfectum quinque signa, & ad Regem missa: magnâ Lediguerij famâ, quam fortuna atque fortitudo consortes suorum operum promouebant; quamquam in eo pro fortuna prudentia fuit. HENRICVS IV. Morienc.

XIII. Pax Vervinensis.

Richardot.

Ea inter Pax summis Regum studiis provehebatur; ac Philippus Hispaniæ Rex in eam toto prorsus animo incumbebat. Iam senio grauior & morborum acerbitate feretro propior, pacem filio cupiebat asserere, patrimonium tutissimum & opulentissimam hæreditatem. Præterea Isabellæ amantissimæ filiæ constituerat Albertum Archiducem maritum dare, Belgiúmque in dotem; quæ dos si bellum perseueraret cum Francia, Martis aleæ, incertisque eventibus nimis obnoxia, sponsis oneri potius atque incommodo, quàm gratiæ & quieti foret. Et Hispaniæ ipsi ab Anglis & Batavis affatim hostium erat. Eas ob causas, Secusium Franciscanorum Generalem missum à Pontifice lætus exceperat, eúmque ad pacem conciliandam in Flandriam ad Archiducem miserat; iámque Franciscanus in Franciam venerat, habuerátque de pace sermonem; cùm Ambianum ab Hispanis capitur. Pax discussa tam sævo procellæ turbine; post receptam vrbem seu tranquillitate immissa, elucere inceperat; conuenerat Villaregius cum Ricardoto in Picardiæ finibus, Regis & Archiducis assensu; pacti vt ab vtroque Legati mitterentur Vervinum: quod oppidulum est in Veromanduis: ea vna pace famam adeptum. Nuncupati à Rege Legati Pomponius Bellieurius, & Nicolaus Brularius Silleryus; ab Archiduce, cui Philippus auctoritatem totam scripto permiserat, Ioannes Ricardotus, Ioannes Baptista Tassius, & Ludouicus Verreikenus: iique seriò & bona fide operam adhibent. Atque vt Reges paribus animis pacem cupiebant: nec enim ea Henrico necessaria minus quàm Philippo erat, Legati de conditionibus statim conueniunt: ac de sociis Regum laborandum potius, quàm de ipsorum causis, & commodis fuit. Primum de prærogatiua sedis disceptatum; ac cùm præsens Legatus esset, eam in rem à Pontifice designatus, controuersiam dirimit; vt ipse in capite mensæ consideret, ad dextram Apostolicus Nuntius; Franciscanus Generalis in extrema mensa; eligerent Franci Legati in qua mensæ parte sederent; illi lævum latus arripiunt, in quo Legato propinquiores erant; dextrum Hispani. In ipsa actione tria dumtaxat moram & obicem faciunt; Cameracum, Angli, & Sabaudus. Vrgebat Rex, vt Cameracum arce eversa, & pulso Hispanorum præsidio, vel Imperio, vel Episcopo suo restitueretur; paci Elisabetha

HENRICVS IV.

ſabetha intercedebat; quoniam anno cautum proximo erat, ne Rex ipſa inuita pacem cum Hiſpano poſſet contrahere; idémque Batauorum Ordines repoſcebant; à Sabaudiæ Duce Saluſſios repoſcebat Henricus, quos ille negabat reſtituere; nec Philippus deſtituere generum poterat. Tandem poſt plurimas diſceptationes, placuit Cameracum omittere, quandoquidem Philippus idem de vrbe Meti flagitare poſſet; Eliſabetha appellata à Rege, vt ſi vellet in conditiones pacis admitteretur, ipſique locus in inſtrumento præbitus; idémque honor Batavis præſtitus; Sabaudus inſcriptus eſt fœderi propriis conditionibus. Sic omnibus conſtitutis, quanquam Anno 1598. Eliſabetha plurimùm reclamante; menſe Iunio in eas leges inſtrumentum pacis perſcribitur; vt ſuperior pax contracta anno huius ſæculi quinquageſimo nono obſeruetur penitus; vt captæ vrbes vltro citróque reſtituantur; dimittantur captiui mutuò, tum bello capti, tum addicti triremibus; Sabaudiæ Dux Berram reſtituat, quod ad Saluſſios ſpectat, controuerſiæ arbiter ſit Clemens Pontifex, qui intra annum ſententiam ferat; tum ſocij vtrimque appellati, in quibus Eliſabetha dici renuit, vt ſimiliter Batani; & addita cætera leuioris momenti: Atque bona fide ea vt promiſſa Charrolois. ſunt, ſic impleta; Henricus comitatum Caroleſium Philippo reſtituit; Philippus Henrico Caletum, Ardras, Montulinum, Durlanium, Capellam, & Caſtelletum in Picardia, Blauetum in Britannia; impari ſanè commutatione; niſi Philippus quouis pretio redemptam pacem adamaſſet. Eodem menſe Iunio, Rex Pariſiis pacem ſanxit iureiurando ſolemni, adſtantibus ab Archiduce legatis, duce Arſchotio, Mendoſa Arragoniæ Admiralio, Velaſco, Ricardoto, & Taſſio; Bruxellis Archidux præſente Birone, eam in rem Duce & Pare Franciæ dicto, ac Bellieurio & Sillerio, vt qui bellica fortitudine pepererant pacem, quique eam ſua induſtria confeciſſent, ij primam iuratæ gloriã carperent. Philippus adſcripſit fœderi; & eodem anno diem obiit, eo maximè dolores acerrimos & cruciatum morbi ſolatus; quod pace parta cum Francia, liberis tranquillitatem teſtamento legaret, legatámque traderet. Nec Henrico leuior erat gaudendi materia qui Franciam bellis aſſiduis tanto annorum tractu laniatam miſerè, diuulſám ac propè diſcerptã pacis beneficio recrearet tandẽ, reſtitueret, atq; perſanaret.

XIV.

Dux Sabaudiæ in Franciam venit.

Primus extitit fructus, haud pauca connubia inter Proceres celebrata. Atque illuſtriſſimum Catharinæ Regis ſororis cum Henrico filio Ducis Lotharingiæ, priuatim in conclaui Regis ob hæreſin ſponſæ, contractum. Tum mutua inter familias Niuernenſem & Mayniam, quibus Carolus Dux Niuernenſis & Henrica ſoror, Catharinæ & Henrico Maynij liberis iuncti ſunt. Mox Henricus Mompenſerius Catharinam duxit Ioyeuſæ Boucagij Comitis filiam, & ipſe Rex de Berfortiæ nuptiis cogitabat, cùm gaudium publicum diſceptatio cum Sabaudiæ Duce interpellat. Conuenerat Vervinenſi pacto, vti intra annum Pontifex Clemens de controuerſia ob Saluſſios mota iudicaret, contendebátque Sillerius Regis apud Clementem Legatus, vt poſſeſſionem Saluſſiorum Sabaudus primò reſtitueret, quando eos per vim contra iuſtitiam occupaſſet, nihilominus ſubiturus iudicium arbitri deponebat inſtrumenta litis, cauſam apud ipſum Pontificem

tificem peracturus. Idem cum Arconatus Sabaudi orator præstitisset, iámque lis cœpisset instrui, Sabaudiæ Dux, haud vsquam passurus, mitti in controuersiam, quod omninò retinere statuerat, factum Legati improbat, simul ad conciliandum Pontificem, & Iudicem oppugnandum, per Lullinum Marchionem, recipit se Saluſſios fratri Pontificis traditurum, si eos sibi sententia addicat. Verùm Clemens æqui & iusti tenacissimus, indignatus se corruptela peti, totum à se abiudicauit iudicium, suáque iura dimisit litigantibus. Sic contentio à verbis ad arma recidit; quæ paraturus Rex haud dubiè videbatur. Necdum tamen artes Duci exhaustæ; nam ipse supererat; instruítque se, vt erat ingenio solertissimo & sagacissimo, ad Regem ipsum sua solertia atque industria profligandum. Igitur potestate facta veniendi, ad Regem venit magno & splendido comitatu, amicè cum ipso dirempturus litem; exceptúsque primùm Bellaqueæ, dein ductus Parisios, per omnem hilaritatem, & Regiarum voluptatum speciem honorificè habitus, reliquum Decembrem transigit: Nouus annus incipitur; atque vt fieri solet, missis ad plures munusculis: Dux consuetudinem ad consilium pertrahens, dicitur Proceres ac domesticos Regis, obruisse muneribus, quadringentis nummorum millibus in eam liberalitatem effusis; quam Saluſſiorum esse pretium crederet. Imo à Rege monili ex adamantibus donatus, non ausus cum eo contendere de opulentia, misit pelues geminas & vasa totidem ex crystallo, miro artificio fabrefacta; veluti innuens impleturam artem, quod potentiæ deforet. At peractis oblectamentis, & seria re iam animos appellante, postquam Dux animaduertit, Regem tenacem propositi, amoueri ab Saluſſiis obtinendis non posse, vt tempus, quod intendebat vnicè, cunctatione contereret, finit controuersiam apud arbitros disceptari ex vtraque parte; à Rege dicti Comestabilis, Bellieurius Cancellarius (nam is nuper suffectus erat in Chiuerni demortui locum) Biro, Rosnyus, & Villaregius; à Duce Belyus, Marchiones Lullinus & Iacobus, Morleta & Alymeus Comites. Ac primùm Dux à Rege flagitat, vt Geneuæ tutelam abiiciat; suam esse vrbem, raptam patri per summam iniuriam; tam æquum vt ipse Geneuam repetat, quàm Rex Saluſſios. At Rex imparem esse contendebat causam; quando iam plures Franciæ Reges protexissent Geneuam, ipse Dux Saluſſios à paucis annis per vim inuasisset, tum nouam escam Dux obiicit, spem Mediolani, & vtriusque Siciliæ, Regi eas prouincias confecturus, si potiatur Saluſſiis. Nec ea Regi esca placuit, testanti se suum & Saluſſios petere, non incertum aut alienum. Postremò preces & obsecrationes Dux admouet, orans vt vni ex filiis Rex donaret Saluſſios in clientelam, patrem & filium beneficio vno deuincturus: at vrgebat Rex sibi restitui controuersam rem, tunc visum iri cui eam traderet. Sic post consumptas artes, cùm Duci regressus nulla pateret via, præter nouum fœdus, & ipsum compingit, sed magno artificio, quod moram plurimam pati posset; vti intra proximum Iunium (& Februarius desinebat) Dux Regi traderet vel Saluſſios, vel Sebusianos cum Pinerolio; atque optio penes Ducem esset. Sic nummis & spe consumptis; Taurinum per Sebusianos regreditur;

HENRICVS IV.

Anno 1599.

HENRICVS IV.

non levi tamen tot sumptuum fructu, quod Mareſcallum Bironem à Rege abduxerat, ferocemque animum inceperat iam consiliis prauis imbuere. Breui interuallo, quo expectatur Iunius dum Rex curandæ valetudini intendit Bellaqueæ, præclaram victoriam de Mornæo reportat Perronius. Mornæus librum de abusibus Missæ ediderat; quo tentabat augustissimum Sacrificium oppugnare, auctoritate Patrum & Doctorum; sed falsis & detortis citationibus, quas ipsi Ministrorum cauillatio improba, ceu veras suggesserat, fraude comperta Perronius iactabat se deprehendisse loca quingenta, falsè & contra Auctorum sensum adducta: & visa disceptatio digna Regis cura; vocatique vterque Bellaqueam, qui inspectis libris veritatem palam è tenebris in lucem eruerent. In conspectu Regis & Procerum disceptata res est; ac primo die novem ex Patribus & Doctoribus loca explorata, quæ Mornæus ipse ex pluribus designauerat; támque apertè in singulis retecta fraus, & veritati lux facta, vt fatentibus errorem ipsis Hugonottis, Mornæus febrim fingens, à colloquio mox abstinuerit, & Frena-Canayus vnus ex Iudicibus controuersiæ, explorato dolo eiurauerit hæresin, Orthodoxam fidem amplexus. Et eam victoriam tum Perronio, tum sibi Rex gratulatus est, conuersionem suam apud Hugonottos ipsos sanciturus.

Colloquium Perronij cum Mornæo.

Freſne-Canaye.

XV.

Interim Iunius mensis obuenerat, & appellatus Sabaudiæ Dux de implendo fœdere, moras excusationibus variis nectebat, in quibus transacto Iunio, tandem Rex certus ius armis persequi, Lugdunum venit, iussis copiis cum apparatu tormentorum sequi. Atque haud dubiè bellum imminebat. Etenim Dux, iam detracta spe Delphinatus & Phocensis Prouinciæ, quam ciuilibus Franciæ bellis non susceperat modò, sed per ingentes sumptus promoverat, vnis Salussiis tantam pecuniam, tantamque spem repensurus, omni commodo orbare se & spoliare non poterat; quid, quod Salussiis traditis, admittebat Francos in penitissima viscera, excepto non tam hospite quàm hoste, & patefactâ in Italiam novis bellis portâ. Atque ad ferendum bellum non se prorsus putabat imparem. Quippe Fontanus Comes, Prætor Mediolanensis, belli in Francos cupidus, habebat sub signis promptum exercitum, opémque pollicebatur; Bironem ipse Dux profligatum putabat, qui belli gestionem ad vtilitatem suam accommodaret; eúmque agens in Francia, clàm in suas partes consiliáque perduxerat, ac spem vanam quidam Astrologi susciterant, quos ipse audiebat cupidissimè; futurum polliciti, vt Augusto proximo Rex nullus in Francia foret. Ita ob eas res confirmabat ambitionem contumaciùs; ratus præterea anno iam promoto Regem nihil tentaturum, quod momenti foret. Rex contra, ius statuerat armis vindicare, nec timebat pacem adhuc teneram atque inualidam repentino bello concutere; ne impunè Duci iniuria foret: nam qui regnum à fœderatis & coniurantium turba explicasset, qui Hispanos fortissimam & potentissimam gentem retudisset, qui ab iis iusto marte occupatas vrbes recepisset; pati haud poterat, Principem vnum dignitate & viribus imparem prorsus, regni antiquum patrimonium vi inuasum tenere. Attamen Dux vsurpaturus beneficium temporis,

Bellum in Sabaudiæ Ducem.

ris, oratores ad Regem mittit, Archiepiscopum Tarentasiæ & Lullinum Marchionem, qui Ducis clientelam pro Salussiis offerrent; quibus reiectis nouum initur fœdus, Duce spondente traditurum se Salussios, ac designante decimam sextam Augusti, qua Carmaniolum redderet. Ad implendum fœdus missus à Rege Passagius, cui accedenti Dux interminatur exitium, ni abscedat. Igitur Rex cunctatione abrupta, exercitum in tres partes diuidit; quarum vnam Biro in Sebusianos, Lediguerius alteram Mommelianum versus, tertiam ipse Camberium duceret. Nec mora in ditionem Sabaudi irrumpitur; Biro Burgum Sebusianorum vrbem primariam capit, móxque arcem obvallat; Lediguerius in pagum Mommeliano subiectum pyloclastro penetrat, Grillonius Prætorianæ Legionis Tribunus Camberium capit; & Rege adueniente castellum deditur. Deinde armis quæque proxima corripientibus, vno impetu Rex, Conflantium, Carboneriam, Miolanum, Aquabellam capit; Lediguerius Morienam & Tarentasiam subigit, & coniunctæ copiæ Mommelianum premunt. Mommelianum arx est in rupe posita, credita vulgò inexpugnabilis, fossis in rupe ipsa excauatis, & quinque propugnaculis ad militaris artis normam erectis; eam Comes Brandisius cum quadringentis militibus tuebatur, & abundabat ad defatigandum hostem commeatus. Rex postquam in castra venit, & orta inter Duces fortissimos æmulatio est, Bironem, Epernonium & Lediguerium; ad arcem oppugnandam certatim tormenta in proximas rupes euehuntur. In eam rem labor tam feliciter impensus, vt diebus paucis arcem verberarint quadraginta machinæ, in suggesta septem distributæ; magna laude Rosnij, qui tormentariæ rei præerat; fulminatúmque in arcem ferreis globis, quæ se vnis cœli fulminibus existimabat obnoxiam. Præfectus grandine horribili perterrefactus, Epernonij consilio atque industria, post inducias breves cùm Rege pacisceitur, se intra mensem dediturum arcem, nisi subueniatur; quam moram Rex præstolans, Burgum cum Birone contendit, deinde ad Castellum sanctæ Catharinæ, quod Sancius obsidebat, propius ad vrbem Genevam admotum. Eo tumultu excitus veluti e veterno Dux, celeritate summa, qua pollebat plurimùm, emendaturus moram inanem, decem millia peditum conscribit, equitum quatuor, properatque ad Alpium transitum, armis arma vti obiiceret. Verùm spem plurima destituebant; Fontanus ab Hispaniæ Rege prohibitus se bello immiscere, quanquam inuitus, opem pernegabat; nullus Italicorum Principum subministrabat auxilium; & Pontifex Petrum Aldobrandinum nepotem ex fratre Legatum ad eum miserat, qui ad primas fœderis conditiones impelleret. Quapropter per aduersa omnia demitigatus, Legato aures præbet, dátque itineris socios, qui cum Rege instaurarent fœdus, Arconatum atque Alymium. Rex Legatum in castris ad Mommelianum excepit, testatúsque se agere non posse de conditionibus, donec Mommelianum expugnauerit, in castris substitit; Legato Camberium profecto, vt designatam diem opperiretur. Qua elucente, & Brandisio ex pactis arcem tradente; ac postea sanctæ Catharinæ castro similiter dedito, Rex Legatum audit conditiones pacis retexente.... De quibus dum

HENRICVS IV.

Du Passage.

Brandis.

HENRICVS IV.

agitur, tranquillitas publica in sopitum bellum propè reuoluitur. Rex rogantibus Lediguerio & Geneuensibus annuerat, vt Castellum sanctæ Catharinæ, quod Geneuæ vrbi admouebat compedes, euerteretur; iísque tam strenuè eam nauauerant operam, vt tertio die nullum arcis vestigium staret; quæ res cùm vehementer Ducem percelleret, & Legatum ipsum offenderet, quod sibi diceret irrogatam grauem iniuriam; atque adeo videretur curam pacis abiicere; attamen pòst decoctâ molestiâ, & impellentibus Oratoribus Hispaniæ atque Archiducis; retractato negotio, rem conclusit, primis conditionibus; vt pro Salussiis Dux Sebusianos traderet, quibus pro Pinerolio & belli sumptibus adiuncti sunt Bugienses, & Verromæi; Rex exercitu in Sabaudia relicto, Lugdunum venit, dum conditiones implentur; quas Dux impleuit tandem, non sine ægritudine animi; eo tamen solatio, quod Franciæ in posterum in Italiam aditum intercluisset: Idque vt Hispano acceptissimum erat; quod inter se & Francos immensa intercederent Alpium repagula; ita Italis Principibus molestissimum fuit, detractam spem opis atque subsidij, omni audendi & agendi licentia Hispanis permissa. Iique dicebant Regem eo fœdere mercatoris instar habuisse rationem vtilitatis & lucri, Ducem instar Principis honestum commoditati antepoluisse. Arcem Burgi Rex tradit Boëssæ Pardaliano; sibi negatam fremente Birone; cui tamen datum est, vt noua ditio Senatui Burgundiæ subesset; quanquam id Delphinatum Senatui deberetur, cui attributi olim Salussij erant. Rex porrò Lugdunum ad connubium festinabat. Móxque intercapedo bellorum Franciam recreauit per aliquot annos, breui hoc spatio priorum calamitatum sensum & propè memoriam extinguente. Regis autem coniugium felicitatis Franciæ magna pars fuit.

Boysse Pardaillon.

XVI. *Coniugium Regis cum Maria Medicæa.*

Etenim pòst contractam cum Hispano pacem, Rex de liberis & futuro herede sollicitus, seriò animum ad quærendam vxorem applicuit. Margaritam Valesiam iamdiu coniugis loco non habebat, statuerátque impetrata solutione initi cum ea matrimonij, Belfortiam ducere; nam mulieri spem eam fecerat, à qua susceperat iam liberos duos, quibus sequente coniugio natales legitimi parabantur; erátque præterea tam incensus & flagrans in feminam amor, vt in omnes obicum difficultates eluctaturus planè videretur. Sed tamen consilium futurum erat pernicioſissimum Franciæ; Quippe Margarita Belfortiam perosa, nusquam in eius gratiam solui coniugium pateretur; præterea Clemens negabat se in id facultatem facturum, nec Principes Regij liberos destinari throno permitterent, quos plerique ex gemino adulterio natos accusábant. Sic per eas nuptias noua calamitatum tela texebatur. Nihilominus Rex Sillerium oratorem ad Clementem miserat, qui prioris coniugij solutionem conficeret. Isque eam rem vehementer vrgebat; cùm Pontifex indicto Romæ ieiunio, publicisque precibus, semel postquam Deum priuatim summo mentis ardore orauerat, progressus è conclaui, Sillerio dixit, actum esse negotium, immensa Dei bonitate & sapientissima prouidentia; atque haud multò pòst Belfortiæ obitus nuntiatus est. Ea quartùm prægnans, die veneris quo Christi patientis memoria colitur, apoplexiâ subitò corruens, in violentis membrorum

membrorum conuulsionibus expirauerat, ore retrò in tergum conuerso, & tam horribili deformitate; vt Medicus Regis arcessitus, exclamaret; Dei esse digitum. Isque feminæ tristis exitus fuit, vnà formæ & pulcritudinis specie felicitatem suam metientis. Rex ad nuntium morbi Bellaquea properabat Parisios, & morte audita, exclamauit palam, Deo Franciam esse curæ; gnarus ipse quantum mali Franciæ detractum esset ea morte. Et eâ nodi prioris coniugij statim abrupti sunt; nam Margarita consensum præbuit, & Pontifex in eam Iudices futuros in Francia dixit, Ioyeusam Cardinalem, Gasparem Episcopum Mutinensem Nuntium suum, & Horatium Montanum Archiepiscopum Arelatensem: qui re cognita matrimonium irritum censuerunt; ob quatuor potissimum causas; quod sponsi tertio gradu affines essent; quod contrahentium alter esset hæreticus, altera nunquam in eas nuptias consensisset; quódque inter eos spiritualis esset affinitas. Ac tametsi Carolus Rex, post cædem Hugonottorum patratam Parisiis, dispensationem in id matrimonium à Gregorio XIII. impetrauerat; eam nullam esse affirmabat Rex; quod obtenta esset insciâ Margaritâ, imò repugnante; quódque sibi vti Catholico permissa esset, qui mente hæreticus foret, nec hæresin animo deposuisset. Itaque post sententiam Iudicum à Pontifice confirmatam; legauit Rex Halincurium Villaregij filium ad Pontificem Oratorem, vt gratias ageret; simul iussit Sillerium proficisci Florentiam, ad flagitandam Mariam Medicæam. Rex quidem ab Belfortiæ obitu, Henricam Balsaciam Entraguij filiam adamauerat; verùm ab ea Rosnij sedulitate abstractus, ad iustas nuptias tandem conuersus, Mariam optauerat, neptem ex fratre Ferdinandi magni Etruriæ Ducis, nam nata ex Francisco erat, primùm Duce Etruriæ, cui sine maribus mortuo Ferdinandus frater successerat. Sillerio cùm prona omnia ad consensum essent; Bellegardum Rex Florentiam mittit, ferentem litteras, quibus magnus Dux Regis procurator sponsam suo nemine duceret. Quod ingenti plausu præstitum est, Aldobrandino Legato dum in Sabaudiam tendit, ceremoniam obeunte. Hinc sponsa magno comitatu triremibus in Franciam ducta, excepta Massiliæ ab quatuor Cardinalibus Ioyeusa, Gondio, Giuryo, & Sourdio; ab Comestabile, Cancellario, Guisio aliisque Proceribus, per Aquas Sextias & Auenionem, Lugdunum peruenit, ciuitatum ingenti pompa & opulentissimo apparatu. Et Rex Legatum Camberio Lugdunum vocauit, vt idem præstaret quod Florentiæ egerat, & nexum matrimonij iungeret. Id initũ est exeunte Decembri; ac Septembri anni subsequentis Maria Regi infantem peperit, qui dictus est Ludouicus; multis deinceps auctura Regẽ liberis, vt perpendens fructus nemo nõ arborem æstimet; quanquam Maria primam felicitatem diuturno mox infortunio luet.

HENRICVS IV.

Anno 1599.

Anno 1600.

XVII.

Bironis coniuratio & mors.

Ab matrimonio Regis, & optatissima natiuitate Delphini, in curandis & prouehendis vtilitatibus pacis videbantur appliciti omnium animi, cùm noua procella serenitatem discussit, orto à Proceribus turbine. Biro Dux & Marescallus, diu tacitum odium coquebat in Regem. Vir animi quidem fortissimi, sed supra modum omnem arrogantis, sibi neminem parem, ne Regem quidem comparari passus, sic intumuerat opinione

HENRICVS IV.

virtutis & gloriæ, vt nihil sat dignum meritis rependi sibi posse arbitratus, beneficia Regis quanquam immensa, quasi leuia & inferiora contemneret, eleuaret verbis atque abiiceret; Regémque ipsum sæpe ingrati animi postularet. Ea Rex æquo animo patiebatur, ferociæ indolis parcens, ac ratus condonanda homini verba, cuius factis tam multa commoda ante percepisset. Atque is dolor intra verba hæserat; donec Sabaudiæ Dux in Franciam veniens, agénsque cum Proceribus, statim Bironis perspecta indole, aptum censuit ad texendum rete quod ordiebatur. Atque eum primò per nobilem fidum aggreditur. Is Lasinius Burgundus, frater Beluasij Noclæ, qui Bironi intimus, ob immensa laudum præconia, quibus vanissimum pascebat animum, eum ad Sabaudum non difficulter applicuit. Accessit Regis sermo cum Duce habitus, quasi oleum in flammas iniectum, quo Duce collaudante Francos Nobiles militia claros, ac præ cæteris Birones patrem & filium commendante; Rex eorum ferociam & immanitatem accusauerat, adiungens plus sibi laboris insumptum in compescenda eorum feritate, quàm acceptum fructus ab opera. Quod fraudulenter à Duce renuntiatum Bironi, sic atrocem virum succenderat, vt minas sæuus & in Regem effunderet. Creditúrque iam cum Duce ab momento illo conspirasse. Mox bello Sabaudico molestiam auxerat; quod Lediguerius in consortium dignitatis vocaretur cum illo; quódque Rex arcis Burgensis præfecturam negasset. Culpa tamen non erat progressa longiùs; ac post pacem parratam, Rex Lugduni virum amicè compellans, quædam fatentem donauerat veniâ, & beneuolentiam conciliatam ostenderat; modo flagitium intra confessionis fines contineretur. Postmodùm Rex, vt animum efferatum honore mulceret, Elisabetha ipsum ad colloquium appellante, ac flagitante cupidissimè, vt in medio Caletum inter & Dubrium freto, spectaculo amantissimi fratris frueretur; Bironem excusans se, vice sua substituit; misítque honorifica legatione & splendido comitatu in Angliam. Nec defuit specimen atque hortatio ad modestiam & deponenda praua consilia; cùm illi Regina casum Essexij Comitis enarraret, & aliena persona sanam ipsi mentem infunderet; si infundi posset in corruptum animum, & morbis deploratis ad sanitatem esset regressus. Itaque redux in Franciam Biro, consilia cum Sabaudiæ Duce & Fontano Comite repetit; inani spe potentiæ in pabulum ambitioni obiecta. Nec eo vno capite imminebat periculum Regi; Bullionius cum Hugonottis vltra Ligerim positis adornabat etiam machinas: an consiliis cum Birone communicatis incertum. Sanè vterque eandem apud plebem rebellandi speciem prætendebat; immoderatam Rosnyj gratiam, & tributum in singulas merces impositum. Etenim Rosnyus apud Regem gratia & auctoritate pollebat plurimùm, & quidem meritò; nam diligentiâ summâ & accuratâ parsimoniâ administrabat ærarium, & per difficiles durósque aditus excludebat muscas illas aulicas, siue hirudines; quibus præmiorum nunquam est satis, nec petitionum. Erat præterea tributum in singulas vrbes impositum, iam ab Rothomagensi Optimatum cœtu, quo ex mercibus æstimatis pendebatur vigesima; quod tributum cùm Aquitani detrectarent pendere, &

Lasin. Beuuais la Nocle.

Anno 1601.

Rosny.

Rupellani

Rupellani; illos Biro, eos Bullionius credebantur incendere. Ad Rupellanos compescendos Rex transito Ligeri Pictauium venerat; cùm aduertens frustra mali amputari frondes, si truncus integer & radices perstent, mutato consilio, tributo Aquitanos & Rupellanos soluit, condonat patrata, & Fonbellaqueam properat, incubiturus in auctorem mali. Is Biro, qui cum Hispaniæ Rege & Sabaudiæ Duce partitus Franciam, habere præterea credebatur coniurationis consortes, Comitem Aruerniæ, sibi arcta iunctum amicitia, & Ioinuillam Principem Guisij fratrem; agebátque tunc in Burgundia, vnde commodè per Sequanos & Sebusianos alebat cum occulto hoste commercium. Eum Rex in Aulam vti incautum alliceret, (nam aperta vis aleæ plena,) vitum vbi se dabat occasio, eximiis laudibus commendabat, non ignarus quàm ea esca superbus animus caperetur & verba facto provehens, eum legat ad instaurandum cum Helvetiis fœdus, simúlque mittit librarum decies centena millia, confecta re, solutisque difficultatibus, tum per pecuniam, tum per Bironis industriam, sperabat Rex ipsum in Aulam venturum, vt rationem mandati redderet; verùm ille in Burgundiam regressus, cohibente conscientia, cùm excusaret absentiam à Prouincia, Rex semel amoliturus tantam molestiam, ad eum mittit primò Descurium, tum Ianinum præsidem, Marescallo perfamiliares, qui renuntiarent, multa Regi in eum ab inimicis delata, iis quidem Regem abrogasse fidem, sed percupere vehementer cum eo agere, vt explorata propiùs fide, calumniam opprimat, & extinguat accusationis memoriam. His Biro persuasus, qui crederet Lasinium consiliorum participem nihil aperuisse, cum Ianino, præmisso Descurio, viam init. Verùm Lasinius Regi cuncta aperuerat, siue pœnitentia suscepti facinoris, siue inuidia & æmulatione, quod Biro cum Barone Luxio participaret arcana; & conspirationis seriem totam prodiderat, eámque in rem chartam exhibuerat scriptam Bironis manu, nam fraudulenter, cùm eam Birone inspectante absumere flammis simularet, alia charta suppositia, clam proditionis testem indicémque seruauerat. Hac spe cassus Biro Regem Bellaqueam conuenit, exceptúsque honorificè, à Rege sæpius & amantissimis verbis compellatur, vt culpam fassus, certæ & indubitatæ clementiæ totum se addicat, vni Regi aperiat proposita consilia, participem futurum neminem alium; cupere ipsum vehementer viro charissimo condonare crimen, si reus ipse det occasionem veniæ, nec eam obstruat importuno & contumaci silentio. Cùm ad eas voces obduratus Biro, non emolliret obstinationem, imò irreuerenter in Regem plura effunderet, & minas in delatores euomeret, tandem retinetur à Vitrio, Comes Aruerniæ à Pralino, & in Bastillam vterque ducitur. Continuò à Cancellario & duobus Senatoribus Bironis causa instruitur, propositisque testibus, quorum princeps Lasinius cum Reneræo amanuense, conuocatis omnibus Senatus curiis, vt læsæ Maiestatis reus, damnatur capite, eóque mox in Bastilla truncatur. Ferox animus ad mortem obeundam ægerrimè componi potuit, multa in iudices, multa in testes, haud pauca in Regem, quem querebatur ingratum, ingessit, sub ipsam necem carnifici minatus interitum,

De Lux.

Anno 1602.

HENRICVS IV.

interitum, si se contingeret, pectúsque aperiens, spectantes orabat, vt se aliquis sclopeti glande perimeret. Tandem incautus, dum tertium strophio oculos velat, dexteritate summa carnificis, capite abscisso in pegma procumbit. Et eo fato vir fortissimus desiit, qui militari laude cumulatissimus excultus etiam litteris, & ciuili prudentia clarus, vna mentis superbia & inani arrogantia, supra dotes suas elatus, Regi ægrè subiectus, ac ne ipsi quidem Deo, tantâ erat morum licentiâ, corruit in voraginem, quam superbia sibi dum extollitur parat, eò lapsura altiùs, quo surgit sublimiùs. Ex consciis conspirationis vnus Fontanella Britannus Nobilis in pœnam vocatus, & is rota fractus est; cæteris parcitum, Lasphnio, & Luxio, qui Regis appellatam clementiam exorauit. Comes Aruerniæ laxatus custodiâ, & Ioinuillæ parcitum, quos Bironis amicitia in suspicionem potiùs quàm in culpam vocauerat. Et Epernonio eadem amicitia periculo fuit, quem mox suspicione veritas ipsa liberauit, vt cultorem amicitiæ fidum, sic tenacem æqui, nec promouentem beneuolentiæ fines vltra honestum. Bullionium in Germaniam profugum, in commodius tempus Rex distulit, ad colendam pacem reuocatus, tranquilliore iam animo.

XVIII. *Iesuitæ in Franciam reuocati.*

Nec leue pacis, beneficium fuit, quod Societas IESV in Franciam prona voluntate Regis veluti postliminio rediit. Metim Rex venerat, ad Sobolum præfectum arcis immutandam, de quo grauiter Metenses expostulabant; ibique dum agebat, orante Epernonio, audiuerat Prouincialem Iesuitarum, Ignatium Armandum, cum aliquot Religiosis, obsecrantem Societati regressum in Franciam patriam suam, quando in ea ortum & incunabula nacta esset Societas; audieratque benevolè Rex, facta spe rei perficiendæ, cùm venissent Parisios, deditque facultatem tum Armando Prouinciali, tum Petro Cottono, veniendi simul, ad excipiendam voluntatem suam. Mox in Lotharingiam digressus, ad inuisendam sororem; postquam Lutetiam incolumis tenuit ad patrandam rem se pronum admouet. Diu Clemens eam in rem adhibebat preces, videbantur impedimenta propè diuinitus corruisse, Parlamenti decretum diuturnitate temporis refrixerat iam; cum Hispano coaluerat pax, ab Hugonottis deferbuerat timor, Elisaberha Regina Angliæ nuper obierat; quæ singula vti antea prohibuerant Iesuitarum restitutionem, sic eam in præsentia promovebant mutata, & ipse Rex perspicacissimus omnium, calumniam à culpa dirimens, introspexerat in eorum consilia, & innocentiâ deprehensâ, statuerat emendare, quod acerbitas temporum à se extorserat. Eo proposito, edictum scribit ad eos in Franciam reuocandos, quod ad Senatum Parisiensem approbandum mittit. Sed in approbatione opus & labor; nam Senatores, quorum plerique priorum temporum vulnera retractabant, infensissimi in Societatem; postquam diutius prolatando protraxerant rem, tandem post varia Regis iussa, & vt optimus erat, preces adhibitas, cùm intercisa cunctatio esset, per Harlæum Præsidem, Regem admonendum de edicto decernunt. Venitque Harlæus in Luparam, frequentibus Senatoribus qui comitarentur, habuitque apud Regem orationem,

nem, in cœtu Principum, Antistitum Procerúmque amplissimo, & in orationem vetera omnia probra congessit, quæ in Societatem antè Pasquerius & Arnaudus infensissimi inimici, tum verbo tum scripto, maiore odij quàm veritatis luce effuderant, & ea Præses tanta eloquentia, sermonis tanta vi & actionis, dicendi peritissimus perorauit, vt qui adstabant, profligatam rem crederent, nec futurum Regi, quod torrenti opponeret. Enimverò ille, erectis in cœlum oculis, & se toto in veritatis patrocinium euocato, longam Præsidis orationem retexens, paucis verbis obiecta confutat; nihilque prætermittens quod dictum esset, admirabili tum memoria, tum mentis prudentia, retexit singula simúlque reiicit. *Vobis*, inquit, *gratias habeo plurimas, pro solicitudine quam de me & regno meo geritis, cogitationes omnes vestras mente mea complector; sed vos mentem meam non assequimini. Mihi obiecistis, qua vobis visa magni momenti & ponderis; nec animaduertitis nihil dictum à vobis, quin ego iam ab nouem annis, id seriò perspexerim, considerauerim atque perpenderim; nec futura decerni commodius quàm ex præteritis, quæ ego accuratissimè omnium noui. Iesuita Poissiaci doctrinæ, non ambitionis, dederunt specimen; nec satis calleo, quam ambitionem iis affricetis, qui recusant dignitates Ecclesiasticas, & Insularum splendorem, in eamque rem voto se obstringunt. Si qui porrò ex Ecclesiasticis ab iisdem Patribus alieni sunt: id enimverò ignorantiæ est, qua ob omni euo scientiam carpit; atque obseruaui, vbi de iis restituendis agere cœpi, duo genera hominum intercedere, Religionis nouæ sectatores, & Ecclesiasticos licentiâ morum arguendos; idque eorum existimationem & pretium auxit. Sorbona eos damnauit, sed minùs cognitos atque exploratos, & lugere eorum absentiam Vniuersitas debet, per quam in solitudinem propemodùm versa, Scholasticos videt, frustra decretis vestris vetantibus, ad ipsos confluere, tum intra regni fines, tum extra. Sed obiicitis, præclara ingenia ad se pelliciunt, habentque delectum, & eo magni apud me sunt nominis, cùm militem scribo, cupio legere fortissimum quemque, vellémque neminem in Senatum vestrum adsciri, nisi dignum; virtute solâ signari Magistratus atque distingui. In regna & ciuitates ingrediuntur quouis modo adhibito, id cæteri omnes faciunt, & ego in solium ascendi, vt potui, adhibitisque modis quamplurimis. Sanè fatendum est, eos probitate morum & patientiâ exequi tandem quæ antè inceperint, & in multa tempora duraturos, qui tantam solicitudinem impendunt, ne quid de prima institutione mutetur. Ad doctrinam quod spectat, sedulo intendi; nec vnum reperi ex pluribus, qui eorum scholas frequentarent, imò ne vnum ex iis qui defecissent ab instituto eorum, asserentem audiuisse ab iis, fas esse Tyrannos occidere, aut Regibus exitium intentare. Barrieram suscipientem teterrimum facinus nemo Iesuita confitentem audiuit; imò vnus Iesuita absterruit, & pœnas æternas suscipienti minatus est. Chastellus eos nusquam accusauit, quos si accusasset, si Iesuita vnus vultus intulisset, (quod omnino deletum recordatione cupio, fateórque id a Deo permissum, ad humilitatem insinuandam, & salutem dandam, vnde multas illi gratias habeo, an oporteat Ie.itas omnes pœnam ferre, cunctósque Apostolos ob Iudam vnicum deturbari. Si arctiùs ad Pontificis iussa se astringunt, id pertinet ad i.stitutum*

HENRICVS IV.

HENRICVS IV.

conuersionem: nec puto id obedientia verum firmius esse, quam fidei Sacramentum, quod præstabunt mihi. Sed omittitis, Romæ Cardinalem Bellarminum minùs audiisse, quod Pontificis potestatem arctioribus finibus concluserit, quàm cæteri solent. Nec fœdus illis debet esse crimini, ea erat calamitas temporum, existimabant se rectè agere, plurimorum instar decepti sunt, & credo longè minori improbitate quàm cæteri, ac spero, qua sunt conscientia, postquam id quod præsto beneficium ad eam accesserit, præmiori voluntate eos adiunctum iri mihi quàm fœderi. Dicitur Hispania Rex illorum uti opera, & ego uti volo, nec Francia conditio peior esse quam Hispaniæ debet. Quandoquidem cætera Gentes eos utiles iudicant, eosdem regno meo necessarios censeo, ac si in eo per tolerantiam hæserunt hactenus, volo eos vi decreti hærere: id gloriæ meæ tribuo, quod Edicto eos in regno retinere possim. Nati in regno sunt, in obsequium simul ac in lucem orti, nolo de subditis meis suspicari quid prauum; ac si timetur, ne quid ex arcanis meis hosti prodant, meum erit nihil illis arcanum prodere, quàm quod voluero. Id negotium mihi committite, cætera haud paulò difficiliora gessi; nec aliud cogitate, nisi ut id impleatis quod volo & iubeo. Ea est oratio sapientissimi Principis, quam ad verbum retuli; non quidem Rhetoricæ fuco adornatam, sed summâ prudentiâ & validis rationum momentis stabilitam & fultam. Nec credidi defensionem vllam opponi firmiorem posse, in plures calumnias, quibus hactenus Societas Iesv impetitur; quam perspicacissimi Regis simplicem orationem; nec erit, spero, legenti tædio, quod eam nihil imminutam adscripserim. Quis enim gratum filij animum aduersus amantissimam matrem coarguat? aut quis reprehendat, si ego pauca verba atque aliena in Patrocinium Parentis meæ attulero, quæ optima commodum mihi atque otium hæc scribendi fecit, quæque tot annos me inutilem alit, dum præclaris rebus fratres operam ponunt, séque in aliorum salutem immensis ærumnis laboribúsque exhauriunt. Sed ab ea modica aberratione in viam redeo. Non vltra orationem stetit Regis

Seruin. beneuolentia, arcessendus Seruinus fuit Aduocatus Regius, Iesuitarum implacabilis inimicus, & grauibus absterrendus minis, ac tandem Senatus

Anno 1604. Edictum admisit, secundo Ianuarij; receptique sunt Iesuitæ in Francia, magnâ Principum, bonorúmque lætitiâ, & vocati statim in plurimas

La Flesche. vrbes; dedítque Rex Flexiam in Andegauis vrbem, in qua ortum habuerat, ad solemnes scholas. Adhuc stabat ignominiosa illa ad Palatium pyramis; quam post menses aliquot Rex luce palam dirui & euerti iussit; Mirone Mercatorum Præposito publicum fontem in eodem loco exstruente; atque appositè, cùm admissa Societas scientiæ & pietatis fontem aperiret, támque obuiam exigentibus operam se præberet; quàm fontes publici fundunt aquam petentibus. Regi in posterum Petrus Cottonus charissimus fuit, quem à confessionibus & concionibus habuit; dilexitque tam constanter & tenerè, virum sanctissimum, moribúsque mitissimum, quem penitus introspexerat, vt in Aula ad extremam diem tenuerit, & Delphini institutioni præfecerit, quanto fructu ætas nostra vidit admirata inconcussam Ludouici pietatem & castimoniam.

XIX. Rex postmodùm fruebatur pace quam constituerat; cùm noua consilia conspiran

conſpirantium, regni tranquillitatem & domeſticam quietem perturbant. Primùm ab Henrica Balſacia Entraguij filia turbarum nata occaſio. Eam inter & Reginam æmulatione orta & contentione; locus eſt datus conſpirationi: facultatem recedendi à Francia à Rege impetrauerat; & credebatur cum Entraguio patre profectura in Angliam; cùm retegitur iniuiſſe cum Hiſpano conſilium in Hiſpaniam diſcedendi; atque Aruerniæ Comitem in idem conſenſiſſe. Erat Comes Henricæ Balſaciæ vterinus frater; nam Entraguius matrem eius duxerat; ex qua mox Henricam ſuſceperat; ſtatimque Comes in Aruernos confugerat, apud quos gratia & auctoritate pollebat plurimùm; à quibus tamen per inſidias raptus, Baſtillam cum Entraguio ductus eſt; atque vterque ſenatus ſententiâ vt rei maieſtatis damnati capite. Quam tamen pœnam commutauit carcere Regis clementia, ac perſtitit per annos duodecim in Baſtilla Comes; Entraguius in gratiam filiæ miſſus eſt, atque in domo ruſtica atque opulenta habitare iuſſus. Sed iam vrgebat res Bullionij; & is quanquam abſens, per emiſſarios Aquitaniam & prouincias proximas agebat in rebellionem. Nam poſtquam Biro in pœnam vocatus eſt, primùm Genevam profugerat, deindè in Germaniam, atque implorata Proteſtantium ope, imò Hugonottis Francis clam incitatis, à Rege obliuionem criminis poſtulabat, videbaturque intendere minas, ſi negaretur. Et eæ iam curabantur ſollicitè; quippe Bullionij ſtudioſi Regnacus & Vaſſignacus, plerofque Nobiles in Lemouicibus, Aginnatibus & regionibus admotis ad nouandas res excitauerant; gliſcebátque pernicies; cùm Rex ad eam opprimendam curam & diligentiam inſtruit. Primùm Roiſſium Lemouicum mittit, è Memmia familia, ſupplicum libellorum Magiſtrum, qui inquirendo in reos præluderet; tum Epernonium cum Prætorianæ legionis decem cohortibus, dein ſubſequutus ipſe itineribus magnis. Ad eius aduentum coniuratio tota euanuit; conſpirantium pars ſibi fuga conſuluit; pars noxæ confeſſione appellauit clementiam. In iis Blancartius Petrocorius, præfectus Bironis Mareſcalli negotiis, & conſiliorum particeps; aliíque haud pauci, tum Catholici, tum Hugonotti; quos pecuniâ vt fatebantur ſubmiſsâ, incitauerat ad inirandam Bullionio fidem: & conſilia clandeſtina machinabantur in vrbibus plurimis, quas inuaderent, cùm Bullionius exercitum à Proteſtantibus impetraſſet, & induxiſſet in Franciam. Rex interea cùm veniſſet Lemovicum, pacauit omnia, aliquot noxij damnati à Roiſſio capite cæſi ſunt; parcitum aliis. Ad ea Bullionius adhibebat magnæ auctoritatis Principes, qui veniam ſibi impetrarent à Rege; Angliæ Regem, Helvetios, Palatinum, Brandeburgicum & Badenſem, atque ipſos Hugonottos in Francia. Singulorum Oratoribus Rex ſatisfecit. Anglo quidem Regi atque Helvetiis humanè & commodè reſpondens; docuit quam noxam contraxiſſet Bullionius, quámque prompta indulgentia foret, ſi pœniteret ipſum criminis ſuſcepti. Paulò ſeuerius Proteſtantes excepit, teſtatus minus gratam acceſſiſſe intercèſſionem; at Hugonottos aſpetis verbis dimiſit, ſignificans ſe à ſubditis obſequium exigere, non conditiones. Mox vt cunctantem in officium tandem redigeret, exercitum parat, ducítque ipſe

Comes Aruerniæ captus.

Bullionius veniam petit & impetrat.

De Roiſſy.

Anno 1605.

Anno 1606.

HENRICVS IV.

versus Sedanum, Dunquerium vsque. Quo periculo Bullionius territus, ac colloquutus cum Villaregio, se clementiæ Regis penitus tradidit; eum Sedani cum exercitu excipiens, exoratâ veniâ, receptúsque in gratiam; incredibili clementia Regis, qui tam facilè iniuriarum sensum deponebat, quàm eripiebat potestatem nocendi; eadem magnanimitate parcente hostibus, quæ profligauerat. Nec modò Rex optimus constituebat pacem in Francia; eam in Italia atque adeò in ipsa Christiana Ecclesia sanciebat. Totam rem scribere supersedeo, cùm sit Historici Ecclesiastici; vnum obseruabo eum amorem & reuerentiam Regis fuisse in Paulum Pontificem, qui clementi successerat, & in Ecclesiam ipsam Catholicam, vt Italiæ pacem & tranquillitatem antiquiorem vtilitate sua habuerit. Nam continuò postquam Paulum inter & Venetos exarsit discordia, totus ad reuocandam pacem conuersus, appellanti vtrique partium aptè ad concordiam responsum accommodat. Nam Pontificio Nuntio opem in proximum bellum flagitanti; contestatus nullam sibi sede Apostolica amicitiam antiquiorem; recipit se quadraginta hominum millia, ducturum in Italiam, si res poscceret, atque Ecclesiæ vera vtilitas; attamen longè vtilius esse, si Veneti reuocentur in officium, & mota tempestas subsidat; mox Oratori Veneto respondet; se arcta amicitia cum senatu iungi, paratas vires suas in eius auxilium; verùm vbi de sede Apostolica agitur, se qui Ecclesiæ primogenitus foret, matris causam defensurum & propugnaturum, quapropter rogare se Rempublicam prudentissimam, vt bello repudiato, faciat satis Pontifici, curaturum se, vt honore saluo, & nullo Reipublicæ detrimento id fieret: statimque Ioyeusam Cardinalem in Italiam legat, qui suo nomine tantæ litis disceptatorem arbitrumque se gereret. Ac Ioyeusa adnitente Perronio tunc Romæ versante, post difficultates multas exhaustas, rem perfecit, bellúmque extinxit, vno Iesuitarum damno, quos reddi Venetiis nulla prece, nullis minis, nulla Regis contentione, senatus passus est, quos tamen quadragesimo post anno idem senatus, annitente Alexandro VII. Pontifice maximo, sibi ciuibusque suis restituit. Rex postea Niuernensem Romam oratorem misit, qui Regiâ magnificentiâ retulit Capitolinam triumphantium pompam, Pontifici præstans religiosum obsequium.

Venetos reconciliat Pontifici.

Anno 1607.

XX. Ea inter pax cum Hispano identidem laborabat. Expostulabant Archiduces, nam eo nomine Albertus & Isabella vxor nuncupabantur, tam imperio iuncti quàm thalamo; quod Henricus Mauricium Batauósque iuuaret tum pecunia, tum milite; ac tametsi excusaret Henricus, non conuentum Veruinensibus pactis, quò minus æs alienum persolueret; ídque se præstare, quod pecuniam mutuam acceptam à Batauis in præsentia restitueret; ac Francos prohibere non posset, bellicosæ populos indolis, quin priuato ductu, irent bella gestum apud gentem externam; tamen ea molestia & Hispanis grauissima erat, & occasio clandestina consilia in Francia machinandi. Præcipuè Fontanus Comes Mediolanensis Gubernator, vir ferociæ militaris ardebat æstu belli incendendi, Ducémque Sabaudiæ omni studio in id impellebat, ideò cum ipso Ducem Bironem à

Pax Veruinensis.

fide

fide abductum, lactabat spe inani, turbabat nouis consiliis; semel iterúmque oculum cupiditatis Massiliæ adiecerat, fraudémque texuerat, quæ tandem Alagoniæ Maitarguio capitalis fuit. Quippe homo Francus, ex Neapolitana stirpe oriundus, deprehensus Parisiis cùm Zuniga Legato Hispano agitare ea de re consilia, damnatus ab quatuor equis discerptus est. Deinde Lostij proditio accusauit Hispanorum fidem. Nam is Villaregij amanuensis, atque hero ob industriam atque ingenium admodùm charus, Hispanis retegebat quidquid in Francia Regis consilium statuisset; deinde Hispanus Entraguio ac Henricæ filiæ perfugium asylúmque parauerat, sperans per Henricæ liberos facessitum iri regno negotium. Sic pax instar conualescentis à morbo lethifero, quem lapsus repetiti sæpius lecto affligunt, videbatur alimenta potiùs ad bellum petere, quàm instaurare se, ac robur virésque ad perstandum capere. Atque haud dubiè nisi Rex, Franciæ nondum confirmatæ censuisset studendum, & Dux Lerma qui moderabatur Regem Hispaniæ, ad obtinendam potentiam abhorruisset à bello; pax abrupta esset, ignésque admoti corripuissent incendium. Eam in rem dum opportunum momentum opperitur Rex, atque æratium parsimoniâ suâ implet; primò fœdus cum ordinibus Batauorum ferit; deinde aggreditur eos cum Hispaniæ Rege conciliare. Quippe, siue nondum indicere bellum statuisset; siue vt verosimilius, magnam illam consiliorum molem volueret animo; arbitratus est omnino Batauos conciliandos Hispano vt Flandria pacifica, dimisso milite, expugnaretur facilius, & vt ipse totus arma inferret in eam partem quam constituebat impetere; ope ex fœdere præstanda à Batauis, saltem breui tempore ipse cessaret à præbendo milite atque pecunia. Itaque in eam rem versus, nulli operæ, nulli labori parcit, vti conficiat; id operis imponit Ianino Præsidi, viro singularis prudentiæ, & ad captandos hominum animos mirificè facto; ille exhaustis immensis difficultatibus, cùm à Batauis pacem impetrare non posset, confecit in duodecim annos inducias, impetrauitque vti Hispanus cum Ordinibus ageret, ceu cum Prouinciis liberis, Rempublicámque agnosceret gerentem summum imperium, quod vnum tot tantisque bellis petebatur hactenus & negabatur. Ea re patrata, adhuc Henricus à consilio belli abstinuit; quanquam Mauri Hispaniæ opportunitatem subiicerent, se huic tradentes si defensionem suam capesseret; at Regi minus commodum visum ob impuram & perfidam gentem Catholico Principi bellum inferre. Mox paranti modum belli atque instrumenta, occasio gemina se statim præbuit. Condæus Princeps nuper vxorem duxerat Carolam Margaritam Mommorancij Commestabilis filiam, virginem speciosissimâ formâ; cuius amore Rex inflammatus, adolescenti Principi zelum mouit, ac nouam tumultus procellam. Siquidem Princeps clam ereptam Parisiis coniugem celerrimo equo in Flandriam vexit, Bruxelliséque apud Archiduces securitatem adeptus, se cum vxore continuit. Id enimverò Henrico inuidiosum & ignominiosum in paucis; quasi nihil in eius amorem aut libidinem tutum; atque affinitati & pudicitiæ vnum esset apud Hispanos asylum. Eam ob rem vehementer institerat

Loste.

Batauorum inducia cum Hispano.

Anno 1609.

Causa belli in Hispanum mouendi.

HENRICVS IV.

apud Archiduces, vt Condæus & vxor restituerentur; sed euentu tam irrito, vt promulgato scripto contumelioso Regis dignitas proscinderetur, & ipsis Principibus hospitium datum sit in Archiducum Palatio, assignatis ad tutelam vigilibus, ne fortè vi vel insidiis raperentur. Indignanti summoperè Regi accessit Germanorum Procerum appellantium opem oppressio. Ioannes Guillelmus sine liberis nuper decesserat; huius opulenta erat hereditas, heredesque plurimi; námque erant in hæreditate tres Ducatus, Iuliacensis, Cliuensis, & Berghensis, præter Marchiam; & quatuor Germaniæ Principes se gerebant pro heredibus, totidem Guillelmi sororibus, vel iuncti connubio, vel ex iis nati; ij Ioannes Sigismundus Brandeburgicus Marchio; Volfangus Guillelmus Dux Neoburgensis; Ioannes Comes Palatinus, Dux Bipontinus; & Burgavius Marchio; alij præterea ius suum asserebant, Dux Saxoniæ, Dux Niuernensis, & Comes Maleuterius ex Marchia stirpe. At eorum iura & cõtentionem dirimere visus Imperator Rodolphus, Ducatus Iuliacẽsem & Cliuẽsem patrueli Leopoldo tradit; veluti feuda Imperij, quæ nequirent obtineri à feminis; cúmque cum exercitu in eas ditiones statim immiserat. Legitimi hæredes se rati impares in Imperatorem, quem Hispaniæ Rex prouehebat, Fontano Comite Insubres in auxilium instruente, Henricum appellant; eáque opportunitas proxima fomitem belli occultum inflammat. Porrò quo consilio Rex bellum susceperit, ex plurium monumentis patet nempe domum Austriacam regnis & prouinciis multis spoliatam, redigere ad vetus patrimonium, regnum Hispaniæ, & auitas in Germania ditiones. Inter fœderatos spolia diuidebantur, Rege vnam gloriam & laudem facinoris aucupante. Tum patrato bello arma votis communibus in Turcum vertenda. Sanè constat Iacobum Angliæ Regem, Protestantes Germaniæ Principes, Ducem Sabaudiæ, Italiæ Principes, Venetámque Rempublicam & Helvetios in fœdus vocatos, assignatas singulis partes suas: constat præterea quadraginta bellatorum millia tunc in Campaniæ finibus agere; Heluetiorum decem millia; & quinquaginta tormenta ex Parisiensi armamentario educta; Lediguerium, qui nuper Ornani mortui loco dictus Marescallus erat; cum Sabaudiæ Duce, interprete Bullione, societatem belli pepigisse, pacta in Principis Sabaudi sponsam Regis filia, & Pedemontium totum armis obstrepere. Iámque Rex proximè profectionem instruxerat; curauerat summa pompa Reginam Sandionysij inungi Maij decimo tertio, excipiendam Parisiis apparatu solemni die decima sexta, quæ Dominica erat; eámque Regentem suo loco dixerat; datis in consilium Cancellario & Epernonio; profecturus extemplò cum quatuor Nobilium millibus; primùm quidem Iuliacum, vt eam vrbem vindicaret Principibus, quò deinde incertum. Nec assentior scribentibus ad Hispaniæ sensum, Regi mentem fuisse primùm Bruxellas petere, ad repetendam Condæam; quippe honoris & gloriæ cupidissimo Principi, quanquam ea fuisset voluntas, haud quaquam tamen illi obsequutus, vertisset aliò primum impetum martis. Ergo omnia in bellum ruebant, cùm improuisus & luctuosissimus casus instituta consilia disiicit.

De Maulevrier.

Henricus

HENRICVS IV. XXI.

Henricus Descurium audiuerat referentem expeditum esse iter versus Iuliacum; idque vt Sullio Duci (is erat Rosnius) renuntiaret, sub quartam à meridie horam currum inscendit; die toto, qui erat Maij decimus quartus; naturæ quodam refugientis mortem præsagio, sensérat augores animi inexpertos, causâ incognitâ, & fenestræ innixus, pectus ostendens, conquerebatur ignorare se cur animo angeretur tantoperè; & rogatus à Regina ne eo die progrederetur in publicum, arcana vi frustra renitente prodit. In posteriore currus parte considebat cum eo Epernonius; occupabant reliquas sedes Dux Mombasonius, Lauerdinus Marescallus, Roquelaurus, Forcia & Mirebellus. Traducto curru per amplum sancti Honorati vicum ventum est in Ferroneriam arctiorem: cùm ipso hærente curru propter obvia plaustra; nefarius parricida clam arrepit ad rotâ posteriorem, famulis Regis tum equitibus tum peditibus hac illac dilapsis; atque is repetito vulnere Regem incautum & cum Epernonio colloquentem cædit. Nempe cultrum quem pileo occultabat impingit in latus, prima plaga leuiore, sed secunda letifera, traiecto pulmone & scissa arteria venosa. Continuò multo sanguine per os erumpente, inter manus Epernonij Rex expirat; curruque in Luparam deiectis velis reducitur. Et ea est humanæ vitæ fragilitas consiliorumque inanitas, nullo in historiæ monumentis luculentiore exemplo; cùm Europæ & totius orbis ætate sua Rex maximus, idémque optimus, in procinctu expeditionis fortissimæ, vrbibus hostium intra munimenta timentibus; erectis Principibus quà spe quà metu, quo se victoriarum cursus effunderet, is per vnum & vilissimum homulum in vrbe primaria, suos inter Proceres, in ipso potentiæ & amplitudinis cumulo, cultro pecudis instar occiditur, vno dumtaxat momento vivum inter & mortuum. Quæ Franciæ calamitas in paucis atrocissima fuit; cùm è fastigio rerum honoris & gloriæ, reuocata est in bella ciuilia, ac deiecta in necessitatem miseriæ, feminâ & puero moderantibus clavum. Henricus agebat ætatis annum quinquagesimum octauum; sed iis corporis viribus, vt ex aperto post necem corpore, inspectisque visceribus æstimauerint Medici, eum vitam ad nonagesimum annum perducturum, si natura relicta esset viribus suis. Attamen tam multis facinoribus vitam breuem produxit, vt longæuus obiisse reputandus sit, & æstimantibus facta videantur illa complexa seculum. Sanè Francia post Carolum magnum, neminem Regum inscribit fastis, digniorem imperio, si virtutes bellicæ perpendantur. Ter victoria reportata hostem profligauit; centies quadragesies in minoribus præliis sua manu pugnauit; trecenta oppida obsidione cinxit, & vt verbo vno complectar omnia, ab anno ætatis decimoquinto ad quadragesimum octauum ab expeditione belli nusquam conquieuit; per aduersa omnia, quæ cadere in Principem possunt probatus, evectúsque ad solium, ærumnis suis atque laboribus; vt dici posset fortitudine, prudentia, & patientia, redemisse hæreditatem auitam; & cùm cæteri victores propagarint fines imperij, peperisse ipse imperium, atque ex pernicie certa eduxisse. Sed nulla victoria visa illustrior, quàm ipsius sui; qua hostibus publicis & inimicis priuatis tanto animi candore indulsit, vt vnus clementiæ

Henrici cædes & dolor.

Anno 1610.

typus

HENRICVS IV.

typus illucere posteris debeat. Nemini vnquam simulatè aut ad fraudem pepercit; quódque admirabile sit, educatus in Aula Henrici III. adeò se indolémque suam optimus Princeps seclusit à contagio, vt Alphei instar per salsedinem maris puras aquas trahentis, nihil eius vitij, nihil labis hauserit. Idque fidem haud dubiam facit sanctissimarum mulierum relationibus affirmantibus Regem sub ipsam mortem consequutum à Deo noxarum veniam; diuinâ in eum prona indulgentiâ, qui tam vltrò ignosceret inimicis, & condonatam iniuriam pro nulla haberet. Quod cùm infrequens sit & difficillimum, præsertim Regibus, quibus & iniuriæ grauitas, & nocendi facultas, ad vlciscendum stimuli sunt atque instrumenta; plane Henricus Magni agnomen assequutus est meritò; quod delineauit fortitudo bellica, consummauit clementia atque perfecit. Nec ille ad vnam Martis gloriam factus, aspernabatur gloriam pacis; imò eam sic assiduâ curâ spatio breui annorum aliquot prouexerat iam, vt æmulatione Procerum atque ambitione oppressâ, oppleto nulla plebis miseria ærario, copia rerum omnium in regnum inuecta, Francia iam oblita calamitatum, otio indulgens & voluptatibus, indigeret bello, quo sanum corpus ad saniorem mentem reuocaret. Ornauit Rex Lutetiam præclaris adificiis, in quibus Regalis illa area, dignum monumentum amplitudinis Regiæ, imò bonitatis; cùm vrbs infensissima & capitalibus odiis dissidens, tot tantísque insignita est amoris trophæis. Illi sincera pietas erat, & germanus in Deum atque Ecclesiam Catholicam cultus; indoles prompta; subtile acutúmque ingenium; nullis quidem instructum litteris, sed supplente natura & conformante experientia, capax rerum omnium atque adeò disciplinarum, quarum notitiam auditu perceperat; sanè vrbanissimum erat, ad apophthegmata & acutè responsa nulla meditatione promptum & paratum; magna morum facilitas, amabilitas consuetudinis; singularis humanitas, nihil ad fastum, nihil ad tuendam dignitatem compositum; vt emineret solis virtutibus, non regali cultu aut supercilio. Attamen suos contraxerat nævos, quos educationis iniuria & consuetudo vitæ adiunxerant; nam procliuitatem in feminas tum seculi labes, tum indolis æstus, tum institutionis malum, aluerant; & parsimoniam calamitates præteritæ, necessitas præsens, & in futurum prouidentia, induxerant atque tenuerant; & singularia prælia, quibus passus est Nobiles dimicare, & certo vitæ animæque discrimine in perniciem suam ruere, militari gloriæ adhibebat; quanquam ea postmodùm seueriore edicto cohibuit, postquam aduertit per ea in medio pacis otio atrocissimum bellum & internecinum sæuire. Tum in ludum pronior habebatur, magna temporis iactura, & prauo exemplo in Aulicos fuso, & ludi calamitatibus in plurimos propagatis. Cor ipsius Iesuitis datum est, quod ipse in amoris pignus donauerat, Flexiámque delatum magnâ pompâ, quantam patiebatur acerbitas luctus. Parricida nefarius in meritas pœnas vocatus est; candentibus forcipibus per membra laniatus, & equis in diuersa trahentibus raptus. Is Franciscus Ranallacus Inculisinensis, quanquam nomen æterno silentio esset obruendum; qui nullo tam atrocis facinoris præter se conscio, vt emis-

La Place Royale.

Parricida pœna.

sum

sum in vulgus, vno furore & mentis insania instigante, cùm decoxissent facultates omnes, natiuam melancholiam incendente Cacodæmone; concepto ex prima illa fœderatorum amentia consilio, quasi Regem Tyrannum fas esset occidere, aggressus est impiissimum crimen. Et in patriam regrediebatur postridie, pecunia iam deficiente, si eo die defecisset occasio; quam mortalium pessimus statim arripuit, & cultri acie, felicitatem Franciæ abscidit. LVDOVICVS XIII.

XXII. Hentici cædes tam repentina rem vocabat publicam in discrimen ingens; tum intus tum foris impendebant multa pericula; excitatus apparatu armorum potentissimus Rex Hispaniæ, ab Italia, Belgio & ab ipsa Hispania imminebat; Imperator cui admouebatur incendium, id repulsurus erat nec inultus; intus administratio regni conflatura discordiam, Reginam inter & Principes, recenti præteritarum calamitatum memoria, metum cumulabat; ac protinus domestico malo occurritur. Tres erant Regij sanguinis Principes, qui ad regimen aspirarent; Condæus, eiusque patrui duo Contyus & Suessionensis. Condæus ab fuga in Belgium, Mediolanum ad Fontanum Comitem iuerat, vt saluti caueret diligentiùs, Hispanis Bruxellas intutas dicentibus, & primum Regij sanguinis Principem in potestate habere percupientibus; Suessionensis tertio antè die rus cum vxore secesserat; subiratus Regi quod in proxima Parisiensium in Regina excipienda celebritate, ratio coniugis non haberetur honorifica satis; Contyus agebat Parisiis, sed ob corporis atque animi imbecillitatem, futurus erat partium accessio potiùs quàm caput. Igitur cæteri Principes, Proceres atque Magistratus vnanimi consensu ad Reginæ deferendum regimen properant. Ipso necis die sub vesperam Harlæus conuocato senatu, decreto eam Regentem nuncupat: euocati statim ad Luparam Prætoriani; cæteri Proceres concilio à Cancellario habito, is Sillerius Bellievrio suffectus, in eandem Regentem assentiuntur; quando Regis præiudicium erat; abessent sanguinis Principes: & intererat deliberantium, Reginæ administrationem credi, qui propemodùm omnes infensi Condæo, sperabant sub ductu feminæ potiorem regiminis partem & vtilitatem ad se peruenturam. Igitur postridie in senatum venitur, pullo quidem vestitu & diuerso, quàm qui instruebatur in proximam diem apparatu; seditque in iustitiæ solio, ita Franci vocant, Ludouicus Rex annum nonum decurrens; aderat ipsa Regina pullata chlamyde lugubris, ac post Contyum & Enguiennium filium, Suessionensis; Cardinales Ioyeusa, Gondius, Sourdius, & Perronius, tum Principes Proceresque, Comestabilis Mommorancius, Guisius, Maynius, Elbouius, Epernonius, cuius potissimum diligentiæ tota hæc actio debebatur, Mombasonius, Brissacus, Lauerdinus, Boisdelphinus, & Sullius; tum Cancellarius, cæterique Præsides & Senatores; quorum decreto Maria Regis Mater Regens promulgatur. Constituto metu domestico, ad externa itum, & quantocyus fœdera cum sociis renouata; præcipuè cum Rege Hispaniæ, per Legatum Feriæ Ducem, Anglicum per Votonum, Belgicum, per Buquoyum Comitem; deinde cum *Maria Regis dicta.*

LVDOVICVS XIII.

cæteris, nempe Venetis, Helvetiis, Batauis, & Lotharingo. Tum delibe-
ratum de Iuliacensi subsidio; ac visum spectare ad Franciæ dignitatem, vt
Principes iuuarentur, bello haudquaquam, vel Imperatori vel Hispaniæ
Subsidia Iuliaco data. Regi indicto. Sic ex tanto exercitu, selecta decem peditum millia, equi-
tes mille; qui Mareschallo Castræo traditi; exauctoratis cæteris copiis;
isque per Metim Iuliacum venit. Eam vrbem antea captam à Leopoldo
oppugnabant Brandeburgius & Neoburgius, pacti æquam diuisionem,
si vincerent; eorumque copias Mauricius Nassouius, dux lectus admoue-
rat. Is excepto Castræo, simul Leopoldo immittendi in vrbem subsidij
spem & modum sustulit; simul vrbem ipsam compulit ad deditionem; per-
missis equis & eiusmodi sarcinis; at asserta per Ludouicum religione Ca-
Condæi redi-tus. tholica. Condæus interim, audita Henrici nece, Mediolano in Franciam
venerat, capessiturus partem regiminis, quam tribuebat prærogatiua na-
talium; atque omnia in gratiam Reginæ constituta comperiens, nihil
quidem in præsentia mouit, sed donatus Aquitaniæ præturâ, existimauit
explorandos rerum articulos, atque præstolandum quam faciem admini-
stratio noua indueret. Nec omittenda laus, quam in ipso primordio taci-
tam meruit: Nam Bullionius Mareschallus aduenientem statim aggreditur,
Et fides in religionem. suadetque Hugonottorum sensum amplecti; *eum vnum modum superesse,
quo inuaderet regimen; factionem totam quæ amplissima & validissima esset in
ipsius arbitratu fore, religionem illam Condæorum fuisse perpetuam, ipse patris
atque aui instauraret nomen & gloriam propagaturus insuper suam. atque vno
verbo tot munitas vrbes, tot bellatores fortissimos paraturus.* Attamen firmus in
religione Condæus perstitit, quod ipsi toto vitæ cursu solemne admodùm
fuit; atque adolescens, nec admodum opulentus, opes, potentiam, &
eiusmodi ambitionis alimenta, præ fide & pietate, flocci habuit: Regina
postmodùm pacatis Principibus, inaugurandum Regem Rhemos ducit,
mense Octobri; atque inauguratus more maiorum à Ioyeusa Cardinale;
adstantibus Condæo, Contyo & Suessionensi, ac Ducibus Niuernensi,
Elbouio, & Epernonio. Nec aliud maioris momenti occurrit; quàm pacta
Francum inter & Hispanum connubia. Nimirum Reginæ ab ipsis admini-
strationis carceribus nihil antiquius fuit, quàm pacem certam & incon-
cussam cum Hispano constituere; siue eum sensum ab ipso ortu perceperit;
Florentinâ Medicæorum stirpe in Hispanum nomen propensâ; siue Sille-
rius, Villaregius & Ianinus, penes quos erat consiliorum mens & vigor,
ita censuerint; siue ipsa in Principes Regios opem paratura, existimauerit
nullam occurrere potentiorem Hispanica. Igitur vt fœdus vtramque inter
gentem initum vinciret arctius, proponit duo connubia, velut fidei pig-
nora; Ludouicus Rex Annam Philippi III. filiam maiorem duceret, ac
Philippo Hispani filio Elisabetha nuberet soror Regis primogenita; com-
Anno 1611. pensanda inter nuptas dote; quæ singulis dicta est, aureorum quinquies
centena millia. Missi ad rem sanciendam vtrimque Legati; à Regina Dux
Maynius, is Caroli Maynij filius, qui paulò ante obierat; à Philippo Pa-
stranus Dux; ab vtroque obita cum dignitate legatio, & quidem Parisiis
Reginæ & Procerum effusissimo sumptu, instituti ludi equestres, per
quos

quos vrbana illa tum elegantia tum dexteritas colluxit splendissimo apparatu; nec enim Francis in eiusmodi ludicris modus vllus est, aut pecuniæ cura. Aberant tamen à pompâ Condæus & Suessionensis; & connubiis intercedebant, maximè Condæus, siue subodoratus hanc in se machinam adornari; siue ratus hanc affinitatem Francico nomini minùs commodam esse atque opportunam. Verùm hic motus leuis admodùm fuit, nam Principibus auctæ pensiones; & omissa intercessio; Suessionensi haud multo post è viuis erepto; cui Contyus frater morbo similiter raptus adiunctus est. Nec tamen Reginæ diuturna tranquillitas fuit; nam præter Luxios patrem & filium, singulari certamine ab Equite Guisio interfectos, & ipsum Equitem tormenti fragmento aliquantò pòst cæsum; Principes Condæo duce palam arma in Reginam mouent. Creditur incendisse motum Bullionius vnus præ cæteris, turbulentus vir ac quietem perosus; & dicuntur feminæ principes ob æmulationem suos etiam, vel coniuges, vel amatores in eandem nauim immisisse. Nam cùm omninò apud Reginam auctoritate pollerent feminæ duæ Guisia & Contya (nam Ioyeusa Mompenserij vidua Guisio nupserat) Suessionensis & Maynij soror, quæ Niuernensis coniux erat; & ipsæ magni animi, secundarum partium impatientes, in Reginam incitant, tum Maynium, tum Niuernensem; Niuernensem quidem ipsa coniux, quam maritus deperibat ardentius; Maynium Suessionensis, cuius ipse nuptias ambiebat; iis adiuncti Longauilla & Vindocinensis; & ipse architectus consilij Bullionius. Continuò arma rapta, & quæsitus color Ancræi potentia; ac Condæus Niuernensi adiunctus, in Campaniam penetrat, occupátque Meserias; Vindocinensis in Britanniam præturam suam perfugit, & Blaveto similiter occupato, prouinciæ imminet, rapitque Nobiles multos in partes. At Regina postquam vltrò citróque verbis prolusum est, continuò parato exercitu, decem peditum millia, equitum tria in Campaniam ducit; simúlque per Legatos oblatis conditionibus, à Condæo impare viribus impetrat pacem. Scripta pacta, & arma posita. Quæ iterum tamen induta sunt, ob Ducem Rohanesium tumultuantem in Pictonibus, & Vindocinensem in Britannia, qui pacta Principum recusabant admittere. Porrò in eam expeditionem Rege ducto; statim Rohanesius è Pictonibus pellitur; Vindocinensis Blaveto absistit, diruitur arx cum munimentis, páxque tandem conficitur. Qua patrata Rex delibato iam ætatis anno decimo quarto, in Senatu Parisiensi, lege potius quam natura adultus; regni regendi compos in Senatu Parisiensi dictus, capessit regimen, in speciem quidem, nam auctoritas tota penes Reginam stetit, & eo maior, quod iam nullis circumscripta limitibus, potestatem Regis sanctissimam nutibus suis obtenderet. Paulò ante Comestabilis vita excesserat, relicto filio ex secunda coniuge, vir famæ ancipitis, qui ad priuatam potentiam & retinendam familiæ dignitatem, potiùs quam ad publicam egregias à natura dotes impendisse dicitur, nam ingenium nullis excultum litteris, assiduo rerum vsu & aulicarum artium peritia, ita expoliuerat atque perfecerat, vt prudentia consiliorum & sagacitate omnes anteirent.

LVDOVICVS XIII.

Anno 1612.

De Lux.

Anno 1613.

De Rohanes.

Anno 1614.

Comestabilis mors.

LVDOVICVS XIII.

teiret. Animam in Capucinorum veſte voluit agere, inanem potentiam & dignitatum faſtigium ipſo exitu damnans.

Et hæc prælibaſſe ſat fuerit, ad eorum notitiam quæ ſequuntur. Etenim Lector, ſpero, æqui bonique conſulet, ſi rationem ſcribendi libro proximo immutauero, atque à continua narrandi ſpecie deflexero ad interciſas quaſdam particulas. Quippe in ampliſſimam & abditiſſimam ſiluam, qua continuantur Ludouici res geſtæ, nondum me ſatis confirmatum putaui, vti ingrederer. Nam multa in iis latent, quædam patent quidem, ſed perſpicacium duntaxat oculis ac mentibus, quæ quodammodo calida atque recentia ſub omnium oculos ſtylo mitti non debent. Nemo prudens coæuis hiſtoriam viuentium ſcribit, veritas fructuum inſtar, ſi acerba eſt atque incocta, moleſtiam parit; maturitatem annorum lapſu aſſequatur, coquat ſe latebris, ac tandem prodeat, tam adulatione quàm offenſione purgatis. Eamobrem abſtinui mei æui res una ſerie ſcribere, eáque euoluere, quæ adhuc ſua caligo operit. Ne tamen videar inuidere laudibus gentis meæ, & præuaricari quandantenus, ſi ea prætermiſero, quæ regnantibus Ludouicis, patre & filio, ſummâ Europæ admirabilitate patrata ſunt, præcipuas res in ſingulos annos diſtribuam, ac prodam quæ luce ſua palam ſunt omnibus; cætera poſteri videant.

HISTO

HISTORIÆ FRANCICÆ LIBER XXIV.

In Annales digestus.

SYNOPSIS.

Regni Comitia. Epernonij cum Senatu contentio. Regis cum Anna Austriaca connubium. Pax Laudunensis. Condæus capitur. Ancrei bellum in Principes. Ancrei funesta mors. Villaregij mors. Perronij obitus. Christinæ nuptiæ. Maria Blesia abscedit. Richelius quis. Mariæ alter motus. Fides Catholica in Benearnia. Luynius Comestabilis. Primum bellum in Hugonottos. Rex in Aquitania. Montalbani obsidio. Luynei mors. Subisius victus. Forcia Marescallus. Lediguerius Comestabilis. Monspelij obsidio. Pax cum Hugonottis. Guisij pugna naualis. Richelius princeps Consilij. Bellum secundum in Hugonottos. Mommorancij naualis victoria. Themineus in Occitania. Telina vallis occupata. Genuense bellum. Aurelianensis Mompenseriam ducit. Chalesij mors, & Lediguerij. Richelius Admiralius. Optimatum conuentus. Bellum tertium in Hugo-

nottos. Rhea seruata à Toiraſio. Richelij vigilantia. Rupellæ obſidio. Moles ad Rupellam. Rupella capitur. Bellum cum Rohanio. Rex ad Seguſium victor. Pax tertia cum Hugonottis. Richelius Pinarolium capit. Rex Sabaudiam occupat. Pugna ad Anellianam. Caroli Emanuelis mors. Pugna ad Carignanum. Toiraſius Caſalim propugnat. Pax ad Caſalim per Mazarinum. Regis morbus Lugduni. Pax Cheracenſis. Fœdus cum Sueco. Turbæ in Aula. Mariæ Reginæ fuga. Fœdera cum Lotharingiæ Duce. Bellum in Occitania. Mommorancij mors. Seguerius ſigillorum cuſtos. Rex Nanceo exceptus. Seditio Lugduni. Turbæ in Lotharingia. Motha capta. Philippoburgum captum. Bellum Hiſpano indictum. Seditio in Aquitania. Pugna Aueniaca. Tilemontium captum. Cardinalis Valeta ſe è Germania recipit. Valentia obſeſſa. Rohanij in Rheſia victoriæ. Lirinenſes Inſulæ captæ. Seguerius Cancellarius. Coloredus captus. Seceſſio Parmenſis. Toiraſij mors. Pugna ad Nauilium. Dola obſeſſa. Irruptio in Picardiam. Galaſſus in Burgundia. Hermenſtenium captum. Seditio noua in Aquitania. Leucata ſeruata. Inſulæ receptæ. Landrecium captum. Res in Italia. Briſſacum captum. Rohanij mors. Andomarus liberata, & Fontarabia. Crequij mors. Brema capta. Pugna naualis. Delphini ortus. Vaymari mors. Guebriani laus. Heſdinum captum. Salſulæ captæ & perditæ. Pedemontium turbatum. Taurinum occupatum. Cardinalis Valeta mors. Pugna ad Rotam. Feuquerius proſtigatus. Seditioſi in Aquitania & Normannia. Atrebatum captum. Longauilla in Germania. Caſalis liberata. Taurinum captum. Breſæi pugna naualis. Catalaunia defectio, & Portugallia. Guiſij obitus. Ortus & mors Andegauenſis. Aria capta & perdita. Caroli Lotharingiæ Ducis mutatio. Mors Sueſſionenſis. Varia in Pedemontio. Monœci mutatio. Bellum in Catalaunia.

Tarraconis.

Tarraconis obsidio. Bresæus Prorex. Guebrianus Lamboyum vincit. Pugna ad Honnecurium. Dertona capta. Perpinianum obsessum. Hodancurij fortitudo. Perpinianum captum. Cimmartij pœna. Richely mors. Mariæ Reginæ mors, & Epernony. Regis obitus. Pax cum Hispano.

ANNO huius sæculi 14. Postquam Rex in Senatu Parisiensi, tutelâ liber, & regiminis capax, pronuntiatus est; & Reginæ Matri titulus quidem gubernandi periit, potestas adhæsit; Comitia regni Octobri mense Parisiis incepta sunt. Ea Principes nouarum rerum cupidi magno ardore flagitauerant; sed Regina vti ea permittendo infringeret, curauerat in prouinciis singulis sibi fidos legi, qui nec conuenirent, nisi Rege clavum beneficio legis moderante. In iis vt fieri solet, discussa plurima, pauca constituta. Præmissa ad implorandam Dei opem pietatis auctoritas; adiuncta adstantium dignitas; nam aderant Principes è stirpe regiâ, Gasto Regis frater, Condæus, Suessionensis; Principes, Guisius, eius fratres; Duces, Fronsacus, Elbouius, Epernonius, Sullius, Vantadurius, Mombasonius; Maresealli Bullionius, Boisdelphinus, Brissacus, & Ancræus; Cardinales, Perronius, Rupifocaldius, & Gondius; leui admodùm fructu ex opera tot virorum illustrium. Habitæ orationes ab Oratoribus Ordinum; orauit pro Clero Marquemontius Archiepiscopus Lugdunensis; pro Nobilitate Baro Ponsampetra; pro tertio Ordine Miro Præses, & Mercatorum Parisiensis Præpositus. Tum deinceps mutua inter se disceptatione Ordines concertant, qua absumptum tempus, & perditus labor. Nam primùm Prouinciæ, quas Præturas vocant, de prærogatiua sedis contendebant; Réxque in præsentem rem iudicauit, vt tota Francia in Præturas duodecim diuideretur, quas consessuras eodem ordine appellauit. Prima Parisij essent, & Insula Franciæ; secunda Burgundia; tum Normannia, Aquitania, Britannia, Campania, Occitania, Picardia, Delphinatus, Phocensis Prouincia, Lugdunensis, & Aurelianensis atque in Lugdunensem contulit Boios, Aruernos, Niuernenses, Forisienses, & Belliocenses; similiter Aurelianensi assignauit Pictones, Andegauos, Turones, Cœnomanos, Vindocinenses, Perchæos, Blesienses, & Carnutenses. Mox grauior contentio dirimit Ordines. Quippe Clerus atque Nobilitas vno consensu flagitant promulgationem Tridentini Concilij; tum Nobilitas, cui se Clerus adiungit, ne Magistratus venales in posterum prostent; dein Ordo tertius flagitat; vt Rex declaret in Comitiis; neminem sibi superiorem agnoscere in administratione temporali, vt vocant, & Coronam vnius Dei beneficium esse. Iis de rebus disceptatum inter Ordines acriter, præsertim Perronium inter & Mironem, ac Comitia in mensem Martium anni proximi prorogata: quo tandem dimissa; iussi legati codices tradere, ac spe magna pleni, profecti sunt in prouincias. Sic intentata à Principibus machina, strepitu magno, nullo effectu fuit.

LVDOVICVS XIII.

Regni Comitia.

Ponsainpierre.

Gouuernement.

Anno

LVDOVICVS XIII.

Anno 15. Senatui Parisiensi quemadmodum molesta fuit Epernonij contentio; sic eiusdem excusatio grata; huic cùm dies dicta in Senatum esset, affuit simul tantus Nobilium & Prætorianorum militum numerus, vt Palatij atrium similius castris quàm Themidis fano videretur; mox Epernonius in prima Curia sedens, & tecto capite, id iniussu suo patratum asseruit; vir intrepidus, qui tam formulas iuris & scopulos, quàm cætera priorìs vitæ pericula superaret. Et eidem Senatui molestius fuit, quod cùm Principes in Curiam euocasset, ad deliberandum de regni administratione; nemo Principum adfuit; imò Verdunus Præses primarius Regi admonitiones Senatus deferens, malè ab Regina acceptus, re infecta rediit, coactus illas postmodùm retractare; Iayo Præside in Amboisiam arcem abducto: nec enim Ancræi potentia monitores eiusmodi patiebatur. Postea ad pactas cum Hispano nuptias animi omnium versi; Regis & Reginæ vt perficerentur; Condæi, Maynij, & cæterorum conspirantium, vt prohiberentur. Sed istorum conatu inani, perfecta connubia; virgines regiæ in Regnorum limite commutantur; Ludouico Anna, Philippo Elisabetha, magna vtrinque nomina, desponsæ transmittunt, & affinitas sacra inter Reges contrahitur, in multam spem concordiæ, tandiu perstituræ, quandiu vtilitas sinet; ea nempe Regum norma & ratio. Principes interea ab Picardiæ finibus plures amnes transgressi, & traiecto Ligeri per obiectum vadum, frustra insequente cum sexdecim virorum millibus Boisdelphino, regredienti Regi arma opponebant, adiunctis Hugonottis; per nefas conserturi pugnam, nisi Niuernensis armis mutuis pacem obiecisset. Et is annus duobus funeribus clarus fuit; alterum Reginæ Margaritæ Valesiæ, ætatis anno sexagesimo secundo; feminæ quam natalium splendor, maiestas formæ, ætatis flos, aulæ corruptio, & in Henricum coniugem odium, vt in licentiam morum impulerant; sic vltima ætas, ingenij præstantissima vis, pietatis supernæ afflatus, reuocauerant ad voluptates innoxias, Musicæ, & litterarum; imò ad pias largitiones in Xenodochia atque Cœnobia; vt iisdem opibus cœlum mercata sit, quibus antè deliciarum illecebras comparabat. Altero funere Cardinalis Ioyeusa elatus est; vltimus illustris familiæ ramus, summa ætate, sacris dignitatibus, opibus summis, summam prudentiam, continuo felicitatis cursu ornantibus.

Epernony cũ Senatu contentio.

Le Iay.

Regis cum Austriaca connubium.

Regina Margarita obiit.

Et Ioyeusa Cardinalis.

Pax Lodunensis.

Anno 16. Loduni post multam altercationem pax Regem inter Principésque conuenit, per quam omnia Principibus data, atque Hugonottis; Rege largiente plura quàm deceret; nam pax semper commoda, qua ciuile bellum extinguitur. Sed resurgit extemplo, postquam Condæus per Themineum captus in Lupara, abducitur in Bastillam, ac postmodùm in Vicennarum castellum; ipsi in crimen oblata pax Lodunensis; nam intutum paciscì cum Principe; & cui subes, huic legem ferre. Ipso eodem die Themineus dictus est Marescallus, cæteroquin meritissimus; sed Aula præmia vtilitate metitur, non merito. At Condæi captiuitas consiliorum vel amicitiæ socios excitat; sibi extemplò fuga consulunt Maynius, Vindocinensis, Niuernensis, quem Maynio fratri vxor adiunxerat, & Iayus Præses; pluréque quos Ancræi odium ab meliori parte abduxerat. Porrò

Condai captiuitas.

Ancræus,

Ancræus, Conchinius nomine, Florentiæ patre non humili natus, gratiâ coniugis Eleonoræ Galligaiæ per dignitates plures euectus, se fortunæ capienti permiserat; atque auctoritatem vt maximam vsurparat, sic deriuabat inuidiam, tam odiosus Principibus quàm molestus; ipsa etiam plebe viro nouo infensâ, quæ festinatas dignitates odio habet, rata indigno & citra meritum tradi, quod citò & sine consilio traditur. Quæ plebs statim post Condæum captum tumultuans, ædes Ancræi diripuerat, corruptis omnibus quæ rapi non possent, spoliáque impunè tulerat ex hoste publico. Is nihilominus regressus à Picardia, cuius ambiebat gubernationem, statim viros clarissimos, quibus noxæ integritas fuit; amouet à consilio Regis, Sillerium Cancellarium, Vayrium sigillorum custodem, Villaregium, & Puysiæum; præterea tergeminos exercitus contra Principes parat. Vnum ad obsidendam Suessionem, quò confugerat Maynius, cúmque Comiti Aruernio tradit, eam ob rem Bastilla educto; alterum in Niuernensem immisit, qui Campaniam obtinebat, præfectique Guisius atque Themineus; tertium in Niuernensis vxorem & Niuernum vrbem ducebat Montignyus Marescallus: vt simul locis pluribus immoderata viri potentia per tot hostes victos inconcussa stabiliretur in posterum. Et eius consilia prouehebat felicitas: quippe triplex exercitus iam in metis victoriæ erat. In Campania Niuernensis oppidis spoliabatur, eius vxor Niuernum propugnabat fortiter, sed detracta spe subsidij, vis maior opprimebat constantiam, Suessionis muros Aruerniæ Comes diruerat: & Ancræus fortunam rebus existimabat implicitam, cùm repente ab infirmo adolescente deiicitur; non potentiæ solùm, sed vitæ & salutis exitio.

LVDOVICVS XIII.

Ancræi in Principes bellum.

Du Vayr.

Anno 17. Ancræus ambitionis suæ victima perit. Auctor ruinæ, Carolus Albertus Luyneus; causa, eadem ambitio quæ Ancræum euexerat; vt idem sit ad fastigium gradus, & ad casum. Luyneus Regi ephebus ab equili fuerat; gratus puero per auicularum aucupia; dein sagacitate & obsequio indolis, admissus in arcana consilia, quantùm institutio Regis patiebatur; nam eum aucupiis & venationibus totum addixerant, quorum intererat ab regiminis cura Regem amoueri. Ille igitur Aula pellendus, nisi occuparet pellentem, Ancræi mores & potentiam Regi quales erant exhibens, metum periculi facit, extorquétque assensum ad perdendum virum. Ancræus sine mora à Vitrio Prætorianæ cohortis Tribuno, ad Luparæ fores iussus consistere, tribus glandibus confossus perimitur; turba comitantium effugiente. Iacuit ad spectaculum spoliatum cadauer; mox sepultum alta humo refoditur; vinctum pedibus per vicos trahitur; affigitur patibulo, quod viuus erexerat, ad compescenda maledicta populi; exsecantur aures, nares & pudenda; proiiciuntur in amnem viscera; dissecti artus igne absumuntur; quasi singulis naturæ beneficiis supplicia singula plebs insana rependeret. Mox vxor Galligaia vocata in iudicium, damnata capite, in Greua cæsa est; vnius vt creditur culpæ noxia, quod mariti potentiam perfeciisset. Ancræi opes & dignitates quasi hereditario iure Luyneus adiit; nam eadem patrimonij sors, gratia Regis, & instabilitas rerum. Continuò redintegrata pax, & soluti exercitus; Maynius, Niuernensis, & cæteri, nullis

Ancræi mors.

De Luynes

LVDOVICVS XIII.

pactis in Aulam aduolant; mixti ipsis oppugnantibus nullo discrimine; adeò cuncti in vnius viri consentiebant perniciem. Reuocati in Concilium Sillerius, & alij prudentissimi viri; ac Regina postmodùm abducta Blesiam, id curante Luyneo, ne matrem filio natura redderet. Idque fuit humanæ vicissitudinis specimen, qualia Deus in ætates singulas mortalibus præbet, rerum vanitatem deprædicantia; nisi surdis caneret: nec qui Ancræum depulit Luyneus, se intra modestiæ fines continuit, vel alieno exemplo timere fortunæ suæ didicit. Habitus est postea optimatum conuentus Rothomagi; in quo vitam posuit Villaregius; ille plurium Regum mens atque animus, ætatis anno octogesimo, vitâ publicè inter curas productâ, & inuiolata in Catholicam fidem pietate, qui antè viuere, quàm pro bono publico agere desiit.

Villaregij mors.

Iesuitæ Parisiis docent.

Anno 18. Iesuitis docere Parisiis licuit in Collegio Claromontano; sic vniuersâ prioris exilij expuncta ignominia; nec sine reipublicæ commodo impensa ad iuuentutem excolendam opera. At simul Tolosæ Lucio Vanino docere vetitum, qui summam impietatem, Deum negando, clàm adolescentum animis instillans, igne damnatus, conflagrauit obstinatissimus, non omninò miser, si hac vna pœna desiisset miseria. Obitus longè felicior Cardinalis Perronij, de religione, regno, & litteris, perbenè meriti; cuius pietati vt studia nihil detraxerant, sic nihil pietas studiis; cuique mens & memoria raro in aliis consensu disciplinas omnes indiderant; seruabátque compositas, vt qui omnium meminisset, ea in censu non in turba haberet.

Lucius Vanius.

Perronij obitus.

Christina nupsit.

Anno 19. Nupsit Victori Amedeo Sabaudiæ Principi Christina altera Regis soror, constitutis in dotem quadringentis nummorum millibus, quibus accessit supra omnem dotem, Virginis virtus, prosapiæ splendor, & potentissimi Regis affinitas. Conceptam hinc lætitiam subita Reginæ Matris conturbat discessio. Ea per Epernonium, cui ruinam intentabat Luyneus, audacter suscepta, & perfecta fortiter, nouo bello Franciam miscuit. Quippe per scalas ad fenestram applicitas, in molem terream subiectam descendit Medicæa; tum ab ea in vicum suburbij, pallio insidens, quod trahebatur cliuo molliore; deinde curru vecta, excepta ab Epernonio, Lochias primùm, dein Inculismam abducitur, magno gaudij sensu, quod cum libertate restitutam potentiam crederet. Continuò armati ad eam reuocandam exercitus, & in vnum Epernonium vis belli incubuit; quod dum repellit strenuè, ac Valeta filius Metin sibi asserit, tandem per Richelium Lussionensem Episcopum pax conciliatur. Ille Armandus Ioannes Plessi-Richelius, Francisci filius, trium fratrum natu minimus, ingenio & rebus gestis longè maximus atque clarissimus, qui Reginæ ante probatus, reuocatus Avenione vbi exulabat, his primùm pactis nascenti potentiæ incunabula posuit. Quanquam in eo gloriæ ortu, dolor summus obiectus est, cæso Hentico fratre per Themineum Marescalli filium, fortuito ob leue iurgium prælio; simúlque extinctæ sunt immensæ spes opum & dignitatum, quas futura fratris potentia designabat. Pacis conditio, vt Epernonio parceretur, traderetur Reginæ Andegauum

Medicæa Blesia abscedit.

Richelius quis.

&

& prouincia tota, ereditque Luyneus patratam victoriam, quod Reginæ Lutetia non permitteretur. Mox idem Condæum mitti custodia curat; alienam iniuriam beneficium sibi paraturus, & Reginæ obiecturus æmulum. LVDOVICVS XIII.

Anno 20. Novus ab Regina Medicæa motus exoritur. Ea haudquaquam se liberam rata, quod excluderetur Parisiis, appellante potentia quam obtinuerat, instaurat prima turbandi consilia, & in eorum partem Principes vocat. Nec arduum fuit plures adiungere; nam augebatur in Luyneum odium, & felicitatem assequebatur inuidia; singulis Procerum sibi eripi arbitrantibus, quod Luyneus raperet, ortu inferior, nec maior merito. Idcircò conueniunt Suessionensis, Longauilla, Vindocinensis, Maynius, Rhætius, cæterique haud pauci; ac postremus omnium Epernonius, ne primum in Reginam beneficium fortè deficeret; ac Maynius conscripserat in Aquitania quatuordecim hominum millia, quorum magna pars Hugonotti erant, ad rebellionem nouasque res nusquam imparati. Ac fœderati si iunxissent copias, formidandi, dum rebus suis intendunt singuli, eas singuli perdunt. Et Regis celeritas opprimebat cunctantes. Is nondum instructo exercitu procurrit in Normanniam, quam Longauilla Prætor permiscebat, & spectatus dumtaxat arma rebellium disiicit, totam prouinciam in vna Cadomi arce recipiens; tum profectus ad Andegauos, leuiore ad Cæsaris pontes pugna atque victoria, factionem profligat, pacémque Matri ad arbitrium donat. Conspirantibus indultum est in Matris gratiam, & ipsa in amicitiam restituta, mox cum Socru Regina venit Parisios, sequestro pactorum & administro Richelio. Sic redintegrata natura, adiunctæ vires ad domandam hæresim, incensus Rex cupiditate Martis & laureæ, atque Richelius in apicem potentiæ admotus propiùs. Eo bello tam celeriter expedito, Rex vltra perrexit, pacaturus Aquitaniam, & in Bearniam Catholicum cultum inductutus. Etenim ab Bearnia iam annis quinquaginta exulabat fides Orthodoxa, quanquam ab Henrico Magno Edicto Nannetensi iussa admitti. Quod perfecturus Rex victor & pius eò contendebat; impulsore præcipuo Arnulpho Iesuita, qui Regi erat à confessionibus, & à consiliis intimis. In via Lussianus Aubeterra Blauia abductus, luculenta pecunia & Marescalli dignitate auctus est; ac post Bearnij Regis præsentia in obsequium acti; Pali quæ est vrbs primaria restitutus cultus Catholicus, Nauarrenum arx validissima à Salio Præfecto recepta, & Poyanio tradita, reuocati Episcopi, Abbates & Parochi, tum in Sedes suas, tum in bona; coloniæ religiosæ Palum inductæ, Capucinorum & Iesuitarum, quod vbi præsidium Rex imponi voluit, & ne Hugonotti expostularent, datum Ministris ex ærario stipendium est. Quibus intra quintum diem perfectis, Rex citatis equis Parisios venit. Verùm extemplò factum æquissimum iniquissimum concitat bellum, Hugonottis frementibus, & Rupellam conuenientibus; quem conuentum soluere cùm pernegarent, erumpit primum in Hugonottos hoc seculo bellum; cuius ortui cunas vt Rupella præbuit; sic haud multo post sepulchrum præbebit; eadem futura monumentum noxæ & pœnæ.

Regina alter motus.

Catholica fides in Bearniam restituta.

P. Arnoux.

d'Aubeterre. Pau.

LVDOVICVS XIII.

Anno 21. Luyneus Comestabilis dicitur. Sed ea dignitas obtinenti pernicioſa, conſcripta pauculis menſibus ſimilior ſomnio quàm vſui fuit. Is appellat Ledigueriũ, cuius ductu inceptum bellum progrederetur. Et Salmurij arx detracta Mornæo, pluribus annis Præfecto, non Martis opus fuit, ſed maieſtatis; quippe Mornæus ad Regis ſplendorem ſtupore perculſus, vir octogenarius, vitam præteritam rebellione maculare non auſus eſt. Inde oppugnatum Fanum Angerianum, quod præſidio obtinebat Subiſius; nam is cum Rohanio fratre perduellium dux ſepoſuerat ſibi Pictones Santonéſque, dum frater Aquitaniam & Occitaniam face belli incenderet. Interuallo quo premitur, rebellioni plura ſubſidia detrahuntur; nam illi pereunt arces ad Ligerim, Gergæum, Sullium, & Sancerra, ſcelerique via abrumpitur, ne tranſmittat Ligerim, & in Occitania Priuaſiorum furor, Caſtillonium virum fortiſſimum ad Regem impulit, fuítque in poſterum illibata fide, anno ſequenti dictus Mareſcallus; & Bearnia per Epernonium perduellionis malo liberata, quæ à Forcia Prætore & Benſiis fratribus conturbata, ſtatim Epernonij celeritate pacata eſt. Fanum mox ad deditionem adactum, & condonatum rebellioni, merâ Regis clementiâ; diruti tamen muri & oppletæ foſſæ, ne quod extaret perduellionis veſtigium. Haud pauci in caſtris morbo interierant, in quibus Cardinalis Guiſius, & Brillacus Mareſcallus, plures vulneribus; iam inualeſcente temeritate, vt Nobiles nullis armis tecti impreſſionem facerent, ad ruinam muri. Quâ audaciâ iis proximis bellis quàm multi cæſi ſunt. Quaſi fortitudinis ſit ſtatim occumbere, & nudum pectus globis obiicere, quod tam ægrè per armorum ſeptum defenditur.

Luyneus Comeſtabilis.

Primum in Hugonottos bellum.

Saint Iean D'Angeli.

Rex in Aquitania.

Rex victor militem in Aquitaniam ducit. Iam Neracum Maynius Aquitaniæ Prætor tum vrbem tum arcem cœperat, vir intrepidæ audaciæ, & quam periculorum terror incenderet; ac non ſine ærumnis grauiſſimis, ac ſalutis diſcrimine, Calmontium expugnauerat ſimul. Tum profectus in ſuperiorem Aquitaniam, inferiorem Regi reliquerat, in qua vnum Clayracum occludebat portas. Et ad oppidum iter ærumnoſum fuit; nam imbribus magna copia fuſis, ita torrentes in ſubiectos agros inundarunt è montibus, vt Rex diebus geminis ægrè tres leucas emenſus, in periculo ſæpe verſatus ſit; atque Vayrius Sigillorum cuſtos, iam ſenio grauis, ob moleſtias itineris, contracta febre extinctus ſit; vir pietatis antiquæ, & morum veterum, quos tamen auſteritas nimia & importuna ſeueritas exaſperarent. Tota obſidio vnius viri pernicie ſtetit, Thermei; quem prima impreſſio pugnantem ſuſtulit; vulgò acceptum ſummis infimiſque, Regique chariſſimum; nam in eo fortitudo, pietas, ſumma humanitas, & excultum diſciplinis ingenium erant. Sexto die oppidum ad deditionem impulſum; móxque exercitus in ſuperiorem Aquitaniam ductus, in qua Montalbanum Rupellæ per flagitia æmulum, pluribus oppidis iam à Maynio captis, digna Regis expeditio viſa eſt. Sed ſcopulus gloriæ & tempeſtas victoriæ fuit. Etenim inexpugnabilis propugnantium animus, creberrimæ in obſidentium caſtra irruptiones, munimenta, quà validiſſima erant, oppugnata, oppugnantium inconſulta temeritas, Maynij lugubris & improuiſa

Vayrij mors.

Et Thermei.

Montalbani obſidio.

prouisa mors, quem sclopeti glans per oculum transmissa deiicit; morbi letiferi rapientes ducem militémque promiscuè, fusi per autumnum copiosi imbres; ea singula causæ non vincendi fuerunt, & fecerunt necessitatem receptus; cæsis præter Maynium, Themineo Marescalli filio, Miolano, Freta, Valancæo, Francone, & aliis; vnum Chamerium Ministrum perditissimum, morte tot illustribus vitis rependente; qui in vrbe seditionis vehementissimus turbo, tormenti glande extinctus est. E castris Rex Tolosam venit; qua in vrbe Arnulphus Iesuita Aulâ dimissus est; vir de publica re benè admodùm meritus; pulsus præpollente Comestabilis gratia. Regi regredienti Parisios occurrit Monhurtium; quod obsessum adulta iam hyeme, atque verberatum, incredibili ipsius Regis vigilantia, compulsum est ad deditionem; famosum etiam Comestabilis morte, qui tertio post die febre letifera animam egit; vir melior pace quàm bello, qui fortunæ gratia haud superbè vsus, summo dolore ad Montalbanum affectus, totâ in se ignominiâ deriuatâ, iam in ipso votorum apice, proximi casus delibauerat tædium. LVDOVICVS XIII. *Luynei mors.*

Anno 22. Montalbanensium libertate inflammatus est rebellium furor; ac prima Regis expeditio in Pictones fuit. Quippe Subisius immemor veniæ, qua Rex proximum condonauerat scelus, nouum flagitium cumulans, instructis copiis, & Prætoriana cohorte instar Regis cinctus, nouum regnum ad Oceanum ponebat. Id Insulæ erant in Pictonum finibus, Riæa, Monsa, & Pereria, modicæ quidem, & æstu influente à terra auulsæ, sed magni momenti ad vastandam Britanniam, & proximas regiones. Et Subisius facessebat negotium, si quâ audaciâ munitas situ locorum Insulas ceperat, eas fortitudine pari defendisset: sed illicò postquam Rex cum Condæo & Suessionensi per obiectas fossas in Riæam irrupit; tanto metu perculsus est Subisius, vt in fugam actus, militem potestati victoris tradiderit. Itaque fugientium multi aquis mersi, plures capti, pauciores cæsi; Rege miserorum cædem prohibente; quamquam ea bis mille sustulit, quibus vincentium vltio parcentis veniam intercepit. E Santonibus in Aquitaniam Rex vocatus, Royanum in via oppugnatum capit, arcem ad Garumnam quà mari influit, post repulsam geminam impressionem; tum in Aquitaniam superiorem contendit. Ea quippe Condæi, Elbouij, & Theminei prouincia, multis oppidis rebellionem armauerat. Atque Elbouius euocato Themineo Tonnenium magnis ærumnis ceperat atque incenderat; nam eam vrbem vt seruaret Forcia contentionem omnem adhibuerat, pugnâ etiam consertâ, qua victus est. Porrò ea clades meliorem mentem victo iniecit; qui ad Regem transiens, veniâ donatur, & Marescalli dignitate; atque in posterum fide illibata in Principem fuit. Sanctæ Fidei oppidum ex pactis ipse erat traditurus, sed incolæ cùm detrectarent obsequium, intentanda obsidio fuit; ac post asperam velitationem, Rebelles mitigata ferocia; Regem parcentem admittunt; eóque in oppido celebrata est sacrosancta Corporis Christi memoria, ad pietatem Rege præeunte, ac profligante hæreticorum animos, quos iam armis vicerat. Tum Negrepelissa & Fanum Antonini diuersa sorte *Subisius vincitur.* *Rex in Aquitania.* Tonnenium. *Forcia Marescallus.* Negrepelisse.

LVDOVICVS XIII.

in obsequium acta. Illa grauissimam superiore anno noxam contraxerat, legione Valliaca, quam admiserat in præsidium, per vnam noctem internecione deleta, conspiratione tam arcana simul & publica, vt nemini militum, vel innotuerit, vel ignouerit. Eam immanitatem cùm ciues novâ iniuriâ adaugerent, obstinatâ in Regem adeuntem pugnâ, apertis muris facta impressione vrbs capitur; qua militi permissâ feminis parcitum; selecti è ciuibus qui suspendio crudelitatis publicæ pœnas darent, & postmodùm fortuito incendio conflagrauit tota vrbs, ne quid conscium primi flagitij supereſſet. Antonini Fanum, haudquaquam aliena calamitate infractum, & obstinatis per periculum animis, geminam impressionem tulit repulitque; donec aperto per cuniculos muro timor simul subiit, expugnauitque insaniam; vrbs est dedita ad victoris arbitrium. Hinc visum est opportunius proficisci in Occitaniam; cùm vnum in Aquitania Montalbanum, circumclusum propemodùm, captis in circuitu oppidis, lenta fame premi & ab furore amoueri posset; nec dandum esset Rohanio in Occitania spatium confirmandi vires, in qua Condæus Lunellum & Sommerias ceperat, non incruentâ victoriâ. Properanti Regi patefactæ sunt vrbes, Monflanquinum, Carmanium, & Mausus sanctarum Puellarum, terrore late præcurrente arma; eóque itinere dictus est Comestabilis absens Lediguerius; postquàm ritè ciurata hæresi Catholicam Religionem amplexus est: quo facto virtus & gloria militaris suum præmium nacta est, & vir præclarissimus ab hæreticorum abductus est castris; statimque egregiam operam ad Monspelium nauat.

S. Antonin.

Rex in Occitaniam tendit.

Lediguerius Comestabilis.

Monspelij obsidio.

Eam quippe vrbem inferioris Occitaniæ impugnauerat Rex, perduellem in paucis; quæ Rohanio cohortante ad pacem, præoptauerat bellum; iámque Rupellæ & Montalbano, tum arrogantia tum fortitudine æmula, pacem reiecerat, quæ munimenta sua euerteret. Nec suscepto bello minus terribilem se præstabat, Calongeo præfecto, & Argencurio, ferociſſimas eruptiones instituentibus; quorum vna præ cæteris Franciæ lugubris fuit; nam per eam cæsi Leonorus Fronsacus, Comitis Sampauli filius, adolescens viginti annorum, qui pridie in castra venerat, & spe virtutum ingentium ad summa admotus; cæsi præterea Cauillacus, Lussanus, Beuvronius, & Mombrunus, & ipse Mommorancius grauiter saucius vitam hostis indulgentiæ debuit. Per eiusmodi prælia imminutus erat exercitus, re propius ad ignominiam ducta, cùm per supplementa instaurantur copiæ, & solertia Comestabilis pertinaciam Rohanij expugnat, pacémque conciliat. Ea factionem totam complexa, libertatem religioni donabat, veniam culpis, Rupellæ ac Montalbano sua munimenta; sed Monspelio cæterisque partium vrbibus diruebantur propugnacula, perpetua rebellionis materia. Rex vrbe admissus est; impositúmque præsidium, quod postea flagitantibus ciuibus arce mutatum est. Nec terrâ dumtaxat ciuile bellum ardebat; imò & Oceanus classibus stratus, in victoriæ partem vocatus est. Rex in Aquitaniam profecturus Suessionensi tradiderat nouem peditum millia, quingentos equites, & viginti tormenta; quibus Rupellæ furorem retunderet, ac refrænaret castello erecto. Atque vtrumque Suessionensis

Rex cum Hugonottis.

Guisij pugna nauali.

præstitit

præstiterat, castellúmque posuerat, cui à Ludouico Rege inditum nomen, septingentesimo tum ab vrbe tum ab Oceano passu, sed canali adiectum quo maris fluctus in portum influunt. Id Arnaudo, duci veterano, Tribuno Legionis Campanæ traditum in custodiam erat; idque postmodùm Rupellæ belli fomes & exitij fuit. Præterea Rex classem adiunxerat, naues quadraginta quatuor, & adduxerat ex Phocensi Prouincia triremes tredecim Guisius; inductis in naues quinque hominum millibus; in quibus lecti è Nobilibus Pictones, Rupifocaldio præeunte; erátque Guisius cum summo imperio. Nec detrectant prælium Rupellani, quinquaginta sex nauibus freti: idque auidè vtrinque corripitur; Guisij Prætoria in discrimen statim adducta. Nam eam, myoparones incendiarij à prora & puppi aggrediuntur; simúlque hostis ferro & tormentis impetit cominus eminúsque. Iis tamen singulis se victor expedit; distributis in diuersa munia, qui propugnarent nauem viris fortissimis, Rupifocaldio, Tauanio Vicecomite, Carceo, Kervenio, Vassolo Genuensi, ac Vinceguerra; dein hostes pulsi sunt; non minori laude Mantij Proprætoris, & Cugei Equitis Melitani. Hostes ad Rhæam Insulam captato asylo, beneficium pacis amplexi sunt; nuntio antè accepto, sed spe victoriæ, tacito: ex iis cæsi mille & quingenti, decem naues captæ; trecenti dumtaxat perierunt Guisio. Nec ipsum latebat pax à Rege contracta; sed cupiditate victoriæ flagrantibus animis friget pax; nec inter tubas, tormenta & tympana exauditur suauissimum melos. Eo anno Ianinus Præses, vitæ supra octogesimum quarto, viuere desiit; vir probitatis sinceræ, & candore morum illibato; quem aulicæ artes, in quibus prudentissimus homo perpetuus fuit, nec leui macula contaminauerant: in fœderis partes Religionis zelo abductus, Maynio à consiliis fuerat; avulserátque ab Hispano sollicitè, tam patriæ amans quàm fidei.

LVDOVICVS XIII. Le Fort Louys.

De Manty.

Ianini mors.

Anno 24. Armandus Richelius, iam antè à Gregorio XV. Cardinalis dictus, præficitur Regis consilio, annitente plurimùm Regina Matre; quæ suam auctoritatem, tanti viri, & sibi, vt existimabat, addictissimi, solertiâ inconcussam rata; vt vanæ mortalium opiniones sunt spésque incertæ, instrumentum ad perniciem suam ipsa aptauit. Spes non dissimilis in connubio falsa; quod contractum inter Carolum Valliæ Principem, & Henricam Mariam Regis sororem, vt ingenti gaudio in primordiis fuit, sic infelicissimo tum progressu, tum exitu; quà religioni Orthodoxæ, cui portæ in Angliam aperiebantur; quà Franciæ, cui bellum inuectum est, quà nubenti Virgini: vt maritum taceam, quem inaudita calamitas iniquissimæ subditorum iustitiæ vectigalem fecit.

Richelius princeps consilij.

Affinitas cum Anglo.

Anno 25. Bellum iterum in Hugonottos exurgit; quod tamen Richelij industriâ eodem anno sopitum est. Auctores Rupellani atque Rohanius; quorum illi castellum Ludouici, quasi impositum amentiæ frænum ferre non poterant; ille instauratis per otium viribus ipsum otium vt consiliorum perniciem amoliebatur. Primus tubicen belli Subisius, qui vectus Rupellensium nauibus Blauetum in Britannia portum inuadit, arcémque impetit. Sed Molacio Marchione cum Nobilibus Britannis aduolante, portu

Bellum secundum in Hugonottes.

De Molac.

LVDOVICVS XIII.

portu expulsus est, abductis tamen sex nauibus, quas Rupellam in triumphum intulit. Inde per absentiam Epernonij, qui Prætor Aquitaniæ iussus erat Montalbanensium agros latè vastare, eóque mandato fungebatur egregiè, cùm copiis Burdegalensis ager destitutus esset; in eum classe vectus Subisius, parem vastationem atque incendium infert, ipsi Burdegalæ formidandus; donec primò Plessius ab Epernonio missus, deinde Torasius cum legione Campana Blauia soluens, grassantem prædonem compulerunt in naues, clade magna affectum. Atque id præiudicium fuit victoriæ proximæ, quam Mommorancius retulit. Cùm enim Subisius Rupellensium nauibus maritimam oram infestaret, Mommorancius Admiralius parauerat classem ex duodecim nauibus, quibus Hollandi ex fœdere viginti naues Hantauio duce adiunxerant. Atque Hantauius dehortationibus Rupellensium clam abductus, ad pugnam impelli à Prætore non poterat, cùm ipsâ dehortantium perfidiâ inuitus ad eam agitur. Etenim cùm per inducias securi agerent, Rupellenses in Hollandos impetum faciunt, & nauigiis incendiariis Legati nauem repentè inflammant; nec minus in Francos irruunt, sed tormentorum glandibus pulsi, se in naues recipiunt. Eo statim igne simul cum naui incensi Bataui prælium appetunt, recipítque supplementum Mommorancius viginti duarum nauium Aulonensium, & septem Anglicarum, iámque sexaginta sex nauibus classem implentibus, eam in hostem tripartitam ducit; cuius ipse primum agmen ageret cum Hantauio, secundum Dorpius legatus Hantauij, tertium Mantius, naualibus expeditionibus celebris. At classis hostilis ad Insulam Auseris sese receperat, situ loci tuta, Syrtibus scopulisque aditum prohibentibus, móxque intumescente per æstum pelago comparabat recessum, cùm aduenientе Mommorancio prælium conserit, primò quidem tormentis, dein admotis nauigiis: tenuitque producta totam noctem pugna, dum die proximo victoria Mommorancij patuit, nouem captis Rupellensium nauibus, & vna incensa; eorúmque Prætoria capiebatur, cùm capti inflammato sulphureo puluere, tum nauem suam; tum admoras victrices quatuor, fragore ingenti discerpunt, eáque vna calamitas vincentibus fuit. Sed rara laurea, quæ cruore non madeat. Extemplò Rupellenses Rhæâ quam occupauerant Insulâ, per Samlucium & Torasium conserto prælio, depelluntur. Eam propugnabat Subisius, qui fugâ quàm pugnâ melior, desperata re in Angliam nauigat, factionem promoturus absentiâ, quam præsentiâ perderet: ac iisdem Rebellibus Oleronem Insulam Mommorancius eripit. Interim Themineus Marescallus in Occitania imminebat Rohanio. Eam enim Rebellium dux prouinciam vberrimam veluti regnum sepositerat sibi Rohanius, & Hispanorum tum consilio tum pecuniâ fretus, venti instar procellas attollebat ad arbitrium. Sed cùm vario exitu, viciſſet ad Petram-ſectam Themineus, móxque Mausum Azilium frustra oppugnasset, Rupellenses infracti nauali prælio pacem admittunt; iísque rursus recepti in veniam, vrbe sua munimentis nouis exuenda. Quamquam ea pax non penetrauit in animos, nec contumaciam fregit, opperientium momenta ex euentu rerum opportuniora. Duæ præterea expeditiones

Mommorancij naualis victoria.

Themineus in Occitania.

eo

co anno obitæ, prima in Rhetia, altera in Genuensium ditione. Nam Vallem Telinam Rhetis obsequentem atque obnoxiam, cùm Hispani primùm inuasissent, & propugnanda Catholica Religione; atque vt Ducatum Mediolanensem Valle illa tegerent, atque communirent, expostulantibus Sabaudiæ Duce & Venetis, & Regem Franciæ appellantibus Rhetis; sequestrum dici placuerat Gregorium Pontificem XV. qui Telinos haberet, dum de iure amplius disceptaretur, atque Balneo eius Præfecto Hispani Vallem atque arces tradiderant. Emortuo Gregorio subrogatus erat Vrbanus VIII. easdémque arces per Balneum seruans, cunctabatur ferre sententiam, & Vallem dominis restituere. Cuurius eam ob rem ad Heluetios orator missus, cùm frigidam gentem non inflammaret, repente ex oratore dux exercitus dictus, contracto Regis nomine cum Sabaudo & Venetis fœdere, in Vallem irrumpit, Balneum pellit; capit Tiranium, Morbegnium, Bormium, arcésque cæteras, & sequestrum se professus, validis præsidiis occupatas firmat; Marescallus ab Rege ob patratam rem nuncupatus. Atque id bellum, vt plerúmque contingit, parit Genuense. Diu erant Ducem inter Sabaudiæ & Genuensem Rempublicam controuersiæ; siue ex admotis finibus; siue ex feudo Zucarello, quod empturo Duci præripuerant Genuenses; siue ex mutuis per auersos animos contumeliis; siue Caroli Ducis præferuida indole, cui quies & otium pro ærumna erant. Huic Ludouicus opem subministrabat; quippe Richelius potentiam Hispanicam iam suspectam habens, eam clam infringere, ac fœderatos vel detrahere vel obruere meditabatur; in quibus Genuenses tum vtilitate, tum voluntate censebantur addictissimi omnium. Et Comestabilis huius belli cupiditate flagrabat; vel ingenti facinore cætera cumulaturus; vel veteri in Hispanicum nomen quà æmulatione, quà odio. Exercitum conflabant viginti quinque peditum millia, equitum quatuor; ac primam aciem ducebat Comestabilis cum Crequio genero, alteram Dux Carolus cum filio Victore; simúlque irrumpentes in Genuensium ditionem, quà vi, quà deditione passim vrbes occupant. Iam plures Comestabilis ceperat, Capriatam, Nouium, Gauiúmque; imminebátque ipsi Genuæ, admodùm perterrefactæ: nec ea vnquam propius ab clade abfuit; atque ipse Dux capto Ostagio cæterísque oppidis, ad Sauonam properabat victor; cum repente fausta primordia corrumpit turpis exitus. Duces inter æmulatio statim cooritur; tum capta oppida, ex proteruia & crudelitate vincentium, fidem restituunt Genuensibus; dein castra deseruntur, morbis vulgatis, & stipendiorum penuriâ. Per quæ instauratis animis Genuenses geminum scribunt exercitum, terrestrem ex decem millibus hominum, & naualem ex quadraginta triremibus, quarum partem ex Sicilia Sanctacrucius Prætor adduxerat: ac tandem Feria Prætor Mediolanensis octodecim peditum millia, & quatuor equitum, intulerat in Pedemontium, obsessurus Astam. Quibus difficultatibus Comestabilis pressus, cùm præterea ætate grauis morbo laboraret, in Pedemontium coactus regreditur, omissis partis, atque Astam tegens, Feriæ Verrucam impugnanti opponitur.

LVDOVICVS XIII.

Telina Vallis occupata.

Cœuures.

Genuense bellum.

LVDOVICVS XIII.

Atque ad eam arcem angustam admodùm postquàm Feria tribus cum dimidio mensibus, frustra consumpta oppugnatione inhæret, conualescens Comestabilis in eius castra cum Crequio & Vignolio impetum facit, castellis erectis pugnantem deiicit, & cæsis plus mille hostibus, oppidum liberat, fulminis instar ex diuturna mora collectum ignem eiaculans: nec enim vnquam fortitudo vera consenescit. Arma mox compescuit pax Mousoni contracta, quod est in Hispania oppidum. Ea Oliuarem inter Philippi IV. Regis, nam discesserat III. & Rocheporium Legatum Ludouici conciliata nescijs fœderatis, Vallem Telinam libertati & religioni restituebat, honore clientelæ Rheris asserto, spondentibus Regibus, fœderatos mutuos, Sabaudum & Genevenses, bello quieturos, traducendos ad amicam disceptationem. Per quæ pacta iam prorumpens bellum oppressum est: nam vtrinque facultates institorum correptæ à Regibus, proximo Martis præludio. Venerat in Franciam Franciscus Barberinus Pontificis ex fratre nepos, magnâ pompâ exceptus.

Mouson.

Rochepoc.

Aurelianensis Mompensiam, ducit.

Anno 26. Dum ab tumultu externo quiescit Francia, laborat domestico, ob connubium Ducis Aurelianensis; quod conficere Rex cum Mompenseria cupiebat, opulenta & pudicissima virgine, repellebat Aurelianensis, quorundam abductus consiliis. Nec abducentibus impunè id fuit, nam Ornanus Marescallus, dehortantium caput & Principis moderator, raptus in vincula, Vicennas ducitur, quo in loco ægritudine è viuis abscedit; fratres Vindocinenses cùm festinanti in Britanniam Regi occurrerent, idem ob consilium retinentur Amboſiæ; ac postea Vindocinensis Præturâ Britanniæ spoliatur, qua donatur Themineus; ac Chalesius, domesticus Regis, simúlque educatus, Monlucij ex filia nepos, cùm eadem consilia clam aleret, Regique fraudem faceret, in maiorum suspicionem vocatus, sententiâ Iudicum damnatur capite ac truncatur. Sicque amotis nuptiarum obicibus, in eas tandem Aurelianensis consentit, ac Mariam ducit, Mompenseriæ stirpis, pietatis & opulentiæ hæredem vnicam, quam Guisia mater omni cura & vigilantia instituerat. Idémque annus turbulentus Iesuitis fuit, ob Santarelli librum de Pontificia auctoritate, quorum principes Cottonus & alij vexati Parisiis, atque innoxij vocati in periculum, doctrinam illam in senatu Parisiensi eiurant, mox procellâ liberi. Cuius tamen impetus Cottonum rapuit, improuiso morbo extinctum, virum in quo nec ipsa inuidia nævum deprehendat, perpetuus in Aula pietatem adeò non contaminauit, vt per ignem purior auri instar, eodem animi & morum candore, tum in cella tum in aula perstiterit. Similiter interiit vir diuersæ indolis Lediguerius, anno ætatis octogesimo quarto, cui felicitas mortalium nulla propè defuit, accessitque ad cumulum Catholica fides, in qua vitam poneret, vt vitæ stadium tam productum inoffenso propemodùm pede percurrerit: atque haud dubiè meruit opum & honorum fastigium, assidua militiæ exercitatione atque peritia, & inconcussa in Principem fide; nam cœlestem gratiam mera Dei beneficentia contulit. Sic vetus felicitatis fœtus extinctus est, dum novus in fastigium rapitur Richelius Cardinalis, qui suppressa Admiralij dignitate, condidit nouam,

Chalais.

Cottoni mors.

Et Lediguerij.

Richelius. Admiralius.

nouam, in vniuersa maria præfecturam, corrogato auctoritatis fonte & opulentiæ, quem deinceps in rempublicam funderet, ideóque Anchoram adiunxit insignibus, futurum potestatis fulcrum, & stabiliendæ auctoritatis præsagium. Præterea habitus est Parisiis Optimatum regni conuentus, in quo vt in prioribus, multa prudenter ad politicam proposita, à Rege, Richelio, ac Legatis cæteris; sed soluto cœtu euanuerunt consilia, suúmque mores institerunt cursum; nec enim facilè tolluntur inolitæ consuetudines, & tollenda agnoscimus, agnita patimur. Sub anni finem proximi belli sementis iacta est, dimissis ab Anglia Reginæ domesticis, quos Catholicos proteruia hæresis non ferebat; ne vnâ quidem feminâ heræ ad solatium relictâ, Buquinquamo impulsore præcipuo, quem Subisius incenderat desiderio laureæ.

LVDOVICVS XIII.

Intendant des Mers.

Optimatum conuentus.

Anno 27. Extremos conatus adhibitura rebellio, hostem simul externum & internum armat. Externus petitus ab Anglia vltra Oceanum, internum ipsa per se hæresis Rupellæ & in Occitania comparat. Paratæ in Anglia classi ad Francicam expeditionem præficitur Buquinquamus, Caroli Regis gratiâ potens, quanquam infamis suspicione veneni Iacobo Regi præbiti, & ob peculatum Parlamento obnoxius. Decem hominum millia, vecta centum quinquaginta nauibus, instructa magnifico apparatu ad Rhæam Insulam applicant, nouo periculo toto orbe notissimam. Eam duobus castellis obtinebat Toirasius, Præ alteri nomen, alteri sancti Martini: atque istud Angli verberant excensione facta atque oppugnant, dein post repulsam vim, obsidione arctissima cingunt, Oceano etiam interdicto. Verùm ad scopulum tota illa formidanda vis corruit; per tres menses impetum tulit fregitque Toirasius; quippe cum nec muri verberati tormentis & diruti, nec aperta propugnacula; nec famis sitisve atrox necessitas; nec sauciorum immensus numerus; nec morbus quo affixus est lecto; nec militum deditionem optantium vota; nec ab hoste tentata per copias vniuersas impressio, dimouerunt ab animi illibata constantia. Iámque tota natura præter solum & cœlum obsessos defecerat; alterum ad spectaculum, alterum ad sepulchrum; cùm per indefessam Regis diligentiam transmissæ sunt copiæ à continenti, seruatúsque Toirasius. Earum dux Scombergius Marescallus, legati Marillaeus & Canaplius, conuolante certatim Nobilitate; quæ & Regis iussu inhibenda fuit. Angli extemplò pulsi ex Insula ipsáque Francia, quam cupiditate & spe iam hanserant, atque acti in naues; cæsis suorum duobus millibus, dum se trepidanter recipiunt, captis tormentis, & signis quadraginta quatuor. Et in ea laude memorandus Richelius, qui nullis curis, nullis ærumnis, nullis pepercit sumptibus, ad immittendam opem Toirasio, quod bis præstitum est, infusúmque morienti lampadi oleum. Nec omittendus Petrus Lauerius, siue Petra gregarius miles; qui ex castello Præ ad Cardinalem nuntius, cùm omnia hostium nauibus clauderentur, immersus Oceano, inter Anglorum tela nauigia, sclopeta, & tormenta bellica, per piscium appetentium morsus, natatu continuo, mari sæpius vt lateret mersus, sex milliaria confecit, euasitque in continentem incolumis; dignus omninò quem

Bellum tertium in Hugenottos.

Rhea insula.

Toirasij fortitudo.

Richelij vigilantia.

La Pierre.

LVDOVICVS XIII.

componamus cum alato Dædalo, qui non alarum sed brachiorum remigio, difficiliorem & impediriorem viam emensus est. Attamen ea expeditio Themineo Marescallo fuit mortis causa; quam à Rege ambiens cùm non impetrasset, dolore repulsæ contrahit febrem, eáque rapitur, magno Regis & Procerum desiderio, quibus viri fortissimi magnanimitas in pretio erat; nec vnquam Themineum vlla periculi magnitudo terruerat.

Themines mors.

Rupellæ obsidio.

Anglorum hæc clades Rupellæ obsidionem perfecit; atque vnde amplitudinis spes & securitatis, inde orta pernicies & ruina certissima. Rex dum morbo Villaregij hæret, & inuitus impetum bellicum sustinet, Ducem Enculismensem primùm ad claudendam Rupellam miserat, mox fratrem Aurelianensem, postremò ipse postquam conualuit, Octobri mense in castra subiit. Ea iam posita, erectis tredecim castellis seu propugnaculis latissimo ambitu vrbem obuallabant; curâ Richelij atque industria; miles in stationibus frequens commeatu omni abundabat; vici erant in ciuitatis formam dispositi, cuncta ad vitæ vsum & commoditatem venalia, singulis stationibus nosocomia & sacella adiuncta, in quibus animorum saluti & corporum religiosi viri impendebant sedulam operam; pecunia ad stipendium suppetebat, cúmque hyemandum in castris Rex censuisset, militibus singulis præter stipem, vestem & calceos dedit. Ea Rupellenses immoti spectabant, nam tota obsidione ad erumpendum vel miles vel animus defuit; & Oceano freti, laborem & sollicitudinem hostis flocci habebant. Nec fortasse posteritas credet; eam vrbem quam implebant ferociissimi ciues, & perduellium duces, quæ fons capútque hæresis, Ministrorum insaniæ obnoxia foret, quam proximo seculo tanta hominum strage frustra impugnauerat Dux Andegauensis; eam, inquam, seu spoliatam viribus & deiectam animis, vna spe & patientia vim hostium repulisse. Ego sic Deum constituisse crediderim, vt cùm hactenus Franci militaris audaciæ tot ac tanta dedissent specimina, vnum semel constantiæ & patientiæ in obsidendo ederent; & enarrare posset Historia, Francos ab æuo condito, nulla pugna, nullo certamine, semel in castris otiosos hæsisse, per vnum annum alterúmque dimidium. At quoniam frustra munimentis muri cingerentur, nisi simul clauderetur Oceanus, Richelij commento surrexit in mari moles illa prodigiosa, qua annexæ sunt pelago compedes. Ex ingentibus saxis sensim illa coaluit; quæ in canalem iniecta dum æstus relidebat, & maris limo compacta & agglutinata, ab vtroque littore deducta in medium, labore improbo viam nauibus tandem obstrueret; modico spatio fluctum admissura, in quo reponerentur mersa nauigia, impedituta nauibus aditum. Adiuncti præterea cancelli ex quadraginta nauibus, quas rudentes vinxerant, eæque ante molem imposito milite intendebant vigilias; tum vltrà, quæ vocabant Candelabra, palorum crassiorum ordo, præfixus alto solo, vbi rariora nauigia erant. Porrò ea dum exurgit moles, hyemsque imminet, Rex ærumnas leuaturus Parisios venit, relicto Cardinali summo imperio, Legatis Inculismensi, ac Marescallis Bassompetra & Schombergio. At sub anni

Moles ad Rupellam.

primor

primordium Boutevilla publicâ pœnâ vitam amiſerat, duellorum furore ſupra calamitatem temporum amens. At lugubrius Mariæ Mompenſeriæ exitium fuit, quæ muliebrem partum enixa, paulò poſt rapta eſt, magno Franciæ malo, & luctu coniugis; quem nouæ pòſt nuptiæ in ſpes nouas abripient; ſuperfuit partus, vnicus hodie Mompenſeriæ ſtirpis in regiam iterum inſertæ ſurculus. LVDOVICVS XIII. *Bouteuille ſupplicium.*

Anno 28. Rex in caſtra ad Rupellam regreſſus, in nouum hoſtem extemplò incurrit. Anglos prioris ignominiæ pudor, & Subiſij pro Rupellenſibus ſupplicantis preces, ad nouam claſſem inſtruendam impulerant; iique ductore Comite Egbyo, numeroſas naues, plurimum militem, & commeatum vberrimum, Rupellam inferendum adduxerant. Sed expeditio intra ſpectaculum fuit. Nam poſtquam Angli aduenium, videntque in Regiam claſſem confluxiſſe Francos ingenti ardore, ſpe Rupellenſium falſa, regrediuntur in Angliam: idémque poſt menſes aliquot noua claſſis ſe recipiens præſtitit; quaſi ad luſtrandum miraculum molis aduenisſent, vel ad Rupellenſium contumaciam celeritate fugæ, infringendam. Fames interea in ipſam contumaciam graſſabatur; & carnium atque annonæ penuriâ, poſt abſumpta animalia domeſtica, ad pelles & coria acta eſt neceſſitas; imò traditur reperta cadauera mutilata, detracta ab oſſibus carne, quæ rapta eſſet in pabulum morientium; matrem mortuæ filiæ pauiſſe ſe artubus; & virginem fratris infantis extremos digitos arroſiſſe; tantus furor animorum erat, qui ex ipſa pœna alimentum criminis caperet. Tandem ex octodecim ciuium millibus, quinque millia, quæ vna ſupererant, cùm ægrè animam per tot miſerias traherent; illóſque ſpes omnis deficeret, Octobris trigeſimo deditione facta, ſe clementiæ Regis permittunt; qua parcitum deditis, pœnâ in munitiones conuerſâ, æque omnes dirutæ, vnis ad portum exceptis: ſublatæ præterea immunitates, reſtituti Sacerdotes, & inductum Ieſuitarum Collegium. Nec in tota oppugnatione centum milites cæſi, quanquam plures morbus præripuit, naturæ curſu ad viuendi metam delatos. Aliquantò poſt ſuo ipſa pondere fatiſcens moles depreſſa eſt; quaſi rationis compos ſuperuacaneam ſeſe aduerteret, iiſque vellet parcitum, quibus Rex ignouerat. Sanè expeditio illa memorabilis fuit; quæ incruenta, aſylum hæreſis, rebellionis arcem, bellorum ciuilium ſementem perpetuam, vrbem ſolo ſalóque in Europa munitiſſimam, vno ſaxorum arborúmque pretio expugnauit. At præter Dei promouentis opus benignitatem, & Regis ſtudium indefeſſum, Richelij operæ pretium fuit; qui immenſa conſilia ampliſſimo animo circumplexus, ea arbitratus vnà niti Rupellæ ruinâ, in eam totus incubuit, veluti in fundamentum futuræ magnitudinis, in quam poſtmodùm prouexit Franciam. Ea dum gerebantur, Rohanius furoris particeps, Occitaniam inferiorem, & ſuperiorem Aquitaniam, armis atque conſiliis perturbauerat. Ad eum premẽdum Mommorancius Occitaniæ Prætor ſcripſerat copias, eúmque aggreſſus ad Manſum ſanctarum Puellarum, aleâ propè æquâ pugnæ diſceſſerat, victore equitatu, ſed peditibus fuſis. Epernonius ſimiliter Aquitanos cogebat in officium; *Rupella capitur.* d'Egby. *Bellum cum Rohanio.*

LVDOVICVS XIII.

aderátque Condæus cum summo in vtrumque imperio; qui Soyono ad Rhodanum capto, plura castella expugnabat in Occitania. Tum Comitiis Tolosæ habitis, Mommorancio in Occitania inferiore relicto; ac perculso Rohanio iusta fraude, quam ei Fossæus & Mesleus ad Monspelij arcem intulerant, cæsis centum Hugonottorum fortissimis, quos ad occupandam noctu arcem inmittebat Rohanius; ipse Condæus ad Fuxienses profectus, cum Tribunis castrensibus, Burgo Espinassio, Marchione Ragnio, & Comite Carmino, Apamias tormentis verberat, ferocientis hæresis sedem ac cubile, capitque ad extrema actam. Mox Realmontium, Seueri Fanum, Castelnauium, Brassacum, & aliquot oppida expugnat; coactus abscedere ab sancta Africa; Rohanio proximo opem submittente, & obsessorum animos erigente. Tum duces partiti se ad vrendos rebellium agros; Condæus Castrienses sibi sepositit; Mommorancius Nemausenses, postquam Pousinum ad Rhodanum vi capum diruit; Montalbanenses Epernonius, in quibus plus operæ & periculi fuit. Ad hæc cùm accederet Rupellæ calamitas, Rohanius impos consilij, dum Hispaniæ Regem in novum fœdus compellat; anguis instar delitescentis per hyemem, opportunitatem opperiebatur.

Soyon.
Des Fossés, & Meslay.
Bourg.
Raguy.
Carmain.
Le Pousin.

Rex ad Seguſium vicer.

Anno 29. Rex transgressus Alpes Casalim vrbem extremo periculo liberat; nec huius belli causa est omittenda. Vincentius II. Mantuæ Dux & Monferrati Marchio, nuper obierat sine liberis; spem hereditatis tres proximi affines adierant, Carolus Dux Nivernensis, Ferdinandus Guastalæ Princeps, ac Maria Francisci III. filia & Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis neptis ex filia. Eos inter haud dubiè Carolo Nivernensi, vt propinquiori, ius optimum erat, & controuersiæ expers; attamen quia natus in Francia, ab ea mores indolem atque obsequium videretur hausisse, Hispaniæ Regem infensissimum nanciscebatur. Atque Ferdinandus Imperator, cum Mantua feudum Imperij foret, Nivernensi possessionem negauerat, eius filium Principem Reteliensem Viennæ retinuerat, ac Guastallæ Principem promouebat. Præterea Carolus Sabaudiæ Dux, instaurata lite veteri ob Monferratenses, regionem illam inuaserat, & Mediolanensi Prætore in prædæ partem vocato, præter vnam Casalim, Monferratum totum sub potestatem redegerat. Appellabat Regem Niuernensis, ac flagitabat vt eadem Francia & origo Francica, quæ sibi detrimento apud hostem & Austriacam domum vna esset; eadem sibi commodo atque auxilio foret; nec postulatis æquissimis abnuebat Rex, sed Anglico bello & Rupellæ obsidio implicatus, vota dumtaxat, & facultatem legendi militis Niuernensi impertierat. Atque is scripserat decem peditum millia, & equites octingentos, quos Vxellius Marchio in Italiam duxerat; sed commeatus inopiâ regressus in Franciam miles, post direptos passim agros pagósque totus effluxerat; intulerátque Lugdunum sæuissimam pestem, qua vrbs populosissima spississimis funeribus desolata est; ac deinceps vniuersa Francia proserpente lue afflicta est ac vexata. Interea Gonsales Corduba Prætor Mediolanensis oppugnabat Casalim; propugnante vno Marchione Beuuronio, qui ob certamen cum Boutevilla initum extorris è Francia,

D'Vxelles.

Beuuron.

Francia, se Nivernensi addixerat, & nauabat præclaram operam. Acceſſerat deinde Guronus, orator à Rege ad Sabaudam missus, qui cùm nihil æqui impetraret, Casalim forti animo ingressus, abiectis oratoris partibus, se ducem gesserat; ac Beuuronio dum prorumpit cæso, industria & fortitudine sustentabat spes vrbis afflictas. Sic annus vigesimus octauus effluxerat, cùm nono incipiente, sub asperrimam hyemem, Rex fœderatum ab iniuria vindicaturus, in Italiam tendit. Huic consilio non pauci interceſſerant præsertim Mater Regina, quæ Nivernensi infensa, iam inde ab Ancræi calamitate, & auersa prorsus ab Hispanico bello, dehortabatur impensius Regem; contrà impellente Richelió, & ipsa causæ honestate; magnâ Francicæ gentis infamiâ, si legitimus dominus, quoniam Francus esset, ab ditione sua pelleretur. Igitur Rex Februario exeunte, profectus Gratianopoli, cum viginti duobus peditum millibus, & tribus equitum, moræ impatiens, in erectas niuium cumulis Alpes sese immiserat. Ab Sabaudiæ Duce postulauerat transitum, ex prioribus pactis permittendum; sed illo cunctante vanis excusationibus, si fortè Francicus impetus refrigesceret morâ, Rex armis paraturus viam, Segusium versus progreditur. Progredienti occurrunt angustiæ geminos inter montes, quas Dux muniuerat, præsidióque firmauerat; fauces Saxorum vulgus appellat: quoniam duorum inter montiũ iuga, depressa est vallis, tres passus in latitudinẽ patens, circùm abrupta ingentibus saxis, atque vno milliari in longum porrecta; & eas angustias erecto triplici munimento obsepserat Dux, singulisque lectum militem imposuerat; atque ipse haud procul cum filio Principe agebat Segusij, opem & animum submissurus pugnantibus. Rex in eum locum prouectus, illicò impressionem instituit; simúlque Salsio Comiti imperat, vt per obiecta montium claustra cum legione prorepens, terga hostium aggrediatur, dum ad frontem pugna conseritur. Vtrumque fortiter & ex indole Francica præstitum. Sub Rege imperatore exercitum regebant Mareschalli tres, Scombergius, Crequyus, & Bassompetra; & plures aderant Principes Proceréque, Longavilla, Moretius Comes, Comes Harcurius, Valeta, Trimollius, & Halluinius, Scombergij filius; Sansimo, Brezæus, Mortemarus, Melerayus, cæterique, qui iniussi vnà cum legionariis impetum faciunt in munimentum. Vno propè momento impugnati hostes, deiecti & victi sunt; primus omnium Valeta Dux in munimentum prorumpit, certatim inuolant reliqui Proceres militéque; imminet è fastigio montium Saltius, terrórque subitus sic perturbat hostem, vt proiectis armis à munitione prima in alteram fugerit, à secunda in tertiam, & ingruentibus Francis Segusium tandem trepidatione summa, per aduersos montes & munimenta sua prorepserit. Triginta dumtaxat in vtraque partium cæsi sunt; nemo ex Francis alicuius nominis, præter Nauuam Centurionem, & Triuillam saucium. Rex inde nullo obice ad Segusium progressus, vrbe statim dedita, arcem oppugnat, cùm Sabaudiæ Dux reuocata pace in hæc pacta consentit; vt Regi viam in Monferratum faceret, præberet iusto pretio commeatum, traderet Segusij arcem in fidei pignus, ac Trinum in Monferrato haberet, cum annuis quindecim aureorum

LVDOVICVS XIII.

Guron.

Suse.

Pas des grosses pierres.

De Saux.

Saintsimon.

La Nauue. Troisvilles.

LVDOVICVS XIII.

rum millibus; & aliæ conditiones arcanæ adiunctæ. Quæ pacta posteaquam Gonsales à Duce accipit, Casalis obsidionem soluit continuò, castrisque absceſſit nocte concubia. Nec diutius Rex in Pedemontio subsistit, relicto Crequyo, qui constituta in effectum adduceret; rediitque in Franciam, post pacem in Italia stabilitam, victor vnà famæ machinâ, & terrore potentiæ.

Pax tertia cũ Hugonottis.

Quippe Hugonotti & Rohanij praua consilia reuocabant. Nam Rohanius Clausellum in Hispaniam miserat, qui cum Philippo Rege paciscereretur ad bellum alendum; iámque actum de conditionibus erat, Hispano in annos singulos trecentà nummorum millia stipulante; atque Pelsius instrumentum ferens, in Occitania deprehensus, decreto Senatus Tolosani plexus capite erat; iámque Priuasium in Cebennio tractu validum oppidum palàm rebellauerat; eóque prouectum erat audaciæ, vt Regi cum exercitu venienti furorem & munimenta obiiceret. Verùm munimenta postquam Rex tormentis deiicit, ac furorem metu compescuit, vrbem desertam incolis occupat, atque arcem proximam deditione: móxque vt pœna tam exemplo esset, quàm culpa fuerat, multi ex captis appensi sunt ad arbores, igne fortuito sceleratam vrbem comburente. Aletium deinde ductus exercitus; quam vrbem obtinebat Mirabelius cum duobus hominum millibus, spémque Rohanius faciebat opis continuæ. Sed Mommorancij consiliis plerique ciuium in meliora mutati, pacem flagitant, exorántque à Rege; simúlque Richelij prudentia Rohanium totámque factionem ab armis abducit. Rohanio innotuerat, quid gestum in Hispania ab Clausello foret; præterea is victorem Regem, nullo hoste potentiam auertente, in vnam rem incubiturum spectabat; quamobrem conuocatis ciuitatum rebellium legatis; quarum principes erant Montalbanum, Nemausus, & Castra, persuadet pacem, eámque mox à Rege impetrat; iis conditionibus, vt incolumi religionis licentia, & venia prioribus donata, deiicerentur recentia vrbium munimenta, stante veteri murorum ambitu. Idque vt perficerent Nemausum Rex venit, Montalbanum Richelius; qui cunctantem vrbem atque ægerrimè assentientem vt spoliaretur, solertiâ ingenij & eloquentiâ sermonis ad obsequium impulit, & munimenta prostrauit, solis verborum machinis; quæ ab institutis bellis ciuilibus, nulla Principum Regúmve potentia diruere aut aperire potuerat. Eáque pax hactenus culta, tot inter bellorum motus immota perstitit; adeò prauis peccandi animum tollit, qui potentiam tollit. At continuò violauit lætitiam ob pacem conceptam, Ducis, Aurelianensis seceſſus ad Lotharingum; nam ambiebat Aurelianensis cum Maria Niuernensis filia nuptias; quibus Rex impulsu Matris dissentiebat: quippe Medicæa Florentinam virginem è sua stirpe cupiebat filio coniugem; frater haud multò post reuocatus ad Regem, geminauit lætitiam, Ducatu Valesio in supplementum hereditatis accepto. Et Berullus Cardinalis eo anno obiit, merito sanctitatis in eum gradum inuectus, & benè meritus de Ecclesia vniuersa, ob institutam in Francia Sacerdotum Congregationem; quæ per plurima pietatis officia, passim

Priuas.

Alets.

Berulli mors.

accepta

accepta & perutilis est; cui maximè probitatem morum & religionis cultum Sacerdotes debent. LVDOVICVS XIII.

Anno 30. Sabaudiæ Dux rursum cum Imperatore & Hispaniæ Rege conuenerat, ad Mantuanum ex Italia depellendum; ideóque irruperant in Mantuanum agrum Collaltus cum exercitu Imperatorio, & cum Hispanico in Monferratensem Ambrosius Spinola, ille Flandricis palmis clarissimus dux. Interim Richelius, inducto Rege ad ferendam opem oppressō Lugdunum venerat; atque Alpibus transmissis cum viginti peditum millibus, duobus equitum, ductoribus Marescallis Crequyo, Forcia, & Scombergio, quibus ipse summo imperio præficeretur, vnde Generalissimi noua vox prodiit, in Pedemontium venit; appellátque Ducem de implendis pactis, ac præbendo militibus commeatu. Ille cui diuersa pactis placuerant, cùm moram moræ necteret, eo consilio vt inedia exhaustus exercitus absumeretur, repentè graui iacturâ affligitur. Nam Richelius postquam in illius mentem introspexit, ac tentauit omni ope ad priora pacta tergiuersantem reducere; extemplò retro actis copiis Pinerolium obsidet; ac post vrbem primo die redditam, arcem septimo ad deditionem impellit; adstantibus Spinola & Collalto, qui quarto antè die ad arcem defendendam venerant, è pugnatoribus spectatores facti. Ea re apertum Francis in Italiam iter, tum annonæ, tum militi, & in ipsa Ducis viscera hostis immissus. Nec cunctatur Rex aduolare Lugdunum, ad decerpendam laudis & gloriæ partem, quanquam Regina multùm dehortante, quæ Richelij exitium iam constituerat. Diuionem in transitu Rex, ob seditionem rusticorum atque vinitorum, leui pœna afficit; iam antè pacatis omnibus; vrbanis Magistratibus flagitantibus veniam, & iussis vinitoribus extra vrbem habere. Mox Lugduni inita cum Richelio consultatione, in Sabaudiam armatus peruadit; ac primo congressu capto Camberio, cæso tamen Canapleo Crequij filio, totam Sabaudiam præter Mommeliani arcem sub iugum mittit; Bassompetra expugnante feliciter montis fauces ad Tarentasiam deducentes; quæ propter abrupta saxa & insuperabilem transitum, vulgò Fauces cœli dicuntur. Rex deinde, dum Castillonius Marescallus Mommelianum obsidet, Lugdunum regressus, ac breuissimo dierum quinque spatio cum Reginis acto, in Sabaudiam reuertit, nouúmque supplementum in Pedemontium mittit; id erat decem peditum millia, mille & ducenti equites; traditi Mommorancio & Effiato; quibus adiunctæ legiones sex è Campania excitæ. Nam post absentiam Cardinalis, copiæ in Pedemontio imminutæ valdè, sub ductu Forciæ, ægroti instar, subleuandæ erant atque recreandæ, & Casalis oppugnata à Spinola vehementer, magnis rerum angustiis premebatur.

Richelius Pinerolium capit.

Rex Sabaudiam occupat.

Canaples.

Quarum rerum Dux Emanuel haudquaquam ignarus, Mommorancio venienti obiiciebat exercitum; nempe viginti peditum millia, equitum supra quatuor, Germanis atque Hispanis vocatis sub signa. Ad Auilianam oppidum castra posuerat, consilio vt dum proximum sancti Michaëlis montem Francus transmitteret, in eum impeditum, lectis copiis impetum faceret; idque veritus Mommorancius ad Forciam scripserat,

Pugna ad Auilianam.

LVDOVICVS XIII.

qui vltra montem continebat copias, ad se vt veniret, de re communi deliberaturus. Et Forcia venerat, placuerátque consultantibus, nocte proxima, primò impedimenta, deinde militem in montem immittere, vti ope caliginis securus ab hoste exercitus pergeret, ac Forciæ copiis vltra montem opperientibus sese adiungeret. Eo stabilito se in sua castra recipit Forcia; sed benè constituta, malè impleta sunt. Nocte tota in colligendis vasis consumpta, iam illucebat dies cùm in montem ducta sunt; atque horâ vndecimâ progressus est miles. Id enimverò opportunum ad pugnam visum est hosti; cùm itaque extremum agmen prægressis cæteris citra montem ageret; in quo tria peditum millia, & quadringenti quinquaginta equites; prorumpit ex hostium castris eques ac pedes, Principe Doria & Comite Montecucullo ductoribus; atque eques in agmina tria distributus, in quibus singulis quadringenti equites erant; pedes in duas legiones, Valstini & Galassi, quæ Pragensi victoria celeberrimæ, descriptus; inuolant simul ad victoriam certam. Mommorancius ab Carmino Comite Præfecto castrensi, misso ad explorandum hostem certior factus, nullam esse salutis spem, nisi quam faceret ipsa victoria; fronte conuersa equites cum Effiato partitus, in hostem incurrit; ac quanquam longè impar numero pugnat tam fortiter manu propria sæpe cum hoste congressus, vt geminum agmen in fugam egerit, tertio in castra se recipiente; ac Doria captus est ab ipso Mommorancio. Nec omninò palma incruenta fuit; turmâ Effiati dum in prælium ruit, à peditatu hostili appetitâ sclopetis, sauciisque quamplurimis; verùm ij pedites, dum regreditur Mommorancius victor, discerpti sunt, & in fugam acti. Legiones Francicæ haud pugnarunt; præter lectos aliquot, quos Rambureus, Charrausius, & Fargius, in pedites hostium duxerant. Capta signa septemdecim, & quadringenti pugnantium à Mommorancio ad Christinam missi, donati pretio libertatis. Patrato prælio montem victor transmittit, Forciæque adiungitur; simúlque Salussias inspectante Sabaudi exercitu, die quo cinxerat Francus capit. Nec superfuit conceptæ molestiæ Carolus Emanuel, qui die quinto post quam vrbs capta est, vitæ anno sexagesimo octauo, animam egit; fato ab astrologo ante nuntiato; Princeps amplissimi animi, & ad summa quæque aspirantis; fortitudine, liberalitate, & firmissimâ mentis inter aduersa constantiâ, memorandus in paucis; sed cùm ingenij & sagacitatis valeret artibus, iisque plurimùm fideret; se in ea inducebat pericula, ex quibus emergebat non sine iactura; nec sine Dei prouidentia contigit, vt qui turbas toto vitæ cursu, modò cum Franco, modò cum Hispano, diuersis consiliis miscuisset, decederet turbatissima ditione, quam Hispani & Franci, quà fœderati quà hostes tenerent.

Rambures. Charraux. Du Fargis.

Caroli Ducis mors.

Pugna ad Carignanū.

Nam post Salussias oppida plurima occupant Franci, nouámque pugnam ad Carignanum mox conserunt. Carignanum citra Padum pagum an oppidum, ponte impositio quo amnis iungitur, hostis communiuerat erecto propugnaculo, idque obtinebat præsidio Hispanorum quadringentorum; erat præterea in amne medio obiecta Insula, quam muniuerat similiter opere ac milite, prohibiturus Francos transitu fluuij, vltra quem totus

totus exercitus metabatur. At illi postquam statuerunt hostem imperere, pontem inuadere, & per hostem ipsum transinittere; nulla mora aggressi propugnaculum, cùm Hispani stationem mutarent, & octingenti in propugnalo agerent; primo impetu tum mediam Insulam, tum propugnaculum, magna hostium strage, qui Hispani omnes, inuadunt, cæsis aut captis propugnatoribus omnibus, vt Martinus Aragonius verè responderit propugnantium numerum percontanti, cæsos & captos numerandos esse. Forcia vnus impressionem regebat; in qua conspicui, Brezæus, Meletayus, Villaregius, Carminus, Melodunensis Vicecomes, Charrausius, Noallius atque Auriacus, senex octogenarius castrorum Præfectus; qui tot annis grauem à pugna dehortantibus reponebat; ideò sibi præliandum fortiùs, cùm vnum aut alterum vitæ superstitis annum in aleam ageret, hoste triginta aut quadraginta annos opponente. Dum cædebantur Hispani, continebant se in castris socij; qui plerique Germani, orta gentium æmulatione, eorum exitio lætabantur; atque Auilianam obiicientibus, Carignanum cum gaudio regerebant: adeò plerumque priuata æmulatio publicæ præpollet, ac discordiam serit, magno detrimento communium rerum. LVDOVICVS XIII. d'Auriac.

Per ea ad liberandam Casalim festinabatur. Siquidem vrbem ab Maio desinente oppugnabat Spinola, cum duodecim millibus peditum, atque exceperat parem numerum Germanorum, post Mantuam captam; quam Collaltus noctu inuaserat, portâ pyloclastro effractâ; vixque Mantuæ Dux arcis deditione consuluerat vitæ, vrbe direpta per atrocissimam immanitatem. At Casalim propugnabat Toirasius; quámque vrbem Spinola quadragesimo die capturum se affirmauerat, quarto mense iam elapso cupiditate vna obtinebat. Nam Toirasius crebris & ferocissimis eruptionibus, ita oppugnantes vexauerat, cæciderat, atque discerpserat, vt cæsis quatuor hostium millibus, & validissimis, ipsis terrori, mox admirabilitati ob virtutem esset. Et cum eo laudem assequuti sunt, Souuræus eques Melitensis, Cauillacus, Pompadorius, Santaunesius, Boissatus, Turrius, & Riverius; qui à Richelio missus, vt per castra in arcem penetraret, se Germanum finxit, peritus idiomatis, mox vrbe exceptus; & in eam Montausertius diuersa fraude irrepserat, Iesuitam veste mentitus, quanquam Hugonottus; adeò cupiditas gloriæ supra periculum est, quæ per ipsa discrimina ad difficiliora contendit. Sed iam Toirasio pecunia ad stipendium defuerat; ac tametsi eam suppleuisset, primo argento facto in monetam verso, deinde nummis æreis ex tormento cusis, quibus auri pretium fides publica fecerat; tamen vrgente annonæ inopia, vna famis patientia remedio erat; quam dum obsessi ad extremum prorogant, ac Francos duces ad ferendam opem exstimulant; visum est commodum paciscì inducias. Eæ ineunte Septembri in sex hebdomadas pactæ cum Spinola; ea conditione, vt Hispani vrbe & castello admitterentur, admittendi etiam arce, nisi per spatium induciarum Franci obsidionem dissoluerent; frumentum interea iusto pretio obsessis suppeditaret Hispanus, nec castrorum munimentis quidquam adiungeret. Idque Iulij Mazarini operâ pactum. *Toirasius Casalim propugnat.* Souuré. Cauillac. Pompadeur. S. Aunés. Boissat. La Tour. Riuiere. Montausier. Mazarin.

LVDOVICVS XIII. Mazarin.

pactum est, quem Vrbanus Pontifex ad conciliandam pacem in Insubres miserat; isque nuper à Rege conditiones Lugduni impetrauerat, quas Hispani viribus freti repudiauerant. Post admissas inducias, Spinola iam afflictatus morbo, & tædio diuturnæ obsidionis extinguitur; dolore in ægritudinem deflectente, & animo infringente corporis vires, cùm celebres illæ ex Ostenda atque Breda laudes, ad vnam Casalim, veluti ad scopulum impactæ corruerent & euanescerent. Interea tertium exercitum in Pedemontium Rex Scombergio ductore miserat; tripléxque exercitus numerabat duntaxat octodecim peditum millia, equitum tria; adeò pestis, & cætera incommoda importuna militiæ, castra exhausserant: regressi in Franciam erant Mommorancius & Effiatus, implebátque eorum vices Marillacus; vt tres Mareschalli in dies singuli, Forcia, Scombergius, & Marillacus, vniuersis copiis præessent; aderátque Salcius cum euocatis è Delphinatu Nobilibus. Ij iam ad conspectum Casalis venerant, & inducarum tempus effluxerat, erántque hostem in castrorum septis aggressuri; cùm idem Mazarinus conciliandæ pacis cupidissimus, ex ipsis hostium castris progressus, ducibus Francis pacis nuntium affert, iis quas antè dixerant legibus. Ad id nuntium dum deliberant duces; Hispani è castris aliquot tormenta explodunt; atque ideò ægrè inhibetur Francorum impetus, dum Mazarinus ad Hispanos regreditur; itidem malè acceptus ab Idiasco Hispano, qui pacis studio perinfensus, tormenta emitti iusserat. Attamen cæteris ducibus præpollentibus, se Idiascus continuit; simúlque ordinum principes extra castra Mazarinus ad iurandam suis verbis pacem educit. Ij erant Santacrucius, Philippinus Spinola Ambrosij filius, Dux Noqueræ, Galassus, Picolominius, aliique; similiter è Francis accedunt Mareschalli tres, Salcius, Villaregius, Turenius, Arpaionius, Plessipralinus, & Frangipanius; atque vno assensu, interprete Mazarino, paciscuntur, vt ex Monferrato & Pedemontio vtrinque exercitus dimittantur; Casalis libera sit, cæteræque vtriusque prouinciæ vrbes, tam Francis abscedentibus quàm Hispanis; Maynius Dux (is Mantuani filius) possit ex Monferratensibus vel alia gente Casali præsidium imponere. Mox duces humanissima salutatione & mutua gratulatione excipientes inter se, ad suos quique regrediuntur: non modica Mazarini commendatione, qui feroces & æmulas gentes, pugnæ proximæ æstu incensas, ad pacem traduxit, & mucrones strictos vaginæ reddidit. Franci ipsa die verterunt vestigia, consequenti Hispani; postquam castris exceperunt Toirasium, Prætore Santacrucio virum summis honoribus prosequente; adeò admiratio virtutis ipsum hostem affecerat. Neque immeritò seruator Italiæ audiebat Toirasius, quam ineluctabili fortitudine in vna Casali eripuerat iugo. Deinde aliquid controuersiæ natum est, cùm Maynius tres legiones Francicas Casalim induxisset; ac minabantur obsidionem nouam Hispani; sed quieuerunt, octo peditum millibus à Tauaneo in supplementum adductis; atque anno proximo pax Cherascensis litem omnem diremit.

Pax ad Casalim.

Turene. Arpaion. Plessipralin.

Reg's mortus.

Porrò hæc in Italia magnâ Francorũ famâ dum patrantur, publica illorum

res

res ingens discrimen Lugduni adibat. Quippe Rex ancipiti morbo decumbens, iam erat conclamatus, omnemque spem desponderant Medici; cùm is ad extrema Christiano ritu se comparans, obita generali confessione noxarum, ac sacrosanctâ Eucharistiâ pastus, diuinâ ope conualescit repentè. Nam rupto abscessu, qui latebat in corpore, & febre exhausta cum purulenta materia, quasi cibus ille cœlestis medicina tum animæ fuisset tum corpori, restituitur valetudini: quâ confirmatâ, Parisios cum Reginis venit. LVDOVICVS XIII.

Anno 31. Charasci de conditionibus pacis actum est fusius inter Imperatorem & Mantuanum; disceptantibus & componentibus pacta, Galasso pro Imperatore, ac pro Mantuano Marescallo Toirasio & Seruienio; ac statutum vt Sabaudo & Mantuano suæ cuique vrbes restituerentur. Attamen postea Regem inter & Victorem Amedeum Sabaudiæ Ducem scripta noua pacta; quibus primò Pinerolium & Perusiam vallem permittebat Dux Regi; mox eandem vrbem & ditionem vendebat, quingentis nummorum millibus; Feria Hispano multùm reclamante, postquàm res innotuit, quasi peccatum esset in ptiora pacta; sed erat liberum Sabaudiæ Duci suas vrbes distrahere, & suo vtens iure irrogabat iniuriam nemini. Dum Rex iis pactis Germanum ex Mantuano agro exigebat, & Hispanum ex Monferratensi; ab vtroque sibi per nouum fœdus consulebat. Etenim Gustauus Sueciæ Rex, postquam inducias cum Sigismundo Poloniæ Rege contraxerat, operâ Charnassæi Franci Oratoris, à Germanis Protestantibus, in Germaniam classe transmiserat, libertatem vt præ se ferebat asserturus populis, cùm nouum & grauissimum iugum imponeret, atque in Europæ, si Deus sineret, iret imperium. Hic Francorum amicitiam ambiens, & à Richelio forsan ambitus, eodem Charnassæo agente, cum Rege fœdus pangit in quinque annos proximos, quo ipse exercitum in Germania haberet, in quo mererent triginta peditum millia, equitum decem; darétque in stipendij partem Rex annis singulis decies centena librarum millia; cultus Catholicæ religionis illibatus esset in vrbibus captis, ac fas esset Germanis Electoribus atque Principibus fauere neutri partium, continere se, eóque beneficio agere immunes periculi. Id fœdus per Saludiam ad Bauariæ Ducem & Electores Ecclesiasticos delatum, ab vno Treuirensi admissum est, qui se commisit in tutelam Regis, dedítque in pignus fidei seruandæ arces validissimas, Ermensteniu & Philippoburgum. Ita Rex dignitatem asserebat foris, at intus & in ipsis regiis laribus Richelij potentia ferebat discordiam. Regina Medicæa filium Aurelianensem in partes abduxerat; isque post denuntiatas Richelio inimicitias, primò Aureliam venerat Rege insalutato; deinde in Burgundiam admittente Bellegardo prætore; ac tandem cùm à Rege insequente periculum foret, transit in Sequanos, atque in Lotharingiam Carolo Duce præbente asylum se recipit. Continuò Richelij offensione in Principis comites regium fulmen exploditur; ij erant Comes Moretus Regis nothus frater, Duces Elbouius, Bellegardus, & Roanesius; ac domestici Principis, Puylaurentius, Cognesius, Monsigotus, & Cantelobius; qui rei læsæ

Pax Charascensis De Seruien.

Charnassé.

Fœdus cum Suecia Rege.

La Saludie.

Turba in Aula.

De Moret. De Roanes

LVDOVICVS XIII.

Maiestatis pronuntiati, facultatibus suis spoliantur. Et ea seueritate Senatus Parisiensis statim implicitus, qui cunctatus edictum approbare, accersitus Luparam, acerbis verbis exceptus est, iussúsque Senatusconsultum expungere; iam Richelio refringente potentiæ obicem atque repagula.

Medicæa fuga.

Nec Medicæa diu profectionem in Flandriam distulit. Nam post reuocatum Richelium in rerum apicem, ea nusquam mitigauerat odium, sed exacerbata in dies singulos vehementiùs iuxta de Rege & de Richelio querebatur; mulier iam ab Henrici temporibus, rivalis impotentior, ad Aulæ conuersiones atque obsequia parum facta, quæ si auctoritate princeps non esset, nulla esse cuperet. Eam ob causam Regem profectum Compendium sequuta erat, non vocata; palámque affirmabat se non ituram in Consilium, quamdiu Richelius adesset. Sed Rex regni curas cùm odio matris anteponeret, ipsi significat futurum commodius, si Molinas secederet, regressúsque Parisios, eam relinquit Compendij, custoditam ab Estræo Marescallo, viro haud accepto; ob sororem Belfortiam. Qua de custodia cùm Regina querelas intenderet, reuocatur Estræus atque ipsa haud multò pòst curru in Flandriam fugiens, ab Archiducissa honore multo excipitur. Existimatus est in eam fugam contulisse multùm Richelius, & clam Medicææ captiuitatis metum fecisse; veritus scilicet, ne aliquando ius suum natura reciperet, quam absentiâ & locorum interuallo diremptam sperabat.

Fœdera cum Lotharingiæ Duce.

Anno 32. Rex Metim cum exercitu venit, intendens propiùs Lotharingiæ Duci, qui parauerat copias, & putabatur cum Imperatore fœdus percussisse. Verùm is perterrefactus diligentiâ Regis, ipsum Metim conuenit, fœdúsque sancit, quo cætera cum aliis Principibus abrogabat fœdera, dabátque Marsalium. In id pactum Ianuario mense iurauerat; cùm Maio incepto ab eo discedit, & cum Duce Aurelianensi fœdus nouum contrahit, atque arma instruit. Verùm eadem celeritate Regis opprimitur; nam Rex itineribus magnis in Lotharingiam properans, Barium occupat, & plura oppida; exercitum Germanicum, cui Estræus præerat, in eandem

D'Alets.

prouinciam reuocat, ac per Comitem Alesium Ducis Enculismensis filium, equestrem turmam profligat. Sic Lotharingus omni ope destitutus, rursùm appellat clementiam Regis, nouúmque fœdus sancit, quo Regi tradit Stenæum & Iametium, & Clermontium vendit. Ita patratâ ad Lotharingiam securitate, vna supererat de Aurelianensi solicitudo. Is nimirum post recessum è Francia, à Lotharingia transgressus in Flandriam, apparauerat

Bellum in Occitania.

bellum, palam scripto libello testatus, se id suscipere in Regis & regni commodum, vt grauissimum Richelij iugum excuteret. Ac tametsi pollicitis non starent Hispani, & distractis in diuersa viribus, Aurelianensi exercitum parare haud possent; tamen is lectis equitibus mille & octingentis, ex Leodiensibus & Lotharingis, fretus Mommorancij promissis, qui totam Occitaniam & Aquitaniæ partem venturas in factionem receperat; cum turmis equestribus, per Campaniam, Burgundos, Aruernos, & Rutenos, in superiorem Occitaniam venit, mox Bitterras in inferiorem. Atque Mommorancius in eas partes malo fato abductus; siue odio in Richelium,

Richelium, deiectus spe obtinendæ dignitatis Comestabilis; siue in gratiam Reginæ Matris; factionis ducem in prouinciæ Comitiis se professus, accesserat ad Aurelianensis consilia; eratque periculum graue Richelij, si vt spem Aurelianensi Mommorancius fecerat, Epernonius Aquitaniæ Prætor defeciisset. Verùm plura spei contraria contingebant. Nam Epernonius; quamquam & ipse à Richelio multùm auersus, tamen præponderante in Regem fide, in officio sterit: tum plurimæ in Occitania vrbes, repulso Mommorancio Regi se tradunt; in quibus Nemausus & Bellocadium memorandæ, diuersa fortitan ratione; cùm hæc amore fidei, in arcem imposita, magno tum damno tum maiori periculo, communiuerit se ac propugnauerit, illa præpollente Hugonottorum in Mommorancium odio, altefam partem amplexa sit. Rex præterea geminum exercitum immisit in prouinciam, quorum alterum Scombergius ducebat, Aurelianensis assequutus vestigia, alterum Forcia; vti inter vtrumque medius hostis intercluderetur. Sed extemplò vno & leui admodum prælio res disceptata est. Ad Castronouarium, Lauracorum vrbem, fortè occurrebant Scombergius & Mommorancius, suo quisque ducto exercitu, quamquam multùm impare; nam sequebantur Scombergium pedites mille, equites totidem ac ducenti; Mommorancio erant tria equitum millia, peditum duo, aderátque Aurelianensis. Ideò Scombergius recedebat ad læuam, recepturus se in proximam vrbem; cùm Mommorancius comitantibus paucis, abreptus cupiditate pugnandi, in equites primos inuehitur, & prima dimicatione equo iam saucio, eóque postmodùm procumbente, decem acceptis vulneribus, cùm in spissos ordines penetrasset, humi fusus capitur, & sicuti erat defertur à victoribus Castronouarium. Simul cum eo Nobiles aliquot cæsi; in quibus Comes Moretius, Rieusius, & Fulladda; sic perculsis atque attonitis Mommorancij copiis, vt nemine opitulante, similiores fugientibus inauspicato loco recesserint. Rex interea in Occitaniam venerat, & adacto Aurelianensi in eas conditiones, quas victo & propemodùm derelicto imposuit, Tolosam profectus, Senatui Mommorancium iudicandum permittit. Nulla dubitatio erat, quin reus Maiestatis læsæ damnaretur, captus dum rebelles in Regis copias duceret, nec ipse abnuebat culpam, vnà Regis clementiâ spem incertam alens. Et eam Principes Procereſque immenso ambitu implorabant; Aurelianensis, Condæus, Enculisinensis, Epernonius, Cardinalis Valeta, cæterique; in quorum preces obduratus Rex, an Richelius rebellionis crimen cumulante perfidia; nam pluribus nuntiis Mommorancius Regi inuiolatam fidem spopondérat, sententiam iudicum impleri iubet. Nec vllus vnquam in tam illustri Mommoranciorum stirpe generosiùs animam posuit; si dignus morte dum viueret, sanè vitâ dignus dum moritur; nec si causam excipias, quidquam in ea morte desideres quod fortitudinem Christianam & Heroicam sapiat: Arnulphus Iesuita adfuit morienti, vberrimum diuinæ gratiæ fluxum demiratus, ac cœlestis prouidentiæ regimen, per culpam atque infamiam inducentis sanctitudinem morti, quam vita voluptatibus & ambitione abducta respuerat. Dolori summo omnibus fuit tanti viri casus, qui passim generosita

LVDOVICVS XIII.

Castelnau. d'Arry.

De Moret. De Rieuz. La Feuillade.

Mommorancy mors.

LVDOVICVS XIII.

generositate, fortitudine bellica, humanitate, & liberalitate acceptus, maiorum virtutes vt se vno collegerat, sic postremus stirpis vno se extinxit. Aurelianensis haud multò post; indignatus ob repulsam intercessionem secessit in Flandriam, reuocato in Richelium odio, in quem Mommorancij necem conferebat. Rex Parisios cum Regina venit, Richelio hærente Burdegalæ ob grauissimum morbum. Quâ in vrbe lenta febre Scombergius è viuis abiit, fide in Regem, prudentia in consiliis, in bello fortitudine, secundus nemini; donatus nuper Præturâ Occitaniæ, quæ ad filium transiit. Et hæc eo anno: nam ad Annales nostros minus spectat Gustaui Regis mors; qui Nouembris duodecimo in pugnæ Lutsenia cæsus primo congressu, reportauit ex hoste victoriam; vnus mortalium qui ab tumulo vicerit.

Seguerius custos sigillorum

Anno 33. Postquam conualuit ab lethifero morbo Richelius, substituítque Petrum Seguerium Castronouo ad sigillorum custodiam, virum probitate, ingenio & ciuili prudentia perillustrem, Castronouum arce Enculismensi inclusit; curat nouos Equites Sancti Spiritus dici, quos sibi arctiùs deuinciret; tum ad Carolum Lotharingiæ Ducem applicat animum. Ille lusorum instar, qui primam reparaturi iacturam, alteram faciunt, vt vrbes Regi datas reciperet, noua cum Hispanis & Imperatoriis nectens consilia, legebat militem, nec Guroni legato regio se spectandum præbuerat; permissis præterea Margaritæ sororis cum Duce Aurelianensi nuptiis, quas spoponderat se prohibiturum. Quas ob res primùm compellatur ad clientelam Barriensis Ducatus præstandam, ad quam adstringi cùm se pernegaret, edicto Senatus Ducatu deiicitur; simúlque Rex occupato Barrio, cum copiis in Lotharingiam tendit. Dux nuper conserta cum Succis pugna, partitus victoriam, peditatum amiserat, equite victor; atque impar repellendo Regi, Cardinalem fratrem ad eum mittit, qui nouo fœdere intentatum fulmen discuteret. Rex nihilominus euocato ex Germania Forcia, copiísque adiunctis, post capta plurima in Lotharingia oppida, rectà Nanceium venit, primariam vrbem, & parata obsidione, vallum & aggerem designat militi, ineunte Septembri. Tanta celeritate Dux perculsus, & omni ope quam plurimam sperauerat destitutus, rursùm fratrem ad Regem legat, qui diù cum Richelio colloquutus, Ducis nomine Regi Nanceium spondet, ac tradendam Margaritam sororem. Verùm & sororem mutata veste clam mitti Nanceio curat, ducíque in Flandriam; ac Dux præfectum vrbis vetat die dicto Regem admittere. Ea tergiuersatione commotior Rex, ad arctiorem oppugnationem se comparat, iubétque Forciam Ducis fugientis hærere vestigiis, eúmque quouis assequi modo & capere. Nec Forcia is erat, qui exequeretur munus negligenter. Quamobrem Dux ne opprimeretur, petita securitate, conuenit Richelium, & post plurimam altercationem, assentitur prioribus pactis, ac traditurus Nanceium in castra ad Regem cum Richelio venit. Quod præstitit, quamquam multùm reluctans, & biduo adhuc nouâ morâ consumpto; tandem cùm non esset effugio locus, iubet vigesimo quarto Septembris educi præsidium, Regémque admitti; mox de promittentis fide parum sollicitum,

Rex Nanceio excipitur.

post

LVDOVICVS XIII.

post tantum pignus ac tam opulentum, quod promissam fidem adæquaret. Brassacus vrbi præfectus imponitur, nouóque munimento vrbs ab arce abiungitur. Mox Lugduni seditio oppressa est, & in pœnam vocata; quæ antè exarserat, ob noua pretia mercibus facta, ad vectigal Regi persoluendum. Cùm enim plebs insaniens ad publicas redemptorum ædes concurrisset, & supellectilem diripuisset, idémque tentasset in Mercatorum Præpositum; sedata est Alincurij Prætoris diligentiâ, & spes facta pretij noui tollendi. Sed à Rege missus est Iudex ad reos plectendos, simúlque quatuor legiones in vrbem inductæ; quarum ope indictum nouum pretium, vectigálque impositum, & aliquot ex seditiosis necati suspendio; Rege tam domesticam luem, quàm externum hostem profligante.

seditio Lugduni.

Anno 34. Nouæ in Lotharingia turbæ oriuntur. Quippe Dux Carolus, ob iacturam Nanceij conceptâ ingenti molestiâ, quod prius tentauerat, exorditur commentum; nempe Ducatu repentè abdicato, eum insscio Rege in fratrem Cardinalem confert; ac raptis bis mille peditibus & octingentis equitibus, è Lotharingia prodit, petítque Germaniam, Imperatori addicturus militiam. Continuò Franciscus galero rubro depósito, Luneuillæ se in Ducem gerit, ac Claudiam Ducissæ sororem in vxorem ducit. Ea res cùm noua Præfectis regiis videretur, de re tota Regem certiorem faciunt, ac sponsos cum Falsburgensi sorore Franciscí Nanceium abducunt, honoratè quidem, sed securè. At ij deceptâ custodiâ liberi euadunt; Falsburgensis quidem virum veste mentita, sponsi mutati in rusticos, fugiúntque in Flandriam; Nicolaa Caroli Ducis coniux, quæ sponte hæserat, Parisios per Arpajonium ducitur, ibi denique hospitium ponit, dum maritus nouam sortem nouúmque connubium experitur. Rex interea occupabat arces, quas Carolus obtinebat præsidiis; atque cæteris leui negotio captis; in Motha expugnanda plus insumptum operæ ac laboris. Ea decima tertia à Nanceio leuca, in sublimi & abrupta rupe posita est, subiectis infra campis, ac nullo montis iugo in altitudinem æmulo; excauatæ fossæ in ipsa rupe, muríque positi; ac propugnabat Ischeus præfectus, cum quadringentis militibus, vbere commeatu in vim & famem munitus admodùm; vt arx videretur vnâ temporis morâ expugnabilis. Et primò quidem lente obsidione oppidum premere; cingentibus Arpajonio & Forcia filio; deinde postquam Forcia ipse cum Germanico exercitu accessit, Francorum impetu eiusmodi moras auersante, vis adhibita est. Extemplò tormenta displosa, & erecti cuniculi; sub initia quidem labore improbo & fructu modico; cùm rupis durities tam ligonem retunderet, quàm repelleret globos. Verùm cùm indefessæ operæ nihil arduum sit, plures oppidi ædes tormentis euersæ sunt, ac quod magni momenti fuit, Præfectus Ischeus fragmento cæsus est; effossi præterea cuniculi aliquot; & in ipsam fossam agger perductus est. Nec se oscitanter propugnabant obsessi; quanquam nullum telum infestius obsidentibus, quàm saxorum ingentium moles, quæ spissò numero Lotharingi in subiectos milites prouoluebant; erátque eo pugnæ genere spectabilis Eustachius, præfecti frater, ac religiosus; qui semel obseruatus est intra sex horas de-

Turba in Lotharingia.

Motha capta.

d'Ische.

Lvdovicvs XIII.

cem saxorum plaustra in legionem Tonneriam effudisse; Iupiter nouus, qui lapidibus plueret; atque is post necem fratris obsessos à deditione diu inhibuit. Tandem vno propugnaculo vi cuniculi euerso, euersus est propugnantium animus, redditúmque Forciæ oppidum, quinto mense ab quo oppugnari ceperat, cùm in proximam hyemem producenda obsidio crederetur; sícque totâ Lotharingia Rex potiebatur. Deinde accessit è Germanico exercitu incrementum alienæ victoriæ. Siquidem Sueci prælio ad Norlingam victi, cùm haud paucas vrbes præcuendi infirmitate desererent; eæ se ad fidem Regis & tutelam applicant vltrò; in quibus Manhenium validum ad Rhenum & Neccarum oppidum; in Alsatia ciuitates Colmaria, Haguenoa, Salestadium, aliæque; & quod instar prouinciæ erat Philippoburgum à Suecis Regi permissum; cui statim impositus Arnaudus præfectus, misto Francis Germanisque præsidio. Eos successus perfecit Aurelianensis Ducis regressus in Franciam. Is pertæsus diuturnæ absentiæ, & impellente Puylaurentio, quem nuper inflictum per insidias vulnus ad mortem admouerat, venatum simulans, manè Bruxellis cum Puylaurentio & paucis aliis prodiens, cursu continuo per leucas viginti quinque producto, Capellam in Picardia venit; felici venatione, qua patriam & beneuolentiam Regis reciperet. Ingenti gratulatione à Rege, Richelio, & vniuersa Aula exceptus, persanauit domesticum vulnus; ac Puylaurentius in Richelij affinitatem admissus est, qui reconciliationis præs & vinculum foret.

Philippoburgum captum.

Anno 35. Philippoburgum Franco eripitur. Barbergi æmulatio id intulit damnum. Hic gente Germanus arcem annis quatuordecim Præfectus sub Treuirensi tenuerat; noueratque quæ in ea firma essent, quæque invalida; quam indignatus sibi ab Treuirensi, postquam eam Sueci dimittunt, non traditam, ad Galassium deficit, Prætorem exercitus Imperatorij; arcis occupandæ rationem aperiens. Nec à proposito abertauit; aqua fossarum asperitate frigoris congelata, per obscuram noctem omnia simul propugnacula arcis inuadit, nondum absoluta; atque præsidio morbis imminuto vim haudquaquam ferente, potitur arce, Arnaldo præfecto saucio & capto. Tum victores Spiram sine negotio capiunt; quæ eiusdem Electoris ciuitas Francis pariter commissa fuerat; recepta postmodùm à Marescallis Forcia & Brezæo (is sororem Richelij habebat coniugem) cùm ipsa Treviris ab Hispanis inuaditur; leui quidem in speciem expeditione, at seriem perpendentibus, maxima, & multiplicis calamitatis ferace. Ferdinandus Regis Hispaniæ frater, idémque Cardinalis, ab Hispania mari Genuam vectus, & per Insubres transgressus in Germaniam, festinabat in Belgium capessiturus prouinciæ regimen, amita Elisabetha antè demortua, ac per viam cum Ferdinando Romanorum Rege Suecos ad Norlingam luculentâ victoriâ profligauerat. Is porrò ea auctus gloria, cùm molestius ferret, vnicum ex Electoribus Trevirensem confugisse in asylum Franciæ, per Emdenum Comitem Trevirim pyroclastro inuadit, absente præfecto Bussilameto; Francos cædit, vrbem occupat, & Philippum ipsum Electorem, direpta supellectile, in custo-

Galas.

Bellum Hispanicum.

diam

diam rapit, Lucemburgum ducit, dein Namurcum. Rex fœderati Principis calamitate perculsus, Ferdinandum de restituendo viro appellat; quem cùm is negaret posse restitui, Imperatore & Hispaniæ Rege inconsultis, occasio data est difficillimi & molestissimi belli, quo statim Europa tota conflagrauit. Etenim vtraque gens, Franci & Hispani, æmulatione pari, ne ambitionem dicam, paribus viribus, offensione pari incensa, instaurata veteri contentione ob gloriam, fomitis instar flammam corripuit; iámque sexennium à Mantuano bello depugnabant alieno nomine, nihilque deerat exacerbatis in mutuum odium animis, præter ceremoniam belli indicendi. Quæ per fecialem Francum est obita; atque bellum denuntiatum Bruxellis, Maij duodecimo. Richelius eius indicendi Regi auctor potissimus fuit, siue ab Batauis adactus propemodùm, qui nisi bellum significaretur, minabantur pacem cum Hispano; siue concepto dudum consilio, ad opprimendam gentem Franciæ æmulam, suúmque populum ad potentiæ apicem euehendum; siue ad alimentum ambitionis priuatæ, re tam ampla suscepta, vnde sibi suæque stirpi, opum & auctoritatis inexhaustum fundum compararet. Sanè vt consilia latent, sic manifestum est per euentum, vnam mortem interceßisse magni viri consiliis; quæ promouebat ad certum exitum, nisi Deo aliter visum esset, necessitate mortalitatis interpellanti prosperrimum cursum. Attamen creditur præfestinasse Richelius, nondum satis ad inferendum bellum instructis viribus, & seditione per intestinum morbum exurgente; quanquam id malum felicitas subsequens statim emendauit. Porrò ea seditio sic prorupit in Aquitania. LVDOVICVS XIII.

Cùm ad legendam pecuniam plurimæ vectigalium speeies in totam Franciam imponerentur; nam iis Richelius haud parcebat; res per se molesta redimentium & exigentium asperitate euadebat molestior; in Aquitania præsertim; quæ gens tributorum immunitatem obtendit, estque ad permouendum prona & facilis, concepta seditio in lucem prodit. Primus Burdegalæ furor apertus est; cauponum vilis natio & turbulenta, ob ignauum otium & victum opiparum, assueta commodis, tributo leviore imposito, tumultum incipit; ac cæso redemptorum vno, in cæteros publicanos impetum facit, Desagnum honestum ciuem intercedentem tumultui perimit, móxque plurimi è plebe reliqua adiuncti cauponibus, ædes publicas, fenestris effractis, & incensis foribus, inuadunt, vastant atque diripiunt. Ad ea extemplò Epernonius euocatus, mira animi fortitudine turbas opprimere aggreditur; cùm enim clementiâ & patientiâ ingraueßceret cœpta seditio, iámque insanæ plebis magna pars dimidiam vrbem inuasisset, in qua se munimentis doliaribus instruxerat contra vim; ille senio grauis, nam agebat annum octogesimum quartum, inscenso equo cum Nobilibus viginti duobus, & stipatoribus viginti quatuor, quos ire pedibus iussit, incipit profligare multa furentium millia, armis & munitionibus tuta; perfecitque tandem, præliis pluribus ad munimenta singula editis; non sine strage tum suorum tum ciuium, nec absque capitis sui periculo, versantis inter sclopetorum spississimas glandes, & oppositi *Seditio in Aquitania.*

LVDOVICVS XIII.

imminentium è fenestris saxis. Deiectis munimentis, & receptis ædibus publicis, turbam cæteram aliquatenus pacatam in tecta dimisit; donec post dies aliquot, rusticorum turbæ effusæ in sancti Sürini suburbium, instaurant periculum. Etenim seditiosum ciuem compellabant rustici, vt patefacta portâ vires adiungerent, futuri optimo cuique terribiles & exitiosi; quod discrimen cum grauissimum esset, Epernonius per aduersam portam in promiscuos irrumpens, cæsis pluribus; gregem dissicit, & securitatem tum vbi tum prouinciæ peperit. Quippe furor Aquitaniæ vrbes momento inuaserat, veluti in membra sparsus è capite; atque excepto vno Montalbano, nulla vrbs in ampliſſima prouincia fuit, quin aliqua cæde se contaminaret. Aginni præcipuè & Petrocorij inundauit furor; Aginnates ex Curia Subsidiorum nuper instituta, senatores viginti mactarunt; cæteros omnes, & Electos quos vocant obtruncaturi pari insania, nisi Bernetti in Camera Edicti Præsidis prudentia tumultum preſſiſſet. Petrocorios pariter Vertamonis præfecti iudiciis, industria amouit à cædibus; donec à Burdegala vt proruperat malum, sic emanauit remedium, tranquillitate in prouinciam cæteram propagata, maxima vectigalium parte extincta. Et ea proximi belli præludia.

Du Bernet Vertamon.

Pugna Auenisca.

Ad quod auspicandum, quinque exercitus Richelij operâ Ludouicus instruxerat; eorum tres in Belgio, Germania, & Lotharingia, duo in Insubribus, & Rhetis nauaturi militiam erant, præter duas classes, quibus vtrumque mare obtinebatur. Singulos paucis, ne confundam res, persequar. Primum exercitum inducebant in Belgium Marescalli Castillonius & Brezæus, in quo viginti peditum millia; equitum septem, quinquaginta tormenta, ducente Melerayo summo præfecto, qui & ipse Richelij affinis. Ij cùm in Lucemburgium progressuri Treuirim tenderent, incurrunt in hostilem exercitum, quem Thomas Princeps, Sabaudiæ Ducis frater, ducebat cum imperio. Quippe Duce Franciæ partes amplexo, duo fratres Cardinalis Mauricius ac Thomas ad Hispanum se verterant, siue familiarum principalium more, quæ plerumque se in partes diuidunt, vt factione alterutra vincente, qui in victis sunt, opem & subsidium in victoribus habeant, siue ab Hispano opulentioribus conditionibus illecti, rem suam facerent. Ad Auenium, qui pagus est in Leodiensibus, Thomas Princeps exercitum numero imparem commodo situ muniuerat, locato pedite sepes inter, quæ pro vallo forent. Nec difficultas remorata est Francos. Instructis ordinibus die Iunij vigesima impetum faciunt, ac tametsi à peditatu hostium primo congressu plures ceciderint; tamen equitatu Hispano statim dissecto, & peditatus ipse obtritus est, partâque victoria, in qua cæsa hostium quatuor millia, capti sexcenti, cum signis, tormentis & impedimentis; è Francis ducenti equites, sexcenti pedites occubuerunt. Victor exercitus adiunxit se postmodùm Batauorum Ordinum copiis, ad vrbem Traiectum, quas ducebat Orangius Princeps, erantque sub signis quadraginta quinque hominum millia, ductis centum quinquaginta tormentis, quorum vt terror summus & expectatio fuit, sic opera inanis, & euentus sterilis omnium rerum, præterquam

La Melerayе.

Auein.

quam infamiæ. Nam Cardinalis Hiſpanus, quem de more gentis Infantem dicebant, poſt Aueniacam cladem, ſtrenuo & diligenti labore exercitum inſtaurauerat, legerátque quatuordecim peditum millia, equitum ſeptem, quos foſſa ad Tillemontium oppidum clauſerat. Mox aduentante hoſte tam numeroſo impar receſſerat, duxerátque Louanium militem. Tillemontium cùm occluderet portas, vi captum eſt, ac direptum, magnâ ignominiâ rapientium; cùm ſacræ res & perſonæ diſtractæ & violatæ ſint, nec vllum furori frænum adhibitum. Quamquam ignominiam Franci in Batauos & Anglos conferunt, qui primi prorumpentes in oppidum, ea patrarunt indigna atque atrocia, quæ odium in religionem ſuadebat hæreticis. Sanè deinceps victorem exercitum nulla proſperitas, multa calamitas excepit. Nam diſcordiâ inter duces Orangium & Francos coorta; cùm ille iſtorum gloriæ inuideret, ac priuatim infenſus eſſet Richelio, lentè capiebantur conſilia, implebantur lentius, ſubminiſtrabatur parcè annona, quod munus Batauorum erat; & momentis rerum euaneſcentibus, nihil commodè tentabatur, nihil opportunè. Sic fruſtra oppugnatum Louanium, ſoluta obſidio; ac mox à Flandris capta arce Skinquia, ad eam recipiendam ductus cum Batauo Francus exercitus, transfugiis magnam partem exhauſtus; exaruítque tam citò primus lauri palmes, intermortuâ vincentium gloriâ.

LVDOVICVS XIII.

Tillemontium captum.

Germanicum exercitum excepit exitus non diſſimilis. Eum adminiſtrabant Cardinalis Valeta & Dux Veimarius, è Saxonum Principum ſtirpe, qui merebat Regis ſtipendiis; ac Valeta poſtquam Bipontem periculo liberauerat, pulſo ab obſidione Galaſſio, adiunctus Veymario Rhenum tranſmiſerat, ea ſpe vt exceptis Suecis victor in Germaniam penitiorem inuaderet. Sed Suecis pariter inuidentibus, procúlque ſtantibus; & mox Germanis poſt copias auctas Galaſſij & Mansfeldi ductu imminentibus, Francis ſua vice recedendum fuit, & celeriter quidem. Eſtque receptus ille percelebris, quem Valeta & Veymarius, per obiectum Rhenum, per Autumni tempeſtatem incommodam, per ſpoliatos agros & deſertos, longo terrarum ſpatio confecerunt; inſequentibus prementibúſque veſtigia triginta equitum millibus, viginti peditum; frontem & arma conuertentes perpetuò, donec Meti excepti ſunt. Nec fraudandi ſua laude Mouyus & Cahuſacius, qui cum trecentis equitibus, comparandi Leonidæ & Spartanis, obiectu corporum fregerunt hoſtium impetum, cæſi antè quàm victi, parta ſecuritate commilitonibus ſuo exitio; & laudandi quos belli ſors ad meliora ſeruauit, Guichius Comes, Turenius, Coëſlinus, Santagnanius, Fleixius, Guebrianus, Camburius, atque Mombaſius; & præ cæteris Neſius, qui Valreuangæ præfectus Galaſſium ruentem cohibuit, fregitque fortiter quatuor impreſſiones, tandem quinta oppreſſus, & cum præſidio cæſus; Codrus Francicus, qui pernicie capitis, patriam tegeret, ciuémque ſeruaret. Nihilominus Galaſſius imminebat Lotharingiæ atque Campaniæ, cùm Nobilium fama perterritus, quos è proximis prouinciis Richelius conuocauerat, curſum reprimit, & regreditur

Valeta receptus è Germania.

Mouy & Cahuſac.

De Guiche. Turene. Coëſlin. Saint Agnã. De Fleix. De Nets.

LVDOVICVS XIII.

in Germaniam. Mansfeldus interea Franquendalium capit munitissimum in Palatinatu inferiori oppidum ; quod vti & cætera vindicarunt sibi Hispani, Palatino iam antè expulso. In Lotharingia octodecim peditum millia, equitum duo Marescallus Forcia obtinebat ; iisque Ducem Carolum non tam oppugnabat, quàm pulsum exigebat ; nihilque gestum memoriâ dignum, præter oppidum sancti Michaëlis, quod ab ipso Rege tertio die ad arbitrium captum est.

Exercitus in Lotharingia.

Valentia obsessa.

In Italia magna rerum vt in cæteris moles & species, leuis etiam fructus, imò ignominia fulgorem extinxit. Crequyus Marescallus Francicas copias Principibus Sabaudo & Parmensi adiunxerat, vir fortissimus, & in Lediguerij schola eruditus ; simúlque fœderati Valentiam obsidebant, vrbem in Insubribus munitam, & magni rebus Hispanicis momenti. Sed illicò praua æmulatio corrupit sana consilia. Nam Dux Sabaudiæ Parmensem sibi æquiparari non patiebatur, & Crequyus assuetus Sabaudo obsequi, minus Parmensi se accommodabat, cùm vni obedientia faciliùs quàm duobus præstetur. Sic dissentientibus animis, subsidium in vrbem à Coloma inductum est, & à Triumviris soluta obsidio. Attamen Crequyus Pado transito in Mediolanensem agrum excurrit, & in eo arcem Bremam ponit, munitque erectis decem propugnaculis, Valentiæ futuram vicariam ; cámque Rex Mongalardio committit, adiectis quinque legionibus, & quingentis equitibus ; nouam anno proximo probri materiam.

Brema munita. Montgaillard.

In Rhetia res vt ab vnico Duce administrata est, sic processit felicius ; adeò in omnibus Monarchia præstat, cùm ad vnum pertinent gloria atque infamia. Is Rohanius, qui post Hugonottorum postremam pacem, Venetiis cum imperio versatus, admittente Rege reuocatus in gratiam, acceptis septem peditum millibus, & quingentis equitibus, Vallem Telinam ab Insubribus tutabatur ; in eos irrupturus, quando Principes fœderati cum Crequyo conuenissent. Verùm & ipsi peculiaris hostis, prælij & victoriæ occasio fuit. In Rhetiam ab Alsatia venerat ; statimque in Valle Telina castella & arces ad transitum commodas occupat, Bormium, Riuam, Chiauennam, & cæteras ; imminebátque Insubribus, cùm audit septem millia Germanorum in Bormiensem agrum irrupisse, & paratos in Insubribus Hispanos vt Chiavennam inuaderent. Rem tam ancipitem ratus celeritate vna profligari posse ; relicto Chiavennæ præsidio copias Bormium in Germanos rapit, eósque gemino prælio aggressus, fundit fugátque, pauciissimis neci per fugam ereptis ; tum Chiavennam regressus, fama victoriæ præcurrente, à consilio Hispanos deterret. Id incunte Iulio contigit ; cùm Octobri mense Fernamontius octo peditum millia rursùm inducit in agrum Bormiensem, vimque arci intentat ; nec cunctatur Rohanius, quatuor peditum millia in eum perducit, pugnam è vestigio conserit ; difficillimam prorsus atque ambiguam ; qua demùm victi Germani, bis mille cæsis, fugam capessunt ; ingenti Francorum peditum gloriâ ; quos vnicè Regi collaudauit Rohanius, eósque facinus satis ipsum deprædicat. Vndecimo die post patratam victoriam, quasi renascentibus Hydræ capitibus ; ecce Serbello septem hominum millia &

Rohanij in Rhetia victoria.

quingen

quingentos equites ex Mediolanensibus ducit in Telinam vallem, simúlque Sueliquius Germanorum tria millia ex aduersa parte opponit. Rohanius supra Herculem, qui contra duos pugnaret, vt partirentur æqua lance victoriam, in Hispanos conuersus, omissis tantisper Germanis, eosdem ducens qui modò Germanos vicerant, hosti occurrit, munimentis strenuè tecto ad radicem montis. At nec inæqualitas loci nec virium, retardauit Francorum impetum; in munita castra irrumpitur, pugnatur acerrimè, ac tandem per montis abrupta enitente Clausio centurione, & in terga hostium fulminante, à Francis vincitur, magna Hispanorum strage; quorum supra quingentos ceciderunt bis mille; multi capti cum vexillis & sarcinis. Victor Rohanius postquam excursionibus Mediolanensem agrum diripuit, in Vallis arces se recipit, tergeminâ laurea per strenuam fortitudinem partâ. LVDOVICVS XIII.

Tot irruptiones Hispani vna Insularum inuasione rependunt. Eæ geminæ, dictæ olim Lirinenses, in Prouinciæ Phocensis finibus, breuissimo spatio inter se diremptæ; quarum altera, sancta Margarita, leucâ in longitudinem patet, sterili admodùm solo, sed defensa castellis quinque; altera sanctus Honoratus, spatio arctior, sed feracior cultu, cœnobio valido propugnatur; vtraque Monachorum religione & piissima solitudine apud Patres celebris, nunc belli horrore inculta prorsùs, euersis pietatis primæ monumentis; postquam Hispani eas insederunt. Leui præsidio tenebantur, quod extemplò actum est ad deditionem. Eratque illud Hispanorum consilium, vti & proximo anno est patefactum; eam Prouinciam, Occitaniam & Aquitaniam, per oppida in finibus capta, habere infestas; non inconsulte, nisi rem euentus in consulentium luem conuertisset. Sub anni finem, Petrus Seguerius Cancellarius dictus est, Stephano Haligreo morte rapto; ísq; anno ætatis quadragesimo septimo ad eum apicem euectus est; tanto populorum plausu, quanto virtutum & meritorum consortio; nec potuit clarissima Segueriorum familia definere illustriùs, quàm in supremo dignitatum fastigio, & in viro supra dignitatem suam eminente; nam postremus esse suæ stirpis dicitur. *Lirinenses Insulæ.* *Seguerius Cancellarius.*

Anno 36. Coloredus Cæsareus Dux, duo equitum millia Zircum ducebat ad Carolum Ducem, cum à Marchione Forcia fuso milite capitur; opitulante fortissimo Gassione, & hæc anni augutia, fausta in speciem, fallaci exitu. Et Bellum in Insubres videbatur totum imminere. Eam in rem Parmensis Dux, cùm venisset Parisios, iuuenili potiùs impetu, quàm vlla certa ratione, à Rege magnificè exceptus, Hispanis & Mutinensi Duce in eius ditionem irrumpentibus, regressus in Insubres erat. Erántque instructa ad gerendum bellum cuncta accuratè, missáque octodecim peditum millia, equitum duo supra quingentos; quibus adiungendæ Sabaudicæ copiæ, cum Rohanij milite, implerent triginta peditum millia, equitum octo. Sed ea diuersa à consilio euentus rapuit. Parmensis postquam vindictam in Mutinensem effudit, cœpit cum Hispanis clam agere, anno sequenti discessurus à Francis, nihilque in posterum in fœderatorum contulit causam; seu sponte seu vi ad Hispanos conuersus. Sabaudiæ Dux *Coloredus captus.* *Parmensis secessio.*

Toirasio

LVDOVICVS XIII.

Toirasio partem regiminis tradi peroptabat, idque Crequyus libenter passus est, admisso dignitatis consorte; quanquam repugnante Richelio, cui Toiratij virtus suspicioni erat, quia offensa; nam medium nihil Richelio, qui ad eum accederent, necesse erat flecti aut frangi. Porrò Toirasius fide per calamitatem inuiolata insinuabat Duci amorem in Franciam; idque constitit post extinctum ipsum Toirasium, qui cùm Fontanam castellum nullius nominis oppugnaret, explosо tormento globi effectum inspiciens, glande sclopeti percussus, momento occubuit; ingentis in Italia gloriæ, quam auxisset plurimum, nisi Richelij odium an æmulatio, virum summis dignum, post Casalis propugnationem, habuisset in infimis.

Toirasij mors.

Pugna ad Nauilium.

Nec aliud gestum quàm ad Nauilium prælium (ea Ticini pars ab amne Mediolanum inducta) cuius laus prima celeritatis, proxima fortitudinis fuit. Quippe Crequyus soluto Nauilij ponte, cùm vltra Nauilium copias Francorum duceret, citra Sabaudicas Dux, Leganesius Mediolanensis Prætor ad opprimendum Crequyum aduolat. Sed ille ad destitutum locum regressus, in quo pons restitueretur; dum illi ponendo Dux incumbit strenuè, solus hostem tulit, donec Dux mirificâ diligentiâ per impositum pontem venit subsidio. Tenuit dimicatio quatuordecim horas, ingenti partium obstinatione, quam diremit nox, Hispanorum bis mille cæsis, iacturâ non leui; quam & ipsi fassi sunt, nocturno receptu & repentino. Lentior Rohanij in Mediolanenses irruptio remorata est victoriæ spem, qui Guasconium Serbellonis legatum munimentis postquam depulerat, tardiùs in hostilem agrum infunditur, patrato iam ad Nauilium prælio, nihil consequutus præter vastationem agrorum; cùm lues propius admota Franciæ, ab Italia mentem abduxit & operam.

Guasco.

Dola obsessa.

Siquidem Condæus Princeps Dolam oppugnabat, Sequanorum vrbem primariam; qui neutralis olim conditionis, cùm ab Gustaui funere Hispanos fouisse omni cura & studio dicerentur, ideò visi conditione prima excedere, bello appetebantur. Princeps obsidionem Maio exeunte instruxerat, deduxeratque ad medium Augustum, validissima ciuium propugnatione repulsus, & fortissimis eruptionibus; cùm Duce Carolo & Lamboyo aduenientibus, iubente præterea Rege, & copiarum partem euocante, soluit obsidium, séque in Burgundiam recipit: & præter opinionem munita ciuitas, tempus Principis & tormentarium instructum consumpserat: missi ad Regem equites bis mille, pedites octies mille; in tutelam Burgundiæ seruati cæteri. Mittendi autem ea fuit necessitas.

Irruptio in Picardiam.

Hispani ingenti exercitu irruperant in Picardiam. Etenim occulto prudenter consilio fraudem fecerant sagacitati Richelij. Decem hominum millia bello in speciem repellendo habebant in Artesiæ finibus; dum Picolominius & Ioannes Verthius magno exercitu agros Leodiensium vastant, & admotis triginta hominum millibus Leodio obsidionem intentant. At vbi calere rem arbitratur Richelius, & in alias prouincias intendit securior, repente Germani omisso Leodio, adiungunt se Hispanis, & Principe Thoma omnium Duce, Capellam obuallant in Picardiæ finibus, capiúntque, præfecto Marchione Beccio arcem vi tradente; qui postea in meritum honorem

Iean de Verth.

Du Bec.

honorem & dignitatem est restitutus. Tum hostes vecti victoriâ, vno cursu, Castellero, Roia, & aliis oppidis, vetante nullo, quæ erat consternatio, potiti, Somonam transmittunt, & eodem impetu Corbeiam capiunt. Tam improuisa irruptio cùm percelleret omnium animos; Parisienses præ cæteris, vti proximè admoti ad periculum, nam in portis versabatur hostis, sic metu admisso intimè, cum tumultu vasa colligebant; ac forte muri ad sancti Honorati suburbium deiecti erant, ad augendum vrbis pomœrium; iam belli fortuna amplitudinem vrbis in calamitatem vertente; túncque vna fluctuantis Franciæ anchora Richelius fuit. Is fortissimâ confidentiâ & inuicto animi robore, toto periculo in se arcessito, metum dispulit, reuocauitque audaciam. Cùm antea nunquam prodiret in publicum, nisi frequenti stipatorum & Nobilium satellitio; modò solus in aperto curru, seruo à pedibus comite, incedebat per vicos, salutabat quemque benevolè, inimicis obiectabat caput, vultu erecto præferebat confidentiam; rémque statim aggressus ingenti sollicitudine, conscribit quadraginta millia bellatorum; mirifica omnium Ordinum alacritate; nec defuit Rex Richelij vigilantiæ, qui Parisios venit, obiecturus salutem suam tutelæ ciuium. Metu expugnato, hostis illico victus est; obsidetur Corbeia, agúntque in castris Rex, Aurelianensis, Suessionensis, Richelius, cæterique magno numero Proceres; estque vrbs per Autumni imbres incommodos, & propugnantium robur, acta ad deditionem; cæteræque postmodùm præter Capellam receptæ. Et ea Richelij laus præcipua fuit, luctantis in pondera palmæ instar, & surgentis illustriùs, quò grauius premebatur; sanè quod minus præcauerat, fortitudine summa emendauit; & Heroum est, quod peccauit infirmitas, virtute sancire & restituere. Nec vnâ machinâ impetebat Hispanus Franciam, simul altera intentabatur Burgundiæ; & ea pariter à Germania, inexhausto illo seminario militum. Nam Galassius ab Alsatia in Sequanos promotus, quadraginta bellatorum millia, postquam Carolum Ducem & Lamboyum exceperat, inducebat in Burgundiam; eo consilio, vt se ad Parisios adiungeret Picolominio; quo cùm aberrasset, vniuersam prouinciam designabat victoriæ. Rex opposuerat exercitum Germanicum, ducibus Cardinale Valeta & Veymario; iique Galassio Diuionem petenti obiecerant se cum Condæi copiis; sed eæ inæquales admodùm hostium impetum ægrè retundere aut ferre poterant. Attamen per eas Galassius Diuione amotus, Ladonam modicum in finibus Burgundiæ oppidum toto exercitu cingit; hinc Cabilonem, mox Lugdunum victor progressurus: erátque extrema omnium consternatio; adeóque imparata ab hoste Francia, vt vel sulphurei pulueris summa in vrbibus penuria foret. Iam ciues ad tutandum inualidum oppidum supra vires contenderant, & labe illata se in fossa hostis locauerat, proxima luce vrbem oppressurus; cùm in eam Ransauius à Condæo missus nocte inexploratus ingreditur, introducto simul subsidio. Nec mora, post quietem captam, is cum luce in hostem erumpit, & perculsum magna strage è fossa deturbat; quo factum vt accedente Autumni intemperie, & exundante extra alueum Araxe, obsidionem Galassius soluerit; militem ægrè, ac tormenta difficilius &

LVDOVICVS XIII

Galassius in Burgundia.

S Iean de Lône.

Ransau.

LVDOVICVS XIII.

impedimenta e cœnosis voraginibus & torrentibus aquis expediens. Eóque impegit minax illa procella, quæ naufragium minabatur Burgundiæ, ipsa cœli imbribus mersa; ac tanto periculo intra metum clauso.

La Saludie. *Hermenstenia captum.*

Anno 37. Saludia Cæsareis Hermenstenium optimis conditionibus tradit. Arx ea ad Rhenum validissima, Regi ab Electore Treuirensi permissa, eodem propugnante Saludia iam vigesimo mense, nullo subsidio, hostem repulerat: cibariorum necessitas deditionem extorsit, quæ Verthio facta; Galassio, cæterisque ducibus frustra in eam rem connixis hactenus. Nec Saludiæ laudem inficiari postetitas debet; eò maximè, quod prudentiæ, fortitudinis, & patientiæ, nullo præmio, æmulo Bussilameto gloriam deterente, sibi ipsa virtus præmium fuit; & Saludia postmodùm iusto munerario addicturus operam, Oratorij Patribus se adiunxit. Id Hispano præludium, cùm ad cætera iam cupiditatem dexterámque porrigeret. Nam anno superiore Bascones subiugaturus (& ij à Vasconibus diuersi) & in proximam Aquitaniam inuasurus, immiserat ductore Noquera Duce duodecim hominum millia, fanum Ioannis Luciensis ceperat, ac Socoam portu commodam arcem muniuerat. Ad primam expeditionis famam Epernonius Baionam venerat, ac tametsi destitutus copiis, ac morbo afflictus, tamen præsentiâ suâ atque prudentiâ, accedente Vertamonij sollicitudine, nutantes ciuium confirmauerat animos, posuerat munimenta locis opportunis, lapsu temporis diruta, atque annona laborantem vrbem instruxerat; dum Hispanus se intra Socoam muniebat, refrigescente vtrinque primo illo martis & metus impetu. Mox Valeta Dux ad patrem mittitur, sed rarus miles, rariórque pecunia; atque ad supplementum mali accedit noua Aquitanorum rebellio. Nam ob vectigalium grauitatem, cùm vehementiùs sopitæ turbæ exurgerent; Petrocorij, Ruteni, Cadurci, & Aginnates, subitâ afflati insaniâ, arma corripiunt; iámque is furor in proximos Sãtones Pictoncsque, magna contagij labe peruadebat. Tredecim millia statim conuenerant; ac plerique militiæ iam actæ periti, Bergeracum occupauerãt, cæteris vrbibus excipiendi, nihilque deerat præter ducem qui furorem regeret; cùm Valeta mali seriem oppressurus, quanquam tunc maximè repellendis Hispanis intenderet, mille & quingentis peditibus raptim ductis, cum patris turma equestri, magnis itineribus Aginnates petit. Ferociſſimi omnium, ij tria millia rebellium erant, agebant Sauuetatij, quod Aginnatum est oppidum; eóque se clauserant; cùm à Valeta impetuntur fortiter; ac post atrocem dimicationem, pugnantes funduntur, ac delentur internecione. Ea strage perterriti cæteri facilè in diuersis locis sparsi profligantur; capti haud pauci damnati sunt Iudicum calculis; plures Tribunis capitalium addicti, pependerunt ex arboribus. Extemplò Valeta discusso periculo, ad hostem regressus, qui se intra Socoam continebat, magnis pressis incommodis; idem Valeta impressionem inhibuit; donec Hispanus, inediâ, morbis, & veluti diuturno pædore carceris afflictatus, nam progredi extra munimenta non sinebat metus, sponte collectis vasis recessit nauibus in Hispaniam, ac euersis quidem munitionibus, quas labore tanto erexerat: fuitque Valetæ laus gemina, quanquam diuersa, ardens dimicatio, & prudens cunctatio.

Impressio in Basconiam.
Bascones.
S. Iean de Luz.
Socoa.

Noua seditio in Aquitania.

Sauuetat.

Nec

Nec Hiſpanis Occitania felicior fuit. Leucatam arcem in confinio Ruſcinonenſium poſitam, ac portam Occitaniæ inferioris, Serbello decem ex Hiſpania vniuerſa millibus hominum lectis obſederat; eámque præfectus Barrius tuebatur, Franciſcæ Ceſeliæ quam narraui filius, modico præſidio, & Santauneſio abſente, qui adoleſcens Barrij filius bellicoſiſſimæ indolis, loco plurium fuiſſet. Sed Scombergus prouinciæ Prætor opem apparabat, legerátque Occitanorum laude immensâ, decem hominum millia; conuolantibus certatim Nobilibus. Et fuit dignum fortiſſima Nobilitate operæ pretium. Nocte quæ Septembris diem vigeſimum octauum excepit, quod peruigilium ſancti Michaëlis, Franci ſeptem millia in quinque agmina diſtributi (nam cæteri in caſtris relicti) aggreſſi ſunt Hiſpanorum caſtra, in prærupto monte, multâ curâ & diuturnâ operâ munitiſſima; ea propugnabant quindecim hominum milia, etenim miſſa identidem ſupplementa, in quibus Oliuarij Comitis pugnaciſſima legio; pugnatúmque primò ad caſtrorum foſſam & aggerem; quibus perruptis tota nocte in ipſis caſtris dimicatum eſt; donec tandem Hiſpani in fugam acti ſunt, caſtra direpta, & erepta arx certo exitio. Cæſi hoſtes in caſtris mille ſexcenti, multi in fuga palude ſubmerſi; præda ingens ex tormentis & impedimentis; è Francis cæſi circiter ſeptingenti; in quibus Marchio Mirepoſius, Peraltus, Annibal, cæterique; Ambreſius Marchio gemina plaga ſaucius; Scombergus tribus gladiis dum indefeſſus pugnat confractis, Mareſcalli ſcipione à Rege donatus eſt. Idque in paucis memorabile facinus proprium Francicæ fortitudini fuit, cui primo impetu nihil eſt imperuium.

LVDOVICVS XIII.

Leucata ſeruata.

Mirepoix. Peraut. Annibal. Ambres.

Præluxerat huic facinori antè Harcurius, receptis Lirinenſibus Inſulis, non abſimili fortitudine, niſi quod luce palam res patrata. Eas cùm Hiſpanus omni ſtudio communiuiſſet; ducta per Oceanum claſſe, Harcurius iuſſus eſt, cum Vitrio Mareſcallo Phocenſium Prætore, ſimul inuadere. At cùm rem perficere ſuperiore anno minùs licuiſſet, diſcordiâ ipſum inter & Vitrium ortâ, eo anno ſolus operi incubuerat. Inſtructa claſſe, Martij die poſt vigeſimam octaua, in Inſulam ſanctæ Margaritæ, longè munitiorem, tum opere, tum præſidio, naues inducit; ac poſtquam crebra tormentorum verberatione in munimenta detonuit, ſcaphis humilibuſque nauigiis exſcenſionem inſtituens, inter hoſtium globos, ſclopeta, ſariſſas, & gladios exponit militem, vno impetu littore hoſtem pellit, ac proximum caſtellum occupat. Deinceps ex reliquis caſtellis hoſtis eiectus eſt, ea quinque erant; ac tota Inſula Maio menſe expugnata; quanquam terra exceptis haud in procliui fuit victoria; nam cæſi hoſtium mille quingenti, vincentium mille & ducenti; inſtaurata ſæpius dimicatione, & repetitâ ad ſingula propè veſtigia. Statim Inſulam ſancti Honorati eadem vincendi cupiditas & facilitas maior corripuit; intra octiduum ad deditionem impulſa eſt, magna celebritate Harcurij, qui Inſulas opinione omnium inacceſſas, quales fingunt fabulæ, vi perrupiſſet atque inuaſiſſet. Ea ad meridiem, cùm ſeptentrionem euentus ſui inſignirent. Diſtractis in Belgio ad repellendos Hollandos Hiſpanis; & Cardinalis opera ad

Harcurius Inſulas recipit.

LVDOVICVS XIII.

seruandam Bredam impensa, quam Orangius Princeps oppugnabat, ac tandem cepit; fuit Francis spatium promouendæ fortunæ. Ij octodecim millia, ducentibus Epernonij filiis, Cardinale Valeta & Candalo Duce, aliquot oppidis in Cameracensi solo occupatis, ad Landrecium applicant; munitam vrbem, quæ Caroli V. Imperatoris minas ac vim inuiolata perfregerat; eámque aggressi iusto obsidio, tertiam post hebdomadam capiunt deditam; móxque liberè vagati victoriâ, Capellam ruinâ muro factâ vindicant Regi. Et in Sequanis plura oppida & castella capta, tum à Grancæo atque Thiangeo; dein à Longauilla, qui Regij exercitus Prætor, fanum Amatoris captum expugnauit, ac peruastauit totam regionem.

Landrecium captum.

Grancey. Thiauges. S. Amour.

In Insubribus spes amplior Hispanos erexerat, leui tamen compendio atque infra spem. Eam magnam fecerat Rohanius missus è Rhetia; idque voluntate Regis atque imperio, qui cùm per Germanos sibi nouam viam patefecisset in Insubres, & Rhetorum fœdus videretur onerosius, eo renuntiato Rohanium auocauerat; nec cunctati Hispani Telinam Vallem occupant, nouúmque fœdus cum Rhetis feriunt; tum ea parte securi, validum exercitum in Pedemontium immittunt. In eo erant sexdecim peditum millia, equitum quatuor, ductore Leganesio, qui capta Nicia Monserratenses vastauerat; sed spem excusserat accepta per Villam Allobrogem clades, qua Martinus Aragonius pulsus & victus est. Sic libratis æqua lance consiliis, fortuna rursum in Hispanum vertit, Victoris Amedei morte; qui morbo extinctus est; singalaris prudentiæ & fortitudinis Princeps; is liberos duos sub tutela Christinæ vxoris reliquit; in Francos creditus minùs pronus post Toirasij mortem, obitu molesto, quem statim excepit tumultus domesticus, per quem Hispani alieno incommodo promouebunt rem suam.

Res in Italia.

Leganes. Ville.

Anno 38. Ingens in Alsatia emolumentum Francis accessit. Veymarius qui stipendiis Franciæ merebat, postquam pugnâ geminâ Lotharingos fregit, progressus ad Rhenum, insulam in medio amne Rhenaniam dictam, Argentoratum inter & Rhinfeldium, armis occupauerat, instruxerat munimentis, & amnem ponte iunxerat, gemina arce erecta. Statim ea res seminarium prælij & victoriæ fuit. Nam cùm id castellum Brissacum stringeret; iussus Verthius eiusmodi obicem amoliri, superiore anno absente Veymario, pontem & munimenta aggressus, ipsam arcem insulámque inuaserat. Veymarius in præsentia cupiditate laudis reparandæ, exceptis tribus Heluetiorum millibus, & copiis quas Rohanius à Rhetia eduxerat; atque adeò ipso Rohanio priuati instar bellatoris vltrò merente, vrbes Germaniæ quas Siluaticas dicunt expugnare suscipit; aut Verthium quod cupiebat euocaturus ad prælium; aut per eas vrbes paraturus gradum ad maiora. Igitur post tres captas, Rhinfeldium superarat, momenti longè maximi amplitudine atque munimentis; nec ad eam seruandam sibi Verthius defuit. Absente Veymario pugna conseritur; ac cornu dextro Rohanius vincit, sinistro Verthius, qui vsus victoria, irrumpit in obsidentium castra, commeatum in vrbem immittit, ac patrata

Brissacum captum.

Foreſtieres.

trata re pro victore abscedit. Auxitque victoriam, quod Rohanius cùm prostratum cornu restituere vellet, sclopeti ictu gemino saucius, aliquantò post moritur; præclarissimus dux, & militiæ peritissimus quam patriæ damno raptus in partes exercuit; magno post emolumento futurus, nisi visum aliter Richelio esset, cui viri summi laus vel suspecta fuit, vel molesta. At Veymarius regressus in castra, vt stragem sarciret, ipso die copias in Verthium rapit, nouáque pugnâ editâ, dimicantem strenuè vincit ac fundit, ipse Verthius cum Sauellio & Inquenfortio captus; cæsi mille & ducenti, capti bis mille, erepta signa duo supra quinquaginta, tormenta, & impedimenta; adeò pugnæ alea lusus est. Verthius Parisios missus, cuius vrbis spectandæ antea victor cupiditatem conceperat, in eam apparatu diuerso ingreditur; è spectatore spectaculum. Rhinfeldium Veymario redditum, & magna accessione victoriæ expugnatum Brissacum. Ea vrbs vltra Rhenum, in monte posita, ponte tergemino amnem iungit; vno delibans Alsatiam, reliquis geminas Insulas haud remotas annectens. Vaymario aduenerant quatuor hominum millia, Guebriano duce, nobili Britanno; locatúmque obsidium tam in Germania quàm in Alsatia, quatuordecim hominum millibus in exercitu numeratis. Sed æstimari non potest, quanta animorum vi in castra irruperunt Germani, & quantâ repulsi sunt. Tam præclaræ res in decursu expendi nequeunt. Guerius & Sauellius semel atque iterum penetrantes in munimenta, toties Guebriani & Dubatelli laude eximia, retrò ire adacti sunt; quamquam diuersâ vincentium sorte; nam Dubatellus infelici gloria ab hoste abductus est; Guebrianus militarem fortitudinem iusta fraude fulsit, missis in siluam proximam pluribus, qui tubis inflatis & pulsatis tympanis auerterent hostem, tam inani metu quàm strepitu. Deinde Carolus Dux à Veymario ipso post atrocem pugnam similiter pulsus; iterúmque Guetius & Lamboyus, tribus cæsis suorum millibus, Guebriani & Turenij contentione acerrima exacti ab Insulis; per quas demùm strages, Rheyneno Præfecto erepta spe subsidij, ac discessu ducum desperanti, necessitas deditionis iniecta est; ac ea facta optimis conditionibus, vrbsque Veymario data: bis mille præsidiarij fame perierant, præter eos quos rapuerat ferrum. Fassus est Veymarius magnam laudis partem Guebriano deberi, ipsúmque in posterum in socium & consortem armorum habuit.

LVDOVICVS XIII.

Rohanij mors.

Guers. Lamboy.

Ea victoria Autumno patrata, reliqua infortunia felicitate noua extinxit. Quippe Regis consilia sublimia atque excelsa, geminas hostium vrbes complexa, exitu falso non sine dedecore euanuerunt. Ea ad sanctum Audomarum primò corruerant; quam amplissimam in Artesiis vrbem cùm Marescalli duo Forcia & Castillonius oppugnassent, quadraginta hominum millibus castra implentibus; Principe Thoma & Picolominio per adiectas Insulas, pérque amnem in aggerem oppositum peruadentibus, immissum est in vrbem subsidium; ac soluta obsidio; sed Franci vincentium modo recedentes, Rentium ceperant, & Castelletum in Picardia, illata vi per impressionem, vna aberratione propositi inferiores.

Audomarus liberata. Saint Omer.

LVDOVICVS XIII.

At longè secus ad Fontarabiam contigit, quam munitissimam in Cantabria vrbem Condæus Richelij iussù pertinaciore obsederat. Cum eo Valeta Dux Aquitaniæ Prætor, Grammontius Comes, Sansimo Dux, &

Et Fontarabia.

Forcia Marchio; sub signis decem hominum millia; móxque sed tardius classe sex millia Archiepiscopus Burdegalensis aduexerat. Primordia, quod Francorum est, lætum sortita exitum, Bidoso amne traiecto, spem amplam fecerant; capta oppida circùm Fontarabiam, & hostilis classis à Burdegalensi disiecta; sed postmodùm ad vrbem admota vis propugnaculorum soliditate retunditur; nam iis non satis exploratis, temerè atque ambitiosè Richelius eam expeditionem susceperat. Vnum quidem propugnaculum cuniculo aperto Valeta euerterat, sed labe imperfecta abstinuerat ab impressione, locúmque Burdegalensi permiserat, priuatim inimico, & vanè iactanti se per labē peruasurum in vrbem. Sed frustra iactatio & temeritas fuit. Nam dum oppugnatio in Autumnum producitur, & miles assiduis imbribus dimouetur ab opere; die Septembris octauo, qui nascenti Mariæ

Guadalupe.

sacer est, Hispani in Guadalupiæ monte spectantur. In eo religiosum erat Sacellum Deiparæ, venerandum incolarum cultu, quod Forciæ miles sacrilega rapina exhauserat, positis in eo monte tentoriis; & ab eo potissimum incepta vltio, in reliqua castra propagatur. Nam Hispani postquam dies plusculos simulatis impressionibus hostem diuexarunt; repentè in Forciæ militem impetum faciunt, primóque congressu nullo negotio fundunt; illicò statione propinquior Condæus aduolat, sed trepidatione in castra iectâ, tum ipse tum Burdegalensis expellitur, séque ægrè Condæus in nauim recipit. Valeta remotior, postquam Grammon-

Gesvres.

tium & Geuræum excepit, qui sibi ferro per hostium turmas viam patefecerant, audiuitque pulsum Principem, castra capta, nullúmque spei locum; & ipse suas copias versus amnem ducit, iam simili metu trepidantes; hæsitque cum Gevræo in transmittendo amne postremus, tumultuosè transeunte milite tanta formidinis amentia erat. Id Hispano loco victoriæ fuit; nam præter cæsum peditem, tormenta, impedimenta, & apparatum militarem adeptus est; idque infortunium, vt Francorum negligentiæ tribuendum est, sic Burdegalensis cunctationi, qui aduectâ lentiùs classe, seriùs portum occlusit; nec militem, qui opus in castris faceret, implerétque stationes exposuit. Verùm ipsius noxam Valeta insons luit, qui alia de causa odiosus Richelio, ni perite vellet, in fugæ necessitatem adactus, in Angliam nauigauit; tutus Cheureusiæ commendatione, quam eam in Insulam Richelij odium egerat; & in ea extorris à patria diu versatus est, donec Richelio & Rege emortuis, reuocatus est postliminio, famæ, bonis & dignitatibus restitutus.

Crequij mors.

Neque in Italia res commodiùs procedebat. Pedemontium post victoris Amedei mortem præter bellum externum, ciuile iam vexare inceperat; etenim Hispani Thomam atque Mauricium Principes in pupillum Ducem & tutricem Matrem induxerant; & Pedemontani diu à Francis auersi in gentilitios Principes pronioribus inclinabant animis. Ea primùm consilia latebant, mox in lucem magno strepitu cuniculorum instar proditura;

postquam

postquam Crequij mors & Bremæ exitium rem Francicam afflixerunt. Leganesius quem dixi Prætorem Mediolanensem, eductis viginti quinque hominum millibus, Bremam obsederat, arcem suo in solo positam, incursionibus molestissimam, & tunc opportunam oppugnationi; quoniam Crequius infirmis admodùm copiis, ab eo equitatum & tria peditum millia euocauerat. Is nihilominus vt seruandæ arci incumberet, comparatis octo militum millibus, aduolauerat, atque citra Padum designabat in ripa transitum, cùm ab ipsâ arce leuiori tormento temerè explosò, perimitur Crequius, eóque loco & momento extinguitur; ingenti prorsus Francicarum rerum detrimento, vir apprimè strenuus, artibusque tum belli tum pacis clarissimus; quanquam ea mors felicitati potiùs morientis quàm infortunio fuit; nam eo die Christiana sacramenta Confessionis & Communionis piè obierat, sicque mors subita & honestissima, tam saluti animi fuit quàm gloriæ. Mox cæso duce solutæ sunt copiæ, ac capta Brema dedente Præfecto: is Mongallardus, qui Taurini postea Hemerij iudicio capite cæsus est, quasi arcem ignauiâ prodidisset; quanquam lapsu temporis deflagrante calumnia, insons repertus est, & præstitisse munus, quantùm arcis præsidiique infirmitas patiebantur. Cardinalis Valeta subrogatus Crequio, substituitur pariter in infortunium; Versellium vrbem validissimam Leganesius capit; quanquam Cardinale toto nisu contrà enitente; nóxque Franciscus Hyacinthus Sabaudiæ Dux, puer adhuc septennis, viuis ereptus est; fratérque successit Carolus Emmanuel, biennio minor; sicque res vacillabant in Pedemontio. Paulò feliciores in Sequanis; Longavillâ castella plura & oppida capiente. Ad famam illustrior pugna naualis, ad conspectum Genuæ veluti in theatro ad spectaculum edita. In ea par triremium numerus; nam vtrinque quindecim; at impar militum, qui Hispani superiores: ductoribus Francicarum triremium Poncourlæo, & Hispanicarum Roderico Velasco: tormentis eminus, cominus sclopetis, sarissis, gladiisque pugnatum est, tam fortiter, vt partium vtraque victoriam asseruerit: etenim tres triremes Francicæ ab Hispanis captæ, cæsi è Francis mille & ducenti, & tutus in Genuensem portum receptus, signa vincentium erant: nisi potiora iudicia Francos erexissent: nempe Hispanicæ sex triremes captæ: Velascus Prætor classis cæsus, cum tribus Hispanorum millibus & quingentis, capti octingenti, & vsurpatum cum possessione loci maris imperium. Et ea victoria primo Septembris parta, præluxit natalibus Ludouici, Regis XIV. qui quinto die optatissimus Francis in lucem prodiit: diuinis antè prænuntiatus miraculis, & à parentibus per viginti annos expetitus: vt dubium non sit, quin cupidissimè tam diuturnis votis expectatus, & diuina concessus indulgentia, cumulaturus sit omnium vota, ipsúmque impleturus munus cui extra ordinem à Deo lectus est.

LVDOVICVS XIII.

Brema capta.

Pugna naualis.

Pontcourlay.

Delphini ortus.

Anno 39. Veymarius postquam in Lotharingiæ & Sequanorum finibus plura oppida cepit, cùm appararet in Germaniam reditum, Iulio mense morbo extinguitur: Gustaui Regis tiro insignis, suisque palmis illustrior. Existimatus est voluisse nouam ditionem Brissaci constituere, atque adeò

Veymarij mors.

Francis

LVDOVICVS XIII.

Francis in ſuſpicionem iam venerat ; verùm nihil contigerat quod augeret metum, quem & mors obruit. Curam copiarum, dum aduenit Longauilla regimini deſtinatus, Guebrianus ſuſcipit ; & ipſe à Veymario honeſtiſſimo legato in teſtamento donatus ; nempe armis, enſe, ſclopetis breuioribus, & pugnace equo ; glorioſa hereditas, quæ plus periculi & honoris, quàm opulentiæ adeunti conferret : qua Guebrianus ſe digniſſimum præſtitit, euectus mox in locum Veymarij, vt legatum præſagium vaticinantis potius fuerit, quàm morientis delectus. Deinceps belli vis in tres prouincias tota incubuit ; quarta expeditione ad Thionuillam calamitoſa. Atque à Belgio vt initium ducam ; Mellerayus viginti peditum millia, equitum ſex, in Arteſios duxerat, cinxerátque Heſdinum ; nouam vrbem, quam commodiſſimo loco, veteri Heſdino euerſo, Imperator Carolus V. poſuerat, & ſtudiosè munimentis vallauerat. Confeſtim inſtituta oppugnatio, & firmatis caſtris, cuniculo euertitur propugnaculum, imperatúrque impreſſio ; qua repulſa, obſeſſi agunt de deditione ; & per muri ruinam Rex in vrbem ingreſſus, Mellerayum præſentem ſcipione Mareſcalli donat, eodem loco laboris causâ & præmij, agri inſtar qui ſementem acceptam in ſpicas reſtituit. Mellerayus dein pugnæ cupidus, munitum hoſtem ad amnem Agrium, quà ſancti Nicolai pagum præterfluit, aggreſſus perrupit, & vltra amnem magna clade diſpulit, Gaſſione & Ferræo Seneterra inter primos pugnantibus ; cæſi hoſtium bis mille, capti quadringenti. Tum poſtea victor eodem æſtu flagrans, Croatas mille & ducentos, qui ad Ariam ſemoti ab exercitu metabantur ; ducti bis mille & quingentis equitibus ſclopetariis, Coëſlino & Seneterra comitibus, nocte curſu traducta, prima luce impetit, profligátque penitus, capto Præfecto Ludouico ; ac cùm totus hoſtium inſequeretur exercitus, receptum ſtrenuè tutati ſunt Seneterra & Mombaſius, hoſtili impetu retardato.

Guebriani laus.

Heſdinum captum.

Aa.

La Ferté Senetere.

Coëſlin.

Mombas.

Atque dum id capitur Caroli V. in Belgio munimentum, aliud non abſimile in Ruſcinonenſibus ſuas vices patitur, captum ac perditum. Id Salſulæ, arx in fronte Ruſcinonenſium poſita, quam Carolus V. exſtruxerat obiecturus Leucatæ, à Franciſco I. exædificatæ ; vt viderentur etiamnum Principes illi inimiciſſimi contendere in poſteris, ac de ſua quiſque arce laborare. Condæo hæc commiſſa prouincia ; nam Fontarabiam hoſtis muniuerat, ciúſque capiendæ cupiditatem infregerat ; legatus Condæi Scombergus, prolegatus Arpajonius ; qui decurſis Ruſcinonenſibus, captiſque pagis pluribus ; Salſulas obſident ; arcem quidem anguſtam, ſed veteri modo communitam, muri ſpiſſitudine, quæ tormentorum pilas retunderet. Eæ ſanè retuſæ diutius, ac depulſa vis, donec turri per cuniculum diffiſſa potius quàm aperta, dein muro per foramen arctum perfoſſo ; in id Franci ingenti diſcrimine ſinguli penetrant ; ac primis cæſis vel ſauciis, cæteri nihilominus, in quibus Condæus ipſe, peruadentes, vi arcem capiunt ; Præfecto, cui Brauus nomen, veterano milite, in caſtellum interius ſe recipiente, & faciente mox deditionem. Arci captæ Eſpenanus imponitur. Id patratum Iulio ; ac Nouembri proximo ab Hiſpanis recepta

Salſulæ capta & perdita.

Salſes.

Brauo.

Eſpenan.

arx

arx. Quippe post effusum Francicum impetum, Comes sanctæ Columbæ viginti duo peditum millia, equitum quatuor, ad Salsulas applicat, ductis accuratè circùm aggeribus. Condæus qui agebat in Occitania, euocatis tum ex ea prouincia, tum ex Aquitania, multis Nobilibus, exercitum instaurauerat, quanquam inferiorem hostili; in eo sexdecim peditum millia, equitum tria; ducebátque vti hostem in munimentis suis impeteret; sed imbres cœlo fusi interceſſerunt pugnæ & cupitæ victoriæ. Decurrebat October, iis locis præter Autumni tempestatem multùm pluuiosus; ac primùm Narbone versus Salsulas incedentibus imber illapsus, exercitum totum turbauerat; mox Condæi sollicitudine reuocatus, tertiâ ab Salsulis leucâ progrediebatur, distributus in tria agmina; quorum primum ducebat Scombergus, Condæus medium, postremum Arpajonius; iámque erat in conspectu hostis, pluréſque vrgebant vt momento eodem in ipsum iretur: sed commodius visum est, si militi quies permitteretur in proximum diem, atque per otium instrueretur impressio; maximè cùm primum & postremum agmen, viam diuersam instituissent. Verùm ipsa nocte tam spissi imbres nubibus fusi sunt, támque vehementes, tanta vis grandinis, inter crebra fulminantis cœli tonitrua; vt quà vi imbrium, quà torrentium inundantium impetu, solutus sit exercitus; pleriſque tum brutorum tum hominum ea calamitate raptis ac necatis. Ea miseria aggressionem distulit, non abrupit. Nam iterum reuocatæ copiæ ad hostem admouentur; sed effluxerat opportunitas, ardórque refrixerat; numero impar miles, pleriſque dilapsis; præterea munimenta tam sollicitè Hispani instruxerant, vt in fossam prealtam & imbribus lubricam si qui peruaderent, illicò occumberent, spe abscissa reditus. Sic plures ordinum ductores in fossis cæsi sunt, reducti cæteri, & omissa spes arcis, quam Hispani postmodùm honestissima conditione ab Espehano recipiunt. Atque præclara ducum militúmque toto bello facinora, vno pluuiæ madore corrupta sunt: sed ea victoria, vt res humanæ sunt, magno stabit victoribus.

LVDOVICVS XIII.

In Italia res Hispanis faustæ admodùm erant. Ij adiunctis Sabaudis fratribus, quà consiliis, quà armis grassati, occupabant haud pauca oppida: nam Mauricius Princeps auertebat animos à Christina, & Thomas vi adigebat inuitos. Ciuasium Hispani ceperant, & obsidebant Cencium, quod & expugnarunt, Cardinale Valeta repulso, post atrocem ad castra dimicationem. Dein cum Thoma Principe Taurinum aggressi, Christinæ indefessâ sollicitudine, & Cardinalis vigilantia, inductis in vrbem sex armatorum millibus; tum repressa est ciuium maleuolentia, quorum pars inclinabat in Principes, tum ipsi Hispani repulsi vrbe sunt; ac Trino postmodùm, quod iam obsederant, exacti similiter, Cardinalis labore tot inter ærumnas & infortunia inexhausto. Et videbatur idem Cardinalis vim fecisse fortunæ contrariæ, postquam spectantibus Thoma Principe & Leganesio, Ciuasium tormentis verberatum ad deditionem compulerat. Quæ obsidio dum promouebatur, Longavilla in Pedemontium venerat, ac partitus cum Cardinale copias atque imperium, conuerterat se in Saluſſios,

P. dembrium turbatum.

Chrinas.

Longauilla in Pedemontio.

LVDOVICVS XIII.

Mauricium Principem depulsurus; quo præstito, & Salussiis in officium reductis, Benam vrbem capit. Simul Harcurius & Bresæus iunior, Marescalli filius, Niciæ oram præteruecti classe, eam vrbem atque Villafrancam absterrebant à rebellione. At dum Prætores singuli munus strenuè implent, Thomas Princeps retextis cum Taurinensibus primis consiliis, confestim adiuncto Leganesio, ad vrbem aduolat, & in eam admittitur; Christinâ tantùm non oppressâ, atque ægerrimè in propinquam arcem euadente. Sic Thomas inductis in vrbem copiis, & suburbio exceptus Leganesius, coniunctis viribus, arcem quam tenebant Franci oppugnare incipiunt. Illicò tormenta in vrbem obuersa, & instituta eruptio, qua pugnantes egregiè, Nerestanus, longa militia clarus, Baro Valliacus, & Alincurius Eques Melitensis cæsi sunt, magno propugnantium luctu. Ad arcis periculum Cardinalis extemplò & Longavilla conuolant, admotisque copiis, assiduis præliis vellicant hostem. Sed cùm pares propemodùm viribus, mutuum quidem damnum inferrent, emolumentum nullum perciperent, admittunt trimestres inducias à Nuntio Pontificio propositas, in vigesimum quartum Octobris; per quas vtrinque exercitus instaurari possint, & Christina incolumis ex arce proditet. Et quidem cum impubere Principe prodiit, in Sabaudiam migrans, multo calamitatis sensu, extorti & fugienti similior quàm regnanti; eáque postmodùm Regem salutauit Gratianopoli, verbis amicissimis & promissis amplissimis recreata. Sed accedit novus dolori cumulus. Iam Longavillam ex Pedemontio Rex in Germaniam arcessiuerat, qui succederet Veymario, quique exercitus membra rapto capite dissoluenda, rursum in vnum corpus compingeret; cùm Cardinalis Valeta relictus vnus Prætor, exeunte Septembri, febre viuis eripitur. Creditur morbus conceptus animi dolore & tædio; iam extulerat fratrem Candalum Ducem, aliquot ante menses Casali morte raptum; Valetam fratrem, regno extorrem, & per iniuriam condemnatum; atque à Richelio (quem ipse perpetua reuerentia & amore addictissimo erat prosequutus) honore & existimatione deiectum lugebat, eò vehementius, quòd clam & in sinu; patrem dignitate pulsum, in priuatam villam nullâ noxâ relegatum, iniquo vt par erat ferebat animo; tótque impar molestiis, morbum contraxerat, finémque extremum. Vir ad summa natus, qui patriis virtutibus clarus, insuper humanitatem gratissimam litterásque adiunxerat; indole tamen ad Martem procliuior, pacata studia in oblectationem alebat; futurus maior haud dubiè, si accinctus ad munus & dignitatem sacram quam gerebat, felicitatem ingenij sua vna arte conclusisset.

Taurinum occupatum.

Nerestan. Vaillac. d'Alincour.

Cardinalis Valetæ mors.

Deploratas res Cardinalis morte erexit statim aduentus Harcurij. Is à Rege Prætor in Italia dictus, venerat sub finem induciarum, relicta Bresæo classe; ac bellicum canens, auspicaturus primordia, tormentis ex arce postquam in Taurinum detonuit, in hostem conuersus, Cherium vrbem vehementer oppugnatam capit; atque instaurato Casalis præsidio, & oppressa Carmaniolæ proditione, felici pugna occupat famam, & maximas laudes vno facinore exorditur. Hostis copias collegerat, & numeratis

Pugna Harcurij ad Rotam.

Quiers.

tis duodecim peditum millibus, septem equitum supra quingentos, meditabatur oppressionem Harcurij, dum is Cherio prodiret, nec hærere in ea vrbe diutius ob ciborum penuriam poterat. Nec consilium ignorabat Harcurius; ac tametsi exercitus exhaustus imponendis præsidiis, dumtaxat septem peditum millibus, & quatuor equitum præter quingentos constaret; tamen pugnæ ardens, se in viam miserat. Ad Rottam perueneratpagum modicum, Sentenam fluuiolum traiecturus, qui ponte quidem ligneo iungitur, sed infirmo ad vehenda tormenta & ripis quà vadum patitur præruptis & excelsis; & eum transitum hostis opperiens, dum primum agmen comparat viam, extremum aggreditur. At confestim Harcurius voti compos, agmen medium primumque conuertit, pugnámque instituit ferocissimam; qua dimicatum sex horas æqua propè lance; ac turbabat Francos Princeps Thomas, qui tria peditum millia & equites mille ac quingentos, deflectens in latus, in lævum cornu magno impetu egerat; cui repellendo Harcurius Turenium & Plessipralinum obiiciens, dextra & mente præsens singulis aderat. Tandem nocte appetente, Franci pedites, abiectis sclopetis, & strictis ensibus in hostium cuneos se abdunt, ac momento victos disiiciunt; simul equites impressione facta hostem pellunt; sic paratur victoria, & opportuna nox ignominiam fugæ obduxit tenebris. Cæsa hostium tria millia, Francorum octingenti circiter. Victor Harcurius transito amne, Carinanum venit quò intendebat, instaurata Franciæ in Pedemontio laude, & semente gloriæ facta in proximum annum. Eos successus vna ad Thionvillam fœdauit calamitas. Duos in Campania Rex alebat exercitus; regebat alterum Castillonius, alterum Feuquerius, in quo decem peditum millia, equitum tria; atque eum exeunte Maio ad Thionvillam admouerat. Cùm ea vrbs magni esset momenti, & colli instar Flandriam Germaniæ veluti capiti adiungeret atque compingeret, Picolominius ad eam seruandam adducit copias. In quinque stationes diuiserat castra Feuquerius, nec dum perfecta erant munimenta; quamobrem irrumpens Picolominius, primùm in vrbem peruadit, immisitque subsidium; tum instaurato iterum prælio, per horas tres dimicatur; donec saucio & capto Feuquerio, & leuiore equitatu præmaturam fugam captante, castra perrupta sunt, & Franci passim victi; in iis cæsa quatuor millia; in quibus Molinetus, & Sampolus Delphinas nobilis, qui mori quàm vinci maluit, salute spreta, quam dedenti se hostis offerebat. Feuquerius ex vulneribus obiit; reus quia infelix, statim iuxta clade ac dignitate præturæ famosus, quam tunc primùm adibat. Ea victoriâ Picolominius in maiorem spem inflammatus, Mousonium modicum oppidum copiis cingit, & præuia ex laurea trepidatione, strenuè verberat; sed repulsus Refugij præfecti vigilantia, & accedente cum exercitu Castillonio, qui ex morbo conualescebat, soluit obsidium; mox passus Iuoyum à Rege præsente capi & dirui; recessitque abscissis victoriæ alis, quæ vnius Thionvillæ castris comprehensa, deuolare vltrà non potuit. Sed nec intus quieta ab incommodis propriis Francia; nam tertiùm à Petrocoriis seditiosi in Aquitaniam sparsi, diripiebant

Lvdovicvs XIII.

La Route.

Sentena.

Turene.

Plessipralin.

Feuquerius victus.

S. Paul.

Mouzon.

Du Refuge Iuoy.

Seditiosissima Francia.

LVDOVICVS XIII.

agros & pagos, latibulis in siluarum specubus positis, vnde belluarum instar erumpebant. Et contagio per Occitaniam fuso; aliud insuper accesserat malum, moneta adulterata & circumcisa: nam resectorum nummorum crimen tam vulgare erat, vt iam id pro arte haberetur, & honesta quærendi victus ratione. Atque istud scelus edictum regium, & instituta quæstio, ceu cancellis inhibuit; alterum Proprætor Aquitaniæ Sourdius, ac Foulæus iustitiæ Præfectus, opprimendum suscipiunt, ductis copiis, & pluribus seditiosis in rotæ supplicium raptis. Verùm & Normanniam idem furor inuaserat, ob vectigalium acerbitatem, & duritiem exigentium ortus; seditiosi ab eorum duce vocabantur Nudipedes, quasi fortunis spoliati, & ad nuditatem pedum adacti præ inopia. Cadomi præsertim inualescebat amentia; qua primùm in vrbe, Gassio in prouinciam missus cum equitatu & peditatu, seditiosos in pœnam rapuit; idémque pòst Abrincis præstitit; cùm nihilominus percrebresceret furor, visum est opportunius Martti adiungere Themidem, ac vim armorum Iustitiæ lance temperare. Eam in rem Seguerius Cancellarius cum summo imperio in prouinciam venit, ac Rothomagi exauctorato Senatu (qui postmodùm restitutus est) comite Gassione, ac fascibus subjiciente vexilla, peragrauit Normanniam, reos pœuâ & veniâ pro sceleris grauitate & leuitate afficiens. Sic malo oppresso tranquillitas reuocata est.

Dv Sourdis. Foullé.

Vanudpies.

Atrebatum captum.

Annus 40. amplissimorum euentuum ferax fastos subit; necdum exorta eo anno semina maturuerunt in messem. Porrò initium ab Atteßis factum. Eorum caput Atrebatum, capacissima & munitissima ciuitas; cui oppugnandæ destinati à Rege, Dux Chauneus Picardiæ Prætor, Mareschalli Castillonius & Mellerayus; qui profectione Bethunam versus simulata, repentini vrbem cingunt, admotis viginti quinque peditum millibus, & nouem equitum. Circùm aggeres in quinque leucas producti, dum Cardinalis Infans ad seruandam vrbem se expedit. Atque eam in rem irruptio sæpius per castra tentata; ac primâ Lamboyus duo peditum millia & quingentos equites mittit, qui strenuè à Mellerayo pulsi & deleti. Alteram Cardinalis ipse instituit, qui conuocatis per totam Flandriam copiis, eundem Lamboyum cum viginti millibus in castra immittit; & ad castellum Ransauium conserta dimicatio atrox; qua castellum semel iterúmque ab Hispanis captum, à Francis toties recipitur; prælio per decem horas producto; Castillonij & Mellerayi magna & felici contentione: nam hostes pulsi, cæsis duobus millibus. Præter duces in Francis appellandi cum laude, Duces, Enguiennius, Condæi filius, Mercordius, Belfortius, Nemursius, Luyneus, Coëslinus, Cimmartius, & Forsius; spontanea omnes militia, & adolescentiæ flore conspicui. Præterea Infans annonam intercipere tentauerat; atque vnum commeatum quem vehebant octingenta plaustra inuaserat, suis quidem copiis à Mellerayo victis; sed cùm victor præmaturè se recepisset in castra, victus Buquoyus rursum in commeatum irruerat, Bethunámque abduxerat. Huic malo prouisum in posterum, ac nuper Sampreulius quingenta plaustra castris inuexerat. Quamobrem spe tota salutis in vnam vim versa, obsessi in stationem Heluetiorum

Chaunes.

Enguyen. Mercœur. Boaufort. Coeslin. Cinqmars. I e Fors. Saint Preüil.

prorum

prorumpunt, pugnántque fortissimè, sed aduolante in opem milite repelluntur; robúrque Demontij Centurionis Heluetij obseruatur, quí rapta ex hostis manibus hasta bipenni, eundem hastà in caput impactà, bipartitò ad pectus diffidit. Iam cuniculus propugnaculum vrbis euerterat, & parabatur impressio, cùm Infans extremam operam adhibiturus subsidio, toto exercitu castra aggreditur; & adhuc dubio pugnabatur marte, cùm Hallerius (is Vitrij frater, postea Hospitalius Marescallus) commeatum ducens cum decem hominum millibus, incumbit pugnantibus, ac spectatur; per quod spectaculum tam erecto Franco, quàm hoste abiecto, soluitur prælium; & Infante haud multò post recedente, dedita est ciuitas; cui præfectus impositus Sampreulius, fortitudine quàm temperantiâ clarior. Rex vrbe admissus, percepit intimum victoriæ sensum, qua vrbem in Franciam vti in patriam postliminio reuocabat, ab centum & quinquaginta annis veluti exulem atque extorrem. Germania interim, quasi ad spectacula Atrebati & Taurini considens, nihil eo anno præter belli inefficacem speciem habuit. Rhenum transmiserat Longavilla, media hyeme, & adiunctis fœderatis, tum Sueco tum Hessio, quinquaginta hominum millia ducebat in Bauaros: nec ij Cæsarianis adiunctis atque Saxonibus, quorum omnium Prætor Picolominius, numero erant inferiores; atque vt æqualitas virium pugnam inhibuit, sic copias tam multiplices annonæ penuria iterum sparsit ad inuestiganda alimenta; & vnius prouinciæ lues reiecta est in varias; Germaniâ iterum recrudescente malo depastâ.

Du Hallier.

Longauilla Germania.

Sed Italia noua quadam luce præstinguit Europam. Eius lucis fons & propagator Harcurius, qui vna expeditione liberauit Casalim, ac Taurinum cepit. Leganesius Hispanorum Prætor Casalim eo anno expugnare decreuerat; ipsi amplæ copiæ erant validæque; paucæ & infirmæ Harcurio, quas contra Sabaudiæ Principes oporteret diuidere; eásque vt multò magis diuideret, hostis Casalim simul & Rossignanum obuallat. Nec cunctatus ad eas liberandas Harcurius, adscitis Allobrogum copiis, quarum ductores Villa & Pianessa, vterque in Christinam fide, & militari arte spectabilis, quanquam septem millia peditum, equitum tria supra quingentos, numero admodùm impar recenseret, primò Rossignanum conseruare aggreditur. Santangelus, Delphinas nobilis, arci Præfectus, muro per cuniculum aperto, iam tertiam impressionem repulerat, parabátque quartam Alardus Hispanus, cùm aduenientis Harcurij famâ perterritus, tormentis & commeatu relictis, ad Leganesium militem rapit. Ad eundem haud lentior festinat Harcurius, lætúsque auspiciis, explorata Leganesij castra strenuè impetit, die Aprilis post vigesimam octaua. Tribus locis aggressionem constituerat; vni præerant Turenius & Plessipralinus, alteri Mota Hodancurius; tertiæ Villa & Pianessa; ac primo impetu hostem locatum extra munimenta retrudit in aggerem; tum ad ipsa munimenta infertur dimicatio. Duabus horis certamen producitur, iámque tertium Franci erant repulsi, cùm ipse Harcurius nodum suo periculo abscissurus, acto equo fossam obiectam transilit, strictóque ense in hostem infunditur, cæteri duces extemplò sequuntur; ac pedite postmodùm

Casalis liberata.

Saint Ange.

La More. Hodãcour.

LVDOVICVS XIII.

peruadente, Hiſpanus trepidans in caſtella ſe recipit. Turrius interim Caſalis præfectus, erumpit cum ſelecto milite, ac tormentis & ab vrbe & ab Harcurio in caſtella tonantibus; fuga vndique ab Hiſpanis capeſſitur, paſſimque cædes & direptio ſæuiunt. Nox opportuna fugientibus fuit, nam hora decima agebatur, capta tamen opulenta ſpolia, & cæſa quatuor millia, capti mille & quadringenti; ex victoribus perierunt nongenti. Adhuc calens à palma Harcurius rem adoritur perdifficilem, & temeritati quàm fortitudini propiorem, niſi ipſe ſui & ſuorum conſcius, Francicos animos non communi modo metiretur; Taurinum capere, & reſtituere ſuo Principi ſtatuit. Eam vrbem Thomas Princeps inſederat; auctus ſeptem militum millibus, præter ciuem ſuo arbitrio magnam partem addictum. In eam rem copias quidem per ſupplementa adauxerat ad quindecim millia; ſed & Leganeſius ſuas ad octodecim millia inſtaurauerat; euocatis celeritate magna militibus; redditurus par pari, nec paſſurus Principem in anguſtias agi. Nihilominus ſub initium Maij Harcurius ad Taurinum accedit, & occupatis ſubvrbio vltra Padum, ponte, & caſtello proximo, vallo caſtra cingit, vrbémque obſidet. In iis hæſit ad Septembris exitum, quo ciuitatem Princeps Thomas tradidit, medio temporis ſpatio aſſiduis prælijs conſignato. Nam modò toto exercitu in vniuerſa caſtra Leganeſius, modò per partes munimenta carpens; modò Princeps ex vrbe adiunctis cum Leganeſio viribus, modò clam atque improuiſò viam aperturus; irrumpentes perpetuò, nullam Francis quietem, nullam laboris intercapedinem permittebant, vt quadrimeſtris interualli ſinguli dies, tam laudum pleni quàm ærumnarum, ducibus Francis militibúſque effluxerint. Atque vt Harcurij indefeſſa vigilantia, prompta ad conflictus omnes fortitudo, atque in annonæ penuria prudentia ſumma & patientia, poſterorum memoriæ digniſſimæ ſunt; ita Turenij, Hodancurij, & Pleſſipralini, qui legati ſtationes ſuas tuebantur, laus egregia eſt; ſanè ex ea potiſſimùm Martis officina prodierunt mox & ipſi Prætores, per diuerſas prouincias lauros conſituri. Attamen per caſtra Carolus Gatta Neapolitanus in vrbem perrupit; ſed ductis ſimul copiis grauior hoſpiti, ob alimenti penuriam, moleſtiæ maiori quàm commodo fuit; fruſtrà Principe per eruptiones tentante importunum conſortem emittere. Igitur ciuitas tradita, iis conditionibus, vt incolumi ciuium ſalute & facultatibus, cætera in Chriſtinæ arbitrio forent; prodiret Princeps cum milite neutrarum partium futurus in poſterum: atque is eduxit peditum ſeptem circiter millia, equitum duo ſupra quingentos, profectus Eporediam. Mox Chriſtina Taurino excepta eſt, & magno gaudij ſenſu, auctoritati ac propemodùm vitæ reſtituta.

Taurinum captum.

Inurea.

Breſæus mari pugnat.

Eos ſucceſſus pugna nauali adauxerat. Soluerat Gadibus claſſis Hiſpanica, in Occidentales Indias nauigans, erántque naues armatæ triginta ſex; quam Breſæus Marchio claſſis Francicæ ductor, haud procul Gadibus aſſequutus inuadit ferociter. Quindecim naues, tres myoparones, & nauigia incendiaria nouem, quæ ſua erat claſſis, in prælium agit; ac poſt tormenta exploſa, incendiarias naues applicat hoſtilibus: quarum incenſæ quatuor,

quatuor, ac cæteræ pessimè habitæ se fuga in Gaditanum portũ recipiunt; cæsi hostium præter mille quingenti, quos plerumque vndis mergendos Bresæi humanitas morti eripuit, & ereptos clementer habuit, dimisitque Gades liberos nullo pretio; adolescens quem Richelij auunculi dores excitabant ad summa; isque ad eas sponte ferebatur, futurus exemplum tam illustris prototypi, nisi acerba sors pugnantem in ipsa laudis materia postmodùm rapuisset. Porrò ea clades leuior Hispanis fuerat, quanquam eo anno intercluſa est in Indias nauigatio, nisi defectiones molestissimæ accessissent, primùm Catalauniæ, dein Portugalliæ. Ac Catalauniam abscidit à corpore, Oliuarij Comitis incumbens acerbitas, qui Catalaunis infensior immunitates gentis oppressurus, hospitiis militum vexabat prouinciam, adegerátque ad ferociſſimam defectionem; qua Barcinone regionis Prorex Comes sanctæ Columbæ, lapidibus palàm est obrutus, cæterique Magistratus cæsi; furore ex vrbe in agros effuso. Mox appellata Franciæ Regis potentia; atque hoc anno præbita ab Scombergo & Espenano subsidia, quanquam permodica; toto belli nisu in eam prouinciam ruituro; magna Hispanorum pernicie, qui luem ex membris in ipsa viscera & penetralia intima, vitæ certo discriminie, abduxerunt. Exemplum deinde permanat in Portugalliam; cujus incolæ ab vltimo æuo Hispanis infensi, rati articulum reparandæ libertatis suæ obtigisse, cùm intus & foris obuenissent tot negotia æmulis, Vasconcellum Lusitanum odiosum cunctis Ordinibus, Proreginæ amanuensem, in Palatio cædunt; ac Ioannem Bragantiæ Ducem, ex Regum stirpe, solio euehunt; sexaginta & octo annis, postquam Philippus II. id regnum asseruerat. Et fortasse posteris supra Historiæ fidem videbitur, vnius hominis cæde, nam Vasconcellus vnus occisus est, Hispanos prudentissimam atque fortissimam gentem, repente opulentissimi regni deiectos imperio; vrbes omnes & arces redditas; vno consensu populi, & conspiratione Procerum tam occulta, vt nihil emanauerit, & oculos perspicacissimos consilium tam apertum latuerit: adeò quædam mortalium rerum, vti siderum, conuersiones sunt, & sua sunt momenta imperiis, quibus vel regredi vel mutari necesse est. Sexto Decembris Vlyssipone Ioannes excipitur, quartus eo nomine; antè ambiguus, quam in partem an priuati an Regis vergeret, magnis vtrinque periculis ingruentibus; donec impulsus à coniuge, femina generosissima, scandere cum periculo maluit, cùm moderatio iam intuta esset. Indiæ extemplò tum ad Ortum positæ tum ad Occasum, nouo Regi adhærent; nec citiùs perlatum est nuntium, quàm conditum regnum.

LVDOVICVS XIII.

Defectio Catalaunia.

Et Portugallia.

Eo anno Carolus Dux Guisius Florentiæ obiit, in eam vrbem Richelij odio relegatus: quod primò contraxerat, ob retentum Mediterranei maris imperium; mox quòd Mariæ Reginæ causam defenderet; Princeps animo & liberalitate conspicuus, qui paternam ambitionem iustæ laudis finibus conscripsisset, nec defecisset vnquam ab vtilitatibus publicis. Cumulauerat interim gaudium Regis, secundi filij ortus, qui luci est datus Septembris vigesimo primo; dictus mox Philippus, & donatus Andegauensi Ducatu patrimonij loco, ingenij acumine atque solertia, spes amplissimas faciens.

Guisij obitus.

Ortus secundi filij.

An

LVDOVICVS XIII.

Anno 41. Ariam Mellerayus non incruenta oppugnatione aggreditur. Ad eam vrbem pugnatum acerrimè ; nec vlla toto bello maiorem ſtragem obſidentibus intulit ; quippe cæſa quatuor millia, præter plures ſaucios ; inter cæſos Marchio Coëſlinus, Cancellarij gener, iuuentutem nondum emenſus, ſummo omnium deſiderio, iámque ad dignitates feſtinante virtute : & in caſtra commeatus difficultate ſumma vehebantur, quanquam & in eam difficultatem enixus Richelius, vt eminentem ſupra obices animum inflammabant ardua, quatuor plauſtrorum millia vno commeatu in caſtra intulit. Attamen vrbs ad deditionem coacta eſt, inſpectante Cardinale Infante ; qui ſeruare quam vrbem non potuit, adoritur copiis iunctis recipere. Nam euocauerat triginta peditum millia, equitum quindecim, Hollandis ceſſantibus ; nec exiſtimauerat Mellerayus diutius in caſtris agendum, ne captæ vrbi alimenta detraheret. Igitur hoſtium caſtra non ſine periculo ſpeculatus, & apparatis fruſtra in pugnam copiis ; Aigueberia cum tribus hominum millibus Præfecto vrbi relicto, noctu caſtra ſoluit, ac ſilentio tormenta & impedimenta præmittens, prima luce ſaluus Teruanam peruenit. Continuò in abeuntium locum Cardinalis ſubit, atque foſſis aggeribúſque reparatis, Ariam iterùm claudit, tenuítque per quatuor menſes obſidio : donec Aigueberia extremâ cibariorum penuriâ, vrbe abſceſſit. Quæ bis vno ſemeſtri verberata & capta, tam Hiſpanum paſſa hoſtem quàm Francum, multiplicatis miſeriis tum recepta, tum capta, calamitatem geminatam luxit ; felicior ſi fuiſſet infirmior ; adeò bona nocent, & commoditas nulla ſincera eſt. Mellerayus interim, ne omninò periret opera, adiuncto Breſæo, cùm pellere hoſtem ab vrbe non poſſet, Lentium, Baſſæam, & Bapalmam cepit ; non leui operæ pretio ; ac Comes Guichius ob nauatam fortiter iis bellis militiam, Mareſcallus dictus eſt.

Aria capta & perdita.

D'Aigueberc.

Interea Regem & Richelium varia, fauſta atque infauſta exercuerant, tum pace tum bello. Nam Carolus Dux reconciliatione vltrò expetita, Pariſios venerat, & nouo fœdere cum Rege inito & iurato, ab Auſtriacis prorſus abſceſſerat : vi fœderis Lotharingia præter Nanceium reſtituta, quam vrbem Rex durante bello teneret. Sed ea pax diuturna haud fuit : redditus ditioni ſuæ Lotharingus, vel dolore non recepti Nanceij, vel renaſcente in Richelium odio, vel reuolutus in amores priſtinos ; cœpit primùm de iniquitate fœderis conqueri ; dein Regi euocanti in Campaniam non obtemperare ; poſtremò eiurato fœdere, bellum ſuſcipere, séque Auſtriacis totum addicere. Sic rurſum arma in Lotharingos illata ; miſsúſque primò Grancæus, deinde Hallerius, qui conceſſas vrbes repeterent ; & præter Motam receptæ ſingulæ ; populorum calamitate lugenda, quos mutatio Principis nouo bello inuolueret. Veruntamen id Richelio leue præ Sueſſionenſis victoria fuit ; quæ ſi victorem ſimul non rapuiſſet cum victo, ingentem conuerſionem rerum inducebat. Poſtquam ad Corbeiam Sueſſionenſis in Richelium coniurauerat, quanquam in ſpeciem reconciliatus ; ſiue grauiora à reconciliato formidans, ſiue quadam indolis magnitudine, quæ Richelio ſubeſſe non poſſet, ab aula exceſſerat, & Sedanum Bullonio Duce excipiente confugerat ; nec quid turbæ mouebat, opperiens

Caroli Ducis gemina mutatio.

Mors Sueſſionenſis.

opperiens dum vices humanarum rerum mutationem sponte inferrent. Verum Richelio vrgente, & reditus annuos detrahente Princeps ad extrema actus, scripserat militem; accesserat Guisius, antea Rhemensis Archiepiscopus, modò familiæ caput; nec Bullonius negabat hospiti subsidium; ac tandem Lamboyus, iubente Hispaniæ Rege, adiunxerat copias; isque accinctus Suessionensis in Campaniam penetrauerat. Illi Richelius obiecerat Castillonium cum octo peditum millibus, iussérátque Ducem Lotharingiæ aduolare cum copiis; sed is detrectabat, & Castillonius quanquam milite impar, prælium conserit. Et eo victus est, equitum ignauiâ, qui primo conflictu se in fugam egerunt; ea quidem seruati, maiore ignominia quàm strage; cæsi peditum bis mille, & eorum quatuor millia ad hostium castra transierunt: Pralinus Marchio inter equites cæsus, iam secundo infortunio clarus. At vincentium animos dolor statim inuasit pro gaudio, cùm iacere inter mortuos visus ipse victor Suessionensis, sclopeti glande in frontem explosa, dolórque auctus quod cædis tam improuisæ auctor nesciretur; atque adhuc is latet, siue subornatus ab inimicis percussor; siue ipse facto innoxio sese peremerit; sclopeto temerè in caput effuso, dum galeæ buculam aperiret: nam vtrumque & narratur & scribitur. Sanè ea mors eiusmodi rerum articulo, maiori causæ attributa est; vel vt parceretur Richelio, quem ea machina verberabat; vel Franciæ ipsi vt consuleretur, ciuili & difficillimo bello concutiendæ iam & reuellendæ. Rex confestim reparato exercitu, capto Dunquerio, Sedanum accessit; & Bullonio in gratiam recepto, condonauit cæteris, præterquàm Guisio, qui confugit in Flandriam. Sic Richelij inaudita felicitas vicit ipsam victoriam, & priuatum inimicum ad publicam tranquillitatem extinxit. LVDOVICVS XIII.

In Pedemontio rapti Principes in Hispaniæ partes, res iterum turbant, & bellicum abrupta pace concinitur. Absente Harcurio Eporediam Franci obsederant, vrbem validam situ & præsidio; quæ Thomæ Principis sedes, momenti maximi tum retinenti foret, tum capienti. Atque ad eam retinendam Princeps cùm exercitum adduceret, pugnam consereret, Ciuasium ad auertendum hostem oppugnaret, accederéntque imbrium incommoda; Harcurius discessit ab obsidio, quod alieno ductu institutum erat. At ne hosti faceret infirmitatis opinionem, Ceuam statim obsidet, atque vrbem simul cum arce expugnat: tum Conyum cingit, ciuitatem amplam & munitam; quæ obsessa quater, obsidionem toties fregerat; octingenti oppugnantium cæsi, ac plures saucij, fidem faciunt, vrbi quæ dicebat se virginem non sine periculo vim illatam. Captam vrbem Harcurius Christinæ concessit, æquitatem Regis testatus, qui sibi tot ærumnis præter laudem assertæ iustitiæ nihil quæreret. Princeps interim cum Cardinale Triuultio Hispanarum partium duce, multas vrbes aggressus, in quibus Ciuasium & Queraſcum, semper repulsus est Præfectorum fortitudine: Queraſci præsertim Souignij præfecti virtus enituit; qui semel iterúmque appetitus inuasione nocturna, cùm scalis applicitis, & effracto muro, iam in vrbem hostis penetrasset, tantoperè contra enixus est, vt ipsum vrbe atque muro deiecerit, clade non modica. Ea inter Hispanis molestissima

Varia in Pedemontio. Yurée. Ceua. Cony. Chiua & Queraſque. Souuigay.

LVDOVICVS XIII.

fuit Monœci mutatio. Nam Monœcum in ora Genuensi, quà ad Franciam spectat, commodissimum portu & arce oppidum, suo Principi è Genuensium Grimaldorum familia longè olim addictum, Hispaniæ Rex tutelæ specie obtinebat; atque immisso arci præsidio, tum ciues tum Principem moderabatur ad nutum. Princeps eiusmodi iugum vti excuteret, cum Rege clam aliquot antè annis conuenerat, inefficacibus pactis ob defectum opportunitatis. In præsentia cùm Hispanum plura distraherent, Grimaldus instaurato clanculum fœdere, & quadringentis viris, tum è Phocensi prouincia, tum Genuâ, in vrbem & proximos agros exceptis, præsidium Hispanicum aggressus fortiter, potitur arce, & admisso Franco Hispanum deturbat; dictus postea à Rege Dux Valentinus; atque hactenus fide inuiolata perstitit, inter Franciæ procellas sæuissimas.

Monœci mutatio.

Morgues.

Bellum in Catalaunia

De los Veles.

Verùm aculeus Hispaniæ infixus Catalaunia erat, quæ defectioni instans vehementiùs, & Regi Franciæ professa obsequium, Hispaniam bello illibatam tot annis, propiùs ad molestias & pericula Martis admouebat. Et Hispaniæ Rex desperata pace Marchionem Velium cum duodecim peditum millibus & duobus equitum in Catalauniam immiserat, incipienda ab Tarracone expeditione. Isque Espenanium Tarracone oppressum eum aliquot equitum turmis ad iniquas conditiones adegerat, & Tarracone recepta, imminebat minax Barcinoni; atque post Espenanium exiurato pacto Leucatam profectum, Serignanus castrorum præfectus strenuam Barcinone nauabat operam, Francis aliquot equitibus in vrbem inductis. Eam Velius vti inuaderet, Iouis montem occupare aggreditur, qui in vrbem atque in portum erectus, vtrique imponit necessitatem obsequij; quo si Velius potiretur, actum de vrbe & de prouincia erat. Igitur dimicatio atrox ad eum oritur; in qua terrore subito turbati Hispani, cùm præter spem se defenderent ciues, repentè in fugam præcipitant, ac proiectis armis effuso cursu se Tarraconem recipiunt. Erectis ea victoria Barcinonensibus aduenit Mota Hodancurius, qui nouis auctus copiis, iusto exercitu tandem progressus est, contenditque extemplò ad Tarraconem oppugnandam. Atque ad eam rem Burdegalensis Archiepiscopus classem adduxerat, obstructurus portum, & alimenti inuecturus penuriam, dum Hodancurius solum excluderet. Procedebátque consilium, Hodancurio commeatum amplum rapiente, quem inferebant Hispani, & Archiepiscopo nauali pugna Ferrandinum Ducem profligante; eâ pugnâ duodecim triremes hostium mersæ aut incensæ, & commeatus exclusus. Agebat Tarraco in extremis, cùm Ferrandinus instaurata classe in Tarraconensem oram inuehitur, ac dum negligentiùs se Burdegalensis ad pugnam comparat, quinquaginta myoparones cibariis instructos affatim in portum immittit, eripitque vrbem exitio. Burdegalensis eo successu perculsus, ne tormentis quidem in myoparones explosis, vela ventis pandit, receditque in Franciam; mox à Richelio deiectus gratia atque imperio: ac meritò quidem, qui addictus sacris profana tractaret, è pastore nauicularius, tubâ Euangelicâ mutatâ in Martiam. Attamen Hodancurius non abscessit illicò, sed variis excursionibus in Arragoniam, cæcidit hostem

Serignan.

Tarraconis obsidio.

Ereſius Prorex.

sæpius,

sæpius, maximè ad Almenasium: tandem spe abiecta capiendæ vrbis, reduxit copias Barcinonem, excepturus Bresæum Marescallum, Proregem Catalaunis primum nuncupatum. Nam Bresæus interim curam in Ruscinonensibus militiámque impenderat: quippe eam prouinciam vt Hispaniæ Rex omni ope intercluſam Francis cupiebat, sic Ludouicus patefactam optabat, tum ad inferendam Catalaunis opem, tum ad ipsam si faueret Mars occupandam. Atque adeò Condæus ex proxima Occitania prorumpens, Helenam vrbem oppugnatione ceperat; & Arpaionius eius legatus leuiora prælia instituerat; simul Bresæus dum in Catalauniam contendit, conflixerat in Torracusam repetito prælio atque periculo. Nam Torracusa Rosas classe vectus, in Ruscinonenses octo peditum millia, & octingentos equites inferebat, præter vberrimum commeatum, quò Perpinianum oppressum penuriâ recrearet: quam rem vt Franci prohiberent, Caucoliberim inter & Perpinianum castella erexerant, ad intercludendum commeantium Hispanorum iter; idque iter copiis Bresæus insederat. Verùm quanquam bis & quidem fortiter dimicauerit, cùm impar esset militum numerus, impedire non potuit, quin Torracusa commeatum in vrbem induceret. Idque postea Regi incommodum fuit, nullâ Bresæi culpâ, qui salutem sæpe in discrimen intulerat, equis sub pugnante pluribus suffossis; nec labori vlli ad excludendum hostem pepercerat. Inde perrexit in Catalauniam; at regressus Caucoliberim Torracusa, sanctæ Iuariæ oppidum cepit, magnâ Præfecti dedentis infamiâ.

LVDOVICVS XIII.

Collioure.

Anno 42. Auspicatò victoriam de Lamboyo Guebrianus refert, eam quidem in paucis clarissimam. Habebat sub signis equitum præter quingentos quatuor millia, peditum tria duntaxat; & Rhenum ponte traiecerat media hyeme, Cæsarianis gemino exercitu imminentibus; móxque admiserat Heberstenium Comitem Hessiorum ductorem, qui implebant duo peditum millia, & quingentos equites supra mille. Nec ideò liber ab periculo erat; nam occurrebat Lamboyus cum duodecim peditum millibus, & aduolabat Hasfeldius non inferioribus copiis. Ratus itaque Guebrianus nihil periculosius fugâ periculi, statuit profligare Lamboyum; anteaquàm iungeretur Hasfeldio. Verùm Lamboyus id discrimen præcauens, locatis ad Kempenum castris se accuratè muniuerat: nam tegebat peditem latus agger in duodenos pedes erectus, prætẽsâ fossâ amplissimâ ad latera aggeris locauerat lignea munimẽta; atque à tergo disposuerat equitem, qui peditem tueretur. Guebrianus post explorata castra, trifariam copias & aggressionem partitur, vt ipse cum Tribuno Rosa & Francis aggerem rectâ impeteret, munimentum ad dextram Erbestenius cum Hessiis, Tubaldus ad lævam cum Germanis simul impugnarent. Et confestim ab triplici parte irruitur. Dimicatio sex horas tenuit; donec primus Guebrianus perrumpit aggerem, inuaditque in castra; tum Hessij & Germani effractis repagulis irrumpunt pariter in castella; peditésque partim cæduntur, partim in cohortes salute data admittuntur. Mox ab equitatu instauratur prælium; quod strenuè promouens Lamboyus cum cæteris ductoribus Mercyo & Vehleno vincitur capitúrque, dum ordines contumaciter reparat; cæsi

Guebrianus Lamboyum vincit.

LVDOVICVS XIII.

bis mille hostium & quingenti ; capta tormenta , sarcinæ , & signa sexaginta duo ; & à Rege Guebrianus Mareschallus Franciæ nuncupatus , plura oppida in eo tractu expugnat , fructu victoriæ non inani. Quem dum percipit, transmisso Rheno Hasfeldius nouum obicem opponit ; & imminebat Fontanus Comes parte ex altera cum delectis Flandris ; à quibus ne interciperetur , rursum Rheno ad Veselium tendit , cum Suecis participaturus sortem belli ; qui mox ingenti ad Lipsiam relatâ victoriâ , tum sibi , tum Guebriano securitatem , tum molestiam Leopoldo & Picolominio peperere-runt. Ea gesta prosperè , dum in Campaniæ & Picardiæ finibus laborabatur. Rex cum Richelio totus in Catalauniam versus , fines Campaniæ &

Pugna ad Honnecuriã.

Picardiæ tuendos Harcurio & Mareschallo Guichio dederat , atque vtrique exercitum modicum assignauerat , iussis ne magno interuallo abscederent, sibique mutuam dum poscerent res præstarent operam. At Hispani ex absentia Regis facturi compendium , vt aduersos duces distraherent , tres exercitus parauerant atque seiunxerant ; quorum vni præerat Franciscus Mellus clarus Lusitanus , alteri Comes Fontanus , tertio Becquius. Atque

De Melos Comte de Fuentes. Bec.

ij dum ad Picardiæ & Campaniæ limites diuisi , hostem necessariò diuidunt ; Mellus in Belgio Lentium capit , Anisij præfecti deditione ; mox Bassæam defensam egregiè , tormentis verberatam , accipit : quo successu elatior , imminebat Caleto , iámque ad Nieuletum clauem vrbis vertebat militem. Verùm Harcurius deprehenso consilio statim occurrit , atque vrbem & castellum præsidio firmat. Eo facto Guichius distabat longius ab Harcurio , atque adeò ab ipso hoste , & magna secu-

Honnecour.

ritate agebat in castris , quarta leucâ ab Honnecuria positis , quod est Campaniæ oppidum. Sed repente securitas in periculum & in perniciem desiit. Mellus relicto Harcurio,magnis itineribus contendit ad Guichium , aggreditúrque incautum, in castris non accuratè munitis. Et ipse Guichius cum Ransauio dimicabat fortissimè , donec à tergo munimentis perfractis, clades passim illata est ; Prætor cum equitatu , viâ ferro partâ , fuga seruatus est ; Ransauius captus , & Roquelaurus , post duos equos in pugnando suffossos ; cæsi in castris bis mille Franci ; quibus licentia pro periculo fuit , pro disciplina mors. Reliquo anno impensæ Harcurij curæ ad opprimenda Melli consilia, & abscindendum victoriæ cursum , vt intra Honnecuriam sua strages staret. Id infortunium Italicarum rerum felicitas re-

Longauilla Derronam capit.

pendebat. Sabaudi Principes Mauricius & Thomas , belli tædio , cum Christina conuenerant ; ac Mauricius nepte ex fratre Victore in vxorem ducta, Nicensem Comitatum assequutus pro patrimonio, ab Hispanis defecerat ; Thomas imperium armorum pro Christina susceperat, & Crescentinum hosti eripuerat simul,copias instruebat à Rege dictus in Italia Prætor Dux Bullonius,cùm repente ob nouam conspirationem capitur, ac Lugdunum deducitur;suffecto in ipsius locum Longauilla,qui capta Nicia,Derronam in Mediolanensi agro oppugnat. Ea altero die potitus , arcem inuadit, validã & munitam,ac defensam numeroso præsidio. Quinquaginta dies oppugnatio tenuit;tormentis,ligone,cuniculis,& impressionibus multis promota;frustra Hispanis ad seruandã arcem connitentibus;quæ dedita est ho-

Tortone.

nesta

nesta & militari conditione. Imò hostes dum toti ad Dertonam satagunt, Verrucâ excidunt; quam Pianessa septimo die in pacta adigit; magna Hispanorum indignatione, quos vtrinque intentos, vtrinque fors belli proderet. LVDOVICVS XIII.

Etenim Richelius peruasurus in Hispaniæ viscera, statuerat Regem in Catalauniam ducere, Perpinianum capere, & Madritum vsque per Aragoniam victam penetrare: perducebátque in euentum consilia; nisi maior vis, maiórque ratio, diuina scilicet, consulta humanitus, arcanâ prouidentiâ peruertisset. Et Rex eo auctore, contra Medicorum valetudini timentium sensum, Martio mense profectus Parisiis, Narbonem venerat, dum Caucoliberim oppugnat Mellerayus. Eam vrbem propugnabat Mortara Marchio cum tribus hominum millibus, & quadringentis equitibus, & externas munitiones strenuè per dies decem tutatus, ab iis pulsus, mox ab vrbe, arcem tradidit deditione, lento itinere per Franciam Pompelonem ducendus. Exin sub Aprilis finem ad Perpiniani muros ductus exercitus; quæ vrbs arce adiunctâ cùm inter Europæ ciuitates validissima sit, & annona ad alimentum putaretur deficere, placuit eam obsidione cingere, ac vi abstinere. Haud multò post Rex cum Richelio in castra se confert; atque otio quàm militiæ propior, ludo tudiculari & venationibus oblectatur; non quidem quod ludo vigilantissimus Rex indulgeret; sed cùm nulla ab hoste formido esset, honesta voluptate interiungebat curas obsidij. Ac securitatem præstabat Hodancurius; qui postquam Bresæus magna pompa Proregis munus auspicatus est Barcinone; ipse penitus Legati nomine in Aragoniam excurrens cum milite, faceſſebat multam operam Hispanis; ac demùm in Catalaunia eorum copias profligabat. Quippe Hispaniæ Rex de Perpiniano vt par erat sollicitus; iusserat Petrum Aragonium, & Marchionem Inoyosam ex toto exercitu seligere bis mille & quingentos equites, mille sclopetarios equis vectos, quos Dracones vocant aliósque sclopetarios totidem; eúmque militem per Catalauniam in Ruscinonenses inducere. Adhuc hærebat ad Caucoliberim Mellerayus; nec erant copiæ quæ accedentes Perpiniano arcerent, vt si Pyrenæos semel attingerent, immunes periculi, in vrbem subirent. Verùm tota Catalaunia triginta sex leucarum spatio erat percurrenda, quod intervallum opportunitatem victoriæ Hodancurio fecit. Nam salutato Barcinone Prorege, raptis mille & quingentis equitibus, hosti occurrens, dum is per viarum angustias ordines soluit, impetum facit in agmen primum, plures cædit, capítque ductorem Vincentium Moram. Enimuerò Hispanus perculsus, ratus totum exercitum iter occludere, retrò verrit; simul Hodancurius Terrallium arcessit, qui à tergo properantem hostem sequebatur; iubétque vt cum tribus peditum millibus, & quingentis equitibus, ipsum adoriatur à fronte; dum à tergo is idem vrgeret, Catalauni ad latera, sic veluti cinctum indagine percellerent atque profligarent. Et consilium euentus excepit, Hispani à tergo, à fronte atque à lateribus impugnati, post leniorem dimicationem, vltrò se Hodancurio tradunt, atque armis depositis capiuntur; numerati ter mille, in quibus plurimi ductores ordinum Nobiléſque; impedimenta, arma,

Perpinianum obsessum.

Hodancurij facinora.

Du Terrail.

LVDOVICVS XIII.

& vexilla capta ; iique Barcinonem ducti sunt, & in varias Franciæ vrbes distributi. Præclaro facinori Mareſcalli dignitas præmium fuit, quam Rex Hodancurio contulit. Ita ſubſidia Perpiniano detracta, & datum ſpatium inducendæ famis ; quam cùm Hiſpani patientiùs ferrent, multa in caſtris noua acciderant. Nam Rex Cimmartij induſtriâ auerſus à Richelio, plurimum viri tædium præ ſe ferebat ; & Richelius morbo tum corporis tum animi æger, diſcedens è caſtris, gratiæ ſalutiſque ambiguus, Taraſconem, quæ Phocenſis prouinciæ vrbs eſt, adiacens Rhodano, comitatu paruo ſeceſſerat ; deinde ipſe Rex conflictatus inualetudine, caſtris pariter relictis, Narbonem venerat, Pariſiósque nondum à morbo recreatus contenderat. Qua in vrbe Perpiniani deditionem accepit. Siquidem Hiſpani iam abſumptis omnibus, quibus ſucci quidpiam ad alimentum eſſet, Auila Flore præfecto, vrbem tradiderant, die nono Septembris, tormentis & cætero commeatu eiuſmodi munitiſſimam. Móxque victoribus patuerant Salſulæ, vt in Ruſcinonenſibus præter Roſam vrbem, omnia Francicæ ditionis forent. Imò ad cumulum proſperitatis Hodancurius ad Ilerdam vrbem feliciter fortiterque pugnauerat. Nam ſeptemdecim peditum millia, equitum quinque, ducibus Torracuſa, Inoyoſa, Leganeſio, & Mortara, ipſe Hodancurius media copiarum parte infirmior, Octobri menſe, conſerto prælio, poſt atrocem dimicationem repulerat, atque Ilerdam ſeruauerat ; mox auctus validis ſupplementis peruaſurus in Aragoniam, niſi Richelij mors interueniſſet. At prius Cimmartij conſilia retexenda.

Perpinianum captum.

Letida.

Cinqmars.

Cimmartij mors.

Ille Effiati filius iunior, animi corporiſque inſignis dotibus, Regi à Richelio traditus atque commendatus, poſtquam in intimam beneuolentiam Regis admiſſus eſt, ſuæ fortunæ vel ambitioni cœpit conſulere, & odiſſe Richelium, per quem à ſperatis Mariæ Nivernenſis nuptiis prohibebatur. Ideò vt ſe contra Richelij auctoritatem muniret, adiunxerat Duces Aurelianenſem atque Bullonium ; & deturbaturus eum quem timeret, perſuadet Ducibus cum Hiſpano fœdus conficere, quod ſequeſtro Fontrallio Madriti clam perfectum eſt. Porrò id fœdus fulciendis conſiliis conquiſitum, eadem peſſumdedit, perditque auctorem : quippe eius exemplum ad Richelium Taraſcone decumbentem cùm perlatum eſſet, id Chauignius properanter ad Regem detulit ; à quo demonſtratâ contrahentium perfidiâ, datus extemplò in vincula Cimmartius cum Thuano, amiciſſimo viro, & ex Italia Bullonius ſimiliter captus ; tribúſque Lugduni deſignati Iudices in criminis pœnam. Poſt inſtructam litem, Bullonius Orangij affinis commendatione, ac Sedano dato in pretium libertatis, dimittitur cum venia ; Cimmartio & Thuano truncantur capita, ipſa die qua Lugduno prodibat Richelius. Atque omnium luctu comploratus eſt Thuanus, qui togatus vir, ex illuſtri familia, alienus omninò ab amici perfidia, vnius ſilentij reus, morte damnatus eſt ; non iniuſtè quidem, ſed miſerè ; tunc vitâ dignior, cùm eam Chriſtiano & piiſſimo ſenſu aſpernaretur, obirétque mortem lætiſſimus, perſpecta mortalium rerum inanitate. At Cimmartius aliis magis quàm ſibi ſpectaculum fuit ; è gratia

Fontrailler.

Chauigny.

Richelij mors.

Principis,

Principis, adoleſcentiæ flore, vſu immodico voluptatum, ad mortem & cum ignominia deturbatus momento. Etenim & ipſe Richelius menſe poſt tertio, die quarto Decembris edidit animam, Chriſtianis ritè ſacramentis, & magno religionis ſenſu communitus. Ob vlcus internum ortum in læuo brachio cùm iam antè decubuiſſet, partim naugio, partim feretro ab Occitania vectus, accedente febre ereptus eſt. Vir ſummus ſupra ſortem priuatam, ac dignus qui cum diademate naſceretur: quippe cùm ſingula ad regendum apta, & ea ampliſſima nactus eſſet, animum, ingenium, prudentiam, laborem, conſilia, ſagacitatem, ſolertiam, inexpugnabilem firmitudinem atque conſtantiam, amorem litterarum, & bonarum artium; quibus doribus Reges euadunt abſolutiſſimi; quáſque ad Franciæ vtilitatem & gloriam, indefeſſo ſtudio conuertit Richelius; & alia conſequutus erat præterea; quæ vt in imperante præclara ſunt, ſic in ſubdito ambigua & ancipitia; cupiditas potentiæ ſummæ, æmulorum & parium, imò ſuperiorum intenta demiſſio atque humilitas; honoris & gloriæ deſiderium immenſum; ambitio faſtigij, & honorifici cultus, qui ad venerationem propè accederet, & cui ſubeſſent Principes Proceréſque; verùm arbiter erit illa dies, poſtquàm inuidiam ætas purgauerit, qua Franci omnium gentium accedent calculis, teſtaturi priuatum hominem apud ſe Richelio parem nullum extitiſſe. Ingenij laudem nemo illi inuiderit; quo in diſciplinas omnes peruaſerat; atque extant in libris quos ſcripſit accuratiſſima monumenta. Litteras & Francicam linguam promouit in apicem, condita Pariſiis Academiâ, vnde velut duces ex equo Troiano, ſic Oratores & Poëtæ clariſſimi ad ætatis noſtræ gloriam prodierunt. Et eodem anno Maria Medicæa Regis mater Coloniæ obierat; poſtquam ex Flandria in Angliam, ex Anglia in eam vrbem venerat; exul propemodùm atque extorris; feliciſſima, ſi primos annos computes: infeliciſſima, ſi poſtremos; tantùm eſt in breuiſſimo vnius vitæ curſu diſcriminis. Piiſſima omninò, & ad bonum prona; niſi Aſtrologorum ineptiis ſtuduiſſet impenſiùs; & regiminis amantior, tutæ & quietæ ſolitudini prætuliſſet vagum exilium. Nec omittendus Epernonius, qui hoc anno ineunte, vitæ ſuo octogeſimo nono, Lochiis obiit; proſperæ & aduerſæ fortunæ tam ſcopus quàm apex; vtraque digniſſimus; quando aduerſa virum fortem probant, non efficiunt miſerum; nec mirum, tam longæuam vitam vtrique ſorti patuiſſe: at ſumma in calamitate felicitas, quod per eam vir antè toto orbe clariſſimus, Deo ſe tradidit, & piiſſima morte vitam honeſtauit. Scriptorem rerum ſuarum Girardum nactus, quod felicitatem iam mortuo cumulauit.

LVDOVICVS XIII.

Maria Regina mors.

Et Epernonij.

Anno 43. Ludouicus Rex, ætatis ſupra quadrageſimum ſecundo, poſt diuturni morbi languorem, die decimo quarto Maij, Sangermani animam piiſſimè egit, ſub rerum ampliſſimarum ſpem, ipſóque in curſu felicitatis aſſiduæ; tam ſanctitudine mortis quàm vitæ laudandus. Etenim cùm in lecto decumberet, & lenta morte carperetur in dies, conſtituto prudenter in futurum regimine, totus in diuina incubuit; nullo dolore, quod vnis Sanctis licet, è ſolio tranſiturus in feretrum; vnicè duntaxat pœnitentia ductus, quod matri moleſtiam creauiſſet; quanquam ea potius Richelij

Regis obitus.

culpa,

LVDOVICVS XIII.

culpa, quàm piissimi Principis fuerit, qui publicos affectus anteponebat priuatis, séque Regem priùs quàm filium meminisset. Ac vitæ mors consentanea fuit; nempe pietate & religione præcipuus, castimoniam & pudicitiam illibatam coluit; quæ laus vti in homine non mediocris, sic in Principe summa, instituto inter Aulæ delicias, & corruptelas familiarium. Magnâ corporis animíque modestiâ orabat in templis; vt plurimi eo spectato se ad meliorem frugem receperint; imò ad sinceram fidem hæretici; Iustus ob eas virtutes cæteráque dictus, & meritò. Nec Christianis virtutibus regiæ deerant; opertus in tegendis arcanis animus, memoria rerum hominúmque mirabilis; vt quem semel inspiceret, longo pòst tempore, inter plures dignosceret; belli & militarium artium studium ingens; animúsque par gloriæ, indefessus in laboribus bellicis, quibus pleraque suas palmas debuit; nam Richelij consilia Rex suâ præsentiâ prouehebat. Vno tamen alteróve, tum naturâ, tum institutione peccauit; quod linguâ tardior, ratiùs & difficiliùs loqueretur; quódque regni regimen administris permitteret, curam amolitus & solicitudinem. Venationi indulgebat effusiùs, quam lusus loco & voluptatum haberet, ab ludo & mulierum consortio alienus; musicam præterea adamauit impensè, cuius artem optimè callebat. Cæterùm nemo Regum à Carolo magno plus contulit Franciæ: Rupellam cepit, hæresi rebellionem & nocendi facultatem eripuit; Francorum gloriam suscitauit, promouítque ad veteres Galliæ limites; vltra Alpes, Rhenum atque Pyrenæos propagatâ Franciâ magna cum laude; vt Pompeio Romano similis, propè è regni finibus meditullium fecerit. Nam Picardiæ, Atrebatum, Hesdinum, aliáque vrbes adiunxit; Campaniæ, Sedanum, Lotharingiam, Brissacum, atque Alsatiam; Delpinatibus, Pinerolium, & Casalium, hoc est Italiæ fauces & libertatem; Occitaniæ, Ruscinonenses, & Catalauniam: & institutis classibus erexit naualem gloriam; ac felicitatis cumulo, posteros genuit, quibus tot ac tanta bona in hereditatem relinqueret. Obiit die quo per Henrici patris mortem regnum susceperat, recurrente post annos triginta tres: fuitque dies sceptri depositi tam acceptus piissimo Regi, quàm suscepti, perito admodùm, quibus imperantis vita ærumnis pateret.

ADDITA

ADDITAMENTVM AD HISTORIAM FRANCICAM.

DECVRREBAT annum ætatis quintum Ludouicus decimus quartus, cùm admotus est regendæ Franciæ, difficillimo bello implicitæ, infans ipse, & in Matris ductu, quæ hactenus à rebus publicis amota longius, pietatis sensibus aptior videbatur, quàm imperio procellas inter administrando. Ea tamen fuit Dei Optimi Maximi in Francicum Regnum amans prouidentia, vt fluctibus sæuientium rerum immersum propemodùm, tandem incolume in portum duxerit, idque in fastigium felicitatis promouerit, vt propagatum amplissimis finibus, domi ac foris tranquillum, beneficiis pacis totum indulgeat. Sed cùm rerum harum dignitas scriptorem exposcat amplitudini suæ non imparem, neque is sim qui tot admirabilitates aggrediar; modulo meo contentus, paucis delibabo capita quædam illustriora, ne planè ieiunus Lector abscedat, & de modestia mea expostulet, si regnum Franciæ à fundamentis deductum propius ad fastigium, in ipso rerum apice illibatum relinquam.

LVDOVICVS XIV.

Post obitas sanctissimo Regi exequias, statim impensæ regiminis curæ; ac quando Monarchicum regimen semper Francis placuit, Regis mortui voluntati derogatum est illicò. Nam Reginæ Quinqueuiros adiunxerat, pari suffragij potestate: visum est administrando regno commodius, si vniuersum regimen, ac tutela filij penes Reginam esset; idque Parlamenti edicto sancitum, Duci Aurelianensi Regis patruo, & Principi Condæo partes designatæ; & Cardinalis Masarinus ad ministerium summum euectus; iam antea Regi à Richelio commendatus, Francicarum peritissimus rerum; qui Reginæ à qua promouebatur, se totum industriámque totam addiceret. Eo delectu aulica ambitio tantisper oppressa; & arma hostilia ad Rocroium pressa.

Siquidem Hispani morientis Regis opportuno casu subleuati, valido exercitu in Campaniæ fines irruperant, & obsidebant Rocroium. Cum adest Anguienius, Condæi Principis filius, Francici exercitus ductor, præ-

LVDOVICVS XIV.

lium conserit, hostémque profligat, egregio militiæ rudimento. Victrices copias Thionuillam ducit, expungitque priorem ignominiam, vrbe ad deditionem compulsa, post expugnationem acerrimam. In Germania Rotnellum vrbem Guebrianus capit, sed saucius, quo vulnere paulò post obiit. Vir palmarum plurium, peritissimus bellicarum artium tam Germanis gratus quàm Francis; ea erat viri humanitas ac liberalitas, per quas maximè fortitudo imperatoria promouetur.

Anno 44. Cùm Monasterij Europa tota per Legatos de pace contenderet, nihilo seciùs bellum gerebatur. In Belgio Dux Aurelianensis, primarius Regis Legatus obsidet Grauelingam, munitissimum ad mare oppidum, capitque post difficilem & cruentam oppugnationem. Interea Dux Anguienius contendebat in Germania. Nam Bauari Vberlingam & Friburgum receperant, & incurrente Anguienio, se ad Friburgum accuratè communierant; ad munimenta biduò pugnatum acerrimè; magna vtrinque clade. Pugnæ honor & emolumentum penes Anguienium stetit, qui Philippoburgum arcem validissimam, nocturna fraude interceptam à Cæsareis, diebus plusculis forti aggressione Francis restituit.

In Italia pax constituitur, Vrbanum inter Pontificem, & Odoardum Ducem Parmensem. Cardinalis Bichius à Rege legatus pacis sequester animos conciliauit, oppressitque bellum, quo tota flagrabat Italia, Venetis & Etrutiæ Duce Parmensis partes tuentibus. Pace confecta Vrbanus moritur, longa administratione & diuturnitate vitæ feliciot, dignus omnium votis qui vltra pergeret. Suffectus est mortuo Cardinalis Pamphilius, dictus Innocentius decimus. At in subalpinis Princeps Thomas, iam partium Francicarum, copiarum Præfectus Astensem arcem recuperat.

In Hispania Catalaunos afflixit victoria à Philippo Silua relata. Per eam profligatus Hodancurius, ac postmodùm ex Catalaunia reuocatus, vna iacturâ plura præclara facinora extinguente: imò redux Lugduni sistitur, & in arcem Petræ scissæ compingitur. Ilerda ab Hispanis capitur, mox futura Ducum egregiorum bello, scopulus & naufragium. At lauream illam redemit magno pretio Hispania; quæ Isabellam Reginam suam funere extulit, præclarissimam feminam, virtute & fortitudine, origine Francicam, sed Hispanam vt par erat, institutione; Rex præ dolore amissæ consortis, integrum diem cibo abstinuit.

Anno 45. Parum admodùm promotum in Belgio, dum in Germaniam & in Hispaniam, vis tota belli incubuit. Nam in Germania Turenius ad Rotemburgum à Bauaris vincitur, dum securius deductis copiis grassatur in hostico. At illicò clades per Anguienium reparata: qui fœderatis adiunctus & Turenio, pugnâ ad Norlingam consertâ, quamquam acerrimâ & cruentâ, attamen vicit, nocte fugam hostium tegente & tuente. In Hispania Harcurius, iam tot palmis celebris, Cantelnum Ducem profligat ad Sicorim, amne fortiter transito: mox Balagueriam capit; per eamque victoriam amotus à Rosa propugnanda Hispanus, datur spatium Plessipralino munitissimæ arcis capiendæ. Motta similiter in Lotharingia capitur, & quidem secundò, iam ante Principi Carolo restituta. Illa geminos Ma-

rescallos

reſcallos experta, vnum confecit, alterum fecit. Nam Magalottus cæſus, dum eam fortiter oppugnat; at Villaregius, Præfectus regendo Principi, & Magolotto ſubſtitutus, Arcis tandem compos, Mareſcallus dicitur. Barberinorum illuſtris Familia, vexata ab Innocentio nono Pontifice, tota ſe in Galliam recipit, tutiſſimum aſylum & inuiolatum perfugium. Et in ea celebrantur regiæ nuptiæ, Ludouicæ Niuernenſis cum Ladiſlao Rege Poloniæ, qui nuper extulerat cariſſimam coniugem Cæciliam Reratam, ex ſtirpe Auſtriaca. LVDOVICVS XIV

Et hic annus memorabilis, & Chriſtianæ Reipublicæ atro notandus calculo, quo à Turcis Creticum bellum inceptum eſt. Nam Turcæ Melitenſibus Equitibus imminere viſi & minari, in Cretam Inſulam improuiſi irruunt, & incautos Venetos aggrediuntur, Canea vrbe obſeſſa. At nuſquam Reipublicæ Venetæ fortitudo eluxit ſplendidius; cùm propemodùm ſolo, & relicta ſuis viribus, tam potentem hoſtem inconcuſſa per annos vicenos quinos pertulit, cúmque ſin minus fregit, detriuit plurimùm, imminuitque fama & viribus.

Interim internecini in Europa belli cauſa ceſſauit, bellum nuſquam deſiit; adeò facilius mouetur, quam compeſcitur, magiſque eſt obuium Iani portas reſerare, quam claudere. Siquidem Chriſtophorus Elector Treuirenſis, iam à decem annis captiuus, ad quem liberandum arma Franci ſumpſerat, libertati & ditioni tandem reſtituitur. Et forſam Torſtenſonij Sueci victoria, relata de Hasfeldio in Bohemia, per quam Cæſareæ copiæ profligatæ, acceſſit libertati momentum non leue. Multæ vrbes à victore captæ, atque iterum Viennam Imperator retruſus.

Anno 46. Captæ plures Vrbes in Belgio; in quibus præcipuæ, Viuoberga & Curtracum; idque à Gaſſione Mareſcallo accuratius communitum; in quo Martis ſedem conſtituit, & vnde ſemper hoſtibus præſens, ſtrenuus & impigerrimus nuſquam ceſſaret. Deſinente Autumno egregiè ſuam operam Anguienius poſuit; per Dunquercam oppugnatam & captam, vrbem maritimam, ampliſſimúmque Flandris emporium.

Interea magna belli moles ruebat in Italiam, Thoma Principe ducente exercitum viginti millium militum, & inſtructa claſſe mare occupante, cui præerat Dux Breſæus, fortiſſimus, maritimarum rerum peritiſſimus, dignúſque qui anunculi Richelij Cardinalis memoriam ſuſcitaret. Vrbes in Etruria iuris Hiſpanici armis his petitæ. Et primo impetu, occupatur ſancti Stephani oppidum, & Telamonis portus; dein ad Orbitellum miles admotus. Sed in eo ſcopulus, in quem Francus impegit. Carolo Gatta Neapolitano fortiter vrbem propugnante, donec Neapoli claſſis aduenit, & ſoluta obſidio eſt, maiore ignominia quàm clade. Grauiſſima iactura fuit in morte Breſæi, qui in Prætoria animosè concitans pugnam, pilâ maioris tormenti cæſus eſt. Quamquam ignominia ſtatim expuncta eſt, Meleræi fortitudine; qui delatus claſſe ad eandem oram, Populoniam ſeu Plombium inuadit, & in Iluam Inſulam ſtatim conuerſus, Portolongonem munitiſſimam vrbem Hiſpanis eripit.

In Catalaunia res Gallica afflicta, ad Ilerdam, fruſtra Harcurij armis tentatam.

LVDOVICVS XIV.

tentatam. In extremis vrbs erat, post quinquemestrem obsidionem. Oppugnabat Harcurius, ductor ille tot palmis celebris; imminebat quidem oppugnanti Leganesius, cum viginti armatorum millibus; sed in Italia sæpius ab Harcurio profligatus, sibi contemptum pepererat, confidentiam hosti. At in Hispania longè felicior, noctu aggressus castra Harcurij, ea perrumpit, ac in vrbem commeatum immittit.

Tam accepta Hispanis victoria fœdata est, morte Principis Balthasaris, qui sexdecim annos natus, & vnicus quidem Masculæ prolis, proximus in tot regna heres, vt præclaris dotibus spem ingentem alebat, sic eam mortuus planè extinxit. Sed & Gallia funus suum luxit, Principis Condæi obitu, qui armis infelicior, longè consilio melior, rei Francicæ consulebat apprimè; lugebítque statim obitum illius Gallia, domesticis malis diuexata.

Anno 47. Leopoldus Archidux, Imperatoris Ferdinandi frater, Princeps bello clarus, & clarior religiosa pietate, Gubernator Belgij, Armenterium & Landrecium eripit Francis. Sed eorum iactura grauior, in Gassionis Mareschalli nece, qui in Lentio oppidulo expugnando, dum sepositò duce militem agit, glande hostili perimitur; tot ante periculis, vel prudenter vitatis, vel fortiter superatis. Sed & tertiùm in Catalaunia impactum in syrtes, nempe in Ilerdam, quam dum oppugnat Anguienius iam Condæus Princeps, propè pari quàm Harcurius fato, ab obsidio remouetur.

Sed hic annus celebrior seditione Neapolitana, cui Panormitana præluit. Nam Panormi cùm Prætor Siciliæ, panem ad mensuram duplò minorem redigeret, idémque de eo vectigal exigeret, plebs tumultuatur, & quodam Perluso in ducem electo, ad arma conuolat. Mox consopitus furor morte Proregis. Longè grauior tumultus exarsit Neapoli, in Proregem Ducem Arcosium, ob vectigalia fructibus oleribúsque imposita: qui tumultus Historiam peculiarem exposcit: mirúmque est Francos, qui tanto ausu à seculo captant regnum Neapolitanum, id capiendi, momento, sponte vel negligentia excidisse. Primus in scena actor Thomas Aniellus, ex infima plebe adolescens, qui intra septem dies, ea facinora edidit, quibus posteritas ægrè fidem habebit.

Anno 48. Leopoldus Archidux Cortracum expugnat in Belgio, receptum illum à Gassione tantoperè communitum; Condæus Ipras capit, vt videretur sors æqua lance partiri victoriam. Verùm æqualitatem turbauit Condæus, pugnâ ad Lencium consertâ, quâ palmam obtinuit. Sed quis credat, huius palmæ fructum legenti Galliæ luctuosum fuisse; quippe Parisiis iam antè eruperant motus causæ Aulam inter & Parlamentum: Eas vt extinguerent, Senatores aliqui rapiuntur in custodiam, dum Aula per victoriam Lentiacam potentiam auget, metúmque abstergit. Sed inde orta seditio, Senatores restituti, & distracti discordiâ intima animi, mox eruptura, maxima regni pernicie.

Interim Cremona obsidebatur in Longobardia, Duce Mutinensi stante à Francis, & obsidionem premente: quæ tamen soluitur, post extinctum Villam,

Villam, fortissimum & pugnacissimum ducem. In Hispania coniuratione Procerum Rex clam impetitur; quæ retecta coniuratos pessumdedit: eorum duo truncati capite, duo perpetuo carcere damnati, quorum alter voluntaria inedia mortem sibi confecit. Neapoli feruebat seditio, iam in totum propemodùm regnum propagata; Guisio Principe intra vrbem recepto, & paucis mensibus præclarum imperium constituente, quod forsitan stabilitum foret, si Franci commodiorem opem contulissent. Ita hoc anno per vniuersam Europam increbuerat Rebellio: nam & Constantinopoli Ianizzarij Visirum summum rebellantes interimunt, ac postmodùm Ibrainum Sultanum ipsum minitantem, vnà cum matre chordâ arcus præfocant. Et de Anglia furente pacatius statim erit sermo. LVDOVICVS XIV.

Attamen Pax inter eos tumultus in Germania coalescit. Iam Batani proximo anno præluserant, qui Francis reclamantibus plurimùm, ac leges fœderis opponentibus, propriam vtilitatem anteponentes alienæ, pacem cum Hispano contraxerant. Nunc Sueci eandem cum Imperatore conficiunt, Francis simul in pacta admissis. Per eam pacem concessa multa Hæreticis, & Sueco in Germania ampla ditio permissa. Obnuntiabat quidem Chigius Legatus Pontificius, sed extorquebat necessitas, & Germaniæ tot bellis oppressæ consulendum erat.

Annus 49. expungendus ex orbis fastis, & nefastus planè, quo per summum & inexpiabile scelus, Carolus Angliæ Rex à subditis damnatur reus perduellionis, & palam Londini capite truncatur. Cromuellus parricidij auctor & promotor; qui deinceps per speciem constituendæ Reipublicæ, cuius moderatorem se fingeret, se præter titulum Regem constituit, imò Tyrannum, iure omni per ambitionem summam abdicato.

In Gallia ne quid simile cogitaret Rebellio, Regina illam oppressura, Regem vrbe noctu educit, ipsámque Condæo duce oppugnare aggreditur. Aliquot Principes Masatino infensi, in quem vt in scopum collineabat tumultus hæserunt Parisiis, ciuésque sponte iam propensos, propulerunt in bellum. Varia sorte hinc inde id gestum est; quo pars vtraque defessa, cùm Hispani euocati iam ad vrbem; placuit pacem admittere; pacata vtcunque seditione; animis tamen exulceratis, & repressis potius quàm pacatis. Condæus in Aquitaniam missus est Gubernator, quam Epernonius administrabat ferocius, & minus ad gentis indolem. Interim per inanes obsidiones, tentata plurima, nihil confectum est. Nam Harcurius Cameraco recessit, Tarracone Franci, Barcinone Hispani, quasi mars totus in rebelliones incumberet, iustis bellis omissis.

Anno 50. Turbæ in Francia consopitæ in speciem, exurgunt vehementius. Condæus Princeps datur in carcerem, simúlque frater Contyus, & sororis coniux Longauilla, trium Prouinciarum Gubernatores; plaudentibus Parisinis, dum obsidionis proximæ meminerunt. At ciuile bellum in de instauratur; præsertim in Aquitania, Burdegalensibus pro Condæo suo Prætore certantibus. Regina cum exercitu aduolat, obsidetur Burdegala Meleræo ductore; sed cùm lentiùs progrederetur obsidio, Regina data amnissia pacem extorquet. Mox Turenius, Condæum propugnans ad

LVDOVICVS XIV.

Retelum vincitur. Per quæ Principum carcer ter mutatus arctior putabatur & tutior.

Foris interea res Francica laborabat (nam spiritus Marsij ad leuamentum cordis euocati) Quippe Hispani in Italia, Plombinum & Portumlongam in Ilua recipiunt: mox plura recepturi, vigiles occasioni incumbere, quæ sit propitia.

Etenim Anno 51. Condæus sociique Principes, soluuntur è custodia; iisdem propè libertatis auctoribus, captiuitatis qui fuerant. Sed detiuatum ab iis periculum in Cardinalem Masarinum ruit; qui non quidem compactus in carcerem, sed in exilium; fuga seu recepto sibi consulens, dum edictis Curiæ laceratur; primò Sedanum, mox Coloniam sè & spem certam recipiens.

Per eius absentiam Rex delibato ætatis anno decimoquarto, iuxta regni mores, sui regiminis & totius regni compos, magna celebritate declaratur in Curia. Aberant Principes Condæus & Contyus, qui discrimen incusantes carceris noui, secedunt Burdigalam illè, hic ad Bituriges, bellúmque instaurant. Cuius belli appendix magnam conuersionem in Catalaunia peperit. Eam administrabat Marsinus Leodiensis, dux marte præclarus, & Condæo Principi planè addictus. Ad eum aduolat promoturus bellum, abducit à Catalaunia copias, & planè examartam Hispanorum vindictæ obiicit; qui illicò totis viribus Barcinonem oppugnant.

Eas inter angustias Regina Regi non defuit; ea quipe clauo semper affixa, rem publicam vti prius regebat. Harcurium mittit, qui Condæum reprimeret; quod egregiè præstitit, per geminum prælium profligatum: eadémque Hodancurium in Catalauniam, sed copiis destitutum, qui pereuntem prouinciam solo nomine & amore gentis saluti restitueret. Et in eo contendebat fortius; dùm grauiter vulneratus in acie, Barcinonem & Catalauniam miserè suo vulnere afflixit. Hæc intus & foris: dum iterum turbæ in Gallia, & grauiores quidem recrudescunt, insperato Masarini Cardinalis reditu.

Anno 52. Cùm feliciter admodùm Regis arma, ductu Harcurij in Aquitania progrederentur, ecce Cardinalis Masarinus, Regina arcessente, stipatus exercitu redit in Franciam, & fremente frustra Parlamento, Regem adit Pictauij. Continuò plures prouinciæ in Regem consurgunt, Harcurius relicto exercitu, Brissacum secedit, ac nisi prospero euentu captum esset Andegauum; periculum erat, ne Rex gemino hostium exercitu interciperetur. At Condæus Parisios venit, audaci per medios hostes itinere, bellum gesturus, & fortitudine sua incensurus: Hinc omnia misceri, & fœdè in Francia conturbari; pugna Stampensis, quâ victores regij; alterâ ad suburbium sancti Antonij, bellum profligabant; nisi Condæus præclarè dimicans, vrbe exceptus esset, tanquam victor. Mox Parisina ad Basilicam vrbis seditio, quâ ædes publicæ, planè innoxiæ, tantùm non arserunt; & permissùm tumultui, quidquid intenderet. At plerunque bona è malis nascuntur, fœditas seditionis Ciues excitat meliorum partium, ad Regem vrbe excipiendum. Res conficitur, ingenti omnium plausu

Rex

Rex Masarino comite Lutetiam subit ; ac iam Rex vrbis compos primatiæ, ciuitates reliquas in officium mittit.

Eas inter turbas iacturam grauem foris patitur Francia: nam præterquam quod Condæus ad Hispanos deficiens, oppida duo inuaserat in Campania, Retelium & Sanctam Menehildem Hispani pluribus in locis vrbes summi momenti recipiunt : nempe in Belgo Grauelingam & Dunquercam, Barcinonem & in ea totam Catalauniam; Casalim in Italia, tot ante bellorum facem, eámque Mantuano Duci permittunt. Sanè is annus Criticus Franciæ fuit; quæ è grauissimo morbo, & propè lethifero ; diuina ope tandem conualuit ; ita tamen vt infirmitatis reliquiæ diù laborantem vexarent.

Anno 53. Ciuile bellum gemino exercitu profligatur, in Aquitania, & in Campania. Contyus Princeps occupabat Burdegalam, & in eam compulsus, ægrè partes defendit. Similiter in Campania exagitatur Condæus ; duásque vrbes Regis copiæ expugnant, Monsonum & Sanctam Menehildem. Iam Masarino ad primam auctoritatem regresso, quam nouis vsque incrementis incolumem ad extrema fata deducet.

Anno 54. Ciuile bellum in Gallia consopitur, eáque reuocata ex tumulo primas vires recuperat. Aquitaniam cum Burdegalensibus addicit Regi Contyus Princeps, ducta in coniugem Masarini nepte ; fuitque in posterum tanta in Regem fide, quanta pietate in Deum similiter Harcurius Regi se adiungens, Brissaco abscedit : quid enim tam præclara facinora vnâ absentiâ macularet. Ipse Rex solemni pompa Rhemis inauguratur ; Atletam dixeris cœlesti inunctum oleo ; adeò simul calamitatibus primis defunctus, ad continuas prosperitates surrexit ; iam dignus ampliſſimis rebus, quas experimento aduersarum redemerat.

Nam Stenæum in Lotharingia capit, quod obtinebat Condæus ; ducibus militibúsque certatim pugnantibus sub oculos Regis. Sed maximè vis rediuina Franciæ enituit in seruando Atrebato, quod ab Hispanis & ab ipso Aondæo totis viribus oppugnatum, & actum ad extrema, conserta pugna seruatum est, perfractis oppugnantium munimentis, & egregiâ ex fugientibus palmâ. Quod facinus patratum, die festo sancti Ludouici. Imò vt hostis instauratas Franciæ vires & suo damno experiretur ; expeditio Neapolim versus susceptа à Guisio. Sed paulò infelicior, cùm post captum Castrum Marinum abscedere cogitur : ita semper Neapolis Francis infausta.

Anno 55. Eadem sorte quàm proximo anno bellum Franci gerunt in Belgio, & in Italia. Quippe vrbes in Belgio capiunt situ commodas, & munitionibus tutas, Landrecium, Condæum, Sangisterum, aliáque oppida. Sed ad Ticinum spes cum rebus fractæ. Vrbem obsidebant Alphonsus Dux Mutinensis, Princeps fortitudine & amore in Francos insignis, Thoma Principe expeditionis comite. Sed coacti oppugnatione abscedere; siue rarâ inter æmulos imperantes concordiâ ; siue fato quodam vrbis, Francos repellentis.

Eodem anno Respublica Christiana Innocentio Pontifice mortuo imminuta, per Alexandrum septimum in spem summam euehitur. Is Cardinalis

LVDOVICVS XIV.

dinalis Chigius, diù in Germania Nuntius, & vel ipsis Hæreticorum suffragiis Thiara dignissimus.

Anno 56. In Flandria varia sorte geritur bellum, Francis paulò infelicius: quippe Ioanne Austriaco Flandriam gubernante, & Condæo Principe propugnante, retundebatur Francorum impetus. Sanè ij ad Valencenas repulsi, soluta obsidione non sine clade; & repensum Atrebatum. Dein Condæum victoribus cessit. Italia fortunatior Francis, quibus post longam & difficilem expugnationem cessit Valentia; Duce Mutinensi pro Francis egregiè se gerente: Eaque est in Mediolanensi tractu Valentia, quæ bis ante tentata, inuicta perstiterat: adeò sunt sua Vrbibus fata. Eodem anno Christina Regina, summo plausu & pari admiratione in Gallia visitur atque excipitur, deducente Guisio Principe. Ea percelebris orbe vniuerso per Suecicum regnum sponte depositum, & cœlo clarior per abiectam paternam auitámque hæresim, pacem confectura, Regem inuisebat. Sed fructus ille cœlo terris dandus, nondum maturuerat. Interea Regina Parisiis, gratulatione omnium Ordinum excepta, ingenio & doctrina supra Principem feminam, stupori omnibus fuit.

Anno 57. In Belgio vt in Martis ludo, bellum variè actum. Nam Hispani Sangillenum capiunt, & Cameracum certo exitio liberant. Verùm in maritimo tractu pluribus oppidis spoliantur, vbi Franci Anglis adiunctis ex æmulatione pugnabant alacrius. Etenim Cromuellus iam Angliæ & regnorum compos, ab Hispanis diù sollicitatus ad fœdus, ad Francos accesserat, & illuem in castris gentes olim inimicissimæ, bellum promouebant. Per appendicem Mommedium oppugnatum à Francis, & sub iugum missa arx validissima.

Anno 58. Maritima Flandria Hispanis exitio fuit: nam ij pugnâ ad Dumquercam victi; Dumquerca mox reddita: simili imperu Grauelinga à Francis recepta; quibus fausta omnia. Verùm, vt res humanæ sunt, eam felicitatem alterum maculauit, alterum interpellauit. Nam Dunquerca ex fœdere Anglis est tradita, & Rex ancipiti morbo laborauit, per quem ad extrema actus est; ad periculum graue tota Francia contremiscente. Attamen conualuit, suisque & sibi redditus, Lugdunum se contulit, vbi perhonorificè Sabaudiæ Principes excipit. Forsan acturus de matrimonio, nisi spes augustior de ineunda per coniugium pace, animum vertisset in Hispaniam.

In Italia res non improsperæ: Villa Marchio dux bello præclarus, patri nusquam absimilis, Trinum receperat; & Mortaram expugnarat Dux Mutinensis, Francis inuicta fide addictissimus: sed illæsus inter Martis tela, morbo absumptus est; Princeps dignior, cuius Franci semper cum laude meminerint.

Anno 59. Deo tandem animos Principum conciliante, & in pacem flectente, ea tandem Francum inter & Hispanum coaluit, admirabili consensu partium, vtraque gente diuturno & internecino bello iam defessa, & penè obruta. Administri tam exoptatæ felicitatis Masarinus, & Ludouicus Haro; ille Francicarum rerum dux & caput, hic Philippi Regis boníque publici

publici compos & custos. Locus Insula in amne Vidosa, quam Phasianorum vocabant, in vtriusque regni limite: tempus tam arduæ rei constituendæ, trimestre spatium, ab Idibus Augusti ad Idus nouembres, cùm diebus singulis in paratum conclaue hinc inde conuenirent Feciales clarissimi. In conuentibus pacta, pacísque, si Deo placet, firmissima vincula, sunt argumentum Historiæ. Vnum in iis Ludouico Regi acceptissimum fuit, quo Mariæ Teresiæ in annum proximum promissæ nuptiæ, quæ Philippo Regi ex priori coniugio nata, formam egregiam, regiásque virtutes in appendicem dotis afferebat.

Anno 60. Dum exoptatus coniugij dies expectatur, Ludouicus Rex Prouinciam lustrat, & euersis Arausij munimentis, vbi hæresis receptaculum & castrum posuerat, ciues aliquot tumultuantes pellit Massiliâ, & vrbem summi momenti in veram libertatem asserens, arce erecta munit; vnde & bonis ciuibus tutamen assurgeret, & malis, si qui forent, metus & frænum. Mox vere medio reditur ad Insulam verè Fortunatam, vbi Rege Hispaniæ Teresiam ducente, pax iureiurando Regum sancitur, celebrantur nuptiæ, sponsa sponso traditur; ac per amica Regum colloquia, & gratulantes vtriusque Regis salutationes, vtrinque discessum est; Gallia longè opulentiore, quod Reginam ornatissimam obtineret, detractam Hispaniæ. Ea mox Parisiis celebritate summa excepta est; effusis in omnem pompam gratúmque gaudium ciuibus; apud quos triumphabat Rex; tam de parata coniuge, quàm de pace parta, & bello profligato. Vnus Gasto Dux Aurelianensis publicam lætitiam tantùm delibauit, morbo raptus Blesiæ; in quam vrbem secesserat, post restitutum Regem Parisiensibus. Iam turbarum pertæsus, & seriò conuersus ad salutem animæ, agebat tutam & priuatam vitam, publicarum rerum sponte expers, suauioribus curis intentus.

Idque Regum fœdus pacem in Europa constituit, quasi Mars à potentissimis expulsus Regibus, non haberet vbi pedem figeret, compulsus ad Thraces in Creta bellum mouētes sese conuertere. Quis credat & in Anglia pacem constitutam: & serenitatem post atrocissimas procellas redditam; In eam tamen euocatus Rex Carolus, eo nomine secundus, & collocatus in solio, Monquij Scoti ductu atque prudentiâ; Cromuelli flagitiis iam tandem irritis, & Regia potestate, quam illa euertebant, altius & firmius stabilitâ.

Anno 61. Masarinus Cardinalis, in saltu Vicenarum, longo & difficili morbo vitam claudit, illustrem in paucis, fortunæ oppugnantis scopum, & triumphum expugnatæ. Obiit in Regis indefessa beneuolentia; quasi post pacem assertam, nihil dignum esset, quod in orbe terrarum ageret. Præclaras inter dotes quæ politicæ sunt, vnâ maximè quæ Christiana est, imò & politica, memorandus, quod inimicis infensissimis parceret, vltionem in potestate haberet, illísque sua duntaxat felicitate innocentem crearet molestiam: per quam tutus clementiam, summis vitæ periculis domi forísque oppressis, sicca morte magnâ gloriâ obiit.

Rex continuò clauum regni capessit, regítque tanta prudentiâ, solertiâ, scientiâ, & vigilantiâ, vt qui tyro & regiminis nouus putaretur, illicò ve-

LVDOVICVS XIV.

teranus, & peritissimus difficillimæ artis, spectante Europa & demirante, animos omnium in se conuerteret: iámque est adscriptùm modestiæ in Rege adolescente planè admirandæ, quod viuo Mazarino à rebus publicis abstineret, ne alienum ductum interturbaret. Ex eiusdem Cardinalis mente, erectum est Tribunal in Quæstores regios, & publicos vectigalium redemptores, quorum plures in communi bellorum clade, indulsisse nimium suis commodis postulabantur. Summus ærarij Præfectus, vir præclaris instructus dotibus, sed forsan supra priuatum magnificus, hac procella iactatus, nondum emersit.

At Pax è tam graui morbo conualescens, propè oppressa est, per inconsultam Legati Hispani in Anglia fortitudinem; qui Legatum Francum priore incedendi loco per vim depulerat. Iniuriæ sensum extinxit Rex Hispaniæ, annuens vltrò Francorum Regi, quod ardentius, & bellum minitans postularet. Delphini ortus, Nouembris initio, lætitiam publicam cumulauit; additamentum regni auspiciis fortunatissimum, & coniuges inter arctissimum beneuolentiæ vinculum.

Nec prætermittendum, quod eodem anno quo Mazarinus, Ludouicus Haro, consors stabiliendæ pacis, Madriti obiit; quasi sociati tam augusto fœdere, neque ipsa morte dissociari potuerint.

Anno 62. Parisiis certamen ludicrum instituit Rex, speciosâ vestium & equorum pompâ, in quo Principes Procerúmque præcipui, in agmina quatuor turmatim diuisi, mirificâ palæstrâ corporis decurrerunt. Nec ideò minus commodis regni inuigilabat Ludouicus: nam & aliquot prouincias frumenti penuria laborantes recreauit regia liberalitate: & Dunquercam redemptam pecunia, Gallicam & Catholicam perfecit, iis dimissis, vnde ab hæresi religioni erat periculum. Ea inter læta vnum occurrit molestissimum, quod Dux Crequius Franciæ apud summum Pontificem Legatus, per nefandam iniuriam violatus est, Réxque adactus flagitij tanti pœnas repetere.

Anno 63. Celebritate magna institutæ nuptiæ Ducem inter Sabaudiæ & Franciscam Valesiam, Ducis Aurelianensis filiam, Rege consobrino dotem magnificè præbente, vt iam sorori præbuerat, Principi Etruriæ nuptæ. Sed optatissimum matrimonium gemina morte solutum statim, & dolore obrutum; fato immaturo Valesiæ, & obitu Christinæ Ducissæ Sabaudiæ. Quæ femina, virili prorsus animo & constantia, prosperis aduersisque elata & depressa, inconcussam fortitudinem exhibuerat, cæteráque dotes planè regias, & pietate vera imbutas.

Parisiis solemnis legatio Helueticæ gentis excipitur; in qua pristina fœdera Franciam inter & Heluetios, instaurata, & iureiurando sancita, principe legationis nato annos centum & quindecim, habente orationem ad Regem; tot annis vires animi corporísque parum frangentibus. Noua in Francia, frigida admodùm in America Septentrionali prouincia, ingens, & inauditus iis in tractibus Terræmotus, per aliquot hebdomades dirè grassatus est, immensum terræ spatium, quà porrigitur ad Oceanum corripiens. Sed obseruatum, quod id monitum potius quàm supplicium foret,

Dei

Dei comminantis non punientis, qui saluti hominum parceret, in hoc elementorum tumultu, & naturæ perturbatione. LVDOVICVS XIV.

Anno 64. Pax inita Alexandrum inter & Regem, post multas hinc inde verborum querelas, & bellum à Rege apparatum serio, cui sensus pro grauitate iniuriæ animo altè insederat. Cardinalis Chigius Pontificis ex fratre nepos, Legatus in Franciam venit, Crequiúsque Romam reuertitur; alter pacem tutam constituens, alter constituram exhibiturus.

In Germania vno prælio confectum est difficillimum bellum, quo Turcæ Leopoldum Imperatorem premebant. Ea pugna ad Rabum amnem pugnata, qua duce Monte cucullo profligati sunt Turcæ. Nec leue victoriæ momentum Francorum copiæ, quæ à Rege in auxilium missæ, & roboratæ Nobilium adolescentum fortitudine, nutantem aciem confirmarunt, & certantes egregie præcerpserunt palmam. Quâ fracti hostes inclinarunt ad pacem, eámque admiserunt; seruatis tamen quas ceperant vrbibus, Varadino & Neuhausselio.

Anno 65. sub finem anni præcedentis visus erat Cometa ingens, Astronomis atque Astrologis, vera atque inania dicendi materia. Rursus hoc anno alter comparuit, instauraturus obseruationes, & rerum humanarum sortes, si superis placet, mutaturus in deteriora: quasi sine Cometis desint orbi suæ calamitates, & ad prænuntianda Principum funera, characteres ignei describendi sint in cœlis. Sanè famem non significabant illi Cometæ, præsertim in Gallia; in qua in hunc annum septuagesimum tantùm frumenti & vini lectum est, vt copiâ laboretur, & minus pretiosa sint quæ abundant.

Interim Philippus quartus Hispaniæ Rex desinit viuere, insigni in doloribus patientia, & sub exitum, quod beneficium Dei maximum est, totâ mente in Deum conuersus. Successit pénè infans Carolus secundus, sub tutela Matris Mariæ Annæ, quæ soror Leopoldi Imperatoris; quæque ingens animo & materno sensu, Regni administrationem fortiter gerit, & educationem Regis amanter suscipit.

Anno 66. Francia statim in luctu fuit, ob mortem Annæ Reginæ, quæ diutino & molesto morbo vexata, eam animi constantiam & fortitudinem iacens exhibuit, quas stans inconcussa inter sæuientes procellas tumultuum, iam antè ostenderat. Bellum interea flagrabat Anglos inter atque Hollandos; iique maritimo prælio superati; mox vrgente Episcopo Monasterienſi, & copias admouente, agebantur in periculum graue. Cùm Rex fœderatis laturus supperias, eorum causa bellum Anglis indicit, & copias ad retundendos Monasterienses, in Hollandiam mittit. Quo fructu, docet non multò post pax concessa; per quam liberati ab hoste gemino Batani, futuri in posterum memores huius beneficij.

Anno 67. Bellum Rex in Belgio gerit. Iam à Philippi Regis obitu, iura in Belgio Reginæ vxori debita postulauerat à Regina Hispaniæ. Quibus non impetratis, ad arma Regum causidicos conuolat, copias ipse in Belgium ducit, & tam Marte quàm consilio præclarus, vrbes plures capit, Insulas longa obsidione oppugnat, Marsinum in fugam agit; perre-

LVDOVICVS XIV.

cturus vlterius, nisi interceſſiſſet ſummus Pontifex, & belli vim paternis precibus repreſſiſſet. Is Clemens IX. qui hoc anno Alexandro VII. nuncupatus ſucceſſor, ad Cretam liberandam totum ſe addicens, paci inter Chriſtianos conficiendæ ſtudebat. Atque Hollandi, quo animo Politici cenſeant, ad pacem Regi ſuadendam tergeminum fœdus conciliabant, Reges inter Angliæ & Sueciæ, quorum ipſi nexus erant & vinculum: puto arbitrati nihil pace eſſe optabilius, per quam nuper tanto erant defuncti periculo.

Anno 68. Ianuario menſe, ſed hyeme tepidiore, quaſi Regis faueret conſiliis, ipſe vna alteráve hebdomade, inuadit Sequanos, & bello illato ſibi adiungit. Dolam vrbem primariam ſubita oppugnatione perterritam, præſens & copias regens, ad deditionem compellit; mox euerſis muris & abductis machinis, prouidet ſecuritati in poſterum. Neque ea expeditio obfuit paci, de qua conuentum, ſequeſtro Clemente Pontifice; reſtituti Sequani, & ſeruata parta in Belgio. Sed quoniam Francis bellum vno anno geſtum, promulſis Martis videbatur non cœna; plerique Nobiles, Feullada vel ducente vel præeunte, Cretam in Inſulam nauigarunt, vrbem primariam erepturi Turcorum armis, vel impetum tardaturi. Interim Turenius Mareſcallus, poſt bellum Belgicum, quod ſub Rege adminiſtrauerat, Caluinianam eiurans hæreſim, Catholicam fidem amplectitur, ſummo Franciæ gratulantis gaudio; palmarúmque plurium Imperator, hac vna maximè coronauit ceteras, & ſtabiliuit.

Anno 69. Copiæ frequentiores magna Regis cura in Cretam dimiſſæ; claſſis præfecto Duce Belfortio, & Naualio Duce exſcenſionis præpoſito. Pugnatum noctu ad vrbem Cretam; primò tam forti & proſpero impetu, vt hoſtis perculſus iam fugam agitaret. Sed repentino caſu, quo exarſit tormentarius puluis, conuerſi illicò omnium animi; terrore Panico Franci terga illicò vertunt; at Turcæ receptis animis inſtant cedentibus: multi Nobiles relicti à milite occumbunt dum fortiter pugnant; in quibus Dux Belfortius, tot ereptus Martis periculis, vitam intrepidam morte claudit fortiſſima. Pugnatum mox iterum ac tertiò, Francis priſtinum robur reuocantibus, ſed primâ occaſione deperditâ, hoſtis inualuit, ac tandem vrbem adegit ad deditionem; pace ſimul Venetis parta, poſt arduum & honeſtiſſimum bellum, quo per annos plures defuncta eſt Reſpublica, ſua ingenti gloria, & ſpecimine generoſitatis infractæ. Apparabantur nouæ in Francia copiæ, Rege delectui ſtudioſè incumbente, cùm pax inita arma excuſſit, & ab vniuerſa Europa bellum exulauit.

Anno 70. Hyems ſæuiit, admodùm aſpera & diuturna, per quam vites extinctæ, & frugiferæ arbores, olearum maximo detrimento, quas ſoli ſitus cœlíque temperies, ab vrente gelu non vindicarunt. Rex amico & benigno itinere profectus in Flandriam, cum Regina & Delphino, ſubditos nouos inuiſit, ſpectaculum gratiſſimum iis præbiturus in familia regia; tum opulentâ munificentiâ dona ſpargens, & liberalitate Regem ſe exhibens.

Hæc gaudia, vt in humanis ſolet, mors abrupit. Clemens IX. Pontifex

tifex Maximus, ingenti luctu piorum omnium vita exceſſit; dolore vt creditur Candiæ vrbis in poteſtatem Turci redactæ. Huic ſuffectus Cardinalis Altierus, cui Clementis Decimi appellatio placuit; annis quidem grauis, ſed viribus vegetus, & oneri tanto nuſquam imparibus. Sed & mors propius afflixit Franciam, rapta Principe Ducis Aurelianenſis vxore; in flore ætatis, auctoritatis, & gloriæ: adeò in mortalium rebus, nihil tutum & ſtabile, nihil à caſu remotius. LVDOVICVS XIV.

Belli etiam ſcintillæ in Franciam diſiectæ, & in proximam Lotharingiam. Rebelles in Viuareſiis, victi, profligati gemino prælio, & in pœnam plures abducti: Regis inconcuſsâ felicitate, & militum vincentium fortitudine. Quarum vtraque eluxit in Lotharingia ſubigenda; Rege iuſtiſſimo in præmia, & in minas, vbi æquum fuerit, incumbente.

Sed fuerit ſatis, vberrimam ſegetem Hiſtoriæ delibaſſe, & ampliſſimam ſcribendi materiam, ſcriptori tantis rebus pari commonſtraſſe.

FINIS.

INDEX RERVM.

Numerus paginam indicat.

A

Ad Dduam pugna. 112
Albertus Cardin. 560
Albinius victus & captus. 96
Alenſonius proditionis damnatus. 6
Alenſonij Ducis pœna 30. & Armaniaci. ibid.
Alenſonius Dux in Belgium. 419. 426
Ambianum ab Hiſpanis captum. 561. receptum à Rege. 562
Amboſius Cardinalis. 88
Amboſij Cardinalis mors. 116
Amboſiana coniuratio. 306. & ſeqq.
Ancræi mors. 593
Angeriacum obſeſſum. 369
Anna Caroli VIII. coniux. 57
Anna Regina. 83
Annæ Reginæ mors. 139. 141
Apes in bellum vocatæ. 546
in Aquitania ſeditio. 619. 626
Arcenſis pugna in Normannia. 491
Arduenna ſubacta. 270
Arelate Henrico IV. dedita. 530
Aruerniæ Comes damnatus. 579
Atrebatum captum. 636
ad Auilianam pugna. 609
Aumontij mors. 515
Aurelia obſeſſa à Guiſio. 334
in Azores claſſis miſſa. 427

B

BAiardi certamen. 92
Baiardi virtus. 101
Baiardi facinus. 138
Baiardus ſeruat Campaniam. 157. moritur. 176
Balua Cardinalis. 25
Barrieræ tetrum facinus. 536
Barrij mors. 529
Bellaius Legatus in Anglia. 200
Bellaij Langæi mors. 228
Bellaqueanus conuentus. 310
Bellouacum ſeruatum à feminis. 29
Benearnium Catholicos admittit. 595
Berulli Cardinalis mors. 608
ad Bicoquam pugna. 166
Bironis coniuratio & mors. 573
Boniuetus ab Italia pulſus. 175
Bononia capta, Ferraria ſeruata. 120
Bononia ab Anglo capta 239. & bellum cum Anglo. 240. & ſeqq.
Bononia ab Anglis reddita, & pax. 247
pro Bono publico bellum. 14
Borbonij in Franciſcum coniuratio. 171. & ſeqq.
Borbonius Cardinalis. 512
Breſæus mari pugnat. 638
Briſſaci clades. 237
Briſſaci geſta in Pedemontio. 275. 294
Briſſacum captum. 628
Briſſoni Præſidis cædes. 519
Broagium captum. 416
Bullionius veniam impetrat. 579
Burdigalæ ſeditio repreſſa. 246

C

CAdurcum captum. 422
Caietanus Legatus in Francia. 496
Calcaria pugna. 137

Caletum ab Hiſpanis captum. 559
Caluini hæreſis. 303
Cameracenſe fœdus. 111
Cameracenſis pax. 297. & ſeqq.
Cameracum ab Hiſpanis captum. 551
ad Carignanum pugna. 610
Carnutenſis pax. 349
Carnutum captum ab Henrico IV. 510
Carolus VIII. Rex. 49
Carolus bello agitat Britanniam. 51.
pax. 56
Caroli bella in Anglos, & Maximilianum. — 58
Carolus Rex in Italia. 63
Carolus VIII. Florentiæ receptus. 64. 65. —
Carolus VIII. Romæ exceptus. 66
Carolus VIII. Rex Neapolitanus. 67 —
Carolus in Franciam redit 71
Carolus VIII. in Pedemontio. 75
Caroli VIII. conatus pro regno Neapol. irriti. — 79. 80
Caroli VIII. pietas. 81. & mors, caſtitas. — — — 82
Carolus IX. Rex. 316
Carolus IX. maior. 337
Carolus IX. per Franciam ductus. 339.
Baionam venit. 340
Carolus Meldis prodit inter Heluetios. 344
Caroli IX. morbus & mors. 395
Carolus V. Imperator. 151. & 152 —
Carolum inter & Franciſcum diſſenſio, & cauſæ. 154. inter eos primum bellum. 155. in Nauarra, &c. 156
Caroli & Franciſci odia, & prouocatio. — — 191
Caroli in Franciſcum querelæ. 208. & oratio. — —
Carolus Prouinciam inuadit. 212. & ſeqq. — — —
Caroli Imp. per Franciam iter. 224 —
Carolus & Franciſcus litteris pugnant. 229 —
Caroli fœdus cum Anglo. 231
Carolus irrumpit in Campaniam. 236
Caroli Imperatoris abdicatio. 278
Caroli Burgundi Conſilia. 31. 33
Carolus Burgundus, bis ab Heluetiis victus. 38. ad Nanceium occiditur. 39.
Caroli Ducis Aquitaniæ mors. 28
Caſalis à Toiraſio propugnata. 611
Caſalis capta à Briſſaco. 276
Caſtilonius in Normannia. 331
Caſtilonij Admiralij fortitudo. 368. 370. cædes. 379
Catalauniæ & Portugalliæ defectio. 639 —
Catarina Regina ſub Carolo. 317
Catarina in Hugonotos propenſa. 318
in Catarinam conſpiratio Procerum. 393
Catarinæ Reginæ mors. 473
ad Cerizolam pugna. 233
Chaſtelli parricidium. 545
Cheraſcenſis Pax. 613
Cimmartij mors. 646
ad Ciriniolam pugna. 97
Claudiæ Reginæ mors. 178
Clemens VII. Pontifex. 175
Cliuenſis Dux belli cauſa. 226. & ſeqq. — —
Comitia Regni ſub Ludouico XIII. 591. — —
Comitia ſub Henrico III. 465
Comminius ad Ludouicum accedit. 29
Condæus Aureliæ comprehenſus. 312
Condæus verſus Lutetiam. 329
Condæus exercitum inſtruit. 407
Condæi principis mors. 457
Conſaluus dux magnus. 77
Conſalui fortis patientia. 93
Cotracenſis pugna. 449. & ſeqq.
Crequij mors. — 630
Creſpiacenſis pax. 237

INDEX

D

DElphinus Scotiæ Rex. 291
Delphini mors & Franciſci conſtantia. 215
Delphini natiuitas. 631
Diana Pictauienſis. 237
Dianæ Pictauienſis fauor. 244
Dinantium captum. 271
Dola obſeſſa. 624
Doriæ à Francis defectio. 194
Dragutus Pyrata. 267
Drocenſis pugna. 330

E

EDuardus Franciam impetit. 35. & ſeqq.
Epernonij exercitus. 442
Epernonius graui periculo liberatus. 463
Epernonij diſceſſio. 488
Epernonius abſcedit è Prouincia. 555
Epernonij mors. 647

F

FAmes Pariſienſis. 503
Faræ obſidio. 421. 558
Ferdinandus Neapolim capit. 77
Ferdinandus Nauarram occupat. 131
Ferdinandi Hiſpani mors. 148
Feuquerij mors. 635
Fontarabia capta. 160. ſeruata. 169. recepta. 174
Fontarabia liberata. 630
ad Forum nouum pugna, *Fornouo.* 73
Franciæ ſtatus poſt Regem ad Ticinum captum. 184
Franciæ Legatus cum Hiſpano contendit. 296
Franci Neapoli pulſi. 100
Franci Mediolano pulſi. 129
Franci Neapolitano regno pulſi, poſt Lautreci mortem. 195. & ex Inſubribus pulſi. 197
Franciſcus primus Rex. 141
Franciſcus primùm in Italia. 142
Franciſcus Belgium inuadit. 158
Franciſcus ſecundò in Italiam tranſit. 178
Franciſcus Neapolim copias mittit. 180
Franciſci Regis captiuitas. 184
Franciſcus in Hiſpaniam ductus, ægrotat. 186
Franciſcus liber mouet bellum in Carolum. 188. & ſeqq.
Franciſcus Rex conciliat Germanos. 200
Franciſcus Rex in Sabaudiæ Ducem. 205
Franciſci fœdus cum Solimanno. 221
Franciſci laus. 222
Franciſci Regis mors. 242. & dotes. 243
Franciſcus II. Rex. 299
Franciſci Regis mors. 313
Franciſcus Dux Mediolanenſis. 146

G

GArcilaſſus Vega. 214
Gaſtonis Phœbi mors. 46
Gaſto Fuxienſis. 123
Gaſto Brixiam recipit. 125. Cæſus. 128
Geneuæ rebellio. 205
Genua ſubigitur à Ludouico XII. 105
Genuæ ſitus. 107
Genua Francis erepta. 168
Genuenſe bellum. 601
Germanicus pro Hugonottis exercitus. 359
Guebrianus Lamboium vincit. 643
ad Guenegaſtam pugna. 45
Guiſiorum in Francia domus. 248
Guiſius in Italia. 281
Guiſius Caletum capit. 289
Guiſij vulnus, clementia, mors. 335

Guiſiorum expoſtulatio. 338
Guiſij cædes. 467 & ſeqq.
Guiuus ad regnum admotus. 533

H

HÆreſis in Francia ſub Franciſco. 205
Harcurius ad Rotam pugnat. 634. Caſalim liberat. 637. Taurinum capit. 638
Heluetij Iulio Pontifici adhærent. 116
Heluetij cæſi. 456
Henricus II. Rex. 244
Henrici bellum in Carolum. 252
Henrici fœdus cum Germanis. 253
Henrici bellum in Hannonia. 269
Henricum II. & Philippum inter bellum. 274 & ſeqq.
Hæretici ſub Henrico II. 298
Henrici II. mors. 299
Henricus Poloniæ Rex. 389
Henricus tertius, Rex. 396. in Franciam venit. 397
Henrici III. primordia. 398
Henrici Regis amor. 400
Henricus III. Auenione. 401
ſub Henrico turbæ in Aula. 405
Henrici III. qui grati ſunt, cæſi. 418
Henrico III. nocent intimi. 425
Henrici diuerſa ſtudia. 430
Henricus Rex pluribus odioſus. 444
Henricus III. Pariſiis pulſus. 459
Henricus III. Guiſio conciliatus. 461
Henricus III. agit cum Nauarro 478
Henricus III. Pariſios obſidet 483
Henricus III. occiſus. 483
Henricus IV. Rex. 487
Henricus IV. in amores pronus. 495
Henrici IV. conuerſio. 534
Henrici IV. inauguratio. 539
Henricus IV. Pariſiis exceptus. 539
Henrici bellum cum Hiſpano. 544
Henricus IV. abſolutus à Pontifice. 553
Henrici IV. cum Maria coniugium. 573
Henrici IV. cædes & dotes. 583
Henrici Angli lapſus. 202
Henricus Andegauus bello præpoſitus. 354
Heſdinum captum à Carolo. 259. mox ab Henrico. 266
in Hiſpanos bellum ſub Ludouico XIII. 620
Hodancurij præclarè geſta. 645
ad Honnecurium pugna. 644
Hugonotti. 304. ad Condæum confugiunt. 305
in Hugonottos primum bellum. 327
Cum Hugonottis pax prima. 336
in Hugonottos bellum ſecundum. 341. & ſeqq.
in Hugonottos tertium bellum. 351. & ſeqq.
Hugonotti copias reparant. 358
cum Hugonottis pax tertia. 371
Hugonottorum cædes Pariſiis. 374. & ſeqq.
Hugonottorum cædes in prouinciis. 382. & ſeqq.
in Hugonottos quartum bellum. 384. & pax. 388
in Hugonottos quintum bellum. 391
in Hugonottos bellum continuatum. 400. 413
in Hugonottos bellum ſextum. 413. pax. 417
in Hugonottos bellum ſeptimum. 420. pax. 424
in Hugonottos bellum octauum. 436. 438

I.

IAnuarij edictum. 325
Iarnacenſis pugna. 356
Ieſuitæ interempti ab Hugonottis. 370
Ieſuitæ in Franciam reuocati. 576
S. Ignatius Loyola. 156
Inculiſmæ Catholici cæſi. 353
Ioyeuſæ exercitus. 441
Ioyeuſæ mors. 528
Ioyeuſa Capucinus. 555
Iulius II. Pontifex. 100

Iulius Pontifex bello appetitus. 115. & seqq.
Isabellæ mors. 104
Iuriacensis pugna. 497. & seqq.

L

LAudunum captum ab Henrico IV. 543
Lautrecus bellum in Italia mouet. 190. ad Neapolim. 193
Lediguerij initia. 405
Lediguerius in Phocensibus victor. 442
Lediguerius capit Gratianopolim. 508
Legionarij milites. 204
Leonis decimi mors. 164
Ligueæ seu fœderis origo. 411
Ligua conualescit. 432. & seqq.
pro Ligua bellum primum. 433. pax. 435
Ligua instauratur. 456 & seqq.
Ligua post Guisij cædem. 476. & seqq.
Ligua in Henricum IV. 489
Lirinenses Insulæ. 623. 627
Longauilla in Pedemontio. 633
Longauilla Dertonam capit. 644
Lotharingij Cardinalis mors. 402
Ludouici Regis morbus. 45. 47. mors. 48. & dotes.
Ludouici consilia post cæsum Carolum Burgundum. 40. 41
Ludouicus Delphinus ad Burgundum fugit. 5
Ludouicus XI. Rex. 8
in Ludouicum XI. coniuratio Procerum. 13. & seqq.
Ludouicus XI. periclitatur Peronæ. 22
Ludouicus XI. in Burgundum. 26
Ludouicus XII. Rex. 82
Ludouici XII. quatuor exercitus. 99
Ludouici XII. fœdus cum Ferdinando. 105
Ludouici XII. mors. 140
Ludouicus XIII. Rex, Maria Regens. 589
Ludouici cum Anna coniugium. 592
Ludouici XIII. mors. 647
Lugdunum liberatum. 311
Lugduni arx. 434
Lugdunum Henricum IV. agnoscit. 538
Lugduni seditio. 617
Luxemburgum ab Henrico subactum. 255

M

MAdriti fœdus inter Carolum & Franciscum. 187
Margarita Nauarra, Francisci soror. 249
Margarita aulâ pellitur. 431
Margarita à Nauarro deficit. 439
Margaritæ Reginæ mors. 592
Maria Regina, Caroli VII. Coniux. 8
Mariæ Mediceæ mors. 647
Maria Burgunda 42. nupta Maximiliano 43. moritur. 46
Mariemburgum captum. 270
ad Marignanum pugna. 144. & 45
Masarinus ad Casalim pacem fancit. 64
Massiliæ Pontifex & Rex conueniunt.
Massilia à Borbonio obsessa. 177
Massilia à Carolo obsessa. 216
Massilia seruata. 434
Massilia Henrico IV. reddita. 556
Massilienses Insulæ. 566
Maynij exercitus in Aquitania. 439
Maynius summus dux Ligueæ. 480
Maynius perstat in fœdere. 537
Maynius Regem agnoscit. 554
Maximilianus Imperator in Italia. 109. 108.
Maximilianus in Mediolanenses. 148. eius mors. 150
Medicæus Florentia pulsus. 65
Mediolanense bellum à Ludouico XII. 85. & seqq.
Mediolanum sub Francisco amissum. 162. 164
Melfitanus Princeps. 249
Mercordius ad pacem admissus. 565
Merindolij pagi pœna. 242
Meruillij cædes. 203
Metis occupata ab Henrico. 254
Metis obsessa à Carolo. 257. & seqq.

& soluta. 264
S. Michaëlis Ordo institutus. 24
Mirandula capta à Iulio Pontifice. 119
Molinense edictum. 341
Mombrunus captus. 404
Mommorancius reuocatus. 244
Mommorancij Comestabilis mors. 346
Mommorancij naualis victoria. 600
Mommorancij mors. 615
Mompenserij pietas. 90
Monconturiana pugna. 365. & seqq.
Monlucius Senas propugnat. 274
Monoëci ad Francos conuersio. 642
Monspelij obsidio. 598
ad Montem Erycum pugna. 15
Montalbanum per pacem redditum. 608
Mota capta. 617

N

NAncæium captum. 616
Nannetense Edictum. 566
Naualis pugna in Anglos sub Ludouico XII. 136
Nauarrus Rex defecit ab Hugonottis. 324
Nauarri Antonij mors. 329
Nauarri & Niuernensis expeditiones. 472
Nauis flagrans. 241
Neapolitani belli origo. 59. & seqq.
Neapolitanum regnum diuisum. 89
Neapolitanum bellum sub Ludouico XII. 90. & seqq.
Nemursius liber, moritur. 547
Nicia à Turcis obsessa. 232
Niuernensis mors. 552
ad Nouariam pugna. 134
Noüæ laus & secessus. 385
Nox farinarum. 509

P

PAlissæ laus. 92. 93
Parisiensium tumultus in Henricum III. 447
Parisij obsessi ab Henrico IV. 495
Parisij obsessi sub Ludouico XI. 16
Parisiensium in Henricum rebellio. 474
Parisiensis Senatus in Bastillam ductus. 475
Parisiorum obsidio ab Henrico IV. 501. & seqq.
Parisiensia Comitia. 531
Parmense bellum sub Henrico II. 250
Parmensis Dux ad Parisios. 509
Parmensis Dux Rothomagum venit. 521. vulneratur. 525
à S. Paulo Comestabilis traditus Regi. 32. Rex illi parcit. 33. eius fraudes. 35. & pœna. 37
Perona sub Francisco seruata. 218
Perpinianum captum à Ludouico XI. 9
Perpinianum obsessum à Francisco. 228
Perpinianum obsessum. 645
Philippi Burgundi mors. 19
Philippus Archidux Castellæ Rex. 94
Philippoburgum captum. 618
Picardiæ vrbes restitutæ. 11
Pictauij obsidio. 361. & seqq.
Pinarolium ab Henrico redditum. 399
Pisanis libertas data. 65. 72
Pisanum Concilium. 122
ad Poncharram pugna. 516
Poissiacum colloquium. 321. & seqq.
Pontificis diplomata in Henricum IV. 511
Poyetus damnatus. 229
Pragmatica sanctio. 20
Pragmatica abolita. 147
Principes sub Francisco II. 301
Prioris Franciæ cædes. 442
Protestantium Legatio ad Henricum III. 443

R

RAitri Condæo adiuncti. 347
Raitri in Francia. 447. cæsi à Guisio. 454
ad Rauennam pugna. 126. & seqq.
ad Rentiacum pugna. 272
Rhea, & Torrasij fortitudo. 603
Renatus Rex Andegauos tradit Ludouico.

douico. 31. & Prouinciam. 38
Richelius Cardinalis. 594. 599
Richelij mors. 646
Rieusius Mareſcallus. 52
ad Rocabellam prælium. 360
Rochamenij dicta. 211
Rohanij mors. 629
Rothomagum Henrico addictum. 543
Rothomagum obſeſſum & captum ſub Carolo IX. 327. & 28
Rothomagum obſeſſum. 520
Rupellæ defectio ad Hugonottos. 348
Rupellæ obſidio ſub Carolo IX. 385 & ſeqq.
Rupella obſidetur, & capitur. 605
in Ruſcinone bellum 30
Ruſcino relicta Ferdinando. 59

S

SAbaudiæ Dux Saluſſios occupat. 466
Sabaudiæ Dux in Prouincia. 513
Sabaudiæ Dux in Franciam venit. 568. bello appetitur. 570
Salernitanus ad Henricum deficit. 267
Salſulæ à Francis captæ. 80
Salſulæ captæ & perditæ. 631
Saluſſij in Franciſcum defectio. 211
Sancerræ obſidio. 389
Sandionyſiana pugna. 345
Sangermani comitia ſub Carolo IX. 320
Sanquintinum obſeſſum. 284. pugna. 285
Sauanorola. 77
Sequerius Sigillorum cuſtos. 616. Cancellarius. 623
ad Seguſium victoria. 606
Senenſe bellum. 273. & ſeqq.
in Sequanos bellum. 547
Sexdecim viri Pariſiis. 433. & 517
Sforcia captus. 87
Spiritus Ordo. 419
Stroſſij mors. 292
cum Sueco Rege fœdus. 613
Sueſſionenſis in pugna mors. 640
Senenſes Francos admittunt. 268

T

TArraconis obſidio. 642
Telina vallis occupata. 601
Termeus victus. 293
Teruana obſeſſa. 137
Teruana capta à Carolo, & euerſa. 265
Thionuilla capta. 292
Ticinum à Franciſco Rege obſeſſum. 179. & ſeqq.
ad Ticinum pugna. 182
Concilium Tridentinum. 297
Triumuiratus Procerum.
Triuulcij mors. 150
Turenius Dux Bullionius. 520
ad Turones pugna. 482

V

VAletæ mors. 529
Vaſſiana cædes. 326
Venerea lues Neapoli. 69
in Venetos bellum à fœderatis. 110. & ſeqq.
Venetorum trepidatio & animus. 113
Venetorum fœdus in Ludouicum XII. 132
Veredarij inſtituti, *Les Poſtes.* 44
Veruinenſis Pax. 567. 580
Veſini nobile facinus. 380
Vaymarij mors. 631
Vitrius Regem agnoſcit. 537

X

XAntonus Quæſtor punitus. 4

FINIS.

KGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google